Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
204
2 D
15

AVERSA
DE DEO
INCARNATO

Digitized by Google

204.2-D-15

SACRÆ THEOLOGIÆ TERTIA PARS

IN QVA

DE DEO INCARNATO
EIVSDEMQVE CHRISTI DOMINI
Myſterijs
ET SACRAMENTIS AB EO INSTITVTIS
accuratè diſſeritur

Cum Doctore Angelico Quęstionibus contexta

AVCTORE
P. RAPHAELE AVERSA À SANSEVERINO
Clericorum Regularium Minorum

Genuæ Typis Io. Mariæ Farroni et socior. 1640 superior. permissu

Digitized by Google

204·2-D·15

02

EMINENTISS.MO ET REVERENDISS.MO

PRINCIPI ET PRAESVLI DOMINO STEPHANO CARDINALI DVRATIO

IANVENSI ARCHIEPISCOPO

BONONIENSI LEGATO.

RAPHAEL AVERSA CLERICORVM MINORVM.

INTER ſpiritualia obſequia, quibus ab annis viginti & vltra, Eminentiſſime Princeps, impensè te colo, hoc vnum nunc eſt, quo tertiam hanc Sacræ Theologiæ partem tuæ ſublimitati deuoueo. Diuiniſſimum Incarnationis opus, exactiſſimum Chriſti Saluatoris exemplum, opulentiſſimum Sacramentorum theſaurum. Quàm frequenter & ſuauiter de his Myſterijs meditari, audire, colloqui ſoles. In hoc portu inter procelloſas ſæpè negotiorum vndas, in hoc pacis templo inter contentionum rixas, in hoc Paradiſo inter creberrimas laborum curas, dulciſſimè conquieſcis. Excipe nunc hæc, manu addictiſſimi miniſtri tui litteris exarata: vbi quæ aſſiduè tecum ipſo contemplari, mecum ipſo ſermocinari conſueueras, iam tuis oculis, meis ſcriptis, hoc volumine leges. Et è tuis manibus in aliorum etiam commodum non inutilia deducantur. Sacrarium ſanè hoc eſt, in quo ſacratio-

res Chriſtianæ Reipublicæ opes effulgent, quibus ſumma Diuinæ Maieſtati gloria exhibetur,& noſtris animabus ſanctitas vera confertur. Promptuarium hoc eſt, in quo pretioſiores Eccleſiaſticæ aulæ gemmæ,non tàm ad cuſtodiam reconduntur, quàm ad vtilitatem publicam exponuntur. Armamentarium hoc eſt, ad debellandas tartareas poteſtates, ad effugandas vitiorum acies, ad extinguenda agmina peccatorum. Exemplum hoc eſt, ex quo omnium virtutum genera hauriuntur; ad cuius normam & typum, præ omnibus Fidelibus & pijs ſuæ ſalutis cupidis, maximè Eccleſiaſtici Principes & Prælati, tum in ſe ipſis regulandis, tum in ſibi ſubditis dirigendis, ſe conformare & componere debent. Habes ergo, Eminentiſſime Princeps & Præſul, in hoc opere, Incarnati Verbi beneficia, quibus & te ipſum & ſubditos tanquam ſacratiſſimis opibus locupletare poſſis. Habes Chriſti Domini vitæ, paſſionis, gloriæque myſteria, quibus tanquam fulgentiſſimis gemmis valeas exornare. Habes ab eodem Saluatore inſtituta ſalutaria ſacramenta, quibus tanquam validiſſimis armis externas internaſq; ſpiritualium hoſtium acies profligabis, quibus tanquam ſaluberrimis remedijs animarum vulnera morboſque depellas. Habes geſta, verba, cogitata Chriſti, quę in toto vitæ tuæ curſu imiteris, cunctiſque alijs imitanda proponas. Oportebat ſanè, alia longè eruditiore manu & lingua hæc tibi ſubminiſtrari & porrigi. Exoptandus ſanè fuiſſet tantæ ſpei viro, alter doctrina & ſanctimonia rediuiuus, vel tanquam Damaſo Hieronymus, vel tanquam Eugenio Bernardus. Sed mea felicitate, & maiore tua gloria factum eſt, vt meam exilitatem ab initio quo Romanam Curiam attigiſti elegeris, & continuato tot annorum ſpatio in his ſacris miniſterijs ſemper habueris. Habebas quoque & in pręclariſſima domo tua, in excelſa inquam Duratiorum familia; copia, antiquitate, fama; celeberrimas Maiorum tuorum imagines, nobiliſſima virtutum exempla, quæ te ad eximiam probitatem & gloriam incitarent. Non ſunt Officia in Sereniſſima Ianuenſi Republica, quæ non quamplures ex tua familia geſſerint: non Magiſtratus quos non expleuerint: non Legationes ad Principes quas non perfecerint: non pacis aut belli artes quas non ſeruauerint: non laudes quas non tulerint: non memoriæ quas non reliquerint. Inter quos, Supremum Reipublicæ Ducatum tres hactenus è Duratijs, rariſſimum eius Ciuitatis exemplum, ſumma cum gloria adminiſtraſſe noſcuntur. Iacobus auus tuus poſt conciliatas acerbiſſimas olim ciuium diſcordias, ſingulari iuſtitia & prudentia, animos in pace continuit & firmauit. Petrus pater tuus, memoranda in æuum rectitudine & prouidentia, tanquam Principum norma ſucceſſoribus oſtentatur. Ioannes Baptiſta tertio tibi gradu coniunctus, maximo Vrbis plauſu in ſui aſſumptione exceptus, eximiæ pietatis & moderationis laude nunc regnat. Horum omnium virtutes & laudes in te vno colligi & cumulari debebant. Quali Diuini Numinis afflatu factum fuit, vt natu minimus inter quinque fratres, electus à patre fueris, ad Romanam aulam deſtinatus & miſſus. Nimirum ad hunc dignitatis & gloriæ apicem, tanquam alter Dauid, fratrum ætate minimus, virtute ſummus, à Domino vocabaris. Mirum dictu: Cùm inter prima pueritiæ rudimenta, verſiculos explanandos, ſodales ex magiſtri imperio ſortirentur, tibi obtigit

Ouidianum illud, I tamen & pro me tu cui licet aſpice Romam. Non puerile ludicrũ, ſed diuinum oraculum hoc euaſit. Non in poeticis faſtis, ſed in cæleſtibus fatis, tibi ſic ſcriptum erat. Tibi licebat, tibi conceſſum erat, Romam accedere, aſpicere, illuſtrare. Sed & in te vno, per omnes ætatis progreſſus, per tot Officiorum & Dignitatum gradus, liberaliſſima Diuina manus, omnium virtutum exempla congeſſit, vt ex vno in aliud ſemper meritorum incrementa ſuſciperes. Habuit quid à pueritia traheret adoleſcentia, morum candorem: quid ab adoleſcentia iuuentus, animi alacritatem: quid à iuuentute virilitas, operis diligentiam: habebit quid trahat à virilitate ſenectus, inuincibilem in omnibus fortitudinem: ex tota vita tua ſumet alas fama, immortalitatẽ gloria. Habuiſti ex moribus tuis formam qua regeres ſubditos, ex domo prouincias, ex vita priuata officia publica. Et inter hæc, ex vno in aliud glorioſæ adminiſtrationis exemplum. Ex Apoſtolica Cancellaria in Clericatum Cameræ, ex Cameræ Clericatu in victus Annonam, ex Annona victus in Præfecturam ærarij, ex ærarij Præfectura in Cardinalitiam Dignitatem, ex Dignitate Cardinalitia in Ferrarienſem Legationem, ex Legatione Ferrarienſi in Ianuenſem Archiepiſcopatum, ex Archiepiſcopatu Ianuenſi in Bononienſem Legationem, ad quam iam votis publicis & Summi Pontificis iuſſione vocaris. Ex omnibus tandem ad quæcunque alia tibi à Domino præparata munia, copioſiſſimam exemplorũ ſegetem, ad omnem exercitationem & perennem gloriam, tibi ſuppetere vides. Præbebis & tu, ac in perpetuam memoriam poſteris demandabis, ſimilia egregiorum factorum exempla. Inuenient in te quæ imitentur, quæ admirentur, Duratiorum Familia, Ianuenſium Nobilitas, Aulicorum Cœtus, Prælatorum Ordo, Cardinalium Collegium, Epiſcoporum Hierarchia, Gubernatorum Cohors, Principum Monarchia, dum perges vt cœpiſti, Chriſti veſtigia ſequens. Et in æternum vale.

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM ET SECTIONVM.

QVÆSTIO PRIMA.

DE Poſſibilitate, & Exiſtentia, Conuenientia, ac Neceſſitate, Incarnationis qua Deus factus eſt homo. pagina 3.

Sectio 1. Vtrum Incarnatio fuerit poſſibilis: Et an id ratione naturali cognoſci poſſit. 5

Sect. 2. Num Incarnatio verè facta ſit in Chriſto Domino. Et an id naturali lumine potuerit agnoſci. 7

Sect. 3. Vtrum Incarnatio fuerit conueniens, præſertim ad reparationem generis humani. 11.

Sect. 4. Vtrum Incarnatio fuerit neceſſaria, præſertim ad reparationem generis humani. 15

Sect. 5. Quonam tempore, & quàm conuenienter, facta ſit Incarnatio. 19

QVÆSTIO II.

DE Ratione Incarnationis: ſiue de Vnione Diuinæ perſonæ & Humanæ naturæ in Christo. 21.

Sect. 1. Vtrum per Incarnationem unitæ fuerint duæ perſonæ ſeu hypoſtaſes, diuina & humana, in Chriſto. 22

Sect. 2. Vtrum per Incarnationem conſtituta fuerit una natura ex diuina & humana in Chriſto. 25

Sect. 3. An & quomodo per Incarnationem conſtituta ſit una Chriſti perſona cum duabus naturis. 27

Sect. 4. Vtrum dici debeat perſona Chriſti per Incarnationem ex Diuinitate & Humanitate compoſita. 31

Sect. 5. Quid ſit formaliter Incarnatio quoad unionem inter perſonam diuinam & naturam humanam. 34

Sect. 6. Qualis ſit dicta unio in ſe ſpectata. 40

Sect. 7. Qualiter hæc unio ad alias uniones aliaquè dona ſupernaturalia comparetur. 42

Sect. 8. Quomodo ſe habeat Hypoſtatica unio ad perſonam diuinam, ad naturam humanã, & ad Chriſtum. 46

Sect. 9. Quid ſit Incarnatio quoad productionẽ, qua facta eſt unio, & conſtitutus eſt Chriſtus. 47

Sect. 10. Quinam ſint huius productionis Termini. 49

QVÆSTIO III.

DE Perſona Diuina Incarnata. 51.

Sect. 1. Vtrum ſit tàm proprium Dei poſſe incarnari, ſeu aſſumere alienam naturam, ut nulla creata perſona id præſtare queat. 52

Sect. 2. Vtrum ſit tàm proprium Diuinæ perſonæ poſſe incarnari, vt Deus abſtrahens à perſonis id præſtare non poſſit. 54

Sect. 3. Vtrum commune ſit omnibus Diuinis perſonis poſſe incarnari, & quælibet ſine aliis id præſtare poſſit. 57

Sect. 4. Vtrum poſſint plures perſonæ diuinæ ſimul eandem naturam creatam aſſumere. 58

Sect. 5. Vtrum poſſit eadem perſona diuina plures naturas creatas aſſumere. 59

Sect. 6. Vtrum ſola perſona Verbi diuini de facto incarnata ſit. 60

Sect. 7. Vtrum Verbum diuinum humanitatem aſſumpſerit, ratione diuinæ eſſentiæ, vel ſolùm proprietatis perſonalis. 62

Sect. 8. Quo pacto Verbum diuinum abſque ulla ſui mutatione & imperfectione incarnatum ſit. 64

QVÆSTIO IV.

DE Natura Humana Aſſumpta. 67.

Sect. 1. Vtrum proprium ſit Naturæ ſubſtantiali poſſe aſſumi à Deo. ibid.

Sect. 2. Vtrum commune ſit omni naturæ ſubſtantiali poſſe aſſumi à Deo. 69

Sect. 3. Vtrum poſſit à Deo aſſumi natura cum

Digitized by Google

propria ſubſiſtentia. 71
Sect. 4. Vtrum ſola natura humana, abſque propria ſubſiſtentia de facto aſſumpta ſit. 73
Sect. 5. Vtrum natura humana Chriſti aſſumpta fuerit à Verbo, mediante aliqua diſpoſitione. 74
Sect. 6. Qualiter humana natura Chriſti abſque repugnantia & violentia maneat vnita Verbo. 77

QVÆSTIO V.

De Partibus Humanæ naturæ aſſumptæ, & Ordine aſſumptionis earum. 80
Sect. 1. Vtrum Verbum aſſumpſerit verum corpus terreſtre & animam rationalem. 81
Sect. 2. Vtrum Verbum aſſumpſerit omnes partes integrales humani corporis, etiam ſanguinem & alios humores, ac partes non informantes anima. 82
Sect. 3. Num eodem vel diſtincto vnionis modo Verbum aſſumpſerit corpus & animam. 86
Sect. 4. Vtrum Verbum aſſumpſerit etiam vnionẽ inter corpus & animam Chriſti, vel per ſolam aſſumptionem partium totam humanitatem aſſumpſerit. 87
Sect. 5. Vtrum Verbum diuinum ſimul tempore aſſumpſerit corpus & animam Chriſti. 90
Sect. 6. Vtrum Verbum ordine naturæ prius animam vel corpus Chriſti aſſumpſerit. 91
Sect. 7. Vtrum Verbum aſſumpſerit corpus & animam Chriſti prius natura quàm vnirentur inter ſe. 93
Sect. 8. Vtrum Verbum prius natura aſſumpſerit corpus & animam Chriſti, vel totam humanitatem. 95

QVÆSTIO VI.

De Cauſis Incarnationis. 97
Sect. 1. De Cauſa Effectiua Incarnationis. ibidem.
Sect. 2. De Cauſa Finali Incarnationis: Et præcipuè num Incarnatio à Deo prædefinita, & facta fuerit ob redemptionem humani generis à peccato. 100
Sect. 3. Vtrum ita Incarnatio ordinata fuerit in peccati remedium, vt eo non exiſtente facta non fuiſſet. 107
Sect. 4. Vtrum Deus Incarnationem prædefinierit ante vel poſt quàm præuidit peccatum, & voluit redimere hominem. 111
Sect. 5. An & quomodo Incarnatio ordinata fuerit in remedium originalis peccati & actualium peccatorum. 114
Sect. 6. De Cauſa Meritoria Incarnationis: Et primò num Chriſtus, ſeu eius humanitas, meruerit vel mereri potuerit ſuam incarnationem, per opera præcedentia. 117
Sect. 7. Vtrum Chriſtus meruerit aut mereri potuerit incarnationem ſuam, per opera ſubſequentia. 121
Sect. 8. Vtrũ Chriſtus mereri potuerit ac de facto meruerit circũſtantias ſuæ incarnationis. 123
Sect. 9. Vtrum Antiqui Patres meruerint vel mereri potuerint incarnationem. 125
Sect. 10. Vtrum Antiqui Patres mereri potuerint ac de facto meruerint circunſtantias incarnationis. 129
Sect. 11. Vtrum B. Virgo mereri potuerit ac de facto meruerit eſſe mater Dei incarnati. 132
Sect. 12. Vtrum Beata Virgo meruerit ſolùm de congruo, vel etiam de condigno mereri potuerit, eſſe mater Dei incarnati. 138

QVÆSTIO VII.

De Gratia Chriſti prout eſt quidam ſingularis homo. 140
Sect. 1. Vtrum Chriſtus habuerit Gratiam ſanctificantem. 141
Sect. 2. Vtrum Chriſtus habuerit Gratiam auxiliantem & virtutes. 142
Sect. 3. Vtrum Chriſtus habuerit dona Spiritus ſancti & gratias gratis datas. 144
Sect. 4. Vtrum Chriſtus habuerit gratiam infinitam. 146
Sect. 5. Vtrum Chriſtus habuerit maximam gratiam. 148

QVÆSTIO VIII.

De Gratia Chriſti prout eſt caput aliorum. 150
Sect. 1. Quorumnam & quomodo Chriſtus ſit myſticum caput. 151
Sect. 2. Quænam ſit Gratia capitis in Chriſto. 153

QVÆSTIO IX.

De Intellectu & Scientia Chriſti. 155
Sect. 1 Vtrum Chriſtus præter intellectũ & ſcientiã diuinam, etiã humanã habuerit. ibid.
Sect. 2. Vtrum Chriſtus habuerit triplicem ſcientiam, beatam, infuſam, & acquiſitam. 157

QVÆSTIO X.

De Scientia Beata Chriſti. 159
Sect. 1. Quàm perfectè Chriſtus ſcientia ſua beata Deum videat. ibid.

Sect. 2.

Sect. 2. Quonam poſſibilia & futura Chriſtus per ſuam ſcientiam beatam videat in Deo. 160

QVÆSTIO XI.

DE Scientia infuſa & acquiſita Chriſti. 162.

Sect. 1. Vtrum Chriſtus per Scientiam infuſam noverit myſteria ſupernaturalia, ac præſertim Deum ipſum quoad eſſentiã & perſonas. 163

Sect. 2. Vtrum Chriſtus per Scientiam infuſam obiecta etiam naturalia noverit. 166

Sect. 3. Vtrum Chriſtus per Scientiam infuſam noverit omnes res poſſibiles & exiſtentes, etiam ſecreta cordium, & futura contingentia. 168

Sect. 4. De Actu Scientiæ infuſæ Chriſti. 171

Sect. 5. De Speciebus intelligibilibus Scientiæ infuſæ Chriſti. 174

Sect. 6. De Habitu Scientiæ infuſæ Chriſti. 176

Sect. 7. Quænam Chriſtus ſua Scientia acquiſita cognoverit. 180

Sect. 8. Quo pacto Chriſtus Scientiam acquiſitam habuerit. 182

Sect. 9. Vtrum Chriſtus dictam Scientiam acquiſierit addiſcendo aliquid ab Angelis & hominibus. 186

Sect. 10. Qualis fuerit Scientia acquiſita Chriſti, quoad Actum, Species intelligibiles, & Habitum. 187

QVÆSTIO XII.

DE Voluntate Chriſti. 190

Sect. 1. Vtrum Chriſtus præter Voluntatem diuinam, etiam humanam habuerit. ibid.

Sect. 2. Quos actus humanæ voluntatis Chriſtus habuerit. 191

Sect. 3. An & quomodo humana Chriſti voluntas fuerit libera, etiam ad actus præceptos, non obſtante eius impeccabilitate. 196

Sect. 4. De Rectitudine humanæ voluntatis Chriſti, & Conformitate cum volũtate diuina. 201

QVÆSTIO XIII.

DE Potentia Chriſti. 203

Sect. 1. Vtrum Chriſtus habuerit potentiam faciendi omnia quæ voluit. ibid.

Sect. 2. An & quomodo Chriſtus habuerit potentiam, non ſolum ad opera naturalia, ſed etiã ſupernaturalia & miraculoſa. 206

Sect. 3. Vtrum Chriſtus habuerit potentiam phyſicè effectiuam, vel tantùm moraliter operatiuam dictorum operum. 207

QVÆSTIO XIV.

DE Proprietatibus & Defectibus Corporis Chriſti. 212

Sect. 1. Vtrum habuerit Chriſtus proprietates & defectus naturales humani corporis. ibid.

Sect. 2. Vtrum corporales defectus Chriſtus habuerit ex neceſſitate an ex voluntate. 214

QVÆSTIO XV.

DE Proprietatibus & Defectibus Animæ Chriſti. 216

Sect. 1. Vtrum Anima Chriſti habuerit naturales potentias & operationes, etiam ſenſitiuas. ibidem.

Sect. 2. Vtrum Anima Chriſti habuerit vel habere potuerit defectus Ignorantiæ, Erroris, & Admirationis. 219

Sect. 3. Vtrum Anima Chriſti de facto habuerit peccatum, vel habere potuiſſet ſi aliquando fuiſſet non vnita Verbo. 221

Sect. 4. Vtrum Anima Chriſti poterat habere & committere peccatum, permanens vnita Verbo. 222

Sect. 5. Vtrum Anima Chriſti potuiſſet habere & committere peccatum, amittendo vnionem cum Verbo. 226

Sect. 6. Num Anima Chriſti potuiſſet habere reatum pœnæ vel habitum vitij. 228

QVÆSTIO XVI.

DE Proprietatibus ac Denominationibus Chriſti quatenus eſt Deus & homo. 229

Sect. 1. De His Propoſitionibus, Chriſtus eſt Deus & homo, Deus eſt homo, Homo eſt Deus. 230.

Sect. 2. De His Propoſitionibus, Chriſtus eſt diuinus & humanus, Deus eſt humanus, Homo eſt diuinus. 232

Sect. 3. De His Propoſitionibus, Chriſtus factus eſt Deus & homo, Deus factus eſt homo, Homo factus eſt Deus. ibid.

Sect. 4. De His Propoſitionibus, Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas, Diuinitas eſt humanitas, Humanitas eſt Diuinitas. 233

Sect. 5. An & quomodo omnia prædicata eſſentialia diuina & humana, verè dicantur de Chriſto, & diuina de homine, & humana de Deo. 234

QVÆSTIO XVII.

DE Vnitate vel diſtinctione exiſtendi & eſſendi in Chriſto. 236

Sect. 1. Vtrum Chriſtus habeat humanam exiſtentiam à diuina diſtinctam. ibid.

Sect. 2.

Sect. 2. *Qualiter dicendum ſit, Chriſtum habere vnum vel duplex eſſe.* 240
Sect. 3. *Vtrum Chriſtus dici debeat vnus vel plures, vnum vel plura.* ibid.

QVÆSTIO XVIII.

DE Vnitate vel diſtinctione Attributorum duplicis naturæ in Chriſto. 242
Sect. 1. *Vtrum Chriſtus habeat omnia Attributa vtriuſque naturæ, diuinæ, & humanæ, diſtincta & inconfuſa.* ibid.
Sect. 2. *Vtrum Attributa omnia diuinæ & humanæ naturæ affirmanda ſint de Chriſto, de hoc homine, de Deo.* 244

QVÆSTIO XIX.

DE Operationibus Chriſti, Præſertim quoad rationem meriti & ſatisfactionis. 245.
Sect. 1. *Vtrum Chriſtus præter operationes diuinas, etiam humanas habuerit.* 246
Sect. 2. *Vtrum Chriſtus per operationes humanas verè meruerit apud Deum.* 249
Sect. 3. *Per quas humanas operationes Chriſtus meruerit.* 251
Sect. 4. *Quo tempore Chriſtus meruerit.* 256
Sect. 5. *Num Chriſtus gloriam eſſentialem aliaquè bona animæ ſibi meruerit.* 260
Sect. 6. *Vtrum Chriſtus gloriam corporis aliaquè dona externa ſibi meruerit.* 264
Sect. 7. *Vtrum Chriſtus gloriam aliaquè dona gratiæ meruerit Angelis.* 265
Sect. 8. *Vtrum Chriſtus meruerit hominibus diuinam beneuolentiam & prouidentiam ac prædeſtinationem æternam.* 268
Sect. 9. *Vtrum Chriſtus meruerit hominibus gloriam & omnia dona gratiæ.* 270
Sect. 10. *Vtrum Chriſtus gratiam & gloriam meruerit omnibus hominibus.* 276
Sect. 11. *An & per quas operationes, & quo tempore, & pro quibus, Chriſtus ſatisfecerit.* 281
Sect. 12. *An Chriſtus ſatisfecerit de condigno: Et an ratione valoris ac dignitatis ſuorum operum, vel acceptationis diuinæ.* 284
Sect. 13. *Num operationes Chriſti fuerint infinitæ dignitatis & efficaciæ ad ſatisfaciendum ac merendum.* 289
Sect. 14. *Vtrum Chriſtus ſatisfecerit de rigore iuſtitiæ.* 296
Sect. 15. *Vtrum dicto modo ſatisfacere Deo, fuerit ita proprium Chriſto, vt nullus peccator pro ſe ipſo perfectè ſatisfacere poſſit.* 304
Sect. 16. *Vtrum dicto modo ſatisfacere, ſit tam proprium Chriſto, vt nullus purus homo quãtumuis ſanctus, pro peccatis ſatisfacere poſſit.* 309.

QVÆSTIO XX.

DE Subiectione Chriſti ad Patrem. 315
Sect. 1. *An & quo pacto Chriſtus dici poſſit ſubiectus Patri, ſubiectus Deo, & ſingulis perſonis diuinis.* ibidem.
Sect. 2. *Quot & quibus modis Chriſtus ſit ſubiectus Patri.* 318
Sect. 3. *An Chriſtus dici poſſit ſeruus Patris, ſeruus Dei.* 320
Sect. 4. *An & quibus diuinis præceptis Chriſtus erat ſubditus & obligatus.* 325

QVÆSTIO XXI.

DE Oratione Chriſti ad Patrem. 331
Sect. 1. *An & quo pacto Chriſto competat orare.* 332
Sect. 2. *Vtrum omnis Chriſti oratio ſemper exaudita fuerit.* 336
Sect. 3. *Vtrum etiam deinceps Chriſtus oret in cælis.* 340

QVÆSTIO XXII.

DE Sacerdotio Chriſti. 344.
Sect. 1. *An & qualiter Chriſtus fuerit Sacerdos.* 345
Sect. 2. *Quo pacto Chriſtus ſit Sacerdos inquantum homo, & in æternum.* 349
Sect. 3. *Quis ſit effectus Sacerdotij & Sacrificij Chriſti, & an collatus fuerit etiam ipſi Chriſto.* 354

QVÆSTIO XXIII.

DE Adoptione Chriſti. 359
Sect. 1. *Quid ſit diuina Adoptio, & quibus conueniat.* ibidem.
Sect. 2. *Quæ fuerit ſententia quorundam Hæreticorum, & quorundam Theologorum, de Adoptione Chriſti.* 363
Sect. 3. *Quòd Chriſtus non ſit nec dici poſſit Dei filius adoptiuus.* 369
Sect. 4. *An & quo pacto Chriſtus inquantum homo ſit & dici debeat filius Dei naturalis.* 372

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XXIV.

DE Prædeſtinatione Chriſti. 378
Sect. 1. Qualiter Chriſtus dici poſſit prædeſtinatus ad dona gratiæ & gloriæ. 379
Sect. 2. Qualiter dici poſſit Chriſtus homo prædeſtinatus vt eſſet filius Dei. 381
Sect. 3. An dici poſſit Chriſtus filius Dei prædeſtinatus vt eſſet homo. 386
Sect. 4. Qualiter Prædeſtinatio Chriſti ſit exemplar & cauſa prædeſtinationis noſtræ. 388

QVÆSTIO XXV.

DE Adoratione Chriſti. 391
Sect. 1. Vtrum Chriſtus vt homo ſit adorandus eadem adoratione latriæ qua adoratur vt Deus. 392
Sect. 2. Vtrum Chriſti humanitas poſſit adhuc adorari alio diſtincto & inferiori cultu ob propriam excellentiam. 396
Sect. 3. An & qualiter adorari etiam debeant Chriſti Reliquiæ, Imagines, Crux, aliaquè paſſionis inſtrumenta, & eius Mater. 402

QVÆSTIO XXVI.

DE Officio Mediatoris, aliiſquè Officijs ac Dignitatibus Chriſti. 407.
Sect. 1. Qualiter Chriſtus fuerit inter Deum & homines mediator. 408
Sect. 2. Qualiter Chriſtus fuerit Pontifex & Fundator Eccleſiæ. 410
Sect. 3. Qualiter Chriſtus fuerit etiam Rex & Monarcha. 412
Sect. 4. Qualiter Chriſtus fuerit etiam Dominus omnium. 416

QVÆSTIO XXVII.
& ſequentes vſque ad 36.

DE Origine Chriſti ex Maria Virgine: deque ipſa B. Virgine. 419
Sect. 1. An & quo pacto Chriſtus conceptus fuerit ex Maria Virgine abſque opera viri. 421
Sect. 2. An & qualiter Conceptio Chriſti peracta ſit in inſtanti. 425
Sect. 3. Qualiter Maria Virgo deſponſata fuerit Ioſepho per verum matrimonium. 427
Sect. 4. An hoc matrimonium verè contractum fuerit ante conceptionem Chriſti. 431
Sect. 5. Qualiter ex progenie Dauid deſcenderint Chriſtus, Maria, Ioſeph. 433
Sect. 6. Qui fuerint Progenitores intermedij à Dauid vſque ad Chriſtum. 436
Sect. 7. Quot fuerint Progenitores intermedij à Dauid vſque ad Chriſtum. 442
Sect. 8. Quam conuenienter per Angelum annunciata fuerit B. Mariæ conceptio Chriſti. 446
Sect. 9. De Conceptione Chriſti & geſtatione in vtero matris. 448
Sect. 10. De Natiuitate Chriſti ex Maria Virgine. 451
Sect. 11. Quæ Denominationes & Relationes filiationis & maternitatis inter Chriſtum & Mariam interceſſerint. 459
Sect. 12. Qualiter B. Maria etiam poſt partum Virginitatem ſeruauerit, eamquè in animo & voto ſemper habuerit. 463
Sect. 13. Vtrum B. Virgo Maria ſanctificata primùm fuerit in matris vtero per propriam diſpoſitionem, ex redemptione Chriſti. 468
Sect. 14. Vtrum B. Virgo Maria ſanctificata fuerit in primo ſuæ conceptionis inſtanti, & ab originali peccato præſeruata. 472
Sect. 15. Vtrum B. Virgo ſanctificata aliquo modo fuerit etiam ante ſuam conceptionem. 480
Sect. 16. An Beata Virgo fuerit etiam à debito contrahendi peccatum exempta. 482
Sect. 17. Vtrum B. Virgo fuerit à peccati etiam fomite liberata, & dono originalis iuſtitiæ præmunita. 490
Sect. 18. Vtrum B. Virgo fuerit ſemper expers omnis actualis peccati, donumquè confirmationis & impeccabilitatis habuerit. 496
Sect. 19. De Perfectione & progreſſu ſanctitatis B. Mariæ. 500
Sect. 20. De Alijs donis ſupernaturalibus B. Virginis. 505

QVÆSTIO XXXVII.
& ſequentes vſque ad 45.

DE Alijs Myſterijs vitæ Chriſti. 508
Sect. 1. De Circumciſione Chriſti. 509
Sect. 2. De Impoſitione nominis Ieſus. 512
Sect. 3. De Oblatione Chriſti in templo, & Purificatione B. Mariæ. 514
Sect. 4. De Alijs Myſterijs vſque ad Bapt-ſmum Chriſti. 518
Sect. 5. De Baptiſmo Chriſti in Iordane. 520
Sect. 6. De Manifeſtatione Chriſti in Iordane. 523.
Sect. 7. De Ieiunio & tentatione Chriſti in Deſerto. 526
Sect. 8. De Conuerſatione & Prædicatione Chriſti

Digitized by Google

Chriſti in hoc Mundo. 531
Sect.9. De Miraculis Chriſti. 536
Sect.10. De Transfiguratione Chriſti. 538

QVÆSTIO XXXXVI.
& ſequentes vſque ad 52.

DE Myſterijs Paſſionis Chriſti. 541
Sect.1. De Conuenientia & Neceſſitate, & Acerbitate Paſſionis Chriſti. 542
Sect.2. De Loco quo paſſus eſt Chriſtus. 546
Sect.3. De Tempore quo paſſus eſt Chriſtus. 548
Sect.4. De Cauſis & Effectibus Paſſionis Chriſti. 553.
Sect.5. De Morte Chriſti. 558
Sect.6. De Sepultura Chriſti. 563
Sect.7. De Deſcenſu Chriſti ad Inferos. 568
Sect.8. Ad quæ Inferorum loca Chriſtus deſcenderit, Et quas animas liberauerit. 571

QVÆSTIO LIII.
& ſequentes vſque ad 59.

DE Myſterijs Glorificationis Chriſti. 577
Sect. 1. De Reſurrectione Chriſti. 578
Sect.2. De Statu naturalis integritatis, in qua corpus Chriſti reſurrexit. 582
Sect.3. De Statu Gloriæ, in qua corpus Chriſti reſurrexit. 587
Sect.4. De Manifeſtatione Reſurrectionis Chriſti. 598
Sect.5. De Apparitionibus Chriſti. 600
Sect.6. De Aſcenſione Chriſti in cælum. 604
Sect.7. De Seſſione Chriſti ad dexteram Patris. 608.
Sect.8. De Miſſione Spiritus ſancti. 611
Sect.9. De Iudiciaria Chriſti Poteſtate & futuro Iudicio. 615
Sect.10. De Reſurrectione aliorum hominum. 620.
Sect.11. Quo tempore ſinguli homines reſurgent. 624
Sect.12. Qualiter homines reſurgent virtute Chriſti. 627

QVÆSTIO LX.

DE Sacramentis in genere, Et primò De Eſſentia Sacramenti. 630
Sect.1. Vtrum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile ſacrum diuinitùs inſtitutum. 631
Sect.2. Vtrum Sacramentum ſit propriè inſtitutum ad ſanctificationem hominis, & quam ſanctificationem. 635
Sect. 3. Vtrum Sacramentum in ſua eſſentiali ratione dicat tantùm ſignificare, vel potiùs conferre hominibus ſanctitatem. 640
Sect.4. Vtrum Sacramentum conſtet Rebus & Verbis, tanquam Materia & Forma. 645
Sect.5. Vtrum Res & Verba Sacramentorum determinata ſint ex inſtitutione diuina, ita vt mutari non poſſint. 649
Sect.6. De Alijs Ceremonijs & Sacramentalibus, quæ Sacramentis adiuncta ſunt. 653

QVÆSTIO LXI.

DE Conuenientia & Neceſſitate Sacramentorum. 655.
Sect. 1. Vtrum Sacramenta ſint homini conuenientia & neceſſaria ad ſalutem. ibidem.
Sect.2. Vtrum in omni ſtatu & tempore Sacramenta fuerint homini conuenientia & neceſſaria ad ſalutem. 656

QVÆSTIO LXII.

DE Principali Sacramentorum Effectu, Qui eſt Gratia. 660
Sect.1. Vtrum Sacramenta noua legis conferant Gratiam ex opere operato. 661
Sect.2. Quam & quantam gratiam Sacramenta conferant. 664
Sect.3. Quando & quibus Sacramenta conferant gratiam. 667
Sect.4. Quònam modo, An phyſicè efficiendo, vel ſolùm moraliter cauſando, Sacramenta conferant gratiam. 672
Sect.5. Vtrum Sacramenta veteris habuerint vim conferendæ gratiam. 677
Sect.6. Num Vetera Sacramenta habuerint vim aliquam ſanctificandi, & quonam modo. 682

QVÆSTIO LXIII.

DE Altero Sacramentorum Effectu, Qui eſt Character. 683
Sect. 1. An & quæ Sacramenta imprimant in anima Characterem. 684
Sect.2. Quid ſit Character. 687
Sect. 3. In quo ſubiecto propriè ſit Character. 689.

QVÆSTIO LXIV.

DE Sacramentorum Cauſis. 691
Sect 1. Vtrum Deus ſolùm & Chriſtus inſtituerit Sacramenta. ibidem.

Sect. 2.

Digitized by Google

Sect. 2. An & qui poſſint Sacramenta conficere & miniſtrare. 693
Sect. 3. An & quæ Intentio requiratur ex parte Miniſtri ad conficiendum Sacramentum. 696
Sect. 4. An & qualiter requiratur fides & probitas miniſtri ad conficiendum Sacramentum. 705.
Sect. 5. Quæ & qualis Iuriſdictio requiratur in Sacramentorum Miniſtro. An ſufficiat putatiua. 709
Sect. 6. Quiſnam ſit legitimus ſingulorum Paſtor, habens iuriſdictionem ad Sacramenta ijs adminiſtranda. 714
Sect. 7. Qualiter teneantur animarum Paſtores aliique Miniſtri ad Sacramenta miniſtranda. 719.
Sect. 8. An & qui poſſint ac debeant ſuſcipere Sacramenta. 724
Sect. 9. Quæ conditiones requirantur in ſuſcipientibus Sacramenta. 726
Sect. 10. Qualiter teneantur Miniſtri non præbere Sacramenta indignis. 729
Sect. 11. Qualiter teneantur Fideles non ſuſcipere Sacramenta ab indigno Miniſtro. 733

QVÆSTIO LXV.

DE Numero & Ordine Sacramentorum. 735.
Sect. 1. Quot & quæ ſint noſtra Sacramenta. 736.
Sect. 2. Quem ordinem inter ſe Sacramenta teneant. 738

QVÆSTIO LXVI.

DE Sacramento Baptiſmi. 740
Sect. 1. Vtrum & quando Baptiſmus fuerit inſtitutus à Chriſto. 741
Sect. 2. Num & qualiter Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem. 745
Sect. 3. Quid ſit Baptiſmus. 747
Sect. 4. De Materia Baptiſmi. 750
Sect. 5. De Forma Baptiſmi. 756
Sect. 6. An & qualiter Baptiſmus ſit vnus, qui repeti & iterari non poſſit. 761

QVÆSTIO LXVII.

DE Miniſtro Baptiſmi. 764
Sect. 1. Quinam poſſint validè baptizare, & an plures vnum. 765
Sect. 2. Quinam poſſint licitè ac debeant baptizare. 769
Sect. 3. An & quot & qui interuenire debeant, qui teneant ſiue de ſacro fonte leuent baptizatum. 774
Sect. 4. De Cognatione ſpirituali, quæ ex Baptiſmi miniſterio contrahitur. 776

QVÆSTIO LXVIII.

DE Suſcipientibus Baptiſmum. 784
Sect. 1. Vtrum omnes homines, tàm infantes, quàm adulti, ſint Baptiſmi ſuſcipiendi capaces. 785
Sect. 2. Qualiter conueniens ac debitum ſit, paruulis in infantili ætate præbere Baptiſmum. 788
Sect. 3. Vtrum Infantes etiam inuitis parentibus baptizandi ſint. 790
Sect. 4. Vtrum & quando teneantur Adulti ſuſcipere Baptiſmum. 793
Sect. 5. Vtrum Adulti teneantur cum aliqua diſpoſitione, præſertim cum pœnitentia peccatorum ſuſcipere Baptiſmum. 797
Sect. 6. Quæ & qualis eſſe debeat pœnitentia peccatoris ſuſcepturi Baptiſmum. 799

QVÆSTIO LXIX.

DE Effectibus Baptiſmi. 802
Sect. 1. An & qui ſint Effectus Baptiſmi. 803.
Sect. 2. Vtrum Baptiſmus ſine debita diſpoſitione ſuſceptus, conferat ſuos effectus, ſaltem poſtea homine ſe diſponente. 806
Sect. 3. Vtrum Baptiſmus ab homine indiſpoſito ſuſceptus, habeat vim remittendi peccata, etiam poſt illum vel in illo commiſſa. 810
Sect. 4. Quæ diſpoſitio poſtea requiratur in homine baptizato ad percipiendos Baptiſmi effectus. 813

QVÆSTIO LXX.

DE Alijs Remedijs humanæ ſalutis correſpondentibus Baptiſmo. 817
Sect. 1. De Remedio legis naturæ & Circunciſione: Num habuerit vim remittendi peccatum & conferendi gratiam, ſicut nunc Baptiſmus. ibidem.
Sect. 2. Num Remedium legis naturæ & Circunciſio habuerit vim iuſtificandi ſolùm paruulos ab originali, vel etiam adultos ab omni peccato, ſicut nunc Baptiſmus. 821
Sect. 3. Vtrum Remedium legis naturæ & circunciſio habuerit vim iuſtificandi, vt cauſa conſe-

Digitized by Google

conferens gratiam ex opere operato ſicut nunc Baptiſmus. 824
Sect.4. *De Baptiſmo Ioannis.* 830
Sect. 5. *De Baptiſmo Flaminis & Sanguinis, Qualiter vterque poſſit ſupplere vicem Baptiſmi, conferendo gratiam.* 832
Sect. 6. *An & quam diſpoſitionem requirat in Adultis Baptiſmus ſanguinis, ideſt Martyrium.* 835

QVÆSTIO LXXI.

DE Præparatione & Cæremonijs Baptiſmi. 839
Sect. 1. *Quæ ſit Præparatio & quæ Cæremoniæ Baptiſmi.* ibid.
Sect. 2. *Quam conuenientiam & vtilitatem habeant Cæremoniæ Baptiſmi.* 840

QVÆSTIO LXXII.

DE Sacramento Confirmationis. 841
Sect. 1. *De Inſtitutione & Eſſentia Confirmationis.* 842
Sect. 2. *De Materia Confirmationis.* 844
Sect. 3. *De Forma & Ritu Confirmationis.* 847.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIONES ET FACVLTATES.

VT nouum hoc opus, cuius inſcriptio eſt, Sacræ Theologiæ tertia pars, in qua de Deo incarnato, eiuſdemque Chriſti Domini myſterijs, & Sacramentis ab eo inſtitutis, accuratè diſſeritur, cum Doctore Angelico quæſtionibus contexta, Auctore P. Raphaele Auerſa Religionis noſtræ Theologo, typis mandari poſſit, iuxta Religioſorum noſtrorum, quibus id commiſimus, accuratam recognitionem, & approbationem, facultatem concedimus, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus Romæ in Aedibus noſtris Sancti Laurentij in Lucina, die 18. Februarij 1640.

Iacobus Romanus Cleric. Min. Præpoſitus Generalis.

Conſtantinus Maldentius Cler. Min. Secret. Patris Generalis.

QVæſtiones in Tertiam Partem Sacræ Theologiæ ab Admod. Reu. Patre Raphaele Auerſa Cleric. Reg. Min. Theologo, miro ordine & elegantia contextas, ac ſanæ doctrinæ omnino conſonas, ex commiſſione Reuerendiſs. P. Iuſtiniani Vagnonij de Callio Inquiſitoris Generalis Genuæ perlegi, quas ſummè dignas & perutiles exiſtimo, vt litteratorum omnium manibus terantur, ab ijs enim quaſi alter Raphael à Tobiæ oculis nouus hic Raphael ita obſcuritatem & caliginem abſterſit, vt breuitatem cum perſpicuitate eſſe poſſe demonſtraret.

D. Io: Baptiſta Spinula C.R. de Somaſca Sacræ Inquiſitionis Genuæ Conſultor.

Imprimatur
F. Iuſtinianus Vagnonius de Callio Magiſter Inquiſitor Generalis Genuæ &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRÆ
THEOLOGIÆ
TERTIA PARS,
IN QVA
DE DEO INCARNATO
EIVSDEMQVE CHRISTI DOMINI
Myſterijs
ET SACRAMENTIS AB EO INSTITVTIS
accuratè diſſeritur.

Cum Doctore Angelico Quæſtionibus contexta.

AVCTORE

P. RAPHAELE AVERSA A SANSEVERINO
Clericorum Regularium Minorum.

PRÆFATIO.

SI per totius Sacræ Theologię decurſum mentis oculos traducamus, atque ad ſingulas Theologicas tractationes in præcedentibus partibus expeditas attendamus, perſpicuè apparebit, conuenientiſſimo ordine fuiſſe in hac tertia & vltima parte, hanc contemplationem de Chriſto Domino eiuſq; Myſterijs & Sacramentis reſeruatam. Siue enim ipſius Chriſti ſubſtantia conſideretur; cùm Chriſtus ſit Deus & Homo ſimul, non niſi poſt ſeparatam tractationem Dei in prima parte, & Hominis in ſecunda, debuit collocari. Siue opera Chriſti Domini adiungātur; priùs oportuit ſingillatim de Diuinis operibus humaniſq; actibus pertractari, quā de operibus ipſius Chriſti Dei ſimul & Hominis. Siue præſertim inſpiciamus Deum qui eſt totius Sacræ Theologiæ adæquatū obiectum, & in alijs partibus conſideratus eſt, tum ſecundùm ſe, tum vt primum principium, tùm vt vltimus finis, & hic tandem conſiderari debet vt incarnatus: planè conſtabit, tres illas conſiderationes tamquam priores magiſq; vniuerſales debuiſſe præponi: ſiquidem, Deum eſſe incarnatum, eſt proprium vni diuinæ perſonæ reſpectu vnius ſingularis naturæ creatæ. Siue demum ſpectemus, Deum eſſe vltimum finem ad quem rationalis creatura dirigitur, Chriſtum verò mediatorem per quem ad illum finem peruenire debemus, qui ad bona opera & virtutes adiuuat, qui à peccatis vitijſq; liberat, qui nobis legem tradidit, qui gratiæ dona promeruit: Manifeſtum

A

Digitized by Google

feſtum prorſus eſt, conſiderationem horum omnium debuiſſe præcedere, ac poſtea ad Chriſtum Dominum, ab eoq; inſtituta pro noſtra ſalute remedia deuenire. Quam ſpecialiter ſui ordinis rationem reddit Sanctus Thomas hic in prologo.

Obiectum itaq; huius tertiæ partis ſic poteſt commodè deſignari. Vel cum D. Tho. in prologo, & Caietano art. 1., Chriſtus Deus & Homo. Qui conſideratur quidem, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam quoad remedia ſalutaria quibus nos perducit ad Deum, quoad beneficium reſurrectionis, & finem vitæ æternæ, in quo cum Deo coniungimur. Vel magis conformiter ad obiectũ adæquatum totius Theologiæ, & iuxta aſſignationem obiecti in alijs partibus, obiectum huius tertiæ partis dicetur, Deus quatenus incarnatus. Etenim totius Theologiæ obiectum aſſignabatur Deus; primæ partis Deus ſecundùm ſe, & quatenus primum rerum principium; ſecundæ partis, Deus quatenus vltimus finis: Subiectum huius tertiæ partis dicetur, Deus quatenus incarnatus.

Neque verò obſtat, quod hic addubitari ſolet: Quia Chriſtus eſt ſubſtantia ſingularis, & de ſingularibus non datur ſcientia. Non inquam obſtat. Sicut enim cùm Deus ipſe ſingularis ſit, optimè conſtituitur Sacræ Theologiæ obiectum, idq; non tollit quominus Theologia ſit ſcientia: Ita Deus vt incarnatus poteſt eſſe obiectum cuiuſdam partis Theologiæ. Et licet de Chriſto ſingulariter pertractemus: Tamen, vt notauimus 1. par. quæſt. 1. ſect. 2., veritates neceſſariæ quæ de Chriſto demõſtrantur, enunciari abſolutè poſſunt magis vniuerſaliter de perſona Diuina vnita ſiue vnibili cum natura humana ſiue creata, abſtrahendo ab hac & illa perſona Diuina, ad hac & illa natura aſſumpta, ſiue aſſumptibili. Et quidem vt plurimum quæ de incarnatione & ad eam conſequentibus dicentur, verificari poſſunt in ſtatu abſoluto communiter de vnione perſonæ Diuinæ cum natura humana. Sed nec etiam in vniuerſum admitti debet, de ſingularibus non dari ſcientiam: Quinimò notauimus in Logica quæſt. 26. ſect. 4., de ſingularibus poſſe optimè confici demonſtrationes ſcientificas, ijs determinatè applicando eadem attributa, quæ de generibus vel ſpeciebus demonſtrantur: Sed ideò ſolere ſcientias in ſubiectis vniuerſalibus ſiſtere, nec ad ſingularia deſcendere, quia ſingularia infinita ſunt, & quod demonſtratur de vno ſingulari, ſiue de communi ſpecie, pariter intelligitur de omnibus & ſingulis in particulari. Hic tamen optima ratione factum eſt, vt potiùs de Chriſto ſingulariter pertractemus, etiam quoad ea quæ alioqui in vniuerſali tradi potuiſſent. Cùm nimirum fides in qua Sacra Theologia fundatur, ipſum Chriſtum ſingulariter nobis proponat: Idque dignitati ipſius Chriſti Saluatoris magis conueniat, & ad faciliorem quoque tractationem expediat.

Totam hanc tertiam partem in tres tractatus principales diſtribuit Sanctus Doctor: Primum de ipſo Chriſto Saluatore: Secundum de Sacramentis ab eo inſtitutis: Tertium de fine immortalis vitæ ad quem per ipſum reſurgendo peruenimus. Sacramenta quippe ſunt noſtræ ſalutis remedia, quibus Chriſtus ſua merita & dona nobis communicat: Alius verò eſt effectus, ſeu terminus in quem omnia Chriſti beneficia diriguntur. Vnde quamuis ad initium ſecundæ partis Sãctũ. Doctor de noſtra beatitudine tractauerit: Tamen id præſtitit ſolùm quatenus ad rationem Dei vt vltimi finis ſpectabat. Plurima autem circa ſtatum vitæ futuræ conſideranda manebant: Et ideo rurſus hic de huiuſmodi ſtatu, quatenus effectu & fine operum Chriſti, tractare proponit, quo tandem ipſo noſtro fine præſenti Theologicæ ſummæ finem imponeret: Imitatus quoq; antiquiorem Theologorum ordinem in tertio & quarto ſententiarum.

Secundum ex dictis Tractatibus, morte præuentus non abſoluit, Tertium nec inchoauit. Sed alius poſtea ſtudioſus Sancti Doctoris, ex libris ſententiarum ab eo conſcriptis, hæc quæ deerant quodam ſupplemento collegit. Ipſum verò primum tractatum in duos rurſus diuidit Sanctus Thomas: Primum

de

Digitized by Google

de eodem Incarnationis Myſterio; ſiue de ipſo Chriſto, Deo & Homine, ſecundùm ſubſtantiam, & proprietates ac perfectiones: Alterum de actionibus & paſſionibus Chriſti, penes ingreſſum, progreſſum, egreſſum, & exaltationem ex hoc mundo; quæ ſunt eius vitæ, mortis, gloriæquè myſteria. Initium ergo ſumendum eſt ab ipſa Incarnatione, qua Deus factus eſt homo.

QVÆSTIO PRIMA.

De Poſſibilitate, & Exiſtentia, Conuenientia, ac Neceſſitate,

INCARNATIONIS QVA DEVS FACTVS EST HOMO.

HÆC tota quæſtio pertinet ad An eſt. Quæ, prout à nobis proponitur, quatuor parte, continet, vt perſpicuum eſt. Sed apud Diuum Thomam, de conuenientia ſolùm incarnationis proponitur: neque de poſſibilitate & exiſtentia diſtinctè loquitur S. Doctor, niſi ſub conditione ſi homo non peccaſſet: abſolutè tamen tractat etiam de neceſſitate.

Hinc quærit Caietanus ad initium articuli primi, cur S. Thomas non etiam de poſſibilitate tractauerit, imò & ante conuenientiam ac neceſſitatem, vt completa tractationis & ordinis ratio videbatur expoſcere, & vt idem S. Thomas in 3. ſententiarum diſt. 1. quæſt. 1. ſeruauerat. Redditquè duas rationes. Primam, quia ſcientia non probat ſed ſupponit ſuum ſubiectum eſſe, ſubiectum verò huius tertiæ partis erat Deus incarnatus, quare non debebat incarnationis myſterium hoc loco probari. Secundam, quia dum oſtenditur conuenientia, demonſtratur etiam poſſibilitas; quod enim eſt conueniens, vtique eſt poſſibile. Addit, ideò S.Thom. in 3. aliter proceſſiſſe, quia ibi non proprio ordine agebat, ſed commentatoris munerè fungens, debebat incidentia quæſita iuxta aliorum conſuetudinem expedire. Has rationes plures alij recentiores admittunt. Et aliqui reprehendunt eos, qui poſſibilitatem quoque & exiſtentiam incarnationis probandam aſſumunt. Eas tamen reijcit Suarez eodem art. 1. Et præterea Valentia puncto primo, alias duas referens, omneſquè minùs approbans; tandem concludit, malle ſe dicere, S. Tho. habuiſſe aliquod iuſtum motiuum, quod ipſe non videat.

Sed ne in hac re nimium contendamus: Potuiſſet quidem S. Thomas rationabiliter hoc initio poſſibilitatem & exiſtentiam incarnationis diſtinctè præmittere ac probare; quia id non erat extra ſuum ordinem & inſtitutum. Non tamen id iudicauit neceſſarium: quia cùm rationibus vti non poſſet, ex auctoritate Sacræ Scripturæ rem Catholicis videbat eſſe notiſſimam, & contra varios Infidelium errores, per partes ipſius myſterij commodiùs diſputaturus erat. Vnde & antea in 3 ſententiarum libro, potiùs explicauit qualis eſſet incarnationis vnio, quàm ad eius poſſibilitatem probandam aliquod adduxerit argumentum. Hæc tamen, & rationes Caietani, adhuc non obſtant; quominùs nos ad exactam tractationẽ, & ordinis complementum, diſtinctè priùs de poſſibilitate & exiſtentia incarnationis attingamus: cùm in hoc maximè conſiſtat quæſtio An eſt, à qua exordium ſumimus, & S. Thomas ipſe lib. 4. cont. Gentes ita ſeruauit.

Prima nanque ratio Caietani debili nititur fundamento. Quinimò, vt oſtendimus

Digitized by Google

dimus iam quæſt. 30. Logicæ ſect. 3., quælibet ſcientia poteſt, & quando opus eſt debet probare, ſuum ſubiectum eſſe. Idque potiori iure de ſubiecto partiali, ideſt alicuius partis ſcientiæ totalis, quia nimirum in hoc poteſt coadiuuari ex alijs partibus. Atque ita de facto, non ſolùm in alijs ſcientijs, ſed in hac ipſa Sacra Theologia exactè ſeruatur. Nam ab initio ſtatim probari ſolet Deum eſſe, licet rationibus metaphyſicis. Ac paſſim deſuceps rationibus & auctoritatibus, eſſe comprobantur illa, quæ in ſuis tractatibus ſunt propria obiecta: vt in tractatu de Trinitate probatur Deum eſſe trinũ, & ſic in alijs ſingulis. Quare ſic etiã nunc probari hic poteſt, Deum potuiſſe incarnari, fuiſſeque incarnatum. Et quidem ſpeciali titulo, huius Sacræ Theologiæ, tanquam ſupremæ ſapientiæ, munus eſt, ſua principia contra aduerſantes defendere & confirmare, quæ ſunt dogmata noſtræ fidei, inter quæ præcipuum locum tenet, hic incarnationis articulus, ſicut & Trinitatis.

Secunda quoque Caietani ratio non ſatisfacit. Tum quia non tollit, quominus poſſibilitas incarnationis proprijs medijs per ſe ſtabilienda ſit. Tum quia probatio conuenientiæ allata à S. Thoma, potiùs ſupponit quàm oſtendat poſſibilitatem. Tum quia, eſto omne quod probatur eſſe conueniens, eo ipſo demonſtraretur eſſe poſſibile; certè non adhuc probatur eſſe de facto: at hoc maximè erat de incarnatione monſtrandum. Tum denique dici pariter poterat, conuenientiam includi in neceſſario, cùm neceſſarium ſit plus quàm conueniens, atque adeò ſatis fuiſſe probare neceſſitatem incarnationis: ſed tamen S. Thomas ipſe primò conuenientiam & poſtea neceſſitatem oſtendit: idemquè alij communiter faciunt. Et meritò, quia ſic gradatim à communioribus ad vlteriora procedendum eſt. De his ergo omnibus in hac quæſtione, ordine propoſito inquiremus. Præmiſſa modò breui articulorum S. Thomæ ſumma, prout in alijs Sacræ Theologiæ partibus ad ſingulas quæſtiones conſueuimus.

In ſex articulos ſuam quæſtionem diſtribuit S. Doctor. In primo affirmat, conueniens fuiſſe Deum incarnari, hac ratione: quia conueniebat ſummo bono, ſe ſummo modo creaturæ communicare; quod ſit per incarnationem. In ſecundo articulo docet, non fuiſſe quidem incarnationem ſimpliciter neceſſariam ad reparationem humani generis, ſed bene ad meliùs & conuenientiùs reparandam humanam naturam. Quia nempe poterat quidem Deus alijs modis humanæ miſeriæ ſubuenire: ſed incarnatio fuit efficaciſſimum remedium, tum ad promouendum hominem in bono, tum ad liberandum eum à malo. Primum nempe quoniam per incarnationem maximè fides certificatur, ſpes erigitur, charitas inflammatur, exemplum benè operandi præbetur, & plena Diuinitatis participatio exhibetur: Secundum verò; quia ſic homo inſtruitur ne ſe Diabolo ſubdat, videns ſuam naturam Deo vnitam; & vt peccare dedignetur, conſiderans ſuam dignitatem. Ad hoc inſuper vt humilietur, gratiam Dei in Chriſto agnoſcens, & humiliationem Dei perpendens. Et quia præcipuè, Chriſtus exiſtens ſimul Deus & homo, perfectè pro nobis ſatisfacit: cùm alioqui homo purus ſatisfacere non poſſet, & Deus non deberet. In tertio articulo quęrit, an ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet. Et reſpondet negatiuè hac ratione: quia cùm in Sacra Scriptura incarnationis ratio aſſignetur ex peccato primi hominis, ſequitur incarnationem ordinatam fuiſſe in peccati remedium; atque adeo peccato non exiſtente, Deum incarnandum non fuiſſe. In quarto articulo docet, incarnationem magis principaliter ordinatam fuiſſe ad tollendum peccatum originale, quàm peccata actualia: quia illud eſt magis vniuerſale, quo nempe totum humanum genus infectum & vitiatum eſt; magis autem procurari debet bonum vniuerſale quam particulare. In quinto articulo quærit, num conueniens fuiſſet Deum incarnari ab initio mundi. Et reſpondet negatiuè: quia non debebat Deus incarnari ante peccatum, cùm non ſit adhibenda medicina ante ægritudinem. Neq; ſtatim poſt peccatũ: tum ad hoc vt homo aliquandiu propriam infirmitatẽ experiens, ſuam indigentiam agnoſceret, & clamaret ad medicum: tum quia

congruum

Digitized by Google

congruum erat; vt ad perfectum procedatur gradatim ab imperfecto: tum quia dignitatem Verbi incarnati decebat, vt longa preparatio antecederet: tùm ne nimia prolixitate temporis poſt incarnationem, feruor fidei & charitatis nimium tepeſceret. Sexto demum ſimiliter docet, non fuiſſe conueniens, differri incarnationem vſque ad finem mundi: tum quia licèt perfectum debeat ſequi poſt imperfectum, tamen ſi ſit cauſa alterius perfectionis, debet antecedere effectum; incarnatio autem erat cauſa humanæ perfectionis, quare non debebat ad finem mundi differri: tum etiam tanta longinquitate temporis, Dei notitia & reuerentia, ac morum honeſtas, fuiſſet apud homines penitus extincta: tum denique propter manifeſtationem diuinæ virtutis, quæ videlicet nòn ſolùm per fidem Chriſti venturi, ſed etiam præſentis, atque præteriti, homines ſaluare debebat.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Incarnatio fuerit poſſibilis: Et an id ratione naturali cognoſci poſſit.

INfideles, non ſolùm Ethnici & Iudæi, ſed etiam illi Hæretici, qui circa Incarnationis myſterium denegarunt, Deum vere & propriè factum eſſe hominem, ſeu Chriſtum eſſe ſubſtantialiter Deum & hominem, vt plurimum exiſtimaſſe videntur, Incarnationem prout à Catholicis aſſeritur eſſe impoſſibilem.

Incarnationē fuiſſe poſſibilem, Fides docet.

At in primis ipſa eadem Fides, quæ docet vere incarnationem eſſe factam, & Chriſtum verè eſſe Deum & hominē, vtique eo ipſo demonſtrat, incarnationem fuiſſe poſſibilem. Neque alia Scripturæ teſtimonia, aut fidei argumēta, pro hac poſſibilitate exquirenda ſunt, præter ea quæ pro facto ipſo ſect. ſequenti indicabimus.

Secundo tamen dubitatur, num etiā naturali via & ratione id cognoſci ac demonſtrari queat. Nec defuerunt qui id affirmarent, ſaltem ab intellectu angelico: Quia Angelus comprehendens naturam ſubſtantialem creatam, optimè diſcernit quid ei repugnet aut non repugnet: ſed reuera ei non repugnat exiſtere abſque propria ſubſiſtentia: Angelus ergo hoc cognoſcit. Et vlterius ſi verum eſt, non poſſe naturam ſubſtantialem abſque omni ſubſiſtentia conſeruari, iuxta probabilem ſententiam; deducet Angelus, poſſe ac debere talem naturam aliena ſubſiſtentia fulciri. Ac tandem ſi verum etiam ſit, nullam creatam ſubſiſtētiam ſeu perſonam poſſe hoc munus erga alienam naturā exercere, iuxta probabilem etiam ſententiam; ſic concludet planè Angelus, creatam naturam poſſe diuina ſubſiſtentia terminari, in quo prorſus incarnationis poſſibilitas conſiſtit.

Naturali ratione nō potuiſſe cognoſci, ſumitur ex Scriptura.

Communis tamen ac vera Theologorum ſententia hoc loco & in 3. d. 1. eſt, id non poſſe ſimpliciter naturali via ac ratione deprehendi. Colligitur ex quibuſdam Scripturæ locis. Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Quem locum de generatione Chriſti temporali, ſeu incarnatione qua Deus factus eſt homo, plerique Patres intelligunt. Et cap. 63. introducuntur Angeli interrogantes, non ſolùm ex acclamatione, ſed ex ignorantia huius myſterij, quantum attinet ad vim naturalis cognitionis, vt quamplures Doctores exponunt, *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* Sed præſertim in Euang. & apud Apoſtolum hæc res magis expreſſa eſt. Matth. 16. Petro confitenti *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, reſpondit Dominus, *Caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed Pater meus*. Primæ ad Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam nemo principum huius ſaculi nouit*. Ad Epheſ. 3. *Mihi data eſt gratia hæc, euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio myſterij abſconditi à ſeculis in Deo*. Et ad Coloſſ. 1. *Myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius quod eſt Chriſtus*. Quæ loca, licèt referantur ad exiſtentiam de facto, & circumſtantias incarnationis, & ad intellectum humanum: tamen etiā ad poſſibilitatem, & ad intellectum ange-

angelicum, à Theologis & pleriſque Expoſitoribus adaptantur.

Ex Patribus. Item ex Patribus, Dionyſ. cap. 2. de Diuinis nominib., Iræn. lib. 4. aduerſus Hæreſes cap. 66., Origen. lib. 2. Periarchon cap. 6., Niſſen. in Orat. Catechet. cap. 11., Nazianzen. in Orat. panegyr. de Chriſti Natiuit., Cyrill. Alexand. lib. 5. in Ioann. cap. 2. & lib. 8. cont. Iulian. verſus finem, Chryſoſt. homil. 2. & 4. in Matth., Auguſt. epiſt. 3., Gregor. homil. 7. in Euang., & alijs frequenter: qui ſatis clare docent, myſterium hoc incarnationis eſſe ſupra humanam rationem ac naturalem intelligentiam. Et Dionyſ. expreſſit etiam reſpectu ſupremi Angeli.

Ex ſublimitate myſterij. Ratione præterea ſuadetur: quia non ſolùm ab intellectu humano, ſed etiam ab intellectu angelico naturaliter adinueniri & cognoſci non poteſt quicquid à Deo factibile eſt; ac præſertim opera ſupernaturalia, quæ naturales rationes tranſcendunt. At incarnationis myſterium inter omnia Dei opera occultiſſimum eſt, & inter omnia ſupernaturalia ſupremum obtinet locum: & peculiariter excellit in hoc, quod attingit ipſummet Deum ſecundùm ſubſtantialem coniunctionem. Non ergo poterat naturali vi & ratione cognoſci. Ita vt etiam ſi humana ratio quoſdam alios ſupernaturales effectus tanquam poſſibiles aſſequi poſſit, vt reſurrectionem corporum, ſeparationem accidentium, & ſimiles: tamen ſpeciali ſua excellentia & ſublimitate hoc incarnationis myſterium, omnem naturalem rationem excedit. Cùm nempe dicat coniunctionem cum ipſamet diuina perſona: ac proinde non poſſit cognoſci hæc coniunctio eſſe poſſibilis, niſi perſpiciatur vis diuinæ perſonæ: quod naturali ratiocinationi non cōceditur. Nec datur vllum naturale medium, ex quo incarnationis poſſibilitas deducatur: quia incarnatio non habet cauſas naturales, in quarum virtute contineatur, & per quas poſſit à priori demonſtrari: ſimiliter non habet naturales effectus, cum illa neceſſario connexos, per quos poſſit à poſteriori oſtendi.

Nec ſufficit ille diſcurſus qui pro intellectu angelico adducebatur. Angelus enim comprehendens naturam creatam, non per hoc diſcernit quicquid ei repugnat aut non repugnat in ordine ad Dei potentiam abſolutam. Sed bene quidem diſpicit quid ei conueniat aut non conueniat ſecundùm propriam eius exigentiam naturalem. *Etiam reſpectu intellectus angelici.* Quare cognoſcet quidem, nulli naturæ creatæ per ſe conuenire vt poſſit propria ſubſiſtentia ſpoliari; ſed non per hoc cognoſcit an poſſit per Dei potentiam abſolutam. Comprehenſio enim intellectus angelici, adæquat quidem potentiam naturalem obiecti, non tamen ſe extendit etiam ad potentiam obedientialem: cùm hoc non ſit de ratione talis comprehenſionis, non ſpectet ad naturalem cognitionem. Alioqui Angelus naturali vi cognoſceret omnes effectus ſupernaturales poſſibiles circa creaturas: quod non conceditur. Ac rurſus etiam ſi Angelus ea omnia perciperet ex parte naturæ creatæ: adhuc ſiſteret in hoc, quod videret quidem ex parte ipſius naturę non adeſſe repugnantiam vt vniatur diuinæ perſonæ: an verò repugnaret vel aliquam imperfectionem afferret ipſi diuinæ perſonæ hæc vnio incarnationis, non per hoc abſolutè diſpiceret. Vnde adhuc non poſſet ſimpliciter iudicare incarnationem eſſe poſſibilem. Quia ad ferendum hoc iudicium de vnione inter duo extrema, non ſatis eſt proſpectam habere conditionem vnius, ſed opus eſt etiam alterius extremi. Et hoc eſt quod dicebamus, incarnationem peculiari impedimento non poſſe naturaliter cognoſci, quia attingit ipſummet diuinam perſonam ſecundùm ſubſtantialem vnionem.

Quomodo poſſit per repugnantia negationem cognoſci. Tertiò quæri vlteriùs ſolet, num incarnationis poſſibilitas, ſaltem negatiuè poſſit naturaliter cognoſci ac demonſtrari, hoc eſt vt euidenter conſtet nullam eſſe repugnantiam quæ huic myſterio obſtet, quamuis non poſſit poſitiuè oſtendi eſſe poſſibile. Qui modus negatiuè cognoſcendi, perficitur ſolutione argumentorum quæ contra rei poſſibilitatem occurrunt. Affirmat Valent. hîc quæſt. 1. puncto 2., qui propterea concedit, poſſe euidenter ſciri incarnationem eſſe poſſibilem, notitia imper-

Digitized by Google

imperfecta, quantum nobis conſtare poteſt per ea quæ nobis apparent. Sed diſtinguendum eſt, dupliciter poſſe hanc cognitionem intelligi: vel vt ſoluamus quidem argumenta, & diluamus implicantias, quæ in contrarium afferuntur: vel vt præter hoc probemus etiam ac demonſtremus, noſtras ſolutiones eſſe ſufficientes & veras. Et primum ſanè præſtare poſſumus: quoniam reuera nullum argumentum concludit contra hoc myſterium, quod eſt quidē ſupra rationem, non tamen contra rationem. Secundum verò non poſſumus: quia hoc eſſet, modo poſitiuo ſaltem indirectè probare poſſibilitatem incarnationis. Itaque in hoc ſiſtendum eſt, quòd noſtras ſolutiones ab omni impugnatione defendamus, non tamen poſſimus naturali via earum veritatem comprobare.

Et hinc etiam patet, an dici debeant euidenter à nobis ſolui argumenta quę contra hoc myſterium afferuntur. Si enim ille dicatur euidenter ſoluere argumenta, qui euidenti ratione demonſtrat, ſuas reſponſiones eſſe bonas ac veras, ſeu præmiſſas ab arguente aſſumptas eſſe falſas, vel formam arguendi eſſe fallacem: ſic non poſſumus euidenter ſoluere omnia argumenta. Si autem ille dicatur euidenter ſoluere obiecta, qui ita reſpondet, vt alijs conſtet ipſum non conuinci, ſiue non cogi admittere aliquid euidenter falſum aut impoſſibile, vel negare aliquid euidenter verum: ſic quidem omnia argumēta contra hoc & alia myſteria fidei poſſumus euidenter ſoluere.

Quomodo poſſit probabiliter ſuaderi.

Quartò. Præter hoc admittunt communiter Theologi, poſſe ſuppoſita fide probabilibus rationibus ſuaderi poſſibilitatem incarnationis. Tum nempe ex hoc ipſo quod modo diximus: quia cùm nulla appareat in hoc myſterio repugnantia quæ ſolui non poſſit, probabiliter inferri poteſt, reipſa non inueniri vllam repugnantiam, atque adeò poſſibilem eſſe incarnationem. Tum præterea ex quibuſdam exemplis, quæ ad hanc veritatem coadiuuandam interdum Sancti Patres adducunt: vt poſe vnionis inter animam noſtram ſpiritualem & corpus ad conſtituendum vnum hominem, inſitionis arborum, ferri candentis, & alijs huiuſmodi. Tum inſuper ex alijs myſterijs ſupernaturalibus fide notis. Si enim vna natura diuina ſubſiſtit in tribus perſonis, poterit & vna perſona diuina ſubſiſtere in duabus naturis. Si poteſt accidens à Deo conſeruari abſque ſubiecto, poterit & natura ſubſtantialis abſque propria ſubſiſtentia. Hæc inquam & ſimilia, ſuppoſita fide coadiuuant intellectum ad aſſentiendum huic myſterio. Dico ſuppoſita fide: quia aliàs ea ſecluſa, fortaſſe ne in cogitationem quidem aut ſuſpicionem huius rei intellectus deueniſſet, aut ob difficultates obuiantes ſe ab aſſenſu retraxiſſet.

Quomodo euidenti illuſtratione à Deo manifeſtari.

Quintò addendum eſt, poſſe à Deo communicari intellectui angelico & humano euidentem notitiam huius myſterij; non ſolùm per claram viſionē eſſentiæ diuinæ & perſonarum, quæ eſt viſio beatifica; & non ſolùm per euidentiam in atteſtante quæ adhuc non recedit à ratione fidei: ſed præſertim per ſe infundendo ſpeciem repræſentatiuam hypoſtaticæ vnionis. Quæ quidem ſpecies non eſt connaturalis vlli intellectui creato, cùm reſpiciat effectum adeo ſublimem & ſupernaturalē: ſed poſſet à Deo, ſicut & alia dona ſupernaturalia, infundi. Et hoc mediò poterat à Deo communicari euidens notitia etiam Trinitatis: vt ſuo loco tractauimus 1. par. q. 32. ſect. 3.

Argumenta demum, quæ contra incarnationis poſſibilitatem & huius myſterij veritatem occurrunt, commodiùs ſoluentur cùm de ratione ipſa incarnationis deinceps tractabimus.

SECTIO SECVNDA.

Num Incarnatio verè facta ſit in Chriſto Domino; & an id naturali lumine potuerit agnoſci.

INfideles qui in Chriſtum non credunt, incarnationis myſterium penitus reſpuunt. Sed etiam Hæretici quamplures, Chriſti fidem profitentes, licèt aliquo modo incarnationem factā admittant: tamen in re negant veram

& ſubſtantialem incarnationem, qualem in ſequentibus iuxta veram fidem catholicam explicabimus, vbi & eorum errores ſingillatim referemus & confutabimus.

Præcipuum dogma ac fundamentum Chriſtianæ fidei ac religionis eſt, verè factam fuiſſe incarnationem Verbi diuini in Chriſto Domino, qui ſimul ſit verus Deus & verus homo. Ita hoc myſterium profitemur in ſymbolis noſtræ fidei, & ſimul cum Trinitatis myſterio copioſè expoſuit Athanaſius in ſuo. Imò in ordine ad hoc incarnationis myſterium, fuiſſe à Deo reuelatum, illud altiſſimum Trinitatis arcanum, ſignificauit S. Thomas 1. par. q. 32. art. 1. ad 3.

Oſtenditur communibus fidei argumentis.

Pro perſuaſione huius veritatis: Contra Paganos quidem qui ſcripturas non recipiunt, hoc noſtræ fidei dogma aliter probari non poteſt, quàm argumentis generalibus quibus trahi poſſunt ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam: nempe vt credant noſtram religionem ac fidem eſſe à Deo deriuatam ac veram. Et tunc eis proponendum erit, hanc eſſe noſtræ fidei profeſſionem, Chriſtum eſſe verum Deum & hominem. Quæ argumenta adduci ſolent in materia de fide: Et hoc loco videri poſſunt apud Medin. q. 2. ſuæ introductionis. Vtpote ſumma integritas & ſinceritas doctrinæ & vitæ Chriſti: Miracula eiuſdem Chriſti & Apoſtolorum & Prędicatorum fidei, facta in teſtimonium veritatis: Prophetarum oracula adimpleta: Iudæorum miſeranda calamitas paulò poſt occiſionem Chriſti ſequuta: Admirabilis conſtantia martyrum in confeſſione fidei Chriſtianæ: Orbis & Romani imperij conuerſio ad fidem, & expurgatio ab Idololatria Vnanimis conſenſio doctiſſimorum & ſanctiſſimorum hominum Chriſtianæ fidei profeſſorum: aliaquè quamplura.

Plurimis teſtamenti veteris teſtimonijs.

Contra Iudęos poteſt hoc myſterium aptè probari teſtimonijs veteris teſtamenti, quæ ſunt quamplura, & ſatis manifeſta. Cùm enim ipſis exploratiſſimum ſit, Meſsiam promiſſum eſſe verum hominem, naſciturum ex ſemine Abrahæ & Dauid: ſi ex ſacris litteris vlteriùs oſtendamus, Meſsiam eſſe verum Deum, verum Dei filium, planè totum incarnationis myſterium concludetur. Ex plurimis autem locis, pauca indicare ſufficiet. Pſal 109. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis:* quē locum ad hoc ipſum probandum contra Iudęos protulit Chriſtus ipſe Matth. 22., & Apoſtol. ad Hebr. 1. Qui & alia quædam loca affert. Pſal. 2. *Filius meus es tu ego hodie genui te*. Et Pſal. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus &c.* vbi Paraphraſis Chaldæa expreſſe legit, *Et tu Rex Meſsia dilexiſti iuſtitiã &c.* Rurſus Iſaiæ 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur Deus fortis &c.* Et cap. 35. *Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc aperiĕtur oculi cæcorum &c.* Et cap. 35. *In te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te, verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator &c.* Ierem. 32. *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*. Et alia ſunt plura huiuſmodi teſtimonia, quæ copioſiùs afferunt hoc loco Medina q. 3. ſuæ introduct., Suarez diſp. 2. ſect. 3., Bellarm. lib. 1. de Chriſto a cap. 4. Addendumquè eſt ad conuincendos Iudæos de Diuinitate Chriſti, ex eadem Scriptura manifeſtè probari Meſſiam iam veniſſe, eumquè eſſe Chriſtum Saluatorem, natum ex Beatiſſima Virgine Maria: vt inde pateat, incarnationem factam iam eſſe in Chriſto. Id autem probatur ex prophetijs olim editis & in aduentu Chriſti adimpletis, ex ſignis Meſſiæ venturi olim prænunciatis & poſtea in Chriſto conſpectis, ex operibus ipſius Chriſti, ex ratione temporis pro quo promiſſus erat Meſſias, & alijs, quæ omnia in Chriſtum Dominum, clarè conueniunt. Et præſertim præclara de hoc teſtimonia ſunt, Geneſ. 49., Daniel. 9. Aggæi 2., de quibus & alijs latè Suarez diſp. 1., & ij qui contra Iudæos ex profeſſo ſcripſerunt.

Tota noui teſtamenti doctrina.

Contra Hæreticos qui circa ſubſtantiam huius myſterij aberrarunt, & pro abſoluta huius veritatis confirmatione, manifeſta & innumera ſunt teſtimonia in nouo teſtamento, ac paſſim obuia, nempe in Euangelijs, in Actis Apoſtolorum, in Epiſtolis Canonicis, & in Apocalypſi Beati Ioannis. In quibus expreſſum eſt, Chriſtum Mariæ filium ac verum

rum

rum hominem, ſimul fuiſſe verum Deũ, Dei Filium, Verbum Patris. Et nomen ipſum incarnationis ex Euangelio ſumptum eſt, Ioann. 1. *Et Verbum caro factum eſt &c.* Sed ſpecialiter contra varios Hæreticorum errores, pro vera incarnationis ratione ſtabilienda, ex Scripturis, Concilijs, & Patribus, ſingillatim decertabimus. Contra Mahomethanos autem, qui licet inter Paganos computentur, tamen Chriſtum fatentur quidem fuiſſe Prophetam & Sanctum, ſed negant fuiſſe Deum, & noſtras Scripturas tam veteris quam noui teſtamenti vitiatas fuiſſe calumniantur, nuper copioſè diſſeruit noſter Philippus Guadagnolus, Arabicæ linguæ peritiſſimus, in Apologia pro Chriſtiana Religione, tract. 1. de Sacris Scripturis, & tract. 4. de Chriſti Diuinitate.

Via naturali non poterat cognoſci antequam fieret.

Deinde ſimiliter dubitatur, num etiam naturali via & induſtria potuerit cognoſci, factam eſſe incarnationem in Chriſto, & Chriſtum eſſe verum Deum. Et facilè quidem conſtat, antequam incarnatio fieret, prorſus non potuiſſe naturali via cognoſci, eſſe faciendam, neque inquam ab humano neque ab angelico intellectu. Cum enim hoc myſterium ex libera diuina voluntate penderet, nec haberet neceſſariam connexionem cum naturalibus operibus à Deo factis; non niſi per reuelationem ipſiuſmet Dei manifeſtantis ſe facturum incarnationem, cognoſci poterat, nullaque aderat naturalis via ad hoc dignoſcendum. Vnde, quod narratur de Sybillis quæ erant ſtirpe gentiles, prænunciaſſe incarnationem Diuini Verbi & aduentum Chriſti, vt referunt D. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 23., Lactant. lib. 4. Diuinar. inſtitut. cap. 15., & alij ex Patribus: & quod narratur de quodam ſepulchro inuento tempore Conſtantini, vbi in quadam lamina aurea inſcriptũ erat, *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum*, vt refert S. Tho. 2.2. q. 2. art. 7. ad 1. Hoc totum inquam attribuendum eſt, vel diuinæ reuelationi factæ immediatè ad ipſas Sybillas per ſpiritum prophetiæ, vt aduertit S. Thomas eo loco, vbi ad hoc ipſum affert exemplum Sancti Iob, qui ſuam fidem in Chriſtum proteſtans dicebat, *Credo quòd Redemptor meus viuit.* Vel attribuendum eſt traditioni populi hebraici, ſiue lectioni librorum propheticorum, ſiue deriuationi ex primis hominibus, vnde etiam inter Gentiles huius myſterij anticipata notitia & fides propagata ſit.

Nec etiam poſtquam facta eſt.

Poſt factam verò incarnationem magis dubitatur, an potuerit naturali via deprehendi. Vbi duo poſſunt eſſe modi cognoſcendi: vnus ex ſignis & effectibus a poſteriori: alter per immediatam inſpectionem vnionis inter naturam humanam & perſonam diuinam, ſiue per inſpectionem carentiæ propriæ perſonalitatis in humana natura. Primo modo ſanè non poterat euidenter dignoſci Diuinitas Chriſti. Signa enim & opera quæ apparebant, ſecluſa reuelatione diuina non id oſtendebant: quia opera quantumuis miraculoſa quæ à Chriſto fiebant, potuiſſent abſolute fieri etiam ſi ipſe non eſſet verus Deus; ſicut ab alijs Sanctis facta ſunt ſimilia opera. Vere tamen per teſtificationem ipſius Chriſti aſſerentis ſe eſſe verum Dei Filium, & facientis opera miraculoſa in huius veritatis teſtimonium, & per alia præuia Prophetarum oracula quæ exactiſſimè incidebant in Chriſtum, inducebatur notitia de eius Diuinitate; Sed huiuſmodi notitia hoc modo habita per teſtificationem & reuelationem deriuatam à Deo, non erat notitia euidens, ſed erat fides, innixa diuino teſtimonio. Quo quidem medio vltrò aſſerebamus, notam fuiſſe, & ab omnibus credi debuiſſe Chriſti Diuinitatem. Sed ſecluſa tali reuelatione, ſola externa opera non ſufficiebant ad hanc veritatem manifeſtandam.

An ſaltem ab Angelo potuerit deprehendi.

Altero modo, clarum quoque eſt, non conuenire per ſe intellectui humano talem immediatam inſpectionẽ: cùm nullus hoc modo intueri valeat ſubſiſtentiam ipſam perſonalem, quamuis in ſe naturalem. Sed difficultas eſt de intellectu angelico. Quamuis enim Angelus ipſe naturali virtute intueri nõ poſſet immediatè vnionem hypoſtaticam in ſe, vtpote in ſubſtantia ſua ſupernaturalem: ſicut nec poteſt naturaliter inſpicere gratiam ſanctificantem aliaquè dona ſupernaturalia in anima homi-

Digitized by Google

hominis. Tamen ſine dubio intuetur Angelus virtute ſua naturam quamcũque ſubſtantiam exiſtentem: videt quoque modum naturalem quo exiſtit, atque adeo videt propriam ſubſiſtentiã euiuſcunque naturæ eam habentis. Et ſimiliter quando natura ampliùs non exiſtit, videt eam non exiſtere: & ſic ſi aliqua natura careat ſibi debita ſubſiſtentia, idipſum planè intuebitur. Sed reuera in humanitate Chriſti non reperiebatur propria naturalis ſubſiſtentia: ergo Angelus naturali virtute diſpiciebat talem carentiam. Cumquè non poſſit ſubſtantialis natura exiſtere abſq; omni ſubſiſtentia, nec poſſit aliena creata terminari, vt iuxta probabilem doctrinam ſupponimus: inde Angelus euidenrer deducebat, illam humanitatem debere eſſe hypoſtaticè vnitam perſonæ diuinæ.

Non poterat naturali virtute.

Sed nihilominus communis Theologorum ſententia eſt hoc loco & in tractatu de Angelis, non potuiſſe Angelũ naturali virtute cognoſcere Diuinitatem Chriſti. Notatque S. Tho. infra q.41. art. 1., Dæmonem per ſe non habuiſſe certam & euidentem notitiam de Diuinitate Chriſti: ſed ad ſummum ex decurſu vitæ eius & ſignis apparentibus id ſuſpicatum fuiſſe. Varijs autem modis conati ſunt Theologi ad difficultatem propoſitam reſpondere.

Negant aliqui, Angelum potuiſſe cognoſcere, humanitatem Chriſti carere propria ſubſiſtentia, ſed potiùs iudicare debuiſſe, ſubſiſtere per ſe in proprio ſuppoſito, ſicut videt in omni alio homine: atque adeo in hac re non potuiſſe non decipi. Redditquè rationem Vaſq. 1.par.diſp.214. cap.3., quare Angelus non poſſet ex ſe cognoſcere carentiam propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate Chriſti; quia inquit hæc ipſa carentia oriebatur ex vnione hypoſtatica quæ ſupernaturalis eſt: dum verò effectus aliquis in ſe naturalis oritur ex forma ſupernaturali quam Angelus non intuetur, nec etiam talem effectum ab Angelo deprehendi. Hæc tamen ratio non ſatisfacit: quia licèt aliquis effectus oriatur ex cauſa ſupernaturali: tamen ſi alioqui eſt naturalis, contentus intra latitudinem obiecti naturalis, poteſt adhuc ac debet ab Angelo diſpici. Quod manifeſtum eſt in alijs operibus factis à Chriſto Domino virtute ſuæ vnionis, ſiue poteſtatis ſupernaturalis. Et non ſolùm reſpectu intellectus angelici, ſed etiam humani, imò & reſpectu ſenſus quando effectus eſt in ſe ſenſibilis, quamuis oriatur ex principio ſupernaturali. Sic enim ſiue lux producatur virtute naturali, ſiue ſupernaturali, aut iam producta tollatur interuẽtu cauſæ ſupernaturalis: non minùs ſemper viſu percipitur. Etiam inquam talis carentia lucis: eo tamen modo quo dixit Ariſt.2 de Anima tex. 103. & 138., *viſu percipi lumen & tenebras, auditu ſonum & ſilentium.* Cùm ergo ſubſiſtentia naturalis quando adeſt perſpiciatur ab intellectu angelico, etiam carentia eius naturaliter percipietur, quamuis oriatur ex cauſa ſupernaturali, quam alioqui non intuetur.

Sed bene iuxta ſententiam eorum qui volunt, propriam ſubſiſtentiam naturæ ſubſtantialis creatæ, non eſſe quid poſitiuum, ſed formaliter eſſe negationem communicationis ad alienum ſuppoſitum: ſic quidem ſuſtineri poſſet, Angelum naturali virtute non diſpicere in humanitate Chriſti carentiam propriæ ſubſiſtentiæ: quia nimirum in hac ſententia hæc carentia eſſet realiter ipſamet vnio humanæ naturæ cum perſona diuina, quam quidem vnionem Angelus ex ſe non intuetur. Sicut ſi dicatur, qui non videt lucem, nec videre carentiam tenebrarum, quia realiter idem realiter eſt carentia tenebrarum ac ipſa lux.

Vera ratio quare non poterat.

At ſupponendo dari in omni natura ſubſtantiali creata propriam ſubſiſtentiam, vtique notam intellectui angelico, fatendum eſt; Angelum non intueri in humanitate Chriſti ſimilem ſubſiſtentiam humanam quam videt in alijs hominibus. Sed tamen non ex hoc Angelus deducet, illam naturam eſſe hypoſtaticè vnitam perſonæ diuinæ. Quia vel fortaſſe non cognoſcit euidenter naturam creatam non poſſe exiſtere abſque omni ſubſiſtentia. Vel non cognoſcit euidenter, non poſſe vniri alieno ſuppoſito creato. Loquendo inquam in ordine ad Dei potentiam abſolu-

Digitized by Google

ſolutam. Vel ſi hoc totum euidenter dignoſcit, poterit dubitare, an detur aliqua alia ſubſiſtentia creata ſublimioris ordinis ac ſupernaturalis, qua ſuppleri poſſit ordinaria ſubſiſtentia naturalis. Vel tandem putabit aut dubitabit Angelus, ſibi occultari à Deo propriam & connaturalem ſubſiſtentiam illius naturæ, ne ab eo diſpiciatur, ob aliquam diuinæ prouidentiæ rationem. Et ita non concludet, naturam ſubſiſtere in diuina perſona per hypoſtaticam vnionem.

In alijs tamen rebus naturalibus, poſitiuo & euidenti conceptu percipit Angelus quando non ſunt: quare non incidit in hanc opinionem ſiue dubitationem, quod fortè ſint & ſibi occultētur à Deo. Sicut etiam quando nos iuxta ordinarium rerum curſum percipimus rem aliquam tolli ſeu non extare, nec appareat aliud indicium in contrarium, non dubitamus an talis res occultetur, ſed prudenter abſolutè cenſemus rem non extare ſeu eſſe ſublatam. Itaque in hac etiam re circa humanitatem Chriſti, fatendum eſt, quòd ſi Angelus iuxta virtutem ſuam diſpicere ſinatur, nec à Deo impediatur; poſitiuo quoque & euidenti conceptu perciperet, non adeſſe propriam ſubſiſtentiam in humanitate Chriſti. Quòd ſi hinc cōcluderet, hanc naturam debere ſubſiſtere in diuino ſuppoſito, iuxta eam doctrinam de neceſſitate alicuius ſubſiſtentiæ, & de inſufficientia omnis alterius creatæ ſubſiſtentiæ: oportebit dicere, Angelum impediri à Deo ne poſitiuo conceptu videat in humanitate Chriſti deeſſe propriam ſubſiſtentiam: nec tamen ab ipſo Deo decipi vt putet ibi adeſſe: ſed de neutra parte habere certam notitiam & euidentiam: & hinc induci ad dubitandum, an ibi adſit vel non adſit propria ſubſiſtentia, aduertens quicquid ſit ſibi occultari à Deo. Et hic caſus occurrit in quibuſdam alijs myſterijs fidei, vtpote in virginitate matris Chriſti, in ablatione panis & vini, & conſeruatione accidentium in Sacramento altaris, vt proprijs locis videbimus.

Cæterùm. Qualiter poſſit Incarnationis factum, & Chriſti diuinitas, falſ-tem negatiuè probari, & accuratè defendi, ſolutione omnium obiectionum quæ in contrarium poſſint afferri: & qualiter etiam poſſit euidenter diuina illuſtratione cognoſci: hoc totum in quam eodem pacto explicandum eſt; quo de poſſibilitate incarnationis ſect. præcedenti dicebamus. Obiectiones verò & argumenta quæ poſſunt opponi, quia attingunt rationem ipſam incarnationis & varias partes huius myſterij, ſatis in progreſſu tractationis diſſoluentur.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Incarnatio fuerit conueniens, præſertim ad reparationem generis humani.

REputabant Infideles inconueniens Deoquè indignum incarnari ſeu fieri hominem, eo modo quo apud Chriſtianos prædicari audiebant, vt referunt Athanaſ. in Orat. ad Adelph. cont. Arian., Origenes lib. 3 cont. Celſum circa medium, & Tertullian. lib. de Carne Chriſti non longè ab initio. Sed ſanè pluribus modis & rationibus Incarnatio fuit conueniens. Et quamuis hoc ipſo quòd à Deo facta ſit, non niſi conuenienter fieri potuit: tamen iuuabit plures modos & rationes huius conuenientiæ exponere.

Primò. Sumendo conueniens pro bono communiter & tranſcendentaliter accepto, manifeſtum eſt incarnationem eſſe conuenientem: cùm conuenientia hoc modo ſumpta communis ſit omnibus rebus. Sed certè aliam ſpecialem & maiorem conuenientiam hic inquirimus, maiorem quàm reperiatur in omni opere hoc ipſo quòd à Deo prouenit. Quia in omni quidem diuino opere inuenitur conuenientia in ordine ad omnipotentiam & voluntatem Dei: ſed in hoc myſterio inquiritur ſpecialis conuenientia in ordine ad ſapientiam & bonitatem ac pietatem Dei. *Incarnatio fuit in ſe conueniens.*

Secundò ergo certum eſt, incarnationem non ſolùm fuiſſe conuenientem Deo, hoc eſt ei decentem & conſentaneam, ſed & inter alia Dei opera fuiſſe *Fuit conueniens Deo.*

Digitized by Google

conuenientiſſimam. Ita Theologi omnes in 3. diſt. 1. & hoc loco. Vbi S. Thomas art. 1. id probat ea ratione: quia vnicuique conueniens eſt, id quod eſt iuxta naturam eius: ſed natura diuina eſt eſſentia bonitatis: de ratione autem boni eſt ſe communicare: & per incarnationem Deus ſe ſummo modo creaturæ communicauit: ergo incarnatio fuit valde conueniens Deo. Imò conuenientiſſima: cùm Deus ſit ſummè bonus, atq; adeo ſumma communicatio ſit ei ſummo modo cōſentanea. Quamuis enim Deus ſeſe ad intra communicet per proceſſiones perſonales: tamen bonitas eius ſe extendit ad communicationem liberè faciendam etiam creaturis. Et cùm Deus ſe communicauerit creaturis per quandam participationem ſui quoad eſſe naturæ, & per aliam adhuc ſubilimiorem quoad eſſe ſupernaturale gratiæ & gloriæ: maximè ei conueniebat hęc alia communicatio, qua ſe ipſum intrinſeco & ſubſtantiali modo naturæ creatæ communicat. Non tamen hac ratione efficitur, conueniens fuiſſe, vt plures diuinæ perſonę aſſumerent plures creatas naturas, ad magis exercendam hanc communicationem. Sed ſolùm concluditur, hunc modum communicationis fuiſſe Deo conuenientem, abſtrahendo à tanta vel maiori communicatione extrinſeca: ſicut etiam abſtrahēdo ab eo quod hæc vel illa perſona diuina, hanc vel illam creatam naturam aſſumeret. Sed ob alias rationes, & præſertim ob præſtantiam & ſummam excellentiam huius myſterij, ad maiorem eius dignitatem, conueniens fuit, hoc opus eſſe vnicum & ſingulare. Et ob alias rationes quas quæſt. 3. & 4. reddemus, apparebit, conuenientius fuiſſe, talem perſonam nempe Verbi, aſſumere naturam talis ſpeciei nempe humanæ.

Vt ad manifeſtandas perfectiones diuinas.

Tertio. Licet incarnatio non fuerit vtilis vel commoda Deo, quaſi Deus aliquod emolumentum inde acquiſierit: ſiquidem Deus ob ſuam immutabilitatem, perfectionem, ac felicitatem, non poteſt quicquam huiuſmodi ex quocunque opere ad extra accipere. Tamen incarnatio fuit valde conueniēs & opportuna ad manifeſtanda præcipua quædam attributa Dei, & ad inducendam maximam gloriam externam ipſi Deo. Hoc probat S. Tho. eodem art. in argumento *Sed contra*, auctoritate & ratione Damaſceni. *Per incarnationem oſtenditur bonitas Dei, qui non deſpexit hominis infirmitatem: Iuſtitia, cùm non vi ſed iure mediante quodam homine deuicerit inimicum: Sapientia, quæ adinuenit difficillimi pretij decentiſſimam ſolutionem, Potentia inſuper, quia nihil eſt maius, quam Deum fieri hominem*. Aliaque multa addi poſſunt. Et magis ex ſequentibus apparebit, quomodo hoc myſterium cedat in maximā Dei gloriam.

Non erat connaturalis humanæ naturæ.

Quarto. Reſpectu humanæ naturæ D. Tho. eod. art. ad 2. docet, incarnationem non debere dici conuenientē: Sed planè intelligit, non fuiſſe ei connaturalem, id eſt iuxta exigentiam eius naturalem. Siquidem vnio cùm diuina perſona eſt penitus ſupra omnem naturam creatam, & omnem naturalem exigentiam creaturæ. Notat vero benè Caietanus circa eandem ſolutionē, non propterea incarnationem dici poſſe inconuenientem reſpectu humanæ naturæ: certè enim non eſt contra exigentiam eius, non ei repugnat, nec alio ex capite dici poteſt ei inconueniens.

Sed fuit ei valde conueniens.

Quintò. Penes alias rationes, idem S. Tho. in ſolut. ad 1. & infra quæſt. 4. art. 1. planè docet, incarnationem fuiſſe cōuenientem humanæ naturæ. Quod certè veriſſimum eſt, ſpectando potentiam obedientialem ipſius naturæ. Eſt enim hoc myſterium ſummæ perfectionis & exaltationis reſpectu ipſius naturæ. Eratquè incarnatio hoc modo conueniens humanæ naturæ, tum inquantum natura creata eſt, qua ratione cedit ſimul ad perfectionem totius vniuerſi, & decorem creaturarum omniū. Eò magis, quòd vt notat Caietan. art. 1. in homine quaſi totum vniuerſum continetur, & quodammodo omnis creatura colligitur: cùm homo habeat rationem corporalis ſimul & ſpiritualis creaturæ, videlicet ratione corporis & animæ: habet ſimul, eſſe, viuere, vegetare, ſentire, & intelligere. Et vt notauit Gregor. homil. 29. in Euang., *Omnis creaturæ aliquid habet homo, habet namqꝫ*

commu-

communne eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Et ſic etiam aliqui accipiunt illud Apoſtoli ad Epheſ. 1., *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis & quæ in terra ſunt*. Et quidem ſatis per ſe patet, ad maximam dignitatem creaturarum omnium pertinere, quòd aliqua creata natura ad vnitatem diuinæ perſonæ ſublimata ſit.

Tum præſertim conueniens erat incarnatio humanæ naturæ, inquantum natura rationalis & humana eſt. Per hanc enim vnionem cum diuina perſona, adeo dignificata eſt, & ad tàm ſublimem ſtatum euecta, vt hac ratione etiam ſupra Angelos ipſos exaltata ſit. Quod inſuper non ſolùm ſpectat ad naturam ſingularem Chriſti, ſed redundat ad alios quoque homines. Vnde Apoſtol. 2. Cor. 2. dixit, *Hoc myſterium eſſe in gloriam noſtram*. Item conueniens fuit humano generi incarnatio: quia multum valet ad excitandum in hominibus amorem erga Deum, & ad alia innumera commoda ſpiritualia, quæ facile recenſeri poſſunt, & à Sanctis Patribus obſeruantur. Aliqua affert S. Tho. hic art. 2., & lib. 4. cont Gent. cap. 54., vtrobique dicens, plures ac plures admirabiles conuenientiæ rationes propter nos homines in hoc myſterio reperiri.

Fuit maximè conueniẽs ad reparationem humani generis.

Sextò demum. Specialiter ac principaliter fuit conueniens incarnatio ad reparationem humani generis lapſi in peccatum. Quæ quidem ratio conuenientiæ non refertur ad ipſam ſingularem naturam Chriſti, quippe quæ nunquam fuit infecta labe peccati, nec reparatione indigebat. Sed refertur ad alios homines: ad quos inquam reparandos ex ruina peccati, fuit maximè conueniens incarnatio, quatenus ordinata ad ſatisfactionem exhibendam à Chriſto pro noſtris peccatis. Et hanc conuenientiæ rationem præcipuè commendare ſolent Theologi ac Patres, & ex Scriptura deſumunt. In ſacris enim litteris compertiſſimum eſt, incarnationem attuliſſe nobis remedium contra peccatum, atque adeo fuiſſe vtiliſſimã ad reparationem noſtram. Sic paſſim dicitur, Chriſtum veniſſe ad ſaluandos peccatores, ad remittenda peccata, ad redimendos homines, noſquè eſſe redemptos à Chriſto. Contra Petr. Abailard., qui vt refert D. Bernard. e iſt. 190., inſipienter & impiè dicebat, Chriſtum non veniſſe vt redemptorem, ſed ſolùm vt doctorem.

Cõuenientius fuit, reparari homines quàm Angelos.

Conueniens autem valde erat, reparari genus humanum à ſua ruina: tum ex miſericordia Dei, tum ad beneficium noſtrum. Sed quia Deus non curauit reparare Angelos lapſos etiam in peccatum, plures conuenientiæ rationes in hac comparatione ſolent afferri, quare conuenientius fuerit reparari naturam humanam quàm angelicam. Tum nempe quia Angelis præfixus fuerat terminus viæ vſque ad primum eorum vel ſtatum in gratia vel lapſum in peccatũ, hominibus verò conſtitutum fuerat totum ſpatium ſuæ vitæ: quare conueniens fuit, reparari potiùs naturam humanam quæ erat in via, quàm Angelicam. Et hanc rationem vocat præcipuam S. Tho. in 3. d. 1. q. 1. art. 2. ad 2., confirmans ex Damaſc. qui dixit, *Hoc eſt hominibus mors quod Angelis fuit caſus*. Tum etiam quia tota natura humana lapſa eſt per originale peccatum, non omnes verò Angeli, ſed pro minori parte corruerant: conueniens autem erat, non relinquere totum genus humanum, quod quidem propter beatitudinem conditum erat, in tali ſtatu quo nullus homo ad hunc finem perueniret. Tum præterea quia Angelus ex natura ſua præditus erat longe perfectiori cognitione, ita vt ab initio conceſſa ei ſit deliberatio, vt deinceps relinqueretur in eo ſtatu quem tunc elegiſſet: humana verò natura imbecillior eſt, ideoquè diuinam miſericordiam impenſiùs prouocabat. Tum etiam Angelus ex ſeipſo peccauit, in humano autem genere, vir inductus à muliere, mulier à Diabolo. Tum inſuper omnes homines vnius primi hominis peccato lapſi & infecti ſunt, aliena inquam voluntate, ſinguli autem Angeli propria voluntate peccarunt: conuenientius ergo fuit, ipſis hominibus per vnum alium hominem remedium adhiberi. Aliæquè huiuſmodi rationes cogitari poſſunt, quæ & apud Sacros Doctores inueniuntur.

Ad reparandos homines excellentiſſimum modum fuit incarnatio

Stante autem quod Deus vellet humano generi pro ſua pietate ſuccurrere, conuenientiſſimum medium fuit ad hunc effectum incarnatio. Tum quia ſic ſimul ſatisfiebat miſericordiæ & iuſtitiæ Dei: miſericordiæ quidem, quoniam abundè ſubueniebatur miſeriæ noſtræ; iuſtitiæ quoque, dum mediante ſuperabundanti ſatisfactione ſoluendũ erat debitum noſtri reatus. Tum præterea propter maiorem gloriam noſtrã, vt videlicet per cõdignam oblationem à quodam homine exhibitam reconciliarentur homines Deo. Tum ad confuſionem Dæmonis: vt qui nos omnes in vno homine vicerat, ipſe cum omni exercitu ſuo ab vno homine vinceretur: vtquè potiùs ſecundùm iuſtitiam quàm ſecundùm potentiam Dei, homo ab eius tyrannide eriperetur. Quod explicauit egregiè D. Auguſt. lib 13. de Trinit. cap. 10. dicens: *Cùm Diabolus, appetitu potentiæ, deſerendo iuſtitiam, cecidiſſet: debebat non vi & potentia ſed iuſtitia ſuperari: vt ita cùm homines mali imitentur Dæmonem, appetendo potentiam relinquendo iuſtitiam; homines boni Chriſtum imitarentur, ſectantes iuſtitiam, & elationem humanæ potentiæ contemnentes:* Aliaſquè ſimiles rationes Sancti conſiderant. Sed potiſſima ratio huius conuenientiæ erat: quia expediebat offerri Deo condignam ſatisfactionem pro humano reatu: hæc à pura creatura non poterat exhiberi, in quo fundatur etiã incarnationis neceſsitas vt videbimus: ergo conueniebat Deum ipſum fieri hominem, à quo non ſolùm ad æqualitatem, ſed etiam ad ſuperabundantiam poterat tota ſatisfactio adimpleri. Huius rationis vis dependet ex eo quòd opera Chriſti Domini verè habuerint ſufficientem valorem ad ſatisfaciendum pro peccato, & quòd opera vniuſcunque puræ creaturæ non habuiſſent hũc valorem. De qua re alio proprio loco circa meritum & ſatisfactionem Chriſti tractabimus.

Etiam reſpectu potentiæ abſolutæ Dei

Nunc concludendum eſt, hac ratione conuinci, incarnationem non ſolùm fuiſſe conuenientem, ſed fuiſſe ſimpliciter conuenientiſsimum medium ad reparationem humanam, ita vt nullum aliud remedium vel magis vel æqualiter opportunum inueniri potuiſſet. Sic inquit D. Auguſt. eodem loco lib. 13. de Trinit. cap. 10., *Sanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem alium modum non fuiſſe*. Et Medina art. 2. aſſerit, ſine erroris nota dici non poſſe, alium modum conuenientiorem ad reparationem generis humani eſſe potuiſſe. Et Suarez diſp. 4. ſect. 2. ait, hoc medium incarnationis fuiſſe omnium optimum, & conuenientiùs quocunque alio poſſibili etiam de potentia abſoluta Dei, idquè eſſe de mente Theologorum & Patrum.

Conuenientior erat hic modus reparationis, quàm pura remiſſionis.

Sed contra concluſionem hanc obijcies primò, conuenientiùs videri potuiſſe, quod Deus omninò gratis remiſiſſet peccatum, nulla ſatisfactione requiſita, quia hoc magis manifeſtaſſet eius miſericordiam quæ eſt ſuper omnia opera eius: quantum enim additur de rigore iuſtitiæ, tantundem detrahi videtur de lenitate miſericordiæ. Et ſimiliter ad manifeſtandam liberalitatem & beneuolentiam Dei erga homines. Reſpondetur, ita debuiſſe manifeſtari miſericordiam & liberalitatem ac beneuolentiam Dei, vt ſimul ſeruaretur ac manifeſtaretur iuſtitia eius. Imò addendum eſt cum S. Thoma in 3. d. 1. q. 1. art. 2. ad 8., ſic magis manifeſtari diuinam miſericordiam: quia nimirũ excellentiori modo noſtram miſeriam ſubleuauit. Et ſimiliter liberalitatem ac beneuolentiam: cùm Deus ipſe hoc incarnationis remedium & beneficium nobis conceſſerit, & Chriſtum eiuſquè merita nobis donauerit.

Conueniebat ſatisfieri diuinæ iuſtitiæ.

Obijcies ſecundò. Chriſtus ipſe Matth. 5. nos admonuit, vt remitteremus iniurias nobis illatas, ad imitationem ipſius Dei: ergo & hoc conuenientius fuiſſet ipſi Deo, gratis ſcilicet peccatori remittere, non requiſita tali ac tanta ſatisfactione. Reſpondetur, nobis conuenire quidem gratis remittere iniurias: quia non habemus poteſtatem vlciſcendi, ſicut habet Deus qui eſt ſupremus Dominus: & quia iniuriæ quatenus ſunt contra nos dimittendæ ſunt, ſed quatenus contra Deum vindicandæ ob ſatisfactionem diuinæ iuſtitiæ. In hoc autem imitari debemus Deum: quòd ſicut Deus ſua beneficia elargitur etiam improbis ſibi inimicis, & remittit offen-

Digitized by Google

offenſas nõ expectata condigna ſatiſfactione ab ipſomet peccatore, quamuis exhibita fuerit à Chriſto: ita & nos debemus inimicos diligere, & iniurias nobis illatas remittere.

Conuenienter adhibita fuit incarnatio ad noſtrã reparationem.

Obijcies tertiò. Incarnationis myſterium eſt maius quid & excellẽtius; quàm ſit reperatio humani generis: non ergo conueniebat; ad hunc effectum fieri & ordinari tantum myſterium. Reſpondetur, hoc argumento attingi grauem difficultatem, an incarnatio primario inſtituta fuerit in peccati remedium, de qua re poſtea diſputabimus. Nunc ſatis eſt dicere, cùm ipſamet reparatio hominum ordinata ſit in gloriam Dei, conuenientiſſimum fuiſſe incarnationem adhiberi ad hunc effectum.

Et Chriſti innocentis ſatisfactio pro noſtro reatu.

Obijcies quartò. Iniuſtum apparet, exigere ab innocente pœnas quas debet nocens: non ergo fuit conueniẽs, ordinare incarnationem ad hoc, vt Chriſtus innocens ſatisfaceret pro noſtris peccatis, & ſic repararetur humani generis ruina. Reſpondetur, illud non eſſe iniuſtum, quando ipſemet innocens ſe offert ad ſatisfaciendum pro reis, ſicut certè ſe obtulit Chriſtus. Et præterea, cùm Deus ipſe ſit ſupremus Dominus omnium, conuenientiſſime poterat conſtituere, ac deſignare Chriſtum innocentem, imò & eum obligare vt pro alijs hominibus ſatisfaceret.

Et ſatisfactio maior ipſo reatu.

Obijcies quintò. Adhuc apparet iniuſtum, exigere ab aliquo ſupra debitum: ſed ſatisfactio Chriſti Domini erat ſuperabundantis valoris pro noſtris peccatis: ergo non debuit ordinari Verbi incarnatio & Chriſti ſatisfactio pro noſtris peccatis. Reſpondetur, illud non eſſe iniuſtum, quando aliter ſatisfieri non poteſt, & quando non inuenitur alia ſatisfactio æqualis, & rurſus quando ipſemet ſatisfaciens libenter offert ſuperabundantem debiti ſolutionem.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Incarnatio fuerit neceſſaria; præſertim ad reparationem generis humani.

Sententia affirmans.

RAymundus Lullius, vt refert Vaſq. diſp. 1. cap. 2., affirmauit, debuiſſe Deum neceſſariò incarnari, ſuppoſita rerum & hominis creatione, etiam ſcilicet ſecluſo peccato. Quæ ſententia affinis eſt errori eorum qui dixerunt, Deum non potuiſſe aliud operari ad extra, quàm quod de facto operatus eſt. Saltem verò ſuppoſito peccato, non potuiſſe Deum non incarnari, affirmaſſe videntur D. Anſelm. lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 25. & lib. 2. cap. 12. & Ricard. de S. Victore lib. de Incarnat. Verbi cap. 8., qui ſignificant, non potuiſſe Deum non reparare genus humanum lapſum; & non potuiſſe alio quàm incarnationis medio reparare. Fauent Athanaſ. lib. de Incarn. Verbi eiuſq; corporali aduentu non longè ab initio, & Cyrillus lib. 5. Theſauri cap. 7. Aut ſaltem ſuppoſito quòd Deus vellet pro ſua pietate hominem lapſum reparare, non niſi per incarnationẽ id efficere potuiſſe, ſignificant, Leo Papa ſerm. 1. & 5. de Paſſione, & epiſt. 83., Auguſt. ſerm. 8. de Verbis Apoſt., Chryſoſt. homil. 10. in Ioann, Fulgent. lib. de Incarn. cap. 7. Vigilius lib. 5. cont. Eutichet., & quidam alij Patres. Cui ſententiæ fauere videntur quædam Scripturæ loca, Matth. 26. *Si non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum.* Lucæ 24. *Oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi.* Et Ioann. 3. *Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Sententia negans.

Ex aduerſo, quorundam ſententia eſt, incarnationem nullo modo fuiſſe neceſſariam, nec etiam ad reparationem generis humani perfecto modo faciendam, ſecundùm æqualitatem & cõdignitatem pro hominum reatu.

Incarnatio nõ erat ab-

Pro reſolutione, certiſſimum primò eſt, incarnationem non fuiſſe abſolutè & ſim-

ſolutè & ſimpliciter neceſſaria.

& ſimpliciter neceſſariam, etiam inquam ſtante creatione rerum & ipſius humani generis. Hoc planè ex fide conſtat, & ratione conuincitur. Deus enim liberè operatur ad extra, ita vt potuiſſet nihil penitus operari. Et volens operari, non adſtringebatur ad hoc vel illud certum opus faciendum, vt ex 1. par. ſupponimus. Neque incarnatio habebat neceſſariam connexionem cum creatione rerum & ipſius hominis, vt Deus volens creare mundum & in mundo hominem, deberet neceſſariò in humana natura incarnari.

Nec etiam ad reparationem generis humani ſuppoſito lapſu

Secundò. Certum quoque eſſe debet, etiam ſuppoſito lapſu humanæ naturæ, non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam incarnationem ad reparationem humanæ naturæ. Ita Theologi communiter cum Magiſtro in 3.d.20.cap.1. & D.Tho. hîc art. 2. Idquè ex duplici capite: quia nempe neceſſarium Deo non erat reparare hominem lapſum: & rurſus ſi reparare volebat, non erat ei neceſſarium hoc incarnationis medio reparare.

Probatur ex Scriptura & Patribus.

Vtrumque probatur ſimul ex S. Scriptura, in qua ſalus noſtra & incarnationis opus attribuitur charitati & miſericordiæ Dei. Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret pro eo.* Ad Epheſ. 2. *Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos cùm eſſemus mortui peccato, viuificauit nos in Chriſto.* Et alibi paſſim ſimilia habentur. At ſi fuiſſet Deo neceſſarium reparare hominem, & humanam carnem aſſumere; non poſſet id ad miſericordiam & charitatem Dei ita referri. Idemquè patet ex conſueta doctrina Patrũ, Athanaſ. ſerm. 3. cont. Arian. poſt medium, Euſeb. Emiſſen. homil. 6. de Paſchate, Nazianz. orat. 2. in Paſcha, Leo. Papę ſerm. 2. de Natiu. & 12. de Paſſ., Auguſtin. 13. de Trinit. cap. 10., & lib. de Agone Chriſtiano cap. 11. vbi multos appellat oppoſitũ opinantes, Gregor. 15. Moral. cap. 18., & lib. 24. cap. 2., Bernard. epiſt. 190., Vgo. de S. Victore lib. 1. de Sacram. par. 8. cap. 10., & eiuſdem Anſel. in illud ad Roman. 5. *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis.* Itemq; ex aliorum Doctorum conſenſu, & communi ſenſu fidelium: omnes enim commendant & recognoſcunt in hoc ſummam Dei pietatem, reputantes voluiſſe Deum ex ſua miſericordia humano generi ſubuenire, cùm potuiſſet ipſum in peccati miſeria relinquere. Itemq; voluiſſe hoc ſingulari incarnationis medio hominem redimere, cùm alioqui potuiſſet abſque hoc medio reparare. Et vtrunque eſt maximum vinculum noſtræ obligationis ad Deum, & validiſſimum incentiuum ad diligendum Deum. Neque verò ſatis eſſet dicere, Deum exercuiſſe ſuam libertatem & charitatem ſaltem remotè & in radice, dum liberè voluit creare hominem, præſertim præuidens eius lapſum & conſequentem inde indigentiam ac neceſſitatem. Nam charitas & miſericordia Dei, maximè commendatur in hoc quòd poſt lapſũ benignè voluit tale remedium adhibere, præter inquam priorem liberalitatem Dei in prima creatione & donorum ſuorum largitione.

Et ratione.

Ratione etiam manifeſtum eſt, potuiſſe Deum non reparare hominem lapſum; tum ex libertate diuina in alijs operationibus eius ad extra: tum exemplo Angelorum qui ceciderunt, quos de facto Deus abſque remedio dereliquit, tum exemplo etiam hominum reproborum, quos tandem Deus in ſtatu miſeriæ finit. Certè inquam ita ab initio poterat erga omnes homines rigorem iuſtitiæ & dominij exercere, deſerendo illos abſque remedio, cùm videlicet ipſe ſit ſupremus dominus & iudex omnium. Quod argumentum indicatur Sapient. 12. *Quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Similiter perſpicuum eſt, potuiſſe Deum abſque incarnationis remedio hominem lapſum ſimpliciter reparare: nempe vel abſque vlla ſatisfactione peccata dimittere: vel acceptando aliquam ſatisfactionem, quanta exhiberi poterat ab ipſis peccatoribus, aut ab aliquo iuſto & innocente, cum auxilio inquam gratiæ. Cùm enim Deus ipſe eſſet per peccatum offenſus, poterat quodammodo cedere iuri ſuo, & recõciliare ſibi pec-

catores,

Digitized by Google

catores, abſque tanto prætio, quantū ſibi de facto perſolutum eſt a Chriſto.

Erat neceſſaria ad perfectum & condignum modum reparationis.

Tertio tamen dicendum eſt, incarnationem fuiſſe neceſſariam ad perfectum modum reparationis humanæ. Hæc aſſertio eſt inter Theologos ſatis communis, & ſumitur ex doctrina Patrum. Explicatur & ſuadetur. Si accipiatur perfectus modus reparationis, in quo Deus tam excellenter oſtendat ſuam charitatem & miſericordiam, & tanta ſpiritualia commoda nobis afferat, ſicut nunc per incarnationem factum eſt: ſic manifeſte patet, ex conuenientia ipſa, & vtilitate incarnationis quam iam oſtendimus, fuiſſe tali pacto neceſſariam. Sed præcipuè perfectus modus reparationis intelligitur, pro æquali & condigna ſatisfactione quæ exhibēda erat Deo pro noſtro reatu. & ſic iuxta communem ſenſum putandum eſt, incarnationem fuiſſe neceſſariam. Quæ neceſſitas fundatur in eo, quòd nulla pura creatura potuiſſet ad æqualitatē ſiue de cōdigno ſatisfacere pro offenſa illata Deo. De qua proinde re ſolet vt plurimum hoc loco tractari. Sed magis proprius huius tractationi locus, nobis viſus eſt infra circa meritū & ſatisfactionem Chriſti, cùm certe hæc ſatisfactio exerceatur per actuales operationes, de quibus poſtea agēdum eſt. Dum interim pro incarnationis neceſſitate, ſatis ſit indicaſſe hoc loco, quod deinde pro ipſa ſatiſfactione oſtendemus.

Solet etiam hoc loco eadem occaſione diſputari cum S.Tho. art 3., num incarnatio ita ordinata fuerit à Deo in remedium peccati & reparationem generis humani, vt ſecluſa indigentia ipſius humanæ naturæ per peccati ruinam, Deus non fuiſſet incarnatus. Sed quoniam hoc non eſt aliud quàm inquirere cauſam finalem incarnationis, de hac re commodiori ordine poſtea diſſeremus, in peculiari quæſtione quam de cauſis incarnationis inſtituere cogitamus.

Explicantur quædā dicta Patrum

Nunc ad auctoritates Patrum initio allegatas, quæ contra priores concluſiones pugnare videntur, reſpondendum eſt, Patres ibi loquutos fuiſſe per exagerationem quandam, ad explicandam maximam conuenientiam huius myſterij: & ita per neceſſarium intellexiſſe id quod erat conuenientiſſimum. Vel ſi propriè & in rigore neceſſitatem acceperunt, loquutos fuiſſe ex ſuppoſitione: non quidem ſolùm peccati, ratione cuius humana natura indigebat reparatione: ſed maximè ex ſuppoſitione diuini ſtatuti de ſubleuanda humana natura a peccati ruina perfecto modo, ideſt per æqualem & condignam compenſationem. Stante enim hac ordinatione diuina, non poterat Deus non incarnari: quia non aderat alius modus ſic perfectè reparandi genus humanum. Quæ expoſitiones, non ſolùm ad alios Patres, ſed fortaſſe etiam ad Anſelmum qui duriùs ſanè loquutus eſt, adaptari poſſunt.

Et Scriptura.

Ad auctoritates verò Scripturæ facilior eſt reſponſio: nempe Chriſtum Dominum ita loquutum fuiſſe, ſuppoſita iam determinatione diuinæ voluntatis de redemptione hominum perficiēda per paſſionem ipſius Chriſti: ſtante enim hac determinatione non poterat id non adimpleri. Sed quomodo ſimul cum hac neceſſitate ſtaret libertas ipſius Chriſti in operando, ſuo loco de Chriſti libertate videbimus.

Non erat Deo neceſſariū adhibere hūc perfectum modum.

Sed obijcies præterea primò. Perfectus & optimus auctor non poteſt facere niſi perfectum & optimum opificium: ſed Deus eſt ille auctor; opificium autem huius mundi non eſſet optimum & perfectum, ſi careret tàm ſublimi omniumque digniſſimo opere quod eſt incarnationis myſterium: ergo Deus volens creare hunc mundū, non poterat ſimul non velle incarnari. Item qui ſapientiſſimus & prudentiſſimus eſt, non poteſt non eligere conuenientiſſimum medium ad finem quem intendit: ſi ergo incarnatio erat conuenientiſſimum mediū ad reparationem noſtram, non poterat Deus non incarnari. Confirmatur ex generali regula Auguſt. lib. 3. de Libero arbitr. cap. 5., *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium*

conditerem. Et lib. 1. cont. aduerſar. legis & Prophetar. cap. 14. *Vſquenè adeo,* inquit, *deſipiendum eſt, vt videat homo melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deum vidiſſe non putet; aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe, aut non potuiſſe?* Ex qua regula colligendum videtur, cùm incarnatio eſſet optimum quid, tàm ſecundùm ſe, quam in ordine ad noſtram reparationem, debuiſſe Deum neceſſario incarnari.

Nec phyſice nec moraliter.

Ad hoc aliqui recentiores non dubitarunt aſſerere, debuiſſe quidem Deum ex neceſſitate quadam morali incarnari, ſicut & ſimpliciter mundũ creare, ac ſimilia quæ plane in ſe optima ſunt. Sed ſolùm phyſice loquendo potuiſſe pro ſua libertate non facere talia opera. Verùm, de ratione perfectæ & exquiſitæ libertatis, qualis omnino debet Deo attribui in omnibus operationibus ad extra, ſimpliciter eſt, vt non ſolùm phyſice ſed etiam moraliter loquendo potuiſſet non operari ad extra. Et hoc quidem perſuadent omnia quæ pro diuina libertate circa opus incarnationis, & in vniuerſum circa opera Dei, hîc & ſuo loco 1. partis allata ſunt.

Reſpondendum ergo eſt, de ratione optimi auctoris, ſi liber eſt, eſſe quidem vt poſſit facere optimum, vel ſaltem melius ac melius opificium: tamen non eſſe vt neceſſario debeat facere optimum. Et ſimiliter de eo qui diſponit media in ordine ad finẽ. Quod ſi Deus noluiſſet facere optimũ opus, aſſumere optimum medium: nõ per hoc diceretur inconuenienter aut imprudenter operari; ſed ſolùm diceretur non facere id quod conuenientiſſimum erat, ad quod nempe faciẽdum non habebat neceſſitatem, cùm ſit omnino liber. Et ſimiliter ad confirmationem, Auguſtinus ſolùm voluit, ſecundùm conuenientem quidem modum operationis Deum facere id quod melius eſt: non autem voluit, Deum neceſſariò id facere. Et ſane in vniuerſum, quomodo Deus potuiſſet meliora facere, vel ea ipſa quæ de facto operatus eſt, vel alia diuerſa, attigimus cum D. Tho. 1 par. q. 25. circa omnipotentiam Dei.

Conuenientia non inducebat neceſſitatē.

Obijcies ſecundò. Ex ea ratione conuenientiæ quam S. Tho. aſſignat, colligi neceſſitatem. Quod enim eſt ſecundùm naturam alicuius, eſt illi neceſſarium: ſi ergo communicatio per incarnationem erat ſecundùm naturā Dei ratione ſuæ bonitatis, ſequitur fuiſſe etiam illi neceſſariam. Et rurſus, cum Deus ſit infinite bonus, erat quoque infinite propenſus ad hoc modo ſe communicandum: ſed infinita propenſio habet infinitam vim determinandi agens ad operandum: ergo Deus erat ab intrinſeco determinatus, & non indifferens ac liber ad ſe incarnandum.

Reſpondetur. Illud quod eſt ſecundùm naturam tanquam prædicatum eſſentiale, vel tanquam proprietas ſiue intrinſecum attributum, eſſe vtique neceſſarium ſubiecto. At vero illud quod eſt ſecundùm naturam, tantùm vt operatio naturalis conſentanea virtuti & inclinationi agentis, nõ per hoc eſſe neceſſarium agenti alioqui ex natura ſua libero, qualis eſt Deus. Reſpectu cuius, nec etiam infinita propenſio habet vim determinandi, ſumendo determinationem proprie vt oppoſitam libertati.

Non erat Deo neceſſarium reparare genus humanum.

Obijcies tertiò. Videtur fuiſſe neceſſarium, vt Deus humanam naturā lapſam repararet: quia alioqui Deus fruſtraretur fine à ſe intento, nempe perducendi hominem ad beatitudinem. Item gloriaretur Dæmon ſe præualuiſſe aduerſus ordinationem diuinam, impediendo eius effectum & humanam ſalutem. Aliaque ſimilia incommoda excogitari poſſunt, quæ non videntur potuiſſe à Deo permitti.

Reſpondetur. Si conſideremus diuinam voluntatem poſt intentionem efficacem perducendi homines ad vitam æternam; ſic quidem non potuiſſe Deum non reparare hominem, non perducere eum ad vitam æternam. Sed tamen hæc neceſſitas oriebatur ſolùm ex ipſamet intentione & voluntate diuina de reparando & ſaluando homine. Sed ad habendam talem intentionem ac voluntatem, nulla planè neceſſitas præcedebat, aut Deum adſtringebat. Si autem conſideremus

Digitized by Google

Deum cum ſola ſimplici complacentia perducendi homines ad gloriam, ſic abſurdum non fuiſſet, non aſſequi finē hoc tantum modo a Deo volitum, vt patet in hominibus qui de facto damnantur. Nec etiam Dæmon potuiſſet meritò gloriari: ſiquidem Deo ipſo volente ac permittente, relicta fuiſſet natura humana in ſtatu ſuæ miſeriæ & extra ſalutis ſtatum.

Nec incarnari ad ſimpliciter reparandū.

Obijcies quartò. Non aliter videtur potuiſſe reparari humana natura quàm mediante incarnatione per ſatisfactionem exhibendam à Chriſto: quia alioqui remanſiſſet Deus offenſus, & peccatum impunitum: quæ ſunt contra regulam & normam diuinæ iuſtitiæ. Quòd ſi aliquis purus homo vel Angelus conſtitutus fuiſſet ad ſatisfaciendum pro hominibus culpæ reis, hi effecti fuiſſent ſerui ac ſubditi tali ſuo redemptori, ac proinde non fuiſſent reſtituti in ſuam priſtinam dignitatem, qua ſoli Deo ſubdebantur ac ſeruire debebant.

Reſpondetur. Non debere dici contra iuſtitiam, ſed ad ſummum præter iuſtitiam, ſi Deus voluiſſet abſque condigna ſatisfactione peccata remittens hominem lapſum reparare: hoc eſt, prætermiſiſſet quidem Deus facere actum iuſtitiæ, non tamen feciſſet actū iniuſtitiæ. Nimirum, cùm Deus ipſe volens ac libens ſic peccata remiſiſſet: volenti autem non fit iniuria ſeu iniuſtitia: atque adeo id non fuiſſet Deo impoſſibile. Si autem pura creatura conſtituta fuiſſet ad ſatisfaciendum, quamuis inde homines cōtraxiſſent illam denominationem ſubiectionis & ſeruitutis ad illam: tamen quoad perfectionem beatitudinis, potuiſſet vtique humana natura ad tantam adhuc gloriam reparari, ad quantam antea ordinata erat. Et alioqui ſi has denominationes attendamus, etiam de facto datur hæc denominatio, quòd homines lapſi ſunt, & alieno ſubſidio reparati: quare ſimiliter opponi poſſet, non eſſe humanam naturam reſtitutā in priſtinam dignitatem quam habebat ante peccatum, ſcilicet non peccaſſe, & non eguiſſe alienæ ſatisfactionis & reparationis ſubſidio. Quod tamen nullatenus obſtat, quominus omnino perfectè & integrè dici debeat reparata.

Alia quoque argumenta afferebat Anſelmus in illis libris: quę tamen ex his facilè ſolui poſſunt.

SECTIO QVINTA.

Quonam tempore, & quàm conuenienti, facta ſit Incarnatio.

HÆC temporis circunſtantia, tanquam pertinens ad quæſtionem an eſt, ſimul cum conuenientia & neceſſitate, hoc loco attingenda eſt: de qua S. Thomas agit duobus vltimis ſuæ quæſtionis articulis. Et certum quidem de fide eſt, incarnationē factam fuiſſe ſimul ac facta fuit conceptio Chriſti, & tunc prorſus Deum incarnatum fuiſſe quādo Chriſtus Dominus conceptus fuit. Quia nempe incarnatio facta eſt in ipſo Chriſto, Diuina perſona aſſumpſit humanam naturam Chriſti. Non defuerunt tamen Hæretici contendentes, non ab initio ſuæ vitæ Chriſtum Dominum fuiſſe verè Deum, ſed annorum progreſſu ſuis meritis & eximia ſanctitate obtinuiſſe coniunctionem cum Deo. Sed hoc inuentum eſt prorſus falſum, & contra euangelicam veritatem, vt ex ſequentibus manifeſtè conſtabit. Itaque abſque vlla prorſus dilatione vel temporis interuallo, tunc omnino facta eſt incarnatio, cùm primùm Chriſtus aduenit, cùm primo conceptus fuit.

Facta eſt Incarnatio quando aduenit Chriſtus.

Quandò autem aduenerit Chriſtus, numeramus quidem tot annos ab aduentu Chriſti, & plures numeramus ab exordio mundi ante aduentum Chriſti. Quo plane conſtat, nec ab initio mundi fuiſſe anticipatam, nec ad finem mundi dilatam, ſed intermedio quodam tempore incarnationem fuiſſe peractam. Vbi conciliandi ſunt duo loquendi modi, qui videntur diuerſi & oppoſiti in Sacra Scriptura circa tempus incarnationis & aduentus Chriſti. Nam Geneſ. 49., Iſaiæ 2., & Danielis 2., ſignificatur, Chriſtum ven-

Aduenit Chriſtus tempore intermedio mundi

turum eſſe nouiſſimis temporibus. Ex alia parte Habacuc. 3. dictum eſt, *In medio annorum notam facies*: quo loco quamuis plurimorum ſententia ſit, nō eſſe ſermonem ad litteram de aduentu Chriſti; tamen ſatis communiter, ſaltem in ſenſu ſpirituali, aut per accomodationem, accipi ſolet de tempore aduentus Chriſti.

Dicitur venisse in fine & in medio. Hi inquam duo loquendi modi facilè conciliantur. Quia vna ratione hoc tempus excurrens ab aduentu Chriſti, appellatur vltimum mundi tempus: hæc eſt enim ſexta & vltima ætas mundi, in qua abſque notabili variatione idem curſus Eccleſiæ perſeuerat. Alia verò ratione, cùm Chriſtus non venerit ab initio mundi, nec expectauerit ad finem mundi, optimè dicitur aduenisse intermedio tempore. Non quidem ſumendo medium mathematicè & exactè, vt inde inferri poſſit tot annos interfuturos ab aduentu Chriſti ad extremum iudicium & mundi finem, quot præceſſerant à creatione mundi vſque ad Chriſtum: id enim incertum & obſcurum eſt. Sed ſumendo medium moraliter & lato modo, ad differentiam temporum extremorum.

Dicitur venisse in senectute & in iuuentute mundi. Simili modo D. Auguſtin. lib. 1. Retract. cap. 26. notauit, penes diuerſas conſiderationes hoc tempus ab aduentu Chriſti poſſe vocari iuuentutem & ſenectutem mundi: ſenectutem quidem ob eam rationem, quia hæc eſt vltima mundi ætas: iuuentutem verò ob copiam gratiæ, vigorem fidei, & feruorem charitatis. Sed intra latitudinem huius temporis intermedij, quonam præcisè anno, & quo die facta ſit incarnatio, attingemus poſtea circa hiſtoriam ipſam conceptionis & natiuitatis Chriſti.

Conuenienti tempore venit. Iam circa conuenietiam huius temporis intermedij quo facta eſt incarnatio, ſufficientes rationes aſſignat S. Thomas duobus vltimis articulis, quare ſcilicet conuenientius fuerit, incarnationem non fieri ſtatim ab initio mundi, nec differri ad finem mundi, ſed perfici in decurſu temporis intermedij, vt videre eſt in textu, & nos in articulorum ſumma ad initium quæſtionis indicauimus. Sed cur ex toto tempore intermedio elegerit Deus illam ſpecialiter partem in qua de facto aduenit Chriſtus, non poteſt nobis certa ratione conſtare. D. Auguſt. quidem epiſt. 49. quæ eſt de Sex quæſtionibus contra Paganos q. 2. cōmemorat, ſibi quæſitum fuiſſe, & ab Infidelibus inſtanter quæri conſueuiſſe, quare eo potiſſimum tempore Chriſtus à Deo miſſus ſit. Et ipſe Auguſt. hanc ibi reddit huius conuenientiæ rationem: quia inquit præuidebat Deus, tunc futuros eſſe homines qui credituri erant Chriſto, & fidem euangelicam recepturi: cùm præuidiſſet prioribus temporibus non futuros qui in Chriſtum crederent. Sed hanc rationem minùs approbat ipſemet Auguſt. lib. de Bono perſeuer. cap. 9., præcipuè ex illo loco Lucæ 10., vbi dicitur, quòd ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſēt virtutes à Chriſto quæ in Iudæa fiebant, illi quidem credidiſſent, dum Iudæi non credebant: & tamen Chriſtus non ibi ſed in Iudæa ſuam doctrinam prædicauit & miracula fecit. Patitur etiam illa ratio alias difficultates in materia diuinæ ſcientiæ, prædeſtinationis, & gratiæ. Dici tamen poteſt, tunc Chriſtum veniſſe, quando Deus præuidit accomodatum tempus eſſe ad ſalutem electorum quos ipſemet prædeſtinauit, nempe iuxta diſpoſitionem & ordinem ſuæ diuinæ prouidentiæ, vt explicauit idem Auguſt. de Prædeſt. Sanctor. cap. 9. Omnino autem putandum eſt, ob rationes Deo notas conuenientiſſimum fuiſſe illud tempus, quo ex diuina determinatione Chriſtus aduenit.

Non erat necessarium vt tali potius tempore veniret. Non tamen dici debet, fuiſſe neceſſarium vt Chriſtus tali potiùs quàm alio tempore adueniret. Super hanc enim circunſtantiam temporis non cadit neceſſitas, quæ ſuper ſubſtantiā ipſam incarnationis. Quia omni & quocunque tempore ſatiſfactio Chriſti erat eiuſdem valoris, eodemque modo prodeſſe poterat hominibus. Et quoniam prodeſſe debebat etiam ab initio mundi, non per hoc erat neceſſarium vt antea præcederet: ſiquidem non minùs paſſio Chriſti futura & præuiſa, erat

Digitized by Google

erat ſufficiens & valida ad obtinenda dona gratiæ pro antecedentibus hominibus, quàm præterea & tranſactæ valeat pro conſequentibus.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE RATIONE INCARNATIONIS:

Siue de Vnione Diuinæ perſonæ & Humanæ naturæ in Chriſto.

INCARNATIONIS vocabulum, à quibuſdam Hæreticis & Grammaticis tanquam nouum & barbarum reiectum, accomodatiſſimum ſanè eſt ad hoc myſterium denotandum, receptiſſimum apud Sacros Doctores & Chriſti fideles, perantiquum in Eccleſia: &, quod caput eſt, ſumptum ex Euangelio Ioannis. Quod enim ille dixit, *Verbum caro factum eſt*, nos dicimus incarnatum eſt. Neque reprehendi debebat nouitas vocabuli, vbi tàm nouum myſterium factum eſt, de quo Propheta prædixit, *Nouum faciet Dominus ſuper terram*. Quamuis autem Verbum diuinum, non ſolam carnem, ſed etiam animam, totamquè humanam naturam aſſumpſerit: tamen deſumptum eſt hoc nomen à carne, per quandam figuram, qua nomine carnis appellatur integra humana natura: & ad magis exprimendam diuinam pietatem erga humanum genus; cùm Deus non ſolùm animam, ſed etiam carnem, quæ eſt vilior noſtra pars aſſumere dignatus ſit. Itaque per hoc incarnationis vocabulum deſignatur vnio Verbi diuini cum tota & integra humana natura, ex carne & anima conſtante: vt notarunt D. Athanaſ. Orat. de Deipara aliquantum à medio, & Cyrillus in Scholijs de Incarn. Vnigeniti cap. 25. Iam vero agendum eſt de ratione ipſa eſſentiali & quidditate incarnationis, ideſt de vnione ipſa hypoſtatica Verbi diuini & Naturæ humanæ. De qua S. Thomas in præſenti quæſtione ex inſtituto pertractat. Quam in duodecim partitur articulos.

Primo docet, vnionem Verbi incarnati non eſſe factam in natura, hoc eſt non eſſe in incarnatione conflatam vnam naturam ex diuina & humana in Chriſto: quia nempe non poterat ex Diuinitate & humanitate fieri vna natura, tanquam ex duobus extremis perfectis remanentibus, neque tranſmutatis, neque tanquam ex duobus imperfectis ſiue partibus, vt latè deducit in textu. Secundò docet, hanc vnionem factam eſſe in perſona: quia alioqui nullo modo humana natura fuiſſet vnita Verbo diuino. Tertiò, factam eſſe in ſuppoſito & hypoſtaſi: præcipuè quia hypoſtaſis idem eſt cum perſona, addendo ſub nomine perſonæ rationalitatem naturæ. Quartò, perſonam Chriſti ſecundùm ſe eſſe ſimplicem, ſicut eſt natura ipſa diuina Verbi: ſecundùm vnionem verò eſſe compoſitam, inquantum vnum ſubſiſtit in duobus. Quintò, factam etiam eſſe vnionem corporis & animæ in Chriſto: quia hæc vnio eſt de ratione humanæ naturæ. Sextò, naturam humanam fuiſſe vnitam Verbo, non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter ſecundùm ſubſiſtentiam: & confutat quoſdam oppoſitos errores. Septimo rurſus docet, vnionem diuinæ & humanæ naturæ eſſe quid creatum: quia eſt relatio quædam, quæ non poteſt eſſe realiter in Deo, ſed debet eſſe in natura creata. Octauò, differre vnionem & aſſumptionem, præcipuè in hoc quod vnio importat relationem vt permanentem, aſſumptio

Matth. 16., Lucæ 1., Ioann. 9. 10. & 20. Idem Ioannes in epiſt. 1. per ſingula quinque capita, Paulus ad Roman. 8. & 9., 1. Cor. 2. & 8., Philippenſ. 2., Hebr. 1. & 2., & alijs huiuſmodi locis. Itaque Chriſtus homo, non erat purus homo, ſed erat Deus homo. Quare perſona diuina, perſona Verbi diuini, non erat diſtincta à perſona Chriſti, ſiue à perſona huius hominis qui vocabatur Ieſus. Neque poſſet idem ipſe dici Deus & homo, niſi eſſet vnus vnitate perſonæ & hypoſtaſis. Eademque ratione, de ipſo vno Chriſto Ieſu dicuntur, tàm ea quæ cōueniunt Deo, quàm quæ conueniunt homini.

Ex Sacra Scriptura. Item ex Scriptura manifeſtum eſt, Deum factum eſſe hominem, Verbum factum eſſe carnem: quod nullatenus verificaretur, ſi alia eſſet perſona Verbi diuini, & alia Chriſti hominis. Quo enim modo de duabus diſtinctis perſonis dici poſſet, hanc eſſe illam, hanc factam eſſe illam? Omnino ergo fatendum eſt, eandem ipſam perſonam Verbi diuini eſſe incarnatam ſeu humanatam, eſſe verum hominem; atque adeo non diſtingui à perſona huius hominis. Pariter ex Scriptura conſtat, vnionem Dei & hominis in Chriſto non eſſe factam per ſolam beneuolentiam, aut inhabitationem, vel qualemcumque aſſiſtentiam. Hæc enim communia ſunt etiam reſpectu aliorū hominum, & de omnibus diuinis perſonis in quocunque iuſto. Sic ergo Chriſtus Dominus eſſet tanquam vnus ex alijs: quamuis diceretur maioris ſāctitatis, magiſque Deo carus. Niſi enim fateamur, Chriſtum realiter & ſubſtantialiter eſſe verum Deum, prout in ſacris litteris proponitur, ruit fides Chriſtiana: atque etiam reſpectu aliorum hominum, & de alijs diuinis perſonis, affirmare liceret ea quæ ſingulariter de Chriſto Domino, & de Verbo diuino incarnato prædicantur.

Ex Symbolis, Concilijs, & Patribus. Deinde hoc idem dogma fidei continetur in omnibus Eccleſiæ Symbolis, Apoſtolorum, Niceno, & Athanaſij. Ex profeſſo contra Neſtorium definitū fuit in Concilio Epheſino primo, ac deinceps in ſequentibus Concilijs. Atque à Sanctis Patribus contra omnes aduerſantes Hæreticos acerrimè & conſtantiſſimè defenſum. Sicut autem dicimus vnam perſonam Chriſti, ita prorſus dici debet vna hypoſtaſis, vnum ſuppoſitum. Hæc enim nomina idem ſignificant: niſi quod nomen perſonæ connotat rationalitatem naturæ. Quare, vel ex ignorantia nominum, vel ex malitia ad obtegendam Hæreſim, ortum eſt, ſi qui diuerſimodè de perſona ac de hypoſtaſi in hac re loquuti ſunt. Sed Concilia & Patres æque ſub vtroq; nomine negant duas perſonas, duas hypoſtaſes in Chriſto.

Explicantur quædā Euangelij loca. In contrarium objiciebant Hæretici primò. Chriſtus ipſe homo, de ſe loquens dixit Ioann. 2. *Soluite templum hoc*, intelligens de occiſione ſui facienda à Iudæis: vbi vocauit ſe templum, id eſt templū diuinitatis & diuinæ perſonæ: ergo non niſi per inhabitationē continebat in ſe diuinam perſonam, & ſic ipſe erat perſona diſtincta. Et pendens in cruce Matth. 17. dixit, Deus meus, vt quid dereliquiſti me, quaſi perſona diuina ab illo receſſerat, & ſola perſona humana tunc remanſerit mortem ſubitura.

Reſpondetur ad primum locum, Chriſtum nomine templi intellexiſſe corpus ſuum reſpectu animæ inhabitantis: ſic enim ſubditur in Euangelio, *Ille autem dicebat de templo corporis ſui*. Et per diſſolutionem templi intelligebat occiſionem qua corpus priuabatur anima: ſicut & per reædificationem intelligebat reſuſcitationem, qua denuo corpus erat viuificandum eadem ſua anima. Sed neque per hoc corpus ſe habet ſolùm tanquam habitaculum, & anima tanquam incola: quinimo adeſt vera & ſubſtantialis vnio inter corpus & animam, qua vnione conſtituitur vnus homo. Et ſic etiam ſi illa metaphora referatur ad coniunctionē diuinitatis & humanitatis in Chriſto, natura quidem humana, non autem perſona, diceretur templum diuinitatis & diuinæ perſonæ: non quidem ſolùm per accidentalem inhabitationem, ſed per ſubſtantialem vnionem in vnitatem perſonæ. Ad ſecundum locum, nullatenus ſenſus eſt, humanā perſonam fuiſſe à diuina relictam: ſed

Digitized by Google

nec etiam humanam naturam fuiſſe à diuina perſona dimiſſam: ſed ſolùm humanitatem fuiſſe quodammodo deſtitutam illa diuina protectione & defenſione, qua præſeruaretur a morte; ſiquidem à Deo permittebatur ad mortem tendere.

Explicantur quædã Apoſtoli loca.

Obijciebant ſecundò. Apoſtolus ad Philippenſ. 2. loquens de Chriſto Filio Dei, inquit, *In ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*. Vbi ſignificat, Dei Filium, non eſſe vere factum hominem, ſed induiſſe humanam ſimilitudinem, ſiue humanitatem, ita vt hæc ſe habeat tanquam illius indumentum. Erant ergo duæ perſonæ in Chriſto, diuina & humana, accidentaliter vnitæ, ſicut vniuntur corpus & veſtis. Et ad Galat. 1. incipit, *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum*. Et rurſus infrà loquens de Euangelio quod prædicabat, inquit, *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*. Vbi planè diſtinguit hominem & Chriſtum: ſed homo ſignificat perſonam: ergo alia erat perſona humana à perſona diuina Chriſti.

Reſpondetur ad primum locum, Apoſtolum dicere voluiſſe, Dei filium factum eſſe hominem ſimilem alijs hominibus: vel intelligendo ſimilem quantum ad conditiones humanæ imbecillitatis: vel ſimilem ſubſtantialiter quantum ad cõuenientiam ſpecificam humanæ naturæ. Et ita habitu inuentum vt hominem: vel quantum ad apparentiam humanæ imbecillitatis, quaſi ad inſtar aliorum qui ſunt puri homines, vel quantum ad ſubſtantiam humanæ naturæ, quam verè Dei filius induit & aſſumpſit per ſubſtantialem vnionem. Quare nequaquam diſtinguitur perſona humana à diuina in Chriſto: ſed vnica perſona diuina aſſumpſit humanam etiam naturam in vnitatem perſonæ. Ad ſecundum locum, Apoſtolus plane ſeiunxit alios puros homines, & Chriſtum qui non eſt purus homo, ſed Deus homo. Et ita dixit, ſe non fuiſſe conſtitutum Apoſtolum, vel inſtructum in Euangelio, per auctoritatem & doctrinam vllius puri hominis, ſed Chriſti, quẽ vbiq; prædicat Deum & hominẽ.

Explicantur quædã Patrum dicta.

Obijci poſſunt tertio quædam dicta Patrum. D. Auguſt. dicere ſolet, Verbum diuinum aſſumpſiſſe hominem; in Enchir. cap. 36, de Prædeſt. Sanctor. cap. 15., & alibi: ſed homo proprie ſignificat hypoſtaſim & perſonam: ergo Verbum diuinum aſſumpſit perſonam humanam: igitur diſtinguitur perſona humana à diuina in Chriſto. Baſil. in Pſal. 59. vocat Chriſtum hominem Deiferum, ideſt qui fert ac gerit Deum: non ergo homo & Deus eſt vna perſona in Chriſto, ſed Chriſtus eſt quædam humana perſona gerens inhabitantem in ſe diuinam perſonam. Idem Baſil. Orat. in Sanct. Natiuit., Origenes lib. 2. Periarch. cap. 6., Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 11., & alij ex Patribus, explicant hoc incarnationis myſterium, & vnionem Diuinitatis cũ humanitate in Chriſto, exemplo ferri igniti, vbi ſimul eſt ferrum & ignis: ſed certe in hoc adſunt ambo ſuppoſita diſtincta, ferri & ignis, inter ſe tamen innexa: ergo ſimiliter ſunt duæ perſonæ in Chriſto, diuina & humana, inter ſe tamen ſingulari modo connexæ.

Reſpondetur, D. Auguſt. planè in illis locis nomine hominis intelligere humanam naturam, non perſonam; vtitur enim concreto pro abſtracto. D. Baſilium intelligere hominem Deiferum, ideſt hominem Deum: vel hominem gerentem diuinam naturam: vel humanitatem gerentem diuinam perſonam: non ergo diſtinguit perſonam humanam & perſonam diuinam, ſed in vna perſona deſignat naturam humanam & diuinam. Exemplum autem ferri igniti, non affertur à Patribus tanquam omnino ſimile, quod ſanè in hac re prorſus ſingulari non inuenitur: ſed ſolùm tanquam ex parte ſimile, ad denotandam quidem coniunctionem duarum naturarum diuinę & humanæ in Chriſto, ſed longè alio modo; quia ignis & ferrum vniuntur per quandam permixtionem, ſiue caloris ignei in toto ferro, ſiue ſubſtantiæ ignis inter poros ferri; ſed diuina & humana natura coniunguntur in vnitate perſonę.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum per Incarnationem conſtituta fuerit vna natura ex diuina & humana in Chriſto.

Hæreſis Eutichetis et aliorum conſtituẽs vnam naturam in Chriſto.

ALia Hæreſis oppoſita fuit Eutichetis Præsbiteri Conſtantinopolitani, quam tamen cenſent etiam Theologi antiquiorem fuiſſe, traditam ab Apollinari: vnam in Chriſto naturam ex diuina & humana conſtituens. Eutichetem poſtea inter alios ſequutus eſt Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus: qui in quadam Pſeudoſynodo Epheſi habita, approbari fecit ſententiam Eutichetis, & damnari Flauianum Patriarcham Conſtantinopolitanum veritatis catholicæ defenſorem. Sequutus quoque fuit Petrus Gnapheus Epiſcopus Antiochenus. Itemquè Ioannes Grammaticus, qui & Philoponus dictus eſt. Sequuti rurſus ſunt Acephali, auctore vel propagatore Seuero. At nuper plures ex recentioribus Hæreticis, vt refert Vaſq diſp. 14. cap. 1. in fine. Non ſatis autem exploratum eſt, quonam modo tot Hæretici vnam naturam in Chriſto conficerent: an videlicet per tranſmutationem & conuerſionem humanæ in diuinam, vel diuinæ in humanam: an per miſtionem, qua ex ambabus naturis träſmutatis facta fuerit quædam tertia natura: an per compoſitionem, qua ex diuina & humana naturis integris remanentibus, conflata ſit vna totalis Chriſti natura. Quidam enim Hæretici vno modo, quidam alio, & ijdem interdum vno modo, interdum alio, intellexiſſe videntur. Nec mirum, in inuento tàm abſurdo, & non ſolùm contra fidem, ſed & contra rationem repugnante, tam obſcuros, aut varios, & inconſtantes fuiſſe.

Articulus fidei diſtinguẽs duas naturas in Chriſto.

Articulus ergo fidei catholicæ eſt, in Chriſto duas eſſe naturas, integras, inconfuſas, perfectas, diuinam & humanam, poſt incarnationem & vnionem permanentes: atque adeo per incarnationem non fuiſſe conſtitutam ſeu conflatam vnam in Chriſto naturam. Ita deducitur apertè ex Sacra Scriptura, quę hoc pacto prædicat, Chriſtum ſimul ac ſemper eſſe verum Deum ac verum hominem, eiquè attribuit proprietates vtriuſque naturæ; vt proinde neceſſe ſit fateri, vtranque naturam in Chriſto perfectam & integram permanſiſſe; ſi enim, vel diuina in humanam, vel humana in diuinam, vel vtraque in tertiam naturam conuerſa fuiſſet: conſequenter Chriſtus aut non eſſet verus Deus, aut non eſſet verus homo, aut neque Deus neque homo, ſed aliud tertium quid. Natura enim quæ in aliam conuertitur, non ipſa permanet, ſed loco eius ſuccedit alia, vt in omni conuerſione contingit. Vnde hanc diſtinctionem duplicis naturæ in Chriſto, profitemur etiam in Symbolis, dum Chriſtum verum Deum & verum hominem agnoſcimus. Fuitque hæc veritas catholica contra Eutichetem & Dioſcorum ex profeſſo definita in Concilio Calcedonenſi, & in alijs ſequentibus. Ac vbique à Sanctis Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus, & Chriſti fidelibus celebrata.

Oſtenditur etiam ratione.

Demonſtratur inſuper ratione: optimè enim pertingit ratio ad probandum, non potuiſſe vnam naturam ex diuina & humana conſtitui. Natura diuina eſt penitus immutabilis & incorruptibilis: quare non poteſt in humanam aut aliam tertiam naturam conuerti ac tranſmutari. Eſt penitus ingenerabilis: quare non poteſt vlla alia natura in diuinam conuerti. Neque etiam poterat ex vtraque natura permanente conſtitui quædam tertia totalis, ſicut ex forma & materia componitur vna perfecta natura totius. Nam hæ ambæ naturæ, diuina & humana, ſunt in ſe ipſis perfectæ atque completæ in ratione naturę: quare nullatenus poteſt ex ijs conflari quædam natura totalis. Dum autem Sācti Patres, & preſertim Athanaſius in Symbolo, vtuntur exēplo hominis conſtantis ex anima & corpore, ad explicandam conſtitutionem Chriſti ex Diuinitate & humanitate: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus*: eatenus ſolū hoc

exemplum vſurparunt, quatenus ſicut vnus eſt homo ex corpore & anima conſtans; ita vnus eſt Chriſtus, vnitate tamen perſonæ, non vnitate naturæ, ex diuina ac humana duplici natura ſubſiſtens.

Explicatur qualiter Verbum caro factũ eſt.

In contrarium obijciebant Hæretici primò. Ita dixit Ioannes cap. 1. *Verbum caro factum eſt*; ſicut ſubinde cap. 2., *Aquam vinum factam*: ſed certè aqua facta fuit vinum per conuerſionem vnius naturæ in alteram, ita vt non remanſerint duæ naturæ, ſcilicet aquæ & vini, ſed vna natura tantùm: ergo ſimiliter debet intelligi in incarnatione.

Reſpondetur, dupliciter poſſe intelligi, vnum fieri aliud, hoc fieri illud. vno modo per conuerſionem & tranſmutationem, alio modo per coniunctionem vnionem. Ita patet in communi & vſitato modo loquendi. Primo enim modo dicimus, lignum fieri ignem, cibum fieri carnem, & in Euchariſtia panem & vinũ fieri corpus & ſãguinẽ Chriſti: & hoc pacto intelligitur aqua facta vinũ in illo miraculo. Secundo modo dicimus aquam factam eſſe calidam, Petrum factum eſſe Pontificem, Regem, Doctorem: item ferrum factum eſſe ignitum: corpus factum eſſe animatum, quæ coniunctio inter corpus & animam eſt ſubſtantialis, perficiens vnam totalem ſubſtantiam. Hoc ergo pacto dicitur Verbum caro factum: non vtique per conuerſionem & tranſmutationem Verbi in carnem, Diuinitatis in humanitatem, quod erat prorſus impoſſibile & incogitabile: ſed per ſubſtantialem coniũctionem & vnionem. Ideoque alio modo dicitur, Verbum aſſumpſiſſe carnem, aſſumpſiſſe humanam naturam: & ad Philippenſ. 2. *Formam ſerui accipiens*: & ad Hebr. 2. *Semen Abrahæ apprehendit*: quod quidem non poteſt dici, quando vnum conuertitur & tranſmutatur in aliud.

Qualiter vnus ſit Chriſtus, filius Dei & Virginis, Ieſus.

Obijciebant ſecundò. Si duæ integræ & perfectæ naturæ ſunt & permanent in Chriſto, ſequitur duos eſſe Chriſtos: ſicut enim in Trinitate vnus eſt Deus ob vnitatem diuinæ naturæ, ita e contra duo eſſent Chriſti ob duplicitatem naturæ. Aut ſaltem ſequitur, duos eſſe filios, nempe filium Dei, & filium Virginis: ſiquidem habet duas naturas, diuinam ſecundùm quam eſt filius Dei, & humanam ſecundùm quam eſt filius Virginis. Aut ſequitur, alium eſſe Chriſtum, & alium eſſe Ieſum: ſi nomen Chriſti referatur ad Diuinitatem, & nomen Ieſus ad humanitatem.

Reſpondetur, hæc nullatenus ſequi. Quia nempe nomen Chriſti, eſt nomen perſonæ; quare cùm vna ſit perſona, quamuis in duabus naturis ſubſiſtens: vnus ſimpliciter eſt Chriſtus. Et ad hoc facit exemplum ipſum Dei: quia enim Deus eſt nomen naturæ, ideo cùm vna ſit natura diuina, vnus ſimpliciter eſt Deus, & tres perſonæ ſunt vnus Deus. Similiter nomen filij in concreto prolatum, eſt nomen ſuppoſiti & perſonæ: quare Chriſtus dici debet vnus filius: quamuis ſit filius Dei & filius Virginis; & quamuis dicetur habere duas filiationes, ſcilicet diuinã & humanam. Sicut etiam in humanis, dicitur vnus artifex, etiam qui habet plures artes: dicitur vnus pater, etiam qui habet plures filios, & plures relationes paternitatis. Ac demum etiam nomen Ieſus, eſt nomen ſuppoſiti & perſonæ, ſicut apud nos nomen Petri, nomen Pauli, & ſic de alijs. Quare vnus & idem eſt Chriſtus & Ieſus, habens tamen duas diſtinctas naturas, diuinam & humanam, & in vtraque ſubſiſtens. Sed hæc & alia quæ ſpectant ad modum loquendi, pleniùs poſtea inter proprietates Chriſti diſcutientur.

Explicantur quædã Patrum dicta.

Obijci poſſunt tertiò quædam dicta Patrum. Cyrillus, vt referebatur ab Euſtachio Beritenſi in Concil. Calcedon. act. 1., dixit, non oportere intelligere in Chriſto duas naturas, ſed vnã naturam Verbi diuini incarnatam. Et ſimiliter Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 6. & 7. ait, Diuinitatem fuiſſe incarnatam: quod videtur importare, conuerſionem eſſe in carnem ſeu naturam humanã, aut factam eſſe vnam naturam cum carne. Ex alia parte Nazianzenus in Epiſt. ad Celidon. dixit, carnem humanam in Chriſto fuiſſe deificatam:

quod

quod videtur importare, fuiſſe conuerſam in diuinam naturam, ſiue factam eſſe vnam naturam cum Deitate.

Reſpondetur, verba illa relata ab Euſtachio ex Cyrillo, non fuiſſe in Concilio admiſſa tanquam Cyrilli, ſed potiùs reprobata tanquam Dioſcori. Quod ſi vnquam Cyrillus ſic dixiſſet, vtique accepiſſet nomen naturæ, non ſicut communiter accipitur, ſed potiùs pro perſona: ideſt non debere in Chriſto intelligi duas perſonas, ſed vnam Verbi perſonam incarnatam. Quando verò alij Patres dixerunt, Diuinitatem incarnatam, aut carnem deificatam, vtique non intellexerunt per conuerſionem Diuinitatis in carnem, aut carnis in Diuinitatem; nec per tranſitum aut confuſionem in vnam naturam: ſed non niſi per vnionem hypoſtaticā in vnitatem perſonæ: ideſt Diuinitatem vnitam fuiſſe carni, carnem Diuinitati, in vna perſona Chriſti. Aut ſumendo abſtractum pro concreto, ideſt Deum eſſe incarnatum, & factum eſſe vt Deus ſit homo, & homo ſit Deus. Sed, vt iam indicauimus, iterum poſtea agemus de proprio modo loquendi.

Alia argumenta fieri poſſunt & fieri ſolebant, contra duplicitatem naturæ & vnitatem perſonæ, quæ vrgeri poſſent tàm pro parte Neſtorij, quàm Eutichetis. Quæ poſt explicatam catholico modo totam myſterij rationem diſſoluemus ſect. ſequenti.

SECTIO TERTIA.

An & quomodo per Incarnationem conſtituta ſit vna Chriſti perſona cum duabus naturis.

Fundamentum præcipuum vtriuſque erroris extremi, vnum & idē fuiſſe videtur apud Neſtorium & Eutichetem: quod hi Hæretici non diſtinguebant inter naturam & perſonam, ſicut oportet. Vnde non percipiebant, qualiter in Chriſto eſſet vna perſona cum duabus naturis, qualiter eſſet integra natura humana diſtincta à diuina, abſque perſona humana diſtincta à perſona diuina. Vnde Neſtorius, vt naturas diſtingueret, diſtinxit etiam perſonas: Eutiches, vt vnam retineret perſonam, vnam etiam confunderet naturam.

Conſtituta eſt per vnionem naturæ humanæ cum perſonalitate diuina.

Veritas autem catholica, quæ docet, Chriſtum Dominum eſſe vnicam perſonam habentem duas naturas, diuinam ſcilicet & humanam, ex iam dictis planè concluditur. Et vnus ex præcipuis articulis Chriſtianæ fidei, in Sacris Scripturis apertè traditus, ab Eccleſiæ Concilijs & Patribus perpetuo confirmatus. Debetquè per fundamentum oppoſitum explicari: nempe ſuppoſitum ſeu perſonam importare aliquid vltra naturam, & ita aliquo pacto à natura diſtingui: diſtinguendo videlicet in qualibet ſingulari ſubſtantia, & naturam & ſubſiſtentiam, in quolibet ſingulari homine & humanam naturam & perſonalitatem. Hinc perſona diuina Verbi aſſumpſit ſibiq; vniuit naturam ſingularem Chriſti, non tamen ſubſiſtentiam & perſonalitatem humanam, ſiue id quod additur ſupra naturam ad conſtituendam hypoſtaſim & perſonam. Ad ſaluandam enim vnitatem perſonæ in Chriſto, oportet vnicam ſolam perſonalitatem in eo admittere: fieri autem non poterat, vt remaneret perſonalitas humana, ſublata diuina; hoc eſt vt perſona humana aſſumeret naturam diuinam, ſed factum eſt, vt remaneret perſonalitas diuina, & auferretur perſonalitas humana, ſed ſola natura humana vniretur perſonæ diuinæ; ſicque perſona diuina aſſumpſit naturam humanam: ſic conſtituta eſt vna perſona Chriſti cum duabus naturis.

Sublata propria perſonalitate natura humana.

Explicatur adhuc magis, tàm ex parte naturæ humanæ, quàm perſonæ diuinæ. Natura enim humana connaturaliter compleri ac terminari ſolet & debet propria ſubſiſtentia ſeu perſonalitate, ſimul cum qua conſtituit ſuppoſitum creatum, & per quam in ſe ſeu in proprio ſuppoſito ſubſiſtere dicitur. Per incarnationem autem factum eſt, vt humana natura Chriſti priuaretur & careret propria ſubſiſtētia: non quidem quaſi eam antea habuerit, & poſtea amiſerit; ſed quam alioqui nataraliter habere debuiſſet,

ac

Digitized by Google

ac de facto habuiſſet, niſi impedita fuiſſet. Factumq; eſt, vt hæc ſingularis humanitas Chriſti compleatur ac terminetur per eandem ſubſiſtentiam diuinæ perſonæ, & ita dicatur ſubſiſtere in ipſo diuino ſuppoſito. Sic perſona diuina, cùm habeat formaliter ſubſiſtentiam, per quam natura diuina ſuo ſimpliciſſimo modo completur ac terminatur, aſſumpſit quoque ad ſe, vniendo ſuæ ſubſiſtentiæ perſonali, naturam humanam. Et ita peractum eſt hoc admirabile incarnationis myſterium: ita conſtitutus eſt Chriſtus, verus Deus & verus homo, in vnitate perſonæ.

In omni natura ſubſtãtiali reperitur poſitiuus ac diſtinctus modus ſubſiſtentiæ.

Quamuis autem controuerſum ſit inter Theologos, & Philoſophos, quidnam addat ſuppoſitum creatum ſupra naturam, atque ad pleniorem huius myſterij explicationem, ſoleant alioqui hoc loco hanc diſputationem interere: tamen quia generaliter loquẽdo res erat generalis, ſpectans ad omnes ſubſtantias, nos proprio loco in Philoſophia de hoc diſputauimus. Ille autem dicendi modus accomodatiſſimus eſt, & à nobis ibi approbatus fuit: vt aſſeramus, dari in qualibet ſingulari ſubſtantia modum quendam poſitiuum & realem, vocatum ſubſiſtentiæ, diſtinctum à natura ſubſtantiali, eſſeque vltimum terminum & complementum ipſius naturæ: ita vt abſque hoc modo natura non ſit adhuc perfectè terminata & completa. Quia nempe, licèt ſit integra & perfecta in ratione naturæ, indiget adhuc huiuſmodi complemento, ac requirit hunc modum ſubſiſtentiæ, vt conſtituat ſuppoſitum, quod vbi natura eſt rationalis vocatur perſona. Sic enim, etiam in Deo, naturæ ipſi diuinæ conſideramus addi tres ſubſiſtentias perſonales, quibus conſtituuntur tres perſonæ diuinæ. Iuxta hunc inquam dicendi modum intelligitur optime, quonam modo natura humana Chriſti, carens propria ſubſiſtentia, vnita & aſſumpta ſit ad ſubſiſtentiam Verbi diuini in vnitatem perſonæ.

Natura humana dicitur

Diciturquè natura humana ſic vnita Verbo, non ſolùm terminari & compleri diuina ſubſiſtentia, ſed dicitur etiam ſubſiſtere in perſona diuina, dicitur ſuſtentari à perſona diuina. Subſiſtere quidem: quoniam non vnitur tanquam forma ſubiecto, quaſi inhærens vel dependens: & quoniam formaliter vnita eſt ipſi ſubſiſtentiæ diuinæ, ab eaq; denominatur. Suſtentari verò dicitur: quoniam non ſubſiſtit in ſe & per ſe, ſed ope ipſius perſonæ diuinæ cui eſt vnita. Dicitur quoque Verbũ ipſum diuinum ſubſiſtere in duabus naturis, habere duas naturas: diuinã quidem per omnimodam identitatem in re, humanam verò à ſe diſtinctam per certum vnionis modum.

ſubſiſtere & ſuſtentari in Verbo.

Chriſtus dicitur perſona diuina & humana.

Similiter ratione harum duarum naturarum dicere poſſumus, Chriſtum eſſe perſonam diuinam & humanam. Quamuis enim aliqui refugiãt in Chriſto concedere denominationem humanę perſonæ, ne videatur diſtingui perſona humana à diuina in Chriſto: & reuera optima cautela ſit, non abſolutè nominare perſonam humanam, loquendo de Chriſto, ne videatur induci perſonalitas humana: tamen cũ explicatione tradita, ſimul dicendo, Chriſtum eſſe vnicam perſonam, diuinam & humanam, intelligendo ratione naturæ diuinæ & humanæ; ſic admitti poteſt hæc denominatio. Atque abſolutè nomine Chriſti ſignificatur hæc perſona, diuina & humana ſimul, vt ſubſiſtens in duabus naturis, diuina & humana. Vnde, licèt perſona Chriſti in ratione perſonæ idem ſit ac perſona Verbi diuini: atque adeo nomine Chriſti, quod eſt nomen perſonæ, formaliter ac directè ſignificetur eadem ipſa perſona: tamen nomine Chriſti connotatur & cõſignificatur ſimul natura humana, quæ non importatur puro nomine perſonæ diuinæ, ſeu nomine Verbi.

Quà extrema infinitè diſtantia poſſint vniri ad faciendum vnum.

Sed contra myſterium incarnationis taliter explicatum, Obijcies primo. Ea quæ maximè diſtant, non videntur poſſe tàm intimè coniungi, vt conſtituant vnum. Ea quæ infinitè diſtant, non habent inter ſe proportionem, vt conſtituant vnum quid. Non ergo poterat ex perſona ſeu ſubſiſtentia diuina & natura humana conſtitui vnus Chriſtus modo explicato. Confirmatur; quia

quia longè plus diſtant inter ſe Deus & creatura, quàm quæcunque creaturæ inter ſe: ſed ob hanc diſtantiam non quæcumque entia creata poſſunt coniungi ad conficiendum aliquid vnum: ergo multò minùs Verbum diuinum & natura humana.

Explicatur qualiter Verbum caro factũ eſt.

Reſpondetur. Ea quæ maximè diſtant, poſſe intimè coniungi, ſi non vi naturali, ſaltem abſoluta poteſtate diuina, quando adeſt aliqua proportio. Poſſunt enim etiam illa quæ infinite diſtant, habere aliquam proportionẽ inter ſe: non quidem commenſurationis, ſed habitudinis & ordinis cuiuſdam. Quæ proportio optime reperitur inter ſubſiſtentiam diuinam & naturam humanam, in ordine ad conſtituendum ſuppoſitum. Natura enim creata eſt terminabilis per ſubſiſtentiam: & licet reſpectu ſubſiſtentiæ diuinæ non habeat exigentiam naturalem, habet tamen capacitatem obedientialem. Subſiſtentia vero diuina eſt de ſe apta terminare naturã creatam. Et ità ambò hæc extrema habent conuenientem proportionem. Et per hoc patet etiam ad confirmationem. Poteſt namque eſſe, vt ea quæ entitatiuè magis conueniunt inter ſe ſecundùm conceptum ſuum eſſentialem, non habeant eam proportionem, quæ tamen reperiatur inter alia magis inter ſe diſtantia eſſentialiter. Vt manifeſtum eſt inter ipſamet entia creata: forma enim magis eſſentialiter conuenit cum alia forma, & maximè eiuſdẽ ſpeciei, & anima rationalis conuenit cum Angelo in genere ſubſtantiæ ſpiritualis. Sed tamen non poteſt conſtituere quid per ſe vnum, vna forma cum alia forma, anima rationalis cum Angelo: ſed bene forma cum materia, anima cum corpore.

Qualiter duo extrema completa poſſint facere vnum.

Obijcies ſecundò: Perſona diuina & natura creata, ambo ſunt entia cõpleta & perfecta in ſe ipſis: ergo non poſſunt vniri ad cõſtituendum aliquid vnum. Hac enim ratione ex natura diuina & natura humana, vel alijs quibuſcunque naturis completis, non poteſt conſtitui vna tertia natura totalis.

Reſpondetur. Naturam humanam, licèt ſit completa in ratione naturæ, tamen non eſſe vltimò completam ſeu terminatam in ordine ad ſuppoſitum, niſi per ſubſiſtentiam ſuperadditam: & e conuerſo, licet ſubſiſtentia Verbi non ſit incompleta, vt poſſit vltrà compleri: tamen eſt completiua ſeu terminatiua naturæ. Et per hoc inter talia extrema datur aptitudo requiſita ad conſtituendum aliquid vnum vnitate ſuppoſiti: quæ non datur inter duas naturas totales ad conſtituendam tertiam naturam.

Qualiter natura creata poſſit vniri cum ſubſiſtentia diuina.

Obijcies tertiò. Natura creata & ſua ſubſiſtentia coniunguntur tãquam res & modus, & hoc pacto conſtituunt ſuppoſitũ: ſed natura humana & ſubſiſtentia diuina non poſſunt coniungi tanquam res & modus, quod eſt per ſe manifeſtum: ergo non poteſt ex his conſtitui vnus Chriſtus. Probatur rurſus ſequela: quia vnio conſueta inter rem & modum, non videtur poſſe intercedere inter duas res: neque modus videtur poſſe ſuppleri per aliam rem: quod eſt notum & commune in alijs modis.

Reſpondetur. Naturam creatam coniungi cum ſua ſubſiſtentia ad hoc vt per eam terminetur & compleatur: & quod eſt terminari & compleri, bene intelligi poteſt præſtari per aliam ſubſiſtentiam, quæ non tanquam modus afficiat ipſam naturam, ſed tanquam res illi vniatur: neque enim vlla in hoc apparet repugnantia. Quare optime fieri poteſt, vt interueniat huiuſmodi vnio inter naturam humanam & ſubſiſtentiam diuinam, atque ſuppleat modum propriæ ſubſiſtẽtiæ creatæ. Quamuis ſimile quid in alijs modis fieri non poſſit. Quinimo in hoc caſu, ipſa quidem ſubſiſtentia diuina eſt vera res, at vnio hypoſtatica eſt proprie modus: quare loco vnius modi ſubſiſtendi in ſe, ſuccedit alius modus ſubſiſtendi in altero ſuppoſito. Sicut e contra in accidentibus ſeparatis a ſubiecto in Sacramento Euchariſtiæ, loco prioris modi vnionis ſeu inhæſionis quo exiſtebant in ſubiecto, aſſignatur alius modus exiſtendi per ſe.

Obijcies quartò. Si conſtituitur vnũ

quid

Digitized by Google

Qualiter conſtituatur vnum ex ſubſiſtentia increata & natura creata.

quid ex ſubſiſtentia increata & natura creata, hoc erit ſimul ens increatum & ens creatum: quæ videtur aperta implicantia. Vel, neque erit ens increatum, cùm incipiat de nouo: neque ens creatum, cùm intrinſece includat ſubſtantiam increatam: quod pariter eſt abſurdum, quia inter ens increatum & ens creatum non datur medium.

Reſpondetur. Non eſſe impoſſibile, nec inconueniens, vt aliquid vnum conſtans ex duobus extremis, ſecundùm vnum ſit ens increatum, & ſecundùm alterum ſit ens creatum: vt bene expreſſit Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 5. dicens: *Quo fit vt vna eademq; perſona, & Diuinitatis ratione increata ſit, & ſi humanitatis ratio habeatur creata.* Ratione autem vnionis & coniunctionis inter ſubſiſtentiam diuinam & naturā creatam, hoc ens cōſtitutum, eſt quoque creatum: cùm nimirum ipſa vnio ſit aliquid factum de nouo. Et ſimiliter ad alteram argumenti partem: hoc ens non eſt ſimpliciter, ideſt penes omnem rationem, increatum: nec eſt ſimpliciter, ideſt penes omnem rationem, creatum: quod etiam non eſt inconueniens. Et hoc quidem quantū attinet ad rem ipſam. Quoad modum vero loquendi, an dici poſſit Chriſtus eſt creatura; vel per communicationem idiomatum, hic homo eſt ens increatum, Deus eſt ens creatum; ſicut dicimus. hic homo eſt Deus, Deus eſt homo; atque de alijs locutionibus ad hoc myſterium pertinentibus, alia quæſtione agendum erit.

Non poſſet conſtitui ex natura diuina & ſubſiſtētia creata.

Obijcies quintò. Sicut ex ſubſiſtentia diuina & natura humana dicimus de facto conſtitutum eſſe Chriſtum, & ſic peractum eſſe incarnationis myſterium: ſequi videtur, poſſe e conuerſo vniri naturam diuinam & ſubſiſtentiā creatam, taliter vt modus vnionis immediatè ſubiectaretur in ſubſiſtentia creata, ſicut de facto in natura creata: & ita conſtitueretur vna perſona ex natura diuina & ſubſiſtentia creata, eſſetquè perſona creata ſubſiſtens in natura diuina.

Reſpondetur. Hoc prorſus fieri non poſſe: quia peculiaris repugnantia hic reperitur, quæ non adeſt in incarnatione & vnione, qualem de facto explicauimus. Et quidem multiplex repugnantia occurrit. Tum quia in vniuerſum non videtur poſſe natura retinens ſuam propriam ſubſiſtentiam intrinſecam, vniri cum alia extranea & aliena: at certè non poteſt natura diuina ſpoliari ſuis proprijs tribus ſubſiſtentijs, vt cum ſubſiſtentia creata vniatur: ſicut natura quidem creata ſpoliatur ſua propria ſubſiſtentia, vt cum diuina vniatur. Tum quia non videtur perſona ſeu ſubſiſtentia creata poſſe cum aliena natura, etiam creata, vniri: vnde multò minus vniri poterit cum natura diuina. Tum præcipuè: quia natura vnitur ſubſiſtentiæ, vt per eam terminetur & compleatur; quod dicit quandam indigentiam ac dependentiam, vbi ſubſiſtentia à natura diſtinguitur: natura ergo diuina nullatenus poteſt cum ſubſiſtentia creata ita coniungi. At ex alia parte, quod ſubſiſtentia diuina exerceat officium terminandi & complendi naturā creatam, nullam ſanè imperfectionem ipſi ſubſiſtentiæ diuinæ impingit: optimè ergo potuit natura humana cum ſubſiſtentia diuina in vnitatem perſonæ coniungi, non e conuerſo.

Qualiter omnino dici debeat vna perſona diuina & humana in Chriſto.

Obijcies ſextò. Iuxta traditam explicationem incarnationis, non adhuc effingimus duas in Chriſto perſonas: quod tamen præcipuè intendebamus. Etenim ſubſiſtentia Chriſti cum natura diuina conſtituit perſonam, eademquè ſubſiſtentia cum natura humana conſtituit quoque perſonam. At hæ ſunt duæ perſonæ: nam ad hoc vt vnum conſtitutum diſtinguatur ab alio, ſatis eſt vt aliquid vnius ab aliquo alterius diſtinguatur: vt patet in rebus naturalibus, vbi ex eadem materia ſub vna & alia forma, diuerſa compoſita conſtituuntur.

Reſpondetur, Hoc argumentum non attingere rem, ſed modum loquēdi. Sed omnino dici debet vna perſona in Chriſto, non duplex. quia cùm nomen perſonæ formaliter & expreſsè denotet perſonalitatem, non multiplicatur niſi per multiplicationem ipſius perſonalitatis. Quare, quamuis in Chriſto

Digitized by Google

Chriſto ſint duæ naturæ vnitæ cum eadem perſonalitate, omnino Chriſtus dici debet vnica perſona; dici debet vna & eadem perſona diuina & humana in Chriſto. Sicut è conuerſo, cùm nomen Deus formaliter ſignificet naturam diuinam, licet in Deo ſint tres perſonæ, & ſingulæ ſint verus Deus; tamen dicimus, omnes eſſe vnum Deū. Sicut autem ſe habet in Deo vnitas naturæ cum diſtinctione perſonarum, ita ſe habet in Chriſto vnitas perſonalitatis cum diſtinctione naturarum. Quoad alia vero compoſita, eſt diuerſa loquendi regula: cùm non ſumantur aut attendantur nomina ſecundum vnam aut alteram præciſe partem, ſed potiùs ſecundum vnionem ſeu compoſitionem, quæ multiplex eſt.

SECTIO QVARTA.

Vtrum dici debeat perſona Chriſti per incarnationem ex Diuinitate & humanitate compoſita.

PRiores Scholaſtici valde communiter, inter quos etiam S. Tho. in 3. d. 6., concedere recuſabant veram & propriam compoſitionem in perſona Chriſti. Et hic loquendi modus quo perſona Chriſti diceretur compoſita, apud Theologos eius temporis nō recipiebatur, vt teſtantur S. Tho. & Durand. ea d. 6. q. 3.

Reſolutio affirmatiua. Hoc tamen tempore ſatis communiter approbatur ſententia & modus loquendi S. Tho. hic art. 4., quem vt plurimum Theologi hoc loco ſequuntur: nempe concedendam eſſe veram compoſitionem in Chriſto, ita vt dicamus, perſonam Chriſti eſſe ex Diuinitate & humanitate compoſitam. Caietan. tamen eodem articulo admonet, ad remouendas omnes imperfectiones ex hac compoſitione ex parte Verbi diuini; vocari debere compoſitionem hanc admirabilem & ineffabilem.

Ex Concilijs & Patribus. Probatur primò hic loquendi modus ex Concilijs & Patribus. Petr. Diaconus lib. de Incarnat. & grat. cap. 3. refert, Paulum Samoſatenum fuiſſe in Concil. Antioch. damnatum, eo quòd nollet compoſitionem in Chriſto concedere: ac definitum fuiſſe, Chriſtum vere eſſe compoſitum. In Concilio Cōſtantin. ſecundo, quæ fuit quinta Synodus generalis, act. 8. can. 4. definitū eſt, vnionem in Chriſto factam eſſe ſecundùm compoſitionem & ſubſiſtentiam, vbi hypoſtaſis Chriſti vocatur compoſita. Et can. 8. ſimiliter dicitur Chriſtus compoſitus ex duabus naturis. Idem iterum definitum fuit in alia ſequenti Synodo generali Conſtantinopol. act. 4. in Epiſt. Agathonis Papæ, & act. 11. in Epiſt Sophronij. Et rurſus approbatum & confirmatum in Concil. Lateran. ſub Martino Papa conſult. 5. can. 6. 8. & 17. Similiter idem Petr. Diacon. eo lib. cap. 2. teſtatur, apud Sanctos Patres adunatione Diuinitatis & humanitatis Chriſtum Dominum prædicari compoſitum. Et Dionyſ. cap. 1. de Diuin. Nominib. ante medium, & cap. 3. de Eccleſiaſt. Hierarch. par. 3. non multum ante finem, id aperte aſſerit. Eodemque modo loquuntur Damaſc. lib. 3 Fidei cap. 14. & 17, Gregor. Homil. 38. in Euang. & alij. Et in eodem ſenſu frequens eſt apud Patres & Concilia, Chriſtum, ſiue perſonam Chriſti, ſubſiſtere ex duabus naturis: quo loquendi modo, particula ex, planè denotat compoſitionem.

Et ratione. Probatur ſecundo manifeſta ratione. Quando plura realiter diſtincta conueniunt ad conſtituendum vnum, datur compoſitio vnius ex multis. Nihil enim aliud denotatur hoc compoſitionis nomine. Sed hoc modo ſe habent perſona diuina & natura humana ad conſtituendum vnum Chriſtum: ergo abſolutè in hoc myſterio concedenda eſt compoſitio; quæ iuxta hanc explicationem, nihil imperfectionis inuoluit ex parte Verbi diuini. Sicut inquam, nulla imperfectio ipſius Verbi fuit, incarnari, aſſumere ſibiquè vnire humanam naturam. Non enim per hæc ponitur cōpoſitio in ipſamet perſona Verbi per ſe ſpectata: ſed ſolùm in perſona Chriſti, prout conſtituta ex ſubſiſtentia Verbi & natura humana, ſiue ex duabus naturis diuina & humana, vt notauit optimè S. Thomas

in

in hoc articulo.

Tertiò tamen aliqui affirmare & explicare voluerunt, ipſam perſonam Verbi eſſe compoſitam, id eſt ſimul cum alio poſitã, nimirum ſimul cum humana natura. Et videri poteſt ad mentem D. Thomæ hoc art. 4. ad 2., vbi ait, omne illud in quo duo cõueniunt, poſſe dici ex ijs compoſitum: & videtur intelligere illud in quo duo cõueniunt tanquã in vinculo in quo vniuntur: hoc enim non alio ſenſu poteſt dici compoſitum. Idque applicari poteſt ipſi diuinæ ſubſiſtentiæ, in quo diuina & humana natura colligantur. Atque hoc modo compoſitionem perſonæ diuinæ in Chriſto declarat ac defendit Durand. in diſt. 6. q. 3. Sed certè hæc ſola compoſitionis explicatio in Chriſto non ſufficeret. Illud enim quod hoc modo vocatur compoſitum, quãuis ſecundùm eam nominis expoſitionem dicatur cõpoſitum: tamen prout compoſitio communiter accipitur, potiùs eſt componens, non compoſitum. Et illo modo non dicitur compoſitum ex hoc & illo, vt fatetur Durandus. Sed ſic dici poteſt etiam materia compoſita cum forma, & ſubiectum compoſitum cum accidentibus. At verò hic ſaluare debemus, Chriſtum ipſum eſſe compoſitum ex duabus naturis, prout Concilia & Patres loquuntur. Et hoc ipſo modo loquitur S. Thomas. Ac dum admittitur compoſitio vnius cum alio, datur etiam compoſitio vnius ex hoc & illo, vt hic intendimus.

... ipſa perſona Verbi dici debet compoſita.

Quartò. Quidam alij explicare voluerunt compoſitionem in ipſa perſona Verbi diuini hoc modo: quod eadem perſonalitas Verbi habeat rationem veluti duplicis ſubſiſtentiæ, nempe diuinæ reſpectu naturæ diuinæ, & humanæ reſpectu naturæ humanæ. Atque ita ex his duabus rationibus ſeu reſpectibus in eadem ſubſiſtentia Verbi conſideratis, dixerunt eſſe ibi aliquã compoſitionem. Occaſione fortaſſe ſumpta ex verbis D. Thomæ hoc art. dicentis, admittendam eſſe in Chriſto compoſitionem, inquantum in ipſo eſt alia & alia ratio ſubſiſtendi, quoad aliã & aliam naturam. Hæc quoque explicatio non ſatisfacit. Quia ſic non ſaluatur, ipſum Chriſtum, ſed ſubſiſtentiam Chriſti eſſe aliquo modo compoſitam. Sed & in ipſa ſubſiſtentia, cum nõ interueniat realis diſtinctio, neque poteſt dari vera compoſitio. Sed ad ſummum reperitur hoc, quod eidem ſubſiſtentiæ conueniunt duæ illæ denominationes. Nam alioqui, non adeſt alia ratio in ſubſiſtentia Verbi diuini terminans naturam diuinam, & alia terminans naturam humanam: & nec etiam conceptu noſtro diſtinguuntur in hoc duæ rationes terminantes. Sed ad ſummum cogitari poteſt diſtinctio inter ipſos veluti actus ac denominationes formales terminandi hanc & illam naturam. S. Thomas verò per duas rationes ſubſiſtendi intellexit duas naturas in quibus Chriſtus ſubſiſtit, & ex quibus Chriſtus conſtat.

... natura perſonalitas Verbi.

Sed Chriſtus ex duabus naturis in vna perſonalitate.

Quintò deinde, alij poſuerunt tantùm compoſitionem ex natura humana & ſubſiſtentia Verbi, quia videlicet inter hæc eſt realis diſtinctio, & realis vnio, & ex his conſtat perſona Chriſti. Verùm, licèt proximè & immediatè vnio intercedat inter hæc duo: tamen iuxta modum loquendi Patrum, & magis accomodatè ad rem ipſam præcipuè dici debet Chriſtus, ex duabus naturis, diuina & humana, componi. Sic enim Sancti loquuntur. Et quoad rem ipſam ſubſiſtentia ſe habet vt vinculum medium, in quo duæ naturæ quaſi extrema copulantur. Et quamuis inter naturam diuinam & ſubſiſtentiam Verbi, non detur diſtinctio, nec diſtinctus vnionis modus, ob ſimpliciſſimam identitatem: tamen ſatis eſt, quòd ipſæ duæ naturæ inter ſe diſtinguuntur, & quòd earum vna verè diſtinguitur à ſubſiſtentia; & ita mediante eadem ſubſiſtentia verum eſt dicere, naturam humanam cum natura diuina in eadem perſona coniungi. Manifeſtum autem eſt, aſſignari optimè compoſitionem ex quibuſdam extremis in aliquo vinculo medio connexis, dum aliæ conditiones ad compoſitionem requiſitæ concurrunt. Ac præterea, cùm dici debeat Chriſtus inquantum Deus & homo eſſe compoſitus, ac dicatur Deus per naturam diuinam, rectè dicetur ex Diuinitate & hu-

& humanitate componi.

Abſque alia tertia entitate diſtincta.

Sextò demum, ſicut in vniuerſum exiſtimamus atque ſupponimus, totum non addere aliam tertiam entitatem, neque diſtingui à ſuis partibus vt vnitis: ita in hoc dicendum eſt, Chriſtum Dominum vt compoſitum, idem eſſe ac ipſas duas naturas, humanam & diuinam, vnitas in eadem ſubſiſtentia vtrique communi. Sed non per hoc determinare nunc intendimus, num non ſolùm in ſenſu identico, ſed formaliter loquendo, ſub nominibus abſtractis liceat affirmare, Chriſtus eſt Diuinitas, eſt humanitas, vel coniunctim eſt Diuinitas & humanitas: de hoc enim & alijs loquendi modis, ſeparata quæſtione agendum erit. Nunc ſolùm aduertimus, longè alium fuiſſe ſenſum Ioannis Hus, damnati in Concil. Conſtant., qui dicebat, Chriſtum eſſe Diuinitatem & humanitatem. Vt enim notant Valent. hic q. 2. puncto 4. & Vaſq. diſp. 16. cap. 15., Hæreticus ille intendebat, ſingillatim ac ſeorſim Chriſtum eſſe hanc naturam & illam naturam: quod meritò damnatum fuit. Sed nos modò loquimur de vtraque natura vt coniuncta: & vltrò dicimus, ſine earum altera non intelligi Chriſtum; & ideo Chriſti perſonam eſſe ex Diuinitate & humanitate compoſitam.

Explicatur S. Thomas.

Obijcies tamen primò: D. Tho. 1. par. q. 3. art. 8. docuit & probauit, Deum ob ſuam ſimplicitatem non poſſe in compoſitionem venire: ergo dici non debet Chriſtus ex diuina ſubſtantia ſiue natura componi.

Reſpondetur, D. Thomam ibi eſſe loquutum de compoſitione in ratione partis, includente imperfectiones quæ in alijs compoſitionibus rerum creatarum inueniri ſolent: quæ compoſitio planè Deo repugnat. Imò ſpecialiter loquebatur de compoſitione in ratione partis materialis vel formalis. Hoc autem loco alium compoſitionis modum, omnis imperfectionis expertem ex parte Diuinitatis; meritò in Chriſto Domino concedendum putauit.

In compoſitione

Obijcies ſecundò: Compoſitum dicit ordinem ad componentia, vt ipſum quidem compoſitum eſt quid totum, componentia partes: ſed Deo repugnat habere rationem partis; ſiquidem pars eſt imperfectum quid & incompletum, eſt minus toto, quæ ſunt imperfectiones Deo repugnantes: ergo concedi non debet in Deo compoſitio ex Diuinitate & humanitate.

Chriſti non debet admitti nomen partium, ſed componentium.

Reſpondetur, nomina illa compoſiti & componentium eſſe quidem promptè in hoc myſterio admittenda. Quoad nomina verò totius & partium, non defuerunt inter antiquos, qui Diuinitatem appellauerint partem Chriſti, vt de Ioanne Maxentio & Iuſtiniano Imperatore refert Vaſq. diſp. 16. cap. 4. Iam tamen Theologi communiter nomen partis in hac re vſurpare recuſant. Et expreſsè D. Auguſt. lib. 3. cont. Maximinum cap. 10. ita loquutus eſt: *Chriſtus vna perſona eſt gemina ſubſtantia, quia Deus & homo eſt: nec tamen Deus pars huius perſonæ dici poteſt, alioqui Filius Dei Deus, antequam ſuſciperet formam ſerui, non erat totus, & creuit cùm homo Diuinitati eius acceſſit:* Et D. Tho. hoc art. ad 2. inquit, compoſitionem Chriſti non eſſe in ratione partis, ſed potiùs in ratione numeri. Itaque iuxta hunc loquendi modum negandũ eſt, quæcunque componentia eſſe partes, ob ea ipſa quæ in argumento allata ſunt: quia partium nomine denotantur imperfectiones illæ, quæ componentium nomine non ſignificantur. Eodemque modo dicendum eſt, Chriſtum vt compoſitum, eſſe quidem totum, prout totum dicit perfectum quid & integrum; non tamen prout totum dicit id quod ex partibus conſtat.

Qualiter eadem perſona dici poſſit ſimplex & compoſita.

Obijcies tertiò: Perſona Chriſti eſt eadem prorſus perſona Verbi: ſed perſona Verbi eſt ſimpliciſſima: ergo perſona Chriſti non poteſt dici compoſita; & Chriſtus, quod eſt nomen perſonæ, non poterat dici compoſitus.

Reſpondetur, perſonam Verbi in ſe ſpectatam eſſe ſimplicem, non compoſitam: tamen prout ſubſiſtentem in duabus naturis, quæ eſt perſona Chriſti, eſſe compoſitam. Nullatenus tamen per hoc dici debet, aliam eſſe perſonam Verbi, & aliam perſonam

C Chri-

Chriſti: ſed potiùs dicendum eſt, eandem ipſam perſonam, & eſſe ſimplicē, & eſſe compoſitam: nempe primo modo ſumptam eſſe ſimplicem, ſecundo modo ſumptam eſſe compoſitam. Hæc enim perſonæ identitas formaliter cadit ſupra perſonalitatem, quæ vnica eſt; ſimplicitas vero ſupra perſonam diuinam præcisè ſumptam; compoſitio ſupra coniunctionem duarum naturarum in vna perſonalitate, ratione quarum naturarum perſona Chriſti vt ſubſiſtens in duabus naturis appellanda eſt compoſita.

Quare in Deo non ſit compoſitio, ſicut in Chriſto.

Objicies quartò. Si ex duabus naturis cum vna ſubſiſtentia in Chriſto datur compoſitio, pariter ex tribus ſubſiſtentijs cum vna natura in Deo admittenda erit compoſitio: ſed certè in Deo non poteſt admitti: ergo neque in Chriſto debet concedi.

Reſpondetur, Negando illam ſequelam, & reddendo diſparitatem. Tum quia in Deo nulla ex tribus ſubſiſtentijs diſtinguitur à diuina natura: ſicut vna ex duabus naturis in Chriſto diſtinguitur à ſubſiſtentia perſonali: quæ diſtinctio ad veram compoſitionem realem omnino requiritur. Tum etiam, eſto plures ſubſiſtentiæ à natura aliqua diſtinguerentur: non ita facerent cum illa & inter ſe compoſitionem, ſicut plures naturæ cum vna ſubſiſtentia. Cùm enim ſubſiſtentia ſit vltimus terminus & complementum, non poteſt vlteriùs in compoſitionem venire ad conſtituendum aliquid per ſe vnum ſimul cum alia ſubſiſtentia. Natura verò, cùm de ſe non dicat incommunicabilitatem, optime poteſt ſimul cum alia natura conuenire in vna ſubſiſtentia, ad faciendam compoſitionem: & ſic ex duabus naturis cum vna ſubſiſtentia optimè componi potuit vnus Chriſtus.

SECTIO QVINTA.

Quid ſit formaliter Incarnatio quoad vnionem inter perſonam diuinam & naturam humanam.

INcarnatio ſumi poteſt vno modo permanenter ſeu in facto eſſe, quatenus dicimus Verbum diuinum ſemper deinceps manere incarnatum: & ſic incarnatio non eſt aliud quam vnio inter perſonam diuinam & naturam humanam. Alio modo in fieri, pro actione ſeu productione, qua Verbum aſſumpſit naturam humanam, & qua facta eſt dicta vnio. Vbi per vnionem quidem conſtitutus eſt Chriſtus formaliter, per hanc verò actionem conſtitutus eſt efficienter. Priùs ergo diſpicienda eſt ratio ipſius vnionis, ac deinde actionis: vt ſic explicata maneat tota ratio incarnationis. De ratione autem vnionis plures extant dicendi modi.

Varia Auctorum placita.

Primus eſt Gregorij in 1. d. 28. q. 2. ad 17. & 18. & Bacconi in 3. d. 1. q. 1. art. 1, qui non agnoſcunt peculiarem modum vnionis in Chriſto Domino: ſed dicunt, per incarnationem conflatam eſſe perſonam Chriſti ex duabus naturis, tantùm ſe ipſis, abſque alio diſtincto modo vnitis. Conſentit Valent. hic q. 1. puncto 2. ad 4. & ex profeſſo q. 2. puncto 2., contendens vnionem non eſſe aliquam rem vel modum præter extrema vnita: & nihil eſſe aliud quàm humanam naturam & perſonam Verbi, non quomodocunque, ſed prout natura humana dependet à perſonalitate Verbi, tanquam à termino ſubſtantiali: vnde concludit, vnionem conſtare ex re creata & increata. Idem defendunt Didacus Aluarez hac quæſt. 2. art. 7., & Franciſcus Collius lib. 2. de Sanguine Chriſti diſp. 3.

Secundus dicendi modus eſt aliquorum aſſerentium, præter extrema ipſa nihil aliud reperiri in Chriſto, quàm negationem creatæ ſubſiſtentiæ in huma-

humana natura, & in hac negatione conſiſtere vnionem.

Tertius eſt Caiet. hac q. 2. art. 7. §. *In hoc articulo cautiſſimè*, & art. 10. circa reſponſ. ad 1., qui nihil aliud agnoſcit ad explicandam hanc vnionem; niſi vnitatem perſonalem, ſeu vnam ſubſiſtentiam diuinam, in qua ambæ naturæ coniunctæ ſunt; & aſſumptionem ſeu mutationem, qua natura humana tracta eſt ad ſubſiſtendum in Verbo, ipſique naturæ communicatum eſt eſſe ſubſiſtentiæ diuinæ; & præterea relationem ex hac coniunctione conſurgentem. Atque ita docet, vnionem ſumi poſſe, vel primo illo modo, & ſic eſſe ens increatum: vel pro alijs duobus, & ſic eſſe quid creatum. Videtur conſentire Barthol. Medina eodem art. 7.

Quartus eſt, quem excogitauit Carolus Franciſcus Abra tract. de Incarnat. diſp. 1. cap. 3. q. 2., dicens, hanc vnionem eſſe intimam præſentiam Verbi in humanitate, cum peculiari influxu actiuo, prodeunte à perſonalitate propria Verbi, ad conſeruandam humanitatem ſine ſubiecto.

Quintus eſt Gabrielis in 1. d. 30. q. 4. art. 2. & in 3. d. 1. q. 1. art. 1., dicentis, hanc vnionem eſſe qualitatem quandam realem abſolutam, verè & realiter ab vtroque extremo diſtinctam.

Sextus dicendi modus eſt, hanc vnionem eſſe relationem realem inter ipſa extrema. Sic indicat S. Tho. hîc art. 7. & ſequentibus, & infra q. 16. Et docent expreſſe Scotus in 3. d. 1. q. 1. §. *Sed circa iſtum articulum*, Durand. d. 5. q. 2. art. 8., Ocham. in 1. d. 30. q. 4. & in 3. d. 1. q. 1.

Septimus tandem, & apud Recentiores communis, dicendi modus eſt, hanc vnionem eſſe modum realem ſubſtantialem, diſtinctum tàm à natura humana, quàm à perſona diuina. Ita explicant ac defendunt Suarez diſp 8. ſect. 2. Vaſq. diſp. 18., Becanus de Incarn. cap. 2. q. 2., Bonacina diſp. 2. q. 2 puncto 2. Tanuerus diſp. 1. q. 3. dub. 5., Lugus diſp. 11. ſect. 1., Raguſa diſp. 39., Cabrera hac q. art. 4. diſp. 8., Ioannes Vuigers art. 7. & 8., Matthæus Kelliſonus articulo 8. dub. 2., & alij.

Dico primò. Præter perſonam diuinam & naturam humanam, addendum eſt aliquid aliud, ab ijs aliquo pacto diſtinctum, quo inter ſe vniri intelligantur. Hæc concluſio videtur ſatis certa & manifeſta. Primò: quia perſona diuina & natura humana verè & realiter inter ſe vnitæ ſunt in Chriſto: ergo datur à parte rei hæc vnio. Sed vlteriùs poſſet optimè exiſtere ac reperiri, non ſolùm tota entitas perſonæ diuinæ, ſed etiam tota entitas naturæ humanæ, abſque hac vnione: ergo plane hæc vnio importat aliquid ab ijs extremis diſtinctum. *Hac vnio eſt aliquid diſtinctum à perſona diuina, & natura humana.*

Secundò. Perſona diuina & natura humana, vel vniuntur ſe ipſis, vel vnione ſuperaddita. Non primum: quia ſic non poſſent non eſſe vnita, hoc ipſo quòd in rerum natura exiſtunt: ſicut modus qui per ſe ipſum ineſt ſubiecto, non poteſt non ineſſe ſubiecto. Et ratio eſt manifeſta: quia ſi vniri non eſt quicquam aliud præter entitatem eorum quæ vniuntur, hoc ipſo quòd hæc exiſtunt, eſſent vnita. Cùm ergo perſona diuina & natura humana poſſent non eſſe vnita, planè dici debet ſecundum, ideſt vniri quadam ſuperaddita vnione, vtique ab ijs diſtincta.

Tertiò. Chriſtus Dominus quatenus compoſitus, dicit entitatem perſonæ diuinæ & naturæ humanę: ſed certe potuiſſent ambo hæc per ſe exiſtere abſque compoſitione Chriſti Domini, & abſque eo quod ſimpliciter ipſe Chriſtus exiſteret: ergo hęc compoſitio omnino importat aliquid aliud præter ipſa extrema abſolute ſumpta, & Chriſtus Dominus eſt aliquid aliud præter extrema præciſe ſumpta: quia nempe præter ipſa extrema additur realis vnio ab ijs diſtincta.

Quartò. Ex eo ipſo quod dicebat Valentia, hanc vnionem non eſſe aliud quàm perſonam diuinam & naturam humanam vt dependentem à diuina perſona, iam manifeſtè apparet, præter ipſam perſonam & natu-

Digitized by Google

tàm abſolutè ſumptas dari hanc dependentiam, quæ non conſiſtit in ſola entitate eorundem extremorum, ſed ſupra eam additur: at hæc ipſa dependentia eſt realiter & formaliter vnio. Eodemque modo vrgendum eſt argumentum aduerſus quoſdam alios dicentes, non dari modum diſtinctum vnionis, ſed tantùm ipſa extrema vt inter ſe coniuncta. Etenim hoc ipſo quod non dicunt extrema abſolutè ſumpta, ſed vt coniuncta, plane fatentur dari coniunctionem ſuperadditam ipſis extremis. Neque verò nos volumus, addi vnionem ſuper extrema vt coniuncta, ſiue ſupra naturam humanam vt dependentem à Verbo. Et alioqui ſimili veluti luſu verborum tolli poſſent alij modi aliæque formæ: vtpote dicendo, non dari modum figuræ à quantitate diſtinctum, ſed figuram non eſſe aliud præter quantitatem taliter affectam: nec dari quantitatem, ſed hanc non eſſe aliud præter ſubſtantiam extenſam, & ſic de alijs. Vbi quis non videat, idem plane negari & affirmari: cùm figura non ſit aliud quàm talis affectio quantitatis, & quantitas non ſit aliud quàm extenſio ſubſtantiæ, & ſic de omnibus formis.

Quintò. Non poſſunt oppoſita ſucceſſiue verificari abſque mutatione aliqua in re, vt in omnibus rebus apparet: ſed certè potuiſſet tàm humana natura, quàm diuinum Verbum, exiſtere abſque vnione; ita vt eſſet verum dicere, hæc non ſunt vnita: & rurſus potuiſſent poſtea vniri, & tunc verũ eſſet dicere hæc ſunt vnita: ergo omnino debet in hoc aliqua mutatio concedi, vtiquè non alia quàm quoad vnionem ſuperadditam. Non enim ſatis eſt quod Valentia reſpondet, ſufficere mutationem temporis ſuccedentis. Etenim, non ſolùm pro diuerſo tempore, ſed etiam pro eodem potuiſſet vel vnum vel aliud diſiunctiuè verificari, ſcilicet Verbum & humanitatem eſſe vnita, vel non eſſe vnita: ergo prorſus aliqua intrinſeca mutatio eſt concedenda.

Sextò. Datur vera actio, qua peractum eſt incarnationis myſterium, & conſtitutus eſt Chriſtus. Per quam actionem vtique non fuit producta entitas Verbi in ſe. Nec etiam formaliter loquendo entitas humanitatis, quæ nimirum ſaltem priùs natura intelligitur in ſe, & potuiſſet etiam prius tempore produci ante incarnationem. Ergo neceſſe eſt agnoſcere aliam vnionem ſuperadditam, quæ per eam actionem formaliter producta ſit. Nam ſi dicatur productum fuiſſe compoſitum conſtans ex extremis: iam hoc ipſo admittitur compoſitio ex extremis, & coniunctio extremorum, vtique ſuperaddita ipſis extremis in ſe ſpectatis.

Eſt aliquid reale poſitiuum.

Dico ſecundò. Hæc vnio eſt aliquid reale poſitiuum, & non ſufficit ſola ablatio & negatio ſubſiſtētiæ creatæ in humanitate Chriſti. Probatur primò: eſſe vnitum, manifeſtè ſonat conceptum quendam poſitiuum: naturam humanam eſſe aſſumptam ad ſubſiſtendum in Verbo, non ſolùm dicit, ipſam naturam carere ſua propria ſubſiſtentia; ſed plane addit aliquid poſitiuum in ordine ad Verbum. Secundo: natura conſiderata in priori ſigno ante propriam ſubſiſtentiam, non per hoc intelligitur eſſe vnita cum diuina ſubſiſtentia: ergo aliquid poſitiuum addendum eſt. Tertiò: plerique admittunt, poſſe etiam realiter exiſtere & conſeruari naturam abſque propria ſubſiſtentia, & abſque aliena; quod Valentia approbat & concedit: ergo prorſus non ſufficit negatio propriæ ſubſiſtentiæ, ſed addenda eſt vnio poſitiua in humanitate Chriſti ad Verbum. Quarto: ipſamet ſubſiſtentia creata non intelligitur excludi niſi per formam oppoſitam, quæ eſt inexiſtentia in aliena perſona: ergo hæc inexiſtentia, quæ eſt vnio & coniunctio, eſt aliquid poſitiuum. Quintò: actio qua peractum eſt incarnationis myſterium, eſt vtique poſitiua: ergo ponit aliquid in re, vtique vnionem poſitiuam. Sextò: natura carens propria ſubſiſtentia, niſi aliud addatur, non eſſet magis vnita vni quàm alteri perſonæ diuinæ: ergo omnino agnoſcēda eſt vnio

Digitized by Google

vnio poſitiua cum tali perſona diuina.

Eſt aliquid permanēs.

Dico tertiò. Hæc vnio eſt aliquid permanens in Chriſto, & non ſufficit ſola mutatio tranſiens. Probatur primò: nunc & ſemper natura humana eſt permanenter vnita cum perſona diuina, & non ſolùm veluti per denominationem extrinſecam ab aliqua mutatione præterita, ſed per ſe & intrinſece: ergo verè in illa datur vnio permanens. Secundò, illa actio qua factum eſt myſterium incarnationis, ſi ipſa tranſijt, aliquid reliquit, quod antea non erat, & quod potuiſſet non eſſe etiam exiſtente humanitate in ſe: alioqui non magis nunc eſſet vnita humana natura Verbo, quàm fuiſſet vnita ſi extitiſſet ante eam actionem: hoc autem ex actione relictū ac permanens, non poteſt eſſe niſi vnio. Tertiò: poſſet perſona diuina nunc de potentia abſoluta dimittere à ſe humanitatem: ergo aliquid deſineret eſſe, quo nunc natura humana eſt vnita Verbo: vtique vnio, quæ nunc permanet, & ex ratione ſua eſt perpetua ac indiſſolubilis. Quartò: ſic in alijs rebus & actionibus, etiam ſi actio tranſeat, relinquit effectum permanētem; quando permanet mutatio facta in rebus: ergo actio incarnationis, ſi tranſijt, reliquit omnino ſuum effectum permanentem: ſiquidem permanenter exiſtit Chriſtus, qui fuit ex Diuinitate & humanitate compoſitus, quare permanenter etiam exiſtit compoſitio ipſa, quæ eſt formaliter vnio. Quintò tamen, non per hoc determinamus, actionem & productionem vnionis, eſſe à parte rei ab vnione diſtinctam, de quo poſtea ſect. 9. agemus: ſed nunc ſatis eſt, quòd ſi dicatur non diſtingui, ipſa quoque dici debeat permanere in ratione cōſeruationis, ſicut & creatio in ſententia nō diſtinguente actionem à re creata. Et eadem ſect. 9. oſtendemus, non eſſe eandem actionē qua cōſeruetur humanitas ſecundùm ſuam ſubſtantiam: & q. 6. ſect. 1. hanc actionem non exerceri à ſolo Verbo, ſed communiter à tribus perſonis diuinis.

Non eſt qualitas aut alia res abſoluta.

Dico quartò. Hæc vnio non eſt qualitas, aut alia res omnino abſoluta, realiter ab extremis diſtincta. Probatur primò à Suarez diſp. 8. ſect. 2. contra tertiam ſententiam: ex eo quod certum de fide eſt contra Neſtorium, vnionem in Chriſto non eſſe factam accidentaliter, ſed ſubſtantialiter in vnitatem perſonæ. Sed hoc non adhuc conuincit: quia Gabriel non negabat, vnionem eſſe in hoc ſenſu ſubſtantialem: ſed hoc ipſum quod eſt, humanam naturam fuiſſe vnitam Verbo in vnitatem perſonæ, quod Neſtorius negauerat, Gabriel dicebat factum eſſe per quandam qualitatem. Secundò meliùs probatur: quia non poteſt qualitas accidentalis eſſe de intrinſeca ratione ſubſtantiæ, ſiue eſſe ipſamet cōſtitutio ſubſtantialis: cùm Chriſtus Dominus, quatenus compoſitus, verè & propriè ſit ſubſtantia. Tertiò: non apparet quomodo qualitas accidentalis repugnare poſſit cum ſubſiſtentia naturæ ſubſtantialis, ad illam excludendam. Quartò: vnio eſſentialiter dicit ordinem ad extrema, eſt enim aliquorum vnio: ergo non poteſt eſſe forma omnino abſoluta. Quintò: non poteſt vtique ſeparari, ac per ſe exiſtere & conſeruari abſque extremis: ergo non eſt talis res, prout res à modis diſtinguitur. Sextò: ſi hæc qualitas, vel aliud ſimile, ponatur in natura humana, tanquam diſpoſitio, præter quam aliud adhuc requiratur ad vniēda extrema; ſic potiùs hoc aliquid aliud habebit veram ac formalem rationem vnionis. An verò detur hæc præuia diſpoſitio, quæſtione 4. tractabimus.

Non eſt pura relatio aut alius modus accidentalis.

Dico quintò. Hæc vnio non eſt formaliter relatio prædicamentalis, vel alius ſimilis modus accidentalis. Probari ſolet primò ex definitione quadā Quintæ Synodi generalis collat. 8. can. 4. vbi inter alia habetur: *Si quis dicit ſecundùm relationem factam eſſe vnionē Dei ad hominem, anathema ſit.* Hæc tamen definitio prolata fuit contra ſenſum Neſtorij, qui nomine relationis intelligebat habitudinem per modum inhabitationis, aut per modum inſtrumenti cum cauſa principali, aut per modum beneuolentiæ, aut alium ſimilem, excludendo veram vnitatem per-

ſonæ. Secundò probari ſolet ex doctrina philoſophica, quod ad relationem non ſit per ſe motus: ſed per ſe facta fuit actio incarnationis ad hanc vnionem: ergo hæc vnio non poteſt eſſe ſimplex relatio. Tertiò: ſi relatio prędicamentalis à ſuis extremis diſtinguatur, intelligeretur potiùs reſultare & conſequi ex coniunctione humanæ naturæ cum perſona diuina, vt adnotauit Caietanus: ergo ante relationem datur coniunctio & vnio ſubſtantialis. Quarto relatio prædicamentalis ſtatim conſequitur ad poſitionem extremorum, neque requirit aliam mutationē: ſed hæc vnio non ſtatim ſequitur ex eo quod Verbum diuinum exiſtat, & natura humana exiſtat, ſed adhuc aliā peculiarem mutationem requirit, qua natura humana coniugatur Verbo diuino: ergo non eſt de genere eius relationis. Quintò: nullus alius modus accidentalis apparet, in quo hæc vnio conſiſtere poſſit. Propinquitas enim & præſētia localis, quæ apud res creatas inter modos accidentales computatur, non eſt ſufficiens: ſiquidem omnes tres perſonæ diuinæ ſunt realiter præſentes cuicunque naturæ creatæ abſque hac vnione. Nec etiam vllus modus accidentalis poteſt ingredi cōſtitutionem ſubſtantialis compoſiti, vt iam ex concluſione præcedenti conſtabat.

Eſt modus quidam ſubſtantialis.

Dico ſextò. **Hæc vnio eſt modus poſitiuus creatus ſubſtantialis, quo formaliter natura humana cum perſona diuina coniungitur.** Sequitur primò hæc concluſio ex hactenus dictis. Oſtenſum enim eſt, inter hæc duo extrema reperiri hoc, quòd realiter ſunt vnita, & potuiſſent non eſſe vnita, ſed de facto verè vnita ſunt in vnitatem perſonæ: vbi planè hoc eſſe vnita, eſt aliquid in re præter entitatem ipſorū extremorum: aliquid vtique de nouo creatum & poſitiuum: aliquid ſubſtantiale, cùm ſit de intrinſeca ratione perſonæ Chriſti. Et quia nec eſſe nec intelligi poteſt hæc vnio abſque dictis ſuis extremis, manifeſtè apparet, talem vnionem eſſe modum: id eſt non tanquam rem à re, ſed modaliter tantùm à parte rei, ab altero extremo diſtinctam. Itaque, cùm per hoc nomen, modus vnionis, nihil aliud intelligamus, quàm hoc ipſum quod eſt vniri; ſic manifeſtum remanet, dari hunc modum qui eſt formaliter vnio.

Eſt de ordine relationis tranſcendentalis.

Secundò, ad maiorem eius explicationem addendum eſt, hunc modum eſſe quidem abſolutum, quatenus à prædicamentali relatione contradiſtinctum: eſſe tamen tranſcendentaliter relatiuum. Vnio enim eſſentialiter eſt aliquorum vnio, & intrinſecè dicit ordinem ad ipſa extrema vnibilia. Quod ipſum planè intellexiſſe videntur illi Auctores, qui dicebant vnionem eſſe relationem. Imo Scotus & Durand. id ſatis apertè indicarunt. Neque ab hoc ſenſu alienus eſt S. Thomas: præſertim cùm art. 7. in ſolut. ad 2. dicat, in Chriſto verificari, hunc hominem eſſe Deum, ratione vnionis naturæ humanæ ad perſonam diuinā; vnionis nempe quam dixerat eſſe relationem. In quo explicando valde laborat Caietanus: quia videlicet id nō poteſt intelligi ratione vnionis quæ ſit relatio prædicamentalis. At verò intelligendo, vnionem eſſe relationem tranſcendentalem, ſic verum eſt dictū S. Thomæ: non quidem quaſi ipſamet vnio formaliter tribuat eam denominationem, cùm nempe eius denominatio formalis ſit eſſe vnitum: ſed quia ratione ipſius vnionis natura humana denominat Deum eſſe hominem, & è conuerſo natura diuina hominem eſſe Deum.

Differt ab vnitate Chriſti.

Tertiò patet, qualiter hæc vnio differat ab vnitate Chriſti. Vnitas enim formaliter in negatione conſiſtit. Fundamentaliter verò, ſi ſumatur vnitas ſimplex, hæc eſt ipſa vna ac ſimplex perſonalitas Verbi diuini: ſi ſumatur vnitas compoſita, hæc eſt tota entitas vnius Chriſti. Vnio autem ſolùm dicit modum mediantem inter naturam humanam & perſonam Verbi. An verò diſtinguatur à prædicamentali relatione, & quomodo eam fundet, ſi inquam admittantur hæ relationes diſtinctæ; eodem modo definiendum ac explicandum eſt, quo de alijs relationibus.

Quartò. **Hæc eadem formaliter**

vnio,

Digitized by Google

vnio, eſt ſubſtentatio, terminatio, dependentia, inter naturam humanam & perſonam diuinam: non enim ſunt alij modi multiplicandi.

Eſt vnicus modus inter vtrũq; extremum

Quinto concludendum eſt, vnicum eſſe modum vnionis, quo & natura humana eſt vnita Verbo, & Verbum ipſi naturæ: quo ipſa natura humana vnitur immediatè ſubſiſtentiæ diuinę, & quodammodo mediatè naturę diuinę. Non enim poteſt diſtingui alius modus Vnionis in Verbo, & alius in humana natura: quia nullatenus Verbum poteſt eſſe ſubiectum vllius modi aut formę. Solùm ergo poteſt eſſe vnicus modus vnionis in ipſa humana natura. An verò ſit duplex vnio partialis, corporis & animę Chriſti cum perſona diuina, queſt. 5. determinabimus. Ac tandem hęc tota doctrina de ratione huius vnionis, confirmari & explicari magis poteſt exemplo vnionis naturalis inter materiam & formam, de qua tractauimus ſuo loco in Phyſicis.

Coniungit immediatè extrema inter ſe.

Sed obijcies primò. Natura humana eſt immediatè vnita cum perſona diuina: ergo non poteſt aliquid mediare, ratione cuius intelligatur vnita. Reſpondetur, eſſe immediatè vnitam, hoc eſt non alicui tertio, cui etiam perſona diuina vniatur: ſed proximè naturam humanam vniri ipſi ſubſiſtentiæ diuinæ. Hoc ipſum autem quod eſt proximè & immediatè vniri, vocatur modus vnionis. Itaq; excluditur quidem medium in quo ſiat vnio, non tamen excluditur ipſa vnio.

Subſiſtētia creata non indiget diſtincto vnionis modo.

Obijcies ſecundò. Subſiſtentia creata vnitur cum ſua natura abſque alio modo vnionis: ergo etiam ſubſiſtentia increata cum natura humana Chriſti. Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Eſt enim manifeſta diuerſitatis ratio: quia ſubſiſtentia ipſa creata eſt modus ſuæ naturæ, atque adeo per ſuam eſſentiam illi vnitur, ita quòd nõ poſſet non eſſe vnita: at ſubſiſtentia diuina realiter ab humana natura diſtinguitur, & poterat ei non eſſe vnita, & poſſet etiam deinceps ſeparari ac ſeparata exiſtere: quare omnino quod ſit de facto vnita importat aliquid diſtinctum, nempe modum vnionis.

Nec ipſe modus vnionis indiget alio modo.

Obijcies tertiò. Si datur modus vnionis, ipſe rurſus deberet vniri cum extremis alio modo vnionis. Et ſimiliter cùm ipſa vnio aliquatenus dependeat à perſona Verbi, & ad eam terminetur; admittendus erit alius modus dependentiæ ac terminationis. Ac deinceps deberet ſemper addi alius & alius modus modi: & ſic daretur proceſſus in infinitum. Præſtabat ergo ab initio non interponere vllum modum. Reſpondetur, modum vnionis per ſe ipſum eſſentialiter eſſe vnitum, taliter vt prorſus non poſſit eſſe abſque ſuis extremis. Et ita per ſe ipſum dependet ac terminatur. Quare non indiget alio modo. At natura humana non eſt per ſe ipſam eſſentialiter vnita, non per ſe eſſentialiter dependet hypoſtaticè ac terminatur à Verbo: ſed poterat non eſſe vnita, non dependere, non terminari à Verbo. Neceſſe ergo erat interponere primum illum modum: ex quo non ſequitur multiplicatio aliorum modorum: vt paſſim occurrit in alijs huiuſmodi rebus, formis, & modis.

Hic modus terminatur ad ſolum Verbum, ſed efficitur ab omnibus perſonis diuinis.

Obijcies quartò ex Valentia. Quicunque creatus modus ſtare poteſt abſque eo quòd Verbum terminet humanam naturam: ergo nullus extat creatus modus, qui ſit ipſa terminatio ſiue vnio. Probat antecedens: quia omnis creatus modus effectiuè producitur à Deo: ſed Verbum terminare naturam humanam, non prouenit à Deo effectiuè, ſed tantùm prouenit terminatiue ab ipſo Verbo diuino: alioqui, cùm actiones Trinitatis ad extra ſint indiuiſæ, ſequeretur omnes tres perſonas terminare humanam naturam: ergo ſimpliciter non datur ille modus. Reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem, vltrò fatendũ eſt, vnionem ſiue terminationem effectiuè produci ab omnibus tribus perſonis: tamen non omnes tres eſſe vnitas, aut terminare: quia nimirum vnio ac terminatio attingens ſolum Verbum, indiuiſim efficitur ab omnibus diuinis perſonis, vt quæſt. 6. videbimus: & optimè ſtat, vnionem terminari ad ſolum Verbum, & effici ab omnibus tribus perſonis.

Digitized by Google

Non poteſt ſeparari ab humanitate.

Obijcies quintò ex eodem. Si vnio eſt realis quædam entitas, ſiue vocetur modus, ſiue vtcunque; poterit à Deo produci & conſeruari ſeparata ab humanitate, ſiquidem reuera ab illa diſtinguitur: quod tamen ſine dubio eſt abſurdum. Reſpondetur, negando ſequelam: quia hæc vnio à nobis ponitur, tanquam modus, tantùm modaliter ab humanitate diſtinctus, non verò tanquam res a re: ita vt bene potuiſſet eſſe humanitas abſque vnione, non tamen vnio abſque humanitate. Quod ſane non eſt hic nouum, ſed commune in omnibus modis.

Nec à perſona Verbi.

Obijcies ſexto ex eodem. Hæc vnio ſi datur, debet vlteriùs connotare Verbum diuinum vt terminans humanitatem: ergo poſſet conſeruari à Deo abſq; eo quod habeat rationem vnionis. Probat conſequentiam: tum quia producta realitate vnionis, poterit Verbum non adhibere influxum terminatiuum, qui eſt diuerſus ab effectiuo: tum quia omnis realitas connotans aliquid extrinſecum, poteſt remanere abſque connotato, præter quã, inquit in actione & paſſione. Reſpondetur, negando conſequentiam. Et ad primam inſtantiam dicendo, ipſam realitatem vnionis, eſſe influxum terminatiuum Verbi: quare implicat eſſe realitatem vnionis abſq; hoc influxu: & hic ipſe influxus terminatiuus efficitur à Deo, vt ſupra dictum eſt de vnione. Ad ſecundam inſtantiam negatur aſſumptum. Pleraque enim ſunt quæ non poſſunt eſſe abſque ſuis connotatis: non ſolùm actio & paſſio abſque termino, abſque agente & paſſo: ſed in vniuerſum relatio abſque termino, modus abſque ſubiecto. Et huius generis eſt vnio, quæ ſanè nec eſſe nec intelligi poteſt abſque ſuis extremis.

SECTIO SEXTA.

Qualis ſit dicta vnio in ſe ſpectata.

De hac vnione inter perſonam diuinam & naturam humanam in Chriſto, examinandæ ſunt denominationes quædam, quæ licèt quoad rem ſpectent adhuc ad quidditatem ipſius vnionis, tamen de nouo explicandæ ſunt potiùs quoad modum loquendi.

Eſt ſubſtantialis.

Et primò, cùm in ſuperioribus ſtatutum ſit, præcipuè contra Neſtorium, hanc vnionem non eſſe accidentalem per affectum, alioue ſimili pacto, ſed eſſe ſubſtãtialem quoad vnitatem perſonæ, & rurſus ſect. præcedenti oſtenſum ſit, hanc vnionem eſſe modũ ſubſtantialem, ad differentiam relationis prædicamentalis aliorumque ſimilium modorum accidentalium: adhuc Durand. in 3. diſt. 6. q. 4., cui conſentit Paludan. ead. diſt. q. 1. art. 3., in quodam ſenſu aſſerit dici poſſe, naturam humanam vniri & aduenire Verbo diuino accidentaliter, quatenus inquit aduenit ipſi Verbo tanquam enti in actu completo, quamuis abſque inhærentia, ſed vt cadens in ipſum ſecundùm ſuppoſitum.

Hic tamen loquendi modus communiter à Theologis reprobatur, atq; omnino cum S. Tho. art. 6. hæc vnio appellanda eſt ſubſtantialis, non accidentalis. Nempe, vt prorſus non ſolùm in re, ſed etiam in modo loquendi, ab errore Neſtorij recedamus. Et quia Patres & Cõcilia ſic loqui ſolent, vnionem in Chriſto factam eſſe ſecundùm ſubſtantiam. Et interdum expreſsè nominant ſubſtantialem, vt iuxta quaſdam lectiones referunt Suarez diſp. 8. ſect. 1. & Vaſquez diſp. 17. cap. 2. Affert etiam S. Tho. hoc art. in argum. *Sed contra*, alijque antiquiores Scholaſtici afferre ſolebant, ad hoc idẽ comprobandum, decretum quoddam Alexandri tertij in cap. *Cùm Chriſtus* de Hæreticis: vbi contra quoſdam qui dicebant, Chriſtum ſecundùm quod eſt homo non eſſe aliquid, damnauit hunc dicendi modum; reddens rationem, *Quia ſicut Chriſtus eſt verus Deus ita eſt verus homo*. S. Thomas autem refert, decretum Pontificis latum fuiſſe contra quoſdam qui dicebant, Chriſtum ſecundùm quod eſt homo non eſſe quid: quaſi vellent, humanitatem nõ dici ſubſtantialiter, ſed tantùm accidentaliter ad modum qualitatis de ipſo

Digitized by Google

Ipſo Chriſto. Alij verò exponunt, Alexandrum damnare voluiſſe errorem quorundam nouorum Manichæorum, dicentium Chriſtum non eſſe verum hominem, ſed tantùm apparentem. Et Vaſquez diſp. citata cap. 5. exiſtimat, Pontificem damnare voluiſſe vtrunque errorem. Sed ſanè in textu perſpicuè apparet, intentum Pontificis fuiſſe, damnare nouum quendam loquendi modum, qui indicabat vel inducebat nouum errorem, prout S. Thomas & alij priores Theologi aſſerebant.

Probatur etiam concluſio ratione, ſimul quoque deſtruendo fundamentũ Durandi: quia tunc illud quod aduenit enti completo dici debet aduenire accidentaliter, quando ita aduenit vt non conſtituat vnum quid ſubſtantiale: at humana natura ita aduenit Verbo, vt conſtituat vnum ſuppoſitũ ſubſtantiale, vnum Chriſtum: dici ergo debet aduenire ſubſtantialiter, non accidentaliter. Quam ipſam rationem reddit S. Tho. hoc art. ad 2. Quemadmodum id quod aduenit alteri in ſua iam eſſentia conſtituto, ſi non conſtituit aliud totum ſubſtantiale, dicitur aduenire accidentaliter: tamen ſi cõſtituit aliquid ſubſtantiale, dicitur aduenire ſubſtantialiter. Et ſic forma, cùm non ſit de eſſentia materiæ, dicitur adhuc aduenire & vniri materiæ ſubſtantialiter & non accidentaliter: quia nimirum conſtituit cum illa ſubſtantiale compoſitum. Ita pariter natura humana quæ aduenit Verbo ad conſtituendam vnam hypoſtaſim, licet non vnam eſſentiam ſeu naturam.

Probatur demum ex modo denominationis & prædicationis: quia in Chriſto Domino, non ſolùm denominatiuè, ſed ſubſtantiuè ac ſubſtantialiter dicimus, Deus eſt homo, Deus factus eſt homo, Verbum factum eſt caro: itemquè hic homo eſt Deus: ergo omnino hæc vnio dicenda eſt ſubſtantialis. Ideo etiam Sacri Doctores explicare ſolent hanc vnionem exemplo vnionis mediantis inter animã & corpus in homine: & hoc præſertim ad denotandum, quod ſicut hæc, ita & illa, eſt ſubſtantialis quoad conſtitutionem vnius compoſiti ſubſtantialis: licèt per alteram conſtituatur vnum in natura, & per alteram vnum in perſona. Quod verò Patres interdum vtãtur etiam quibuſdam exemplis vnionũ accidentalium, vt ferri igniti, arboris inſitæ, & ſimilibus: id inquam accipiẽdum eſt ſecundùm proportiones quaſdam, quæ aliquo modo ſatis imperfectò in his exemplis conſideratæ ſunt: ita tamen, vt quantum attinet ad rationem vnionis ſubſtantialis, hæc exẽpla omnino diſſimilia cenſeantur.

Secundo deinde, nonnulli Patres dixerunt, hanc vnionem factam eſſe ſecundùm eſſentiam, vocaruntquè vnionem eſſentialem. Ita Nazianz. orat. 51., Damaſcen. lib. 3. Fidei cap. 3., licet iuxta alias lectiones pro vnione eſſentiali habeatur vnio ſubſtantialis. Item Petrus Diacon. lib. de Incarnat. & grat. cap. 3., & Ioannes Maxent. in reſponſ. ad Hormiſd., quæ habetur tomo 5. Biblioth. Patrum. Hoc tamen non vtique intelligitur, quaſi per hanc vnionem conſtituta ſit in Chriſto vna eſſentia ex Diuinitate & humanitate: cùm hi Patres oppoſitum planè docuerint contra Eutichetem. Sed vel intelligendum eſt in hoc ſenſu, quòd eſſentia diuina & eſſentia humana in Chriſto vnitæ ſint mediante ſubſiſtẽtia Verbi. Vel, vt quidam ex iiſdem Patribus expreſſe declarant, vnionem vocarunt eſſentialem, ideſt veram, realem, intrinſecam; & non per habitudinem extrinſecam, aut per quoſdam reſpectus, ſicut volebat Neſtorius. *Interdum dicta eſt eſſentialis.*

Tertiò, cùm in ſubſtantia habeamus & naturam & ſubſiſtentiam, atque hæc vnio appellanda ſit ſubſtantialis; optimè ſanè appellabitur ſubſiſtentialis: nimirum cùm natura humana proximè vnita ſit ſubſiſtentiæ diuinæ ad conſtituendum vnum ſuppoſitum. Et certè hoc ipſum planè eſt, quod deriuatione ſumpta à græco nomine hypoſtaſis, hæc vnio propriè hypoſtatica appellatur. Eodemque ſenſu dicitur vnio perſonalis. *Propriè dicitur hypoſtatica & perſonalis.*

Quartò vlterius, nonnulli Patres hanc vnionem appellarunt naturalẽ. Ita vocatur in Sexta Synodo act. 11. in Epiſt. Sophron., & act. 13. cap. 4., & apud *Interdum dicta eſt etiam naturalis.*

apud Cyrill. Epiſt. 10. anathematiſmo 3. quę approbata fuit in Concil. Epheſino. Ita etiam loquutus eſt Petr. Diacon. loco cit., Fulgent. lib. 3. ad Traſimund. cap. 15., & idem Maxent. in confeſs. fidei quæ habetur eodem tomo 5. Biblioth. Hoc etiam non eſt ita intelligendum, quaſi hæc vnio dicatur naturalis, id eſt neceſſaria, vt malè aliquando intellexit Theodoret. contra Cyrillum: vere enim hoc ſenſu vnio fuit libera, & non naturalis, vt iam q. 1. ſtatuimus. Nec etiam quaſi dicatur naturalis, ad differentiam doni ſupernaturalis: quinimò prorſus manifeſtum eſt, hanc vnionem ſuperare omnem exigentiam & ordinem naturę creatæ, & inter omnes formas ſupernaturales eſſe maximè ſupernaturalē. Sed ſenſus illius loquutionis eſt: vel quod naturæ ipſæ diuina & humana vnitæ ſunt, ſcilicet in vna perſona: vel magis ad mentem eorum Patrum, quòd vnio in Chriſto fuit vera & realis, non ficta & apparens, ita vt reuera Chriſtus ſit Deus & homo. Quo ſenſu quandoque Theologi hāc vnionem vocant phyſicam, ad differentiam vnionis moralis, ſiue per affectum, aut alio ſimili modo.

Quintò demū, poſſet hoc loco quæri, num hæc vnio ſit ſpiritualis an corporea, ſimplex an compoſita, & ſi quæ ſunt alia. De quibus tamen opportuniùs poſtea dicemus, quando diſtinctè loquemur de partibus humanitatis quatenus vnitis Verbo diuino.

SECTIO SEPTIMA.

Qualiter hæc vnio ad alias vniones aliaq; dona ſupernaturalia comparetur.

IN hac comparatione inquirendum eſt, quemnam locum teneat hæc vnio hypoſtatica, tum in ratione vnionis inter alias vniones, tum in ratione dignitatis & excellentiæ inter alia dona ſupernaturalia.

Durand. in 3. d. 5. q. 3. num 7. vult, hanc vnionem in ratione vnionis, non ſolum non eſſe omnium vnionum maximam, quinimò minorem eſſe multis vnionibus, ac ſpecialiter vnione inter materiam & formam: In ratione tamen dignitatis, & propter præſtantiam extremorum quæ vniuntur, eſſe omnium perfectiſſimam. Sed diſt. 2. q. 1. num. 10., in reſponſione ad quoddam argumentum dixerat, vnionem hypoſtaticam non eſſe maius Dei beneficiū ſeu donum, quam omne aliud Dei donum: & præſertim melius ac dignius eſſe, videre Deum per eſſentiā, quàm vniri Deo per ſubſiſtentiam. At ſtatim ipſemet in hac reſponſione non acquieſcens, aliam ſolutionem magis approbat.

Dicendum itaque eſt cum S. Tho. in 3. d. 5. q. 1. art. 1. & hic art. 9., quem ibi ſequuntur Capreol. & Paludan., & hic Caietan. Medina aliíque Recentiores communiter, & cum Alenſi 3. par. q. 7. memb. 2. art. 3., Bonau. in 3. d. 5. q vlt., & Scoto d. 2. q 1. §. *Ad argumenta principalia*, & d. 6. q. 1. §. *Ad argumenta*, hanc vnionem hypoſtaticā eſſe maximam in ratione vnionis inter omnes vniones creatas. Porro autem D. Thomas ait, hanc vnionem eſſe maximam, ex parte eius in quo extrema vniuntur, ſcilicet diuinæ ſubſiſtentiæ: non vero ex parte ipſorum extremorum, quæ ſunt natura humana & natura diuina. Quod Vaſquez diſp. 20. ita intelligit ac defendit, vt Caietan. alioſquè Thomiſtas reprehendat, qui etiam ex parte extremorum hanc vnionem eſſe maximam explicare conantur.

Hæc vnio eſt omniū vnionum maxima.

Et primò quidem, hanc vnionem eſſe aliquo modo inter omnes maximā, probatur auctoritate Patrum, præſertim Bernardi lib. 5. de Conſiderat. ad Eugen., Cyrilli in Scholijs de Incarn. Vnigeniti cap. 7., & Leonis Papæ ſerm. 17. de Paſſione, qui affirmant hanc eſſe maximam vnionem. Et ſpecialiter Bern. clariſſimè loquitur: nec poteſt explicari de ſola præſtantia ſecundum dignitatem, vt Durand. tentauit exponere: cùm apertè loquatur de præſtantia in ratione vnionis.

Secundò. Satis non erit dicere, hanc vnionem eſſe maximam ratione eius in quo fit, ſcilicet ſubſiſtentiæ Verbi, inquan-

Nō ſolum ex parte medij in quo fit.

inquantum nempe hæc ſubſiſtentia eſt maximè vna & ſimpliciſſima ſupra quodcunque ens creatum: vnio autem duorum extremorum in aliquo tertio ſeu medio, eo maior eſt, quo ipſum in quo fit vnio eſt magis vnum ac ſimplex. Hoc inquam non ſufficit. Tum quia non ſolum attendi debet, quanta ſit vnitas illius medij in quo fit vnio, ſed etiam quanta ſit coniunctio extremorum cum ipſo medio: alioqui omnes iuſti ſunt vniti per gratiam cum Deo qui eſt maximè vnus, & non per hoc dicitur maxima huiuſmodi vnio iuſtorũ inter ſe. Tum ex oppoſito hæc ratio nimis probaret: ſcilicet tantam eſſe vnionem duarum naturarum in ſubſiſtentia Verbi, quanta eſt trium perſonarum in eſſentia: ſiquidem tàm vna & ſimplex eſt ſubſiſtentia diuina Verbi, quàm eſſentia ipſa diuina. Illud autem negatur à S. Tho. in ſolut. ad argumentum *Sed contra*, vbi explicat quandam Auguſt. auctoritatem. Tum præterea, ſi conſideremus vniones creatas: plurimæ ſunt per quas non vniuntur extrema in quodam tertio, ſed immediatè inter ſe, qualis ſpecialiter eſt vnio inter materiam & formam; non poteſt ergo ex hac parte præferri vnio hypoſtatica alijs vnionibus. Tum inſuper conſiderare poſſumus vnionem prout eſt inter naturam humanam & ſubſiſtentiam Verbi: quo pacto non poteſt ea ratione ſaluari, hanc vnionẽ eſſe maximam. Hæc ergo ratio accipienda ſolùm eſt de vnione inter naturam diuinam & naturam humanam, in comparatione ad eas vniones creatas quæ fiunt in aliquo tertio ſeu medio. Addendo vlterius, hanc hypoſtaticam vnionem eſſe veram vnionẽ, & eſſe ſubſtantialem: ad differentiam inquam, tùm eius quæ eſt trium perſonarum cum eſſentia Dei; quæ ſanè non tàm eſt vnio, quàm potiùs ſimpliciſſima vnitas & identitas: tum eius vnionis quæ eſt iuſtorum cum Deo per gratiam, quæ non eſt hoc pacto ſubſtantialis. Et ſic quidem ea ratio probat, vnionem hypoſtaticam eſſe maiorem omni alia vnione creata quæ eſt aliquorum extremorum in vno tertio; cùm nempe nullum aliud medium in quo fit vnio reperiatur, tàm vnum & ſimplex, quantum ſubſiſtentia Verbi.

Tertiò, iam ſaluandum eſt, aliquo modo hypoſtaticam vnionem eſſe maximam, etiam ex parte eorum quæ vniuntur, ſiue conſideremus duas naturas vt vnitas media ſubſiſtentia, ſiue ſubſiſtentiam Verbi & naturam humanam immediatè inter ſe vnitas. Idquè ſic oſtenditur. Hæc vnio, cùm ſit ſubſtantialis, eſt ſine dubio maior omni vnione accidentali. Inter vniones vero ſubſtantiales, præcipuę ſunt, vnio inter materiam & formam ad faciendũ compoſitum, & vnio inter naturam & ſubſiſtentiam ad conſtituendum ſuppoſitum. Hæc autem eſt maior quàm illa, non ſolùm quia eſt vltima: ſed etiam quia ſubſiſtentia creata per ſe ipſam afficit naturam; & non diſtinguitur ab ea realiter tanquam res à re: materia verò & forma inter ſe realiter diſtinguuntur, & non per ſe ipſas ſed per modum ſuperadditum coniunguntur. At vnio hypoſtatica eſt in genere vnionis inter naturam & ſubſiſtentiam: ergo ex hac parte excedit vnionem inter materiam & formam. Quamuis enim ſubſiſtentia Verbi, non vt modus, ſed vt vera res vnitur humanæ naturæ: certè tamen ſupplet vicem modi, vnitur loco ipſius modi ſubſiſtentiæ creatæ: vnde hoc ipſo talis vnio eſt in ſe ipſa maior, quàm vnio inter materiam & formam. In ipſo demum genere vnionis inter naturam & ſubſiſtentiam, hæc vnio hypoſtatica eſt maior omni alia, ac proinde eſt maxima omnium vnionum: quia vtique natura diuina & ſubſiſtentia Verbi, eſt magis vna ac ſimplex, quàm quodcunque aliud extremum in alijs creatis vnionibus, quàm quæcunque natura & ſubſiſtentia creata. Quæ vnitas conſequenter confert maiorem vnitatem vnito ſeu compoſito. Et vnio eo eſt maior, quo verſatur inter ea quæ ſunt magis vnum, ſeu quo conſtituit compoſitum magis vnum.

Sed etiam ex parte extremorũ inter quę fit.

Quartò rurſus, vnitas ſuppoſiti, quæ ex natura diuina & humana conſurgit in Chriſto; tanta eſt; vt veriſſimè liceat affirmare, Deus eſt hic homo, hic homo eſt Deus, ſiue idem ipſe Chriſtus

eſt

eſt Deus & homo: quę tanta prædicationis identitas in nulla alia compoſitione & vnione reperitur: ergo ex hac parte, vnio hypoſtatica tantam præbens vnitatem & identitatem, præferenda eſt in ratione vnionis omnibus alijs vnionibus.

Explicatur S. Thomas.

D. Thomas autem, quando dixit hanc vnionem non eſſe maximam ex parte extremorum, ſiue ex parte naturarum, ſic explicari debet. Quòd ſi conſideremus aptitudinem & proportionem inter naturam diuinam & naturam humanam, ad hoc vt inter ſe non mediante aliquo tertio vnirentur; hinc non haberemus maximam vnionem. Sed ſi conſideremus, quatenus ipſæ naturæ media diuina ſubſiſtentia vniantur, ſic eſſe maximam vnionem. Ita vt, ſicut Caiet. bene notauit, S. Tho. non negauerit, vnionem ipſam duarū naturarum, prout de facto fit mediante ſubſiſtentia Verbi, eſſe maximam etiam ex parte extremorum in ordine ad ſubſiſtentiam in qua vniuntur: ſed ſolùm negare voluerit, vnionem quæ conſideraretur immediatè inter vtramque naturam eſſe maximam.

Eſt quoque omniū donorum ſupernaturalium maximum.

Deinde aſſerendum pariter eſt, hypoſtaticam vnionem in ratione doni eſſe maximam inter omnia ſupernaturalia dona. Ita D. Tho, hîc art. 10. ad 1. & art. 11. in corp., & q. 4. art. 1. ad 3. Item Alenſ. 3. par. q. 12. art. 1. memb. 1., Henric. Quodl. 6. q. 6., & Quodl. 13. q. 5., Scot. in 4. d. 49. q. 2. §. *Ad hanc*, Albert. in 3. d. 2., Bonau. ead. diſt. art. 1. q. 1., Caiet. hîc q. 4. art. 1., Suarez diſp. 9. ſect. 2., Vaſq. diſp. 20. cap. 4., alijque Recentiores hoc loco communiter. Idemque ſatis apertè indicauit Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 5., *Prædeſtinata eſt illa natura humana tàm excelſa & ſumma ſubuectio: vt quò attolleretur altius non haberet*. Imò & Apoſtolus ad Hebr. 5., *Tantò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*.

Ratione quoque ſuadetur facilè; quia per hanc vnionem ipſamet diuina perſona increata communicatur humanæ naturæ, non ſolùm prout alijs iuſtis & beatis communicatur per gratiam & gloriam in ratione obiecti, vel alio ſimili modo; ſed intrinſecè & formaliter ad conſtitutionem vnius ſuppoſiti, nempe Chriſti: ergo hoc donū vnionis hypoſtaticæ eſt maius & nobilius omni alio ſupernaturali dono. Et ampliùs confirmatur: quia nullū aliud Dei donum eſt, quo fiat vt homo verè fit ac dici poſſit Deus, ſicut per hanc vnionem factum eſt. Qua eadem factum quoque eſt, vt opera humana Chriſti Domini ſint infiniti valoris: quod neque a gratia ſanctificante, neque ab alia quacunque ſupernaturali forma præſtatur. Et alia etiam pro hac re ſumi poſſunt ex dictis quæſt. prima.

Maior eſt hæc vnio quàm inter materiam & formam.

Objicies primò ex Durando, vnionē ex materia & forma eſſe hypoſtatica vnione maiorem: quia per illam fit vnum in eſſentia, quod per hanc non fit. Et inſuper ex D. Tho. hîc arg. 3., ex anima & corpore fit non ſolum vnum in eſſentia, ſed etiam in perſona: ex diuina autem & humana natura fit vnum tantùm in perſona. Addit Durandus: materia & forma ita ſe habent vt non poſſint ſeparari, ſaltem ſcilicet materia ab omni forma: quæ inſeparabilitas inter diuinam & humanam naturam non reperitur.

Reſpondetur, maiorem omnino eſſe vnionem qua fit vnum in perſona in Chriſto, quàm vnionem qua fit vnum in eſſentia ex materia & forma. Neque certè, per eandem ipſam vnionem materiæ & formæ fit formaliter vnum in perſona: ſed requiritur alia vnio inter naturam & ſubſiſtentiam ad conſtitutionem perſonæ. Verum etiam eſt, quod reſpondet S. Tho. ad illud 3. argumentum: maiorem adhuc eſſe vnionem qua fit ſimul vna natura & vna perſona in alijs hominibus: ob ſupremam nempe vnitatem diuinę perſonę, quæ non ſolùm ſingulas, ſed & omnes alias vnitates excedit. Inſeparabilitas etiam illa quam Durandus addebat, non verificatur in ordine ad Dei potentiam abſolutam: & vtcumque ſit, prouenit ex imperfectione potiùs materiæ, quàm ex perfectione vnionis.

Nō obſtat diſtantia naturæ humanæ à na

Objicies ſecundò: Natura diuina & humana maximè diſtant inter ſe; alia verò extrema creatarum vnionum habent connaturalem proportionem

& ha-

Digitized by Google

tura & ſubſiſten-tia diuina

& habitudinem. Hac ratione, Vaſq. num. 11. efficaciter probari putat, hypoſtaticam vnionem non eſſe maximā ex parte extremorum quæ coiunguntur. Sed certè ſi hæc ratio id probaret, non minùs oſtenderet, vnionem hypoſtaticam nec eſſe maximam ex parte eius in quo fit vnio. Nam inter naturam humanam & ſubſiſtentiam diuinam Verbi, eſt quoque maxima diſtantia quæ in argumento affertur.

Reſpondetur ergo, licet entitatiuè Deus & creatura maximè diſtent, tamen quoad rationem vnionis natura humana habet proportionem ſaltem obedientialem, vt coniugatur cum ſubſiſtentia Verbi, & ea mediante cum natura diuina. Neque vero proportio naturalis quæ in extremis aliarum vnionum reperitur, dici debet maior quàm proportio hæc obedientialis naturæ humanæ ad vnionem cum perſona diuina. Sed ſolùm hæc ratio probat, naturam humanam & diuinam inter ſe non poſſe immediatè vniri, quia non habent proportionem. Et ſic intelligi debet S. Tho. in ſolut. ad hoc ipſum argumentum quod ſecundo loco propoſuit.

Maior etiā eſt hæc vnio quàm inter naturam & ſubſiſtentiam creatam.

Obijcies tertiò. Subſiſtentia creata cum ſua natura vnitur immediatè per propriam eſſentiam, & identificatur cum ea realiter, ac ſolùm diſtinguitur modaliter: quare cum minorem habeat à natura diſtinctionem, maiorem conſtituet vnitatem. Sed diuina ſubſiſtentia non niſi mediante alio vnionis modo coniungitur humanæ naturæ, à qua realiter diſtinguitur: ergo minor eſt vnio hypoſtatica, illa vnione quæ inter creatam ſubſiſtentiam & naturam reperitur.

Reſpondetur, hac ratione probari, vnionem modi cum re in vniuerſum eſſe hoc pacto maiorem vnione rei cum re: & tamen conſtat, maiorem eſſe vnionem inter materiam & formam, quàm inter modum accidentalem & eius ſubiectum. Itaque admittendum eſt, vnionem modi cum ſubiecto, & ſubſiſtentiæ creatæ cum ſua natura, eſſe penes dictam conſiderationem ſecundùm quid maiorem vnione ſubſiſtentiæ diuinæ cum natura humana. At ſecundùm aliam conſiderationem, ob ſummam ſcilicet vnitatem eiuſdem ſubſiſtentiæ diuinæ, dici debet vnio hypoſtatica ſimpliciter eſſe maior in ratione vnionis.

Maius eſt hoc donum quàm viſio Dei, ſeu beatitudo, & gratia ac gloria.

Obijcies quartò ex Durando, vnionē hypoſtaticam non eſſe maius bonum quocunque alio dono ſupernaturali: quia ſi vt dicitur ab Auguſt. in lib. de Sancta virginit., melius eſt concipere Deum mente quàm ventre; melius quoque erit, videre & frui Deo per eſſentiam, quàm vniri Deo per ſubſiſtentiam.

Reſpondetur, longè diſparem eſſe rationem de vnione hypoſtatica cum diuina perſona, quæ vnio conuenit Chriſto, ac de conceptione Dei incarnati quæ conuenit B. Virgini. Non enim ita Deus communicatur matri concipienti, ſicut humanitati cui vnitur in vnitatem perſonæ: neque ita eleuat, ſanctificat, deificat matrem concipientem, ſicut humanitatem aſſumptam, vt in ſequentibus apparebit.

Obijcies quintò. Beatitudo eſt ſummum bonum rationalis creaturæ: ergo eſt maius bonum hypoſtatica vnione. Reſpondetur, eſſe ſummum bonum, quod creaturis rationalibus obuenire ſolet, & ad quod conſequendum tendere ac niti poſſunt, quia ad beatitudinem obtinendam ordinatæ ſunt. At abſolutè & in ſe vnio hypoſtatica eſt maius bonum: quare autem non habeat beatitudinis rationem, ſuo loco 1. 2. explicauimus.

Obijcies ſextò. Maius bonum eſt illud quod proprium eſt creaturis rationalibus, quàm illud quod etiam irrationalibus poteſt eſſe commune: ſed gratia ſanctificans, gloria animæ, & alia huiuſmodi, ſunt propria creaturis rationalibus, vnio autem hypoſtatica cum diuina perſona, poteſt etiam irrationalibus eſſe communis: ergo. Reſpondetur, maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, contra quam plures afferri poſſunt inſtantiæ. Et præſertim quia alioqui probaret, non ſolùm eas ſupernaturales perfectiones, ſed etiam potentias vitales, ſenſitiuas ac vegetatiuas, earumque actus, eſſe hypoſtati-

ca

ca vnione digniores, cùm ſint propriæ viuentium, & vnio hypoſtatica etiam non viuentibus communicari poſſit.

SECTIO OCTAVA.

Quomodo ſe habeat hypoſtatica vnio ad perſonam diuinam, ad naturam humanam, & ad Chriſtum.

Ineſt naturæ humanæ, terminatur ad perſonam diuinam.

Dicendum in primis eſt, vnionem hypoſtaticam ſubiectiuè eſſe in humana natura, eamquè immediatè afficere, ſed terminari ad diuinam perſonam. Hic eſt communis ſentiendi ac loquendi modus. Et probatur manifeſte ita eſſe: quia vnio debet eſſe in extremis quæ inter ſe coniunguntur, vel in eorum aliquo: ſed hæc vnio nõ poteſt eſſe in diuina perſona: Deus enim ob ſuam immutabilitatem non poteſt vllam formam aut modum in ſe de nouo admittere: cùm ſit actus purus, non poteſt vllius formæ aut modi eſſe ſubiectum: ergo hæc vnio ſolùm eſt in humana natura: & ita hoc ipſo terminatur ad diuinam perſonam. Accedit, quod cùm modus ſubſiſtentię creatæ afficiat ipſam naturam, debebat quoque modus vnionis ad alienam ſubſiſtentiam, afficere eandem naturã.

Adhuc perſona diuina propriè & intrinſecè vnitur humanitati.

Optimè autem cum hoc ſaluari poteſt, tàm verè & propriè diuinam perſonam eſſe vnitam humanæ naturæ, quàm hæc eſt vnita illi. Cùm enim vnio eſſentialiter ſit duorum vnio, non poteſt intelligi hoc extremum vnitum illi, & illud non vnitum huic. Neque diuina perſona denominatur vnita ſolùm relatione rationis ad humanam naturam, vt nonnulli loquuntur. Nam perſona diuina verè & realiter eſt vnita humanitati: quamuis poſſit etiam ab intellectu noſtro quædam relatio in diuina perſona confingi. Sed diuina perſona denominatur vnita eadem ipſa vnione reali quæ ineſt humanitati. Et ita ab eadem vnione ambo extrema denominantur vnita, vnum quidè ſubiectiuè, alterum terminatiuè.

Saluandum quoque eſt, diuinam perſonam eſſe intrinſecè humanitati vnitam. Quod explicatur facilè: quia licet vnio non ſubiectetur, ſed tantùm terminetur ad ipſam diuinam perſonã: tamen nõ per hoc terminatur extrinſecè ad inſtar aliarum habitudinum; ſed terminatur intrinſece, nempe in ratione intimæ coniunctionis, ad conſtitutionem vnius compoſiti ſubſtantialis, cui tàm perſona diuina quàm natura humana eſt prorſus intrinſeca. Diciquè poteſt perſona diuina non minùs intimè & perfectè vniri humanitati, quàm humanitas ipſi perſonæ: quia videlicet tam intimè & perfectè ſe habet perſona diuina in ratione terminandi, quàm humanitas in ratione ſubiectandi vnionem.

Valde differt hæc vnio ab vnione & ſubſtentatione naturali.

Videtur tamen huic aſſertioni obſtare exemplum ſubſtentationis & vnionis phyſicæ inter materiam & formam corpoream: vt enim ſuo loco Philoſophiæ dicebamus, hic modus quo materia ſubſtentat formam, ineſt ipſi materiæ: ſed ſic eſt quod diuina perſona per hypoſtaticã vnionem dicitur ſubſtentare naturam humanam: ergo hic modus ineſſe debet ipſi perſonæ diuinæ. Certe tamen eſt longe diuerſa ratio inter vnum & alium modum. Nam per illum modum vnionis & ſubſtentationis naturalis, forma dependet à ſubiecto in genere cauſæ materialis: quæ proinde cauſalitas debet in eodem cauſandi genere mediare inter materiam & formam, atque adeo debet ſubiectari in materia, non in forma. Dependet forma corporea à materia in exiſtendo: quare modus ſubſtentationis non poteſt ſupponere exiſtentiã formæ, ad hoc vt ſubiectetur in ipſa forma. At verò vnio hypoſtatica inter perſonam diuinam & naturam humanam, non hoc pacto ſe habet, vt mox dicemus. Neque natura humana ſubſtentatur à Verbo, quaſi dependens, ad hoc vt ſimpliciter exiſtat: ſed potiùs cùm ſupponatur antecedenter exiſtere, vnitur Verbo ad hoc vt in ipſo ſubſiſtat. Et in hoc ſolùm ſenſu dicitur ſubſtentari à Verbo. Quinimò, cum ipſa natura humana compleatur ac terminetur per vnionem ad Verbum quoad hoc potiùs ipſa aſſimilatur ſubiecto, vt debeat in ſe recipere vnionem.

Secundò,

Digitized by Google

Non conſtituit, ſed imitatur naturalem cauſalitatem.

Secundò, hinc dicendum rurſus eſt, hypoſtaticam vnionem non conſtituere veram & mutuam cauſalitatem in genere cauſæ materialis & formalis inter perſonam diuinam & naturam humanam. Patet manifeſtè: quia neque perſona diuina ſubiectat in ſe aut informat naturam humanam, neque natura humana perſonam diuinam. Cogitari tamen poteſt in hoc myſterio aliqua proportio, licèt valde diminuta, cum habitudine materiæ & formæ. In hoc enim quòd perſona diuina dicitur ſubſtentare naturam humanam, habet quandam denominationem ſimilem cauſæ materiali: ſed tamen longè diuerſo modo. Quatenus autem eadem perſona diuina complet ac terminat, ac poteſt dici quodammodo actuare naturam humanam, aſſimilatur aliquatenus cauſæ formali. Et ita pariter humana natura comparabitur vel cum cauſa formali, vel cum cauſa materiali.

Eſt intrinſeca Chriſto Domino.

Tertiò dicendum eſt, vnionem hypoſtaticam eſſe intrinſecam Chriſto Domino. Colligitur ex S. Thoma hac quæſt. art. 5. & infra q. 50. art. 4., vbi ex doctrina Patrum aſſerit, vnionem inter animam & corpus eſſe de intrinſeca hominis ratione: eodem nanque modo vnio diuinæ naturæ ſeu perſonæ cum humana natura dici debet de intrinſeca ratione Chriſti. *Sicut enim anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Et ratione patet: quia abſque hac vnione non eſſet Chriſtus Deus & homo. Et hæc vnio eſt formaliter cōpoſitio qua conſtitutus eſt Chriſtus: quæ compoſitio & conſtitutio, vtique eſt de intrinſeca ratione compoſiti & cōſtituti.

An ſit etiā illi eſſentialis & naturalis.

Quartò quæri poteſt, num hæc vnio non ſolum dici poſſit ſubſtantialis & intrinſeca Chriſto: ſed etiam illi eſſentialis & naturalis. Et quidem ſi nomine eſſentialis, intelligatur idem quod ſubſtantialis: poteſt ſic dici. Sed quia poſſet hoc nomine indicari, hanc vnionem eſſe de eſſentia Chriſti: & rurſus cùm non ſit de eſſentia naturæ diuinæ in ſe, nec naturæ humanæ in ſe; poſſet quis inferre, ex natura diuina & humana in Chriſto conſtitutam eſſe vnam tertiam eſſentiam & naturam, quod eſt contra fidem. Ideo non debet abſque ſufficienti explicatione vſurpari modus ille loquendi. Et idipſum obſeruandum eſt de nomine naturalis, prout cum eſſentiali coincidit. Si verò ſumatur pro co quod oritur ex principijs naturæ: ſic loquendum eſt cum S. Tho. art. 12., nempe hanc vnionem non eſſe naturalem, ſed ſupernaturalem reſpectu humanæ naturæ Chriſti, eſſe vero naturalem reſpectu diuinæ naturæ & perſonæ. Si demum hæc vnio dicatur in hoc ſenſu naturalis Chriſto, quòd à principio ſuæ natiuitatis & conceptionis ei conuenit: ſic omnino affirmari debet, vnionem hypoſtaticam eſſe Chriſto Domino naturalem.

SECTIO NONA.

Quid ſit Incarnatio quoad productionem qua facta eſt vnio, & conſtitutus Chriſtus.

HÆC productio ſeu actio vocari etiam ſolet vnio, qua factum eſt vt vniretur perſona diuina cum natura humana: & ſic dicimus, Deus vniuit naturam humanam Verbo; & communiter dicere ſolemus, cauſa efficiens vnit formam materiæ. Magis tamen propriè loquendo, & ad tollendam ambiguitatem, hæc productio vocabitur vnitio, ideſt vnionis productio, ſeu compoſiti per vnionem conſtituti. Ita adnotauit benè Durand. in 3. d. 5. q. 3. num. 4.

Eandemquè productionem, aſſumptionis nomine intelligi, docet S. Tho. hîc art. 8. Sed tamen aſſumptio addit aliquid, & connotat perſonam diuinā terminantem naturam humanam: quia nimirum aſſumptio dicitur quaſi ad ſe ſumptio. Vnde dicere non poſſimus, Pater aſſumpſit naturam humanam, ſed ſolùs Filius humanitatem aſſumpſit. Omnes tamen tres perſonæ dicuntur vnionem effeciſſe: & ſic etiā dicere debemus, omnes tres perſonas vniuiſſe naturam humanam Verbo, ſed ſolum Verbum, vniuit naturam humanam

nam

Digitized by Google

nam ſibi, ſicut dicimus ſolum Verbum incarnatum eſſe. Inter aſſumptionem vero & incarnationem conſtituit hoc diſcrimen S. Tho. eod. art. ad 3., quod aſſumptio magis connotat ſeu exprimit perſonam, incarnatio vero magis naturam quæ vnitur.

Eſt actio poſitiua realis.

De hac ergo productione ſtatuendũ eſt, verè eſſe aliquid poſitiuum reale, ſicut de vnione dictum eſt: quod proinde noua probatione non indiget. Et non eſſe propriè creationem: ſiquidem ſupponit ordine naturæ humanitatem in qua fit vnio. Neque proprie eductionem: quia humana natura non habet potentiam naturalem reſpectu vnionis, ita vt dici debeat de tali ſubiecti potentia educi vnio. Neque etiam appellandam eſſe infuſionem; quo nomine vtimur reſpectu gratiæ habitualis & ſimilium formarum ſupernaturalium. Infuſio enim proprie dicitur in ordine ad ſubiectum rationale, vt ex vſu conſtat: cùm tamen etiã natura irrationalis poſſit aſſumi. Satis ergo erit, hanc productionem proprijs ſuis nominibus appellare, aſſumptionem, incarnationem, ſiue etiam hypoſtaticam actionem.

Non debet ab eadem vnione diſtingui.

Deinde, non apparet quidem neceſſitas diſtinguendi hanc actionem & productionem ab vnione ipſa quę producitur. Signum enim diſtinctionis eſſet, quando terminus poſſet ſtare ac permanere abſque ſua actione: ſed certè vnio hypoſtatica, ſicut ab initio producta eſt, ſic ſemper deinceps conſeruatur à Deo. Et videtur hæc res valde ſimilis creationi & conſeruationi rerum à Deo, quam 1. par. ſuo loco dicebamus, non oportere à re creata & conſeruata diſtingui.

Debet omnino ab humanitatis productione diſtingui.

At omnino dici debet hęc productio hypoſtaticæ vnionis diſtingui à productione qua facta eſt & conſeruatur ipſa humanitas Chriſti ſecundùm ſe cõſiderata: vt communiter ſupponunt Theologi, quamuis oppoſitum excogitauerit Abra de Incarn. diſp. 1. cap. 3. q. 2. Et probatur primò: quia eadem

Prima ratio.

ſingularis humanitas poterat vtique à Deo produci & conſeruari, & non vniri. Ac poſſet quæcunque ſimilis natura, prius tempore producta, poſtea de nouo vniri. Omnino ergo alia eſt productio naturæ, & alia vnionis. Hac ratione id probat Durand. in 3. d. 5. q. 2. num. 4. Quæ plane quidem demonſtrat, productionem vnionis non poſſe confundi cum illa humanitatis productione, qua communiter produci ſolet humana natura in ſe. Si quis tamen diceret, productionem humanitatis Chriſti non eſſe eiuſdem generis & rationis, qua producitur omnis alia humana natura, ſed intrinſecè inuoluere ordinem dependentiæ ſiue terminationis hypoſtaticæ ad diuinam perſonam: non ſatis poſſet hoc argumento conuinci.

Secunda ratio.

Secundo ergo vlteriùs probatur aſſertio: quia ſi ſupponatur vnio produci à Deo immediatè per ſuam eſſentiã, nõ adiungendo aliam actionem diſtinctam: & ſimiliter ſupponẽdo, animam rationalem, ac etiam materiam primam immediatè per ſuam eſſentiam abſque alia actione diſtincta creari & conſeruari à Deo, vt modò iam dicebamus: Sic planè non poteſt eſſe eadem actio, qua producta fit vnio hypoſtatica, & qua producta fit humanitas Chriſti in ſua entitate. Non poteſt productio humanitatis Chriſti dici diuerſæ rationis ab ea actione qua omnis alia humana natura producitur: alioqui & materia ipſa & anima Chriſti eſſet diuerſæ rationis à materia & anima aliorum hominum. Accedit, quod materia corporis Chriſti non fuit tunc primo creata, ſed antea erat & conſeruabatur ſub alia forma: ergo non potuiſſet productio ſeu conſeruatio materię variari, ad hoc vt fieret diuerſę rationis, permanente adhuc eadem ſingulari materia.

Tertia ratio.

Tertio. Si dicatur vnio produci actione à ſe diſtincta, & ſimiliter humanitas & omnis alia res creari & conſeruari actione à ſe diſtincta: ex alio capite non poterit eadem indiuiſa actio attingere plures diſtinctos terminos: ſed omnino ſicut ſunt diſtincti termini, ita & debent actiones diſtingui: igitur diſtincta eſt actio qua producta eſt vnio, ab ea qua producta fuit humanitas Chriſti.

Quarta ratio.

Quartò. Actio qua producitur humana

Digitized by Google

mana natura, vtique cauſalitatis ordine non eſt poſterior ipſa natura: ſed vnio humanitatis Chriſti cum perſona Verbi, eiuſque productio, ſupponit humanitatem exiſtere, vt ſumitur ex D. Tho. q. 4. art. 2. & q. 6. art. 4. Et facilè patet: priùs enim ordine naturæ & rationis intelligimus naturam humanã in ſe eſſe, quàm vniri Verbo: ſicut & omnem aliam ſubſtantialem naturam, priùs intelligimus exiſtere quàm ſubſiſtere. Ergo non poteſt vnionis productio, cum humanitatis productione confundi.

Quinta ratio. Quintò. Subſiſtentia creata vniuſcunque naturæ ſubſtantialis, non coincidit cum actione productiua eiuſdem naturæ, quaſi hæc ipſa actio haberet vim ſuſtinendi ſeu terminandi eandem naturam in ratione ſuppoſiti, ſed præter naturam productam additur alius ſubſiſtentiæ modus. Ergo ſimiliter illa natura quæ alienæ ſubſiſtentiæ coniũgitur, ſuccedente hac vnione in locum propriæ ſubſiſtentiæ, non ſuamet productione poteſt intelligi habere ordinem terminationis ad ſubſiſtentiam alienam, ſed diſtinctus modus vnionis additur. Ita vt, ſicut eadem certè ſubſtantialis natura poteſt vel cum propria vel cum aliena ſubſiſtentia iungi; ita quoque eadem productio ſeu conſeruatio naturæ inuariata permaneat, & permutatio ſolùm ſit, à ſubſiſtentia propria quæ naturaliter deberet adeſſe, in vnionem cum ſubſiſtentia aliena.

Sexta ratio. Sextò. In rebus naturalibus diſtincta eſt actio qua producitur forma in ſe, & qua ſit eius vnio in ſubiecto, quãdo productio formæ eſt creatio, vt ſtatuimus quæſt. 26. Philoſ. ſect. 5. Ergo & in hoc myſterio eſt duplex actio diſtinguenda. Cum alioqui illi ipſi qui actionem productiuam & vnitiuam formæ confundunt, diſcrimen aliquod aſſignare contendant, quo actionem productiuam & vnitiuam humanitatis Chriſti diſtinguant, vt refert Vaſq. diſp. 7. cap. 2. Tantò magis ergo ſuppoſita illa duplici diſtincta actione, debet hic duplex diſtincta actio conſtitui.

Explicantur quædam verba Leonis. Neque aduerſus hanc aſſertionem obſtat dictùm Leonis Papæ Epiſt. 11., *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt priùs creata poſtea aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur*. Et Fulgentij lib. de Incarn. & grat. cap. 3., *Ipſa acceptio carnis eſt conceptio Virginis:* vbi per acceptionem carnis intelligitur actio vnitiua, per conceptionem Virginis actio productiua. Hæc inquam non obſtant: quia hi Patres dicere ſolùm voluerunt, ſimul tempore humanitatem Chriſti fuiſſe productam & vnitam: contra illos Hæreticos qui iactabant, Chriſtum aliquando fuiſſe purum hominem, & poſtea factum fuiſſe Diuinitatis participem. Itaque illa verba Leonis, *Vt ipſa aſſumptione crearetur*, non ſunt accipienda identicè, ſed concomitanter: ac ſi dixiſſet, in ipſa aſſumptione, ſeu tunc cùm aſſumpta eſt, ſimul creata fuit. In quo eodem ſenſu planè ſeipſum explicauit Fulgent., ſubiungens: *Hanc carnem tunc ex ſe natura Virginis concipientis exhibuit, cùm in eam Deus concipiendus aduenit: non eſt igitur aliquod interuallum temporis exiſtimandum inter concepta carnis initium & concipienda Maieſtatis aduentum.*

SECTIO DECIMA.

Quinam ſint huius productionis Termini.

SATIS notum eſt, quod ex primis Philoſophiæ rudimentis ſupponimus, duplicem eſſe mutationis ſeu productionis terminum, nempe terminum ad quem, & terminum à quo. Ac rurſus terminum ad quem, alium eſſe totalem & adæquatum, alium eſſe formalem.

S. Thomas hac quæſt. art. 8. docet, aſſumptionem deſignare terminum à quo & ad quem: quatenus aſſumptio dicitur quaſi ad ſe ſumptio. Caiet. ſuper eundem art. prope finem declarat, ſecundùm vim nominis quod eſt aſſumptio, terminum ad quem eſſe perſonam diuinam, terminum à quo eſſe naturam humanam. At 9. *Ad tertium dubium* docet, ſecundùm rem aſſumptionis, quoad rationem actionis, terminum ad quem eſſe hoc quod Deus factus eſt homo: contendens contra

Digitized by Google

Scotum & Durandum, non eſſe modum relatiuum vnionis. Vaſq. diſp. 19. cap. 2. vult, terminum ad quem formalem abſolutè aſſignari debere humanitatē: & cap. 3. terminum à quo eſſe carentiam humanitatis in Verbo.

Terminus ad quem totalis, eſt Chriſtus.

Pro reſolutione dicendum eſt, terminum ad quem totalem & adæquatum, eſſe compoſitum ipſum ex duabus naturis in vna ſubſiſtentia, ſiue eſſe Chriſtum ipſum Deum & hominem. Patet: quia hic terminus per incarnationem productus eſt, eſtque totalis & adæquatus, ad quem tota actio ordinatur. Et ita patet in omni alia productione, in qua plura iunguntur ad conſtituendum aliquid vnum: terminus enim totalis & adæquatus, eſt ipſum compoſitum & conſtitutum.

Terminus ad quem formalis, qui de nouo fit, eſt vnio.

Secundò. Terminus formalis ad quē, intelligi poteſt is qui formaliter de nouo incipit, ſeu recipit eſſe per productionem, vt explicauit Durand. in 3. d. 5. q. 2. num. 7. Et in hoc ſenſu terminus formalis ad quem huius actionis dicetur modus ipſe vnionis, vt benè ſentit Durand. Hic enim vnionis modus eſt, de quo hæc explicatio optimè verificatur. Cùm de reliquo perſona diuina ab æterno præextitiſſet ante hanc productionem. Et natura humana, licet ſimul tempore producta fit, tamen non eſt producta formaliter per actionem vnitiuam, & aliquo pacto ordine naturæ & rationis antecedenter ſupponitur. Nec obſtant ea quæ Caiet. opponit: ſupponunt enim vnionē eſſe modum relatiuum, quaſi prædicamentalem & accidentalem: at nos ſupponimus eſſe modum ſubſtantialem tranſcendentaliter relatiuum, quique optimè poſſit terminare productionē.

Qui ſe habet per modū formæ, vno modo eſt natura humana, altero ſubſiſtentia diuina.

Tertiò. Terminus formalis ad quem, intelligi poteſt, qui ex duobus extremis ad compoſitionem conuenientibus ſe habet tāquam forma, ad quam aliud extremum tanquam ſubiectum tranſire intelligatur. Quo ſenſu terminos formalis in productione compoſiti naturalis, eſt forma, etiam ſi non ſolùm ordine naturæ, ſed etiam temporis præexiſtat: & ſic terminus formalis in reſurrectione erit eadem anima rationalis. Hoc autem ſenſu, ſicut ſect. 8. diximus, perſonam diuinam & naturā humanam non habere inter ſe propriè habitudinem materiæ & formæ, ſed ſolum appropriatione & accomodatione quadam, eaquè mutua ex parte vtriuſque extremi: ita nunc, ſi conſideretur perſona diuina quatenus denominatur incarnata & humanata, ſic humanitas ſe habet tanquam terminus formalis: cùm nempe perſona diuina ſe habeat ad inſtar ſubiecti, cui denominatio ab humanitatis forma tribuitur. Si verò conſideretur humanitas quatenus dicitur completa ac terminata per ſubſiſtentiam diuinam: ſic eadem ſubſiſtentia ſe habet vt terminus formalis: ſiquidem humana natura ſe habet ad inſtar ſubiecti, quod per ſubſiſtentiam diuinā terminari & compleri denominatur.

Sub nomine aſſumptionis eſt diuina perſona.

Quartò tamen fatendum eſt, ſub nomine aſſumptionis terminum ad quē, debere aſſignari perſonam diuinam aſſumentem: quatenus nempe ad ipſam perſonam aſſumitur humana natura. Et hoc ſolùm voluit S. Tho. Et benè quoad hoc Caietanus exponit.

Ex dictis deſignatur pluribus modis terminus à quo.

Quintò demum, ex his facile eſt agnoſcere ac definire, quiſnam ſit terminus à quo incarnationis. Videlicet, ſi terminus à quo ſumatur, qui opponitur termino ad quem totali: ſic eſt non Chriſtus, ſiue non compoſitum ex diuina perſona & humana natura. Terminus autem à quo, oppoſitus termino ad quem formali iuxta priorem eius explicationem, eſt carentia vnionis. Oppoſitus verò termino ad quem formali iuxta poſteriorem explicationem, vno modo eſt carentia humanitatis in Verbo, altero modo eſt carentia diuinę ſubſiſtentiæ in humana natura, qui quidem eſt terminus à quo negatiuus. Sed poteſt etiam hoc modo aſſignari terminus à quo poſitiuus, nempe propria & creata perſonalitas humanę naturę. Non tamen quaſi aliquādo priùs tempore præceſſerit Chriſti humanitas ſub tali perſonalitate propria, à qua ſubinde trāſierit & tranſlata ſit ad diuinam. Sed quatenus ſubſiſtētia creata debuiſſet neceſſariò accedere humanę naturæ, niſi impedita fuiſſet per ſubſiſtentiā diuinā. Et hoc quidem ſufficit, vt dici poſſit terminus à quo. Nam eodem pacto,

Digitized by Google

pacto, carentia diuinæ ſubſiſtentiæ nũquam realiter fuit in humanitate Chriſti, & adhuc dicebatur terminus à quo: quia nempe ab ea carentia quæ fuiſſet niſi Verbum diuinum aſſumpſiſſet humanam naturam, dicitur hæc natura tranſiſſe ad ipſam diuinam ſubſiſtentiam. Quam rem in communi tractatione de principijs naturalibus circa priuationem formæ in materia tractauimus q. 10. Philoſoph. ſect. 3. Et in hoc ſenſu explicari debet S. Thomas, in eo quod dicebat, aſſumptionem deſignare terminum à quo, quatenus aſſumptio eſt ab alio ad ſe ſumptio: illud enim ab alio, non eſt natura humana, vt non rectè Caiet. accepit: ſed eſt ſuppoſitum creatum, in quo ſanè debuiſſet ſubſiſtere illa humanitas, ſi non fuiſſet aſſumpta à Verbo, vt iam notauimus.

Solent præterea Expoſitores hac quæſt. copiosè differere cum S. Tho. art. 11. de merito reſpectu incarnationis. Sed hoc nos reducimus ad aliam quæſtionem de cauſis incarnationis quam ſeparatim poſtea inſtituemus.

QVÆSTIO TERTIA.

De Perſona Diuina Incarnata.

CVM Incarnationis myſterium, & ipſe Chriſtus Dominus, ex Diuina perſona & humana natura, tanquam ex duobus extremis, adæquatè conſiſtat: de vtraque ſigillatim differendum eſt cum S. Thoma. Idque non ſolùm quoad ea quæ de facto impleta ſunt in Chriſto Domino, ſed etiã quoad alia quæ de poſſibili conſiderari poſſunt. Præſentem verò quæſtionem in octo diſtribuit articulos Sanctus Doctor. Primò docet, perſonæ diuinæ proprie conuenire aſſumere alienam naturam, tum quatenus aſſumere dicit producere, tum quatenus dicit terminare vnionem: quia & perſonæ competit agere, & competit terminare, cùm vnio facta ſit in perſona, non in natura, vt quæſt. præced. oſtenſum eſt. Secundo docet, naturæ etiam diuinæ conuenire aſſumere: actiuè quidem per modum principij productiui, ei conuenire ſecundùm ſe ratione virtutis actiuæ: terminatiuè verò & per modum termini, ei non conuenire ſecundùm ſe, ſed tantùm ratione perſonæ in qua conſideratur. Tertiò explicat, qualiter natura diuina, abſtracta per intellectum perſonalitate, poſſit alienam naturam aſſumere. Quartò docet, non poſſe vnam perſonam diuinam abſque alijs eſſe aſſumptionis principium, cùm omnis actio procedat ex diuina virtute, quæ communis eſt omnibus tribus perſonis: ſed benè poſſe vnam perſonam abſque alijs eſſe terminum aſſumptionis. Et ſic inquit, tres perſonæ fecerunt, vt humana natura vniretur vni perſonę Filij. Quintò docet, potuiſſe quamlibet perſonam diuinam aſſumere naturam humanam: quia eadem virtus diuina: ſicut vniuit naturam humanam perſonę Filij, potuiſſet pariter vnire Patri, vel Spiritui ſancto. Sextò concedit, poſſe plures perſonas diuinas ſimul vnã naturam creatam aſſumere: nempe ratione diuinę potentię, & quia vna perſona diuina non excludit alias à communione eiuſdem naturę. Septimò ſimiliter concedit, poſſe vnam perſonam diuinam aſſumere duas & plures naturas: quia virtus perſonę diuinę eſt infinita, ſiue conſideretur inquantum principium, ſiue inquantum terminus vnionis. Octauò demum explicat, quàm conueniens fuerit, perſonam Verbi potiùs quàm aliam incarnari: tum ob conuenientiam quam Verbum tanquam exemplar creaturarum habet ad ipſas, & tanquam ſapientia habet ad naturam humanam rationalem: tum propter finem incarnationis, cùm prędeſtinati vocentur filij Dei: tum intuitu peccati primi parentis, qui ſcientiã appetendo deliquit, quare expediebat vt per Verbum verę ſapientię reduceretur homo ad Deum.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Vtrum ſit tàm proprium Dei poſſe incarnari, ſeu aſſumere alienam naturam, vt nulla creata perſona id præſtare queat.

QVoniam Deum poſſe incarnari, & incarnatum eſſe, iam ex fide ipſa myſterij queſt. 1. ſtatuimus: nũc quærendum eſt, num id ſit proprium ipſius Dei. Non quidem quærimus de aſſumptione quoad efficientiam, num ſcilicet vlla cauſa creata poſſit hypoſtaticam vnionẽ efficere: de hoc enim agemus poſtea circa cauſas. Sed quærimus tantum quoad terminationẽ, num perſona creata alienam naturam hypoſtaticè terminare & ſubſtẽtare poſſit, eo modo quo perſona Verbi diuini de facto humanitatem terminat & ſubſtentat.

Non defuerunt qui dixerint, Angelos interdum fuiſſe incarnatos: nempe in apparitionibus quæ in ſacris litteris enarrantur. Imo quoſdam Prophetas, ſcilicet Malachiam, & Aggeum, & Ioannem Baptiſtam, fuiſſe Angelos incarnatos: eo quòd in Scriptura appellantur Angeli. Et Antichriſtum, ob inſignem eius malitiam, fore Dæmonem incarnatum. Sed ſaltem de poſſibili non repugnare, vt perſona angelica alteram naturam aſſumat & terminet, affirmant Ocham. apud Gabr. in 3. d. 1. q. 2. art. 3. dub. 5., Baſſolis ead. diſt. q. 6., Maior q. 5., Almain. q. 2. dubio vlt. Defendit Bonacina diſp. 2 de Incarnat. q. 3. puncto 5. Dubitat Scotus in 3. d. 1. q. 4. At Valent. q. 3. de Incarn. puncto 6., negat quidem, vllam perſonam de facto creatã inueniri, quæ alienam naturam valeat terminare: concedit tamen eſſe poſſibilem perſonam magis ac magis perfectam, quæ non ſolùm vnã aut alteram, ſed & plures ac plures, vel etiã infinitas alias naturas, ſua hypoſtaſi ſubſtentare poſſet. Et fundamentum eſt: quia in hoc non apparet repugnantia reſpectu omnipotentiæ Dei.

Non poteſt perſona creata eleuari ad aſſumendam alienam naturam.

Dicendum tamen abſolutè eſt, non ſolùm de facto nullam perſonam creatam inueniri, quæ alienam naturam terminet, aut naturali ſua vi terminare poſſit: ſeu nec reſpiciendo ad Dei potentiam abſolutam id fieri poſſe. Et quidem de facto, ac ſecundum potentiam naturalem, res eſt apud Theologos certiſſima: & oppoſitum eſt omnino fictitium, ac prorſus falſum & improbabile reputatur. Sed etiam de potentia abſoluta Dei, ita indicat S. Tho. hic art. 1 in corp. & ad 2. Et ex profeſſo docent Durand. in 3. d. 5. q. 5, Palud. q. 1. art. 2., Henric. Quodlib. 11. q. 10., Scotus in 4. d. 9. q. 2. art. 2., Caiet. hic art. 1., Medina & Vuigers ibidem, Cabrera diſp. 1. & 2, Suar. diſp. 43. ſect. 4., Vaſq. diſp. 25., Raguſa diſp. 40., aliique Recentiores ſatis communiter.

Vera ratione probatur.

Probatur concluſio, omiſſis alijs rationibus minus validis, hac vnica ratione. Subſiſtentia omnis perſonæ creatæ eſt ſolùm modus afficiens ſuam naturã: ergo nullatenus poteſt alteram naturã terminare. Antecedens iam ſupponimus ex Philoſophia, vt ſtatuimus ſuo loco q. 18. ſect. 6. Conſequẽtia ſic probatur: quia dupliciter cogitari poſſet vnio huius ſubſiſtentiæ ad alienam naturam: vel ita vt illa ſubſiſtentia immediatè per ſe ipſam afficeret quoque & actuaret alienam naturam; vel vt per diſtinctum modũ vnionis illi coniungeretur, ad tribuendum ei ſuum effectum formalem. Primum fieri nõ poteſt. Tum quia modus ex vi & eſſentia ſua, eſt prorſus determinatus ac limitatus ad proprium ſubiectum cui competit. Tum quia, cùm modus identificetur realiter ſuo ſubiecto, ſequeretur duas naturas diſtinctas realiter inter ſe, eſſe idem realiter cum quodam tertio, nempe cum ipſo modo ſubſiſtentiæ: quod repugnat. Tum præſertim, quia ſic talis ſubſiſtentia ſemper, ac neceſſariò deberet eſſe vnita alienæ naturæ, nec poſſet non eſſe vnita: ſicut nempe ſe habet erga propriam naturam: ſiquidem eſſet formaliter & immediatè per eſſentiam ſuam vnita vtrique naturæ, & vnio cum aliena natura non eſſet quid diſtinctum præter eſſentiam ipſius ſubſiſtentiæ. Id autem eſt apertè falſum & abſurdum: & contra mentem eorundem Auctorum oppoſitæ ſententiæ. Neque ſecundum fieri poteſt.

Digitized by Google

poteſt. De ratione enim modi eſt, vt per ſe ipſum immediatè afficiat ac modificet ſubiectum, & hoc pacto ei tribuat ſuum effectum formalem. Et ſicut forma quæ eſt vera res, ac per quendam diſtinctum vnionis modum ſubiecto coniungitur, non poteſt fieri aut concipi, vt per ſe ipſam immediate alicui ſubiecto vniatur, ita è contra, modus qui per ſe immediatè afficit ſuum ſubiectum, non poterit fieri, vt mediante alio vnionis modo coniungatur cũ alio quocunque ſubiecto.

Et ita quidem ſe habent alij omnes modi, qui ſanè taliter ſunt ſuis ſubiectis affixi, vt nullatenus poſſit vnus modus extendi ad actuandum aliud ſubiectum. Certè figura modificans vnam quantitatem, non poteſt ſimul vniri alteri, & figurare aliam vel aliam quantitatem. Seſſio qua vnus homo ſedet, non poteſt vniri alteri homini, vt eum quoque reddat ſedentem. Et in exemplo magis ſimili, inhærentia vnius accidentis in ſuo ſubiecto, non poteſt vtique deſeruire reſpectu alterius accidentis, aut alterius ſubiecti. Poteſt rurſus afferri exemplum in genere cauſæ efficientis: vbi effectus ille qui immediate per eſſentiam ſuam à propria cauſa dependet, non poteſt mediante alia actione pendere: & quęcunque actio qua vnus effectus à ſua cauſa procedit, non poteſt deſeruire reſpectu alterius effectus, aut alterius cauſæ. Sic ſubſiſtentia quę immediatè per ſe afficit ſuam naturam, nõ poterit mediante alio modo afficere aliã: ſubſiſtẽtia qua vna natura ſubſiſtit, nõ poterit deſeruire reſpectu alterius naturæ.

Etiam de omni perſona poſſibili.

Atque hoc totum argumentum probat, non ſolùm de omnibus perſonis ac quibuſcunque ſuppoſitis nunc de facto creatis, ſed ample & adæquatè de omni perſona poſſibili. Omnis enim ſubſiſtẽtia poſſibilis & vnibilis in quacunque perſona poſſibili, non eſt niſi modus. Vnde quantumuis magis ac magis perfecta perſona creari poſſit à Deo, nunquam ſubſiſtentia perſonalis extrahi poteſt ex ordine & genere modi: quare nunquam poterit alienã terminare naturam. Et alioqui, ſi vt dicebat Valentia, poſſibilis eſſet talis perſona, hæc naturaliter propriaquè virtute id munus obiret. Si enim ſolum ſupernaturaliter poſſit eleuari à Deo, ſemper recurrit eadem difficultas, quã in omnibus perſonis de facto creatis idem Valentia approbauit. Imò conſtare non poſſet, nullam talem perſonam de facto extare inter omnes Angelos de facto creatos, quę eleuari poſſet à Deo ad terminandam alienam naturam. Concluſio ergo vniuerſaliter vera eſt de omni perſona, non ſolum de facto creata, ſed etiam vtcunque creabili & poſſibili.

Defenditur ratio aſſignata.

Neque aduerſus hanc rationem obſtant, quæ Vaſquez cap. 2. oppoſuit, dicens, hanc rationem, ſi valeret, procedere etiam de perſonalitate diuina, quæ eſt modus eſſentiæ diuinæ: & diuerſam eſſe conditionem de modo ſubſiſtentiæ, ac de alijs modis: quia alij modi non poſſunt communicari niſi inhærendo, nec poſſunt inhærere niſi proprio ſubiecto, at ſubſiſtentia benè communicari poteſt, extrinſece ſolùm terminando naturam. Hæc inquam non obſtant: quia perſonalitas diuina non eſt modus, ſed eſt perfectiſſima res, vt ſuo loco de Trinitate oſtendimus: Et de reliquo, ſicut alij modi, nec per ſe immediate poſſunt inhærere alieno ſubiecto, nec mediante alio vnionis modo coniungi, ad exhibendũ ei ſuum effectum formalem: ita prorſus modus ſubſiſtentiæ: quia hæc eſt cõditio generalis omnis prorſus modi.

Soluuntur motiua oppoſita.

Ad motiua autem prioris ſententiæ: exploratum eſt, illos Prophetas vocatos fuiſſe Angelos, non per naturam, & ſumendo nomen Angeli pro ſupremis illis ſpiritibus: ſed ſolum per officium, quia miſſi fuerunt à Deo: vel per imitationem, quia ſimiles erant Angelis in puritate & ſanctitate. Similiter Antichriſtum fore quidem miniſtrum diabolicum per malitiam & peruerſitatem, non tamen Dæmonem per naturam. De poſſibili demum, iam adduximus ſufficientem repugnantiæ rationem, etiam reſpectu omnipotentiæ abſolutæ Dei, quare non poſſit eleuari vlla perſona creata vel creabilis ad aſſumendam ac terminandam alienam naturam.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Vtrum ſit tàm proprium Diuinæ perſonæ poſſe incarnari, vt Deus abſtrahens à perſonis id præſtare non poſſit.

HÆC diſquiſitio multùm pendet ex illa quam 1. par. in materia de Trinitate q. 29. ſect. 2. tractauimus, num in Deo concedenda ſit quædam ſubſiſtentia abſoluta præter tres perſonales relatiuas, eſſentialis ipſi Deo ſecundùm naturam diuinam abſtrahentem à tribus perſonis. Cum enim hęc aſſumptio & incarnatio intelligi non poſſit, niſi ad hoc vt natura creata terminetur & compleatur ad ſubſiſtendum: maximè refert, ſi in Deo reperiatur ſubſiſtentia abſoluta eſſentialis, præter relatiuas perſonales, ad hoc nempe vt per illam terminari & compleri poſſit natura creata. Quamuis adhuc aliqui concedentes hanc abſolutam ſubſiſtentiam, negent eſſe poſſibilem vnionem cum illa: & e contra aliqui negantes illam ſubſiſtentiam, admittant poſſibilem eſſe vnionem hypoſtaticam immediatè cum natura diuina.

Duæ oppoſitæ ſententiæ. Itaque, Deum vt abſtrahentem à perſonis incarnari poſſe, negant Alenſis 3. par. q. 7. memb. 1. art. 2. & 3., Bonau. in 3. d. 1. art. 1. q. 3., Capreol. ead. diſt. q. 1. ad argum. cont. 4. concluſ., Vaſq. hic diſp. 27., Lorca diſp. 24., Bonacina diſp. 2. q. 3. puncto 2., Syluius, Kellifonus, & alij hac q. art. 3. Ex oppoſito affirmant Riccard. in 3. d. 1. art. 1. q. 2., Scotus q. 1. art. 3. §. *Ad quæſtionem igitur*, & d. 5. q. 1., Durand. diſt. 1. q. 4., Ocham. Gabr. & Almain. q. 1. art. 3, Caiet. Medina Vuigers hîc art. 3., Valent. q. 3. puncto 5., Suarez diſp. 13. ſect. 1., Raguſa diſp. 50. Quid autem ſenſerit S. Thomas, non ſatis liquet. Nam art. 3. in quo hac de re tractat, in corp. quidem ait, *Abſtracta perſonalitate per intellectum, poſſumus adhuc intelligere naturam aſſumentem*: quare videtur loqui de eo quod ſimpliciter & abſolute poſſibile eſt, ſtante abſtractione rationis, qua conſideratur natura diuina abſque perſonis. Et in hoc ſenſu Thomiſtæ communiter mentem eius intelligunt. At in ſolut. ad 1. & 2. ſignificat, naturam diuinam abſtrahentem à perſonis poſſe incarnari ratione perſonalitatis abſolutæ, quæ in eo euentu intelligeretur, ſicut nunc Pagani & Iudæi Deum concipiunt. Et in hoc ſenſu conditionali, ſub hac hypoteſi impoſſibili, mentem S. Thomæ Vaſquez intelligit. Vnde ad rem ipſam accedendo, diſtinctè per plures concluſiones reſpondendum eſt.

Si Deus eſſet vnica perſona, adhuc incarnari potuiſſet. Primo, Si loquamur ſub hac hypoteſi impoſſibili, quòd Deus eſſet realiter à tribus perſonis abſtractus, ſiue quòd non ſubſiſteret in tribus diſtinctis perſonis, ſed eſſet tàtùm vna realiter perſona, ſicut nunc Infideles, non cognoſcentes myſterium Trinitatis, Deum apprehendunt: ſic abſque dubio poſſet Deus incarnari: Illa enim vnica perſona non minorem vim ad hoc haberet, quam nunc habeant ſingulæ tres perſonæ. Neque de facto ratio quare perſona Verbi potuerit incarnari, ducitur ex eo quod perſona relatiua ſit, & à duabus alijs diuinis perſonis diſtinguatur; ſed ſimpliciter ex eo quod perſona diuina eſt. Igitur ſi Deus eſſet vnica perſona abſoluta, non minùs potuiſſet naturam creatam aſſumere, in humana natura incarnari. Et ita Theologi communiter fatentur.

Natura diuina abſtrahendo penitus à perſonis incarnari non poteſt. Secundo, Si loquamur de natura diuina ſub abſtractione rationis a perſonis, & ſub tali præciſione & ordine vnionis, vt natura creata vniretur ſolùm naturæ diuinæ, & non perſonis, ſic non poſſet ſola natura diuina incarnari ac terminare alienam naturam. Suadetur concluſio. Tum quia cùm ſubſiſtentiæ perſonales ſint prorſus identificatæ realiter cum natura diuina, intelligi non poſſet vnio naturę creatę præciſe terminari ad naturam diuinam, quin hoc ipſo terminaretur etiam ad perſonalitates mediante ipſa natura diuina; eo modo quo & de facto dicimus, naturam humanam vnitam ſubſiſtentiæ perſonali Verbi diuini, eſſe ea mediante vnitam quoque naturæ diuinæ. Quare ſicut de facto ſubſiſten-

tiæ Verbi ſe habet quaſi vinculum medium, in quo naturam humanam & diuinam dicimus vniri: ita ſi natura humana immediatè vniretur cum natura diuina, hæc ſe haberet tanquam vinculum medium, in quo natura humana cum ſubſiſtentijs quoque perſonalibus vniretur. Tum etiam Theologi communiter contra Durand. probare conantur, de facto Verbum diuinum non aſſumpſiſſe naturam humanam, ratione eſſentiæ diuinæ, quia exinde neceſſario ſequeretur, naturam humanam eſſe vnitam omnibus tribus perſonis diuinis, quibus eadem eſſentia eſt communis, vt videbimus infra: ergo omnino natura creata, immediatè vnita naturæ diuinæ, eſſet quoque vnita perſonis: igitur fieri non poteſt, vt natura diuina abſtrahẽdo penitus à perſonis aſſumat alienam naturam. Tum demum, ſi ſupponimus, non poſſe naturam creatam abſque omni ſubſiſtentia conſeruari: ſequitur, non poſſe exiſtere niſi vltimo terminatam & cõpletam vltima ſubſiſtentia incommunicabili: ſed certè quamuis tribuamus naturæ diuinæ ſuam eſſentialem ſubſiſtentiam abſolutam, hæc non eſt vltimus terminus dans incommunicabilitatem ſimpliciter, vt eo loco de Trinitate explicauimus: ergo non poſſet ſtare natura creata ità præcisè vnita huic ſubſiſtentiæ abſolutæ naturæ diuinæ, vt non ſimul intelligeretur vltimò ac perfectè perſonalibus ſubſiſtentijs terminata.

Poſſet fieri incarnatio, immediatè in natura, & mediatè in perſonis diuinis.

Tertio denique. Intelligendo naturam creatam primo quidem & immediate vniri Deo penes ſubſiſtentiam abſolutam eſſentialem, & mediate perſonis penes ſubſiſtentias relatiuas perſonales; ſic fieri poſſet incarnatio, qua Deus ipſe conſideratus quoad ſuam ſubſtantiam abſolutam aſſumeret naturam humanam. Suadetur breuiter concluſio: quia natura creata debet vniri ad ſubſiſtendum, & ſubſiſtere explicabitur per incommunicabilitatem: ſed Deus in ſua eſſentia habet ſubſiſtentiam ſeu per ſe exiſtentiam cum aliqua incommunicabilitate; vt iam eo loco de Trinitate ſtatuimus: ergo optimè poteſt natura creata immediatè vniri ad hanc ſubſiſtentiam, per quam aliquo modo terminetur & cõpleatur. Et quia rurſus ipſa eſſentia Dei ſuis ſubſiſtentijs perſonalibus intrinſecè terminatur: hoc ipſo quoque illa natura creata iiſdem ſubſiſtentijs perſonalibus vltimo completur ac terminatur. Et ſicut in ipſo Deo optimè prius ratione concipimus reperiri ſubſiſtentiam aliquam & incommunicabilitatem in eſſentia abſoluta, ac deinde aduenire ſubſiſtentias perſonales cum incommunicabilitate ſimpliciter: ita quoque facile intelligere poſſumus, naturam creatam aſſumi eodem modo ad ſubſiſtendum. Addunt etiam aliqui Thomiſtæ, naturam creatam poſſe aſſumi ad exiſtendum exiſtentia abſoluta Dei. Hoc tamen non eſt ad præſentem concluſionem neceſſarium: & in ſe eſt valde difficile, vt poſtea q. 17. tractabimus.

Hæc incarnatio fieret per vnionem in perſona.

Sed contra hanc concluſionem Obijcies primo: Apud Concilia & Patres non alia vnio nominatur, quàm vel in natura, vel in perſona: hoc eſt, vel ad conſtituendam vnam naturam, vel vnam perſonam. Et prima quidem in Chriſto negatur, ſecunda conceditur. Sed vnio naturæ creatæ cum natura diuina, non poteſt fieri in vnitatem naturæ, vt notum eſt: neque fieret in vnitatem perſonæ, vtpote præciſa perſonalitate: ergo nullatenus poteſt fieri.

Reſpondetur, hanc vnionem fore adhuc in perſona, ſiue in vnitatem perſonæ; non quidem immediate, ſed mediate: quatenus natura creata mediante eſſentia & ſubſiſtentia abſoluta Dei, conſtitueret perſonam cum ſingulis ſubſiſtentijs perſonalibus diuinis.

Et per eam fieret vnũ in perſona.

Obijcies ſecundo. Ratio vnionis ſubſtantialis debet omnino ordinari ad conſtituendum vnum ſubſtantiale: & vnum ſubſtantiale, vel eſt vnum in natura, vel vnum in perſona: ſed natura creata cum natura diuina nec poteſt conſtituere vnum in natura, nec vnum in perſona: ergo non poteſt cum illa ſubſtantialiter vniri.

Reſpondet Valentia cum Gabriele, poſſe per Dei potentiam abſolutam fieri quoddam vnum ſubſtantiale, quod

Digitized by Google

nec ſit vnum vnitate naturæ, nec vnitate perſonæ. Sed meliùs reſpondetur, per vnionem dictam naturæ humanæ cum diuina; conſtitui vnum, vnitate perſonæ: non cum eſſentia diuina præciſè ſumpta, nec cum omnibus perſonis collectiuè, ſed cum ſingulis perſonis, quibus nēpe natura creata mediante ſubſiſtentia abſoluta coniungeretur.

Fieret cum ſingulis perſonis diuinis.

Obijcies tertiò ex Vaſq. Anſelmus lib. de Incarn. Verbi cap. 4. poſt medium, contra quemdam Clericum qui ex vnitate eſſentiæ diuinæ, & identitate cum perſonis, arguebat, incarnata vna perſona alias quoque neceſſariò incarnari: inferebat inquam Anſelm., eum Clericum ſentire, incarnationem factam eſſe, non in perſona diuina, ſed in natura, ad conſtituendam vnam naturam. Quare iuxta mentem Anſelmi, nō poterat eſſe alia vnio cum Deo, niſi vel cum perſona diuina ad vnitatem perſonæ, vel cum natura in vnitatem naturę: nec poſſibilis erat vnio intercedēs immediatè cum natura diuina, quā omnes tres perſonæ eſſent incarnatæ.

Reſpondetur. Quamuis poſſibilis ſit de potentia abſoluta Dei hæc vnio; tamen hactenus non extabat alius dicendi modus de Incarnatione facta, niſi vel factam eſſe in vnitatem perſonæ, vel in vnitatem naturæ. Et cùm ij qui fatebantur vnionem factam in perſona, non dubitarent, aliquam perſonam, & non omnes perſonas fuiſſe incarnatas, volebant vnionem factam fuiſſe in natura: Ideo rationabiliter potuit Anſelm. contra Clericum illum inferre, quòd conſentiret ijs qui vnionem incarnationis conſtituebant in vnitatem naturæ.

Hæc vnio fieret immediatè in ſubſiſtētia abſoluta Dei.

Obijcies quartò. Vel in Deo non datur ſubſiſtentia abſoluta conueniens eſſentiæ diuinæ vt præciſæ à perſonis: vel ſi datur, non eſſet formaliter aliud quàm per ſe exiſtentia naturæ diuinæ. At certè non poteſt fieri vnio in natura abſque ſubſiſtentia: nec vlla exiſtentia poteſt terminare naturam indigentem complemento intrinſeco, tantùm ad ſubſiſtendum. Ergo non poteſt dari vnio naturæ creatæ immediata cum natura diuina.

Reſpondetur. Datur in Deo, vt ſupponimus ſubſiſtentia abſoluta, quæ ad vitandam contētionem nominū, poteſt per ſe exiſtentia appellari. Ita tamen, vt aliquid peculiare tribuatur naturæ diuinæ, non commune alijs ſubſtantijs creatis, vt dicto loco de Trinit. explicauimus. Atque ratione huius per ſe exiſtentiæ, optimè poteſt natura creata vniri naturæ diuinæ. Quippe cùm aliquatenus poſſit ab ea compleri ac terminari quantum ad ſuam indigentiam. Ab ipſa enim haberet aliquam incommunicabilitatem, nempe reſpectu omnis ſuppoſiti ab eadem natura diuina diſtincti. Quæ incommunicabilitas per ſe conuenit ipſi naturæ diuinæ: quamuis natura creata non niſi per ſubſiſtentiam perſonalem à ſe diſtinctam terminetur.

Et per eam diceretur Deus incarnatus.

Obijcies quintò. Hæc per ſe exiſtentia conuenit naturæ diuinæ etiam in abſtracto ſumptæ: & hic Deus in concreto non addit ſupra naturam quicquam aliud ſufficiens ad terminādam naturam creatam: Ergo non poteſt Deus abſtrahens à perſonis incarnari, ſeu quamcunque naturam creatam aſſumere.

Reſpondetur. Deus in concreto, & Deitas in abſtracto, præſcindendo à perſonis, non diſtinguuntur plus quam in modo ſignificandi; ſicut ens & entitas. Vnde in re quidem non adeſt vlla diuerſitas inter Deum & Deitatem quoad hanc terminationem reſpectu alterius naturæ. Sed ſimiliter in modo ſignificandi diuerſitas aliqua obſeruanda erit: nimirum, vt dicere deberemus, Deum factum eſſe hominem, Deitatem terminare naturam humanam. Sicut nempe & de facto dicimus, perſonam diuinam eſſe incarnatam, Verbum factum eſſe hominem; ſubſiſtentiam autem & perſonalitatem Verbi terminare humanam naturam.

Excluderetur propria ſubſiſtētia naturæ creatæ.

Obijcies ſextò. Vnio naturæ creatę cum Deo abſolutè ſumpto, non excluderet propriam ſubſiſtentiam eiuſdem naturæ: ſed certè non poteſt aſſumi natura creata cum propria ſubſiſtentia: ergo talis vnio eſt impoſſibilis. Probatur maior: quia ſubſiſtentia propria naturæ humanæ eſt vltimus ter-

minus,

Digitized by Google

minus, & eſt perſonalis: ergo non excluditur niſi ſubſiſtentia vltima & perſonalis.

Reſpondetur. Hoc argumentum probat ſolùm, non poſſe naturam creatam vniri ſubſiſtentiæ diuinæ abſolutæ, abſque eo quod ſimul terminetur ſubſiſtentijs perſonalibus: quoniam non poteſt formaliter excludi tota ratio propriæ ſubſiſtentiæ, niſi adueniat tota ratio ſubſiſtentiæ alienæ, qua ſuppleatur tota naturæ indigentia. Itaque eo modo quo diximus, vt natura creata, mediante ſubſiſtentia abſoluta diuinæ naturæ, terminetur etiam & vltimò compleatur ſubſiſtentijs quoquè diuinis perſonalibus, poteſt optimè hęc vnio fieri, qua Deus abſolutè vt Deus immediatè aſſumeret humanam naturam.

SECTIO TERTIA.

Vtrum commune ſit omnibus Diuinis perſonis poſſe incarnari, & qualibet ſine alijs id præſtare poſſit.

Poterat qualibet perſona diuina incarnari.

STANTE fide incarnationis, dubitari non poteſt, quamlibet perſonam diuinam de potentia abſoluta Dei poſſe incarnari. Æqualis eſt enim omnium virtus, & æquè apta ſubſiſtentia perſonalis ad terminādam alienam naturam. Atque adeo, etiam poſtquā vna perſona diuina quandam naturam creatam aſſumpſit, potuiſſet alia diuina perſona aliam naturam aſſumere. Et ſic de ſingulis diuinis perſonis.

Qualibet per ſe abſq; alijs.

Poteſtque vna quælibet perſona diuina abſque alijs incarnari. Non quidem quaſi vna abſque alijs poſſit efficere & producere vnionem. Quinimò in hoc genere cauſæ & principij effectiui, non poteſt vna perſona quicquā abſque alijs operari, vt nunc ſupponimus. Sed in ratione termini, benè poteſt vna perſona terminare alienam naturam eiuſquè vnionem, abſque eo quod ſimul aliæ perſonæ eandem terminent. Et ſic benè poteſt vna ſola perſona abſque alijs incarnari, & fieri homo, ita vt nulla alia diuina perſona ſimul incarnetur & fiat homo. Quod quidem de fide eſt fieri poſſe: dum ſic re ipſa factum eſt, quia ſolus Filius de facto eſt incarnatus & factus homo, & non Pater, nec Spiritus Sanctus, vt circa factum poſtea proſequemur.

Ob diſtinctionem & aptitudinē cuiuslibet ſubſiſtētiæ perſonalis.

Et ratione idem facilè declaratur: quia cùm ſubſiſtentiæ perſonales in Deo realiter diſtinctæ ſint, optimè poteſt fieri vnio cum vna perſona & non cum alijs, quia fit cum vna ſubſiſtentia, & non cum alijs. Quare, licèt ipſæ ſubſiſtentiæ perſonales ſint idem realiter cum vna ſimpliciſſima natura diuina: tamen quia inter ſe diſtinguuntur, ea ratio terminandi hypoſtaticè naturam creatam poteſt eſſe ſubſiſtentia diuina perſonalis, quæ eſt propria vni perſonæ, & quælibet ſubſiſtentia perſonalis eſt per ſe apta terminare naturam creatam abſque conſortio aliarum in terminando: ſic optimè poteſt vna perſona abſque alijs incarnari.

Et ob diſcrimen inter efficientiam ac terminationē.

Hinc etiam eſt manifeſta diſparitas inter efficientiam ac terminationem. Quoniam ratio efficiendi eſt diuina omnipotentia, quæ communis æqualiter eſt omnibus tribus perſonis: & ideo dum vna perſona operatur, ſimul pariter omnes operantur. At ratio terminandi eſt ſubſiſtentia perſonalis, quæ eſt propria vni perſonæ: & ideo non ſequitur, dum vna perſona terminat quandam naturam, alias quoque ſimul terminare.

Obiectiones ſoluuntur.

Obijci tamen aliter poteſt primò. Quamuis neceſſe non ſit, immediatè naturam creatam vniri tribus perſonis diuinis: tamen dum vnitur vni perſonæ quæ eſt idem cum eſſentia, & eſſentia eſt idem cum alijs duabus perſonis; hoc ipſo videtur ſaltem mediatè vniri alijs. Sed hoc explicabimus infra sect. 6., quonam pacto ſe habeant de facto aliæ duæ perſonæ diuinæ præter perſonam Verbi in Chriſto Domino.

Obijci ſecundò hoc loco ſolet. Sicut non poteſt vna perſona videri abſque alijs, ita nec poſſe incarnari. Sed tamen, quia longè certius eſt, poſſe incarnari vnam perſonam abſque alijs: imò hoc quidem ſimpliciter certum prorſus eſt; quicquid ſit de viſione, nō debet inde trahi argumentum ad incarnationem: ſed vel reddenda eſt diſparitas

Digitized by Google

ſparitas de ipſa viſione, vel potiùs debet admitti, poſſe etiam videri vnam perſonam abſque alijs: de qua re ſatis egimus ſuo loco 1. par. q. 12. de viſione Dei.

SECTIO QVARTA.

Vtrum poſſint plures perſonæ diuinæ ſimul eandem naturam creatam aſſumere.

POSSE mediante ſubſiſtentia abſoluta ijs communi, patet iam ex dictis ſect. 2. Poſſe verò immediatè ſecundum proprias ſubſiſtentias perſonales, negant Riccard. in 3. d. 1. art. 1. q. 4., & Scotus ead. diſt. q. 2. §. *Ad quæſtionem igitur*. Inclinat Lugus hic diſp. 12. ſect. 6.

Reſolutio affirmatiua.

Affirmandum tamen eſt cum D. Tho. hic art. 6., Alenſi 3. par. q. 2. memb. 4., Henri. Quodl. 7., Durando in 3. d. 1. q. 3., Gabriele q. 1. art. 3. dub. 3., Almaino q. 1. art. 3., Ochamo in 3. quæſt. 1. art. 3., Marſil. q. 2. art. 3., Caiet., Medina, Cabrera, Syluio, Kellyſono, Vuigers hac quæſt. art. 6., Valent. q. 3. puncto 3., Suarez diſp. 13. ſect. 2., Vaſquez diſp 29. cap. 2., Bonacina diſp. 2. q. 3. puncto 3., alijſque Recentioribus communiter. Nec aliter probanda eſt hæc concluſio, niſi quia ex parte ſingularum perſonarum eſt vis & aptitudo ad terminandam eandem naturam, & ex parte ipſius naturæ non eſt repugnantia reſpectu ſingularum perſonarum, & abſolutè nulla implicantia occurrit in hoc, vt duæ vel tres perſonæ diuinæ eandem naturam creatam ſibi immediatè vnitam habeant, ſicut eędem perſonæ diuinæ de facto vnam naturam diuinam ſimul terminant.

Nō tamen plures perſonæ conſtituerent vnam perſonam.

Notant verò, & rectè, S. Tho., Durand., & alij, non poſſe plures perſonas diuinas ita ſimul vniri eidem humanæ naturæ, vt ex omnibus coniunctim conſtetur vna perſona. Siquidem nullo modo poſſunt plures perſonæ conuenire ad componendam aliam perſonam, ad conſtituendam vnam perſonam. In quo ſenſu ſolet explicari quod dixit Anſelm. lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 9, quem locum affert S. Tho. in corp. art., & rurſus de Incarnat. Verbi cap. 4. In quibus locis videtur dixiſſe, non poſſe plures perſonas diuinas in eadem humanitate incarnari. Solet namque ſic explicari, non poſſe ita vt conſtituant vnam ſimul ex omnibus perſonam. Sed tamen non negauit poſſe, abſque confuſione ipſarum perſonarū, ita vt talis humanitas cū ſingulis perſonis conſtitueret perſonam, ſed non cum omnibus collectiuè. Sicut & natura diuina cum ſingulis relationibus perſonalibus conſtituit ſingulas perſonas, non verò vnam cū omnibus ſimul.

Differt natura creata à perſonalitate creata.

Obijcies primò. Sicut proprium eſt perſonalitatis diuinæ ob ſuam infinitatem, poſſe terminare plures naturas; ita debet eſſe proprium diuinæ naturæ ob ſuam infinitatem, poſſe terminari pluribus perſonis. Quare, ſicut non poteſt vna perſonalitas creata terminare plures naturas, vt ſupra dictum eſt; ita nec natura creata poterit pluribus perſonis terminari.

Reſpondetur. Diuerſam eſſe rationē de perſonalitate ac de natura: quia nempe, cùm perſonalitas creata ſit modus, non poteſt alteri naturæ coniungi, vt ſupra dicebamus. Et alioqui, ſi eſſet vera res, quamuis non ſit infinita, ſicut eſt diuina perſonalitas, poſſet quidem vniri pluribus naturis. At natura creata optimè poteſt per alienam ſubſiſtentiam terminari, vt ex fide ipſa Incarnationis conſtat: nullaque alia repugnantia impeditur, quominùs poſſit etiam pluribus terminari. Verè tamen proprium eſt diuinæ naturæ ob eius infinitatem, vt ab intrinſeco, ac per communicationem ſui ad intra, & per ſimpliciſſimam identitatem, in tribus perſonis adæquatè ſubſiſtat.

Poteſt natura creata terminari pluribus ſubſiſtentijs.

Obijcies ſecundò. Natura terminata per vnam ſubſiſtentiam, redditur ampliùs interminabilis ſeu incommunicabilis: hic enim eſt formalis effectus ſubſiſtentiæ: ergo ſi quædam natura aſſumitur ab vna perſona diuina, non poteſt rurſus ab alijs terminari. Et alioqui poſſet etiam ſimul cum propria perſonalitate creata aſſumi à perſona diuina.

Reſpondetur. Naturam reddi intermi-

termi-

Digitized by Google

terminabilem & incommunicabilem, formaliter vt ſubſiſtens eſt. ſcilicet vt ipſa natura & ſubſiſtentia ſimul non poſſit amplius terminari. At verò, quod eadem natura in ſe præciſè ſpectata poſſit etiam per aliam ſubſiſtentiam terminari, non tollitur per primã ſubſiſtentiam: ſiquidem de facto natura diuina, præter ſubſiſtentiam primæ perſonæ, alias duas habet. An verò peculiariter repugnet, naturam creatam exiſtentem cum propria perſonalitate, aſſumi ſimul ad aliam perſonam, quæſt. ſeq. videbimus.

Etiam ſi nõ poſſet idem effectus in exiſtendo dependere à pluribus cauſis.

Obijcies tertio fundamentum Scoti. Non poteſt idem effectus à pluribus cauſis totalibus in eodem genere dependere: ergo non poteſt eadem natura ad plures perſonas terminari. Reſpondetur primò, antecedens nobis non probari, vt tractauimus q. 16. Philoſ. ſect. 5. Secundò, ſi admittatur, ad ſummum valeret, quando effectus in exiſtendo dependet à cauſis, quod ſolum Scotus probare conatus eſt. At ſi effectus non ſimpliciter in exiſtendo dependeat, ſed ſuppoſita iam exiſtentia ſolùm aliquo modo compleatur: in hoc nulla apparet difficultas, quominus pluribus cauſis ſimul totaliter cõpleatur. Sicut idem ſubiectum perficitur in genere cauſæ formalis pluribus accidentibus totalibus: & ex hac parte non repugnat, quominus materia poſſit ſimul pluribus formis ſubſtantialibus actuari. Natura ergo non dependet in exiſtendo per aſſumptionem à perſona, ſed ſolùm inquantum completur ac terminatur: quare non repugnat, à pluribus ſimul perſonis aſſumi, ac terminari.

Plures perſonæ in eadem humanitate dicerentur vnus homo

Quartò deinum, eſt alia difficultas, num plures perſonæ diuinæ terminantes eandem naturam humanam, dici deberent plures homines, vel vnus homo. Et loquendum eſt cum S. Tho. art. 6. ad 1., dici debere vnus homo. Idque cohærenter ad modum loquẽdi in myſterio Trinitatis, de quo diximus 1. par. q. 31. ſect. 2. Sicut nempe tres perſonæ diuinæ dicuntur vnus Deus, ratione ſcilicet vnius diuinæ naturæ. Et ratio vniuerſalis eſt: quia nomen ſubſtantiuum non multiplicatur niſi ad multiplicationem formæ ſignificatæ. Neque rectè Caiet. & Medina hic addunt, tres perſonas fore vnum hominem ſecundùm quid, ſimpliciter verò tres. Potiùs enim dici debet, fore abſolutè & ſimpliciter vnum hominem. Et ſic debet intelligi S. Tho., qui ſolùm ait: *Non poſſe argui, ex eo quòd tres perſonæ ſunt vnus homo, quòd eſſent vnus ſimpliciter*. Sicut nempe, ex eo quod Pater & Filius ſunt vnus Deus, non poteſt argui quòd ſint vnus ſimpliciter, quaſi vna perſona, vna hypoſtaſis: ita ex eo quòd tres perſonæ eſſent vnus homo, nõ poſſet argui quòd eſſet vnus ſimpliciter, quaſi vna perſona. Sed certè omnino dici debet, quòd ſunt ſimpliciter vnus Deus: & ſic eſſent ſimpliciter vnus homo. Itaque, aliud eſt dicere, ſunt ſimpliciter vnus homo, vnus Deus: & aliud ſunt vnus ſimpliciter, abſque alia adiectione: hoc enim negatur, illud verò conceditur.

SECTIO QVINTA.

Vtrum poſſit eadem perſona diuina plures naturas creatas aſſumere.

Reſp. affirm.

Affirmandum eſt cum S. Tho. art. 3. & alijs communiter. Ac demonſtratur facilè: quia perſona diuina eandem ſemper aptitudinem habet ac retinet reſpectu alterius & alterius naturæ. Neque per aſſumptionem vnius exhauritur, aut adæquatur, vel impeditur eius virtus, vt ampliùs non poſſit alias naturas aſſumere ac terminare. Imò, cùm ſit infinita, non poteſt ex vllo capite limitari, ſed poſſet plures ac plures naturas in infinitũ ſẽper aſſumere.

Diſp... inter ... ption... ad e... & p... ſone... intra

Mouet tamen inſtantiam Caietanus, Pater in diuinis non poteſt niſi vnum Filium generare, quamuis potentia generatiua, & intellectus diuinus per quem Verbum gignitur, ſit infinitæ virtutis: quare ſimiliter eſſe poſſet, vt perſona diuina, quamuis ſit virtutis infinitæ, nõ poſſet niſi vnam creatam naturã aſſumere. Sed ſatis eſt manifeſta diſparitas inter operationes ad intra atque ad extra. Nam ad intra, vnica generatio, eſt pariter infinita, adæquans in-

fini-

finitatem paternæ virtutis: & vnicus Filius, eſt ſimpliciter infinitus, adæquans totam potentiam generatiuam Patris: vnicum Verbum, eſt infinitum, adæquans totam vim infinitam diuini intellectus. Et ſicut in Deo non poteſt eſſe niſi vnicus Pater, ita non niſi vnicus Filius, vnicus Spiritus Sanctus, non niſi tres perſonæ diuinæ. At ad extra, nulla operatio eſt infinita, nulla adæquat infinitatem diuinæ virtutis: & ſic etiam nullus effectus. Et in caſu noſtro, vnio hypoſtatica vnius naturæ creatæ cum diuina perſona, nullatenus adæquat infinitatem diuinæ virtutis, & aptitudinem diuinæ perſonæ, ad exercendam huiuſmodi operationem, ad terminandam alienam naturam. Et adhuc poſſibile eſt, vt alia & alia natura creata abſque vlla limitatione vniatur diuinæ perſonæ. Igitur poteſt omnino quælibet diuina perſona plures ac plures naturas creatas aſſumere.

Vna perſona aſſumẽs plures humanitates dici debere vnus homo.

Sed difficultas ſolùm aliqua eſt, num in tali caſu quo Filius v. g. aſſumeret plures naturas humanas, dici deberet vnus homo, aut plures homines. D. Thomas in 3. d. 1. q. 2. art. 5. ad 2. & 3. affirmauit, dici debere plures. At hîc art. 7. ad 2. docet, dici debere, eſſe vnum hominem habentem plures naturas. Priorem loquendi modum approbarunt etiam Altiſiod. lib. 4. Summę tract. 1. cap. 1., Scotus in 3. d. 1. q 3., Durand. ibidem, & alij ex antiquioribus. Poſteriorem verò ſequuntur ac defendunt Caiet. Aluarez & alij Expoſitores hoc eodem art. 7., Suarez diſp. 13. ſect. 3., Valent. q. 2. puncto 4., Bonacina item puncto 4., Tanner. q. 4. dub. 1., & alij magis communiter. Et hic quidem loquendi modus approbādus ac retinendus eſt. Hac ratione, quia ad multiplicationē nominis ſubſtantiui requiritur ſane, ſed non ſufficit ſola multiplicatio formæ: quinimò requiritur etiam multiplicatio ſubiecti ſiue ſuppoſiti. Cùm ergo eſſet vnum ſuppoſitum, dici deberet vnus homo. Et explicatur exemplis. Vnus homo habens plures artes, non dicitur plures artifices, ſed vnus artifex. Et in Deo ipſo Pater habens duas relationes, dicitur vnum relatum, vnum principiū.

Quæ prædicationes fierent inter naturas aſſumptas,

Quænam verò prædicationes poſſēt fieri inter plures naturas aſſumptas ab eadem perſona diuina, ſi nominentur in abſtracto, vel in concreto; determinandum eſt ex ijs quæ poſtea de communicatione idiomatum & de huiuſmodi prædicationibus inter naturam diuinam & humanam Chriſti dicemus. Quamuis maxima differentia ſit, vt notat S. Tho. ad 3., in hoc quòd natura diuina eſt omnino idem cum perſonalitate terminante naturam humanam: ſed plures naturæ aſſūptæ, eſſent realiter diſtinctæ, tum inter ſe, tum à perſonalitate diuina.

SECTIO SEXTA.

Vtrum ſola perſona Verbi diuini de facto incarnata ſit.

Verè aliqua diuina perſona incarnata eſt.

STANTE quòd incarnatio verè & ſubſtantialiter facta fuerit, poſſet hic adduci error Arij, qui fatebatur quidem Verbum eſſe incarnatum, ſed negabat Verbum eſſe verum Deum, eſſe perſonam verè diuinam, atque adeo negabat vllam diuinam perſonam eſſe vere incarnatam. Sed iam prima par. in materia de Trinitate oſtenſum eſt, Verbum eſſe vèrum Deum, & omnes tres perſonas habere eandem prorſus Deitatem, eandem indiuiſam naturam diuinam. Quare neceſſe non eſt, denuò nunc hanc veritatem confirmare, & peruerſam Arij hæreſim confutare.

Benè poterat ſolum Verbum incarnari.

Magis ad hunc locum videtur accedere error Sabellij, qui cùm negaret diſtinctionem diuinarum perſonarum inter ſe, agnoſcere non poterat incarnationem vnius ſolius perſonæ abſque alijs, ſcilicet ſolius Verbi abſque incarnatione Patris & Spiritus Sancti. Vnde ex eo quod Sabelliani dicerent pariter Patrem ſicut Filium incarnatum fuiſſe, appellati ſunt Patripaſſiani, tanquam Patrem quoque in Chriſto paſſum facientes. Verùm contra hunc etiam errorem in eadem materia de Trinit. oſtendimus realem diſtinctionē trium diuinarum perſonarum inter ſe, iuxta catholicam fidem. Vnde ex hac parte manifeſtum remanet, ob incar-

nationem

rationem Filij, non eſſe etiam Patrem & Spiritum ſanctum incarnatos.

Non obſtāte identitate perſonarum cū eſſentia diuina.

Fuit poſtea quidam Clericus, contra quem diſputauit D. Anſelmus lib. de Incarnat. Verbi, qui non tam aſſerendo dicebat, incarnata vna perſona alias quoque eſſe incarnatas; quàm potiùs ſupponendo vnam ſolam eſſe incarnatam, hinc intendebat diſtinguere ipſas perſonas ab eadem natura diuina: eo quod ſi eſſent idem cum ipſa natura, non potuiſſet vna perſona abſque alijs incarnari. Sed etiam contra hunc errorem in eadem materia de Trinit. oſtendimus, verè perſonas non diſtingui à diuina natura, ſed eſſe prorſus idem cum illa: & optimè conſiſtere ſimul, diſtinctionem perſonarum inter ſe, vnitatem eſſentiæ in ſe, & identitatem perſonarum cum ipſa eſſentia. Atq; adeo ex incarnatione vnius perſonæ abſque alijs, nullatenus poterat oppugnari identitas ipſarum perſonarum cum eſſentia: ſed non obſtante hac identitate, ſufficiebat diſtinctio perſonarum inter ſe, ad hoc vt poſſet vna abſque alijs incarnari.

Solaquè perſona Verbi incarnata eſt.

Itaque certum & exploratum de fide eſt, ſolam Verbi perſonam de facto eſſe incarnatam. Quod manifeſtum planè eſt ex Sacra Script., in qua id ſingulariter ſe ſolo Verbo traditur, *Verbum caro factum eſt*, Et paſſim in Euangelio Chriſtus Dominus declarauit, ſe eſſe alium à Patre, alium à Spiritu ſancto, ſe eſſe Filium Dei. Idquè ipſum definitum eſt in Concil. Tolet. 6. cap. 1., Tolet. 11. in confeſs. fidei, Lateran. ſub Innoc. tertio, & alibi. Id credendum proponitur in Symbolis, in quibus de ſolo Filio incarnatio prædicatur. Nulluſque etiam Hæreticorum fuiſſe videtur, qui agnoſcens diſtinctionem trium perſonarum in Deo, non pariter confeſſus fuerit ſingularitatem incarnationis in ſola perſona Verbi.

Ob plures conuenientia rationes.

Nec debet aut poteſt hæc veritas alia ratione confirmari: niſi quòd quaſdam conuenientiæ rationes, quare potiùs perſona Verbi præ alijs perſonis diuinis incarnata ſit, adducit S. Thomas art. 8., quas videre eſt in textu, & nos in ſumma articuli indicauimus. Aliaſq; etiam huiuſmodi conuenientiæ rationes reddunt alij ex Patribus. Vt nempe idem qui in Trinitate eſt Filius Dei, fieret in Incarnatione filius hominis: Vt idem Filius Dei vindicaret iniuriam Patris: Vt Filius Dei in humana natura aſſumpta oraret ad Patrem, placaret Patrem: Vt Filius Dei naturalis, per redemptionem efficeret alios filios adoptiuos: Vt Filius qui eſt medius inter Patrem & Spiritum ſanctum, eſſet etiā inter Deum & homines mediator.

Dicitur etiam Deus incarnatus.

At vero, ſicut dicimus Verbum eſſe incarnatum, ita quoque dici poteſt ac debet, Deus eſt incarnatus: præcipuè ob identitatem perſonæ cum natura diuina. Quia eadem ratione dicimus, Chriſtum eſſe verum Deum, B. Virginē eſſe matrem Dei. Imo & Sancti Patres interdum dicunt, Diuinitatem eſſe incarnatam, humanatam, aſſumpſiſſe naturam humanam, vt notat S. Tho. art. 2. Proprius nomen loquendi modus eſt ille, Deus eſt incarnatus, eſt factus homo. Hoc autem dicitur: non quaſi præter vnionem humanæ naturę cū perſonalitate Verbi, adſit alia vnio immediata, hanc enim non dari ſect. ſequenti oſtendemus: ſed ſolùm quia ob identitatem perſonalitatis cum natura diuina, eadem ipſa vnione qua natura humana coniuncta eſt perſonalitati diuinæ, vnitur etiam mediatè naturæ diuinæ. Intantum, vt vtraquē natura pertineat ad conſtitutionem Chriſti Domini, qui eſt vna perſona, in duabus & ex duabus naturis ſubſiſtens & conſtans, vt iam ſuperiori quæſt. tractauimus.

Dicuntur et aliæ duæ perſonæ eſſe in Chriſto.

Et hinc rurſus, aliæ quoque duæ perſonæ diuinæ peculiari quodam modo ſunt in Chriſto, ſed nullo modo dici debent incarnatæ. Eſſe peculiari modo in Chriſto, docent communiter Sācti Patres, Baſil. Epiſt. 43., Cyrill. lib. 2. in Ioann. cap. 13. & aduerſus Antropomorphitas cap. 18. & epiſt. ad Valer., Auguſt. in ſerm. Dominicæ 3. Aduent., Ambroſ. in illud 2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto*, alijque frequenter. Patet etiam ratione: quia ob identitatem trium perſonarum cum eſſentia, non poteſt alicubi reperiri vlla perſona abſque eſſentia, non poteſt reperiri eſſentia abſque perſonis; alioqui daretur ſepa-

Digitized by Google

ſeparatio realis, quæ prorſus dictæ identati repugnat: cùm ergo in Chriſto ſit perſonalitas Verbi, & conſequēter eſſentia diuina, omnino adſunt etiā aliæ duę perſonæ. Ita vt, ſi per impoſſibile Deus non eſſet immenſus, non reperiretur vbique; omnino adhuc eſſe deberet in Chriſto ex vi incarnationis, non ſolùm inquam quoad eſſentiā, ſed etiam quoad alias duas perſonas. Et hæc eſt quæ à Teeologis vocatur circuminſeſſio diuinarum perſonarum, vt inter alias explicationes adduximus ſuo loco de Trinit. 1. par. q. 42. Quare non oportet in hoc ponere diſtinctum modum præſentiæ diuinarum perſonarum, præter ipſammet hypoſtaticam vnionem, connotando identitatem perſonarum cum eſſentia.

Nec obſtat quod dixit D. Dionyſ. cap. 2. de Diuin. Nominib., Patrem & Spiritum ſanctum non communicare cum Verbo in ijs quæ ſunt humanæ aſſumptionis. Et quòd Concil. Trident. ſeſs. 13. cap. 3. aſſignans ea quæ per concomitantiam ſunt in Sacramento Euchariſtiæ ſimul cum corpore & ſanguine Chriſti, non connumerat Patrem & Spiritum ſanctum. Nam Dionyſ. intellexit, non communicare, ideſt non per ſe vniri humanitati, non illam hypoſtaticè terminare, non denominari actionibus, paſſionibus, prædicatis humanitatis Chriſti. Tridentinum verò, vel includere voluit eas duas perſonas ſub eodem nomine Diuinitatis, quam quidem per concomitantiam in Sacramento expreſsè conſtituit: ſicut ſine dubio includere intendebat perſonam Verbi, quam non diſtinctè nominauit. Vel tantùm connumerare voluit ea quę intrinſece ſunt aliquid ipſius Chriſti, & quæ comprehenduntur ſub ipſo nomine Chriſti, quando dicitur totus Chriſtus.

Nō tamen dicuntur incarnatæ.

Non eſſe verò alias duas perſonas incarnatas in Chriſto, quod quidem ſtatuimus eſſe de fide, explicatur magis; quia humanam naturam eſſe hypoſtaticè vnitam cuidam perſonæ & non alijs, non requirit nec indicat ſeparationem realem ipſarum perſonarum inter ſe, ſed ſolam diſtinctionem. Poteſtque optimè fieri, vt quamuis perſonæ ſint omnes ſimul; tamen natura humana ſit hypoſtaticè coniuncta vni ſoli & non alijs, vnio hypoſtatica referatur ac terminetur ſolùm ad vnam & non ad alias. Nec etiam inquam mediate, ſcilicet mediante eſſentia, cui alioqui concedimus naturam humanā eſſe mediante perſonalitate Verbi vnitam. Etenim, quamuis id quod dicitur de perſona, poſſit dici de eſſentia in concreto; & quod dicitur de eſſentia ratione ſui ipſius, dicatur de perſonis: tamen id quod per ſe ac directè dicitur de vna perſona ratione ipſius perſonæ, & conſequenter de eſſentia ſolùm ratione talis perſonæ; non propterea dicetur de alijs perſonis, vt notauit optime S. Tho. in 3. d. 1. q. 2. art. 1. ad 3. Et manifeſtè patet in ipſo myſterio Trinitatis: cum enim dicamus Pater generat, dicimus etiam Deus generat, non tamen dicimus Filius generat. Et hæc eſt ratio, quare ſi humana natura eſſet immediatè vnita naturæ diuinæ; tunc quidem omnes tres perſonæ dicerentur incarnatæ, quoniam verè de omnibus perſonis dici debet, quicquid dicitur de Deo per ſe ratione eſſentiæ: ſed non poſſunt dici alię duę perſonæ incarnatę, per hoc quod vna perſona per ſe incarnata ſit.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Verbum diuinum humanitatem aſſumpſerit, ratione diuinæ eſſentiæ, vel ſolùm proprietatis perſonalis.

QVatenus aſſumptio dicit efficientiam, conuenit ſanè Verbo ratione diuinæ eſſentiæ. Sed quatenus dicit terminationem de qua nūc agimus: certum quidem eſt, ſimpliciter conuenire Verbo ratione ſuæ proprietatis perſonalis; alioqui non poſſet ſaluari, ſolam perſonam Verbi eſſe incarnatam. Sed dubium eſt, an etiam conueniat ratione diuinæ eſſentiæ: ſcilicet num vnio humanæ naturæ, per ſe directe ac proximè terminata ſolùm ſit ad perſonalitatem Verbi, vel etiam ad diuinam eſſentiam.

Ocham.

Digitized by Google

Auctorum quorundā placita.

Ocham. in 3. q. 1. art. 2. & Gabr. d. 1. q. 1. art. 1. notab. 5. ſignificanti, vnionē humanitatis terminari per ſe ad totam entitatem Verbi diuini: eo quòd hi Auctores nullam diſtinctionem admittunt inter eſſentiam & perſonalitatem in Deo. Sed tamen hoc fundamentū ſupponimus eſſe falſum ex ſuo loco de Trinit., vbi oſtendimus diſtingui ratione & virtualiter diuinas proprietates perſonales ab eſſētia, ob quā diſtinctionē optime poteſt aliquid cōuenire proprietati & nō eſſentiæ, ſicut pariter eſſentiæ & non proprietati. Durand. in 3. d. 1. q. 2., præter vnionē humanitatis ad perſonalitatem Verbi, ponit aliam diſtinctam vnionem ad eſſentiam diuinā, & hanc illa priorem: dicens, Verbum aſſumpſiſſe humanitatem; primario ratione eſſentiæ; ſecundario ratione proprietatis. Quia nempe putat, in Deo non dari aliam ſubſiſtentiam, quàm eſſentialem & abſolutam: & ne hinc cogeretur dicere omnes tres perſonas eſſe pariter incarnatas, addidit aliam vnionem peculiarem ad perſonalitatē Verbi. Capreol. ead. d. q. 1. concl. 3. & ad argum. cont. eandem, putans quoque ſolam ſubſiſtentiam abſolutam in Deo reperiri; ait humanitatem per priùs quidem vnitam fuiſſe perſonalitati Verbi, ſed conſequenter vnitam quoque immediate fuiſſe diuinæ eſſentiæ. Sotus demum & Victoria apud Vaſquez diſp. 26. num. 5. dixerunt ſimiliter, naturam humanam terminari diuina ſubſiſtentia abſoluta, quatenus tamen determinata & quaſi modificata per propriam Verbi perſonalitatem.

Verbum aſſumpſit humanitatem ratione ſolius perſonalitatis.

Dicendum tamen eſt cum communi ſententia, Verbum diuinum per ſe aſſumpſiſſe: ac immediate terminare humanam naturam, ratione ſolius proprietatis perſonalis. Ita ſumitur ex D. Tho. hic art. 2. Defenditur à Caiet., Medina, Cabrera ibidem, Valent. puncto 1., Suarez diſp 12. ſect. 2., Vaſquez diſp 26. cap. 2., alijſque Recentioribus. Eſt etiam Alenſis 3. par. quæſt. 4. memb. 1., Scoti in 3. d. 1. q. 1. §. *In iſta quæſtione*, Riccar. art. 1. q. 2., Almaini q. 1. art. 5., Palud. q. 2. art. 3., Bonau. art. 1. q. 2., Gabr. q. 1. art. 1., Marſil. quæſt 2. art. 1., & aliorum. Soletque reputari tam certa hæc concluſio: vt oppoſitam Durandi ſententiam, tanquam parum in fide tutam, vel etiam grauiori nota dignam cenſeant.

Auctoritate probatur.

Probatur primò auctoritate. In Concil. Tolet. 11. in confeſs. fidei poſt medium, manifeſte definita videtur his verbis: *Solus tamen Filius formam ſerui accepit, in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ; in id quod proprium eſt Filio, non quod commune Trinitati.* Et in ſexta Synodo generali act. 8. habetur ex Dionyſ. cap. 2. de Diuin. Nomin., Patrem & Spiritum ſanctum non alia ratione communicaſſe in Incarnatione, quam benignitate, voluntate, & operatione: non ergo communicarunt etiam terminatione ſecūdùm diuinam naturam ijs æqualiter communem. Item D. Auguſt. in ſerm. Domin. 3. Aduent. aperte docuit, Filiū ſuſcepiſſe carnem in ſua proprietate, Patrem & Spiritum ſanctum adfuiſſe in ſua Maieſtate: & in carne ſolam quidem eſſe Filij proprietatem, non tamen ab eo receſſiſſe Patris & Spiritus ſancti diuinitatem.

Ratione, quia ſolùm Verbū humanitatē aſſumpſit.

Probatur ſecundò ratione. Si natura humana eſſet immediatè vnita eſſentiæ diuinæ, ſequeretur eſſe quoque per ſe & ſubſtantialiter vnitam Patri & Spiritui ſancto. Nam, quamuis ratione eius vnionis quæ terminatur ad ſolam Filij proprietatem, non ſit vnita alijs perſonis: tamen ratione alterius vnionis planè eſſet vnita: quia id quod per ſe conuenit naturæ diuinæ, eo ipſo cōuenit quoque omnibus perſonis, vtpote quibus ipſa natura eſt communis. Idque Durand. ipſe num. 13. planè fatetur. Quod non aduerterat Vaſq. cap. 2. dicens contra Capreol., id non fuiſſe dictum nec leuiter inſinuatum à Durando. At vero conſequens eſſe prorſus abſurdum, patet, quia alienum plane eſt à catholica doctrina, & à modo loquendi Concilior. & Patrum, vnde habemus, humanitatem Chriſti nō alteri perſonæ quàm ſoli Verbo fuiſſe vnitam.

Solum Verbum eſt incarnatum.

Tertio præterea; exinde ſequeretur rurſus, non ſolum Filium, ſed etiam Patrem ac Spiritum ſanctum eſſe incarnatos, dicique poſſe Pater eſt homo,

mo, & ſimiliter de Spiritu ſancto. Quia videlicet illa humanitatis vnio quæ immediatè ad diuinam eſſentiam terminaretur, communis eſſet Patri & Spiritui ſancto. Atque ſicut, ratione huius vnionis dicere valeret, Deus eſt incarnatus, Deus factus eſt homo, idq; conueniret Deo per ſe ratione diuinæ eſſentiæ quæ communis eſt Patri & Spiritui ſancto; valeret etiam id dicere de Patre & Spiritu ſancto. Porrò Durand. ipſe q. 4. num. 7. defendit, potuiſſe Deum adiungere & vnire humanam naturam ſuæ eſſentiæ, abſque alia vnione ad perſonam. Conceditquè in eo euentu poſſe dici, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quatenus Deus, ſunt homo: licet non abſolutè abſque illa limitatione quatenus Deus. Si ergo de facto datur hæc vnio humanitatis immediatè ad eſſentiam diuinam, de facto quoque talis propoſitio admittenda eſſet. Idquè non obſtante vnione peculiari ad perſonalitatem Verbi: quæ ſanè non illud tolleret: ſed ſolùm addit hoc iuxta doctrinam Durandi, quòd dicere valeat abſolutè & abſque alia limitatione. At certè id nullatenus eſt admittendum. Tum quia, alienum prorſus eſt, à catholica doctrina, & à modo loquendi Sanctorum, dicere Pater quatenus Deus eſt homo, eſt incarnatus. Tum quia, de Chriſto ipſo & Verbo diuino, cùm vltro dicamus, Chriſtus eſt homo, Verbum eſt homo: non tamen dicimus, inquantum Deus eſt homo. Tum etiam, ſi dici poſſet cum ea limitatione Pater inquantum Deus eſt homo, ſequeretur dici quoque poſſe abſolutè, eſt homo: quæ enim conueniunt perſonis ratione diuinæ eſſentiæ, & dicuntur de perſonis ratione eſſentiæ, dici quoque poſſunt & ſolent liberè & abſolutè de ipſis perſonis: vtpote Pater eſt omnipotens, Pater creat, & ſimilia.

Sola perſonalitas Verbi terminat humanitatë. Quartò. Cùm hæ rationes procedãt tàm cõtra ſententiam Capreoli, quàm Durandi: addi poteſt contra ſententiã Soti & Victoriæ: quod non aliter poteſt concipi, vnionem humanitatis terminari ad ſubſiſtentiam diuinam abſolutam vt modificatam perſonalitate Verbi: niſi vel dicendo, humanitatem eſſe vnitam immediatè vtrique, quod iam improbatum eſt: vel immediatè ad ſubſiſtentiam abſolutam, eaquè mediãte ad perſonalitatem Verbi, quod magis falſum eſt: vel immediatè ad perſonalitatem Verbi, & mediatè ad ſubſiſtentiam abſolutam. Et hoc modo nos admittimus de facto naturam humanã eſſe mediatè vnitam etiam eſſentiæ diuinæ: quod & à Sanctis conceditur. Sed ſic iam patet, rationem terminandi non eſſe eſſentiam, ſed ſolam perſonalitatem: ea enim eſt ratio terminandi, ad quam per ſe & proximè vnio terminatur.

Eraq; quæ per ſe apta & ſufficit. Quintò demum hæc veritas ſimpliciter demonſtratur: quia in ipſa perſonalitate Verbi habemus rationem ſubſiſtendi, qua indiget humana natura, vt in materia de Trinit. 1. par. q. 30. probauimus: ergo quantum neceſſe eſt ad ſubſiſtendum, ſufficienter vnitur humanitas cum perſonalitate Verbi, neque debet vniri ſimul cum ſubſiſtentia abſoluta Dei. Et ita corruit fundamentum Durandi & Capreoli. Rurſus humanitas non indiget vnione ad exiſtendum, quaſi carens propria, debeat exiſtere per exiſtentiam diuinam, quæ propriè loquendo in Deo non eſt niſi abſoluta, vt eadem loco de Trinit. notauimus. Pro qua re poſtea q. 17. oſtẽdemus, humanitatem Chriſti habere propriam exiſtentiam, & non exiſtere per diuinam. Atque ita corruit fundamentum aliorum quorundam Thomiſtarum. Ea vero argumenta quæ Durandus contra ſubſiſtentiam relatiuam diuinarum perſonarum opponit, eodẽ loco de Trinitate ſoluta à nobis ſunt.

SECTIO OCTAVA.

Quo pacto Verbum diuinum abſque vlla ſui mutatione & imperfectione incarnatum ſit.

Difficultatis ratio. HÆC eſt præcipua difficultas, quæ circa myſterium incarnationis ex parte Diuini Verbi occurrit. Et ratio difficultatis eſt: quia cùm Verbum ante incarnationem non eſſet homo, & per incarnationem factum

ſit

Digitized by Google

ſit homo, aliter ſe habet poſt quàm antea: ſed mutari non eſt aliud quàm aliter & aliter ſe habere: ergo Verbum diuinum immutatum eſt. Et non ſolùm extrinſece, ſicut per alias operationes ad extra & denominationes, quatenus dicitur Deus de nouo in tempore creare, & ſimilia. Sed intrinſecè, quia Verbum eſt intime humanitati coniunctũ. Item Verbum incarnatum videtur de nouo habere in ſe quandam formam & perfectionem quam antea non habebat: humanitas enim eſt quædam forma & perfectio: at immutari & recipere nouam perfectionem, indicat & oſtendit imperfectionem ſubiecti, quod poſſit de nouo perfici: ergo videtur incarnatio arguere imperfectionem in Verbo diuino.

Prima reſponſio. Ad hanc difficultatem plures dicendi modi excogitati ſunt. Primò Valentia q. 1. puncto 1. ad 2. argumentũ, hac ratione declarat, Verbum in incarnatione non eſſe immutatum: quia inquit, tunc ſolùm aliquid dicitur immutari, quando ita acquirit aliquam formam, vt eam priùs nullo modo haberet: at Verbum perfectiſſimo modo eminenter continebat in ſe humanitatem, ſicut & omnem aliam formam ac perfectionem creabilem: ergo nullã ſubijt in incarnatione mutationem. Quod magis declarat per hoc quod Verbum poteſt efficere ac producere, tum ipſam humanitatẽ, tum quicquid ab eadem humanitate in fieri abſque imperfectione poteſt. Et ideo ait, potentiam vitalem, recipiendo in ſe actũ vitalem, quem alioqui eminenter continebat, adhuc mutari, quia non tàm perfecte continet eminenter actum vitalem: quamuis enim poterat efficere ipſum actum, non tamen efficere poterat quicquid poteſt ab actu ipſo fieri. Verum hæc continentia eminentialis effectuum, parum referre videtur ad tollendam rationem mutationis. Certè enim ſi aliqua forma adueniret perſonæ diuinæ, in eaquè reciperetur tanquam in ſubiecto, ſequeretur perſonam diuinam immutari, non obſtante illa continentia eminentiali: & idcirco dicimus, nullã formã poſſe in Deo ſubiectari, quia Deus non poteſt immutari.

Secunda reſponſio. Secundò. S. Thomas infra q. 16. art. 6. ad 2. reſpondet, ea quæ relatiuè dicũtur, poſſe de nouo dici de Verbo diuino abſque eius mutatione. Hæc reſpõſio, quæ per ſe non ſatis clara eſt, obſcure etiam à Caietano explicatur. Nec videtur planè ſatisfacere, niſi magis explicetur. Adhuc enim non ſatis apparet, quare per ipſammet humanitatem de nouo additam Verbo diuino, quæ vtique non eſt relatio, dici non debeat Verbum immutatum. Nec etiã apparet, quare per nouam relationem, ſi ſit realis & intrinſeca, dici non debeat immutari ſubiectum: & quidem propterea nõ admittuntur in Deo nouæ relationes ex tempore.

Tertia reſponſio. Tertio reſpondent alij; Verbum non eſſe immutatum, quia non recepit in ſe ſubiectiuè vnionem, aut humanitatem: illudquè ſolum dici debet immutari, quod aliter & aliter ſe habet, de nouo ſubiectando aliquam formam. At certè, non ſolùm illud quod de nouo ſubiectat formam, dicetur propriè immutari; ſed pariter illud quod de nouo ſubiectatur. Iſtud enim ſimpliciter dicitur mutari, quod aliter & aliter ſe habet cum imperfectionis nota: id verò non minùs conuenit formæ quæ de nouo recipitur in ſubiecto, quàm ipſi ſubiecto quod de nouo recipit in ſe formam.

Verã reſponſio. Quarto ergo reſpondendum eſt, illud vere mutari, quod non quomodocunq; aliter & aliter ſe habet, ſed cum aliqua imperfectionis nota, quæ quidem reperitur in ſubiectando, vel actiue, vel paſſiue, ſcilicet in eo quod ſubiectat, & in eo quod ſubiectatur. At Verbum diuinum ita vnitur humanitati intrinſecè, quòd tamen neque ſubiectat neque ſubiectatur: quare non dicitur immutari. Vel ſi quis contenderet, mutari eſſe quomodocunque aliter & aliter ſe habere: atque adeo Deum per nouam rerum creationem mutatum eſſe effectiuè; & ſimiliter Verbum diuinum per nouam vnionem mutatum eſſe terminatiuè, quatenus incepit de nouo terminare humanam naturam quam antea non terminabat: ſic negandum eſſet, in omni mutatione inuolui imperfectionem. Neque quoad rem

attinet, dicere Verbum diuinum immutatum eſſe terminatiuè, plus denotaret imperfectionem, quàm dicere Verbum in incarnatione incepiſſe de nouo terminare humanitatem: in quo prorſus nulla eſt imperfectio. Sed ſolùm illa mutatio quæ exercetur in ratione ſubiectationis, importat imperfectionem Deo repugnantem: ideoquè nullo modo poteſt Deo conuenire. Sed tamen, quia mutationis nomen apud Theologos & Philoſophos, & ſecundùm modum loquendi Sanctorum Patrum, imperfectionem ſonat: ideo abſolute loquendo, non eſt in hoc admittenda mutatio, nec talis loquendi modus admittendus eſt. Sed ſtandum eſt priori explicationi quam aſſignauimus.

Eademque ratione ſaluandum eſt, Verbo diuino non acceſſiſſe nouā perfectionem in incarnatione. Non enim aliquid dicitur perfici, niſi dicitur immutari: neque Verbum diuinum erat capax nouæ perfectionis, nec perfectio eius erat humanari. Sed benè humana natura eſt, quæ per hypoſtaticā vnionem ad ſtatum perfectiſſimum ſublimata fuit. Neque etiam Chriſtus ipſe, ſiue totum compoſitum ex diuinitate & humanitate, dici debet magis perfectum, quàm perſona diuina in ſe ſumpta. Cùm enim infinita & ſumma ſit perfectio diuinæ perſonæ, admitti non debet quicquam magis perfectum. Sed ad ſummum concedi poteſt, plures perfectiones eſſe, perſonam diuinam & naturam creatam, quàm ſolam perſonā diuinā: natura enim humana verè eſt in ſe perfectio quædā, & realiter diſtincta à perfectione infinita & increata Verbi, & ſic verè ſunt plures perfectiones.

Obiectiones ſoluuntur. In contrarium Obijcies primò. Si perſonalitas vel perſona aliqua creata, de nouo vniretur alicui naturæ, vtique mutaretur: ergo etiam perſona diuina dici debet ſubijſſe aliquam mutationē.

Reſpondet Valentia, diuerſam eſſe rationem: quia perſonalitas creata non ita continet eminenter naturam cui vniretur, ſicut ipſe dixerat de perſona diuina. Sed meliùs reſpondetur, non ſolùm eſſe caſum impoſſibilem. Sed ſi eſſet poſſibilis: tunc ſi ita fieret vnio, vt perſonalitas ſeu perſona creata, neque ſubiectaret, neque ſubiectaretur, verè tunc non immutaretur. Si autem aliter fieret, iam mutaretur: & tunc ex hoc ipſo manifeſta eſſet diſparitas ad perſonam diuinam.

Obijcies ſecundò, maiorem videri perfectionem Verbi incarnati, quàm per ſe ſumpti, & quàm alterius perſonæ diuinæ non incarnatę: quia Verbū ex eo quod incarnatum eſt, plus eſt à nobis diligendum, quàm ſi non eſſet incarnatum, & quàm alia perſona non incarnata. Etenim præter bonitatem intrinſecam diuinæ perſonæ, datur hęc ratio incarnationis, quæ videtur addere peculiarem bonitatem ſeu beneficētiam in actu ſecundo, prouocantem ad maiorem dilectionem.

Reſpondetur cum D. Thoma quæſt. vnica de Vnione Verbi incarnati art. 1. ad 9., incarnationem nihil bonitatis adieciſſe diuinæ perſonæ, & ſic etiam diligibilitatis: ideoquè perſonam Verbi incarnatam, non per hoc eſſe plus diligendam, quàm perſonam Verbi ſimpliciter, aut aliam perſonam diuinam non incarnatam. Sed tamen Verbum eſſe quoque hac peculiari ratione diligendum: itaut hæc ſit quidem alia ratio diligendi, non tamen maior ratio, aut plus diligendi. Et licèt incarnatio importet quandam bonitatem ſeu rationem diligibilitatis, non tamen importat maiorem, quam ſit in diuina perſona per ſe ſumpta. Quare, ſicut notauimus, non eſſe dicendum, humanitatem cōſtituere cum perſona Verbi aliquid magis perfectum, ſed ſolùm conſtituere plures perfectiones: ita dicendum non eſt, conſtituere magis bonum vel magis diligibile; ſed ſolùm multiplicare plures rationes bonitatis ac diligibilitatis. At & aliæ quoque diuinæ perſonæ ſunt ob hanc ipſam rationem pariter diligendæ: quia in hac re motiuum dilectionis in nobis ſumitur ex dilectione & volūtate Dei, qua hoc ſingulare myſterium peractū eſt: & certè ex vna ac indiuiſa omniū perſonarum diuinarum dilectione, & voluntate, hoc præſtantiſſimum beneficium humano generi collatum eſt, vt nempe Verbum diuinum humanam naturam aſſumeret.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

De Natura Humana Aſſumpta.

TRACTATIONEM de humanitate aſſumpta, in plures quæſtiones diuidit Sanctus Doctor. Cùm enim humana natura ſuis partibus componatur, priùs agit de aſſumptione eius in ſe, ac poſtea quoad partes eius. Et præſentem quæſtionem, quæ eſt de humanitate & aſſumptione ſimpliciter ſumpta, in ſex partitur articulos. Primò docet, fuiſſe magis aſſumptibilem ex congruitate naturam humanam à Deo, præ qualibet alia natura: tum ob dignitatem, quia natura humana eſt rationalis: tum ob neceſſitatem, quia erat lapſa. Quæ vtraque conuenientia deerat in natura irrationali. Natura verò angelica non erat reparanda. Secundò negat, aſſumptam fuiſſe perſonam humanam à Verbo: quia neque modo datur in Chriſto perſona humana diſtincta à perſona Verbi: neque debebat priùs exiſtere humana perſona in natura aſſumenda, ac deinde aſſumptione deleri. Tertio ſimiliter negat, fuiſſe aſſumptum hominem: quia hoc loquendi modo ſignificaretur perſonâ humanam fuiſſe aſſumptâ. Quarto negat, debuiſſe aut potuiſſe aſſumi humanitatem ab indiuiduis naturis abſtractam: quia nec datur natura ſic realiter abſtracta, nec ſi daretur debuiſſet aſſumi. Per intellectum verò abſtracta, non realiter aſſumeretur, ſed intelligeretur tantùm aſſumi: quæ non eſſet vera aſſumptio, ſed cogitatio quædam aſſumptionis. Quintò negat, debuiſſe à Verbo aſſumi naturam humanam in omnibus ſuis indiuiduis: tum quia non debebat tolli multitudo ſuppoſitorum, quæ eſt connaturalis humanæ ſpeciei: tum quia id non conueniebat dignitati Verbi Diuini, ad quam potiùs ſpectabat, vt vnus eſſet Chriſtus primogenitus in multis fratribus: tum quia, ſicut vna ſola perſona eſt incarnata, ita vna ſola natura debebat aſſumi. Sexto demum docet, conuenienter Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturam humanam ex ſtirpe Adami: tum propter ordinem iuſtitiæ, vt per naturam ductam ex illo qui peccauerat ſatisfieret: tum propter dignitatem hominis, vt per naturam ductam ex illo qui a Diabolo victus fuerat, victoria referretur: tum propter laudem diuinæ potentiæ, dum de natura lapſa & infirma, aſſumptum eſt id quod in tantam virtutem ac ſublimitatem prouectum eſt.

SECTIO PRIMA.

Vtrum proprium ſit Naturæ ſubſtantiali poſſe aſſumi à Deo.

NATVRAM creatam poſſe aſſumi à Deo, patet iam ex ipſa fide huius myſterij. Et ſpecialiter naturam ſubſtantialem: ſiquidem talis de facto aſſumpta eſt. Sed etiam formam accidentalem poſſe à Deo aſſumi, atque adeo id non eſſe proprium naturæ ſubſtantiali, affirmant Gabr. in 3. d. 1. q. 2., Maior q. 3., Almain. d. 2. q. 2., Marſil. q. 3. art. 1. Conſentiunt Medina hîc art. 1. dub. 1., Aluarez diſp. 22., Valent. q. 4. puncto 1. Ex oppoſito, ſolam naturam ſubſtantialem, non verò accidentalem poſſe aſſumi, docent Baſſolis in 3. d. 2. q. 1. art. 2.,

Digitized by Google

Palat. q. 1., Suarez hîc diſp. 14. ſect. 4., Vaſq. diſp. 3. cap. 5., Raguſa diſp. 56. cap. 4., Becanus cap. 5. q. 5., Tannerus q. 4. dub. 2., Bonacina q. 4. puncto 5., alijque plures.

Poteſt accidens mediatè aſſumi.

In hac re, Primo certum eſt, poſſe accidens quodammodo mediate aſſumi à Deo: quatenus nempe aſſumitur natura ſubſtantialis, in qua inueniuntur accidentia, ſicut de facto erant vtique in natura humana Chriſti. Quo tamen modò accidentia ſecundum ſe non aliter ſe habent in exiſtendo, quàm ſi ſubſtantia cui inhærent, per ſe & in proprio ſuppoſito ſubſiſteret. Quoniam accidentia ipſa non habent alium ordinem vel dependentiam immediatè ad ſubſiſtentiam qua terminatur natura ſubſtantialis, cui quidem adæquatè inhærent. Quare per mutationem ſubſiſtentiæ terminantis naturam, propriæ vel alienæ, non eſt cur immutetur modus exiſtendi accidentium in ipſa natura, quæ eſt immediatum eorum ſubiectum.

Non poteſt immediatè dum actu inhæret alteri ſubiecto.

Secundo. Loquendo de aſſumptione immediata, accidens actu inhærens in ſubiecto, ſtante inhærentia, non poſſe à Deo aſſumi, facile conſtat, & admittitur etiam ab Auctoribus primæ ſententiæ, qui fatentur, non poſſe eandem formam ſimul exiſtere per ſe, & in alio, non poſſe idem accidens ſimul habere duplicem eſſendi modum, & in ſubiecto, & per ſe. Cùm enim vnio ad ſubſiſtentiam diuinam ponatur loco propriæ ſubſiſtentiæ quam res poterat ac debebat naturaliter habere: ſi accidens dum actu inhæret, non poteſt ſimul habere modum per ſe exiſtendi, pariter non poterit participare modum vnionis ad ſubſiſtentiam diuinam.

Non poteſt aſſumi ad inhærendū Deo.

Tertio. Certum prorſus eſt, non poſſe accidens aſſumi à Deo per modum ſubiecti, quaſi ſcilicet accidens eleuetur ad inhærendum diuinæ perſonæ. Hic enim modus recipiendi in ſe accidens, ſupponit potentiam receptiuam & paſſiuam in ſubiecto, ac ponit mutationem in ipſo ſubiecto, vt manifeſtum eſt in rebus creatis. Deus autem eſt penitus expers potentiæ paſſiuæ & receptiuæ, cùm ſit purus actus: eſt prorſus incapax huiuſmodi mutationis. Et iam ex ratione ipſa diuinæ perfectionis notum erat, nulla accidentia poſſe habere locum in Deo per modum ſubiecti. Igitur fieri omnino non poteſt, vt hoc pacto forma vlla accidentalis aſſumatur à Deo.

Non poteſt aſſumi ad conſtituendum ſuppoſitum.

Quartò ſimiliter certum eſt, non poſſe accidens aſſumi à Deo ad conſtituendam perſonam, vel hypoſtaſim, vel quid Vnum ſubſtantiale: atque adeo proprium eſſe ſolius naturæ ſubſtantialis, poſſe hoc modo aſſumi. Patet manifeſte: quia non poteſt conſtitui vnum ſubſtantiale ex forma quapiam aut natura accidentali: idque ex ratione ipſa communi compoſitionis & conſtitutionis: perſona autem & hypoſtaſis maximè eſt quid ſubſtantiale. Non ergo forma vlla accidentalis, ſed ſola natura ſubſtantialis, poteſt hoc modo aſſumi.

Vide tur poſſe aſſumi ad per ſe exiſtendū.

Quinto itaque, dubium ſolùm remanet, An ſicut accidens quod ex natura ſua debet inhærere ſubiecto, poteſt conſeruari à Deo per ſe exiſtens abſq; ſubiecto, vt de facto in Sacramento Euchariſtiæ: ita poſſit aſſumi à perſona diuina, ſiue vniri cum diuina ſubſiſtentia ad hoc vt tali modo per ſe exiſtat. Et quidem ſupponendo, poſſe accidens per ſe conſeruari à Deo mediante peculiari modo ſubſiſtendi ſeu per ſe exiſtendi, poſitiuo & abſoluto: quo pacto plerique volunt de facto conſeruari quantitatem in Sacramento Altaris: ſic non apparet ſufficiens repugnantia quare loco talis modi nō poſſet à Deo accidēs cōſeruari mediāte alio modo vnionis cū perſona diuina. Et rurſus ſupponēdo poſſe accidēs conſeruari, ac de facto conſeruari in Sacramento Euchariſtiæ virtute diuina, mediante peculiari modo vnionis cum corpore & ſanguine Chriſti; non inquam modo inhęſiuo tanquam in ſubiecto, ſed modo coniunctiuo alterius generis, ſupplente vicem inhæſionis naturalis: vt quidem notauimus q. 21. Philoſoph. ſect. 4. circa naturam accidentis in communi, & proprio loco tractabimus hac 3. par. q. 77. circa Sacramentum Euchariſtiæ: ſic ſanè tātò magis non apparet repugnantia,

quare

quare non poſſet conſeruari per huiuſmodi vnionem immediatè cum diuina ſubſtantia. Quæ quidem vnio, nequaquam eſſet vnio hypoſtatica, ſicut naturę ſubſtantialis in perſona diuina: ſed eſſet vnio quædam alterius generis, accomodata naturæ accidentali. Quod totum valde dependet ex modo miraculoſo exiſtendi, qui de facto tribuitur accidenti in Sacramento Euchariſtię.

Sed non prædicaretur de Deo iuxta præſentem ſignificationem.

Maior autem difficultas quæ ſolet conſiderari in tali vnione formæ accidentalis cum diuina perſona, eſt: quia deberet talis forma prædicari & affirmari de diuina perſona: quod tamen non debet admitti, quia nec in abſtracto poſſet dici Deus eſt quantitas, nec in concreto Deus eſt quantus. Sed ad hoc fatendum vltrò eſt, iuxta formam loquendi & ſignificationem nominum quam de facto habemus, non poſſe accidens in illa hypoteſi prædicari de Deo. Non in abſtracto: quia hic modus ſignificat identitatem prædicati cũ ſubiecto: vnde nec etiam humanitas de facto ſic prædicatur de Verbo. Non in concreto: quia hic modus in prædicato accidentali denotat inhærentiam, quæ longè abeſt à Deo, nec poteſt accidens ei inhærere. Si tamen in eo caſu induceretur alia ſignificatio, vel alia loquendi forma proportionata ad illum modum vnionis, exprimens tantùm talem vnionem abſque vlla imperfectione Dei: ſic poſſet tunc accidens prædicari de Deo, vt rectè aduertit ac reſpondet Valentia.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum commune ſit omni naturæ ſubſtantiali, poſſe aſſumi à Deo.

IN primis refert Vualdenſ. lib. 1. Doctrinal. fidei cap. 44. Vuicleſſum dixiſſe, non potuiſſe aliam ſingularem naturam humanam à diuina perſona aſſumi, niſi illam indiuiduam, quæ de facto aſſumpta eſt. Sed hoc planè eſt omnino irrationabile: quia diuina potentia, & diuina perſona, eodem modo ſe habebat reſpectu cuiuſcunque ſingularis humanitatis: & quæcunque ſingularis humanitas eodem modo ſe habebat reſpectu diuinæ perſonæ: eodemque modo erant ſine dubio aſſumptibiles ſingulæ humanæ naturæ in indiuiduo.

Poterat aſſumi quælibet ſingularis humana natura.

Secundò. Refertur ſententia Alberti in 3. d. 2. art. 1., ſolam naturam humanam, non autem angelicam, potuiſſe aſſumi à Deo. Vel quia natura angelica eſt incorruptibilis: vel quia in Angelis non diſtinguatur ſuppoſitum à natura. Certum tamen eſt cum S. Tho. hîc art. 1. ad 3. alijſque communiter, naturam angelicã poſſe aſſumi à Deo. Quod non obſcure colligitur ex illo Apoſtoli ad Hebr. 2., *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Planè enim in hoc ſupponebat Apoſtolus, non ex impoſſibilitate rei, ſed ex voluntate Dei factum eſſe, vt Deus non aſſumeret naturam angelicã, ſed humanam. Itaque etiam in Angelis diſtinguitur, ſuppoſitum à natura, ſicut in hominibus. Et S. Thomas adducit, poſſe de nouo creari à Deo naturam aliquam angelicam abſque propria ſubſiſtentia, & ſtatim vniri cum diuina perſona, & ſic non corrumperetur perſona Angeli. Sed etiam potuiſſet Deus, quando ab initio creauit hos ipſos Angelos, ſingulorum naturam aſſumere. Atque etiam nunc poſſet aſſumere deſtruendo propriam perſonalitatem. Quod licèt non ſit poſſibile naturaliter, eſt tamen poſſibile reſpectu diuinæ potentiæ abſolutæ.

Poterat aſſumi omnis natura rationalis, etiam angelica.

Poſſet aſſumi etiam natura irrationalis.

Tertiò. Alenſis 3. par. q. 2. memb. 7. & q. 12. memb. 1. art. 1., Henric. Quodlib. 13. q. 5., Bonau. in 3. d. 2. art. 1. q. 1., Picus Mirandul. in Apolog. in deſenſ quartæ propoſitionis, opinati ſũt, ſolam naturam rationalem, complectendo humanam & angelicam, potuiſſe aſſumi; ſed naturam irrationalẽ non eſſe aſſumptibilem. Communis tamen & vera ſententia eſt, id non repugnare de potentia abſoluta Dei. Eſt D. Thomæ in 3. d. 2. q. 1. art. 1., qui non docet oppoſitum hic art 1., quinimò idem non obſcurè confirmat: licet de eius mente hoc loco ferè dubitet Vaſq. diſp. 30. cap. 4. Eſt item Scoti, Durandi, Palud., Capreol. in 3. d. 2., Caiet. & aliorum Thomiſtarum hic art. 1., Suarez diſp. 14. ſect. 2., Vaſq. ead. diſp. 30., Lorca diſp. 27., Valent. q. 4. puncto 1.

Suadetur, Tum auctoritate quorundam Patrum qui id ſignificãt, D. Auguſt. lib. de Vera & falſa Religione cap. 16., Tertullian. lib. de Carne Chriſti cap. 4., Niſſen. in Oratione Cathechetica cap. 7., & aliorum. Tum ex myſterio ipſo incarnationis in Chriſto: vbi de facto, nõ ſolùm anima, ſed & caro aſſũpta eſt à diuina perſona. Imò in triduo mortis, corpus Chriſti ſeparatum ab anima, adhuc manſit vnitum Verbo. Ac ſemper ſanguis & aliæ quædam partes corporis, quamuis non animatæ, fuerunt vnitæ Verbo. Neque ad poſſibilitatem refert, hæc fuiſſe aſſumpta à Verbo, ac manſiſſe ſemper vnita in ordine ad animam, atque adeo ad naturam rationalem. Hoc enim tantùm refert ad conuenientiam: quia reuera conueniebat non niſi naturam rationalem, & ſic etiam corpus & partes eius aſſumi. Sed ſatis oſtendit, poſſe ſimpliciter etiam naturam irrationalẽ aſſumi. Tum ratione: quia tàm natura irrationalis, quàm rationalis, habet ſuã ſubſiſtentiam, qua terminatur & conſtituit ſuppoſitum: ergo poteſt vniri diuinæ ſubſtantiæ. Cum qua talis natura irrationalis conſtitueret quidem hypoſtaſim ſeu ſuppoſitum: nõ tamen perſonam quantum eſt ex parte ſua, quia perſona eſt rationalis naturæ, & in hoc ſolùm diſtinguitur à ſuppoſitò. Quamuis tamen eſſet ſic poſſibile, certè non eſſet ita conueniens diuinæ perſonæ, aſſumere irrationalem naturam. Ac rectè admonet Caietan., & approbat Valentia, abſtinendum eſſe à quibuſdam prædicationibus & propoſitionibus, quæ ex aſſumptione quarũdam naturarum ob communicationem idiomatum ſequerentur: quod tamen adhuc non tollit poſſibilitatem, ſed minuit conuenientiam.

Non obſtante vilitate talis naturæ & ſublimitate Dei.

Obijci vero adhuc ſolet, non videri poſſibile, naturam adeo infimam qualis eſt irrationalis, eleuari ad tàm ſublimem dignitatem qualis eſt vnio hypoſtatica cum diuina perſona, ſiquidem non poteſt ad minorem quandam dignitatem eleuari, vtpote ad viſionem beatificam, ad gratiam ſanctificantem, aliamuè ſimilem. Imò cùm per hypoſtaticam vnionem eo ipſo ſanctificetur creata natura, iam natura irrationalis quæ eſt incapax ſanctificationis, erit etiam incapax hypoſtaticæ vnionis. Et rurſus ex parte Dei, indecens valde videtur & indecorum, excelſam illam Maieſtatem deijcere ad aſſumptionem irrationalis naturæ: quod autem eſt Deo indecens, erit etiam impoſſibile.

Ad hæc reſpondendum eſt, naturam irrationalem poſſe diuina virtute eleuari ad hypoſtaticam vnionem, quamuis non ad inferiores quaſdam perfectiones: quia nimirum vnio hypoſtatica eſt diuerſi ordinis ab ijs perfectionibus. Attingit enim naturam præciſè vt ſubſtantialis eſt, aliæ verò perfectiones ſupponunt naturam eſſentialiter viuentem: atque adeo repugnant hæ perfectiones irrationali naturæ; cui tamen non repugnat vnio hypoſtatica. Dicique poſſet talis natura per hanc ipſam vnionem quodammodo ſanctificari ſeu deificari, ita vt eſſet peculiari veneratione digna: ſicut & nunc, non ſolùm anima, ſed etiam caro Chriſti dicitur ſanctificata. Non tamen natura irrationalis dici poſſet abſoluté ſancta, quatenus ſanctitas eſt amicitia cum Deo, vel intrinſeca ordinatio ad beatitudinem, vel rectitudo & iuſtitia in operando, Quoniam denominatio amicitiæ non cadit niſi ſupra naturam rationalem, quæ poteſt amare. Et ordinatio ad beatitudinem non conuenit

niſi

niſi naturæ aptæ videre Deum. Et iuſtitia operationum tribui non poteſt niſi naturæ liberæ, potenti bene moraliter operari. Sed hinc non ſequitur, naturam irrationalem eſſe etiam incapacem vnionis hypoſtaticæ. Quamuis enim de facto natura humana Chriſti habeat ratione ſuæ vnionis has omnes denominationes: tamen natura irrationalis deficeret à conditionibus ad tales denominationes requiſitis. Sed hoc non tollit, quominùs eſſet capax hypoſtaticæ vnionis, vt rem ipſam cõſideranti patebit. Ex parte vero Dei, licet minus decens ac decorum eſſet, aſſumere irrationalem naturam: non tamen eſſet ità poſitiuè indecens, quaſi diuinæ ſublimitati repugnans, ſicut peccatum diuinæ bonitati repugnat. Poſſet ergo natura rationalis de potẽtia abſoluta aſſumi à Deo: ſed non eſſet tam conueniens, ſicut fuit de natura rationali.

Poteſt aſſumi etiam natura partialis.

Quartò demum. Inter naturas ſubſtantiales reperiuntur naturæ quædam partiales; de quibus Vaſquez diſp. 30. cap. 5. negat poſſe aſſumi: nempe formas corruptibiles, & materiam primã, loquendo de ijs in ſe & ſeparatim acceptis. Quia, inquit, forma corruptibilis, non habet, neque per ſe habere poteſt ſubſiſtentiam qua per ſe exiſtat. Et ſimiliter materia non eſt apta vt ſeparata ſubſiſtat. Quare hæ naturæ non videntur poſſe per ſe aſſumi vt in diuina perſona ſubſiſtant. At vero Raguſa diſp. 56. §. 3. negat poſſe has naturas partiales aſſumi in ſuo toto, abſque eo quod aſſumatur vel diſſoluatur ipſum totum: admittit, diſſoluto toto poſſe in ſe ſeparatas aſſumi. Quia, inquit, in toto habent ſubſiſtentiam totius, in ſe vero propriam.

Verùm, iuxta doctrinam à nobis traditã in Philoſ. q. 20. ſect. 9., vbi conceſſimus tam formæ corruptibili, quàm materiæ primæ, proprium partialem ſubſiſtentiæ modum, etiam quando vnitæ ſunt: aſſerendum eſt, poſſe à Deo præciſè ac per ſe aſſumi, tam formam corruptibilem, quam materiam. Vel vnam prorſus ſeparatam ab altera cõſeruando. Vel etiam dum ſunt vnitæ, ſupplendo ſubſiſtentiam vnius & non alterius. Iam enim nulla in hoc ſupereſt repugnantia aut difficultas. Eademque ratione poſſet à Deo aſſumi certa aliqua pars integralis ſubſtantiæ corporeæ, non aſſumptis alijs. Et fruſtra idem Raguſa vbi ſupra, negat etiã poſſe aſſumi partem aliquam integrantem corporis, dum eſt continuata cum reliquis, abſque aſſumptione totius: quia inquit non ſunt diſtinctæ actu, nõ habent proprias ſubſiſtentias partiales, quæ alioqui eſſent infinitæ. Potiùs enim nos ſupponimus, partes eſſe actu diſtinctas. Et nullus negare poteſt, ita ſe habere, vt aliquid fieri poſſit circa vnam, abſque eo quod fiat circa alias, vt notiſſimum eſt. Et ſic dici debent habere ſuas ſubſiſtentias partiales, eaſque ita reuera infinitas, ſicut ſunt ipſæ partes, cum ſua tamen continuatione. De modis tandem ſubſtãtialibus, cùm non ſint capaces propriæ ſubſiſtentiæ, fatendum eſt, nec eſſe aptos ad diuinam perſonam vniri ac terminari.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm poſſit à Deo aſſumi natura cum propria ſubſiſtentia.

Non poteſt aſſumi ipſa natura ſub ſiſtentia.

IN primis certum & exploratum eſt, non poſſe aſſumi formaliter naturã vt ſubſiſtens, ita ſcilicet vt ipſamet propria naturæ ſubſiſtentia ſimul in eã aſſumatur. Siquidem hæc eſt eſſentialis ratio ſubſiſtentiæ, vt ſit vltimus terminus & complementum, vt ſit vlteriùs incommunicabilis & determinabilis. Ideoque ſuppoſitum & perſona formaliter non poteſt aſſumi. Et ita repugnat, ſubſiſtentiam propriam naturæ, vniri & aſſumi ad aliam quamcunq; ſubſiſtentiam & perſonam.

Poteſt aſſumi natura, ſublata priori eius ſubſiſtẽtia.

Secundo. Facile eſt, naturam antea cum propria ſubſiſtentia exiſtentem, poſſe aſſumi ad ſubſiſtendum in Deo, ablata inquam illa priori propria ſubſiſtentia. Certè enim, non eſt in hoc maior repugnantia, quàm vt ab initio productionis, aſſumatur natura, & impediatur propria ſubſiſtentia, quæ ei naturaliter deberetur. Imò de facto,

Digitized by Google

ſupponendo materiam habere ſuum partialem ſubſiſtentiæ modum ei innatum; vtique materia corporis Chriſti in inſtanti aſſumptionis ſpoliata fuit huiuſmodi ſubſiſtentia quam hactenus habuerat. Idque ita fieri poſſe, ſupponit S. Thomas hîc art. 2. & art. 6. ad 2. Quod autem ſignificat 4. cont. Gent. cap. 43., non poſſe aſſumi naturam prius in ſe ſubſiſtentem, quia eo ipſo corrumperetur: dixit potius arguendo, quam aſſerendo: vel hoc loco retractauit. Et quod ſignificauit hîc art. 1. ad 3., Deum potuiſſe aſſumere naturam angelicam, creando nouam aliquam ſingularem naturam, abſque deſtructione prioris perſonalitatis in aliquo indiuiduo præexiſtente: vel ita dixit, quia id ſufficiebat ad ſolutionem argumenti: vel reſpiciendo non ſolùm ad poſſibilitatem, ſed etiam ad congruitatem, vt ex eius verbis colligitur.

Non videtur poſſe aſſumi natura, retẽta eius propria ſubſiſtentia.

Tertio. Non tàm facilè conſtat, an poſſit à Deo aſſumi natura, retinens quidem propriam ſubſiſtentiam, ſed abſque eo quod aſſumatur & vniatur ipſamet ſubſiſtentia. Sicut nempe natura ipſa diuina retinens vnam ſubſiſtentiam & perſonalitatem, ſimul terminatur alia & alia, atque ita ſubſiſtit in tribus perſonis; ita ſcilicet vt vna perſonalitas non terminetur per aliã, ſed ipſa natura terminetur omnibus.

Communis tamen Theologorum ſententia eſt, nemine ex Scriptoribus diſcrepãte, vt atteſtatur Vaſq. diſp. 38. cap. 2., aliiſque Recentioribus conſentientibus, neque hoc modo poſſe naturam creatam cum propria ſubſiſtentia aſſumi à perſona diuina. Quod prætermiſſis quibuſdam friuolis rationibus aliquorum, quas benè reijcit Suarez diſp. 14. ſect. 1., ſic poteſt probari & explicari. Sicut diximus, de ratione ſubſiſtentiæ eſſe, vt ipſamet nequeat per aliam ſubſiſtentiam terminari: ita de ratione eius videtur etiam eſſe, reddere naturam adeo interminabilem, vt neque ipſa natura poſſit aliena ſubſiſtentia terminari, retinens ſimul propriam. Dico vt non poſſit ſimul aliena & propria ſubſiſtentia terminari. Alioqui certè natura diuina benè tribus proprijs ſubſiſtentijs terminatur, Et natura creata poteſt pluribus alienis terminari, vtpote ijſdem diuinis ſubſiſtentijs. Non poſſe autem naturam ſimul vna propria & altera aliena terminari, ſuadetur ex eo quod de facto ſupponimus, in humanitate Chriſti nõ reperiri propriam ſubſiſtentiam. Ex doctrina enim Patrum habetur, hoc ipſo quòd humanitas Chriſti fuit vnita perſonæ diuinæ, non potuiſſe habere propriam ſubſiſtentiam: quia nimirum repugnare cenſetur, vt natura creata retinens propriam ſubſiſtentiam, terminetur altera aliena. Et ita Chriſtus eſt vna tantùm perſona, ratione vnius perſonalitatis diuinæ, quam ſolam habet.

Idque magis adhuc explicat Suarez, notans, naturam per propriam ſubſiſtentiam conſtitui per ſe exiſtentem, ac per vnionem ad alterum ſuppoſitũ conſtitui exiſtentem in alio: ſed prorſus repugnare videtur, eandem naturã ſimul exiſtere per ſe & in alio. Quamuis non repugnet exiſtere in pluribus ſuppoſitis alienis, ſicut exiſteret natura creata aſſumpta à pluribus perſonis diuinis. Nec repugnet exiſtere pluribus modis per ſe, ſicut de facto in ſe exiſtit natura diuina.

Admittit autem idem Suarez, poſſibile eſſe, vt eadem ſingularis natura exiſteret in vno loco aſſumpta à perſona diuina abſque propria ſubſiſtentia, & in alio loco exiſteret per ſe ratione propriæ ſubſiſtẽtiæ, abſque vnione ad perſonam diuinam. Hoc tamen difficultate non caret, ſtante tali ratione ac vi propriæ ſubſiſtentiæ, vt explicauimus, excludendo ſimpliciter vnionem ad ſubſiſtentiam alienam. Quamuis alioqui poſſibile admittamus, variari affectiones eiuſdem rei in vno & alio loco, quando in pluribus replicatur, vt q. 27. Philoſ. ſect. 7. tractauimus.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Vtrum ſola natura humana, abſque propria ſubſiſtentia, de facto aſſumpta ſit.

PRæter Infideles qui circa ſubſtantiam huius myſterij aberrarunt, non defuerunt aliqui, qui rectè quidē ſentientes de incarnatione Verbi & aſſumptione humanæ naturæ in Chriſto Domino, dixerint præterea, aliquā aliam naturam fuiſſe quoque interdum à Deo aſſumptam: vtpote in quibuſdā apparitionibus: ac ſpecialiter columbam quæ in Chriſti baptiſmo apparuit, fuiſſe Spiritum ſanctum reuera hypoſtaticè vnitum illi naturæ.

Non niſi humana natura de facto aſſumpta eſt.

Certum tamen eſſe debet iuxta veram fidem, ſolam ſingularem humanitatem Chriſti fuiſſe de facto in vnitatē hypoſtaſis aſſumptam à perſona diuina. Et quidem verè humanitatem Chriſti fuiſſe aſſumptam, eſt articulus ipſe fidei de hoc myſterio. Nullam verò aliam naturam fuiſſe aſſumptam, non obſcure colligitur ex Scripturis, in quibus hęc aſſumptio ſingulariter in Chriſto Domino credenda proponitur, & ſingulariter Chriſtus ſuper omnem creaturam dicitur exaltatus. Ac expreſſe de Angelis dictum eſt ad Hebr. 2., *Nuſquam Angelos apprehendit*. De creaturis verò irrationalibus, magis irrationabile & abſque fundamento eſſet, dicere aliquam de facto fuiſſe aſſumptam ab vlla perſona diuina. De columba enim illa quę apparuit in baptiſmo Chriſti, optimè docet & probat S. Tho. infra q.39. art. 6. ad 2., nequaquam fuiſſe vnitam hypoſtaticè Spiritui ſancto, quaſi valeret dicere Spiritus ſanctus factus eſt columba: ſed tantùm repræſentaſſe Spiritum ſanctū, ſicut ſe habent alia ſigna repræſentatiua.

Inter naturas verò rationales, comparando angelicam & humanam, conſtat conuenientius fuiſſe aſſumi humanam, vt explicat S. Tho. art. primo. Quia cùm Deus decreuiſſet reparare & redimere humanum genus, planè expediebat humanam naturam aſſumi, in qua ſimul neceſſitas cum dignitate coniungebatur.

Et non ſingula natura Chriſti

Conſtat quoque, naturam humanam aſſumptam fuiſſe à Verbo ſingulariter in Chriſto; & non humanitatem in vniuerſali abſtractam ab indiuiduis, nō in omnibus aut alijs quibuſcunque indiuiduis præter Chriſtum. Ita ex Damaſc. & rationibus probat S. Tho. art. 4. & 5. Ac certè humanitas in vniuerſali abſtracta ab indiuiduis aſſumi non poterat, vt antea diximus. Et de facto Chriſtus erat quidam ſingularis homo. Aliorum verò hominum ſingulares naturas, non conueniebat amplius aſſumi: tum ob excellentiam ipſius myſterij, ac dignitatem Chriſti Domini: tum quia id ſatis erat ad reparationem humani generis, & oſtenſionē diuinę bonitatis: tum ob alias rationes quas affert S. Thomas.

Ex Adæ ſtirpe deducta.

Aſſumptaque fuit hæc humana natura, non aliunde quàm ex ſtirpe Adami. Sic ab Euangeliſtis Matthæo & Luca deducitur generatio ac genealogia Chriſti, vſque ab Abrahamo & Adamo. Et ita congruum ſanè erat, ex illa progenie aſſumi naturam, quā homo repararetur, & Diabolus vinceretur, quæ victa fuerat ab ipſo Diabolo, & quæ tantam ruinam ac perniciem paſſa erat.

Aſſumpta fuit abſque propria ſubſiſtentia.

Denique aſſumptam fuiſſe hanc humanitatem abſque propria ſubſiſtentia, ita vt neque ex quo fuit vnita Verbo habuerit propriam ſubſiſtentiā, nec vnquam antea habuerit, eſt certum ſecundùm fidem. Chriſtus enim ideo non eſt duæ perſonæ, quia non habet ſubſiſtentiam humanam à diuina diſtinctam. Et ab initio ſuæ vitæ, primoque conceptionis inſtanti, fuit verus Deus in vnitate perſonæ cum humana natura: quare nunquam antea eius humanitas habuit propriam ſubſiſtentiam. Hoc tamen non tollit, quominus extiterit prius materia cum propria ſubſiſtentia partiali, & hæc in incarnatione ſublata fuerit: quia nimirum materia creata fuit ab initio mundi, & ſemper habebat propriam ſubſiſtentiam. Sed ad rem præſentem ſatis eſt, quod ante incarnationem non præ-

Digitized by Google

præceſſit anima, atque adeo tota humanitas Chriſti, cum totali humana ſubſiſtentia. Vnde rectè S. Tho. art. 2. ad 3. explicat dictum illud Innocentij tertij, *Perſonam diuinam in incarnatione aſſumpſiſſe naturam humanam, conſumpſiſſe perſonam:* dicens, debere intelligi, non quaſi prius fuerit humana perſona ſub illa natura, & in incarnatione ſublata fuerit: ſed ſolùm quia impedita fuit, ne in illa humanitate reſultaret propria perſonalitas, quæ alioqui connaturaliter debebatur. Conueniens autem fuiſſe, aſſumi humanitatē quæ non antea præextitiſſet cum propria ſubſiſtentia, declarat optime S. Thomas: quia fruſtra fuiſſet prior perſonalitas, & ſine cauſa poneretur corruptio humanæ perſonæ. Atque hac ratione notāt Expoſitores circa art. 3., non debere dici Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed aſſumpſiſſe humanitatem: quia ille loquendi modus denotaret aſſumptam fuiſſe perſonam, alter verò proprie denotat aſſumptam fuiſſe præcisè naturam.

SECTIO QVINTA.

Vtrum natura humana Chriſti aſſumpta fuerit à Verbo mediante aliqua diſpoſitione.

Sententia affirmans.

ALenſis 3. par. q. 7. memb. 2. art. 1. & q. 11. & 12. memb. 1. docuit, hanc aſſumptionem factam fuiſſe mediante qualitate quadam ſupernaturali, quam indicat eſſe gratiam habitualem, qua humanitas Chriſti fuerit diſpoſita & præparata ad vnionem hypoſtaticam cum perſona diuina. Conſentiunt Riccardus in 3. d. 2. art. 2. q. 3., Gabriel q. 1. art. 2. concl. 3., Paludan. q. 2. art. 3, Carthuſianus q. 5., Marſil. in 3. q. 2. art. 1. dub. 1. Imò in eadem ſententia fuit D. Thomas in 3. diſt. 2. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. Et fauere videtur rurſus hac 3. par. q. 7. art. 12. in corp. & ad 2., cùm dicit, ipſam gratiam facere quandam cōgruitatem ad vnionem.

Concluſio negans.

Dicendum tamen eſt, humanitatem Chriſti aſſumptam fuiſſe à Verbo diuino, nulla mediante diſpoſitione, diſpoſitione inquam ordinata ad ipſam hypoſtaticam vnionem. Quod quidem addimus: quia alioqui negandæ non ſunt diſpoſitiones corporis ad receptionem animæ, quæ in alijs hominibus requiruntur. Ita apertè docuerunt Scotus in 3. d. 2. q. 2. §. *Contra hoc argumentum*, Durand. q. 3., & alij ex Scholaſticis ead. d. 3. Et ſumitur apertè ex S. Tho. ſupra q. 2. art. 10., & infra q. 6. art. 6., & q. 7. art. 13. Sequuntur Caiet. alijquè Thomiſtæ circa eadem loca, Suarez diſp. 10. ſect. 2., Vaſq. diſp. 40., Raguſa diſp. 78., Abra diſp. 1. cap. 4. q. 2., Vuigers q. 7. art. 1., & alij Recentiores communiter. Fatetur autem Caiet., S. Doctorem hîc mutaſſe ſententiam quam olim tenuerat in 3. Alijs enim locis ex hac 3. par. pro oppoſita ſententia relatis, S. Thomas ſolùm voluit, gratiam habitualem ordinatam fuiſſe ad vnionem hypoſtaticam, tanquam ornamentum illius, fuiſſequè ſuperadditam conſequenter, idquè ob congruitatem ad ipſam vnionem: non verò fuiſſe ordinatam tanquam medium ad conſequendum finem, tanquam diſpoſitionem ad recipiendam formam.

Prima probatio.

Probatur concluſio primò: quia vtique non debet in hac re interponi vlla diſpoſitio media, quaſi vinculum connectens perſonam diuinam cum humana natura. Cùm enim vnio hypoſtatica ſubſtantialis ſit, non poteſt vlla diſpoſitio accidentalis hoc pacto mediare inter ipſa extrema quæ ſic vniuntur. Sed per ſe immediatè fieri debuit talis vnio inter perſonam diuinam & naturam humanam. Nullaquè alia diſpoſitio poterat ſe habere velut vnio. Nec etiam tanquam medium, cui priùs vniretur diuina perſona, & ſic intelligeretur mediatè vnita humanę naturę.

Secunda probatio.

Secundò. Poni non poteſt vlla diſpoſitio, quaſi connaturalis & neceſſaria, ad inſtar accidentium diſponentiū materiam ad receptionem formæ ſubſtantialis. Certè enim nulla creata qualitas habet talem proportionem cū hypoſtatica vnione, aut tantam connexionem: vt vel ex ea neceſſariò ſequatur talis vnio, vel debuiſſet neceſſariò præire ad vnionem: ſicut nempe ſe habent naturales diſpoſitiones in

mate-

Digitized by Google

materia ad formam ſubſtantialem.

Tertia probatio. Tertiò. Nec etiam ponendam eſſe diſpoſitionem aliquam ſecundùm congruitatem & conuenientiam, veluti ad eleuandam & præparandam aliquo modo naturam humanã, probat Vaſq. cap. 2., reiectis alijs rationibus. Quia deberet intelligi hæc diſpoſitio, nempe gratia habitualis, collata animæ Chriſti, ordine naturæ ante hypoſtaticam vnionem: tunc autem intelligeretur donari ex affectu adoptionis Dei erga humanitatem Chriſti, ſi quidem in eo priori non adhuc eſſet Chriſtus filius Dei naturalis: at abſurdum eſt concedere in Deo affectum adoptionis erga humanitatem Chriſti, ſicuti & vocare Chriſtum filium Dei adoptiuum. Hæc tamen ratio ſolùm excluderet gratiam habitualem, non verò alias ſupernaturales diſpoſitiones. Sed nec etiam de illa ſatis probat intentum. Dicendo enim, ordine intentionis priùs decreuiſſe Deum conferre humanitati Chriſti donum hypoſtaticæ vnionis, & ad hunc finem ſtatuiſſe conferre gratiam habitualem tanquam præuiam diſpoſitionem: ſic diceretur quoque gratia conferri potiùs ex affectu filiationis naturalis quàm adoptiuæ: ſicut certè ex eo quod de facto reperitur in Chriſto gratia habitualis ſimul cum hypoſtatica vnione, non per hoc eum denominat filium Dei adoptiuum: ita inquam, nec etiam affectus ille conferendi gratiam habitualem, coniunctus cum voluntate conferendi donum hypoſtaticæ vnionis, imò ex illo promanans, diceretur affectus adoptionis.

Quarta probatio. Quartò. Alij id probare ſolent: quia gratia habitualis, & omnis alia qualitas ſupernaturalis, conuenit Chriſto virtute hypoſtaticæ vnionis, & conſequutiuè ad illam: ergo non poteſt ſimul eſſe præuia diſpoſitio ad eam præparans. Antecedens oſtendetur queſt. 7. Sed tamen conſequens non ſatis cohærenter infertur ab ijs qui alioqui volunt, poſſe eandem qualitatem eſſe poſteriorem aliqua forma in genere cauſæ effectiuæ, & priorem in genere cauſæ diſpoſitiuæ. Sicut de facto volunt ſe habere actum contritionis ad habitum gratiæ in iuſtificatione. Attamen iuxta noſtram ſententiam, qua non admittimus illam mutuam dependentiam inter diſpoſitionem & formã, vt ſuo loco de iuſtificatione tractauimus; ſic quidem illa conſequentia optima eſt; & hæc ratio benè probat, dum poſtea antecedentis veritas oſtẽdetur.

Quinta probatio. Quintò. Idem probare ſolent Thomiſtæ: quia humanitas Chriſti non exiſtit niſi per exiſtentiam Verbi diuini cui vnitur: ergo non poteſt priùs diſponi vlla alia qualitate: non enim poteſt ſubiectum, antequam in ſe exiſtat, recipere ac ſuſtentare aliam additiciam qualitatem. Sed antecedens huius argumenti approbandum nõ eſt, vt poſtea quæſt. 17. tractabimus. Et conſequentia quoque non ſatis cohæret cum alia eorundem Thomiſtarum doctrina, qua volunt, materiam non exiſtere niſi per exiſtentiam formę, & tamen recipere ac retinere qualitates diſponentes ad formam.

Sexta probatio. Sextò ergo meliùs probatur ratione ſumpta ex ipſo S.Thoma. Prius eſt, rem in ſe ſubſiſtere, quàm operari; actiones enim ſunt ſuppoſitorum: ſed humanitas Chriſti per vnionem hypoſtaticam in Verbo ſubſiſtit, gratia autem habitualis eſt principium operationum, & alij quoq; habitus ſupernaturales ſunt formæ operatiuæ: ergo non poteſt intelligi humanitas Chriſti priùs fuiſſe vlla qualitate diſpoſita vt vniretur, ſed priùs intelligi debet vnita vt recipere poſſit has qualitates. Et quamuis gratia habitualis, iuxta ſententiã D. Tho., quam & nos in ſuo tractatu de gratia ſequuti ſumus, diſtincta ſit ab omni habitu virtutum infuſarum, etiam charitatis, atque adeo proximè per ſe ipſam nullam operationem eliciat: ſaltem tamen eſt principium operationum, quatenus eſt radix & origo habituum ſupernaturalium. Sed tamen neque hoc eſt neceſſarium ad vim huius argumenti. Quinimò, ſicut natura ſubſtantialis non priùs quàm ſubſiſtat operatur, ita nec exercet munus recipiendi, etiam ſi qualitas recepta non dicat ordinem ad operandum. Sicut enim exercitium operandi, ita & recipiendi, præſupponit rem in ſe ſubſiſtere. Hac ergo propria & fundamentali

ratione

Digitized by Google

ratione probatur, humanitatem Chriſti nulla fuiſſe qualitate antecedenter diſpoſitam, vt à Verbo diuino aſſumeretur.

Septima probatio.

Septimò addi poteſt, nec etiam fieri potuiſſe, vt diſpoſitio vlla in humanitate ad vnionem præcederet. Non quidem ea ratione qua id probat Vaſquez cap. 3. ad finem: quia ſi de facto gratia habitualis non diſponit ad vnionem, nulla mutatio intelligi poſſet in ipſa gratia ad hoc vt diſponeret: ſine mutatione autem in rebus, non poteſt ſaluari mutatio ſeu variatio in actibus diuinæ voluntatis. Hæc inquam ratio non impedit: quia potiùs benè poteſt ſufficiens variatio in rebus inueniri, penes hoc quòd vna res ordinetur vel non ordinetur ad aliam, vt explicauimus 1. par. q. 22. circa diuinam prouidentiam. Sed vera ratio eſt: quia ſi natura ſubſtantialis non poteſt à Deo conſeruari abſq; omni ſubſiſtentia, vel propria, vel aliena: pariter dicetur nec poſſe exercere actum vllum, vel operationis, vel receptionis, niſi ſupponatur ſubſiſtere: igitur fieri non poterat, vt humanitas Chriſti antecedẽter ad hypoſtaticam vnionem, quæ loco propriæ ſubſiſtentiæ attributa illi fuit, reciperet vllam qualitatem, qua ad eandem vnionem diſponeretur. Atque hac ipſa ratione oſtendemus poſtea q 6., humanitatem Chriſti non potuiſſe mereri ſuam aſſumptionem, priùs ordine naturæ quàm aſſumeretur à Verbo.

Prima obiectio ſoluitur.

Obijcies primò fundamentum Alenſis & aliorum contra concluſionem. Natura humana de ſe non eſt idonea vt aſſumatur à perſona diuina, ſed debet ad hoc eleuari: ergo diſponi debebat aliqua ſupernaturali qualitate, qua eleuaretur ad vnionem cum Verbo. Vel ſaltem iuxta conuenientem prouidentiam & ordinationem conſuetum eſt, non ſtatim prouehi ſubiectum aliquod ad perfectiſſimum ſtatum, ſed priùs ornari & diſponi alia præuia qualitate. Sic non ſtatim eleuatur natura rationalis ad beatitudinem, ſed antecedenter diſponitur per gratiam: ergo ſaltem ſecundùm conuenientiam debuit quoque hic ordo in humanitate Chriſti obſeruari in prouectione eius ad tam ſublimem ſtatum vnitatis perſonalis cum Deo.

Reſpondetur, humanam naturam non debere priùs eleuari quàm aſſumatur, ſed ipſamet aſſumptione eleuari. Sicut abſolutè ad recipiendam formam ſupernaturalem, non aliter eleuatur creata natura, quàm dum ei à Deo confertur talis forma ſupernaturalis. Et præſertim reſpectu hypoſtaticæ vnionis, nulla alia ſupernaturalis forma, nulla qualitas, habebat talem proportionem, vt per eam eleuari poſſet creata natura ad ipſam vnionem. Sed neque illa conſueta conuenientia poterat in hoc obſeruari: quia cum vnio hypoſtatica ſuccedat loco propriæ ſubſiſtentiæ, debebat eo modo & ordine attribui humanæ naturæ, quo illi præſto adeſſet propria ſubſiſtentia ſi non impediretur: ſed nulla diſpoſitio præcedit, aut præcedere poteſt, ad hoc vt natura accipiat propriam ſubſiſtentiam, ſed potiùs hæc eſt prior omni alia receptione & operatione: ergo ſimiliter ſe habere debebat vnio hypoſtatica.

Secunda obiectio ſoluitur.

Obijcies ſecundò, ex Vaſq. cap. 2., contra rationem noſtræ concluſionis. Iuxta doctrinam Patrum, de facto anima Chriſti aſſumpta dicitur mediante mente, Ideſt potentia intellectiua; ita vt anima Chriſti priùs ordine naturæ habuerit hanc potentiam, quàm fuerit vnita Verbo: ergo illa ratio ſumpta ex prioritate ſubſiſtentiæ, non eſt efficax. Et præterea vnio animæ cum corpore, eſt modus ſubſtantialis, ſpectans ad cõplementum animæ; & tamen nõ oportet vt ſupponatur antecedenter ad operationes animę: ergo neque oportet vt ſubſiſtentia ſupponatur.

Reſpondetur, maiorem eſſe rationẽ, vt ſubſiſtentia præcedat ante operationes elicitas à natura, & ante receptionem aliarum qualitatum extrinſecùs aduenientium, quàm ante emanationem & receptionem potentiarum, quæ ſunt propriæ & intrinſecæ paſſiones ipſius animæ. Sed neque aſſumptum illud eſſe verum, nec de mente Patrum, quæſt. ſequenti oſtendemus. De vnione autem animæ cum corpore eſt

Digitized by Google

eſt longè diuerſa ratio. Subſiſtentia enim eſt complementum naturæ in ſe, vnio verò eſt complementum animæ in ordine ad compoſitionem totius: omnino autem priùs debet natura eſſe completa in ſe, quàm incipiat operari; ſed non ita debet priùs componere totum quàm operari. Quinimò poteſt ſimpliciter exiſtere anima abſq; vnione cum corpore, vtpote ſeparata à corpore, & in tali ſtatu operari: at ſimpliciter non poteſt exiſtere aut conſeruari natura abſque omni ſubſiſtẽtia.

SECTIO SEXTA.

Qualiter Humana natura Chriſti abſque repugnantia & violentia maneat vnita Verbo.

Natura humana abſque vlla repugnantia manet vnita Verbo.

DICI omnino debet humana natura abſque vlla repugnantia manere vnita Verbo diuino. Si enim repugnantia ſumatur pro impoſſibilitate, qua repugnare dicitur quod impoſſibile eſt, vt Chimeram exiſtere, & ſimilia: ſic manifeſtum eſt, hoc ipſo quòd de facto humanitas eſt vnita Verbo, id prorſus ei non repugnare. Si autem repugnantia ſumatur prout dicit contrarietatem ſiue oppoſitionem, quo pacto dicitur calor repugnare aquæ, quãuis reuera aqua caleſieri poſſit ac ſoleat: ſic videbatur occurrere aliqua dubitatio circa humanitatem vnitam Verbo. Quia videlicet propria ſubſiſtentia eſt connaturalis creatæ naturę, iuxta intrinſecam exigentiam eius: vnio autem hypoſtatica excludit propriam ſubſiſtentiam naturæ, quare videtur aliquo modo contra exigentiam eius, & ſic ei quodammodo repugnare.

Secundo obiectio ſoluitur.

Sed adhuc inquam dici debet humanitas Chriſti manere vnita Verbo abſque vlla huiuſmodi repugnantia. Tum nempe: quia tunc præſertim dicitur repugnare ſubiecto illa qualitas aut forma, per quam deſtruitur altera oppoſita connaturalis ſubiecto, quando illa qualitas extranea tendit ad deſtructionem quoq; ipſius ſubiecti, & altera qualitas propria requirebatur ad conſeruationem ipſius ſubiecti. Sic enim calor tendit ad deſtructionem aquæ, & expellit frigiditatem quæ requirebatur ad conſeruationem aquæ. At per hypoſtaticam vnionem nullatenus læditur, non ad interitum trahitur, ſed potiùs lõge perfectiori & ſubliniori modo conſeruatur humana natura: ergo, quamuis tollat propriam ſubſiſtẽtiam, nullatenus dicetur repugnare ipſi naturæ. Tum etiam: illa forma ſolùm dici poteſt repugnare ſubiecto, quæ continetur intra eundem ordinem formæ naturalis cum forma excluſa ac debita ipſi naturæ: vnio verò hypoſtatica eſt longe ſublimioris ordinis prę ordinaria & connaturali ſubſiſtentia. Tum quoque: illa quidem forma dicetur repugnare ſubiecto, quæ totaliter priuat ſubiectum perfectione ei debita: at ſubſiſtentia diuina quæ communicatur humanæ naturæ, æquiualenter & eminenter continet perfectiſſimo modo quicquid perfectionis eſſe poteſt in ſubſiſtentia creata: non ergo ſubſiſtentia diuina, ſiue vnio hypoſtatica, dicetur repugnare humanæ naturæ.

Et abſque violentia.

Deinde humanitatem Chriſti pariter abſque vlla violentia dici debere vnitam Verbo, communiter Theologi docent. Sed ratio dubitandi in contrarium erat: quia humanitas habet naturalem appetitum ad propriam ſubſiſtentiam: quare violenter ſpoliari videtur forma & perfectione quam naturaliter appetebat. Ideo duplici via diſtracti inter ſe ſunt Theologi ad hanc rem explicandam. Vna eſt Caiet. & Medinæ q. 4. art. 2., aliorumquè Thomiſtarum, quibus conſentit Suarez diſp. 8. ſect. 3., ſcilicet humanitatem Chriſti non habere appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, atquè adeo non exiſtere violenter, ideſt contra ſuum appetitum. Declarantquè, humanitatem Chriſti non appetere propriam creatam ſubſiſtentiam, eo quod eius appetitus plenè ſatiatur vnione ipſa hypoſtatica, ſeu diuina ſubſiſtentia cui vnitur.

Altera via eſt, qua graditur Vaſqu. diſp. 34. cap. 4., qui concedit humanitati Chriſti appetitum & inclinationem ad propriam ſubſiſtentiam etiam ſtante vnione ad Verbum: & ſic exi[illegible]

orat,

cat, hanc vnionem non propterea eſſe ei violentam. Quia inquit, illud ſolùm dicitur alicui naturæ violentum, quod eſt contra appetitum eius effectiuum, aut quaſi formalem: ſcilicet, quando natura habet vim effectiuam ſeu formalem ad aliquam ſuam perfectionē, & hac perfectione priuatur. Alioqui, quando natura habet ſolùm potentiā paſſiuam ad aliquam perfectionem; tunc non pati violentiam, ſi hac ſua perfectione priuetur. Naturam vero ſubſtantialem, non habere virtutem actiuam aut quaſi formalem ad propriā ſubſiſtentiam, ſed ſolùm habere capacitatem paſſiuam: quia ipſa ſubſiſtentia non producitur vel emanat actiuè à ſua natura, ſed efficitur à cauſa extrinſeca productiua eiuſdem naturæ, & in ipſa natura recipitur.

Etiam ſi dicatur habere appetitum ad propriam ſubſiſtentiam.

Verùm poteſt quidem vnio modo ſaluari, humanitatem Chriſti, licet dicatur habere appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, adhuc non pati violentiam per vnionem ad Verbum. Non tamen hac ratione, quam profert Vaſquez. Tum quia controuerſum eſt, num ſubſiſtentia emanet ab ipſa natura, vel efficiatur ab agente extrinſeco, quamuis nos hanc partem approbauimus q. 18. Philoſ. ſect. 8. Et ſaltem ſub hypoteſi ſaluandum eſt, quòd etiā ſi ſubſiſtentia emanaret actiuè à propria natura, adhuc vnio hypoſtatica non ſit violenta humanæ naturæ. Tum etiam, quia non ſolùm principiū actiuum, aut quaſi formale, ſed etiam principium paſſiuum, eſt verè & propriè natura, vt determinauimus q. 9. Philoſ. ſect. 4. Quare non ſolùm illa forma quæ ſit contra virtutem actiuā, ſed etiam illa quæ ſit contra capacitatem paſſiuam, dicetur eſſe contra naturam & violenta ſubiecto. Sed hac alia ratione ſaluabitur, hypoſtaticam vnionem non eſſe violentam humanitati habenti appetitum ad propriam ſubſiſtentiam. Quia nimirum, non omnis illa forma quæ priuat ſubiectum altera forma ad quam habet appetitum & inclinationem naturalem, dicitur violenta ſubiecto: vt patet perſpicuè inter formas ſubſtantiales in materia; vnaquæque enim forma ſpoliat materiam forma præcedenti, ad quam materia remanet cum appetitu, & non per hoc dicitur violenta materiæ, nec materia violenter ſpoliari illa forma. Sed tunc quidem noua forma dicitur violenta ſubiecto, quando non ipſa quoque eſt conformis & conſentanea ſubiecto. Quod ſi ſit æquè connaturalis ſubiecto, vt ſe habent formæ ſubſtantiales reſpectu materiæ; aut ſi ſit excellentiori modo conſentanea, vtpote ordinis ſupernaturalis, eleuans ſubiectum ad ſtatum ſublimiorem, atque adeo magis illud perficiens: tunc vtique dici non debet violenta ſubiecto. Et huiuſmodi quidem eſt vnio hypoſtatica reſpectu humanæ naturæ. Non ergo dici poteſt humana natura violenter vnita Verbo, aut violenter priuata propria ſubſiſtentia per vnionē ad Verbum; etiam ſi admittatur adhuc naturali appetitu appetere propriam ſubſiſtentiam.

Sed nec etiam dici debet habere hunc appetitum.

Melior tamen loquendi modus, eſt ille Caietani & Thomiſtarum, quo abſolute dicamus, humanitatem Chriſti non iam appetere propriam ſubſiſtentiam. Quod vel hinc ſuadetur: quia vtique dicere non debemus, humanitatem Chriſti appetere ſeparationem à Verbo: at eo ſenſu quo diceretur appetere ſuam ſubſiſtentiam, admitti quoque deberet appetere ſeparationē à Verbo: quod vtique alienum eſt à communi modo loquendi Theologorū. Ratione verò à priori probatur & explicatur magis. Non quidem eo ſolùm, quia vnio hypoſtatica eſt maior perfectio quàm propria ſubſiſtentia. Nam ſic etiam anima rationalis eſt perfectior omni alia forma ſubſtantiali, & tamen materia habens animam rationalem dicitur adhuc appetere alias formas. Sed præſertim, quia æquiualenter & eminenter excellentiſſimo modo continet quicquid perfectionis inuenitur in ſubſiſtentia propria humanitatis, & cuiuſcunque naturæ creatæ. Tunc vero natura habens potentiam naturalē ad aliquam ſuam perfectionem, dicitur eam appetere, quando ita ea caret, vt eam non habeat tam ſublimi & excellenti modo, quo humanitas Chriſti habet perfectionem ſubſiſtentiæ.

Et

Et ita quidem loquendum eſt ſub nomine appetitus innati. Cùm alioqui de re ipſa ſatis conſtet, humanitatem Chriſti habere capacitatem naturalem ſubſiſtentiæ ſuæ. Quæ capacitas eſt eſſentialis omni naturæ ſubſtantiali cui huiuſmodi ſubſiſtentia debetur. De appetitu autem elicito prorſus cõſtat, animã Chriſti valde quieſcere & gaudere de vnione ſua & totius humanitatis cum Verbo diuino: neque deſiderare propriam ſubſiſtentiã naturalẽ.

Vnio hypoſtatica non eſt violeta naturæ humanæ.

Sed obijcies primò ex Vaſquez diſp. cit. num. 13., contra priorem explicationem qua dicebamus, etiam admiſſo appetitu innato humanitatis ad propriam ſubſiſtentiam, adhuc vnionem ad Verbum non eſſe illi violentã. Quia inquit, non licet ad libitum fingere ſignificationes nominum, ſed ſtandum eſt communi modo ſignificandi,& præſertim definitioni traditæ ab Ariſt. de violento, nempe violentũ eſſe id quod contingit præter ſiue contra impetum alicuius naturæ: ſi ergo humanitas Chriſti habet appetitum,ſeu impetum, non ſolùm paſſiuè, ſed etiam actiuè, ad propriam ſubſiſtentiam; omnis illa forma quæ eſt contra hunc impetum, quantumuis ſit ſupernaturalis, dici debet violenta humanitati.

Reſpondetur,non eſſe alienum a cõmuni modo loquendi, & ab explicatione illius definitionis traditæ de violento: vt quantumuis vna forma ſit conformis & naturalis naturæ; adhuc tamen non dicatur violenta eidem naturæ, altera forma oppoſita, ſi vel ſit etiã connaturalis, vel excellentiori modo perfectiua talis naturæ & conformis potentiæ eius obedientiali, qualis eſt forma ſupernaturalis.

Explet appetitum naturæ humanæ.

Obijcies ſecundò ex eodem num. 6., non eſſe negandum appetitum ad propriam ſubſiſtentiam in humanitate Chriſti. Quia appetitus non eſt aliud, quàm capacitas formæ cum carentia eiuſdem formæ, quæ vtique datur in humanitate Chriſti. Neque propterea dici debet omnino expleri appetitus humanitatis per vnionem ad Verbum. Nam & materia qua conſtabat corpus Chriſti, licet ſit vnita Verbo, habet quoque appetitum ad ſubſtantiales formas, & in triduo mortis habebat appetitum ad animam, qua pro tunc carebat. Et ipſa anima, cùm ſit vnita Verbo, ſi ſpoliaretur ſuis potentijs naturalibus, haberet vtique appetitum ad illas. Vnio ergo cum Verbo, non tollit appetitum ad alias perfectiones, atque ad propriam naturæ ſubſiſtentiam.

Reſpondetur, appetitum innatum, eſſe capacitatem formæ, cum omnimoda carentia, ita vt ſubiectum non habeat tàm excellentiori modo perfectionem ſuam, ſicut diximus humanitatem Chriſti habere excellentiſſimo modo perfectionem ſubſiſtentiæ. Et idcirco conuenienter dicimus, per vnionem hypoſtaticam expleri appetitum humanitatis: non quidem in ordine ad quaſcunq; alias perfectiones, ſed ſolùm in ordine ad ſubſiſtendum. Atque adeò humanitas vnita Verbo, non dicitur quidem appetere aliam ſubſiſtentiam, quæ nempe repugnat cum vnione ad Verbum: ſed bene dici poteſt appetere alias perfectiones, ſi eas non habeat. Nimirum cùm etiam appetitu elitico poſſit anima Chriſti deſiderare has alias perfectiones non repugnantes cum vnione ad Verbum.

QVÆ-

QVÆSTIO QVINTA.

De Partibus Humanæ naturæ aſſumptis, & Ordine aſſumptionis earum.

DVABVS diſtinctis quæſtionibus tractat S. Thomas, de aſſumptione partium humanæ naturæ, & de ordine huius aſſumptionis. Sed quia nobis opportunum ac neceſſarium viſum eſt, ſeparatam principaliter inſtituere quæſtionem de cauſis Incarnationis, eamque proxime poſt præſentem tractationem collocare: ideo vt locum & numerum ſequẽtis quæſtionis pro incarnationis cauſis relinquamus, & ne alioqui ſeriem omniũ conſequentium quæſtionum immutare cogeremur, ſimul aſſumptionem partium & aſſumptionis ordinem in hac Vna quæſtione coniungimus.

Priorem ſuam quæſtionem S. Thomas in quatuor partitur articulos. Primò ſtatuit, Verbum diuinum aſſumpſiſſe verum corpus: tum quia corpus eſt de ratione humanæ naturæ: tum quia ſi Chriſtus non habuiſſet verum corpus, non fuiſſet verè paſſus, & mortuus, & alia quæ ab Euangeliſtis narrantur: tum quia, cùm Chriſtus ſe oſtenderit hominibus cum humano corpore, putandum non eſt, oſtendiſſe corpus fictum & apparens, ſed omnino verum ac ſolidum: tum quia ad hoc ipſum diſcipulis perſuadendum, Chriſtus ijs ſe palpandum & videndum præbuit. Secundò docet, Verbum aſſumpſiſſe corpus terreſtre, quale eſt noſtrum: idque ob eaſdem rationes. Tertiò ſtatuit, Verbum aſſumpſiſſe animã: tum quia in Euangelio expreſsè nominatur anima Chriſti: tum quia ſicut animæ hominum redimendæ erant, ita Verbum aſſumere debebat animam: tum quia anima eſt maximè de eſſentia humanæ naturæ; ita vt ſine anima, neque caro ipſa ſit verè humana caro, ſed tantùm æquiuocè dicitur caro. Quarto docet, Verbum aſſumpſiſſe intellectum ſeu mentem humanam. Et videtur accipere, non tam potentiam intellectiuam, quàm potiùs ſubſtantiam animæ rationalis: vt ita nempe concluderet, Verbum aſſumpſiſſe veram rationalem animam, idq; ob eaſdem rationes articuli præcedentis.

Alteram quæſtionem in ſex diſtribuit articulos. Primò docet, Verbum diuinum non aſſumpſiſſe vnam partem humanitatis mediante altera, loquendo ordine temporis, quia totam ſimul aſſumpſit. Sed ordine naturæ aſſumpſiſſe carnem mediante anima; tum ſecundùm dignitatem, quia anima eſt carne nobilior; tum ſecundùm cauſalitatem, quia intantùm caro aſſumpta eſt, inquantum eſt caro humana per informationem animæ. Secundò docet, Verbum aſſumpſiſſe animam mediante ſpiritu ſeu mente, ſecundùm ordinem dignitatis & congruitatem aſſumptionis: quia intantum aſſumpta eſt anima, inquantum præcipuè eſt intellectiua. Tertiò docet, Verbum non priùs aſſumpſiſſe animam quàm carnem ordine temporis: quia Chriſti anima non antea fuit quàm vniretur carni, & tunc aſſumpta eſt à Verbo. Quartò docet, non priùs fuiſſe carnem aſſumptam à Verbo, quàm vnitam animæ, ordine temporis, ſicut nec animam priùs quàm vnita eſſet carni. Quintò docet, ordine naturæ & intentionis ex parte agentis, Verbum priùs aſſumpſiſſe totam humanitatem quàm partes, & ità aſſumpſiſſe partes mediante toto. Sextò docet, Verbum non aſſumpſiſſe humanã naturam mediante gratia. Non mediante gratia vnionis: quia hæc eſt ipſa perſonalitas diuina, quæ ſanè non eſt medium ſed terminus aſſumptionis. Non mediante gratia habituali: quia hæc non eſt prior, ſed poſterior ipſa vnione. Sed ſi per gratiam intelligatur gratuita Dei voluntas; ſic humanitatem aſſumptã eſſe per gratiam, non tanquam per medium, ſed tanquam per cauſam effectiuã.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Vtrum Verbum aſſumpſerit verum corpus terreſtre, & animam rationalem.

Hæretici negantes verum corpus terreſtre.

Qvidam Hæretici, nempe Cerdon, Marcion, Manichei, Priſcillianiſtæ, & alij dixerunt, Verbum non aſſumpſiſſe verè & realiter humanum corpus, ſed tantùm apparenter & ſecundùm aſpectum ac phantaſiam viſum eſſe in corpore. Eo quòd cùm diſtinguerent ſubſtantias in bonas & malas, & corpora reputarét inter malas; indignum exiſtimabant Diuinæ Maieſtate & bonitate, aſſumpſiſſe malam ſubſtantiam, ideoquè corpus Chriſti non fuiſſe verum & reale, ſed tãtùm phantaſticum & apparens. Quidam alij Hæretici, nempe Valentinus & Gnoſtici, dixerunt, Verbum aſſumpſiſſe corpus, nõ quidem terreſtre & eiuſdem rationis cum noſtro, ſed è cęlo formatum atque allatum: ac proinde non ſumpſiſſe carnem ex Virgine, ſed carnem trahens è cælo tranſiſſe per Virginem, tanquam per fiſtulam ſeu canalem. Addebat Apollinaris,carnem Chriſti fuiſſe coeternam & conſubſtantialem Deo, eiuſdemquè naturæ cum ipſo Deo. Adducebant pro hoc errore quædam bona Script. Ioann. 3. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo.* Et cap. 6. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* Et præcipuè 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis:* quare ſicut corpus Adami fuit formatum è terra, ita corpus Chriſti dici videtur formatum è cælo.

Hæretici negantes verã animam rationalem.

De anima quoque idem Apollinaris & Arius negarunt, fuiſſe veram animam humanam aſſumptam à Verbo; dicentes, Verbum ipſum in Chriſto fuiſſe loco animæ ad viuificandum & animandum corpus. Sed quia poſtea Apollinaris conuictus ex Scriptura fuit ad concedendam in Chriſto animam verè creatam & à Verbo diſtinctam, dicebat, Verbum aſſumpſiſſe quidem animam, ſed tamen non aſſumpſiſſe mentem. Hoc Vaſq. diſp. 38. interpretatur de potentia tantùm intellectiua. Sed alij Theologi ex Patribus notant, hunc Hæreticum negaſſe ſimpliciter in Chriſto, animam intellectiuam quoad ſubſtantiam ipſam, & voluiſſe ſolùm concedere quandam animam, vtpote ſenſitiuam. Fundamentum huius erroris erat: quia ſi Chriſtus habuiſſet animam & mentem humanam, fuiſſet capax peccati. Si habuiſſet perfectam humanitatem, induceretur quaternitas, nempe quarta ſubſtantia præter tres diuinas perſonas. Si habuiſſet corpus & animam, diſtinguerentur in Chriſto, non ſolùm duæ, ſed tres ſubſtantiæ & naturæ, addita nempe Diuinitate.

Fides catholica de vero corp. re terreſtr in Chriſto

Veritas catholica certiſſima & notiſſima eſt, Verbum aſſumpſiſſe, & Chriſtum habuiſſe verum humanum corpus terreſtre, veram animam humanam rationalem, eiuſdem rationis & naturæ cum corpore & anima aliorum hominum. Ità expreſsè profitemur in Symbolo Athanaſij, *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.* Et in omnibus articulis de humanitate, conceptione & natiuitate, paſſione & reſurrectione Chriſti: hæc enim omnia non niſi penes veram carnem & animam humanam in Chriſto verificantur. Et de vera, non apparenti carne dixit Euangeliſta, *Verbum caro factum eſt:* & Chriſtus ipſe, *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Verè & non deluſoriè Chriſtus inter homines conuerſabatur, operabatur, ac tandem mortuus & paſſus eſt, ac poſtea reſurrexit: Et hæc ipſa oſtendunt corpus Chriſti fuiſſe terreſtris naturę, ſicut noſtrum, mortale, paſſibile: non cęleſtis ſiue æthereę ſubſtantię aut conditionis: & multò minus diuinę: quod prorſus repugnat. Verè & realiter Chriſtus conceptus fuit ex Virgine,caro Chriſti ſumpta eſt ex Virgine. Et ita paſſim apud Concilia & Patres definitum eſt: & errores oppoſiti damnati ac expugnati.

Et de vera anima rationali.

Item de vera ſua anima dicebat Chriſtus, *Triſtis eſt anima mea uſque ad*

ad mortem, ſpiritus quidem promptus eſt. Et in morte emiſit ſpiritum. Per veram animam humanam rationalem merebatur & ſatisfaciebat pro nobis: quod non poterat competere Verbo diuino. Vt etiam prorſus repugnabat, Verbum gerere officium animæ, informando, & viuificando corpus. Et hoc totum quoque apud Concil. & Patres compertiſſimum eſt.

Hæreticorũ fundamenta ſoluuntur.

Nec quicquam obſtant, quæ ab Hæreticis adducebantur. Nulla eſt enim ſubſtantia mala, caro non eſt ſubſtantia mala, ſed optime ac decentiſſime potuit aſſumi à Verbo diuino. Chriſtus dicitur deſcendiſſe de cælo, non ratione carnis, ſed ratione diuinæ perſonæ: ſicut fatemur in Symbolo Niceno, *Deſcendit de cælis & incarnatus eſt*: non quaſi per motum deſcenderit, ſed quia in terra carnem aſſumpſit. Dicitur quoque Chriſtus de cælo cæleſtis, quia cæleſti virtute conceptus eſt, vt exponit D. Tho. hîc q. 5. art. 2. ad 1. Et ratione cæleſtis vitæ ac ſanctitatis, vt indicat ibidem Apoſtolus, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*.

Et dum Chriſtus habebat veram animam rationalem, non erat quidem ex vi ipſius naturæ & libertatis humanæ incapax peccati: tamen ex vi vnionis ad Verbum, & aſſiſtentiæ diuinæ gratiæ, & beatitudinis eiuſdem animæ, erat prorſus incapax peccati, vt ſuo loco dicemus. Dum Chriſtus habebat perfectam humanitatem, non per hoc inducitur quaternitas in diuinis: quia non additur quarta perſona præter tres diuinas perſonas: ſed ſolum additur alia natura in eadem Verbi perſona. Dum denique Chriſtus habebat carnem, animam, & diuinitatem: dici aliquo modo poteſt habuiſſe tres ſubſtantias, vt admittunt Iſidor. lib. de Differentijs cap. 6., Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 17., Bernard. ſerm. 3. de Vigilia Natiuit., & Concil. Toletan. 11. in Confeſs. Fidei. Tamen quia caro & anima non ſunt duæ ſubſtantiæ totales, ſed ſunt tantum partes vnius totalis humanæ naturæ: ideo ſimpliciter dici potiùs debet, Chriſtus habere duas naturas, duas ſubſtantias, quarum rurſus vna, nempe humana, conſtat ex duplici parte eſſentiali, carne & anima: vt loquendum eſſe admonet Damaſcen. lib. 3. Fidei cap. 16.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Verbum aſſumpſerit omnes partes integrales humani corporis, etiam ſanguinem & alios humores ac partes non informatas anima.

Verbum aſſumpſit omnes partes informatas anima.

SATIS quidem manifeſtum eſt, Verbum aſſumpſiſſe omnes partes integrales, quæ formaliter & intrinſece ſunt de conſtitutione integri humani corporis: ſcilicet omnia membra, & in membris carnem, oſſa, neruos, & ſimiles partes quæ informantur anima. Neque enim Chriſto defuit vlla pars ſpectans ad integritatem humani corporis: neque vlla prætermitti debuit in aſſumptione à Verbo diuino; nulla enim ratio erat, quare aſſumerentur aliquæ tantum partes, & non omnes.

Aſſumpſit etiam ſanguinem.

De ſanguine verò, quem non eſſe informatum anima, non formaliter viuere, ſupponimus ex Ariſt. D. Tho. & communiori ſententia, & nos in Philoſ. tractauimus q. 45. ſect. 4., aliqui Theologi opinati ſunt, non fuiſſe aſſumptum a Verbo; ſed per ſe ipſum ſubſiſtere. Ità Durand. in 4. d. 10. q. 1. num. 19., & Gabriel in Canonem Miſſæ lect. 53. At Caiet. hîc q. 5. art. 2. & infra q. 54. art. 2., quem ſequutus eſt Sylueſter in Roſa aurea tract. 3. q. 31., diſtinguit duplicem ſanguinem; quendam minùs perfectum & minùs concoctum, quem vocat nutrimentalem; & quendam magis perfectum, quem vocat vitalem. Primum docet non fuiſſe aſſumptum à Verbo, ſed alterum fuiſſe aſſumptum. Et videtur fauere D. Thomas Quodlib. 5. art. 5.

Communis tamen & vera ſententia eſt, ſanguinem Chriſti verè fuiſſe immediate & per ſe hypoſtaticè aſſum-

ptum

Digitized by Google

ptum à Verbo. Et eſt res tàm certa, vt Recentiores hoc loco aduertant, oppoſitam ſententiam temeritatis vel erroris notam mereri. Ita Suarez diſp. 13. ſect. 6. concl. 1., Vaſq. diſp. 36. cap. 4., Lorca diſp. 33., Raguſa diſp. 60., Cabrera & alij hic art. 2. Quamuis Franciſcus Collius lib. 2. de Sanguine Chriſti diſp. 4. cap. 3. dubitet de huius cenſuræ rigore.

Colligitur ex Sacra Scriptura. Probari ſolet primò ex Sacra Scriptura. Et aliqui afferunt plura loca, in quibus ſanguini Chriſti attribuitur valor & effectus noſtrę redemptionis. Sed hæc ſanè non ſatis probant: quia explicari poſſunt, quòd ſanguis Chriſti non ex ſuimet vnione ad Verbum, ſed quia effuſus & oblatus fuit à Chriſto qui eſt verus Deus, habuiſſe dicatur hanc vim redimendi homines. Ac etiã ſi ex hypoteſi non fuiſſet per ſe vnitus, habuiſſet hoc modò talem vim. Sicut etiam potuiſſet Deus ſtatuere, vt Chriſtus redemptionem perficeret per effuſionem lacrymarum, quamuis non ſint vnitæ Verbo. Meliùs probari poterit alijs locis, in quibus indicatur, ſanguinem ſuo modo ſpectare ad conſtitutionem humani corporis, & intelligi ſub nomine corporis: quo ſenſu Leuit. 17. dictum eſt, *Anima carnis in ſanguine eſt*; & Matth. 16. pariter dicitur *Caro & ſanguis*. Cùm ergo Verbum aſſumpſerit perfectum humanum corpus, colligitur aſſumpſiſſe etiam in corpore ſanguinem. Et expreſsè ad Hebr. 2. inquit Apoſtolus: *Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini; & ipſe*, ſcilicet Filius Dei, *participauit eiſdem*, ſcilicet carni & ſanguini, vtique per hypoſtaticam aſſumptionem. Et Chriſtus ipſe Ioann. 6. & alibi eodem modo loquitur de ſuo ſanguine ac de carne: & auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, ita de ſanguine, ſicut de carne.

Ex Concilijs. Probatur ſecundò ex Sacris Concilijs. In Epiſtola Concilij Alexandr., quæ eſt decima inter Epiſtolas Cyrilli, & approbata eſt in Concil. Epheſ. & Calcedon., Verbum diuinum dicitur particeps factum carnis & ſanguinis. In Sexta Synodo generali act. 8. & 16. planè dicitur Verbum aſſumpſiſſe carnem & ſanguinem. Et Concil. Trident. ſeſs. 13. cap. 3. ſanguinem vocat partem Chriſti Domini; certè autem totus Chriſtus Dominus, ſecundùm omnes eius partes, dici debet ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi, & non in parte aliqua per ſubſiſtentiam creatam: ergo verè etiam ſanguis aſſumptus fuit à Verbo.

Ex Clemente ſexto Pontifice. Probatur tertiò ex decreto Summi Pontificis Clementis Sexti in Extrauag. *Vnigenitus* de Pœnit. & remiſs., vbi inquit, guttam ſanguinis Chriſti propter vnionem ad Verbum eſſe ſufficientem pro redemptione totius generis humani. Per quæ verba docere voluit Pontifex, ſanguinem Chriſti habuiſſe valorem pro redemptione noſtra, ex dignitate ipſius ſanguinis, inquantum ſcilicet erat hypoſtaticè vnitus Verbo diuino. Et refert Vaſquez cap. 4., eiuſdem Pontificis iuſſu fuiſſe damnatam aſſertionem cuiuſdam Theologi, qui in publica concione dixerat, ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum, ſeparatum fuiſſe à Verbo: omnino ergo ſupponebatur ſanguis ab initio fuiſſe aſſumptus, & dici debebat etiam in effuſione ſic permanſiſſe.

Ex Patribus. Probatur quartò auctoritate Patrum. Cyrill. lib. de Incarnat. Vnigeniti cap. 11. & lib. 2. de Fide ad Reginas cap. *Quid vita*, Nazianz. Orat. 50., Leo Papa Epiſt. 10. cap. 5., & alij planè ſignificant, ſanguinem quoque fuiſſe aſſumptum à Verbo.

Suadetur ratione. Quintò ratione ſuadetur: quia ſecundum veram Philoſophiam, licet ſanguis non ſit animatus, tamen adhuc ſpectat ad conſtitutionem humanæ naturæ, ad integritatem humani corporis, ad conſeruationem humanæ vitæ; eſtque vitale inſtrumentum, deſeruiens ad operationes animę, prorſus neceſſarium ad functiones vitæ: ſed Verbum aſſumpſit perfectam humanitatem, & integrum corpus humanum: ergo aſſumpſit etiam ſanguinem.

Aſſumpſit totum ſanguinem. Sextò, aſſumpſit totum Chriſti ſanguinem. Vana eſt enim illa Caietani diſtinctio de duplici ſanguine, nutri-

Digitized by Google

mentali & vitali: Quinimò totus ſanguis eſt ſubſtantialiter eiuſdem naturæ, nec informatur anima: atque in hoc æqua eſt ratio, vt totus Chriſti ſanguis aſſumptus fuerit à Verbo. Et ita confirmant communiter hoc loco Theologi: & latè Franciſcus Collius lib. 1. de Sanguine Chriſti diſp. 2. S. Thomas verò ibi in Quodl. nequaquam diſcreuit illum duplicem ſanguinem; ſed tantùm dixit, non totum ſanguinem deſeruientem ad nutrimentum humani corporis; eſſe de veritate humanæ naturæ, ita vt totus debeat in reſurrectione reparari: quia nempe poteſt & ſolet eſſe in corpore aliqua pars ſuperflua ſanguinis, quam non oporteat reſtaurari.

Etiam ſpiritus vitales & animales.

Septimò, ad ſanguinem ſpectant ſpiritus vitales & animales. De quibus Vaſq. num. 33. & Suar. ſect. 3. non tàm conſtanter ſicut de ſanguine affirmant aſſumptos fuiſſe à Verbo. Et Collius lib. 2. diſp. 1. cap. 4. abſolutè negat. Sed certe, cùm hi ſpiritus ſubſtantialiter ſint particulæ ſanguinis, magis tenues & puræ, iiſque maximè ſint qui ad vitam & operationes vitales deſeruiunt: eadem ratio de illis eſt, ac de reliquo ſanguine, & ſub nomine ſanguinis comprehenduntur.

Aliæ partes mediæ inter ſanguinem & carnem.

Octauò. De quibuſdam alijs partibus, quæ vel ſunt etiam ſubſtantialiter ſanguis, vel mediant inter ſanguinem & carnem, vt ſunt pinguedo, ros & gluten, quæ ſic appellantur à Medicis; eadem quoque ratione addendum eſt, aſſumptas eſſe à Verbo: cùm totus ſanguis aſſumptus ſit: & eo magis partes illæ quæ propiùs accedunt ad ſtatum humanæ carnis, dici debent fuiſſe aſſumptæ.

Alios humores.

Nonò. De alijs tribus humoribus, qui cum ſanguine permiſcentur, affirmandum eſt cum iiſdem Auctoribus, fuiſſe quoque aſſumptos à Verbo. Quoniam, licèt non æquè ac ſanguis ſpectent ad perfectionem humani corporis, & conſeruationem vitæ; tamen ſuo modo etiam ſpectant, & valdè iuuant eundem ſanguinem ad operationes vitales ab anima exercendas. Et ſub nomine ipſo ſanguinis ſolent cointelligi, quando diſtinctè nominamus corpus & ſanguinem; & quando dicitur etiam ſanguis, & ſimilia. Neque alia peculiaris obſtat ratio ad illos excludendos.

Et alias partes ſpectantes ad vſum & ornatum corporis.

Tandem. De quibuſdam alijs partibus humani corporis, ſimiliter non animatis, vt diximus eadem quæſt. 45. Philoſ. ſect. 5. ſed nec etiam neceſſarijs ad conſtitutionem corporis, deſeruientibus tamen ad vſum aliquem & ornatum externum, vt ſunt vngues & pili: negat Vaſq. num. 34. aſſumptas eſſe à Verbo in corpore Chriſti; quia neque ſpectant ad veritatem & integratem humanæ naturæ, neque conferunt ad operationes vitæ, ſed tantùm ad ornatum quendam. Affirmat tamen Suarez ſect. 7. Quod eſt ſatis probabile; quia & hæ computari ſolent inter partes humani corporis, quare reparandæ erunt in corporibus reſurgentium: & hoc etiam magis facit ad perfectionem & complementum Chriſti Domini, ſiue hypoſtaticæ vnionis.

At quædam alia quæ in humano corpore reperiuntur, neque inter partes computantur, vtpote cibus priuſquàm conuertatur in ſanguinem, ſudor, lacrymæ, & ſimilia: hæc quidem non fuerunt à Verbo aſſumpta; quia nec ad veritatem nec ad ornatum ſpectant corporis humani: & neque nunc reperiuntur in corpore Chriſti: neque ſimpliciter reperientur in corporibus reſurgentium.

Qualiter Verbum aſſumpſit tantùm humanam naturam.

Obijcies primo. Verbum aſſumpſit tantùm naturam humanam, & non aliam naturam: ſed humana natura eſſentialiter conſiſtit tantùm in anima & corpore quod informatur anima: ergo Verbum non aſſumpſit alias partes non animatas. Imò, cùm Theologi ex doctrina Patrum dicant, corpus Chriſti aſſumptum fuiſſe mediante anima; ſequitur, non eſſe aſſumptas eas alias partes quæ non informantur anima.

Reſpondetur, Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, ſecundùm totam integritatẽ eius: non ſolùm quoad partes quę eſſentialiter conſtituunt hominem, ſed etiam quoad alias partes quæ neceſ-

neceſſariæ ſunt ad cóſtitutionẽ humani corporis, vel ad ornatum eius. Vnde abſolutè loquendo dici quidem debet Verbum aſſumpſiſſe tantùm humanam naturam, & non aliam: quia ſub integritate humanæ naturę comprehenduntur etiam dictę partes non animatę. Quę proinde non ſe habent vt noua & diſtincta natura, ſed ſuo modo vt partes eiuſdem humanę naturę. Et ſic Verbum non aſſumpſit aliam naturam ab humana, id eſt extraneam & alienã, non ſpectantem ad conſtitutionem illius. Et rurſus, quia omnes partes corporis ordinantur ad animam, etiam illę quæ non ſunt animatę: ideo adhuc dici poſſunt aſſumptę mediate animæ: non quidem mediante anima informãte eaſdem ipſas partes, ſed abſolutè informante corpus.

Et ſupplevit tantùm humanam ſubſiſtentiam.

Obijcies ſecundò. Subſiſtentia Verbi diuini per hypoſtaticam vnionem poſita eſt loco ſubſiſtentię humanę: ergo terminat tantùm eas partes quę humana ſubſiſtentia afficiuntur: ſed partes quę non ſunt animatę, non ſubſiſtunt humana ſubſiſtentia: ergo non ſunt aſſumptę à Verbo.

Reſpondetur, ſubſiſtentiam Verbi poſitam eſſe loco totius humanę ſubſiſtentię: intelligendo non ſolùm ſubſiſtentiam animę & partium animatarũ, ſed & aliarum partiũ humani corporis.

Qualiter aſſumpſit etiam partes identidem variabiles.

Obijcies tertiò: Illę partes quæ non ſunt animatę, faciliùs variantur, pręſertim ſpiritus vitales & animales qui ferè ſemper ex humano corpore effluunt: ergo, ne tanta variatio in vnionem hypoſtaticam redundet, pręſtabit dicere, has partes non fuiſſe aſſumptas à Verbo.

Reſpondetur, etiam partes animatas, vtpote carnes, in progreſſu humanę vitę variari: alię enim de nouo accreſcunt, & alię reſoluuntur. Sicut ergo inconueniens non eſt, admittere variationem in vnione hypoſtatica quoad partes animatas, ita nec quoad alias. Itaque abſurdum non eſt, Verbum de nouo identidem aſſumpſiſſe nouas partes corporis Chriſti, ſecũdum quòd ſucceſſiuè addebantur; atque dimiſiſſe eas quę è corpore Chriſti reſoluebantur. Tandem enim in reſurrectione ac deinceps, omnes partes aſſumptæ manent inuariabiliter. Ac etiã tempore vitæ mortalis, ac rurſus in triduo mortis, Verbum nunquam dimiſit animam, nunquam dimiſit corpus. Et ſic accipiendum eſt vulgatum illud ex Damaſc. *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*.

Partes v... prædicantur de V... bo.

Obijcies quartò. Si Verbum aſſumpſiſſet ſanguinem aliaſq; ſimiles partes, per communicationem idiomatum verum eſſet dicere, Verbum eſt ſanguis, Verbum effunditur, & ſimilia: quæ vtique concedenda non ſunt.

Reſpondetur, negando ſequelam: quia communicatio idiomatum non fit cum partibus, ſed ſolùm cum toto. Vnde nec valet dicere, Verbum eſt caput, eſt manus, eſt anima: quamuis indubitatum ſit, Verbum has partes aſſumpſiſſe.

An totus ſanguis ... fuſus, fu... rit reaſſ... ptus.

Obijcies quintò. Si totus ſanguis aſſumptus fuiſſet à Verbo, debuiſſet totus ille qui effuſus fuit in paſſione, reſumi à Chriſto in reſurrectione. Sed tamen aliquæ reliquiæ ſanguinis Chriſti remanſerunt apud nos in terra, vt quibuſdam hiſtorijs memoratur, & in quibuſdam locis aſſeruantur & adorantur: ergo non totus Chriſti ſanguis fuit aſſumptus à Verbo.

Reſpondetur, ſatis dubium eſſe, num aliquæ reliquiæ veri ſanguinis Chriſti in terra remanſerint. Sed hoc admiſſo, dici debebit, vel ſanguinem illum qui relictus fuit extra corpus Chriſti reſurgentis, ex tunc non manſiſſe ampliùs vnitum Verbo, quamuis antea eſſet vnitus: vel etiam deinceps manſiſſe vnitum Verbo, & reſumendum fore à Chriſto in conſummatione ſæculi. Quod quidem vtrunque ſufficit ad ſolutionem argumenti. Sed quidnam potiùs ſentiendum ſit, dicemus poſtea q. 25. ſect. 9. circa adorationem Chriſti, & q. 53. ſect. 2. circa reſurrectionem Chriſti.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Num eodem vel diſtincto vnionis modo Verbum aſſumpſerit corpus & animam.

QVIA anima formaliter non habet partes, non eſt quod de illa quæramus ſicut de corpore, num omnes partes eius aſſumptæ ſint. Sed quia anima habet potentias, de iis quæremus poſtea quatenus fuerint in anima Chriſti. Nunc vero ſubſtantiam ipſius myſterij plenius inſpiciendo, & comparando inter ſe corpus & animã; inquirimus, num vnico ſimplici vnionis modo, vel duplici diſtincto, Verbum aſſumpſerit ſibiq; vniuerit corpus & animam Chriſti.

Ij qui vnicam ſimplicem ſubſiſtentiã eſſe totius compoſiti arbitrantur, pariter vnicum ſimplicem vnionis modum in humanitate Chriſti cum ſubſiſtentia Verbi diuini ponere debent. Et hoc defendit Vaſq. q.4. & 6.

Duplici diſtincto vnionis modo Verbum aſſumpſit corpus & animam.

Dicendum tamen eſt, duos diſtinctos eſſe partiales modos vnionis, alium quo corpus Chriſti, & alium quo anima vniuntur Verbo diuino. Hæc videtur communis ſententia. Et ita docent Altiſiodor. lib.3. Summæ tract.1.cap.1. q.2., Abulenſ. Paradoxo 2. q.42., Suarez hic diſp. 15., aliique Recentiores. Idemque ſupponere videntur Riccard. in 3.d.2. art. 2. q.1. circa ſolut. ad 3., Capreol. in 2. d. 15. q.1.art. 3. ad argum. 2. loco conc. 3. concl. & in 3. d. 2. q.1. concl. & ad argum. contra eandem, Hermæus apud ipſum, Gabr. in 3. d. 2. q. vnica art. 2., Almain. ead. diſt. q. 1. concl. 2., Caietan. hîc q. 6. art. 1. circa ſolut. ad 3. & art. 5. Qui nempe docent, priùs natura ordine executionis ſeu operationis, Verbum aſſumpſiſſe corpus & animam, quàm totam humanitatem. Vel etiam docent, eandem vnionem perſeueraſſe poſt mortem Chriſti, in corpore & in anima cum Verbo diuino Quod vtrunque planè affirmat etiam S. Thomas q. 6. art.1. ad 3. & art.5. ad 1., & infra q. 50. art. 2. & 3. Sic inquam ſupponit duplicem diſtinctum vnionis modum. Quia ſi vnio Verbi cum corpore & cum anima Chriſti intelligitur ante totam humanitatem, iam non eſt vnica, ſed duplex. Et cùm omnino poſt mortem Chriſti, diſtincta ſit vnio in corpore & in anima cum Verbo, ſi eadẽ immutata permanſit, plane etiam antea erant iidem duo diſtincti vnionis modi.

Quia ſimiliter duplex eſt ſubſiſtentia partialis.

Probatur concluſio primò: quia de ſubſiſtentia compoſiti naturalis ex Philoſ. ſupponimus, duplicem eſſe partialem ſubſiſtentiam, vnam materiæ, & alteram formæ, & vtramque ſimul conſtituere ſubſiſtentiam totalem ipſius compoſiti. Sed vnio hypoſtatica in humanitate Chriſti, poſita eſt loco propriæ ſubſiſtentiæ, quæ illi ineſſe debebat: ergo pariter duplex eſt vnio, altera corporis, & altera animæ, cum ſubſiſtentia Verbi.

Vnus modus recipitur in corpore & in anima.

Secundò. Si vnica eſt vnio, quærendum eſt in quo ſubiecto recipiatur. Nõ in aliqua tertia entitate diſtincta a corpore & anima, & reſultante ex iis inter ſe vnitis: hæc enim tertia entitas in compoſito non reperitur, vt modo ex Philoſoph. ſupponimus. Neque in vnione ipſa naturali quæ coniungit animam & corpus Chriſti inter ſe: hæc enim vnio non eſt ſubiectum aptum ad recipiendum ea quæ compoſito cõueniunt: & ſubſiſtentia naturalis humani compoſiti non in ipſa vnione recipitur. Neque ſimul in corpore & in anima Chriſti: vnus enim ſimplex modus non poteſt afficere duo ſubiecta realiter diſtincta. Et cùm corpus ſit materiale, anima ſpiritualis: ſi vnio hypoſtatica ſit modus ſpiritualis, non poteſt in corpore ſubiectari: ſi ſit materialis, non poteſt in anima. Neque eſt in corpore tantùm, vel in anima tantùm: non enim eſt maior ratio de vna parte potiùs quàm de alia. Et alioqui ſi vnio hypoſtatica immediatè eſſet in vna parte tantùm, ſequeretur alteram partem non eſſe immediatè & per ſe vnitam Verbo: ſed ſolùm remotè, in quantum eſt coniuncta alteri parti, quæ per ſe vnita eſt Verbo: quod omnino abſurdum eſt, vt iterum ſect. 7. dicemus. Et præterea compoſito habenti

Digitized by Google

benti propriam naturalem ſubſiſtentiã, hæc non minùs conuenit vni quàm alteri parti in ordine ad ipſum totum: eademque ratio eſſe debet de hypoſtatica vnione vtriuſque partis cum Verbo diuino.

Separati fuerunt in morte Chriſti.

Tertio efficaciter probatur concluſio, ex eo quod corpus & anima Chriſti ab inuicem ſeparata in triduo mortis, remanſerunt hypoſtaticè vnita Verbo diuino: ſed tũc certè non erat vnus ſimplex modus vtriuſque partis, vt manifeſtum eſt: ergo etiam antea non erat vnus ſimplex modus vnionis, ſed duplex: Nõ enim rectè dicit Vaſq., in morte Chriſti ablatam eſſe vnicam ſimplicem vnionem, & ſucceſſiſſe duas diſtinctas, vſque dum in reſurrectione reſtitueretur priſtina vnio. Nam ex doctrina Patrum, vnio Verbi ſemel cõſtituta cum corpore & anima Chriſti, fuit omnino indiſſolubilis, pluſquàm vnio naturalis inter corpus & animam. Quod ita debet intelligi, vt eadem ipſa ſingularis vnio quæ facta eſt in incarnatione, ſemper poſtea permanſerit immutata. Imo ideo in morte Chriſti, corpus & anima non ſunt a Verbo ſeparata, quia non ceſſauit vnio quam habebant cum Verbo. Et præterea ſequeretur, in morte Chriſti factam fuiſſe nouam aſſumptionem, & iterum aliam in reſurrectione: quæ planè ſunt abſurda.

Modus vnionis in corpore eſt materialis, in anima ſpiritualis.

Quartò, Ex hac concluſione ſequitur, modum hypoſtaticæ vnionis qui eſt in anima Chriſti, eſſe ſpiritualem & indiuiſibilem; alium vero qui eſt in corpore Chriſti, eſſe extenſum & diuiſibilem. Talis enim eſt ipſe modus, quale eſt ſubiectum cui conuenit, & qualis eſſe debebat ſubſiſtentia creata, quæ excluſa eſt per vnionem. Quare ſicut in progreſſu vitæ Chriſti, eadem anima informabat nouas partes materiæ, quæ per augmentationem addebantur in corpore Chriſti: ita vnio hypoſtatica ex parte animæ abſque additione partium in ſe comitabatur animam. Pro nouis verò partibus materiæ in corpore Chriſti, addebantur nouæ partes vnionis, continuatæ cum priori vnione ad Verbum diuinum. Eademque ratio eſt de mutatione vnionis quoad partes, quæ actione caloris naturalis reſoluebantur in corpore Chriſti, ſicut & in corporibus aliorum hominum.

Argumenta pro parte oppoſita, quædam tendunt ad probandum vnicam ſimplicem eſſe ſubſiſtentiam totius cõpoſiti: quæ proinde non ad hunc locũ ſpectant, ſed ſuo loco in Philoſ. ſoluta ſunt. Si quæ alia verò occurrant propria huius loci, in ſequentibus diſſoluentur.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Verbũ aſſumpſerit etiam vnionem inter corpus & animam Chriſti, vel per ſolam aſſumptionem earundem partium totam humanitatem aſſumpſerit.

PRÆTER corpus & animam, ad eſſentialem conſtitutionem hominis requiritur vnio naturalis. Quam inter corpus & animam Chriſti negarunt olim aliqui, vt refert Magiſter in 3. diſt. 6. Certum tamen de fide eſt, corpus & animam Chriſti fuiſſe inter ſe vnita vera vnione phyſica, ſicut corpus & animam aliorum hominum. Ita notauit S. Tho. ſupra q. 2. art. 5., aliique Theologi communiter. Patetque ex Script., Concil., & Patribus. Chriſtus enim eſt verus homo, verè Filius Dei factus eſt homo: non eſt autem homo abſque vnione corporis & animæ. Item Chriſtus mortuus eſt, vtique per ſeparationem corporis & animæ, per diſſolutionem præcedentis vnionis: & poſtea reſurrexit, vtique per reparationem talis vnionis.

Hoc ergo ſuppoſito, cum nõ ſolùm aſſumpſiſſe dicatur corpus & animam Chriſti, ſed totam & integram humanitatẽ, quæritur num præter aſſumptionẽ ipſarum partium, aſſumpſerit etiam vnionem naturalem earum, vel aliquid aliud intercedat, quo Verbum totam humanitatem aſſumpſiſſe dicatur, an potiùs per ſolam aſſumptionem corporis & animæ tota humanitatis ſit aſſumpta.

In qua re poſſet quis opinari, ſicut dicimus corpus eſſe vnitum Verbo, & animam eſſe vnitam Verbo, ita quoque vnionem animæ & corporis per ſe & immediatè fuiſſe vnitam Verbo. Alius modus opinandi eſt eorum, qui conſtituunt tertiam entitatem in compoſito ſubſtantiali, reſultantem ex vnione materiæ & formæ: conſequenter enim aſſerunt, per aſſumptionem huius tertiæ entitatis aſſumptam formaliter fuiſſe totam humanitatem: vel ſimul admittendo, vel negando alias partiales vniones corporis cum Verbo & animæ cum Verbo. Alio modo rem explicat Suarez diſp. 17. ſect. 5. concl. 3., qui probabilius reputans, præter vnionem corporis & animæ cum Verbo, & inter ſe, reperiri aliquid aliud, quo tota humanitas dicatur aſſumpta, aſſignat hoc aliud eſſe, coniunctionem quandam, qua inter ſe connectantur vniones ipſæ partiales animæ & corporis cum Verbo: ita videlicet, vt vnio ipſa animæ ad Verbum, alio diſtincto vinculo coniugatur cum vnione corporis ad Verbum, & per hoc diſtinctum vinculum dicatur tota ipſa humanitas vnita & aſſumpta.

Dici debet Verbum per ſolam aſſumptionem partiũ vnitarum aſſumpſiſſe totam humanitatẽ.

Melius tamen dicendum videtur, nõ aliam modum aſſumptionis vel vnionis eſſe conſtituendum, ſed per ipſaſmet vniones partiales corporis & animæ cũ Verbô, addita naturali vnione inter ipſas partes, totam humanitatem eſſe ac dici debere aſſumptam. Ita ſentiunt Abulenſ., Caietan., & alij ex ijs quos pro concluſione ſect. præcedentis adduximus. Item Durand. in 3. d. 2. q. 2. Et fauet S. Tho. infra q. 50. art. 3. ad 2. dum ait in reſurrectione Chriſti factam non eſſe nouam aſſumptionem, ſed ſolum redintegratam eſſe totalitatem naturæ humanæ aſſumptæ per iteratã vnionem animæ & corporis. Et primo quidem, vnionem naturalem animæ & corporis non eſſe vnitam alio modo vnionis hypoſtaticæ cum Verbo diuino, facilè patet, ex eo quòd in compoſitis ſubſtantialibus vnio materiæ & formæ non habet alium peculiarem modum ſubſiſtentiæ; ſed vnio hypoſtatica conſtituitur loco propriæ ſubſiſtentiæ: ergo nec debet addi alius diſtinctus modus vnionis hypoſtaticæ. Et ſimiliter, non dari tertiam aliam entitatem in compoſito ſubſtantiali, quæ proinde debuerit diſtinctè vniri cum Verbo diuino, ex ſuo Philoſophiæ loco ſupponimus.

Secundò: Nec eſſe ponendam peculiarem coniunctionem inter vniones partiales quas habeat anima & corpus Chriſti ad Verbum diuinum, præter, inquam vnionem naturalem corporis & animæ inter ſe, pariter probatur, ex eo quod in alijs compoſitis, ſubſiſtentia partiali materiæ cum ſubſiſtentia partiali formæ, non coniungitur alio peculiari vnionis modo & vinculo, ſed ſatis eſt vnio ipſa materiæ & formæ inter ſe; ergo etiam in Chriſto inter partiales vniones hypoſtaticas animæ & corporis cum Verbo, non eſt conſtituendus alius diſtinctus coniunctionis modus. Etenim vna ſubſiſtentia vel vnio, non poteſt per ſe coniungi cum alia terminatiuè, eo pacto quo natura terminatur per ſubſiſtentiam: ſiquidem vna ſubſiſtentia vel vnio non poteſt per aliam terminari. Neque ſubiectiuè & informatiuè, eo pacto quo forma & materia vniuntur: vna enim ſubſiſtentia vel vnio, non poteſt in altera ſubiectari, vel alteram informare. Nullo ergo pacto poteſt interuenire aut intelligi hæc alia peculiaris vnio.

Tertio ergo concludendum eſt: ſicut omne aliud ſubſtantiale compoſitum, complete, totaliter, & adæquate, ſubſiſtit per ſubſiſtentias partiales materiæ & formæ, ſtante vnione naturali harũ partium inter ſe, abſque alio diſtincto modo vel ſubſiſtentiæ vel vnionis: ita certe Chriſti humanitas per vnionem hypoſtaticam ſubſiſtit in Verbo diuino, completè & adæquatè, per hoc quòd anima & corpus vniuntur hypoſtaticè ipſi Verbo, & vniuntur phyſice inter ſe. Nec opus eſt addere alium diſtinctum modum vnionis vel qualiſcũque coniunctionis.

Prima obiectio ſoluitur.

Sed in contrarium obijcit primò Suarez. Hæc humanitas Chriſti, vt vna totalis eſt, debet eſſe hypoſtaticè vnita Verbo: ergo præter vniones corporis & animæ cum Verbo & inter ſe, aliquid aliud addendum eſt. Reſpondetur, humá-

Digitized by Google

humanitatem Chriſti, quatenus totam ſeu vnam totaliter, ſufficienter eſſe hypoſtatice vnitam Verbo, per vniones corporis & animæ cum Verbo & inter ſe.

Secunda obiectio ſoluitur.

Obijcies ſecundo. Humanitas re ipſa diſtinguitur à ſuis partibus etiam collectiuè ſumptis: ergo vt ſic debet eſſe vnita Verbo per aliquid ſuperadditum. Reſpondetur, humanitatem non diſtingui à partibus, niſi penes vnionem earum inter ſe: at ratione huius vnionis non debet rurſus vniri Verbo, præter vniones corporis & animæ cum ipſo Verbo. Sed ad hoc quod tota humanitas dicatur & ſit vnita Verbo, ſatis eſt ipſas partes eſſe vnitas Verbo & inter ſe. Sicut ad hoc vt quęuis alia ſubſtãtialis natura dicatur ſubſiſtere, ſatis eſt partes eius habere ſuas ſubſiſtentias partiales, eaſdemque partes eſſe inter ſe vnitas.

Tertia obiectio ſoluitur.

Obijcies tertio. Ex vi vnionis animę & corporis non manet vnita tota humanitas cũ Verbo: nam poteſt manere tota vnio partium cum Verbo, & humanitas non eſſe vnita: ergo pro vnione totius humanitatis cum Verbo, aliquid aliud addendum eſt. Reſpondetur, per vnionem animæ & corporis cum Verbo & inter ſe, totam humanitatem eſſe ſimpliciter vnitam Verbo. Neque vllatenus ſtare poſſe totam illã vnionem, abſque eo quod tota humanitas ſit vnita Verbo. Sicut tota humanitas alterius hominis adæquatè ſubſiſtit per hoc, quod partes eius habent ſuas ſubſiſtentias partiales, & vnitę ſint inter ſe: ita vt fieri non poſſit, vt dentur illæ ſubſiſtentiæ cum vnione partium, & non ſubſiſtat tota humanitas.

Quarta obiectio ſoluitur.

Obijcies quarto. Si humanitas dicatur vniri Verbo, per hoc ſolum, quod partes vnitæ Verbo, ſunt etiam vnitæ inter ſe; ſequitur humanitatem vniri Verbo, ſolùm remotè, ſeu ratione partium; & non proximè, prout in re eſt quid diſtinctum à partibus: quod videtur abſurdum. Reſpondetur, non ſequi, nec dici debere, humanitatem Chriſti, vniri Verbo ſolùm remotè, aut mediatè, eo quod vnitur ratione partium: ſiquidem per ſe & intrinſecè ipſa tota humanitas non eſt alia tertia entitas præter partes vnitas, ſed formaliter non eſt aliud quàm ſuæ partes vnitæ. Quare hoc ipſo quod partes inter ſe vnitæ; vniuntur immediatè Verbo. ipſa quoque tota humanitas dici debet proximè & immediatè vnita Verbo. Partes quidem ſingulæ per ſe, ſunt vnitæ partialiter, humanitas verò eſt vnita totaliter. Sicut & tota natura alterius hominis, proximè ſubſiſtit per ſubſiſtentias ſuarum partium vnitarũ.

Quinta obiectio ſoluitur.

Obijcies quinto. Licèt humanitas tota, præter entitatem partium, ſolùm addat vnionem earum inter ſe; tamen hæc ipſa vnio eſt aliquid ſubſtantiale, eſt de conſtitutione totius naturæ: ergo ſi tota humana natura eſt immediatè & proximè vnita Verbo, non ſatis eſt vnio animæ & corporis ſecundùm ſe cum Verbo, ſed aliquid aliud requiritur. Reſpondetur, hoc argumentum probaret, ipſam quoque vnionem phyſicam corporis & animæ Chriſti debere eſſe aſſumptam à Verbo per alium peculiarem modum vnionis ad Verbum: quod nec ipſe Suarez admittit. Quamuis ergo ea vnio phyſica ſpectet ſubſtantialiter ad conſtitutionem ipſius naturæ humanæ totalis; tamen non indiget alia vnione: ſicut non indiget alia ſubſiſtentia in natura alterius hominis, præter ſubſiſtentias partiales, adhoc vt ipſa tota natura dicatur ſubſiſtere.

Sexta obiectio ſoluitur.

Obijcies ſexto. In aſſumptione naturæ conſtantis ex forma materiali, vtpote ſanguinis, talis forma non vnitur Verbo ſecundùm ſe ſumpta, quia non eſt ſubſiſtens, ſed ſolùm vt vnita materiæ: ergo rurſus anima quoque rationalis, quamuis apta ſit per ſe ſubſiſtere, atque adeo capax per ſe vniri Verbo, adhuc pręter hoc debet etiam inquantum coniuncta corpori habere alium modum vnionis ad Verbum. Reſpondetur, formam etiam materialem debere ſecundùm ſe vniri cum Verbo, quia & ipſi conuenit ſuus partialis modus ſubſiſtentiæ, vt ſuo loco in Philoſ. tractauimus.

Septima obiectio ſoluitur.

Obijcies ſeptimò. Natura humana in proprio ſuppoſito, ſicut ipſa eſt vna, ita habet vnam ſubſiſtẽtiã, vel ſimplicem, vel compoſitam: ergo in humanitate

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti debet eſſe vna quædã vnio hypoſtatica, vna ſaltem per cõpoſitionem, qua vniones partiales corporis & animę cũ Verbo, ſint etiã coniunctæ inter ſe. Reſpondetur, naturam humanam in proprio ſuppoſito habere ſubſiſtentiam vnam compoſitam, abſque alia vnione inter duas ſubſiſtentias partiales, præter vnionem ipſam partium inter ſe: quare ita etiam humanitas Chriſti habet vnionem hypoſtaticam vnam totalem, abſque alia coniunctione duarum vnionum partialium, præter coniunctionem phyſicam corporis & animæ inter ſe. Hæc enim coniunctio ſatis eſt, vt vna etiam eſſe dicatur ſubſiſtentia naturæ totalis in ſe, vel vnio hypoſtatica ad ſubſiſtentiam alienam.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Verbum diuinum ſimul tempore aſſumpſerit corpus & animam Chriſti.

HÆC etiam eſt altera pars præſentis quæſtionis de ordine aſſumptionis partium. Et prius quærimus de ordine temporis, poſtea de ordine naturæ.

Origenes lib. 2. Periarch. cap. 6. ſicut animas aliorum hominum, ita & animam Chriſti dicebat fuiſſe ab initio mundi creatam. Addebatque fuiſſe etiam prius aſſumptam à Verbo, quàm vniretur carni, & quàm aſſumeretur ipſa caro. Oppoſitus error eſſe poſſet, fuiſſe prius tempore aſſumptum corpus quàm animam. Aliorum Hæreticorum error fuit, non ſtatim atque caro Chriſti formata fuit, & anima creata, & inter ſe vnitæ, aſſumptas fuiſſe à Verbo, ſed aliquo conſequenti tempore. Qui nempe volebant, Chriſtum non fuiſſe ab initio verum Deum, ſed aliquando fuiſſe purum hominem, vt commemorauimus quæſt. ſecunda.

Reſolutio affirmatiua. Certum tamen iuxta fidem eſt, in eodem inſtanti temporis, Verbum aſſumpſiſſe carnem & animam Chriſti, eodem inquam inſtanti, quo caro formata fuit, & anima creata, & ambæ coniunctæ, ac tota humanitas conſtituta. Et primo quidem in vniuerſum de fide eſt, animas hominum non antea à Deo creatas eſſe, quàm ſingulæ ſuis corporibus infundantur & vniantur, vt ex prima parte ſupponimus.

Secundo, in particulari animam Chriſti nec fuiſſe antea creatam, nec à Verbo aſſumptam, prius quàm corpori vniretur, definitum fuit in quinta Synodo generali can. 2. & 10. apud Nicephor. lib. 15. de Incarnat. cap. 27. vbi habetur: *Si quis dicit, aut ſentit, animam Domini præextitiſſe, vnitamque eſſe Deo Verbo, ante incarnationem & natiuitatem, hoc eſt conceptionem ex Virgine, anathema ſit.* Et rurſus, *Anathema ſit Origeni, qui & Adamantius dictus eſt, & hæc promulgauit.* Idem definitum eſt in ſexta Synodo act. 11. & 13. in Epiſt. Sophronij. Et à Leone Papa in Epiſt. 11. quæ eſt ad Iulianum. Traditur quoque ab alijs Patribus communiter.

Tertio, etiam carnem Chriſti non prius fuiſſe conceptam vel vnitã Verbo, quàm vniretur animæ, definitum eſt ab ijſdem Concilijs & Patribus. Quamuis enim materia corporis Chriſti præextiterit ante vnionem, cùm vtique non fuerit in inſtanti incarnationis de nouo creata, ſed deſumpta ex ſanguine B. Virginis: tamen non prius fuit organizata, diſpoſita; & idonea effecta, vt informaretur anima, quàm & anima ipſi carni vniretur, & tam anima quàm caro aſſumerentur à Verbo, vt tractat S. Tho. infra q. 32.

Quartò, non prius extitiſſe corpus & animam Chriſti, humanitatem Chriſti, quàm aſſumeretur à Verbo, tàm certũ & conſtans eſt, quàm Chriſtum nunquam fuiſſe purum hominem, ſed ab initio ſuæ conceptionis ſemper fuiſſe verum Filium Dei, verum Deum, vt iam q. 2. determinauimus.

Quintò tandem, hæc quæ dicimus de Chriſti corpore, intelligenda ſunt, quoad totam illam materiam quam ab initio habuit in ipſo conceptionis inſtanti. Alioqui, cùm ſucceſſu temporis per conſequentem augmentationẽ aliæ partes de nouo adderentur, manifeſtum eſt, priori tempore aſſumptam fuiſſe animam à Verbo, quàm hæ aliæ

nouæ

nouæ partes corporis, & vnirentur ipſi animæ, & aſſumerentur à Verbo.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Verbum ordine naturæ priùs animam vel corpus Chriſti aſſumpſerit.

THeologi communiter aliquem aſſumptionis ordinem, non tempore, ſed natura, inter corpus & animã Chriſti tueri conantur: eò quòd apud Concilia & Patres dicitur Verbum aſſumpſiſſe corpus mediante anima, vel corpus per animam. Ita loquitur Sexta Synodus act. 18., Nazianz. Orat. 28., 35., 42., & 52., Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano cap 18. & epiſt. 13., Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 6., & alij. Sed diſſentiunt Theologi, in aſſignando modo quo id intelligendum ſit.

Primus dicendi modus.

Primò. Gabr. in 3. d. 1. q. 2. art. 3. dub. 1. & d. 2. q. 1. art. 2., & Almai. d. 1. q. 2. art. 1. & d. 2. q. 2., iuxta ſententiã quam probabilem putant, quòd non poſſit niſi rationalis natura à Deo aſſumi, probabile quoque putant, ſolam animam fuiſſe per ſe & immediatè vnitam Verbo diuino, corpus verò in quantum eſt vnitum animæ. Verùm, ſi hoc ita intelligatur, quòd corpus Chriſti, præter vnionem animæ cum Verbo, & ſui cum anima, non habeat propriam ſuam vnionem cum Verbo: hoc eſt omnino falſum. Sic enim corpus Chriſti remotè tantùm & per accidens eſſet vnitum Verbo: & haberet in ſe propriam ſubſiſtentiam partialem: & in tempore mortis poſt ſeparationem animę non manſiſſet vnitum Verbo. Imò non benè verificaretur, Verbum aſſumpſiſſe totam humanitatem, factum eſſe hominem. Sed potiùs ad explicandam immediatam aſſumptionem corporis, conſultò dictum videtur, *Verbum caro factum eſt*. Quare ille dicendi modus ita acceptus, tanquam erroneus communiter à Theologis reputatur.

Secundus dicendi modus.

Secundò ergo, ſupponendo, quòd tam caro quàm anima ſit proximè & per ſe vnita Verbo: aliqui abſolutè dicunt, ordine cauſalitatis & naturæ priùs aſſumptam fuiſſe animam. Ita defendit Valent. p. 6. puncto 2., hac ratione. Quia inquit, ille ordo ſeruandus eſt in aſſumptione, qui reperitur in exiſtentia: ſed priùs natura exiſtit anima quàm corpus, forma quàm materia: ergo & priùs aſſumpta eſt. Verùm, cùm non dependeat in exiſtendo corpus ab anima, materia à forma, vt in Philoſ. tractauimus; non apparet ex hac parte; quare debeat priùs natura exiſtere anima quàm corpus, & quare debuerit ordine cauſalitatis priùs aſſumi. Vnde Caietan. q. 6. art. 1. planè aduertit, nullam eſſe rationem quare debuerit priùs aſſumi anima quam corpus.

Tertius dicendi modus.

Tertiò. Suarez diſp. 17. ſect. 3. concl. 2. ait, ordine exequutionis, in diuerſo genere cauſæ; priùs natura aſſumptam eſſe animam vel carnem; abſolutè tamen & ſimpliciter priùs carnem. Quia inquit, materia in ſubſiſtendo dependet à forma in genere cauſæ formalis: at in genere cauſę materialis præcedit & abſolutè prior eſt materia ante productionem & receptionem formæ. Verùm, neque materia in ſubſiſtendo dependet à forma: cùm habeat ſuam exiſtentiam, & pariter ſubſiſtentiam, non eam à forma recipiens, nec tanquam à cauſa vel conditione à forma dependens. Et ex altera parte, quamuis aliæ formæ à materia in exiſtendo dependeant, cùm ab illa ſuſtententur: tamen certè anima rationalis quoad exiſtentiam & ſubſiſtentiam ſuam non dependet à corpore; nec materia exercet veram cauſalitatem erga animam rationalem, ad hoc vt ipſa anima exiſtat vel ſubſiſtat, ſed tantùm ad hoc vt recipiatur, hominemque conſtituat. Quamuis ſecundùm conuenientem ordinationem anima rationalis non niſi in corpore bene diſpoſito creetur & infundatur à Deo.

Quartus dicendi modus.

Quartò. Caietan. quæſt. 6. art. 1. cũ Scoto diſtinguit duplex medium in aſſumptione, aliud quod, & aliud quo. Primum eſſe illud, quod ita eſt mediũ, vt antea ipſum ſecundùm ſe aſſumatur. Alterum eſſe illud, quod eſt ratio quare alia pars aſſumatur, non tamen ipſum

ipſum per ſe antea ſit aſſumptum. Sic docet, animam fuiſſe medium quo, non vero quòd, ad aſſumptionem corporis. idest non prius fuiſſe aſſumptam animam, quam aſſumeretur corpus, ſed vt quod ambo ſimul eſſe aſſumpta: rationem tamen conuenientiæ, quare aſſumeretur corpus, fuiſſe ſubiectionem ad animam, quia alioqui ſecundùm ſe non habuiſſet talem congruentiam. Itaque intendit, non fuiſſe quidem priorem aſſumptionem animæ quàm corporis a Verbo, priorem tamen fuiſſe infuſionẽ animæ in corpore quàm aſſumptionem corporis à Verbo. Eundem dicendi modum ſequitur Vaſq. diſp. 37. qui cap. 7. alios quoſdam Auctores pro eo adducit. Verùm in præſenti nos tantùm quærimus de ordine inter aſſumptionem animæ & aſſumptionem corporis ab ipſo Verbo. At de ordine inter aſſumptionem à Verbo & informationem animæ in corpore loquemur ſect. ſequenti. Sed quoad ipſam aſſumptionem corporis & animæ à Verbo, modus loquendi Conciliorum & Patrum indicat in ea aliquem ordinẽ, quem aſſignare oportebit.

Quintus dicendi modus. Quintò, Durand. in 3. d. 2. q. 2. num. 12. & 13. vult, nullum ordinem naturæ ſecundùm rem eſſe inter aſſumptionem corporis & animæ à Verbo: ſed tamen interuenire ordinem rationis, quo priùs aſſumpta intelligatur anima quàm corpus: tum inquantum anima eſt dignior; tum inquantum magis participat vtilitatem redemptionis, ob quam facta eſt incarnatio. Et num. 15. aperte docet, priùs conſtitutam fuiſſe humanitatem per vnionem phyſicam corporis & animæ, quàm aſſumptam à Verbo. Vnde quoad ordinem in re, planè conuenit cum præcedenti dicendi modo: quamuis longè aliter eius ſententia referri ſoleat. Quoad ordinem vero rationis quem adiungit, mox dicemus. Ea autem ratione negat Durandus ordinem à parte rei inter aſſumptionem corporis & aſſumptionem animæ à Verbo, quia ſignificat vnum ſimplicem eſſe actum aſſumptionis. At nos iam ſupponimus, diſtinctum eſſe modum hypoſtaticæ vnionis in corpore & anima reſpectu Verbi.

Sextus dicendi modus. Sextò ergo S. Tho. q. 6. art. 1. in corp. & clariùs ad 3. docet, prius fuiſſe à Verbo aſſumptam animam quàm corpus, ſiue aſſumptum fuiſſe corpus mediante animâ, ſecundùm quandam conuenientiam & congruentiam. quatenus inquit, corpus non habet ſecundùm ſe congruentiam vt aſſumatur à Verbo, ſed ſecundùm ordinem ad animam. Ita etiam docuerunt Alenſ. 3. par. q. 4. memb. 5. Bonauent. in 3. d. 2. art. 2. q. 1. & alij. Et hoc ſanè videtur fuiſſe de mente Patrum. Cùm enim caro ſit inferior hominis pars, ſecundùm ſe irrationalis, anima vero ſit pars ſuperior rationalis: ipſa quidem anima habet quandam congruitatem vt aſſumatur à Verbo, quam non habet caro ſecundùm ſe: ſed quia caro informatur anima, ideo ſimul cum anima aſſumpta eſt. Eodemque ſenſu pariter dixerunt Patres, aſſumptam eſſe animam mediante ſpiritu ſeu mente. Cùm enim anima habeat plures gradus eſſentiales, præcipue in ea attenditur gradus ſpiritualitatis & rationalitatis, qui ei tribuit huiuſmodi congruitatem vt aſſumeretur à Verbo.

Ordine dignitatis & intentionis Verbum aſſumpſit prius animã quàm corpus. Itaque patet, qualiter ordine dignitatis Verbum aſſumpſerit prius animam quàm carnem, ſiue carnem mediante anima. Quia nimirum anima ex ſe, inquantum rationalis eſt, habet quodammodo dignitatem ſeu congruitatem vt aſſumatur à Verbo: caro verò penes ſubiectionem ad animam, participat etiam ſuo modo hanc dignitatem. Sed etiam explicari poteſt hic ordo ſecundùm cauſalitatem. Vt ordine intentionis prior ſit aſſumptio animæ quàm carnis: quia nempe Deus præcipue intendebat aſſumere animam; ſed quia anima, cùm ſit vera forma, petit exiſtere in corpore, voluit quoque Deus aſſumere corpus. Quamuis ſtando in eodem ordine intentionis, prius adhuc intendebat Deus totam humanitatem aſſumere, vt poſtea dicemus. Vel rurſus poteſt hoc ipſum explicari in ordine ad finem redemptionis; ſupponendo ad hunc finem fuiſſe humanitatem aſſumptam. Ad quem finem propinquior ſanè eſt anima, ex cuius libertate operationes ſunt capaces meriti & ſatisfa-

tisfactionis: certè autem ordine intentioni, illud eſt prius, quod propinquius eſt ad finem intentum.

Ordine exequutionis prius corpus quã animam. Verùm ex alia parte non videtur poſſe negari, ordine exequutionis aliquo modo aſſumptionem corporis fuiſſe priorem. Tum quia in vniuerſum ordo exequutionis eſt oppoſitus ordini intentionis. Tum quia, iuxta ordinationem Dei, & exigentiam animæ, non creatur anima niſi in corpore benè diſpoſito: at ante omnem diſpoſitionem prærequiritur, vt materia non ſolùm exiſtat, ſed etiam ſubſiſtat, vel in ſe, vel in alieno ſuppoſito. Cùm ergo corpus Chriſti in inſtanti incarnationis, nõ haberet propriam ſubſiſtentiam, ſequitur fuiſſe prius natura aſſumptum à Verbo, quam ipſi corpori vniretur; & à Verbo aſſumeretur anima. Sed quia, vt admonet S.Tho. art. 5., in hoc myſterio maximè attendi debet ordo intentionis ex parte agentis, cùm prorſus ex diuina potentia & voluntate dependeat: ideo abſolutè cum SS. Patribus ſic loquendum eſt, Chriſti carnem aſſumptam fuiſſe mediante anima, atque adeo aſſumptionem animæ ordine naturæ ſimpliciter fuiſſe priorẽ.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Verbum aſſumpſerit corpus & animam Chriſti priùs natura quàm vnirentur inter ſe.

ILLI Theologi, qui vt ſect. præced. adduximus, ſic explicabant fuiſſe corpus aſſumptum mediante anima, quod priùs corpus informaretur anima quàm aſſumeretur à Verbo; conſequenter ſentire debent, priùs natura corpus & animam Chriſti fuiſſe vnita inter ſe quàm aſſumerentur à Verbo: Et ſimiliter ij, qui vt ſect. ſeq. referemus, volunt priùs ordine exequutionis aſſumptam fuiſſe totam humanitatem quàm corpus & animam. Et ita defendit Vaſq. diſp. 37. & 39., & ſequitur Lugus diſp. 15. At verò. Caiet. q. 6. art. 1. ſignificat, animam quidem fuiſſe priùs aſſumptam à Verbo, quàm vnitam corpori; tamen corpus fuiſſe priùs informatum anima, quàm aſſumptum à Verbo. Ex oppoſito, ij qui volunt priùs ordine exequutionis aſſumptas eſſe dictas partes quàm totam humanitatem, vt referemus ſect. ſequenti, cohærenter ſentire debet, eaſdem partes priùs natura fuiſſe aſſumptas à Verbo, quàm vnitas inter ſe. Et ita defendit Suarez diſp. 17. ſect. 1. & 2. Et fauet S. Tho. q. 6. art. 5. ad 1., alijſque locis ſect. præcedenti relatis.

Reſolutio affirmatiua. Cum qua ſententia aſſerendum putamus, priùs natura ordine exequutionis aſſumptas fuiſſe huiuſmodi partes à Verbo, quàm vnitas inter ſe. Primò: quia ille ordo ſeruandus eſt in aſſumptione à Verbo, qui in propria ſubſiſtentia ſeruaretur, & in alijs compoſitis ſeruatur: ſed priùs natura eſt, partes in ſe ſubſiſtere, quàm inter ſe vniri ad faciendum totum: ergo ſimiliter priùs fuit in Chriſto aſſumi à Verbo. Maiorem negat Caiet. art. 1. circa ſolut. ad 2. Sed immeritò: tum quia hic ordo in propria ſubſiſtentia, eſt maximum fundamẽtum ad deſignandum ordinem aſſumptionis à Verbo: tum quia vnio cum Verbo ſupplet locum propriæ ſubſiſtentiæ: ergo ſi vnio phyſica corporis & animæ dependet à propria ſubſiſtentia harum partium, in Chriſto dependebat ab vnione earum ad Verbum. Minorem negat Vaſquez diſp. 37. cap. 10., quia putat per ſe & primo totam naturam ſubſiſtere, & non niſi mediante natura ipſas partes. Verùm nos ex ſupradictis ſupponimus, partibus ſecundùm ſe proprias partiales ſubſiſtentias conuenire: & ſicut ſubſiſtentia naturæ præſupponitur ante omnem alium actum eiuſdem; ita in corpore & anima præſupponi debet, ad hoc vt corpus recipiat animã, & ipſa anima informet corpus: quod eſt corpus & animam inter ſe vniri.

Secundò, Certè priùs natura exiſtit & creatur anima, quàm vniatur corpori: ſed dum creatur, intelligi debet habere vel propriam vel alienam ſubſiſtentiam, ſiquidem creatio terminatur ad rem ſubſiſtentem: ergo in alijs hominibus intelligitur habere propriã ſubſiſtentiam, in Chriſto verò vnionẽ hypoſtaticam partialem ad Verbum,

priùs

priùs natura quàm vniatur corpori.

Vnio partium cum Verbo non dependebat ex vnione earum inter ſe, ſed è conuerſo.

Tertiò. Poſt mortem Chriſti in illo triduo, corpus & anima manſerunt vnita Verbo abſque vnione phyſica inter ſe: ergo aſſumptio à Verbo non dependet ab hac vnione: ergo iam non priùs natura corpus & anima vnita fuerunt inter ſe, quàm aſſumpta à Verbo. Supponimus enim, eandem hypoſtaticam vnionem quam corpus & anima habebant antea cum Verbo, permanſiſſe etiam poſt mortem & ſemper.

Quartò. Quando rurſus in reſurrectione Chriſti iterum vnita fuerunt corpus & anima inter ſe; vtique intelligimus priùs natura, ſicut & priùs tempore, vnionem harum partium cum Verbo, quàm iteratam vnionem earum inter ſe. Et præterea ſi in morte Chriſti ſucceſſit forma cadaueris in materia, vtique priùs etiam natura intelligitur ipſa materia ſubſiſtere per ſuam vnionem in Verbo, quàm recipere hanc aliam formam. Igitur hic idem ordo ſeruatus fuit in incarnatione, vt vnio partium cum Verbo præceſſerit vnionem earum inter ſe.

Deinde fatendum eſt, ordine intentionis fuiſſe quodammodo priorem vnionem partium inter ſe, quàm cum Verbo. Quatenus nimirum, ordine intentionis ſect. ſequenti dicemus, priùs natura totam humanitatem fuiſſe aſſumptam, ideſt aſſumptionem totius humanitatis fuiſſe primario intentam.

Explicatur quædam loca S. Tho.

Sed obijcies primò ex Vaſq. diſp. 37. cap. 8. auctoritatem S. Thomæ q. 6. art. 1. in fine corporis, vbi concludit, carnem aſſumptam fuiſſe mediante anima propter ordinem ad eandem animam, ſecundùm quem habet quòd ſit caro humana: ſed caro non habet vt ſit humana, niſi per actualem vnionem cum anima: ergo priùs fuit vnita cum anima, quàm aſſumpta à Verbo. Et clariùs art. 4. ad 3. ait, *Vnione perſonali priùs ſecundùm intellectum oportet quòd caro vniatur animæ quam Verbo, quia ex vnione ad animam habet quòd ſit vnibilis Verbo in perſona.*

Reſpondetur, S. Tho. in primo loco debere intelligi, non de ordine actualis vnionis carnis cum anima, ſed de ordine præuiæ diſpoſitionis vt informetur anima. Etenim in alijs codicibus non legitur, *Propter ordinem ad animã, ſecundùm quem habet quòd ſit caro humana*, ſed legitur, *ſecundùm quam*, ideſt ſecundùm ipſam animam. Vbi ſenſus clarior eſt, nõ de ordine vnionis actualis, ſed de ordine diſpoſitionis ad animam, à qua caro habet quòd ſit humana. Sed etiam legendo eo modo quem Vaſquez refert, facilè adhuc explicari poteſt in eodem ſenſu: propter ordinem ſecundùm quem caro habet quòd ſit humana: ideſt propter ordinem diſpoſitionis, ſecundùm quem caro habet diſpoſitiue vt ſit caro humana, ſiue diſponitur ad recipiendam animam rationalem, qua formaliter redditur humana caro. In alio loco, S. Tho. vel loquitur de prioritate ordine intentionis. Vel ſumendo propriè vnionem perſonalem quam nominat, dicere voluit, quòd caro non habet denominationem vnionis perſonalis cũ Verbo, niſi accedente vnione ad animam, eo quòd perſona non dicitur niſi rationalis naturæ. Et hanc rationem ipſe S. Doctor aſſignat, *Quia perſona non inuenitur niſi in rationali natura.*

Explicatur quædã dicta aliorũ Patrum.

Obijcies ſecundò ex eodem. Non aliter ſaluari poteſt quod Patres docent, carnem aſſumptam fuiſſe mediante anima, niſi quia priùs vnita fuerit animæ, quàm aſſumpta à Verbo. Nullo enim alio modo apparet, carnem redditam fuiſſe aptam & idoneam vt aſſumeretur à Verbo per ipſam animam. Neque ſatis videtur dicere, per habitudinem diſpoſitiuam ad animam: quia certè non eſt aſſumpta caro, eo quòd futura erat caro hominis, vel vt eſſet caro hominis, ſed quia iam actu erat caro hominis, vtique per informationem animæ.

Reſpondetur, Imò potiùs eo modo non poſſe ſaluari ſententiam Patrum. Sed alio modo ſaluari optimè, vt ſect. præcedenti tractauimus. Et breuiter patet: quia cum in eodem momento temporis, corpus Chriſti formatum ſit, & informatum anima, & vnitum Verbo; non oportet intelligere, priùs natura corpus fuiſſe animatum quàm vnitum

vnitum Verbo: ſed ſatis eſt intelligere corpus diſpoſitum & adaptatum ad recipiendam animam. Sic enim aſſumptum eſt in ordine ad animam, ac per huiuſmodi ordinem ad animam redditum eſt idoneum quoad dignitatem, ſeu congruentiam, vt aſſumeretur à Verbo. Itaque, loquendo de eodem ordine naturæ, dicendum non eſt, ideo aſſumptam fuiſſe carnem, quia erat humana per actualem vnionem ad animam; ſed quia erat humana per diſpoſitionem & aptitudinem ad receptionem animæ.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum Verbum priùs natura aſſumpſerit corpus & animã Chriſti vel totam humanitatem.

Auctorum placita.

SCotus in 3. diſt. 2. quæſt. 2. §. *Ideo*, docet priùs ſimpliciter ordine naturæ aſſumptam eſſe totam humanitatem quàm partes. Concedit tamen, eaſdem partes fuiſſe medium, non vt quod, ſed vt quo, ad aſſumptionem totius humanitatis: quatenus prius fuit, humanitatem conſtitui ſuis partibus, quàm aſſumi à Verbo. Eandem ſententiam ſequuntur Paludan. ead. diſt. 2. q. 2. art. 3., Vaſq. hic diſp. 39. cap. 3., Raguſa diſp. 66. Et eiuſdem videtur etiam fuiſſe olim S. Tho. in 3. d. 2. q. 2. art. 6. quæſtiuncula 3.

At hic q. 6. art. 1. in corp. docet S. Thomas, ordine quidem intentionis priùs aſſumptam fuiſſe totam humanitatem: & in ſol. ad 1., ordine executionis priùs aſſumptas fuiſſe partes. Quem locum immeritò Vaſq. num. 14. explicare tentat de prioritate medij vt quo: cùm S. Doctor expreſsè dicat, priùs aſſumptas eſſe partes quàm totã humanitatem: non autem dicat, priùs partes conſtituiſſe humanitatem, quàm humanitatem aſſumptam fuiſſe à Verbo. Sententiam S. Thomæ hoc modo intellectam ſequuntur Caiet. & Thomiſtæ communiter, Bonacina q. 4 puncto 2. Adhæret Riccard. in 3. d. 2. art. 2. q. 1., & alij ex Scholaſticis.

Addit Suarez diſp. 27. ſect. 5., quòd licèt partes ſecundùm ſe ſint priùs aſſumptæ quàm tota humanitas: tamen partes vt vnitæ, rurſus aſſumptæ ſint mediante humanitate. Quia videlicet præter aſſumptionem partium à Verbo, & vnionem inter ſe, aliquid aliud addebat quo tota humanitas dicatur aſſumpta.

Iam verò Durandus in 3. d. 2. q. 2. num. 12. & 13. docet, non reperiri ordinem naturæ ſecundùm rem inter aſſumptionem partium & aſſumptionem totius humanitatis: ſed ordine rationis priùs aſſumptam eſſe humanitatẽ, tum quia dignior eſt, tum quia pleniùs participat fructum redemptionis.

Verbum ſimul aſſumpſit partes & humanitatem ordine cauſalitatis.

Pro reſolutione, placet nobis primò, in hoc loqui cum Durando, quod non conſtituatur ordo realis naturæ vel cauſalitatis inter aſſumptionem partiũ & aſſumptionem totius humanitatis, quaſi præter aſſumptionem partiũ, alia diſtincta ſit aſſũptio totius naturæ, quę ordine cauſalitatis realis poſſet eſſe prior aut poſterior aſſumptione partiũ. Iam enim, vt ſect. 4. ſtatuimus, non diſtinguitur aſſumptio totius naturæ ab aſſumptione partium. Et hoc ipſum eſt fundamentum Durandi, in quo cõuenit Caiet. art. 5. Nec diſſentit S. Thomas, qui eo art. 5. conſtituit tantùm ordinem ſecundùm intellectum ſeu rationem. Vnde approbandum non eſt illud Suarij, de aſſumptione partium vnitarum, præter aſſumptionem earũ ſecundùm ſe, vt ex dictis eadem ſect. 4. ſatis patet.

Priùs denominatur aſſumpſiſſe partes ordine executionis

Secundò. Cùm tota humanitas non denominetur aſſumpta totaliter, niſi ratione vnionis corporis & animæ inter ſe, & hæ partes priùs natura aſſũptæ ſint à Verbo quàm inter ſe vnitæ; ſequitur manifeſtè, priùs ordine executionis dici debere aſſumptas eſſe ipſas partes, quàm totam humanitatẽ. Idem probat à poſteriori Caietanus: quia ordo compoſitionis eſt oppoſitus ordini reſolutionis; illud enim quod eſt vltimum in compoſitione, eſt primum in reſolutione: ſed ſic eſt, quòd in morte Chriſti, vbi veluti reſolui incepit vnio cum Verbo, tota quidem humanitas non remanſit vnita, ſed partes ſolùm manſerunt vnitæ Verbo: ergo & quando

quando facta fuit vnio, priùs natura vnitæ fuerunt Verbo partes quàm tota humanitas. Et in compoſito ſubſtãtiali habente propriam naturalem ſubſiſtentiam, priùs natura eſt, partes habere in ſe ſuas ſubſiſtentias partiales, quàm conſtituere ſubſiſtentiam totalẽ compoſiti; priùs partes ipſæ in ſe ſuo modo partialiter ſubſiſtunt, quàm totum ſubſiſtat totaliter. Sed corpus & anima & tota humanitas Chriſti, per aſſumptionem habent vt in Verbo ſubſiſtant: ergo priùs ordine naturæ aſſumptæ ſunt ipſæ partes quàm tota humanitas. Poteritquè hic ordo dici, non ſolùm rationis, ſed etiam realis; comparando inquam aſſumptionem partium; non quidem ad aliam diſtinctam humanitatis totius aſſumptionẽ, quam iam diximus non diſtingui; ſed ad vnionem ipſarum partium inter ſe, per quam conſtituitur ipſa natura totalis, ac denominatur totaliter aſſumpta: ab hac enim vnione partium inter ſe, re ipſa diſtinguitur aſſumptio earundem partium à Verbo; & ad eam ordine cauſalitatis realis quodammodo præſupponitur, eo pacto quo in omni ſubſtantia præſupponitur ſubſiſtentia ad alias eius functiones.

Prius humanitatẽ ordine intentionis.

Tertiò demum, verificatur quoque quod docet S. Thomas, ordine intentionis priùs aſſumptam eſſe humanitatem totam. Quod ipſe probat: quia in intentione prius eſt completum quàm incompletum, totum quàm partes. Et quando producitur compoſitum naturale, agens primò intendit producere totum; quamuis in exequutione priùs producat partes. Et in hac re: ſine dubio in intentione Dei, primum intentum fuit, totam & integram humanitatem aſſumere, ac Verbum fieri perfectũ hominẽ, iuxta illud Athanaſij, *Perfectus Deus, perfectus homo*, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Obiectiones ſoluuntur.

Sed contra ſecundam concluſionem obijcies primò fundamentum Scoti. Illud eſt primum aſſumptum à Verbo, quod erat primò perſonabile in ſe; aſſumptio enim facta fuit ad vnitatem perſonalem in Verbo: ſed tota natura eſt primò & per ſe perſonabilis, partes verò non niſi prout ſunt in ipſa natura: ergo tota natura fuit primò aſſumpta. Et ex Vaſquez: tota natura eſt, cui conſtitutæ iam ex partibus primò conuenit ſubſiſtentia, & partes non ſubſiſtunt niſi prout continentur in ipſa natura: ergo pariter tota natura fuit primò aſſumpta ad ſubſiſtendum in Verbo.

Reſpondetur. Quod attinet ad rem ipſam, illud ordine exequutionis debere priùs aſſumi, cui priùs conuenit ſubſiſtentia; hæc verò priùs conuenit partibus quàm toti: vt ex veriori doctrina philoſophica hoc loco ſupponimus. Quoad nomen autem ſuppoſiti & perſonæ, verè hæc nomina primò conueniunt toti; imò non conueniunt niſi toti. Sed tamen non ex ſignificatione horum nominum deſignari debet ordo realis aſſumptionis.

Obijcies ſecundò. Si priùs aſſumptæ ſunt partes quàm tota humanitas, & non datur alia diſtincta aſſumptio reſpectu totius humanitatis; ſequitur, totam aſſumptionem eſſe peractam, antequam conſtituta eſſet ipſa tota natura humana Chriſti: quod videtur repugnare in ipſis terminis.

Reſpondetur, factam fuiſſe quidem aſſumptionem, ſed non fuiſſe in ſe totalem, niſi dum conſtitueretur tota natura. Sicut, data tota entitate partium, niſi addatur vnio inter eas, adhuc non datur totum. Ità licèt antecedenter detur aſſumptio vtriuſque partis, ſcilicet corporis & animæ: adhuc non dicitur aſſumptio tota & totalis, niſi adueniente vnione illarum partium, qua conſtituitur humanitas in ratione naturæ totalis: & tunc ſimul dicetur conſtituta & aſſumpta ipſa tota natura.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO SEXTA.

De Cauſis Incarnationis.

SI quæramus cauſas intrinſecas, ſicut in compoſito naturali materia & forma ſe habent: ſic perſona diuina & natura humana intrinſecè cõſtituunt incarnationem, ſiue magis proprie loquendo conſtituũt Chriſtum qui eſt Deus & homo. Non quidem conſtituunt ſecundùm habitudinem materiæ & formæ, ſed ſecundùm proportionem ſubſiſtentiæ & naturæ; cum aliquali tamen analogia ad cauſalitatem materialem & formalem, vt quæſt. 2. notauimus. Sed de his iam hactenus tractatum eſt, cùm ſpectent intrinſecè ad conſtitutionem & quidditatem præſentis myſterij. Tractandum ergo ſupereſt de cauſis extrinſecis, effectiua, & finali, ac morali ideſt meritoria. Ad cauſam effectiuam ſpectant quæ S. Tho. quæſt. 3. attingebat de principio aſſumente, pro ea parte qua aſſumptio importabat productionem hypoſtaticæ vnionis. Ad cauſam finalem ſpectant ea quæ diſcuſſit art. 3. & 4. quæſtionis primæ, de fine ob quem facta fuit incarnatio, & ſine quo facta non fuiſſet. Ad cauſam denique moralem ea quæ ſubiecit quæſt. 2. art. 11., de merito incarnationis. Nobis autem opportunius viſum eſt, ſeparatim ac principaliter de cauſis incarnationis quadã peculiari quæſt. differere: ſicut nempe in vniuerſum aliæ ſcientiæ circa ſuum obiectum ſolent ac debent per ſe ac principaliter eius cauſas inquirere. Et hic erat proprius ac debitus locus huius tractationis: nempe poſtquam ſatis egimus de omnibus quæ ad ipſum myſterium conſtituendum intrinſecè pertinebant, & ante quàm de alijs ad idem myſterium per modum proprietatum conſequentibus agere proſequamur.

SECTIO PRIMA.

De Cauſa Effectiua Incarnationis.

Cauſa effectiua principalis incarnationis fuit ſolus Deus

IN primis certum & perſpicuum eſt, cauſam effectiuam principalem eſſe ſolum Deum. Probariquè poteſt primò ijſdem auctoritatibus quas pro concl. ſequenti adducemus. Secundò ratione: quia ad ipſum Deum certè ſpectat, ſe ipſum communicare naturę creatę, ſequè illi hypoſtaticè vnire, eam aſſumere: quod totum importat productionem ipſius hypoſtaticę vnionis. Nullaquè prorſus cauſa creata erat, vel eſſe poterat, quæ ex natura ſua principaliter vim haberet ad ſubleuandam naturam quandam creatam in vnitatem perſonalem cum Deo, ad trahendum perſonam diuinam in tàm intrinſecam vnionem cum aliena creata natura.

Probatur tertiò ex communi ratione formæ naturalis, & eo magis ex peculiari ratione huius formæ. Etenim aliæ ſupernaturales formę non poſſunt principaliter effici & produci ab vlla naturali cauſa, ſed omnino earum productio debet deduci ad Deum agens ſupernaturale: ſic gratia ſanctificans, lumen gloriæ, & aliæ ſimiles. At vnio hypoſtatica non ſolùm eſt forma ſupernaturalis, ſed eſt ſuprema inter omnes, vt quæſt. 2. notauimus: ergo omnino non poteſt aliam cauſam effectiuam principalem agnoſcere, niſi ſolum Deum. Item, cauſa principalis debet eſſe, vel ſuperioris, vel ſaltem eiuſdem ordinis cum effectu: ſed certè nulla cauſa creata eſt ſuperioris vel eiuſdem ordinis cum hypoſtatica vnione ergo nulla poterat eſſe cauſa principalis huius vnionis.

Addendum quartò, quòd nec etiam ea vnio hypoſtatica totalis quæ ab

Digitized by Google

initio facta eſt in corpore Chriſti, poterat deinceps tanquam cauſa principalis vniuoca efficere vnionem in alijs partibus corporis quę per nutritionem adijciebantur. Non enim apparet, cur hæc vis ipſi vnioni attribuatur. Et in alijs formis ſupernaturalibus non inuenitur ſimilis vis & efficientia: ſed gratia ſanctificans non per ſe efficit ſimilem gratiam, & ſic nulla alia forma ſupernaturalis efficit aliam ſibi ſimilem. Nec ſubſiſtentia naturæ in ſuo ſuppoſito habet vim efficiendi vel in toto vel in parte ſimilem ſubſiſtentiam. Et in vniuerſum res incorruptibiles, cuiuſmodi eſt vnio hypoſtatica, non ſunt ſibi ſimilium productiuę. Itaque vnio humanitatis Chriſti cum Verbo, non poſſet tanquam cauſa principalis vniuoca producere ſimilem vnionem in alia natura: nec poterat per ſe producere illam vnionem quę de nouo addebatur in nouis partibus corporis Chriſti. Quare nulla prorſus principalis cauſa præter Deum inuenitur hypoſtaticæ vnionis?

Et hoc tandem intelligitur, non ſolum de omni cauſa de facto creata & exiſtente, ſed abſolutè etiam de omni cauſa poſſibili: ita vt nulla res eſſe vel fieri poſſit, quæ habeat vim per modum cauſæ principalis vniendi naturam creatam cum perſona diuina. Sicut enim non eſt poſſibilis vlla natura creata cui ſit connaturalis vnio hypoſtatica cum diuina perſona: ita nec eſt poſſibilis vlla cauſa, cui conueniat naturalis vis efficiendi talem hypoſtaticam vnionem.

Concurrunt æqualiter omnes tres perſonæ diuinæ.

Dicendum ſecundò eſt, Deum eſſe cauſam effectiuam incarnationis, operando adæquatè per ſuam potentiam quæ communis eſt omnibus tribus diuinis perſonis, atque adeo omnes tres perſonas æqualiter & vna eademque indiuiſibili actione ad hunc effectum concurrere. Hæc concluſio hactenus erat communis & certa, Magiſtri & Scholaſticorum in 3. d. 1. & 4., S. Thomæ & aliorum hac 3. par. q. 3. Sed nuper inter Recentiores non defuit, qui tentarit aſſerere, ſolam Verbi perſonam operando peculiariter per ſuam perſonalem proprietatem, in qua ab alijs duabus perſonis diſtinguitur, eſſe propriam & adæquatam cauſam effectiuã incarnationis, à qua prodeat & exerceatur hæc actio. Ita opinatur Carolus Franciſcus Abra in ſuo tract. de Incarnat. diſp. 1. cap. 3. q. 2. Qui & dicebat, incarnationem atque hypoſtaticã vnionem formaliter ac præciſe conſiſtere in actione conſeruatiua humanitatis abſque ſubiecto, vt commemorauimus antea quæſt. 2.

Probatur nunc præſens aſſertio primo, ex cõmuni & acceptiſſimo Theologorum pronunciato, operationes Trinitatis ad extra eſſe indiuiſas, id eſt indiuiſim procedere ab omnibus tribus perſonis, & non ab vna abſque alijs, non plus ab vna quàm ab alijs: Quia nempe omnes actiones & operationes ad extra procedunt ex potentia actiua & operatiua, quæ communis & indiuiſa eſt in omnibus tribus perſonis, ſicut alia attributa & perfectiones eſſentiales Dei: quare omnis pariter actio & operatio indiuiſè procedit ab omnibus ſimul perſonis. Fatetur autem ille Auctor, ſuam ſententiam eſſe nouam, & præter mentem Theologorum: dicit tamen non eſſe ijs contrariam, quia illi loquuti ſunt de actionibus procedentibus à Deo vt communis eſt tribus perſonis: non vero negaſſe poſſe actionem aliquam prodire ab vna ſola perſona, ſed de hoc non cogitaſſe. Verùm ſatis clarè Theologi ità intellexerunt & pronunciarunt, actiones ad extra eſſe indiuiſas inter diuinas perſonas, vt nulla relinqueretur actio quæ non indiuiſim ab ijs ſimul procederet: alioqui cuique licitum foret, alias & varias actiones excipere. Et in ſpecie etiam loquuti ſunt de hac actione incarnationis. Et ratio planè eſt communis: quia omnis actio procedit à potentia diuina actiua, quæ vna & indiuiſa eſt in omnibus perſonis. Et certè proprietas perſonalis in Deo, quæ eſt relatio inter ipſas perſonas, nullatenus per ſe importat vim actiuam & operatiuam ad extra: nec poteſt dici vna perſona diuina habere quandam vim & virtutẽ actiuam, quam non habeant aliæ; ſiue vnam perſonam habere virtutem producendi quendam effectum, & aliam alium.

Digitized by Google

alium. Neque hoc poteſt in dubium reuocari.

Probatur etiam ſecundò ex Script., Eccleſia, & Patribus, loquendo ſpecialiter de ipſa incarnatione. Etenim omnibus tribus perſonis attribuitur efficientia huius myſterij. Filius dicitur aſſumpſiſſe & accepiſſe humanam naturam, quod quidem includit efficientiam, vt affirmabat S. Tho. q. 3. Pater dicitur dediſſe & miſiſſe Filiũ, Ioann. 3. & ad Galat. 4., quæ miſſio omnino includit efficientiam. Spiritui ſancto demum attribuitur hoc incarnationis opus, Matth. 1. & Lucæ 1., quod intelligendum eſt non ſolum quoad conceptionem & formationẽ corporis Chriſti, ſed præcipuè etiam quoad vnionem totius humanitatis cum Verbo, & pariter debet intelligi per efficientiam. Planè igitur omnes tres perſonæ diuinæ operando, perfecerunt hoc incarnationis myſterium, hanc vnionem humanæ naturæ cum Verbo. Et hoc idem ſatis clarè docuerunt Concil. Toletan. ſextum in Confeſs. Fidei, Lateran. ſub Martino quinto can. 2., & alterum ſub Innocent. tertio vt habetur in cap. *Firmiter* de Summa Trinit. Item Sancti Patres, Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 4. & in Enchirid. cap. 8., Fulgent. lib. de Fide ad Petr. cap. 2., & alij frequenter.

Qualiter diuerſimodè denominentur perſonæ in hac operatione.

Ideo autem in hac efficientia ſolus Pater dicitur miſiſſe Filium: quia miſſio præter actionem ad extra, importat proceſſionem ad intra, ſcilicet perſonæ miſſæ à perſona mittente, vt explicatũ eſt ſuo loco de Trinit. 1. par. q. 43. Vnde, quamuis omnes tres perſonæ operatæ ſint incarnationem Filij: tamen quia Filius à ſolo Patre procedit, ſolus Pater denominatur miſiſſe Filium, Solus autem Filius dicitur incarnatus, dicitur aſſumpſiſſe naturam; quia incarnari & aſſumere naturam, non dicit ſolùm efficientiam, ſed ſpecialiter importat terminationem, quo pacto ſola perſona Filij terminat hypoſtaticam vnionem, & ſoli Filij vnita eſt humana natura. Neque ſanè difficile eſt, vnionem fieri ab omnibus tribus perſonis, & ad vnam ſolam terminari: nec enim neceſſe eſt, vnionem terminari ad idem principium à quo fit. Quinimò fieri poteſt & ſolet vnio inter aliquas res, ab alia cauſa omnino diſtincta: vt vnio materiæ & formæ fit ab alio agente. Et, ſi perſona creata poſſet per Dei potentiam aſſumere alienam naturam, talis vnio fieret à Deo, quæ tamen non ad ipſum Deum, ſed ad perſonam creatam terminaretur. Ac de facto dari poteſt in intellectu noſtro & voluntate, actus peculiaris attingens directè vnam aliquam ex tribus perſonis diuinis, qui tamen æquè ab omnibus tribus perſonis diuino concurſu effici debet. Sic ergo vnio hypoſtatica naturæ humanæ cum perſona Verbi, ab omnibus tribus perſonis æqualiter & indiuiſè procedit. Demum Spiritui ſancto peculiari modo attribuitur opus incarnationis, nempe per appropriationem, ijs videlicet rationibus quas affert S. Tho. q. 32. art. 1., eoque ſenſu quo attribuita ipſa eſſentialia per quãdam accomodationem appropriantur ſingulis perſonis diuinis, vt explicauimus 1. par. q. 39.

¶ Non debuit nec potuit interuenire ulla alia cauſa inſtrumentalis.

Dubium iam remanet tertio loco de cauſa inſtrumẽtali reſpectu huius operationis & effectus, num à Deo eleuari potuerit & eleuata ſit aliqua cauſa creata tanquam inſtrumentum ad efficiendam incarnationem & hypoſtaticam vnionem, Suarez diſp. 10. ſect. 1. affirmat, benè potuiſſe à Deo aſſumi creatum aliquod inſtrumentum ad perficiendum hunc effectum, & probabile eſſe de facto B. Virginem eleuatam fuiſſe ad efficiendam hypoſtaticã vnionem, ſed probabilius eſſe oppoſitum. Item probabile eſſe, humanitatẽ Chriſti eleuatam fuiſſe vt inſtrumentũ ad efficiendam vnionem quæ de nouo in partibus corporis per nutritionem & accretionem augebatur. Itemque de facto verba conſecrationis in Sacramento Euchariſtiæ eſſe inſtrumentum ad producendum corpus & ſanguinem Chriſti cũ vnione ad Verbum ſub ſpeciebus panis & vini. Adhærent Becanus cap. 2. q. 5. & Tannerus q. 5. num. 223. & ſeq. Repugnat Vaſq. diſp. 25. cap. 1., & alij vt plurimum.

Sed quod attinet ad quæſtionem de poſſibili, non eſt difficultas propria huius

huius rei, ſed eſt generalis de effectibus ſupernaturalibus, an poſſit Deus per ſuam eleuationem vti quocunque inſtrumento ad producendum quemcumque ſupernaturalem effectum: de qua re proinde communi & apto loco tractauimus 1. par. quæſt. 48., vbi negatiuam partem elegimus. Itaque & in hac re cenſendum eſt, non eſſe poſſibile, eleuari vllum inſtrumētum à Deo ad hanc operationem & vnionem efficiendam. Et hinc ad decidendam quæſtionem de facto, planè ſequitur, nō interueniſſe vllum creatum inſtrumentum ad hoc opus efficiendum, ſed ſolum Deum immediatè illud perfeciſſe. Sed etiam ſi eſſet poſſibilis talis eleuatio & vſus inſtrumenti, non apparebat ſufficiens fundamentum pro vllo inſtrumento de facto inducendo. Etenim pro B. Virgine, hoc non requirebatur, nec ſimpliciter ſpectabat ad rationem matris. Vnde ſicut dici non debet B. Virgo eleuata fuiſſe tanquam inſtrumentum ad creandam animam Chriſti, etiam ſi id diceretur poſſibile: ita neque dici debet quoad hypoſtaticam vnionem. De humanitate Chriſti erat aliqua maior apparentia, ſi de reliquo ad alia miraculoſa & ſupernaturalia opera deſeruiebat vt phyſicum inſtrumentum. Sed neque hoc erit affirmādum, vt poſtea ſuo loco dicemus. Et ſicut ab initio dici non debet humanitas Chriſti in ipſo primo incarnationis actu fuiſſe eleuata vt inſtrumentū ad efficiendam vnionem ſui cum Verbo, vbi ſanè priùs ordine naturæ exiſtebat ipſa humanitas quàm vniretur Verbo: ita nec id erit dicendum de alia vnione, temporis decurſu in noris partibus corporis ſuperaddita. De efficacia demum verborum conſecrationis circa corpus & ſanguinem Chriſti, in materia de Eucharistia latè tractabimus.

SECTIO SECVNDA.

De Cauſa Finali Incarnationis: Et præcipuè num Incarnatio, à Deo prædefinita & facta fuerit ob redemptionem humani generis à peccato.

CVM ſatis exploratum ſit, ipſummet Deum eſſe finem vltimum ad quem alia omnia ordinantur, *Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; & eo magis hoc opus tam inſigne referri debebat ad Deum: quærimus tamen finem proximum & immediatum incarnationis. Quæſtio ſanè digna, vtilis, & celeberrima. Et in qua meritò nimiæ audaciæ humanum ingenium videretur; profunditatem diuini conſilij in tanto myſterio ſcrutari præſumens, niſi ab ipſamet Deo ſuæ ordinationis indicia in ſacris litteris Theologi percepiſſent, iiſque proinde innixi, diuinæ determinationis ſecreta inueſtigare confidunt. Soletque & alijs modis hæc queſtio apud Doctores proponi, an ſi peccatum non fuiſſet Deus incarnatus fuiſſet, an Deus prædefinierit incarnationem ante vel poſt præuiſum peccatum: hæc enim omnia valde connexa ſunt. Sed quia ſingula per ſe examinari poſſunt, & de ſingulis propria quæ dicantur occurrunt; ideo diſtinctè ac ſeparatim de his omnibus inquiremus.

Circa præſentem iam difficultatem, quam hac ſect. proponimus, duæ antiquæ & peruulgatæ ſententiæ opponūtur. Primò Scoti in 3. d. 7. q. 3. §. *Sed hic ſunt*, & diſt. 19. q. vnica §. *In iſta quæſtione*, Alenſis, Alberti, & aliorum quorundam, ac etiam Ruperti Abbatis apud Vaſq. diſp. 10. cap. 2., dicentium, Incarnationem à Deo ordinatam fuiſſe, non quidem primariò in remedium peccati, ſiue ad redemptionem generis humani, ſed immediatè ob gloriam ipſius Dei, ac manifeſtandam eius bonitatem, ſiue ob dignitatem ac excellentiam ipſius myſterij in ſe. Concedunt tamen, rationem principalem quare *Sententia Scoti negans.*

Digitized by Google

quare incarnatio facta ſit in carne paſſibili, fuiſſe peccati remedium, nempe vt Chriſtus patiendo ſatisfaceret pro humano peccato. Sequuntur ac defendunt hanc ſententiam, præter Scotiſtas, Suarez hic diſp. 5. & Carolus Franciſcus Abra tract. de Incarn. diſp. 1. cap. 4. q. 1., & quidam alij ex Recentioribus.

Sententia S. Thomæ affirmans. Altera oppoſita ſententia eſt D. Thomæ ſupra quæſt. 1. art. 3., & Thomiſtarum cõmuniter, itemque D. Bonauent. & aliorum ex Scholaſticis in 3. ſententiar., dicentium, Incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam ab æterno, ac deinde factam in tempore, immediatè & primario in remedium peccati, ad redemptionem humani generis lapſi. Et hanc partem ſequuntur ac defendunt Valent. q. 1. puncto 3., Vaſq. diſp. 10., Raguſa diſp. 28. & ſeq., Lugo diſp. 7., Bonacina diſp. 2. q. 1. puncto 5., Kelliſonus, Cabrera, Curiel, Vuigers q. 1. a. 6. 3., aliiq́ue Recentiores frequenter.

Sententia quædam media. Nos verò, in re tàm præcipua, conſiderantes ea quæ pro vtraque parte aſſeruntur, & ponderantes quantum valeant ac ſuadeant, viam quandam mediam conuenienter aperiri poſſe putamus. Nimirum, diſtinguendo in incarnatione; quod Deus, ſeu aliqua perſona diuina voluerit aliquam naturam creatam aſſumere; & quòd determinatè voluerit, vt talis natura, nempe humana, à tali perſona, nempe Verbo, aſſumeretur, potius inquam natura humana quàm alia quæuis etiam angelica. Et ſub hac diſtinctione dicamus, Deum abſolutè quidem voluiſſe aliquam naturam creatam aſſumere, ſiue aliquam rationalem naturam, immediatè & proximè propter gloriam ſuam, ad manifeſtandam & excellentiſſimo modo communicandam diuinã bonitatem: determinaſſe autem, potius naturam humanam quàm aliam, potius humanam quàm angelicam aſſumere, itemque potius perſonam Verbi quàm aliam incarnari, per ſe & primario ob redemptionem humani generis à peccato. Nec videtur hæc ſententia aliena à mente S. Thomæ. Qui art. quidem 3. docuit, incarnationem ordinatam fuiſſe in remedium peccati. Sed art. 1. probauerat, incarnationem fuiſſe conuenientem Deo, eo quòd ſit excellentiſſima quædam communicatio diuinæ bonitatis, quæ ſanè ratio independenter à peccato procedit: non tamen probat, conueniens fuiſſe, naturã potiùs humanam aſſumi, perſonam potiùs Verbi incarnari, quàm aliam, vt ab initio circa eam rationem conuenientiæ adnotauimus. Quare ea quæ poſtea S. Doctor art. 3. adducit, benè conſtare poſſunt per hoc, quòd determinatio aſſumptionis naturæ humanæ à perſona Verbi, inſtituta fuerit primario ob finem noſtræ redemptionis à peccato.

Poterat Deus velle aſſumere naturam ob gloriam ſuam, & determinare humanam ob noſtram redemptionem. Dicendum ergo primò eſt, hunc modum ordinationis cum hac diſtinctione fuiſſe omnino poſſibilem. Probatur primò: quia certè hoc quòd Deus vniretur hypoſtaticè cum aliqua natura creata, erat ordinabile ad communicandam & manifeſtandam diuinam bonitatem: & ſimiliter hoc quòd Deus inter plures naturas aſſumptibiles eligeret ac determinaret talem certam naturam, nempe humanam, erat ordinabile ad finem magis particularem, ad ſuccurrendum ſcilicet ipſi naturæ. Neque vlla repugnantia vel difficultas in hoc apparet.

Secundò. De facto Auctores primæ ſententiæ, cùm dicant, Deum priùs decreuiſſe incarnari ob ſuam bonitatẽ independenter à peccato, & abſtrahendo à carne paſſibili & impaſſibili; addunt quoque, conſequenter determinaſſe aſſumere carnem paſſibilem, potiùs quàm impaſſibilem ob remediũ peccati. Et Auctores etiam ſecundæ ſententiæ, alia ſimilia cõcedere ſolent; nempe incarnationem ordinatam eſſe in remedium peccati; ſed quod carò Chriſti formaretur ex virgine virtute Spiritus ſancti, & non conſueto ac naturali modo aliorum hominum, diſpoſitum fuiſſe ob excellentiam ac reuerentiam tanti myſterij. Et alia huiuſmodi, non ſolùm in hoc, ſed & in alijs diuinis operibus obſeruari poſſunt ac ſolent. Facilè ergo potuit hoc opus incarnationis eo modo diſtinctè ordinari quo dicebamus.

Tertiò. Homines ipſi poſſunt ac ſolent

lent hoc modo varia ſua opera ordinare. Vt exempli gratia, pingit quis imaginem ad oſtendendam excellentiam ſuæ artis, & determinat pingere vnam potiùs imaginem quàm aliam in gratiā alicuius amici, vel ob alium particularem finem. Et ſic in alijs operibus. Quod per ſe non prouenit ex imperfectione operantis, ſed ex poteſtate & libertate voluntatis. Sic ergo poteſt Deus hoc modo ſua opera ordinare, ſeclusis alioqui imperfectionibus quæ in humanis operationibus admiſcentur.

De facto Deus determinauit aſſumere humanam naturam ob noſtram redemptionem.

Dico ſecundo. Quòd Deus determinauit vt ſpecialiter aſſumeretur natura humana à perſona Verbi; fuit primariò ordinatum ob finem noſtræ redemptionis à peccato. Hanc concluſionem priori loco ponimus, antequam loquamur de aſſumptione naturæ in abſtracto & abſolute, quia hoc magis certum cenſemus, cùm ſit magis in diuina illuſtratione per ſacras litteras traditam fundatum. Probatur ergo primò ex Sacra Scriptura cum S. Tho. eo art. 3.

Sumitur ex Sacra Scriptura.

Matth. 18. & Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere & ſaluare quod perierat.* Lucæ 1. *Viſitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum daret pro eo, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ad Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum vt eos qui ſub lege erant redimeret.* Primæ ad Timoth. 1. *Venit Chriſtus Ieſus peccatores ſaluos facere.* Primæ Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mūdum, vt viuamus per eum.* Miſit Deus filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Et alia plura ſunt huiuſmodi loca & verba.

Ex Symbolo & Patribus.

Probatur etiam ſecundò auctoritate Eccleſiæ & Patrum. In Symbolo Niceno, quòd non ſolùm fuit editum in eodem Niceno Concilio, ſed in alijs etiā ſequentibus generalibus Cōcilijs, Epheſino, Chalcedonenſi, & alijs approbatum & confirmatum, ac ſemper apud vniuerſam Eccleſiam in maxima celebritate habitum, expreſſis verbis dicitur: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt.* Similiter loquuti paſſim ſunt Eccleſiæ Patres, Dionyſ. lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 3. Athanaſ. ſerm. 12. cont. Arianos, Nazianz. Orat. 35. & 36. Baſil. homil. 1. in Pſal. 9. & ſerm. 3. in Lucam, Tertullian. lib. de Incarnat. Chriſti cap. 4. Ambroſius lib. de Incarnat. dominicæ Sacramento, & alij frequēter, quorum aliquos afferemus rurſus ſect. ſequenti.

Non ſufficienter exponuntur hæ auctoritates de ſola circūſtantia poſſibilitatis.

Tertiò. Ad has omnes auctoritates, Scripturæ, Eccleſiæ, & Patrum, ſufficiens non eſt reſponſio Scoti & ſequacium: ſenſum eſſe, non de aſſumptione carnis abſolutè, ſed quoad circunſtantiam carnis paſſibilis: non de aduentu Chriſti abſolutè, ſed quoad munus redemptoris. Tum quia Scriptura, Eccleſia, & Patres abſolutè loquuntur, & expreſſe de incarnatione ipſa, de miſſione Verbi diuini in hunc mundum, ideſt apud nos homines in carne humana, & de aduentu Chriſti quatenus eſt Deus homo, vt manifeſtum eſt ex ipſis verbis: quare cùm hic loquendi modus abſque inconuenienti in hoc ſenſu intelligi poſſit, ita intelligi debet. Tum etiam pleriquè ex Patribus diſtinctè dicunt, & incarnationem & paſſionem ordinatam fuiſſe in remediū peccati: & præſertim in Symbolo diſtinctè dicitur, *Propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis & incarnatus eſt*, Et *Crucifixus pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus & ſepultus eſt*: per incarnationem autem abſolutè debet intelligi aſſumptio carnis & totius humanæ naturæ, cùm alioqui circunſtantia carnis paſſibilis ſatis comprehendi poterat ſub ipſa paſſione.

Nec de ſola ordinatione conſequenti.

Quartò. Neque ſufficit quod addit Suarez ſect. 4. dicens, non ſolùm hanc circunſtantiam paſſibilitatis, ſed & ipſam incarnationem quoad ſubſtantiam fuiſſe ordinatam ad redemptionem noſtram, non quidem præuio ordine intentionis, ſed conſequenti ordine exequutionis: quia inquit, poteſt is qui primò ſtatuit peragere aliquod opus ob finem primò intentum, rurſus occurrente alio motiuo ordinare idem opus ad alium finem ſecundùm ordinē exequutionis; Poteſtquè hoc ſecundū

moti-

Digitized by Google

motiuum eſſe tale, vt ſolum abſque alio fine priori ſufficienter inclinare potuiſſet voluntatem ad idem opus. Et ita Deum primò voluiſſe incarnari ob manifeſtandam gloriam ſuam: & conſequenter occurrente peccato & indigentia humanæ naturæ, ordinaſſe exequutionem eiuſdem incarnationis in remedium noſtri peccati. Hæc inquam reſponſio neque ſufficit. Tum quia accomodari non poteſt dictis eorum Patrum qui ſpecificè explicant, non aliam fuiſſe apud Deum cauſam aſſumendæ carnis, niſi noſtram redemptionem: vel etiam quòd non aſſumpſiſſet carnem ſecluſo noſtro peccato, quos ſect. ſequenti referemus. Tum quia tàm conſuetus modus loquendi Patrum; & frequens aſſeueratio Scripturæ, ſatis clarè denotant, vnicam vel ſaltem præcipuam cauſam aſſumẽdæ carnis & naturæ humanæ, fuiſſe noſtram redemptionem: ita vt non fuerit alia prior & magis præcipua independenter à peccato. Vndè licet interdum in alijs rebus, aliquis peculiaris Scripturæ locus reſpectu alicuius operis commemoret etiam aliquem finem qui non fuerit primus & primò intentus, & ſimiliter apud Patres: tamen longè diuerſa ratio eſt de ordine incarnationis ad humanã redemptionem, de quo nunc loquimur. Frequens enim & aſſidua repetitio huius ordinis, quæ commodè poteſt prout verba ſonant intelligi, hanc vim habet, vt humana redemptio dici debeat fuiſſe præcipua & prima ratio aſſumendæ humanæ naturæ. Tum etiam, ſi eo modo exponatur ordo incarnationis ad redemptionem, idem poſſet quis extendere ad ordinem paſſionis: vt quãdo Scriptura dicit, Chriſtum paſſum fuiſſe ob remedium peccati, intelligeretur non de fine primario in intentione, ſed ſolùm de ſecundario in exequutione: ſiquidem Scriptura eodem pacto loquitur de vtroque. Et quamuis Suarez conetur differentiam aſſignare; quia incarnatio erat per ſe amabilis & bona, non autem paſſio ſecluſo peccato, cùm ſit pœna & medicina peccati: tamen hęc differentia non inuenitur in ipſis verbis & modo loquendi Scripturæ, ſed ex arbitrio excogitatur. Sed etiam paſſio potuiſſet ſecluſo peccato per ſe amari, tanquam inſigne obſequium Deo: ſicut pleraque flagella Deus Sanctis immittit vel permittit, non propter peccata, ſed ob virtutis exercitium, & ſui honorem. Atque licet incarnatio potuiſſet per ſe eligi & amari: tamen adhuc multò magis conuenit dicere, ideo Deum determinaſſe potiùs naturam humanam quàm aliam aſſumere, quia volebat ſuccurrere ipſi humanæ naturæ indigenti. Iiſdemque rationibus confutari poteſt quod quidam alij indicarunt, præter finem redemptionis alios fuiſſe ſimiles fines, & ſingulos per ſe totales, ac æquè primarios: id enim in hac re non conſonat modo loquendi Scripturæ & Patrum. Eſto alioqui admittatur id eſſe poſſibile: quamuis Vaſq. cap. 8. contendat, neque reſpectu voluntatis humanæ neque diuinæ, coniungi poſſe plures fines totales ad eundem actum. Sed de hoc, cùm ſit commune ad cauſam finalem cum alijs cauſis, egimus in ſuo philoſophico tractatu de cauſis.

Quintò probatur noſtra concluſio ratione. Conſideremus, Deum decreuiſſe aſſumere aliquam naturam creatam, ad oſtendendam ſuam bonitatem mediante hac maxima communicatione. Conſideremus etiam, voluiſſe aſſumere rationalem naturã potiùs quàm irrationalem, ob maiorem conuenientiam rei & dignitatem naturæ rationalis. Tunc, cùm duplex ſit ſpecies rationalis naturæ, Angelica ſcilicet & humana: quænam quæſo ratio magis accomodata & principalis excogitari poteſt, quare Deus determinauit aſſumere naturam humanam potiùs quàm angelicam, niſi quia volebat redimere homines, non Angelos? Certè enim hac ratione, excellentiſſimo modo oſtẽditur potentia, ſapientia, iuſtitia, miſericordia Dei: ea autem ratio præferenda eſt, quæ redditur ex maiori oſtenſione diuinæ perfectionis, & quæ etiam magis congruit Sacræ Scripturæ & Sãctorum doctrinæ, vt apud ipſos frequenter obſeruari poteſt, & nos etiam cum S. Tho. attigimus ſupra quæſt. 4. Et ſicut alias circumſtantias quæ con- *Suadetur etiam vera ratione.*

 gruant

gruant ad finem redemptionis, Scotus ipſe & ſectatores admittunt primariò ordinatas fuiſſe in peccati remedium, inter quas præcipua erat paſſibilitas carnis: ita & huius determinationis qua potiùs natura humana quàm angelica aſſumpta eſt, aſſignanda eſt pro præcipua ratione, indigentia eiuſdem humanæ naturæ lapſæ per peccatum, eiuſquè redemptio & liberatio à tali ruina.

Non admittitur ratio Vaſquez.

Sextò. Alia ratione vtitur Vaſquez diſp. cit. cap. 6. Quia, cùm dubium non ſit, potuiſſe Deum vno vel alio modo incarnationem ordinare, neceſſe eſt, ponere variationem aliquam in rebus, ad hoc vt vna vel alia ordinatio exerceatur: ſed vt Deus ordinaret incarnationem in remedium peccati, nõ aliter fuiſſent res diſponendæ, quàm prout de facto diſpoſitæ ſunt: ergo de facto ſic ordinauit, & nec potuiſſet ſtante hac rerum diſpoſitione aliter ordinare. Hæc tamen ratio ſatis de ſe infirma apparet, & poſſet pariter in oppoſitum retorqueri. Nam diceret Scotus, ſic eſſe de facto res diſpoſitas, ſicut ſpectabat ad eum modum ordinationis, quo incarnatio primariò inſtituta & relata fuerit immediatè & proximè ad gloriam Dei; ad oſtenſionem diuinæ bonitatis; & debuiſſe potiùs aliter res diſponi, ſi incarnatio ordinata fuiſſet primario in peccati remedium. Abſolutè tamen non oportere fieri variationem ipſarum rerum, ſed ſufficere poſſe variationem ſolius ordinationis, ad hoc vt Deus vno vel alio modo eaſdem res valeat ordinare, docuimus tractando in communi de prouidentia Dei 1. par. quæſt. 22. ſect. 7., vbi & adduximus hoc idem incarnationis exemplum.

Determinatio perſonæ aſſumentis fuit ob eundem finem.

Septimò deinde, Sicut dicimus de determinatione naturæ humanæ aſſumendæ: ita pariter ad determinandam perſonam diuinam aſſumentem, cùm vnaquæque ex tribus perſonis potuiſſet æqualiter incarnari, nulla maior conuenientia vel congruentior ratio inuenietur, quare potiùs perſona Verbi quàm alia incarnata ſit, niſi quia id erat magis accommodatum ad redemptionem noſtram. Quod etiam ſacri Doctores & Patres obſeruare ſolent, & nos attigimus ſupra quæſt. 3.

Abſolutè Deus decreuerat aſſumere naturam ob gloriam ſuam.

Dico demum tertiò. Veriſimile eſt, & ſimul cum præcedenti concluſione eiuſquè probationibus optimè ſtare poteſt, quòd Deus antecedenter & primariò decreuerit abſolutè aſſumere naturam creatam, naturam rationalẽ, non determinando angelicam vel humanam, immediatè & proximè ob gloriam ſuam, ob manifeſtandam ſuam eximiam bonitatem per hunc excellẽtiſſimum communicationis modum. Hæc concluſio non aliter probanda eſt: niſi quia, vt omnes fateri tenentur, & vltrò protulit S. Thomas ipſe ſtatim ab initio q. 1. art. 1., aſſumptio creatæ naturæ erat ſumma & maxima communicatio Dei ſupra omnem aliam communicationem: ſed Deus voluit alias res condere & conſtituere, ſequè ita communicare, propter finem ſuæ gloriæ & bonitatis oſtendendæ: ergo veriſimile eſt, eodem modo decreuiſſe & ordinaſſe communicationem hanc intimam & ſubſtantialem ſui ipſius per hypoſtaticam vnionem. Et plura pro hac ratione repeti poſſunt ex dictis quæſt. prima, dum hac via cum eodem D. Thoma incarnationis conuenientiã deducebamus. Et confirmari adhuc tandem poteſt: quia hæc ordinatio videtur magis congruere excellentiæ ac dignitati ipſius myſterij, quatenus abſolutè importat vnionem perſonæ diuinæ cum natura creata & rationali. Et pro hac parte faciunt argumenta, quæ pro ſententia Scoti aduerſus ſententiam D. Thomæ afferuntur, vt mox apparebit. Et poteſt quoque, vtraque ſimul concluſio confirmari inſigni Apoſtoli teſtimonio ad Hebr. 2., dum ait: *Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe*, ſcilicet Filius Dei, *participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperiũ, ideſt Diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti, nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus ſimilari.* Vbi planè rationem reddit, quare Dei Filius aſſumpſit humanam carnem & naturam potiùs quàm angelicam natu-

ram,

Digitized by Google

Abſolutè Deus decreuerit aſſumere naturam ob gloriam ſuam.

rum; non autem quare ſimpliciter aſſumpſerit creatam naturam, ex eo quia veniebat redimere & ſaluare homines.

Contra ſententiam verò S. Thomæ, & noſtram ſecundam concluſionem, adduci ſolent quædam auctoritates & rationes, directè tendentes ad probandum, incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam ante præuiſionem peccati, & ante decretum redimendi homines. Sed de his agemus ſect. 4. Nunc tantùm afferemus & ſoluemus argumenta quæ propriè ſpectant ad ordinationem in genere cauſæ finalis.

Rectè ordinari potuit incarnatio ad humanam redemptionem.

Obijcies itaque primò. Rectus ordo poſtulat, vt non ordinetur maius bonũ ad minus bonum: ſed incarnatio eſt maius bonum quàm redemptio hominum; & exaltatio humanitatis Chriſti ad tantam ſublimitatem vnitatis perſonalis cum Deo, eſt maius bonũ quàm ſalus aliorum hominum: ergo non debebat incarnatio ordinari primariò ad eum finem noſtræ redemptionis & ſalutis. Et Chriſtus eſt digniſſimus ſuper omnes homines, eſt caput omnium hominum: ergo non debebat ordinari ad ſalutem aliorum hominum, ſed potiùs debebat prædeſtinari per ſe, in ordine tamen ad gloriam Dei.

Reſpondetur. Ex hoc ad ſummum haberi, quod maius conueniens fuiſſet, aſſumptionem naturæ totaliter & à capite ordinari ad redemptionem & ſalutem hominum. Sed tamen iuxta illum modum quo dicebamus, Deum ex prima intentione decreuiſſe aſſumere naturam ob ſui gloriam, nulla certè maior conuenientia cogitari poteſt, quare Deus determinauerit talem naturam, ſcilicet humanam, niſi ob finem humanæ redemptionis & ſalutis. Quod ipſum tandem vltimò refertur ad gloriam Dei: cui & hoc maximè cõgruebat, vt incarnatio ſic ordinaretur ad eximiam oſtenſionem diuinarum perfectionum. Et huic reſponſioni poteſt ac debet acquieſcere Scotus. Alioqui, cùm ipſe fateatur, circunſtantiam ſaltem carnis paſſibilis & paſſionem Chriſti fuiſſe ordinatam ad finem noſtræ redemptionis: maius adhuc quid eſſet, Deum aſſumere carnem paſſibilem, & Chriſtum pati ac mori, quàm alios homines redimi & ſaluari.

Qualiter ipſe Chriſtus ſit finis aliorũ rerum.

Obijcies ſecundò. Chriſtus eſt cauſa finalis aliorum hominum & omnium rerum: ergo ipſe non eſt ordinatus ad ſalutem aliorum hominum. Sequela eſt manifeſta. Antecedens probatur ex Scriptura. Ad Coloſs. 1. *In ipſos condita ſunt vniuerſa*, id eſt propter ipſum. Ad Hebr. 2. *Propter quem omnia*. Primæ ad Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus verò Dei*. Et ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi Chriſtus dicitur eſſe cauſa finalis noſtræ iuſtificationis. Idemquè apud Sanctos Patres inuenitur. Et Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 2. & 4. refert, eſſe traditionem Hebræorum, quòd Deus omnia creauit propter amorem Meſſiæ.

Reſpondetur. Chriſtum ita eſſe finẽ aliorum hominum & omnium rerum; vt certè ſenſus non ſit, hæc omnia creata & ordinata fuiſſe ad hoc vt fieret incarnatio Verbi, ad hoc vt eſſet Chriſtus: ſed quia ordinata ſunt ad gloriam & honorem ipſius Chriſti. Ex quo planè conſtat, nullum ſuboriri impedimentum, quominùs incarnatio ordinari potuerit ad ſalutem aliorum hominum. Sed ad ſummum ſequitur gloriam & honorificentiam Chriſti, conſequutam ex redemptione aliorum hominum, non fuiſſe ordinatam in finem eiuſdem redemptionis. Et quidem Concil. Tridentinum apertè inquit, cauſam finalem noſtræ iuſtificationis eſſe gloriam Chriſti & Dei. Atque in Scriptura, præſertim in Euangelio Ioãnis, pluribus in locis aſſignatur glorificatio & clarificatio Chriſti ex operibus redemptionis. Ea autem loca quæ in argumento allata ſunt, poſſunt quoque exponi de dependentia à Chriſto tanquam Verbo in genere cauſæ effectiuæ: vel de dominio & poteſtate Chriſti ſuper omnia: vel etiam de ordinatione in genere cauſæ finalis ad Chriſtum tanquam verum Deum, eo pacto quo omnia dicuntur ſemper referri & ordinari ad gloriam Dei.

Verè incarnatio fuit ordinata ad noſtrã ſalutẽ me-

Obijcies tertiò. Dici poſſet incarnatio ordinata fuiſſe ſimpliciter ad ſalutẽ hominum, non tamen ad redemptionẽ prout dicit liberationem à peccato, & ſic poſſet explicari Scriptura: ergo ex

ea

diante redemptione.

ea non conuincitur, finem incarnationis fuiſſe noſtram redemptionem ſine remedium peccati. Probatur aſſumptũ ex Apoſt. 1. Corinth. 2., *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio quod prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.* Et alijs in locis Chriſtus dicitur iuſtitia & ſanctificatio noſtra. Dicitur etiam ad Coloſſenſ. 1. caput Eccleſiæ; quòd poteſt intelligi, non ſolùm reſpectu hominum, ſed etiam Angelorum, qui tamen non ſunt redempti, ſed ſimpliciter ſaluati.

Reſpondetur. Satis eſſe manifeſtum ex Scriptura, Chriſtum veniſſe propter ſalutem noſtram, redimendo & liberãdo nos à peccato. Et quod ibi dicitur, in gloriam noſtram, intelligitur adhuc prout gloria opponitur miſeriæ, in quá per peccatum inciderat humanum genus. Et ſimiliter cùm Chriſtus dicitur iuſtitia & ſanctificatio, intelligitur iuſtificatio & ſanctificatio à peccato. Atque hoc modo Chriſtus eſt caput Eccleſiæ quæ ex hominibus conſtituitur, quamuis alio modo ſit caput Angelorum. Eodemque ſenſu certè dicitur in Symbolo; *Propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*: nam conſequenter ſub eodem reſpectu dicitur; *Crucifixus etiam pro nobis*: certe inquam propter redemptionem & liberationem à peccato. Et ſic etiam perſpicuum eſt apud Sacros Doctores & Patres.

Qualiter reuelata fuit Adamo et Angelis ante peccatum.

Obijcies quartò. Adamo ante peccatum fuit reuelatum myſterium incarnationis futuræ, & ab illo prænunciatum Geneſ. 2., quando dixit; *Hoc nunc os ex oſſibus meis &c.*, vt interpretatur Apoſt. ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia*: quare debuit etiam tunc notificari Adamo cauſa & motiuum illius myſterij: ſed tunc certè non fuit ipſe præſcius ſui peccati futuri: ergo alia erat cauſa & motiuum incarnationis, quàm peccati remedium. Item Angelis etiam dum fuerunt in via, reuelatum fuit idem myſterium. Vbi aliqui volunt, Dæmones peccaſſe per inuidiam & indignationem de tanta exaltatione humanæ naturæ. Sed neque ipſi Angeli prænouerunt, Adamum eſſe lapſurum. Quinimò Bernard. ſerm. 1. de Aduentu meditatur, ideo Dæmonem ſolicitaſſe hominem ad peccatum, vt impediret aſſumptionem humanæ carnis ex ſtirpe Adami.

Reſpondetur cum S. Tho. q. 1 art. 3. ad 5., reuelatum quidem fuiſſe tunc incarnationis myſterium, non tamen eius cauſam, ſcilicet peccati remediũ. Neque enim neceſſe erat, reuelari cauſam cum effectu. Sed concedi etiam poteſt, reuelatam fuiſſe vltimam cauſam finalem, nempe gloriam Dei, non tamen proximam & intermediam, ſcilicet remedium peccati. Poſtea autem in Sacris Scripturis Deus manifeſtauit huiuſmodi proximam cauſam, videlicet incarnationem ab eo inſtitutam fuiſſe ob noſtram redemptionem, & hanc ſicut omnia alia eius opera ob gloriam ſuam.

Sufficit determinatio humanæ naturæ ad finem redemptionis

Obijcies deinde quintò contra tertiam concluſionem. Scriptura interdum abſolutè loquitur de miſſione Filij Dei, & de aduentu Chriſti Filij Dei, propter noſtram redemptionem & ſalutem: ſed miſſio & aduentus abſolutè non determinat aſſumptionem humanæ naturæ præ alijs, ſed ſimpliciter importat aſſumptionem naturæ creatæ: ergo non ſolùm incarnatio quoad determinationem talis naturæ, ſed adæquatè aſſumptio naturæ, fuit à Deo ordinata & diſpoſita ob finem noſtræ redemptionis & ſalutis.

Reſpondetur. Scriptura pluribus in locis ſpecificè loquitur de miſſione Filij Dei in carne noſtra, de aduentu Chriſti Dei & hominis. Et in alijs etiam locis loquitur adhuc de miſſione Filij Dei in hunc mundum, ſiue ad nos homines, & de aduentu Chriſti ad nos; & ſic vocatur quoque deſcenſus è cælis: quæ planè inuoluunt determinationem humanæ naturæ. Et hunc eſſe huius rei ſenſum, colligitur quoque ex verbis Symboli, in quibus pro eodem dicitur, *Deſcendit de cælis, & incarnatus eſt, & homo factus eſt.* Et Patres eodem modo rem explicant. Non tamen ſufficienter poterant hæc per Scoti ſententiã intelligi, ſolùm quoad determinationem & circunſtantiam carnis paſſibilis: ſed debent ac ſufficienter poſſunt

Digitized by Google

ſint intelligi quoad ſubſtantialem ac ſpecificam determinationem & aſſumptionem humanæ naturæ; quæ reparationis remedio indigebat, & cui Deus pro ſua miſericordia voluit ſubuenire.

Et ad commendandã Dei charitatem ac myſterij excellentiam.

Objicies ſextò. Magis commendabitur charitas Dei erga homines, eiuſquè beneficentia extolletur, ſi dicamus, incarnationem, non ſolùm quoad determinationem humanæ naturæ, ſed etiã ſimpliciter quoad aſſumptionem naturæ, fuiſſe ordinatam ad noſtram ſalutẽ. Videtur etiam id conferre ad maiorem ipſius myſterij excellentiam, nempe dicendo, tàm magnum myſterium non niſi ob maximam neceſſitatem fuiſſe inſtitutum, videlicet ad condignè vindicandam Diuinam iniuriam, & ſatisfaciendum de rigore iuſtitiæ pro peccato, cum pura creatura non erat ad id ſufficiens & idonea. Ne alioqui ſi dicatur Deus voluiſſe creatam naturam aſſumere ſolùm ob finem communem gloriæ ſuæ, videatur hoc myſterium velut in eundem ordinem redigi cum productione aliarum creaturarum.

Reſpondetur. Commendari maximè Dei charitatem & beneficentiam, ac ſimiliter ipſius myſterij excellentiam, ſi Deus dicatur determinaſſe quidem naturam humanam ob noſtram redẽptionem & ſalutem, ſed abſolutè voluiſſe aliquam naturam aſſumere ad oſtenſionem ſuæ bonitatis. Illud enim eſt, quod ex Scripturis & Sanctorum doctrina colligitur, hoc verò ratione deducitur ex bonitate diuina; cui per ſe conuenientiſſima erat hæc communicatio: Neque opus erat, expectare aliam neceſſitatem; præter huiuſmodi conuenientiam, ad hoc vt Deus decerneret aſſumere naturam creatam: ſed ſatis erat talis ac tanta conuenientia reſpectu diuinæ bonitatis: Et neque per hoc talis aſſumptio velut in communem ordinem redigitur cum alijs Dei operibus: quoniam; licèt omnia ordinata ſint ad Dei gloriam, & ad manifeſtandam Dei bonitatem: tamen opus aſſumptionis longè ſublimiori modo, magiſquè excellenter & eminenter ad id valet, quàm alia omnia opera ſimul.

SECTIO TERTIA.

Vtrum ita Incarnatio ordinata fuerit in peccati remedium, vt eo non exiſtente facta non fuiſſet.

Quæſtionis ſenſus.

PRopoſitio hæc quæ videtur conditionata, an ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet, non tàm accipi debet in ſenſu purè conditionato, an ſcilicet non exiſtente ea conditione, adhuc Deus habiturus fuiſſet decretum de incarnatione facienda ob alium finem, ſecluſo peccati remedio. De his enim conditionalibus nedum nobis non patet via ad quicquam rationabiliter aſſerendum: ſed ſub dubio manet, num intellectus ipſe diuinus eas de humana ac de diuina ipſa voluntate prorſus cognoſcat. Sed accipienda eſt ea propoſitio in quodam ſenſu abſoluto, an ex vi præſentis decreti facta adhuc fuiſſet incarnatio homine non peccante: quod eſt quærere, an preſens decretum Dei de incarnatione facienda, habuerit vel non habuerit connexionem cum permiſſione & preuiſione peccati.

Auctoru placita.

Ergo, iuxta duas oppoſitas ſententias ſect. precedenti relatas, Scotus & alij qui negabant, incarnationem fuiſſe primario ordinatam in peccati remedium, coherenter affirmant, etiam homine non peccante futuram fuiſſe incarnationem immediatè ob Dei gloriam, non tàmen in carne paſſibili. Ex aduerſo autem S. Tho. & ſequaces qui affirmabant, incarnationem primariò fuiſſe ordinatam in peccati remedium, negant futuram fuiſſe ex vi preſentis decreti homine non peccante, quia ſcilicet preſens decretum non fuiſſet, cùm de facto fuerit ob peccati remedium. Sed Suarez ſua diſp. 5. cùm in reliquis Scoti ſententiam amplectatur, ſect. 5. tentauit adhuc defendere & docere, quod homine non peccante incarnatio non fuiſſet. Diſtinguit enim, conditionem illam, ſi homo non peccaſſet, intelligi poſſe dupliciter: vel quòd Adamus conſtitutus in ea occaſione & circunſtantijs quibus de facto pecca-

Digitized by Google

peccauit, cum conſenſiſſet in peccatũ, idque Deus ſua ſcientia præuidiſſet: vel quod Adamus quidem eſſet ſua voluntate lapſurus, idque Deus ſua ſcientia conditionata probè nouiſſet; tamen ipſe Deus noluiſſet Adamum in ea occaſione conſtituere, eiuſque peccatum permittere. Si conditio accipiatur primo modo; conſentit Suarez cum Scoto, etiam homine non peccante incarnationem fuiſſe futuram. Conditione verò intellecta ſecundo modo, defendit cum S. Thoma, incarnationẽ non fuiſſe futuram. Quia inquit, licet Deus ante præuiſum peccatum decreuerat incarnari, poteſt adhuc hoc decretum habere neceſſariam connexionem cum alio decreto ſequenti: ſicut voluntas finis tantam connexionem habet cum voluntate conſequente mediorum, vt hac ſublata auferatur & illa. Talem verò connexionem in hac re ita declarat: quia inquit; Deus in illo primo ſigno decreuit, incarnationẽ perficere modo perfectiſſimo & aptiſſimo ad manifeſtanda diuina attributa: hic autem modus, ſuppoſita conditionali ſcientia qua Deus præuidit Adamum in ea occaſione lapſurum, præciſè erat, vt Chriſtus veniret paſſibilis ac redemptor in remedium peccati, prout de facto venit. Et hoc pacto addit, poſſe fortaſſe explicari mentem S. Thomæ & dicta Sanctorum: ac etiam rationes vtriuſque ſententiæ, Scoti & S. Thomæ poſſe in eandem concordiam reuocari.

Sententia Suarez impugnatur.

Sed in primis, vt hinc incipiamus, hæc Suarij doctrina, & eſt valde confuſa; & multis nominibus diſplicet. Primò ſine cauſa & neceſſitate vtitur ſcientia illa conditionata, quæ magnas habet difficultates: nec diſtinguit duplicem illum ſenſum conditionis, modo ſatis dubio. Quam proinde rem ad aliũ locum remittimus.

Secundò. Non probat quod aſſumit, Deum in primo illo ſigno decreuiſſe incarnari cum ea determinatione, perfectiſſimo modo. Nec in alijs diuinis decretis ſolet talis clauſula aſſignari. Et in præſenti caſu, ſicut Deus iuxta ſententiam ipſius non determinauit in primo ſigno perfectiſſimum modum in particulari, ita neque dici debet determinaſſe ſic in confuſo.

Tertiò. Iuxta dictum ordinem, Deus voluiſſet permittere peccatum propter finem incarnationis faciendæ eo perfectiſſimo modo. Quæ propoſitio eſt planè aduerſa illi quę ex Scriptura & Patribus ducebatur, Deum voluiſſe incarnari ob peccati remedium. Et videtur implicare, quod circulo quodam ſequitur, Deum voluiſſe permittere peccatum, ad hunc finem, vt incarnatio fieret in remedium ipſius peccati, tanquam finem ordine executionis. Vbi etiam ſequitur, quòd prius Deus voluerit adhibere peccati remedium, & ex hoc decreuerit peccatum permittere: in quo noua repugnantia appa-ret, iuxta ea quæ in re ſimili diximus 1. par. q. 22. ſect. vndecima.

Quartò. Iuxta eũdem ordinem: cùm prius dicatur eſſe decretum de incarnatione, & poſtea de permiſſione peccati propter ipſam; potiùs ac magis propriè ſic eſſet loquendum: ſi Deus non decreuiſſet incarnari, tunc non permiſiſſet Adami peccatum, loquendo inquam ex vi præſentis decreti: ſiquidem dicitur ex voluntate antecedenti de incarnatione facienda perfectiſſimo modo, conſequenter voluiſſe peccatum permittere. At certè talis propoſitio nec apud Theologos inuenitur: & eſt aduerſa alteri quam Sancti tradunt, & quã Suarez intendit defendere, quod ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus non fuiſſet.

Quintò. In eo ſigno in quo dicitur Deus voluiſſe incarnari perfectiſſimo modo, iam ſupponitur cognouiſſe ſub conditione, Adamum in ea occaſione peccaturum; ergo etiam cognouiſſe in particulari, optimum modum incarnationis faciendæ, eſſe vt Chriſtus veniret in carne paſſibili, redemptor hominum à peccato: ergo iam ex tunc Deus in particulari volebat hunc modum. Sicut in exemplo ipſius Suarez de diuitijs effundendis, qui cognoſceret, perfectiſſimum modum effundendi ipſas diuitias eſſe in ſubſidium pauperum, hoc ipſo quod vellet perfectiſſimo modo diuitias effundere, iam vellet pauperibus erogare. Hinc ergo in illo primo

Digitized by Google

ſigno Deus voluit, Chriſtum venire paſſibilem & redemptorem. At hoc eſt contra expreſſam ſententiam eius ſect. 3. Et omnes rationes quibus ipſe probat, Deum non præordinaſſe Chriſtum paſſibilem & redemptorem ante præuiſionem peccati, eadem vi probant, Deum non tunc voluiſſe incarnationem quoad perfectum modum, ſtante ſcientia conditionata de peccato hominis, & ſcientia abſoluta de perfectiſſimo modo incarnationis in carne paſſibili ſub munere redẽptoris.

Sextò: Nec benè Suarez excipiebat partem illam, ſi Adamus non peccaſſet, conditione intellecta primo modo, incarnationem non fuiſſe futuram. Etenim, poſito quòd Adamus in ea occaſione non conſenſiſſet in peccatum, idque Deus ſub conditione præuidiſſet; ſaltem verificaretur, quod in aliqua alia occaſione, vel vrgentiori tentatione, Adamus cecidiſſet, idque etiam Deus ſub conditione præuidebat. Aut ſaltem alij homines, vel eorum aliquis, aut ex ijs qui de facto nati vel naſcituri ſunt, aut ex merè poſſibilibus, in ſimili vel alia occaſione peccaſſent. Et tunc eodem pacto potuiſſet Deus incarnari perfectiſſimo modo ſecundùm circunſtantiam carnis poſſibilis & muneris redemptoris: atque adeo debuiſſet Deus aliquo alio modo peccatum permittere, vt hoc modo perfectiſſimo incarnaretur. Debet ergo Suarez, ad conſtituendam illam partem, explicare conditionem hoc modo: ſi Adamus neque in illa neque in alia quacunque occaſione fuiſſet lapſurus, vel in illud vel in aliud quodcunque peccatum, & nullus alius homo vel creandus vel creabilis, in quacunque occaſione fuiſſet in peccatum aliquod lapſurus, Deo id totum ſub conditione præuidente; tunc quidem incarnationem fuiſſe adhuc futuram. Quæ propoſitio redditur planè exorbitans, & ad veritatem indagandam inutilis, & à mente Patrum ac Theologorum extranea.

Septimò demum. Hinc patet, quàm vanè Suarez iuxta hanc ſuam ſententiam tentauit mentem Patrum & D. Thomæ ad hunc ſuum ſenſum traducere. Nec enim vnquam id in mentem eorum venerat: nec putari poteſt, illos de tali vana conditione cogitaſſe.

Non exiſtente peccato facta non fuiſſet incarnatio in humana natura

Dico ergo ſecundò iuxta noſtram ſententiam, ſi homo non peccaſſet, Verbum diuinum non aſſumpſiſſet determinatè humanam naturam, quantù eſt ex vi præſentis decreti. Hæc concluſio conſonat cum ſecunda ſectionis præcedentis. Cùm enim ſtatutum ſit, Deum de facto determinaſſe Verbi incarnationem in humana natura propter redemptionem hominis à peccato, planè ſi peccatum non fuiſſet, iam non erat illa indigentia redemptionis: quare deficiente ratione primaria ob quam prędefinita ac determinata fuit incarnatio in humana natura, non fuiſſet in Deo præſens decretum de aſſumenda humana natura; prout ſcilicet præſens Dei decretum attingit huiuſmodi motiuum & finem. Atque hæc ipſa concluſio expreſſè habetur ex pleriſque Patribus, Cyrillo dialogo 5. de Trinit. ante medium, Leone Papa ſerm. 3. in Pentecoſt., Auguſt. ſerm. 2. in Pſal. & alijs. Qui non poſſunt ſufficienter exponi, ſi peccatum non fuiſſet, incarnationem non fuiſſe futuram in carne paſſibili. Abſolutè enim loquuntur de incarnatione & humanitatis aſſumptione. Addi poteſt & illud Eccleſiæ in Officio Sabbati Sancti, ſumptum ex Gregorio Papa, *O certè neceſſarium Adæ peccatum*: quæ neceſſitas referri videtur, non ſolùm ad paſſionem Chriſti, ſed ſimpliciter ad incarnationem Verbi, ad aſſumptionem humanæ naturæ. Adduci etiam ſolet quod dicitur in quodam Hymno B. Virginis; *Peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores tanto digna filio.*

Adhuc tamen aſſumpta fuiſſet aliqua rationalis natura.

Dico tandem tertiò: Supponendo quòd aſſumptio naturæ creatæ, addendo etiam rationalis, præſcindendo tamen à natura humana, fuerit de facto præintenta à Deo immediatè ob gloriã ſuam, atque ita independenter à peccato & redemptione; tunc etiam ſi peccatum non fuiſſet, adhuc ex vi præſentis decreti, Deus aſſumpſiſſet aliquã rationalem naturam; ita inquam vt præſens decretum non determinabat eius voluntatem ad talem naturam, vel humanam vel angelicam. Sed tamen

men quia reuera non poterat Deus aſſumere naturam, niſi aſſumendo certá in particulari, ideo debuiſſet tūc Deus alia ratione & alio decreto determinare, quamnam naturam aſſumeret, an angelicá vel humaná. Cùm enim firmū ſtaret decretū de aſſumenda aliqua natura, etiam homine non peccante, neq; tamen exequutioni mandari poſſet abſque determinatione certæ naturæ, debuiſſet omnino ſubiungi hæc determinatio, ea ratione & de illa natura quæ tunc Deo placeret. Quare hoc non reincidit in ſenſum merè conditionalem, quidnam Deus vellet ſub illa conditione: ſed retinet quodammodo ſenſum abſolutum, ſcilicet de vi quam habet præſens diuinum decretum, quam dicimus trahere ſecum debere determinationem certæ naturæ. Potuiſſet autem Deus æquè benè cùm hoc decreto ſe determinare ad aſſumendam, vel naturam angelicam, vel etiam humanam, ſcilicet, ob aliquod aliud motiuum independens à peccato. Si quis autem quærat, quamnam ex his duabus ſpeciebus determinaſſet: hic iam eſt ſenſus merè conditionalis, quia non ſpectat ad vim præſentis decreti: & ideo in hoc ſenſu non poteſt quicquam theologicè definiri.

Incarnatio in omni caſu poterat per matrimonium figurari.

Sed contra ſecundam concluſionem obijcies primò. D. Auguſtin. lib. de Nuptijs & concupiſc. cap. 21. affirmauit, matrimonium fuiſſe futurum etiam ſi homo non peccaſſet, quia præter alias vtilitates & conuenientię rationes, haberet hanc quòd ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia: ergo etiam ſi non fuiſſet peccatum, veniſſet adhuc Chriſtus homo, qui eſſet caput & ſpōſus Eccleſiæ. Reſpondetur, D. Auguſt. voluiſſe tantùm explicare conuenientiam matrimonij independēter à peccato. Et quidem formaliter loquendo illa ſignificatio non dependet à peccato: inquantum etiam homine nō peccāte potuiſſet Chriſtus venire, & tunc matrimonium non minùs ſignificaret coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Vnde, quamuis de facto ex vi præſentis decreti non veniſſet Chriſtus homo, ſi homo non peccaſſet; adhuc verum eſt dicere, quod matrimonium fuiſſet aptum ſignificare coniūctionem Chriſti cum Eccleſia quandocunque daretur.

Incarnatio erat per ſe bonum abſolutum.

Obijcies ſecundò. Si incarnatio prędefinita fuit ob remedium peccati, ita vt ſine illo non fuiſſet: ergo non erat bonum ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm occaſionatum, ſicut eſt pœna & pœnitentia: ſed hoc eſt manifeſtum abſurdum, cùm incarnatio de ſe ſit maximum bonum. Reſpondetur, duplex eſſe bonum occaſionatum: aliud quod non eſt prorſus bonum niſi exiſtente tali occaſione, cuiuſmodi eſt pœna & pœnitētia, quæ omnino ſupponit peccatum: aliud quod de ſe quidem & ſimpliciter eſt bonum, eligitur tamen ex aliqua occaſione, quamuis ſine illa potuiſſet quoque eligi. Hoc modo abſonum non eſt, incarnationem, cùm de ſe eſſet maximum bonum, fuiſſe à Deo electam ac prędefinitam occaſione peccati, in remedium peccati. Et, ſi prorſus minùs conueniens videatur, quòd Deus tàm grande bonum pręordinauerit occaſione peccati: certè cōuenientiſſimum apparebit, vt facto priùs & independenter à peccato, illo decreto de aſſumenda natura, poſtea ex occaſione peccati, & ex miſericordia Dei erga humanum genus cui ſubuenire volebat, determinata ſit aſſumptio in ipſa humana natura.

De facto determinata fuit ex occaſione peccati.

Obijcies tertiò ex Ruperto lib. 3. de Gloria & honore Filij hominis prope finem. D. Auguſt. lib. 14. de Ciuit cap. 23. ex eo probat, generationem hominum fuiſſe futuram, etiam ſi homo non peccaſſet, quia abſurdum eſſet dicere, multiplicationem hominum non fuiſſe futuram niſi ex occaſione peccati. Quam eandem rationem approbat S. Thomas 1. par. q. 98. art. 1. Sed certè vnus Chriſtus eſt omnibus alijs hominibus præferendus: ergo maius abſurdum erit dicere, Chriſtum non fuiſſe venturum niſi ex occaſione peccati. Ad hoc, Caietanus in eundem locum 1. partis duas rationes diſparitatis affert. Aliam reddit Valentia hîc q. 1. puncto 7. ad 6. Quæ tamen minùs ſufficientes videntur. Quare præſtaret dicere, rationem illam non fuiſſe à D. Auguſt. prolatam, & D. Tho. approbatam,

batam,

batam, niſi vt congruentiam quandã, quæ vtcunque valeat, quando aliquid maius non obſtat. Et nihil quidem obſtat quoad multiplicationem hominũ: ſed quoad aduentum Chriſti obſtant tot auctoritates quæ oſtendunt Chriſtum veniſſe in peccati remedium. Sed iuxta noſtram ſententiam multò melius dicemus, illam eandem rationem valere, vt non inciderit ex occaſione peccati aduentus perſonæ diuinæ ſimpliciter in aliqua natura aſſumpta, ſed bene determinatio humanæ naturæ: nulla enim maior conuenientia huius determinationis poteſt cogitari, quàm in igentia humani generis ex lapſu peccati.

Non eſt gaudendũ de peccato, ſed de bono effectu ſequuto.

Obijcies quartò. Si incarnatio non fuiſſet futura niſi exiſtente peccato: gaudendum nobis eſſet de ipſo peccato, iux ta illud; *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*. Ac præſertim B. Virgo gaudere debuiſſet de peccato, ſi alioqui ipſa non fuiſſet mater Dei. Imò & anima ipſa Chriſti de eodem gaudere debuiſſet, ſi alioqui non fuiſſe vnita Verbo. Reſpondetur, non eſſe gaudendum de ipſo peccato, ſed tantùm de bono effectu ſequuto, iuxta regulas in rebus moralibus traditas. Sicut gaudendum nobis non eſt de peccato crucifigentium Chriſtum, ſed de effectu redemptionis inde ſequuto. Et Martyres gaudere non debent de peccato perſequutorum, ſed de corona quam ipſi inde retulerunt. Ac Deus ipſe non vult peccatum ex quo ſequitur aliquod bonũ, ſed vult bonum, & permittit peccatũ. Atque ita debet accipi dictum illud, *O felix culpa*, non quidem formaliter quoad ipſum peccatum, ſed conſequenter quoad bonum effectum.

Obijcies quintò. D. Anſelmus lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 18. hac ratione probat, non fuiſſe homines electos ad gloriam, ſolùm ob reparandum numerum Angelorum qui exciderant, quia ſequeretur, homines electos poſſe ac debere lætari de ruina Angelorum, ſi alioqui ipſi non fuiſſent electi: ergo idẽ ſequeretur de peccato & ruina hominum, ſi alioqui non fuiſſet incarnatio. Reſpondetur, Anſelmum planè ſuppo-nere, talem lætitiam fore vitioſam: quare hoc ipſo ſequitur, eam non futuram in electis, ſiquidem Beati peccare non poſſunt, Itaque fatendum eſt, rationem illam verè non eſſe efficacem, neque ſequelam eſſe bonam, vt ſatis patet in exemplis iam adductis, & alijs plurimis quæ conſiderarì poſſunt; ac proinde fuiſſe ſolùm adductam ſecundùm apparentiam quandã. Idquè ſanè fateri debent etiam illi qui cum Scoto volunt, quòd incarnatio omnino fuiſſet etiam non interueniente peccato.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Deus Incarnationem prædefinierit ante vel poſt quàm præuidit peccatum & voluit redimere hominem.

Auctorum placita.

Scotus & ſequaces iuxta ſuam ſententiam cohærenter docent, prædefinitionem incarnationis in Deo fuiſſe ordine rationis & naturæ priorem ante præuiſionem peccati & voluntatem redimendi hominem. Inter Sectatores D. Thomæ, Caietan. q. 1. art. 3., prout eius ſententiam refert & explicat Vaſq. diſp. 10. cap. 1., exiſtimat, incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam, poſt quidem præuiſionem peccati, ſed ante voluntatem redemptionis, ordine ſcilicet cauſalitatis in genere cauſæ finalis: cum tanta tamen connexione, vt non priùs voluerit Deus incarnationem quàm redemptionem prioritate conſequentiæ, ideſt independenter à redemptione, quaſi incarnatio etiam ſine redemptione futura eſſet. Sed certè Caiet. tàm obſcure loquitur, diſtinguens ordinem, quo Deus de facto voluit, & quo velle potuit; vt nõ ſatis appareat quę fuerit eius mens. Sed è conuerſo quidam alij recentiores Thomiſtę, pręſertim Cabrera queſt. 1. art. 3. diſp. 1. à §. 21., dicunt, Deum prædefiniſſe incarnationem poſt volũtatem redemptionis, ſed ante præuiſionem peccati: ita vt priùs Deus voluerit hominem redimere, & ad hunc finem decreuerit incarnari, ac rurſus

Digitized by Google

vt homo redimeretur per incarnationem, voluerit peccatum permittere, atque ita illud futurum præuiderit. Valent. demum q. 1. puncto 7. ad 4. argum. vult, Deum quadam ratione priùs prædeſtinaſſe Chriſtum, ſeu prædefiniſſe incarnationem, quàm præſciret peccatum, quatenus ſcilicet Chriſtus eſt auctor & cauſa moralis omnis gratię, etiam illius quæ collata fuit Angelis & Adamo ante peccatum: alia verò ratione poſteriùs, quatenus peccatum erat quædā diſpoſitio ſeu quoddam præſuppoſitum ad aduentum Chriſti, quia morbus præſupponitur medicinæ.

Deus incarnationē in humana natura determinauit poſt præuiſionē peccati & voluntatē redimendi homines.

Dicendum tamen primò eſt, Deum non niſi poſtquam præuidit peccatum à ſe permittendum, ac etiam redimere decreuit hominem à peccato, prædefiniſſe incarnationem, quoad determinationem illam naturæ humanæ aſſumendæ à perſona Verbi. Hæc concluſio eſt ſine dubio ad mentem S. Thomæ, & omnino conformis eius ſententiæ; ac noſtræ reſolutioni iam traditæ. Primò enim, cùm redemptio hominum ſit finis propter quem Deus voluit Verbum incarnari in humana natura, & voluntas finis ordine rationis præcedat ad voluntatem mediorum, manifeſtè ſequitur, priorem fuiſſe in Deo ordine rationis volũtatem redemptionis, ante determinationem incarnationis. Neceſſe tamen non eſt, huiuſmodi priorē voluntatem redemptionis, fuiſſe voluntatem efficacem liberandi homines à peccato, ſeu perducendi illos ad gloriam, in quo inuoluitur electio & prædeſtinatio ſaluandorum. Sed ſatis eſt, Deum in illo priori voluiſſe, & quidem efficaciter, adhibere remedium peccati, licèt non tunc decreuerit applicationem talis remedij, vel omnibus, vel certis quibuſdam hominibus.

Secundò. Non priùs potuit Deus velle homines redimere à peccato, quàm præuideret peccatum. Redemptio enim à culpa & peccato, ſiue ſatisfactio pro peccato, ſiue remedium peccati, eſt de genere eorum quæ præſupponunt neceſſariò & eſſentialiter peccatum, ac dicunt intrinſece & formaliter ordinem ad peccatum, cuiuſmodi etiam ſunt pœna & pœnitentia: at verò ea quæ ſunt huius generis, non ſunt per ſe amabilia, ſed tantum poſt præuiſum peccatum, vt 1. par. q. 22. ſect. 11. ſtatuimus: ergo tandem incarnatio à Deo determinata non fuit niſi poſt præuiſum peccatum.

Tertiò rurſus, imperceptibile videtur, quòd idem decretum in Deo fuerit prius & poſterius altero decreto, ſecundùm diuerſas rationes & ordinationes, eo modo quo Valentia diſponere volebat determinationem incarnationis cum præuiſione peccati. Si enim peccatum fuit occaſio ob quam Deus voluit incarnationem, priùs ſane eſt, Deum præuidiſſe peccatum, ac poſterius fuit velle redimere hominem, & ad hunc finem determinare incarnationem: nec enim alia via & ordine intelligi poteſt, Deum prædefiniſſe incarnationem ante præuiſum peccatū, etiam ſi cōſideretur Chriſtus vt auctor gratiæ. Etenim Chriſtus ipſe quoad ſubſtantiam non eſt prædeſtinatus niſi poſt præuiſum peccatum: nullatenus ergo potuit vt auctor gratiæ eſſe prædeſtinatus ante præuiſionem peccati. Vnde potiùs fatendum erit, gratiam illam prædefinitam à Deo Angelis & Adamo ante peccatum, non fuiſſe prædefinitam ex meritis humanis Chriſti, vt ſuo loco de merito Chriſti tractabimus.

Aſſumptionem rationalis naturæ prædefiniuit ante.

Dicendum ſecundò eſt, Deum priùs ratione quàm præuideret peccatum & vellet redimere hominem, prędefiniſſe aſſumptionem naturæ creatæ rationalis, præſcindendo à determinatione talis naturæ in ſpecie. Quod ſic intelligi debet, vt Deus in eo ſigno vel ordine quo voluit ſe communicare ad extra, voluitquè ſe cōmunicare quoad eſſe naturale creando hoc vniuerſum ac præcipuè Angelos & homines, itemque quoad dona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ; voluerit quoque ſe communicare intimè & ſubſtantialiter per hypoſtaticam vnionem, idquè totum ad oſtendendam ſuam bonitatem, ac poſtea voluiſſe permittere, ac futurum preuidiſſe peccatum Angelorum & hominum, & ſubinde voluerit afferre remedium hominibus & non Angelis, ac

tandem

tandem ex hoc motiuo & ob hunc finem ſe determinauerit ad aſſumptioné humanæ naturæ & vnionem cum perſona Verbi. Hic ordo eſt planè conſentaneus doctrinæ traditæ. Nec eſt difficile, Deum prius velle aliquid ſecundum rationem communem, & poſtea ſecundùm rationem ſpecialem. Oportet quidem, omnia quæ Deus vult operari, eſſe ab eo volita in particulari ac determinatè. Sed neceſſe non eſt, omnem ſpecialitatem ac determinationem eſſe ab eo volitam in vno eodemque ſigno. Sicut ſunt in ſententia Scoti, non in illo eodem ſigno quo Deus decreuit aſſumere carnem, ſimul quoque decreuit aſſumere carnem paſſibilem. Et quoad alias varias rerum conditiones, in omnium ſententia admittendum eſt, Deum priùs ratione velle obiectum aliquod quantum ad ſubſtantiam, & in alio poſteriori ſigno determinare alias rationes, & circunſtantias.

Quomodo Chriſtus dicatur ante alias res in mente Dei.

Sed contra primam concluſionem obijces primò quædam Scripturæ loca. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me*, ſeu iuxta lectionem ſeptuaginta Interpretum, *creauit me in initio viarum ſuarum*: aliaquè ſimilia dicuntur in eodem capite, & Eccleſiaſt. 24. Communis autem Patrum expoſitio habet, ſermonem eſſe de Sapientia incarnata, & de Chriſto Domino, non ſolum vt Deo, ſed etiam vt homine. At ordine temporis non fuit conditus Chriſtus ante alias res: ergo debet intelligi ordine rationis in æterna prouidentia Dei. Item ad Coloſſen. 1. Apoſtolus vocat Chriſtum, *Primogenitum omnis creaturæ*: & addit, *Ipſe eſt ante omnes*: & rurſus, *Vt ſit in omnibus primatum tenens*, Vbi idem debet eſſe ſenſus.

Reſpondetur. Illud quod dicitur de Sapientia, multis modis exponi poſſe & ſolere. Sed ſi accipiatur de Chriſto ſecundùm humanitatem, non debet intelligi de primatu ordine rationis in mente Dei. Nam nec ipſi aduerſarij volunt, Deum præfiniſſe incarnationem ante voluntatem creandi quaſcunque alias res. Sed debet intelligi ordine dignitatis. Vel ordine cauſalitatis quoad opera redemptionis reſpectu noſtræ gratiæ & ſalutis: vt exponit Athanaſ. ſerm. 3. cont. Arian., vbi ſimul expreſsè docet, Chriſtum fuiſſe ordinatum à Deo ad finem noſtræ redemptionis. Conſonat integra lectio ſeptuaginta Interpretum, *Dominus creauit me initium ad opera ſua*. Eodemquè modo intelligi & explicari debent verba Apoſtoli.

Quomodo dicatur fundamentum noſtræ ſalutis.

Obijcies ſecundò auctoritatem & verba Cyrilli lib. 5. Theſauri cap. 8., vbi tractans eundem locum Prouerb., inter alia inquit: *Præfundatur ante nos Chriſtus, & in ipſo omnes nos ſuperædificamur in præſcientia Dei*. Addit etiam bona ex Dei ordinatione præceſſiſſe ad mala, & in illis bonis Chriſtum fundaſſe naturam humanam. Adiungit ſimilitudinem: ſicut ſapiens architectus, ædificaturus ædes, dubitans ne altior ædium ſtructura temporis decurſu aliquid patiatur, firmiſſimum iacit fundamentũ, vt ſi quid ſuperiora patiantur, poſſint rurſus reparari, ita Deum conſtituiſſe Chriſtum, ſalutis noſtræ fundamentum, vt ſi præuaricatione caderemus, in ipſo rurſus renouaremur.

Reſpondetur. Cyrillum in eodem capite ſatis expreſsè noſtram ſententiam tradidiſſe, præſertim illis verbis circa medium capitis: *Sciebat Deus, mortales nos futuros propter peccatũ, ideo conſtituit vt Verbum homo fieret*: & rurſus infra, *Prævidit Deus peccaturum hominem & in mortem caſurum, prævidit etiam conferentia generi eius & quomodo renouaretur, ideo quaſi radices huius ſpei in Filio ſuo nobis depoſuit, &c.* In alijs ergo verbis ex aduerſo adductis; ſenſus eſt: Chriſtum quoad ordinem gratiæ conſtitutum fuiſſe caput & principium noſtræ gratiæ, & ita fundamentum noſtræ ſalutis poſt peccatum: non quaſi Deus priùs voluerit redimere hominem, quam præuiderit peccatum: neque vt Chriſtus fundauerit naturam humanam in illis bonis prout præceſſerunt peccatum, ſed prout reparantur poſt peccatum. Et exemplum illud ita accipiendum eſt: quod ſicut architectus ex dubio ruinæ iacit firmũ fundamentum, ita Deus ex certa præuiſione peccati futuri conſtituerit Chriſtum in mente ſua. Vel quòd conſti-

H tuit

tuit Chriſtum antequam præuideret actualia peccata, præuiſo tamen originali, ſed illis poſtea ſuperuenientibus erat quoque Chriſtus remedium allaturus, vt ſect. ſequenti dicemus.

Quomodo ordinata fuit incarnatio ad Dei gloriã.

Obijcies tertiò. Illud eſt prius in intentione agentis, quod eſt propinquius vltimo fini: ſed incarnatio erat mediũ propinquius ad Dei gloriam, cum ſit nobilius & aptius medium ad talem finem: ergo fuit prius volita ante voluntatem redemptionis & præuiſionem peccati. Reſpondetur, non ſemper illud medium quod eſt dignius & nobilius debet dici prius in intentione, ſed benè illud quod eſt propinquius fini per ordinationem ipſius agentis. At incarnatio, licet ſit medium nobilius & aptiſſimum ad Dei gloriam, non tamen erat propinquius ordinatione, loquendo quoad determinationem humanæ naturæ, cum Deus determinauerit hanc naturam ob reparationem eiuſdem naturæ, & ita tandem ad Dei gloriam. Atque hoc modo, & ſub hac ordinatione, magis confert incarnatio ad Dei gloriã, ad manifeſtanda Dei attributa & perfectiones, vt oſtenſum eſt.

Quomodo prædeſtinatus fuit Chriſtus ante alios homines.

Obijcies quartò. Priùs ratione prædeſtinatus fuit Chriſtus à Deo quàm alij homines, vt q. 24. cum D. Tho. dicemus: ſed homines prædeſtinati fuerunt à Deo ante præuiſum peccatum: ergo multò magis Chriſtus. Vel ſic: ſi propter ſalutem aliorum hominum prædeſtinatus fuiſſet Chriſtus, priùs prædeſtinati eſſent alij homines quàm Chriſtus: ergo ne hoc ſequatur, dici debet Chriſtus fuiſſe prædeſtinatus ante præuiſionem peccati & voluntatem diuinam de ſaluandis ac redimendis hominibus à peccato. Reſpondetur, homines non fuiſſe prædeſtinatos niſi poſt præuiſum commune originale peccatum, & poſt etiam prædeſtinationem Chriſti, idquè eſſe de mente D. Auguſt., vt iam 1. par. de prædeſtinatione tractauimus. Neque verò antequam prædeſtinaret Chriſtum ſtatuerat Deus efficaci decreto ſaluare homines, ſed tantùm decreuerat adhibere remedium ad hoc vt homines poſſent ſaluari: non ergo ſequitur, fuiſſe homines prædeſtinatos ante Chriſtum.

Obijcies quintò. Gratia data fuit Angelis & primis parentibus ante peccatum ex meritis Chriſti: ergo ante peccatum præordinata & præuiſa erant merita Chriſti, & in mente diuina Chriſtus conſtitutus fuerat caput Angelorum & hominum. Reſpondetur, non fuiſſe gratiam in prima ſui determinatione & collatione datam Angelis & primis hominibus ex meritis humanis Chriſti, vt q. 19. tractabimus circa meritum Chriſti: non ergo merita humana Chriſti debuerunt eſſe præordinata & præuiſa ante peccatum.

SECTIO QVINTA.

An & quomodo Incarnatio ordinata fuerit in remedium originalis peccati & actualium peccatorum.

QVæſtio hæc locum habet, non ſolum in ſententia S. Thomæ & noſtra, ſed etiam Scoti, nempe quoad circunſtantiam carnis paſſibilis & officium redemptoris, quæ Scotus fatetur fuiſſe per ſe ordinata in remedium peccati.

Incarnatio verò profuit in remedium omnium peccatorũ.

Primò ergo certum eſt cum S. Thoma art. 4. aliiſquè communiter, incarnationem ſimpliciter loquendo, ex diuina inſtitutione profuiſſe in remedium omnium peccatorum, non ſolùm ſcilicet originalis, ſed etiam actualium. Quod quidem planè cõſtat ex Scriptura & Patribus. Conſtat ex valore & dignitate ſatisfactionis Chriſti, quæ fuit ſufficiens & ſuperabundans pro omnibus peccatis, & quodcunque peccatum non niſi per merita Chriſti remittitur. Et ipſe Deus ſic voluit atque inſtituit, vt merita Chriſti contra omnia hominum peccata valerent, ad differentiam Angelorum, pro quorum peccatis inſtituta & ordinata non fuit ſatisfactio & redemptio Chriſti.

Principaliter ordinata fuit in remedium originalis peccati.

Secundò. Rectè quoque docet S. Tho. aliiquè Theologi communiter, incarnationem magis principaliter ordinatam fuiſſe in remedium orignalis peccati. Colligitur ex Script. Ioann. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, vt legitur in textu græco. Et

ad

Digitized by Google

ad Roman. 5. opponitur redemptio Chriſti peculiariter contra peccatum Adami in nos deriuatum: *Sicut per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiſt, in quo omnes peccauerunt, &c. multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, &c.* Idem indicatur frequenter à ſanctis Patribus. Ratione probatur à S. Thoma: quia peccatum originale eſt peccatum naturæ, eſt peccatum commune; vnde licèt peccatum actuale ſit maius intenſiuè, tamen peccatum originale eſt maius extenſiuè. Et licet peccata actualia magis multiplicentur, id dicitur eſſe per accidens, ſed peccatum originale magis per ſe in ſingulos homines ſimul cum ipſa natura transfunditur, Accedit præterea, quod originale peccatum eſt fons & radix actualium peccatorum, ac præſertim fuit primum in præſcientia Dei. Vnde ita intelligenda eſt ordinatio incarnationis, vt Deus poſt præuiſum originale peccatũ ſe determinauerit ad aſſumendam humanam naturam in remedium talis ruinæ communis: ac deinde ſuperuenientibus & præuiſis actualibus etiam peccatis, voluerit Deus vt incarnatio & ſatisfactio Chriſti valeret quoque ad remedium actualium peccatorum.

Et ob ſolũ originale ordinata fuiſſet.

Tertiò. Hinc ſequitur, quòd ſi fuiſſet ſolum originale peccatum, & non actualia, adhuc ex vi præſentis decreti fuiſſet incarnatio. Hæc eſt communis ſententia. Et patet: quia exiſtente ratione & motiuo principali, firma ſtat determinatio in eo fundata. Et è contra, ſi fuiſſent actualia peccata, & non originale, tunc quantum eſt ex vi præſentis decreti non fuiſſet incarnatio; quoad determinationem indiuiduam humanæ naturæ iuxta noſtrum dicendi modum. In qua hypotheſi abſtrahimus ab alia quæſtione, an abſque originali peccato fuiſſent adhuc actualia; ſed loquimur præciſè ſub conditione ſi hæc fuiſſent, & non illud. Et ſic patet concluſio; quia deficiente motiuo & ratione principali, tollitur decretum in illo fundatum: Sed ad hoc vt diceremus ex vi præſentis decreti adhuc Chriſtum fuiſſe venturum, oporteret dicere, quòd præter primum decretum quo Deus abſolutè determinauit mittere Chriſtum in remedium originalis peccati, habuiſſet aliud conditionatum decretum, quo ſtatuiſſet mittere Chriſtum ob ſola actualia etiam ſi originale non fuiſſet. Sed hoc nobis non conſtat. Et potius conſtat, quòd ſaltem ex vi primi decreti abſoluti Chriſtus de facto non veniſſet, niſi exiſtente originali peccato.

An ob ſola actualia ordinata fuiſſet.

An verò, ſecluſo hoc peccato, & ſtantibus peccatis actualibus, Deus habiturus fuiſſet aliud decretum, quo vellet incarnari, & quidem in carne paſſibili, inter Theologos ſub varijs diſtinctionibus decidi ſolet. Dixerunt aliqui, incarnationem adhuc fuiſſe futuram exiſtentibus peccatis mortalibus, non autem ſolis venialibus. Alij, ſi peccaſſent electi, non autem ſi ſoli reprobi. Alij, ſi maior vel magna pars hominum cecidiſſet, non autem ſi ſolùm pauci. Et alij alijs modis. Sed hæc omnia recidunt in ſenſum mere conditionalem; in quo non poteſt quicquam conſtanter ſtatui. Ad ſummum ex eo quod factum eſt coniectando quid tunc fieret; ſanè illa ratio conuenientiæ, quæ nunc determinauit voluntatem diuinam ad aſſumptionem humanæ naturæ, pari ferè modo locum habuiſſet, ſi non fuiſſet peccatum originale, fuiſſent tamen actualia, ſaltem in magna hominum parte.

Ordinata fuit ſtatim poſt præuiſum originale ante actualia.

Quartò. Ex dictis patet, quo ordine & ſigno Deus incarnationem prædefinierit, inter præuiſionem peccati originalis & peccatorum actualium. Nempe prædefiniſſe incarnationem determinatè in humana natura, ſtatim poſt præuiſum originale peccatum, & non expectata præſcientia actualium peccatorum. Quod poteſt inſuper confirmari: quia prius Deus ſtatuit conferre ſingulis hominibus auxilia ſufficientia ad vitanda peccata, quam præuiderit ipſa peccata: auxilia verò gratiæ non niſi ex meritis Chriſti diſpoſuit ac præordinauit, vt circa meritum Chriſti dicemus: ergo tandem actualia hominum peccata non fuerant præuiſa ante determinationem incarnationis, ſed poſt.

Quare quod dicebamus, incarnationem fuiſſe prædefinitam poſt præuiſum peccatum, intelligitur & verificatur de ſolo originali.

Statim poſt præuiſum originale in Adamo.

Quinto tandem. In ipſo quoque originali peccato diſtinctè conſiderare oportet, ex vna parte præcise Adami peccatum vt transfundendum in poſteros, & ex altera parte proprium peccatum in ſingulis deriuatum, & transfuſum ex illa præuaricatione Adami. Aliqui ergo explicant, incarnationem fuiſſe prædefinitam poſt præuiſum originale peccatum re ipſa contractum in ſingulis hominibus. Et ita quidem cohærenter ſentire poſſunt illi qui volunt, B. etiam Virginem in ſui conceptione contraxiſſe originale peccatum. Sed ita etiam contendit Ferdinandus Salazar lib. de Concept. Virginis cap. 16. quamuis alioqui excipiat B. Virginem à communi labe naturæ. Affert pro ea parte pleroſque Patres dicentes, Chriſtum veniſſe pro ſalute, & redemptione omnium, & non ſolius Adami: quaſi ſcilicet præuiſa ruina, & perditione ſingulorum hominum in ſe ipſis per ſuum proprium originale peccatum ex primo parente contractum.

Præſtabit tamen dicere, incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam, ſtatim poſt præuiſum lapſum ipſius Adami, tanquam communem tamen toti poſteritati, & ex vi cuius omnes & ſinguli poſteri debebant contrahere in ſe ipſis proprium originale peccatum. Et ſic quidem ſentire debent ij qui defendunt exemptionem & præſeruationem beatæ Virginis ab originali peccato ex meritis Chriſti redemptoris: quia ſi ante prædefinitam incarnationem præuidiſſet Deus in omnibus & ſingulis iam deriuatum & contractum originale peccatum, non potuiſſet amplius excipere B. Virginem ex meritis Chriſti, ſed reliquum erat ſolùm, vt illam purgaret, & emundaret à macula iam contracta & à ſe præuiſa. Neque admittendus eſt alius modus quem excogitauit Salazar, vt videbimus proprio loco q. 27. Adhuc autem veriſſimum eſt, quod Patres docent, & Scriptura ſemper inclamat, Chriſtum veniſſe pro ſalute & redemptione omnium: quia nimirum iam in illo lapſu Adami inuoluebantur omnes poſteri, & omnes ceciderant in Adamo, erantque obnoxij originali peccato, & non niſi per redemptionem Chriſti ſaluari poterant.

Sed contra doctrinam traditam objicies primo. Apoſtolus ad Galat. 2. ſic inquit: *Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me*: quo loquendi modo ſignificatur, cauſam principalem incarnationis & paſſionis Chriſti, fuiſſe ſalutem & redemptionem ſingulorum hominum in particulari. Et Chryſoſt. homil. 6. ſuper Acta Apoſtolor. in illa verba, *Dederunt ſortes eis*, ſic ait: *Vnius animæ ſalus tanti eſt, vt ob hanc Filius Dei fieret homo tantaque pateretur*. Et certè ſic magis commendari videtur charitas Dei erga genus humanum.

Explicatur quidam locus Apoſtoli & alius Chryſoſtomi.

Reſpondetur, Apoſtolum eo loco tantum velle, incarnationem & paſſionem Chriſti ad ſingulorum hominum ſalutem ex integro valere, & vnumquemquè hominum debere hoc beneficium tanquam ſibi præſtitum æſtimare. Nec enim ſaluti vllius quicquam detrahitur, per hoc quod ex meritis Chriſti alij quoque participent. Chryſoſtomus verò ita explicari debet, quòd pro condigna redemptione & ſalute vnius animæ requireretur meritum Chriſti: ſic enim conſtat, quanti æſtimanda ſit vel vnius animæ ſalus. Ann verò re ipſa, ſi vna ſola anima redimenda fuiſſet, Chriſtus veniſſet, affirmari non poteſt. Neque ad commendandam Dei charitatem affirmandum eſt quicquam ſine ſufficienti ratione & fundamento. Sed ex ijs quæ in ſacra Scriptura habentur, incomparabiliter Dei charitas commendatur.

Objicies ſecundo D. Dionyſ. in Epiſt. ad Demophylum prope finem, refert, Chriſtum in viſione quadam ſic dixiſſe Carpo viro ſancto: *Feri me, iam enim rurſum paratus ſum, ſalutis hominum cauſa mortem perpeti; mihique hoc pergratum eſt, dum alij homines non peccent.* Ex quo colligitur, quod etiam ſi non fuiſſet originale peccatum, adhuc Chriſtus veniſſet, & paſſus eſſet in remedium actualium peccatorum; eo magis quod actuale peccatum eſt deteſtabilius quã originale; & conſiderando tot peccata actualia

Et alius locus Dionyſij.

actualia hominum, valde plura ſunt quàm originalia, cùm vnum tantùm ſit originale in ſingulis.

Explicatur quidam locus Apoſtoli & alius Chryſoſtomi.

Reſpondetur. Ex illis verbis tantùm colligi eximiam charitatem & promptitudinem Chriſti Domini erga noſtrã ſalutem, qua ex parte ſua paratus eſſet iterum pati, ſi id Deus iuberet aut acceptaret. Non autem, quòd de facto Deus ordinauerit incarnationem principaliter in remedium actualium peccatorum, ſicut originalis. Sed ad ſummum conijectare licebit, quòd decreuiſſet quoque Deus mittere Chriſtũ redemptorem in remedium actualium peccatorum, ſi abſque originali fuiſſent. At nunc reuera maius eſt peccatum originale quàm actualia, extenſiuè loquendo, vt ſupra attigimus: omnes enim & ſinguli homines originali peccato ſubduntur, ſed actualium immunes ſunt omnes qui ante vſum rationis decedunt. Et præcipuè facit, quòd priùs fuit præuiſum a Deo originale peccatum, & ex tunc emanauit decretum de redimendo humano genere per medium incarnationis & redemptionis: quare principaliter de facto incarnatio ordinata & prædefinita fuit in remedium originalis peccati.

SECTIO SEXTA.

De Cauſa meritoria Incarnationis: Et primò num Chriſtus, ſeu eius humanitas, meruerit vel mereri potuerit ſuam incarnationem per opera præcedentia.

Non per opera ordine temporis præcedentia.

ILLI Hæretici qui dixerunt, Chriſtum aliquando fuiſſe purum hominem, antequam vniretur perſonæ diuinæ, dicebant quoque Chriſtum eo tempore meruiſſe ſuam vnionem. Et Origenes qui putaſſe videtur, animam Chriſti fuiſſe ab initio mundi creatam, tribuere quoque videtur merita ipſi animæ vt aſſumeretur à Verbo. Sed ij errores ſatis in ſuperioribus refutati ſunt. Itaque, cùm iam conſtet, Chriſtum & humanitatem eius non præextitiſſe vllo tempore vel momento ante incarnationem: certum quoque relinquitur, nulla fuiſſe opera eius & merita, ordine temporis præcedentia incarnationem. Quare tantùm ſupereſt inquirendum de anteceſſione operum & meritorum ordine naturæ. Et facilè quidem conſentiunt Theologi, quòd de facto Chriſtus, ſeu eius humanitas, nullum actum habuerit ordine naturæ priorem ante hypoſtaticam vnionem, quo eam mereretur. Et ita ſtatuit S. Thomas ſupra q. 2. art. 11. Et habetur pro re certa. Aliqui tamen ſaltem de poſſibili docuerunt, potuiſſe fieri, vt humanitas Chriſti priùs natura quàm aſſumeretur à Verbo, aliquem bonum actum exerceret, quo ſuam aſſumptionem aliquo pacto mereretur. Ita ſignificabat Caietan. ſupra eadem q. 2. art. 11. Et abſolutè defendunt Becanus cap. 4. q. 6., Tannerus diſp. 1. q. 3. dub. 7., Bonacina diſp. 2. q. 12. puncto 5., & alij quidam. Ac rurſus nonnulli explicant, potuiſſe fieri vt humanitas Chriſti mereretur ſaltem exequutionem ſuæ aſſumptionis, licèt non prædefinitionem in mente Dei. Sed potiùs ſentiendum eſt, nullo modo fieri potuiſſe, vt Chriſti humanitas vllo actu antecedenti mereretur ſuam vnionem: quod vt plurimum alij ſentire aut ſupponere videntur.

Et aliud eius Dionyſij.

Nec per opera ordine naturæ præcedentia.

Et primò quidem, Chriſtum ſeu eius humanitatem nullo pacto meruiſſe incarnationem per actum vllum, naturæ ordine præcedentem, probari ſolet quibuſdam Scripturæ locis. Ioan. 1. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitauit nos oriens ex alto*. Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret pro eo*. Ad Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei*. Et alijs ſimilibus locis, in quibus hoc incarnationis opus adſcribitur miſericordiæ & charitati ac benignitati diuinæ; atque adeo excluduntur merita. His tamen videntur potiùs excludi merita aliorum hominum, quàm ipſius humanitatis Chriſti. Meliùs probatur alijs locis D. Auguſtini, lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 15., de Bono perſeu. cap. vlt., in Enchirid. cap. 36., ſerm. 8. de Verbis Apoſtoli, & alibi frequenter: vbi expreſſe docet,

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtum ſeu eius humanitatem nullis præcedentibus meritis obtinuiſſe gratiam vnionis. Et quamuis præcipuè loquatur de meritis ex viribus liberi arbitrij: tamen eius verba & rationes idem adæquatè concludunt de omnibus meritis, etiam ſcilicet ex viribus gratiæ.

Siue ex viribus liberi arbitrij.

Secundò. Facili ratione probatur, humanitatem Chriſti nec meruiſſe nec potuiſſe mereri gratiam vnionis per opera prodeuntia ex viribus liberi arbitrij. Etenim nullus poteſt hoc modo mereri diuinam gratiam ordinis ſupernaturalis, vt 1. parte de prouidentia Dei ſupernaturali, & 1. 2. de gratia ex profeſſo tractatum & oſtenſum eſt: ergo multò minùs gratia hypoſtaticæ vnionis, quę eſt ſummum donum ſupernaturale, poterat cadere ſub merita procedentia ex meris viribus liberi arbitrij.

Siue ex dono gratiæ.

Tertiò. Nec etiam ex gratia Chriſtũ meruiſſe aut potuiſſe mereri donum vnionis, ſic probat Vaſq. diſp. 11. cap. 6. Quia, aut ea gratia eſſet idem donum vnionis, aut eſſet gratia habitualis iuſtificans, aut actualis auxilians. Non poteſt dici primum: quia eo ipſo quod ipſa vnio eſſet principium operandi, non poteſt dici obtineri per talia opera: ſiquidem principium meriti non cadit ſub meritum. Si dicatur ſecundum: ſequitur, gratiam habitualem fuiſſe collatam humanitati Chriſti ante vnionem, & vt ſic habuiſſet rationem filiationis adoptiuæ, quæ tamen nullatenus Chriſto conuenit. Sed, cum gratia habitualis dici non debeat data fuiſſe Chriſto niſi ex vi hypoſtaticæ vnionis, iam nõ potuit humanitas Chriſti per ipſam gratiam mereri hypoſtaticam vnionem. Si dicatur tertium: ſimiliter probat, nullum auxilium gratiæ datum fuiſſe humanitati Chriſti niſi conſequenter ad vnionem: quia omne opus Chriſti non poterat non eſſe infiniti valoris & dignitatis, quam infinitã dignitatem participabat ab hypoſtatica vnione: cùm ergo hæc vnio fuerit principium omnis meriti in Chriſto, nõ poterat cadere ſub meritum.

Hæc tamen probatio non ſufficienter oſtendit, non potuiſſe conſtitui gratiam habitualem & actualem in anima Chriſti, antecedenter ordine naturæ ad vnionem, & in illa prioritate ponere aliquem actum meritorium. Illa enim ratio ab inconuenienti, non perſuadet, quod abſolutè non potuiſſet conferri gratia habitualis animæ Chriſti antecedenter ad vnionem, vt iam tractauimus quæſt. 4. ſect. 5. Nec alia ratio de gratia actuali probat intentũ. Vel enim Vaſq. putat, ad infinitam dignitatem operis Chriſti requiri, vt procedat ab vnione hypoſtatica tanquam à ſuo principio: & ſic diceretur non omne opus Chriſti fuiſſe infinitæ dignitatis, ſed tantùm illa opera quæ ſupponebant præuiam vnionem. Quod verò nullum opus potuiſſet præcedere vnionem, & ita carere illa infinita dignitate, hoc erat probandum, & ab ipſo non probatur. Vel ad infinitam dignitatem operis dicetur ſatis eſſe coniunctio & concomitantia cum hypoſtatica vnione, etiam ſi ab illa non procedat: & tunc non ſequitur, omne opus Chriſti debuiſſe ab vnione hypoſtatica dependere, vt defendatur eius dignitas infinita. Sed ſi aliquod opus præceſſiſſet ordine naturæ ad vnionẽ, & ſic quidem antecedens, non habuiſſet infinitam dignitatem ad merendam eandem ipſam hypoſtaticam vnionem, ſed ad hunc effectum habuiſſet ad ſũmum finitam quandam congruitatem meriti ex gratia habituali ad obtinendam vnionem: tamen concomitanter per informationem ſuperuenientis vnionis participaſſet infinitam dignitatem ad aliam vlteriorem mercedem promerendam. Sicut prorſus de actu contritionis reſpectu gratiæ iuſtificantis & reſpectũ gloriæ, 1. 2. in proprio tractatu de iuſtificatione & de merito dicebamus.

Quia nulla opera poterant præcedere incarnationem.

Quartò ergo, hæc res non alia quàm communi & conſueta ratione probanda eſt. Omnis operatio Chriſti erat ordine naturæ poſterior hypoſtatica vnione: ergo iam non poterat habere locum talis ordò, quo Chriſti humanitas per opera præcedentia mereretur ſuam vnionem. Aſſumptum verò dicitur ex eo: quia prius eſt naturam ſubſtantialem in ſe ſubſiſtere quàm opera-

ri,

Digitized by Google

ri, & ſuppoſitum præcedit ad operationem, & ſic dicuntur actiones eſſe ſuppoſitorum. Sed vnio hypoſtatica in Chriſto poſita eſt loco humanæ ſubſiſtentiæ, nullaque fuit altera ſubſiſtentia in Chriſto præter vnionem, & Chriſtus non habuit rationem ſuppoſiti niſi per vnionem ſuæ humanitatis ad Verbum: ergo nulla potuit eſſe operatio humana Chriſti prior hypoſtatica vnione. Immerito autem Vaſq. cap. 3. in diſcrimen vocauit axioma illud tàm receptum, actiones eſſe ſuppoſitorum. Quod ſanè, & apud Philoſophos eſt commune, fundatum in Ariſt. 1. Metaph. cap. 1., & apud Theologos valde frequens, ac præſertim Sancto Doctori familiare. Imo & in Concil. Florent. ſeſs. 8. poſt medium Ioannes Theologus illo vtitur tanquam communi & certo ad quandam veritatem fidei cõfirmandam. Atque in hoc ſenſu planè intelligitur, vt actiones prodeant à ſuppoſito, & antecedenter natura ſubſiſtat in ſuppoſito, priùs quam operetur. Et ita in communi tractauimus queſt. 18. Philoſ. ſect. 9. Et nunc declaratur facilè: quia omnino prius eſſe debet, rem in ſe exiſtere atque compleri & terminari per ſuum modum ſubſtantialem intrinſecum, quàm operationem aliquam exercere: completur autem ac terminatur per ſubſiſtentiam qua conſtituitur ſuppoſitum. Vnde, licet ipſa ſubſiſtentia non concurrat ad operationem tãquam proprium principium vel virtus agendi: omnino tamen prærequiritur tanquam intrinſecus terminus & complementum naturæ in ſe. Addere ſolent Thomiſtæ, humanitatem Chriſti exiſtere etiam per exiſtentiam Verbi, atq; adeo prorſus non poſſe antecedenter operari. Sed hoc nos non recipimus, vt q. 19. tractabimus: nec eſt ad præſentem cauſam neceſſarium.

Nec de potentia quidem abſoluta Dei.

Quintò. Hoc ita intelligendum eſt, vt ne de potentia quidem abſoluta Dei potuiſſet aliquod opus & meritum præcedere in humanitate Chriſti ante eius vnionem. Siquidem in vniuerſum ſupponimus, nec de potentia abſoluta fieri poſſe vt natura ſubſtantialis priùs operetur quàm ſubſiſtat, vt eo loco notauimus. Sicut enim eadem quæſtione ſect. 3 ſtatuimus, nulla potentia fieri poſſe, vt natura ſubſtantialis realiter exiſtat abſque omni ſubſiſtentia, vel propria vel aliena; ita prorſus fieri non poſſet, vt abſque præuia ſubſiſtentia operetur. Solùm fieri quidem potuiſſet, vt eadem natura priùs exiſteret ſub propria ſubſiſtentia, & tunc operaretur, ac deinde transferretur ad alteram ſubſiſtentiam. Verùm hoc ipſum fieri non potuiſſet niſi in ſpatio temporis: quia alioqui in vno eodemque inſtanti non poterat coniungi vtraque ſubſiſtentia. Dum ergo humanitas Chriſti nullo tempore antea extitit, nec vnquam habuit aliam ſubſiſtentiam præter diuinam, nullum potuit exercere actum, quo vnionem ad diuinum ſuppoſitum mereretur.

Nec q… ſolam … quutio… incarn… tionis

Sextò demum. Hoc totum ita quoque intelligendum eſt, quod humanitas Chriſti, nec prædefinitionem, nec etiam exequutionem ſuæ aſſumptionis mereri potuerit; & alioqui ſi poterat fieri vt mereretur exequutionem, potuiſſet etiam fieri vt mereretur prædefinitionem. Etenim tunc datur meritũ reſpectu diuinæ prædefinitionis, quando prius eſt præuideri à Deo meritum, quam aliud prædefiniri: ſi autem potuiſſet humanitas Chriſti operari priùs ordine naturæ quàm aſſumeretur, & ſic mereri exequutionem incarnationis; potuiſſet vlterius fieri, vt Deus ab æterno priùs ordine rationis decreuiſſet tribuere humanitati vires & auxilia ad operandum, ac præuidiſſet operationem futuram, quam determinaſſet illam aſſumere. Quamuis poſſit quoque Deus alio ordine, priùs in intentione determinare cõferre aliquod bonum, & conſequenter diſponere ac præuidere merita, vt 1. parte de diuina prouidentia & prædeſtinatione tractauimus. Sed vbi fieri non poterat, vt opus meritorium ordine naturæ præiret, tunc nec prædefinitio nec etiam exequutio doni concedendi, poteſt ſub meritum cadere.

Nõ ex merito … ma Ch… obtinui… vnione.

Obijcies primò ex Sacra Scriptura, Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Quo

Digitized by Google

Quo loco vſus eſt Origenes ad probandum lib. 2. Periarchon, animam Chriſti priùs meruiſſe vnionem, quàm vniretur ad Verbum: ibi enim ſermo eſt ad Chriſtum, & per vnctionem ſignificatur vnio hypoſtatica: ergo humanitas Chriſti prius meruerat vnionem, & ſuo merito illam conſequuta eſt. Sed alij Patres & Expoſitores communiter, alio modo hunc locum intelligunt. Et aliqui exponunt, per vnctionem non intelligi vnionem, ſed vel aliam ſanctificationem, vel nominis exaltationem. Alij verò, nomine vnctionis intelligentes vnionem, particulam *propterea* explicant, non in ſenſu cauſæ meritoriæ, ſed potiùs veluti cauſæ finalis: vt ſenſus non ſit, quia dilexiſti iuſtitiam vnxit te Deus: ſed tu quidem dilexiſti iuſtitiam, & propter hoc vt iuſtitiam diligeres vnxit te Deus. Itaque iuxta vtranque expoſitionem, nihil facit hic locus contra doctrinam traditam.

Non poterat humanitas Chriſti operari ante vnionem.

Obijcies ſecundo ex Vaſq. num. 17. contra rationem quam approbauimus. Eiuſdem eſt operari, cuius eſt produci & eſſe: ſed natura eſt quæ producitur, & priùs Chriſti humanitas producta eſt quàm vnita Verbo: ergo & eiuſdem eſt operari, nec oportebat, ſubſiſtentiã ſiue hypoſtaticam vnionem præcedere ad eius operationem. Reſpondetur, naturam vt ſubſiſtentem, ſiue ſuppoſitum conſtitutum ex natura & ſubſiſtẽtia, eſſe illud quod producitur tanquã terminus vltimus & completus, quamuis natura priùs producatur ſecundùm ſuam entitatem, quàm ſubſiſtat per ſuã vel alienam ſubſiſtentiam. Sicut materia & forma priùs sũt & producũtur, quàm vniantur & conſtituant ſuppoſitum; ſed tamen totum compoſitum eſt productum vt quod. Sic ergo eiuſdem ſuppoſiti eſt operari, & natura nõ operatur niſi priùs intelligatur ſubſiſtẽs in ſuppoſito.

Sed ante operationẽ prærequiritur aliqua ſubſiſtentia.

Obijcies tertio ex eodem. Poteſt eadem operatio perſeuerare mutata ſubſiſtentia: vtpote ſi aliqua natura transferretur ex propria ſubſiſtentia ad diuinam. Et anima rationalis, dum ſeparatur à corpore, & ita modum exiſtendi permutat, poteſt adhuc in eadem operatione permanere. Ergo ſubſiſtentia non eſt per ſe requiſita ad operandum: alioqui non poſſet cum mutatione ſubſiſtentiæ continuari eadem operatio. Sicut, quia propinquitas naturalis eſt conditio requiſita in agentibus ad operandum, ea mutata tollitur quoque operatio: vt patet in accidentibus corporis Chriſti exiſtentis in Sacramento, quæ ob mutationem præſentiæ non poſſunt naturaliter operari. Reſpondetur, neque in argumento probari, quod eadem ſingularis actio inuariata permaneret quando mutaretur ſubſiſtentia. Neque hoc admiſſo, ſequitur, ſubſiſtentiam non prærequiri ad operandum. Sed ad ſummum inferetur, non requiri hanc vel illam determinatè: cùm quo bene ſtat, aliquam abſolutè requiri. Sicut propinquitas naturalis ita eſt neceſſaria ad operandum, vt ſi varietur vna vel alia præſentia naturalis, non per hoc tollatur aut mutetur operatio, dummodo tamen aliqua interueniat. In corpore autem Chriſti tollitur prorſus præſentia & propinquitas naturalis in Sacramento, & adeſt ſolùm ſacramentalis: vnde non variatur ſolùm operatio, ſed tollitur prorſus omnis illorum accidentium operatio: quia conditio in ijs requiſita ad operandum, erat connaturalis præſentia & propinquitas. At nos non dicebamus, conditionem prærequiſitam ad operandum, eſſe propriam ſubſiſtentiam, ſed ſimpliciter eſſe aliquam, quæ æque benè ſufficit, ſi ſit aliena, ac ſi ſit propria.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Chriſtus meruerit aut mereri potuerit Incarnationem ſuam per opera ſubſequentia.

SVarez diſp. 10. ſect. 4. valde probabile cenſet, potuiſſe Chriſtum per opera ſequentia mereri incarnationem ſuam: non quidem prædefinitionem æternam incarnationis, ſed executionem in tempore. Quia inquit, potuit Deus poſtquàm prædefiniuit incarnationem, & præuidit merita Chriſti, non exequi incarnationem niſi intuitu eorundem meritorum. De facto tamen ait, non ita fuiſſe, & nequaquam hoc modo incarnationem fuiſſe in exequu-

tione

Digitized by Google

tione poſitâ ex meritis Chriſti. Conſentit Abra diſp. 1. de Incar. cap. 4. quæſt. 2.

Nō potuit Chriſtus mereri præ definitionē ſuæ incarnationis.

Aſſerendum tamen, Chriſtum per opera ſua ſequentia prorſus mereri nō potuiſſe incarnationem, neque quoad prædefinitionem æternam, & nec etiā quoad temporalem exequutionem. Ita communiter alij videntur ſupponere. Et primò quidem manifeſtum eſt, non potuiſſe mereri prædefinitionem incarnationis: quia certè non potuit Deus priùs præuidere opera & merita Chriſti, quam determinauerit conſtituere ipſum Chriſtum, & prædefinierit incarnationē qua conſtitutus eſt Chriſtus. Cùm ergo incarnatio fuerit principium operandi in Chriſto, priùs omnino prædefiniuit Deus, vt Verbum incarnaretur, & vt eſſet Chriſtus, & conſequenter præuidit Chriſtum operaturū: nullatenus ergo poterat Chriſtus per huiuſmodi opera mereri prædefinitionem ſuæ incarnationis.

Nec exequutionem

Secundò. Nec etiam potuiſſe mereri exequutionem ſuæ incarnationis, ex eodem etiam capite probatur. Quia licèt Deus ante præuiſa merita poſſit decernere conferre aliquod bonum, conferre tamen ex meritis quæ conſequenter diſponenda ſint: tamen id fieri non poteſt, ex meritis effectiuè dependentibus ab eodem beneficio quod vult conferre. Nam merita, cùm ſint media ad mercedem, & moraliter conferant ad conſequendam mercedem, reducuntur quoque ad genus cauſæ effectiuæ reſpectu mercedis: nō poſſunt ergo illa ipſa opera quæ procedunt effectiuè ab aliqua forma, habere vim & rationem meriti reſpectu eiuſdem formæ: non potuit Chriſtus per opera ſequentia ex Incarnatione mereri ipſam incarnationem.

Incarnatio in exequutione erat principium meritorum

Tertiò. Licèt ordine intentionis voluntas finis præcedat ad electionem mediorum: tamen quia finis vt ſic non intenditur niſi cum ordine ad media, ſiue vt ponatur dependenter à medijs quibus debet in exequutione obtineri; certè ordine exequutionis priùs futura ſunt media quàm finis, & in praſcientia priùs præuidentur futura merita quàm merces; vt prorſus patet in humanis operationibus. Sed ex alia parte, illud quod eſt principium effectiuū operationis, omnino præcedit in exequutione, & priùs eſſe cōcipitur quàm ipſa operatio. Ergo impoſſibile eſt, vt idem opus habens rationem meriti & medij in exequutione, reſpectu eiuſdē formæ quæ eſt eius principium effectiuum etiam in exequutione.

Et it. poter. dere merit

Quartò. Veriſſimum eſt commune illud pronunciatum, *Principium meriti non cadit ſub meritum*. Et intelligitur etiam quoad potētiam Dei abſolutam: prorſus enim impoſſibile & intelligibile apparet, illud ipſum quod eſt principium efficiens aliquam operationem, eſſe eiuſdem operationis præmium & mercedem. Cum ergo incarnatio eſſet principium operum ſequentium & meritorum Chriſti, non poterat cadere ſub idem meritum. Neque dici poteſt incarnatio ſolùm vt prædefinita fuiſſe principiū meriti in Chriſto, ideoquè exequutionem incarnationis potuiſſe cadere ſub meritum. Certè enim ipſa quoque exequutio incarnationis fuit principium meriti in Chriſto: opera enim Chriſti conſequuta ſunt ad incarnationem in re poſitam, & merita præuiſa ad incarnationem præuiſam.

Omni do pr debat rita.

Quintò. Iuxta ſententiam Suarij, qui ita diſtinguit ordinem intentionis & exequutionis, vt ſit duplex decretū in Deo, vnum intentionis & alterum exequutionis; hinc ad hoc vt aliqua operatio dicatur mereri exequutionē debet futura præuideri ante decretum exequutionis, prout ipſe docuit de electione ad gloriam in materia de prædeſtinatione. Sed certe, non priùs potuit præuidere futura merita Chriſti, quam voluerit exequi ipſam incarnationem, cùm incarnatio vt ſic ſit principium meritorum: ergo non potuit Chriſtus per opera ſua mereri incarnationis exequutionem. Et rurſus hoc loco diſp. cit. ſect. 3. & 4. fatetur Suarez, merita debere præcedere ad præmium, vel in tempore ordine durationis, vel in præſcientia ordine rationis: ſed opera Chriſti, nec ordine temporis, nec ordine rationis in præſcientia Dei, potuerunt præire ad incarnationem, cùm omni modo dependeant ab ipſa incarnatione; ergo nullo modo

Digitized by Google

modo poterant incarnationem mereri. Neq; ſanè ſatis eſſet dicere, quòd præſcientia meritorum Chriſti ſub conditione, anteceſſerit ad prædeſinitionem incarnationis: ſatis enim conſtans & exploratum eſt, merita ſub conditione tantùm præuiſa non poſſe conferre quicquam ad impetrandum & obtinẽdum aliquid à Deo, vt in vniuerſum de diuina prouidentia & prædeſtinatione 1. par. cum D. Auguſt. probauimus.

Sic prima gratia & creatio nõ poteſt cadere ſub meritum.

Sextò. Idem commonſtratur exemplis. Impoſſibile eſt, primam gratiam quæ eſt principium noſtri meriti, eſſe mercedem reſpectu eiuſdem meriti. Impoſſibile eſt creationem & entitatẽ ipſam & exiſtentiam creaturæ rationalis eſſe mercedem operum futurorum. Ex oppoſita autem ſententia planè ſequitur, & primam gratiam, & exiſtentiam ipſam naturalem; poſſe quoad exequutionem cadere ſub meritum operum ſequentium. De qua re circa gratiam plura diximus ſuo loco 1. 2. q. 114. ſect.5., quæ ad præſentem etiam cauſam deſeruiunt.

Septimò demum. Opera Chriſti Domini ſequentia ad incarnationem, poterant quidem habere rationem compenſationis, ſiue gratiarum actionis, pro beneficio incarnationis accepto: at longè diuerſa eſt, imò oppoſita, ratio compenſationis & ratio meriti: ergo non potuerunt habere ſimul meriti rationem. Et præterea opera Chriſti per gratiam habitualem non habebant valorem condignum & æqualem ad hypoſtaticam vnionem: per ipſam verò vnionem multò minus dici poſſent accepiſſe valorem & dignitatem ad obtinendam ac merendam eandem ipſam vnionem; ita vt ſimul vnio eſſet forma dans valorem, & eſſet præmium ac merces ſuimet valoris.

Chriſtus mereri potuit celebritatem ſuæ incarnationis.

Obijcies primò ex Sacra Scriptura. Apocal. 5. expreſsè dicitur, *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. Vbi planè ſignificari videtur, Chriſtum per paſſionem & mortẽ ſuam meruiſſe huiuſmodi dona, & inter alia diuinitatem, ideſt vt eſſet Deus, vtique per hypoſtaticam vnionem humanæ naturæ ad perſonam Verbi. Sed communis & vera expoſitio eſt, Chriſtum per paſſionem & mortem ſuam meruiſſe, vt agnoſceretur, honoraretur, & adoraretur verus Deus. Et ita quidem verè Chriſtus meruit celebritatem ſuę diuinitatis, celebritatem incarnationis. Quod totum ſpectat ad illam externam gloriam, quę à Theologis vocatur exaltatio nominis. Et quãuis in verbis allegatis videantur hęc diſtinctè recenſeri: tamen reuera priora verba explicantur per poſteriora: quaſi diceretur, dignus eſt agnus accipere diuinitatem, ideſt honorem & gloriam & laudem ſuę diuinitatis, quam iam antecedenter habebat.

Obijcies ſecundò ex Suarez ſect. 4. Sicut gratia antiquorum Patrum, data illis fuit ob merita Chriſti præuiſa, priùs tempore quàm Chriſtus mereretur: ita pariter incarnatio fieri poterat propter merita Chriſti, poſteriora quidem ordine temporis, præuiſa tamen ab æterno. Neque refert, quòd principium meriti non poteſt cadere ſub meritum: quia inquit, incarnatio tantùm vt pręuiſa erat principium meriti ſimiliter vt pręuiſi; poterat ergo adhuc incarnatio vt realiter exhibita cadere ſub merita præuiſa. Sed reſpondetur, longè diuerſam eſſe rationem de incarnatione, ac de gratia antiquorum Patrum: quia hæc gratia non erat principium, ſed erat ſimpliciter effectus moralis meritorum Chriſti; at incarnatio erat ſimpliciter cauſa & principium meritorũ. Itaque non negamus, poſſe præmium ordine temporis antecedere ad meritum, & ſatis eſſe meritum præuiſum ad conferendum præmium. Sed omnino negamus, illud quòd eſt principium meriti poſſe cadere ſub ipſum meritũ, etiam vt præuiſum. Quare exhibitio ipſa & exequutio incarnationis non poterat eſſe effectus meriti pręuiſi, cùm realiter & ita etiam in mente ac pręſcientia Dei eſſet origo & principium totius meriti.

Et gratiam antiquorũ Patrum.

Sed non ipſam ſuã incarnationem.

Obijcies tertiò ex eodem. Non implicabat, Deum ita conferre humanitati gratiam vnionis, vt non conferret merè abſolutè, ſed quaſi ſub conditione futu-

futurorum meritorum, & ita in prēmiū eorundem. Vtpote ſi Rex tribuat militi equum & arma in ſtipendium futuri laboris, & quaſi in præmium operum eodem equo & armis faciendorum: ſic ergo potuiſſet gratia vnionis conferri humanitati Chriſti, vt præmium futurorum operum & meritorum. Reſpondetur, nullatenus potuiſſe incarnationem primò concedi in præmium meritorum. Certè enim conditio hanc vim habet, vt ſi merita erunt, præmium non detur: cùm ergo incarnatio primo eſſet ante omne meritum, & eſſet principium meriti; non poterat tali pacto ſubijci conditioni meritorum. Ad ſummum continuatio vnionis hypoſtaticæ ſequens poſt aliquod meritū; potuiſſet tali modo cadere ſub conditionem præcedentis meriti. Sicut & in exemplo allato, quod pleroſque in hac re ſine cauſa fatigat: prima donatio equi cum armis non poteſt intelligi ſub conditione laboris & boni vſus ſequentis: nam etſi poſtea ignauus miles nil fortiter agat, fieri non poteſt vt hactenus non habuerit equum & arma. Sed conditio referri poterit ſolùm ad retentionem talium donorum in futurum. Et labor militis poterit eſſe potiùs recompenſatio reſpectu primæ donationis, non autem meritum. Ita iam notauimus eo loco de gratia. Ac inſuper in caſu noſtro accedit, quod dona collata militi, ſunt principium operis & laboris ſolùm in genere cauſæ effectiuæ, ſed non ſe habent tanquam forma dans dignitatem & valorem at gratia vnionis ſe habebat etiam vt forma, reddens formaliter opera Chriſti tàm digna ac tanti valoris: vnde multò minùs poterat illa dignificare in ordine ad ſe ipſam, idèſt reddere illa digna & meritoria vt Deus concederet ipſam præuiam hypoſtaticam vnionem. Sed de continuatione eius mox dicemus ſect. ſequenti.

Et gratiam antiquorum Patrum.

Sed non ipſam ſed incarnationem.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum Chriſtus mereri potuerit ac de facto meruerit circunſtantias ſuæ Incarnationis.

IN primis occurrunt aliqua, quæ ipſammet incarnationem ſeu hypoſtaticam vnionem cum aliqua additione important, vtpote continuatio in poſterum & vſque in æternum, extenſio ad nouas partes materiæ quæ corpori Chriſti per mutationem & accretionem aggregabantur, ac reparatio demum reſpectu totius humanitatis reuiuiſcentis in reſurrectione. Hæc inquam, ratione additionis quam vltra incarnationem ſimpliciter dictam important, poſſunt inter circunſtantias computari. Suarez diſp. 10. ſect. 4. probabilius putat, Chriſtum hæc omnia meruiſſe, & verè ex ſuo merito habuiſſe. Vaſq. diſp. 78. cap. 3. negat, Chriſtum meruiſſe continuationem, de qua ibi loquitur.

In hac re planè non obuiat illa difficultas, nec procedit illa ratio, qua præcipuè probatum eſt, Chriſtum non meruiſſe & non potuiſſe mereri ſuam incarnationem, quia principium meriti non cadit ſub meritum. Hæc enim poſſunt optimè conſiderari poſt aliqua merita Chriſti, non ſolum ordine naturæ, ſed etiam temporis. Nam Chriſtus in primo inſtanti incepit mereri, ac deinceps vnio hypoſtatica continuata eſt, & per nouas partes corporis extenſa, ac in reſurrectione reſpectu totius humanitatis reparata. Benè ergo poterat præmium Chriſti meritum ad hæc referri, poterant hæc cadere ſub præcedens meritum, & concedi intuitu meritorum. Idquè non ſolùm quoad exequutionem, ſed etiam quoad prædefinitionem æternam. Intelligi enim poteſt, Deum priùs præuidiſſe in mente ſua meritum Chriſti in primo inſtanti, & tunc decernere continuationem vnionis & alia.

Poterat Chriſtus mereri continuationem extenſionem & reparationem vnionis.

Ob aliam tamen rationem de facto non videtur continuatio & extenſio dicta vnionis prædefinita aut facta fuiſſe

Sed de facto non meruit.

Digitized by Google

ſuiſſe ex meritis Christi. Quia nimirum, hæc per ſe & ex ipſius rei natura intrinſecè comitantur hypoſtaticam vnionem, & in prima eius prædefinitione & conceſſione antecedenter includuntur. Data enim ex primo ſigno fuit humanitati Chriſti gratia vnionis, vt deinceps & in perpetuum duratura, quandiù ipſa humanitas vel eius partes exiſterent, quia ex natura ſua eſt perpetua; nec vlla cauſa vel accidente poterat diſſolui, durantibus ipſis extremis capacibus huius vnionis. Similiter data fuit, vt deberet coextendi corpori ſecundùm omnes partes quæ deinceps adderentur ad integritatem & incrementum eius, ad inſtar vnionis naturalis inter animam & corpus. Sicut ergo hac ratione negant Theologi, Chriſtum de facto meruiſſe gloriam animæ ſuæ, eo quòd proximè conſequeretur ad ipſam hypoſtaticam vnionem; quamuis alioqui fieri potuiſſet vt illam ſuo merito conſequeretur: ita à fortiori de continuatione & extenſione vnionis ſentiendum eſt: quia planè multò magis intrinſecè ſpectant ad idē donum hypoſtaticæ vnionis. Quare, licèt reuera poſſit intelligi idem donū dari & deberi Chriſto, tum titulo vnionis, tum etiam titulo meritorum, ſicut de gloria corporis conceditur: tamen non eſt de facto reſpectu aliorum quæ diximus admittendum.

Niſi reparationem. Quoad reparationem verò vnionis in reſurrectione: ſicut Chriſtus verè meruit ſuoquè merito conſequutus eſt reſurrectionem, vt nunc ſupponimus ex dicendis de merito Chriſti, & de ipſa reſurrectione, quæ ſanè ſpectat ad eandem gloriam corporis: ita dici poteſt & debet meruiſſe eam vnionis reparationem. Quæ reparatio realiter aliud non eſt, quàm renouatio ipſius naturalis vnionis inter animam & corpus Chriſti. Etenim corpus & anima Chriſti, ſeparata quidem fuerunt inter ſe in morte Chriſti, non tamen à perſona Verbi: atque adeo non aliter diſſoluta fuit vnio totius humanitatis cū Verbo, quàm penes diſſolutionem vnionis naturalis inter animam & corpus Chriſti, qua vnione conſtituebatur humanitas in ratione naturæ totalis: ſed ſemper permanſit vnio vtriuſque partis per ſe cum perſona Verbi. Non alia ergo ſupererat reparatio vnionis inter humanitatem & Verbum, niſi per redintegrationem vnionis naturalis inter corpus & animam Chriſti, qua redintegratione reparabatur humanitas, quæ eo ipſo inueniebatur vnita Verbo, ſicut antea erat. Dum ergo Chriſtus meruit ſuam reſurrectionem, atque adeo redintegrationem vnionis inter ſuas partes, animam & corpus, eo ipſo dici debet meruiſſe quoque talem reparationem vnionis ſuæ humanitatis cum Verbo.

Meruit alias circumſtantias. Deinde occurrunt alia quæ magis propriè ſub nomine circunſtantiarum veniunt, & vel antecedenter vel conſequēter ad incarnationem ſe habent: vtpotè quòd Verbum aſſumpſerit carnem ex ſtirpe regia, ex muliere virgine, & tàm ſanctâ, præuia annunciatione angelica, & ſimilia. Item, quòd Angelus apparuerit Ioſepho ad manifeſtandam incarnationem factam, & Angelus etiam nunciauerit paſtoribus Chriſti natiuitatem, Paſtores & Magi accurrerint ad Chriſtum adorandum, & ſimilia. De his omnibus affirmandum eſt, Chriſtum verè meruiſſe de condigno circunſtantias ſuæ Incarnationis. Hoc aſſeritur communiter à Theologis. Et quidem aderat valor condignus & ſuperexcedens in operibus Chriſti ad hæc & multò plus promerenda. Et non obuiat illa difficultas, quòd principium meriti nō cadat ſub meritum: hę enim circunſtantiæ non erant per ſe prærequiſitæ ad opera & merita Chriſti; ſed intelligitur optimè, has circunſtantias fuiſſe diſpoſitas ex meritis ipſius Chriſti. Nec etiam eſt maior difficultas de circunſtantijs antecedentibus, quàm de conſequentibus incarnationem: quia ordo temporis ad hanc rem non officit: ſicut ſanè non minùs gratia antiquorum Patrum, quàm poſteriorū hominum, data omnibus fuit ex meritis Chriſti. Et rurſus, ſi dictæ circunſtantiæ conſiderentur vt beneficia aliorum, videlicet eorum ex quibus Chriſtus progenitus eſt, & eorum quibus Chriſti aduentus manifeſtatus fuit: ſic certè quemadmodum alia hominū bene-

beneficia, ita & hæc Chriſti meritis adſcribenda ſunt. Si verò conſiderentur vt beneficia eiuſdem Chriſti, quatenus nempe cõducebant ad externam quandam eius celebritatem: ſic etiam ſpectabant ad gloriam & exaltationem nominis, quàm communiter Theologi affirmant cadere ſub meritum Chriſti, vt de ipſo merito videbimus. Ac fieri demum potuit, vt Chriſtus mereretur tam prædefinitionem, quàm executionem harum circumſtantiarum: ſi nempe Deus primò decreuit Verbum incarnari, & Chriſtum mereri; ac tum præuiſis Chriſti meritis, eorum intuitu determinauerint, vt caro Chriſti ſumeretur ex ſtirpe regia, ex virgine tam ſancta, & ſit de alijs circumſtantijs. An verò de facto, non ſolùm executio ſed etiam prædefinitio harum circumſtantiarum facta fuerit ex meritis Chriſti, communem habet rationem cum alijs quæ cadebant ſub meritum Chriſti, de quibus propria quæſt. 19. dicemus.

Meruit & has circumſtantias.

SECTIO NONA.

Vtrum Antiqui Patres meruerint, vel mereri potuerint Incarnationem.

Non meruerunt de condigno.

IN primis certum & apud Theologos communiter in confeſſo eſt, non meruiſſe de condigno. Colligitur ex illis auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & D. Auguſt. quas allegauimus ſect. 6. Probatur etiam manifeſta ratione ex D. Tho. ibi q. 2. art. 11. Quia opera meritoria iuſtorum habent valorem condignum ád beatitudinem, & per eam adæquantur: ſed vnio hypoſtatica eſt prorſus ſupra ordinem beatitudinis: ergo antiqui Patres & iuſti non meruerunt incarnationem merito condigno.

Non potuerunt ſic mereri.

Secundo. Aliqui Theologi affirmant, potuiſſe ſaltem fieri de potentia abſoluta Dei, vt antiqui Patres mererentur incarnationem de condigno: ſi ſcilicet Deus acceptare voluiſſet merita Patrum ad hunc finem, & promiſiſſet incarnationem pro mercede talium meritorum. Et præſertim Medina quæſt. 2. art. 11. concedebat, potuiſſe meritum antiquorum iuſtorum eſſe condignum ad incarnationem, licèt non omnino perfectum. Verùm ſupponendum eſt nunc, quod ſtatuimus 1. 2. q. vltima, ad rationem meriti de condigno ſatis non eſſe quamcumque acceptationem vel promiſſionem Dei extrinſecam, ſed neceſſarium omnino eſſe in opere meritorio æqualitatem valoris cum mercede: qui valor non deſumitur ex acceptatione Dei, ſed ex conditione operis & operantis. Cùm ergo in operibus iuſtorum non ſit intrinſecè valor æqualis ad vnionem hypoſtaticam, ſpectata tota bonitate operum, & dignitate gratiæ habitualis in operante; ſequitur, ſimpliciter non potuiſſe fieri, vt antiqui Patres & iuſti mererentur de condigno incarnationem. Sed quæcunque acceptatio & promiſſio Dei facere non poterat, vt opera iuſtorum eſſent æqualis valoris ad hypoſtaticam vnionem, quia non dabat per ſe valorem & dignitatem; & ad ſummum facere poterat, vt abſque æqualitate valoris, atque adeo abſque condignitate meriti, Deus concederet humano generi beneficium incarnationis, ex merito tantùm de condigno, de quo mox dicemus.

Tertiò. Quoad meritum de congruo, cùm certum ſit hoc meritum dependere ex diuina gratia, admittendum eſt, potuiſſe Deum dare gratiam quibuſdam hominibus ex ſola ſua liberalitate, & non ex meritis Chriſti: & ſic potuiſſe fieri, vt per opera facta ex huiuſmodi gratia tales homines mererentur aliquo modo de congruo beneficiũ incarnationis. Etenim in operibus iuſtorum non deeſt aliqua proportio, quã, ſi Deus ea ordinare & acceptare vellet ad hunc effectum, haberent congruitatem quandam ad impetrandum hoc ſublime incarnationis beneficium. Cùmque illa gratia & opera non dependerent ex meritis Chriſti, & ex incarnatione, nulla remanet difficultas, cur non potuiſſet hoc modo dari meritum de congruo ad incarnationem. Quod rurſus duplicimodo fieri potuiſſet. Vel ita, vt Deus ex ſe decreuiſſet incarnari, mediante tamen aliqua diſpoſi-

Potuiſſent mereri de congruo, non acce[...] piſſent gr[...] tiam ex Chriſto.

ſpoſitione & præparatione ex parte hominum per eorum preces & bonas operationes ex ſua gratia mere gratis conferenda faciendas; & ſic homines de congruo meruiſſent tantum exequutionem, non verò prædefinitionem incarnationis. Vel ita vt Deus prius decreuiſſet dare hominibus gratiam, eorumque orationes ac bona opera præuidiſſet, & hoc intuitu ac motiuo determinaſſet incarnari: & hoc pacto non tantum exequutionem, ſed etiam prædefinitionem incarnationis, homines meruiſſent.

Non poterant mereri per gratiam Chriſti.

Quartò tamen, ſuppenendo, omnem gratiam datam hominibus poſt lapſum Adami, fuiſſe datam ex meritis Chriſti, vt q. 19. ſtatuemus, grauis difficultas eſt, an adhuc antiqui Patres, per orationes & bonas operationes factas ex gratia Chriſti, meruerint vel mereri potuerint incarnationis beneficium. Valentia quæſt. 1. puncto 8. concedit, antiquos Patres de facto meruiſſe incarnationem, tum quoad exequutionem, tum etiam quoad prædefinitionem. Suarez diſp. 10. ſect. 6. & Raguſa diſp. 44. affirmant meruiſſe incarnationem, negant potuiſſe mereri prædefinitionem incarnationis. Aliqui verò Thomiſtæ & Bonacina diſp. 2. quæſt. 12. puncto 9. abſolutè dicunt, antiquos Patres meruiſſe incarnationem, non diſtinguentes prædefinitionem & exequutionem. Fauet S. Thomas eo art. 11. qui cùm probaſſet, homines non potuiſſe mereri de condigno incarnationem, affirmat in fine corporis, Sanctos Patres eam de congruo meruiſſe, deſiderando, & petendo.

Dicendum tamen eſt, antiquos Patres, nec meruiſſe, nec mereri potuiſſe incarnationem, ſiue quoad prædefinitionem, ſiue quoad exequutionem: loquendo inquam de ſubſtantia ipſius myſterij, quia alioqui de circumſtantijs loquemur ſect. ſequenti. Hæc eſt communior ſententia, vt atteſtatur Vaſq. diſp. 22. cap. 4. Et videtur magis ad mentem D. Thomæ, qui in ſecunda & tertia ratione quã affert in corp. articuli, plane excludit non ſolùm meritum de condigno, ſed etiam de congruo. Et in ſolut. ad 3. ait, B. Virginem non meruiſſe Deum incarnari; ſed tantum meruiſſe illum puritatem & ſanctitatis gradum, quò congrue diſponeretur vt eſſet mater Dei: quæ ſane erat circunſtantia quædam incarnationis. Quare eodem modo accipiendum eſt, quod dicebat S. Doctor de antiquis Patribus, meruiſſe ſcilicet de congruo incarnationem tantum quoad circunſtantias.

Et probari poteſt hæc aſſertio ijſdem auctoritatibus quas antea commemorauimus, quibus omne meritum excludi videbatur, in ordine ſcilicet ad incarnationem ipſam ſecundum ſubſtantiam. Ratione quoque à poſteriori probatur: quia alioqui ſequeretur, puros homines meruiſſe aliquid maius quàm ipſe Chriſtus meruerit; ſi nempe illi meruerint incarnationem, quam tamen Chriſtus non meruit, & ea quæ Chriſtus meruit in genere gratiæ & gloriæ, non pertingunt ad dignitatem hypoſtaticæ vnionis. Rurſus ſequeretur, ipſos homines meruiſſe reparationem generis humani, meruiſſe omnem gratiam datam hominibus, immo, & prædeſtinationem electorum, ſaltem inquam remotè & in radice, quia hæc omnia ex incarnatione proueniunt. Vnde tandem ſequeretur, antiquos Patres meruiſſe etiam ſuimet prædeſtinationem & gratiam: ſiquidem hæc beneficia collata ijs fuerunt ex meritis Chriſti, ex virtute incarnationis. Sequeretur etiam ex alia parte, Chriſtum ipſum per mortem ſuam meruiſſe incarnationem: ſiquidem per mortem meruit gratiam antiquorum iuſtorum, qui per eandem gratiam dicuntur meruiſſe incarnationem. Quæ omnia ſunt inconuenientia & abſurda.

Quia ſic incarnatio erat principium totius gratiæ & meriti.

Præcipuè vero & à priori, ea fundamentali ratione probatur aſſertio, quam ſecundo loco affert S. Tho. in articulo. Principium meriti eſt ante omne meritum, & non cadit ſub ipſum meritum, non dependet à merito procedente ex eodem principio; ſed incarnatio eſt principium omnis gratiæ & totius meriti omnium hominum, tam antecedentium quàm ſubſequentium, vt ſupponimus: ergo antiqui Patres non potuerunt per talem gratiam & opera ex

illa

Digitized by Google

illa profecta mereri eandem ipſam incarnationem. Et friuola prorſus ſunt ea quæ aliqui ad hanc rationem reſpondere tentarunt. Vel dicentes, antiquos Patres meruiſſe incarnationem per quędam opera non profecta ex gratia Chriſti. Vel profecta quidem realiter ex ipſa gratia, non tamen prout procedebant ex gratia, ſed prout ſimul procedebant ex libero arbitrio, ſeu prout erant bona moraliter, vt ſignificat Valentia. Vel prout profecta quoque ex gratia, non tamen prout talis gratia erat data per Chriſtum, ſed ſimpliciter prout erat gratia Dei. Hæc inquam vana & falſa ſunt. Nam non debet admitti de facto vllum meritum in hominibus niſi ex gratia Chriſti. Nec vllū opus habet valorem apud Deum in ordine ad retributionem ſupernaturalem, niſi prout procedit ex gratia eiuſdem ordinis, & non ſolùm ſit moraliter bonum, ſed etiam ſit ordinis ſupernaturalis. Nec de facto aliter eſt ex gratia Dei, niſi prout eſt ex gratia Chriſti: dum non niſi per Chriſtum Deus de facto largitur gratiam. Et dum opera hominum realiter ſunt ex gratia Chriſti, iam ſupponunt Chriſtum & incarnationem tanquam principium ipſius gratiæ: nullo ergo modo poteſt eadem incarnatio ab iiſdem operibus tanquam ex meritis dependere.

Et nec quoad ſolam exequutionē poterant mereri.

Ideo Suarez reſpondet per diſtinctionem illam prædefinitionis & exequutionis dicens: incarnationem quidem vt prædefinitam & præuiſam, fuiſſe principium meriti antiquorum Patrum etiam vt præuiſi; & hoc meritum præuiſum valuiſſe, non quidem ad prædefinitionem, ſed tantùm ad exequutionem & exhibitionem incarnationis in tēpore. Sed hæc reſponſio à fortiori reiecta manet ex dictis ſect. 7. Si enim opera ipſius Chriſti, procedentia ex virtute incarnationis, non poterant eſſe meritoria eiuſdē incarnationis quoad exequutionem: multò minùs opera aliorum hominum procedentia ex gratia dependente ex operibus Chriſti factis ex virtute incarnationis, poterant eſſe meritoria ipſius incarnationis, nec inquam quoad exequutionem.

Nec meri-

Aliter Raguſa reſpondet, rationem illam valere ſolùm ad excludendum meritum de condigno, non autem de congruo: & pronunciatum illud, Principium meriti non cadit ſub meritum, intelligi tantum de merito condigno, non autem de congruo. Quia inquit, ob meritum quidem de condigno redditur præmium ex iuſtitia & debito, ob meritum verò de congruo redditur cōpenſatio ex liberalitate Dei & proportione quadam ſubiecti. At in genere cauſæ phyſicæ, non poteſt quidem aliqua forma eſſe propriè principium effectiuum ſuæ cauſæ, ſed bene poteſt eſſe diſpoſitio & præparatio quædam: & ſic qualitates quæ diſponunt ad formam ſubſtantialem, ab eadem effectiue dimanant. Pariter ergo in genere cauſæ moralis, non poteſt quidem aliqua operatio eſſe meritoria de condigno ſui principij effectiui, ſed benè poterit eſſe de congruo tanquam præparatio ac diſpoſitio quædam: & ſic in omni iuſtificatione ſolet concedi, actū contritionis diſponentem ad gratiam habitualem, ab eadem gratia effectiuè procedere.

to ſolum de congru

Sed nullatenus hæc reſponſio vim illius rationis euadit. Etenim ideo principium meriti non poteſt cadere ſub meritum: quia principium meriti debet ſupponi & præire ad meritum: illud verò quod cadit ſub meritum, debet conſequi ad ipſum meritum. Quod ſanè pariter procedit, ſiue meritum ſit condignum, ſiue tantùm ſit congruum. Neque vis illius pronunciati ſiſtit in eo, quod præmium detur propter meritum ex iuſtitia & debito, ſed præciſè in eo quòd datur propter meritum, & ideo non poteſt eſſe ſimul principium meriti; neque ad hanc rem quicquam facit relatio iuſtitiæ & debiti, ſed facit relatio ordinis & dependentiæ, quæ in vtroque genere meriti pariter intercedit. Et in cauſis etiam phyſicis, nulla forma poteſt eſſe nec etiam diſpoſitio reſpectu alterius formæ à qua ipſa procedit; ſed qualitates quæ diſponunt ad formam ſubſtantialem, nequaquam procedunt ab ipſa forma ad quam diſponunt, ſed ab alio agente præexiſtente, ac diſponente ſubiectum ad inducendam formam, vt ex vera Philoſophia

phia ſupponimus. Atque in iuſtificatione, actus contritionis non efficitur ab ipſa gratia habituali ad quam diſponit, ſed à præuia gratia auxiliante quam ſupponit, vt ſuo loco 1.2. q.112. ſect. 6. tractauimus, quamuis aliqui oppoſitum concedant. Itaque nullatenus fieri poterat, vt antiqui Patres per gratiam acceptam ex meritis Chriſti mererentur incarnationem qua conſtitutus eſt Chriſtus.

Potuiſſet fieri vt mererētur determinationem humanæ naturæ.

Quintò tandem. Alia via ſuſtineri poteſt, antiquos Patres mereri potuiſſe ex parte beneficium hypoſtaticæ vnionis humano generi, non tantùm quoad exequutionem, ſed etiam quoad præfinitionem: nempe iuxta illum modum quo nos ordinauimus incarnationem cum redemptione, diſtinguendo in incarnatione aſſumptionem naturæ rationalis, & determinationem naturæ humanæ: ſic inquam fieri poterat, vt Deus poſt primum decretum aſſumendi rationalem naturam, conſequenter decerneret ex meritis eius naturæ rationalis aſſumēdæ dare certam gratiam hominibus, ac præuideret talia merita, & ex ijs tandem determinaret, quod natura aſſumenda eſſet humana. Hoc enim modo principium talis gratiæ & talium meritorum in ijs hominibus fuiſſet tantùm aſſumptio rationalis naturæ abſolutè, merces verò fuiſſet determinatio talis naturæ: quare principium meriti non cadebat ſub meritum, ſed ſe habebat prorſus antecedenter & independenter; & illud quod cadebat ſub meritum, non erat principium eius meriti, ſed ſe habebat prorſus conſequenter & dependenter. Hoc inquam de poſſibili. Non tamen de facto eſt id aſſerendum. Sed pro certo tenendum eſt, omnem gratiam poſt lapſum Adami datam fuiſſe hominibus ex meritis Chriſti humanis, quatenus Chriſtus erat homo, imò ex meritis paſſionis Chriſti in carne humana paſſibili, & quatenus Chriſtus erat talis ſingularis homo. Itaque non ſolùm determinatio humanæ naturæ in ſpecie, ſed etiam talis naturæ ſingularis in indiuiduo, eiuſque meritum, præceſſit in ordine diſpoſitionis diuinæ ante aliorum hominum merita & gratiam illis conferendam: fuit vniuerſale principium omnium huiuſmodi beneficiorum in ipſo humano genere.

Qualiter antiqui Patres poſtulabant incarnationis beneficium.

Obijcies primò. Antiqui Patres ſuis orationibus poſtulabant Deum incarnari, Chriſtum mitti, & non ſolùm petebant accelerationem huius myſterij, quæ erat circunſtantia quædam; ſed ſimpliciter exequutionem & ſubſtantiā ipſam. Vt patet Pſal. 84. *Salutare tuum da nobis.* Iſaiæ 45. *Rorate cæli deſuper & nubes pluant iuſtum.* Et alibi ſimilia habentur. Ergo verè impetrarunt ac ita de congruo meruerunt hoc incarnationis beneficium. Sed reſpondetur, quòd etiam ſi antiqui Patres peterent ſimpliciter ipſum incarnationis beneficium: tamen ad ſummum impetrare poterant eius accelerationem aut alias circunſtantias: quia alioqui iam ſupponebatur incarnatio ſimpliciter facienda, independenter ab eorum precibus, & tanquam principium ex quo illis conferebatur gratia ad petendum, & ad omnem alium actum ſalutarem. Sed etiam eo ipſo modo petendi & loquendi, ijdem Patres in mente ſua intendebant poſtulare accelerationem tanti myſterij & beneficij: ſicut & quando dicebant *Veni Domine & noli tardare*: ſic enim etiam intendebant, da nobis citò ſalutare tuum, & ſimiliter in alijs locis. Alioqui enim certiſſima fide ſciebant, Chriſtum ſimpliciter aliquando venturum, & ſciebant eſſe auctorem omnis gratiæ, & ex eius meritis tunc ipſis dari gratiam illam ad rogandum Deum. Quare perinde fuiſſet tunc petere ſimpliciter vt Chriſtus veniret, ac ſi nunc quis peteret, vt Chriſtus denuò in fine mundi veniat ad iudicandum, aut vt mortui reſurgant; aut aliud ſimile, quod iam ſcimus faciendum eſſe independenter à noſtris meritis & precibus. Benè tamen poterat fieri acceleratio aliaue circunſtantia incarnationis ex impetratione iuſtorum, & ita poterat cadere ſub eorum orationem & meritum.

Quā vim habebant illæ orationes.

Obijces ſecundò ex Suarez ſect. 6. cit. concl. 3. Gratia Patrum, eorumque orationes & opera, habebant valorem aliquem & proportionem ad obtinendam incarnationem: nec erant mino-

ris

ris valoris & efficaciæ ex eo quod dependerent ex meritis Chriſti: ergo verè valebant ad promerendam ſuo modo incarnationem. Reſpondetur, non defuiſſe quidem valorem & proportionem, ſaltem pro merito de congruo, neque fuiſſe minoris valoris & efficaciæ ex eo quod dependebant ex meritis Chriſti: ſed ijs defuiſſe anteceſſionem & prioritatem requiſitam ad hoc vt poſſent eſſe incarnationis cauſa moralis & meritoria; & ex eo quod eorum principium erat incarnatio ipſa; non poterant illam ſub ſe trahere.

Et qualiter ſe diſpoſuerunt ad aduentum Chriſti.

Obijcies tertio ex eodem. Poteſt benè fieri, vt aliquod donum prædeſtinatum a Deo abſque meritis, detur in exequutione propter merita: ergo quamuis Deus prædeſtinauerit incarnationem non præuiſis meritis Patrum, fieri poterat, vt exequeretur propter merita. Et ita factum eſt, vt Sancti Patres ſeſe diſpoſuerint ad percipiendum incarnationis beneficium, & orando impetrarunt, ac præſertim B. Virgo inſigni ſanctitate diſpoſita fuit ad concipiendum in ſuo vtero Chriſtum: ergo verè fieri poterat, vt mererentur de congruo aduentum Chriſti. Reſpondetur, poſſe quidem fieri, vt donum prædeſtinatum abſque meritis, detur propter merita: non tamen propter merita emanantia ex eodem dono tanquam ſuo principio: ſicut incarnatio erat principium omnium meritorum. Ac de facto nulli homines, nec ipſa B. Virgo ſe diſpoſuerunt, aut orando impetrarunt, vt Chriſtus ſimpliciter veniret: ſed ad ſummum, ſupponendo quod erat venturus, vt ex eorum ſtirpe ac ſanguine naſceretur. Quod quidem ſpectat ad circunſtantias, de quibus mox proſequemur.

SECTIO DECIMA.

Vtrum Antiqui Patres mereri potuerint ac de facto meruerint circunſtantias Incarnationis.

Quæ ſint hæ circunſtantiæ.

PER has circunſtantias præcipuè intelligitur, circunſtantia temporis ſiue acceleratio incarnationis, ne diutiùs hoc beneficium differretur; & circunſtantia perſonarum, hoc eſt vt ex talibus progenitoribus, videlicet Abrahamo, Dauide, Chriſtus deſcenderet. Et quidem communiter Theologi concedunt, antiquos Patres, non ſolùm potuiſſe mereri, ſed & de facto meruiſſe has circunſtantias, ſaltem de congruo. Niſi quod Lorca diſp. 22. & Lugus diſp. 8. ſect. 4. dubitans de circunſtantia temporis. Suarez verò diſp. 10. ſect. 6. ait, Sanctos Patres non potuiſſe mereri iuxta potētiam Dei ordinariam prædefinitionem harum circunſtantiarum, de facto tamen meruiſſe exequutionem. Contra quod Vaſq. diſp. 23. contendit, non aliter potuiſſe mereri exequutionem, quàm merendo prædefinitionem talium circunſtantiarum.

Patres potuerunt illas mereri, ac de facto meruerunt.

Dicendum ergo primò eſt, antiquos Patres per gratiam acceptam ex meritis Chriſti, non ſolùm potuiſſe mereri, ſed & de facto impetraſſe ac meruiſſe tales circunſtantias. Colligitur ex orationibus Sanctorum & promiſſionibus Dei, quæ de hac re in Sacra Scriptura habentur. Patet enim, veteres Sanctos poſtulaſſe à Deo accelerationem huius beneficij. Pſal. 78. *Cito anticipent nos miſericordia tua.* Et Pſal. 39. *Deus meus ne tardaueris.* Et ſic in alijs locis. Quæ orationes erant aptæ impetrare a Deo quod poſtulabatur. Et intuitu harum orationum videtur Deus promiſiſſe talem accelerationem. Iſaiæ 59. *Cito veniet ſalus tua.* Habacuc 2. *Veniens veniet & non tardabit.* Ac perſpicuè Daniel. 9. dicūtur ſeptuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ad aduentum Meſſiæ ob orationes ipſius Danielis & populi. Et de Simeone & Anna Lucæ 2. ſignificatur, meruiſſe vt Chriſtus veniret eo tempore quo ipſi

Digitized by Google

viuebant, vt eum videre poſſent. Deinde quoad circumſtantiam perſonarũ, præclarum eſt teſtimonium illud de Abraham Geneſ. 22. *Quia feciſti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*, ideſt ex ſemine tuo naſcetur Chriſtus qui afferet benedictionem omnibus gentibus. Et ſimiliter promiſit Deus Dauidi Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Admittique poteſt, ſtante huiuſmodi reuelatione & promiſſione diuina, eos Sanctos Patriarchas poſtulaſſe hoc ipſum à Deo. Et ſimiliter admitti poteſt, merita horum progenitorum Chriſti exceſſiſſe merita aliorum iuſtorum illius antiqui temporis, vt eo magis dicantur impetraſſe & de congruo meruiſſe, vt ex illis potiùs quàm ex alijs Chriſtus deſcenderet.

Ratione explicatur ac ſuadetur.

Ratione verò facilè oſtenditur ac ſuadetur poſſibilitas huius rei: quia hæ circumſtantiæ non erant principiũ per ſe requiſitum ad incarnationis myſterium, vel ad opera Chriſti eorumquè valorem: nam æquè benè fieri poterat, vt alio tempore & ex alijs progenitoribus naſceretur Chriſtus, & faceret opera tanti valoris pro hominum ſalute: igitur nec erant per ſe principium illius gratiæ quæ dabatur antiquis Patribus, atque adeo nec meriti illorum: ergo optimè poterant cadere ſub illorum meritum. Et ſtante hac poſſibilitate, ſuadetur etiam conueniẽtia vt ita de facto dicatur: quia expediebat quantum fieri poterat præmitti talem diſpoſitionem & præparationem ad Chriſti aduentum, ſaltem quoad tempus & perſonas. Et faciliùs adhuc hoc intelligi poteſt, ſi priùs Deus præordinauerit myſterium incarnationis & aduentum Chriſti, præcisè ſecundùm ſubſtantiam, & abſtrahendo ab his circumſtantijs, quo ſcilicet tempore & ex qua progenie id perficeret; ac deinde in alio ſigno determinauerit certum tempus & progeniem. Prima præordinatio non fuit per reſpectum ad vlla humana merita; ſecunda tamen determinatio optimè eſſe potuit, & conuenienter dicetur facta fuiſſe cũ reſpectu ad merita Sanctorum Patrum. Sic hæ circumſtantiæ, non autem ſubſtantia myſterij, ideſt non prima & abſoluta exiſtentia Chriſti, prout conſiderata in prima præordinatione, ſed aliæ conditiones ſuperadditæ in altera determinatione, cadunt ſub meritum.

Quale eſſe potuit & quale fuit hoc meritum.

Dicendum ſecundò eſt, potuiſſe quidam fieri, vt antiqui Patres mererentur tàm prædefinitionem quàm exequutionem harum circunſtantiarum, de facto tamen meruiſſe ſolùm exequutionem: item potuiſſe fieri vt mererentur de condigno, ſed de facto meruiſſe ſolùm de congruo. Hęc aſſertio eſt prorſus conformis cum doctrina mox tradenda de merito ſpeciali B. Virginis erga ſuam dignitatem matris: atque adeo communem cum illa explicationem & probationem habebit.

Explicantur quædam auctoritates.

Interim contra præcedentem concluſionem obijcies primò. Apoſtolus ad Roman. 4. ſic inquit: *Nec enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini eius vt heres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei*. Vbi promiſſio Meſſiæ facta ad Abraham videtur adſcribi ſoli gratiæ, excludendo omne meritum. Et D. Auguſt. in lib. Quæſtionum ex nouo Teſtam. ſic inquit loquens de Verbo incarnato: *Tunc venit quando venire debuit, voluntatis ſuæ rationem ſequutus, non meritorũ*. Vbi ſimiliter determinatio certi temporis refertur ſolùm ad voluntatem diuinam, excludendo humana merita. Reſpondetur, ſi in eo loco Apoſtoli ſermo ſit de promiſſione Meſſię facta ad Abraham, excludi meritum per legem & ex viribus arbitrij, non tamen meritum per gratiam fidei: quo pacto frequenter loqui ſolet Apoſtolus. Auguſt. verò, vel quiuis Auctor eius libri, eſt enim inter opera dubia, loqutus eſt potiùs de meritis malis, non de meritis bonis. Et dicere voluit, Verbum tunc veniſſe, quia rationem habuit ſuæ benignæ voluntatis, & non humanæ prauitatis, quæ videbatur retardare poſſe eius aduentum. Et ideo ſubdit, *Nam ſi merita perpendas venire non debuit*: ideſt abundabant praua opera & mala merita, quæ apta erant retardare eius aduentum.

Qualiter

Obijcies ſecundò. Deus ſimul in vno

Deus determinauerit circumſtantias incarnationis cum reſpectu ad merita.

ſimplici ſigno decreuiſſe videtur, faciendam eſſe incarnationem tali tempore ex talibus perſonis, & ita per modum vnius obiecti determinaſſe incarnationem cum talibus circumſtantijs: ergo ſi antiqui Patres non meruerunt incarnationem quoad ſubſtantiam, ſequitur nec quoad circumſtantias meruiſſe. Reſpondetur, potuiſſe Deum non in eodem ſigno decernere incarnationem ac dictas circumſtantias, ſed prius prædefinire incarnationem abſolute, ac deinde determinare tempus & perſonas: & ita in ſecunda determinatione reſpicere ad merita, quæ non reſpexerat in prima prædefinitione. Sed ſimpliciter ſaluari etiam poteſt, quod licet Deus in vno ſigno & per modum vnius obiecti decreuerit incarnari cum talibus circumſtantijs; tamen ſimul in hac tantum parte reſpexerit ad merita. Nempe dicendo, non ipſam determinationem voluntatis diuinæ, ſed tantum executionem circumſtantiarum cecidiſſe ſub merita Patrum; intelligeretur enim Deus decreuiſſe incarnari tali tempore & ex talibus perſonis, ſed ita vt ad executionem talium circumſtantiarum temporis & perſonarum, deberet præire aliqua diſpoſitio & præparatio per gratiam conferendam ex meritis eiuſdem Verbi incarnandi, iuxta ea quæ de B. Virgine dicemus.

Qualiter circumſtantia perſonarum potuerit cadere ſub meritum earundem perſonarũ.

Obijcies tertiò. Progenitores ex quibus deſcendit Chriſtus ſecundum carnem, fuerunt aliquo modo principium humanæ generationis Chriſti, nempe mediatè & remotè: ergo hæc circumſtantia talium perſonarum non poterat cadere ſub meritum eorundem progenitorum: quia in hoc etiam vigebit illa regula, quòd principium meriti non cadit ſub meritum. Ad hoc reſponderi ſolet, regulam illam intelligi ſolùm de principio proximo & immediato, non autem de remoto & longinquo. Verùm, non poteſt ex hac parte peti ſufficiens differentia: quia ex adæquata & communi ratione principij & cauſæ eſt, vt antecedat effectum, atque adeo non poſſit ſimul cadere ſub cauſalitatẽ eiuſdem ſui effectus. Imò quanto magis aliquod principium eſt remotum & longinquum reſpectu alicuius effectus, ita vt plura alia principia media & ſubordinata intercedant, tantò magis diſtat, & tantò magis antecedit, vt eo minùs poſſit cadere ſub cauſalitatem ſui remoti effectus. Sicut non ſolùm pater qui eſt proximus genitor alicuius, non poteſt ſimul eſſe eius filius, ſed eo minùs alius ex antiquioribus progenitoribus qui longiùs diſtet & antecedat, poteſt eſſe filius alterius ex ſua ſtirpe deſcendentis. Et in caſu noſtro ſequeretur, quod ſi alicui daretur gratia, nõ immediatè ex meritis Chriſti, ſed ex meritis alterius aut alterius Sancti qui recepiſſet gratiam ex meritis Chriſti, ille poſſet mereri incarnationem etiam ſecundum ſubſtantiam, quia ſic incarnatio eſſet tantùm principium mediatum & remotum. Imò etiam de facto ipſa incarnatio eſt principium remotũ noſtri meriti. Nam incarnatum cauſat noſtra merita, inquantum fuit principium operum & meritorum Chriſti, deinde ex meritis Chriſti datur nobis gratia, ac tandem ex hac gratia prodeunt noſtra opera meritoria. Sed tamen ſupponimus, hoc ſufficere, vt incarnatio ipſa ſecundùm ſubſtantiam non potuerit cadere ſub noſtrum meritum.

Aliter ergo diſtinguendum ac reſpõdendum eſt. Aliud eſſe principium per ſe & intrinſecè requiſitum ad operationem meritoriam ſeu eius valorem: & hoc quidem neceſſariò debere ſupponi in diſpoſitione diuina, atque adeo non poſſe cadere ſub meritum eiuſdem operationis, ſiue inquam ſit principium proximum ſiue remotum. Et hoc quidem pacto incarnatio fuit principium per ſe diſpoſitum à Deo ac præmiſſum ante omne donum gratiæ & ante omne opus noſtrum meritorium. Aliud verò eſſe principium non per ſe prærequiſitum ac prædiſpoſitum, ſed quaſi conſequẽter ordinatum ac determinatum eſt: nempe quia poterat optimè Deus decernere incarnari, & mittere Chriſtum in carne humana, adducendo eum ex ſtirpe Adami, tranſeundo ab his & illis progenitoribus inter Adamum & Chriſtum, & rurſus decernere ex meritis Chriſti dare gratiam certis homi-

Digitized by Google

nibus deſcenſuris ex Adam, qui per talem gratiam ſe diſponerent ac mererentur, vt Verbum ex ijs carnem ſumeret, vt Chriſtus ex ipſis oriretur. Ita ergo optime fieri potuit, & re ipſa factú eſt, vt antiqui Patres meruerint hanc circunſtantiam perſonarum, quamuis hæc circunſtantia habeat dicto modo rationem principij ad humanam Chriſti generationem.

Qualiter circunſtantia temporis potuerit cadere ſub meritum.

Obijcies quarto ex Lugo. Circunſtantia temporis importat durationé: ſed duratio non diſtinguitur ab actione per quam res fit, & ita propria duratio operis meritorij identificatur cum ipſa operatione. Vel ſaltem hæc circunſtantia durationis ſpeciali ratione includitur in ipſo merito adæquate ſumpto, quia confert ad augendum valoré & meritum operis. Ergo opera Chriſti meritoria, quæ cauſalitatis ordine præcedebant gratiam datam Patribus, etiá ſecundúm ſuam durationem & circunſtantiam temporis eodem cauſalitatis ordine præcedebant eandem gratiam: ſed totum meritum Patrum procedebat ex gratia illis data ex operibus & meritis Chriſti: ergo non poterat ſub idem meritum Patrum cadere illa circunſtantia temporis, quæ afficiebat opera Chriſti, & exiſtentiam ipſius Chriſti, atque incarnationem ad hæc omnia præuiam.

Reſpondetur, aliud eſſe durationem intrinſecam rei & operis, & aliud circunſtantiam temporis extrinſeci, vt res ſit hoc vel alio anno. Duratio ergo intrinſeca non diſtinguitur ſiue non ſeparatur à re, & intrinſecè auget meritum, in eoque includitur: ſed circunſtantia temporis extrinſeci, ſcilicet huius vel illius anni, eſt prorſus diſtincta ac ſeparabilis & variabilis, & merè per accidens ſe habet, ſicut, & circunſtantia loci. Non itaque Patres per gratiam acceptam ex meritis Chriſti mereri poterant durationem intrinſecam operum Chriſti & ipſius Chriſti, ſed bene circunſtátiam temporis extrinſeci, vt ſcilicet Chriſtus cum ſuis operibus & meritis exiſteret ac vitam traduceret, potiùs tali quàm alio tardiori tempore.

SECTIO VNDECIMA.

Vtrum Beata Virgo mereri potuerit ac de facto meruerit eſſe mater Dei incarnati.

BEatam Virginem non meruiſſe incarnationem quoad ſubſtantiam, ſiue vt ſimpliciter Deus carnem ſumeret, eſt illi commune cum alijs Patribus, vt iam tractauimus. Eſt autem de ipſa peculiariter inquirendum, num meruerit hanc circunſtantiam, vt Verbum ex ea carnem ſumeret, vt ipſa fieret mater Dei incarnati. Negat Lorca diſp. 22., & alij quidam.

Reſolutio affirmatiua.

Communis tamen Theologorum ſententia eſt, & à nobis amplectenda; verè B. Virginé potuiſſe mereri ac de facto talem circunſtantiam meruiſſe. Colligi poteſt primo ex teſtimonio eiuſdem B. Virginis in ſuo cantico Lucæ 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: ſi nempe per humilitatem intelligamus virtutem humilitatis, & cum hac alias virtutes: ita vt ſenſus ſit, ob diſpoſitionem & meritum humilitatis & ſanctitatis eius, Deum ex illa carnem ſumpſiſſe. Et ita quidem plerique Sancti & Expoſitores hunc locú accipiunt. Item ex eodem Euangelio Lucæ conſtat, Deum per annunciationem angelicam ordinaſſe, vt B. Virgo præberet ſuum conſenſum ad incarnationem Verbi in vtero ſuo, & certú eſt, ſtatim atque ipſa conſenſum præſtitit, peractú eſſe incarnationis myſterium; per hunc ergo conſenſum B. Virgo diſpoſita eſt, vt ex ea Verbum carnem ſumeret. Et ſic pariter potuit diſponi ac dici debet diſpoſita fuiſſe per alias egregias virtutes & ſublimia merita.

Probatur ſecundò auctoritate Eccleſiæ in Antiphona, *Regina cæli lætare, quia quem meruiſti portare*. Vbi ly *meruiſti*, non videtur ſolum ſumi, pro eo quod eſt eleuari & aſſumi ad aliquem gradum, ad aliquod beneficium, ſicut interdum ſumitur: ſed ſum poteſt ac debet propriè pro eo quod eſt, ſuis virtutibus & bonis actibus conſequi &

obti-

obtinere aliquod bonum. Item auctoritate Sanctorum Patrum, qui ſatis aperte docuerunt, B. Virginem ſuis virtutibus ac meritis prouectam fuiſſe ad tantam dignitatem, Baſil. homil. 25., Hieron. epiſt. 22., Ambroſ. epiſt. 28., Auguſt. lib. de Nat. & grat. cap. 36., Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 1., Chryſolog. ſerm. 143. Bernard. in ſerm. de Natiuit. B. Mariæ, & alij frequenter.

Suadetur ratione. Tertiò, Ratione ſuadetur: quia in hoc non obuiat illa regula, quòd principium meriti non cadit ſub meritum, vt iam de alijs antiquis progenitoribus oſtenſum eſt: nec apparet alia ſpecialis & noua repugnantia: ergo ſine dubio potuit Deus ita hanc rem ordinare; vt ipſa B. Virgo mereretur hanc circumſtantiam ſuæ perſonæ; ſiue vt aptè & congruè per inſignem ſanctitatem diſponeretur ad tam excelſam dignitatem, vt caro vnienda hypoſtaticè Verbo Dei, ex eius vtero ſumeretur, vt Chriſtus ex ea conciperetur. Et hinc de facto conueniens prorſus erat, ita res diſponi & ordinari: ergo fatendum eſt, B. Virginem aliquo modo meruiſſe vt fieret mater Dei incarnati.

Reſolutio affirmatiua. Quartò. Supponendum nunc eſt, B. Virginem fuiſſe à Deo excellentiſſimo ſanctitatis gradu ſupra omnes alios iuſtos decoratam: ac ſpecialiter fuiſſe ab originali peccato præſeruatam, aut ſaltem ſtatim poſt conceptionem liberatam, vt abſtineamus nunc à controuerſijs: fuiſſe etiam ſingulariter à peccati fomite exemptam, ſiue dicatur fomes in ei extinctus, ſiue ligatus. Hæ tam inſignes prærogatiuæ, certè non, niſi ex ſingulari motiuo illi collatæ fuere, vtique vt eſſet aptè diſpoſita ad conſequendam tantam dignitatem, & vt tantum myſterium in ea perageretur, vtque caro hypoſtaticè aſſumenda à Verbo diuino, eſſet tantæ puritatis & ſanctitatis comitatu præditum. At huiuſmodi diſpoſitio & præparatio, pro ea parte qua conſiſtebat in actibus liberis B. Virginis, habebat meriti rationem: ergo fatendum eſt, B. Virginem ſic meruiſſe hanc dignitatem matris.

1. exemplo. Quintò. Si Abraham in ſuo merito obtinuit, vt ex eius ſemine naſceretur Chriſtus: magis putandum eſt, B. Virginem longè excellentioribus meritis diſpoſitam fuiſſe ac meruiſſe, vt ex ipſa conciperetur Chriſtus. Multò enim maior eſt dignitas matris in B. Virgine, quàm progenitoris remoti in Abrahamo: multoquè ſublimior fuit ſanctitas, multò maiora merita B. Virginis, quàm Abrahami. Non oportebat tamen vt ipſa B. Virgo ad hunc finem operaretur ſuaq; merita dirigeret, vt Verbum ex ea carnem ſumeret; neque vt ipſa pro ſe hoc poſtularet à Deo. Quinimò, pro eius ſumma humilitate, nouum prorſus & incogitatum illi accidit de ſua perſona, quando id audiuit ab Angelo: ſed ad ſummum, hoc audito, tantò magis ſe humilians conſenſum præſtitit, cum dicit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: & hic conſenſus fuit quidem ſuprema, & vltima diſpoſitio ac meritum ad tantam dignitatem.

Mereri potuerat, vel etiã quoad prædefinitionem vel tãtùm quoad exequutionẽ. Sextò tandem explicandum remanet, num B. Virgo hanc dignitatem meruerit quoad exequutionem tantùm, vel etiam quoad prædefinitionem & electionem æternam. Vaſq. enim diſp. 23. contendit, non aliter poſſe ſtare hoc meritum, quàm vt ex meritis B. Virginis præuiſis in mente Dei fuerit, conſequenter electa ad hanc dignitatem matris: & ita non ſolum exequutio in tempore, ſed etiam electio æterna, facta fuerit ex meritis. Suarez verò diſp. 10. vult, B. Virginem meruiſſe tantùm exequutionem, non autem electionem. Sed in hac re ſentiendum nobis eſt iuxta doctrinam in ſimili traditam 1. par. q. 23. de electione prædeſtinatorum ad gloriam. Nempe vtrumq; quidem modum & ordinem fuiſſe poſſibilem. Vt vel Deus prius decerneret conferre B. Virgini tantam gratiam & merita, non ex intentione efficaci conſtituendi illam matrẽ Dei, ſed ex ſola ſimplici complacentia huius finis, ſiue ex intentione efficaci alterius finis, ac deinde præuiſis his meritis decreuerit, illam efficere matrem Chriſti: quo poſito non ſolùm exequutio, ſed etiam electio fuiſſet ex meritis. Vel aliter, prius Deus efficaciter de-

& ex illa carnem ſumere, atque ex hac efficaci intentione conſequenter ſtatuerit, illam diſponere & præparare per inſignem ſanctitatis gradum & ſublimia merita: quo pacto ſolùm exequutio, non autem electio, cadit ſub huiuſmodi merita.

De facto meruit ſolùm quoad exequutionem.

Atque de facto putandum eſt, hoc ſecundo modo rem fuiſſe diſpoſitam & ordinatam. Sicut nempe ibi diximus, priùs quoque electos fuiſſe homines ad gloriam, & ex hac intentione efficaci Deum illis contuliſſe auxilia efficacia, quibus mererentur gloriam, & ita ſolâ exequutionem in tempore, non autem electionem æternam cadere ſub prædeſtinatorum merita. Similiter ergo de hac re ſentiendum eſt. Et rurſus ſpecialiter ſuadetur: quia non niſi ex intentione efficaci & electione facta à Deo in ſua mente, de ſumenda carne ex hac femina, veriſimile apparet, decreuiſſe illi conferre tàm excelſam ſanctitatem & gratiam, longè ſupra omnẽ aliam puram creaturam, ac etiam cum ſingulari exemptione ab originali peccato & peccati fomite, cui tota humana progenies obnoxia erat. Ac præſertim non eſt veriſimile, Deum miſiſſe Angelum qui nunciaret B. Virgini diuinum conſilium circa eius perſonam, eamquè tàm magnificè ſalutaret, eiquè expreſsè diceret, *Ecce concipies in vtero & paries filium &c.*, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te ſanctũ vocabitur Filius Dei*; ex ſola inquam ſimplici complacentia de conſtituenda illa femina in matrem Chriſti, abſque præuia intentione efficaci: ita vt non niſi poſt præſtitum conſenſum à B. Virgine, Deus id efficaciter decreuerit. Omnino ergo putandum eſt, priùs Deũ ex ſe elegiſſe talem feminam in matrẽ Chriſti, & conſequenter ob hunc finẽ efficaciter intentum voluiſſe elicere conſenſum eius: & ſic de alijs meritis ac diſpoſitionibus ob eundem finem. Atque adeo ſola exequutio & collatio eius dignitatis in tempore, non autem æterna prædefinitio & electio in mente Dei, cadebat ſub merita B. Virginis.

Explicantur quidam Patres.

Obijcies primò auctoritatem quorũdam Patrum, Hieron. Dialog. 1. cont. Pelagian. cap. 1., Fulgent. lib. de Incarn. & grat. cap. 6., & Bernard. in ſerm. de Natiuit. B. Mariæ, qui dicunt, B. Virginem non ex ſuo merito, ſed ex Dei miſericordia & gratia prouectam fuiſſe ad tantam dignitatem, vt eſſet mater Dei. Sed certè hi Patres voluerunt ſolùm excludere meritum ex viribus liberi arbitrij, non autem meritum ex viribus & dono gratiæ, vt ex eorum diſcurſu conſtat. Vel etiam voluiſſe excludere omne meritum de condigno, non autem meritum de congruo, vt reſoluemus ſect. ſequenti.

B. Virgo nõ meruit ut Verbum ſimpliciter carnem ſumeret.

Obijcies ſecundò. Si B. Virgo meruit, vt Verbum ex ipſa carnem ſumeret: ergo ſimpliciter meruit vt carnem ſumeret; hoc enim in illo includitur: ſed hoc fuiſſet mereri incarnationem quoad ſubſtantiam: ergo dici debet nec meruiſſe circunſtantiam ſuæ perſonæ. Reſpondetur, cùm iam ante omne meritum Virginis, & abſque omni reſpectu ad tale meritum, præſupponatur, quòd Verbum ſimpliciter carnem ſumeret, ac deinde ſolùm addatur talis circunſtãtia ac determinatio huius perſonæ ex qua carnem ſumeret: ſic perſpicuè apparet, B. Virginem optimè mereri potuiſſe hanc ſolam circunſtantiam, quamuis nullatenus meruerit vt ſimpliciter Verbum carnem ſumeret; quod iam ſupponebatur independenter & antecedenter ad omne eius meritum, imo tanquam principium omnium meritorum eius.

Sed meruit ut ex ipſa ſumeret.

Obijcies tertiò. Quando Deus decreuit incarnationem fieri, certè determinauit ſignatè eam carnem aſſumere, quàm de facto aſſumpſit; ergo ſi B. Virgo non meruit ſimpliciter vt Verbum carnem aſſumeret, nec etiam meruit vt hanc carnem ſingularem aſſumeret. Sed neque dici debet meruiſſe, vt illa ſingularis caro, ſiue illius materia, in ipſa B. Virgine poneretur: hęc enim applicatio ſpectabat potiùs ad ordinem naturæ quàm ad ordinem gratiæ: ergo nullo pacto B. Virgo meruit, vt ipſa eſſet mater Verbi incarnati. Reſpondetur, benè fieri potuiſſe, vt quamuis B. Virgo non merebatur abſolutè vt Verbum carnem ſumeret: tamen vel mereretur, vt eam carnem

ſuge-

Digitized by Google

ſingularem ex eius puriſſimo ſanguine ſumeret: vel ſi Deus ex ſe determinauit talem ſingularem materiam, mereretur vt Deus illam ipſam materiam reponeret priùs in corpore ipſius B. Virginis. Quod quidem per naturalem applicationem & tranſmutationem faciendum erat: tamen in hoc myſterio, vbi talis materia electa erat pro formanda carne aſſumenda à Verbo diuino, ſpectabat maximè ad ordinem gratiæ, in qua muliere reponeretur, quæ ad tantam dignitatem eueheretur, vt de ſuo ſanguine talem materiã miniſtraret, & cõcurreret ad generationem Chriſti, eumque in ſuo vtero geſtaret & poſtea pareret, fieretq; vera mater Verbi incarnati.

Meruit per gratiam acceptam ex meritis Chriſti in ea carne.

Obijcies quartò ex Lorca. In vniuerſum effectus in ſingulari determinatur ex certis ſuis cauſis ſingularibus: ergo hæc ſingularis humanitas ſiue caro Chriſti, determinabatur ex hac ſingulari matre: ergo fieri non poterat, vt B. Virgo per gratiam acceptam ex meritis Chriſti ſecundùm hanc ſingularem humanitatem, mereretur vt ipſa eſſet mater Chriſti. Et hoc argumentum extendi poteſt etiam ad probandum, non potuiſſe alios anteriores progenitores Chriſti mereri vt ex ipſis oriretur Chriſtus, ſiue illa femina quæ erat futura mater Chriſti. Reſpondetur, ſupponendum potiùs eſſe, effectus in ſingulari non determinari ex vi talium cauſarum creatarum, ſicut nec ex certis circunſtantijs, ſed abſolutè determinari ex voluntate & actione cauſæ primę, vt iam ſuo loco in Philoſoph. tractauimus quæſt. 16. ſect. 3. & 4. Hæc ergo ſingularis humanitas ſeu caro Chriſti, non determinabatur ex hac ſingulari matre, ſed æquè indifferenter poterat prodire ex vna vel alia fœmina; atque ex voluntate diuina determinari debebat ex quanam prodiret. Et eo magis, quòd in hac re determinatio cadebat ſuper certam materiam ex qua formanda eſſet caro Chriſti: & certè, non per ſe ad cauſas naturales, ſed ad Deum ſpectabat determinare, vbi nam talis materia collocaretur. Itaque optimè fieri poterat, vt priùs Deus determinaſſet condere & in vnitatem perſonæ aſſumere hanc ſingularem humanitatem, ac deinde ex meritis Chriſti in ea ſingulari humanitate conferre talia auxilia gratiæ huic ſingulari feminæ, qua mediante ipſa mereretur eleuari ad hanc eximiam dignitatem, vt in illa & ex illa conciperetur ac naſceretur Chriſtus. Eademquè plane ratio eſt de alijs anterioribus progenitoribus Chriſti.

Non meruit vt ſimpliciter exiſteret Chriſtus, ſed ſolùm vt ex ipſa conciperetur.

Obijcies quinto ex eodem. Omnis effectus ſimpliciter exiſtit dependenter ab actione per quam producitur: ergo ſi B Virgo meruit eſſe mater Chriſti, ideſt concipere & gignere Chriſtũ; iam meruit vt ſimpliciter exiſteret Chriſtus: quod erat mereri incarnationem ſecundùm ſubſtantiam. Neque ad hanc rem oportet diſcutere, num mater concurrat actiue ad generationẽ filij: ſed ſatis eſt quocunque modo dicatur concurrere. Et ſaltem ad aliquas diſpoſitiones concurrit actiuè quę prerequiruntur ad introductionem formæ in materia, atque adeo ad compoſitionem & exiſtentiam totius. Neque ſanè hinc dependet, qualiter B. Virgo mereri potuerit vt eſſet mater: ſed idẽ prorſus procederet ſi generatio Chriſti perfecta fuiſſet per operationem patris. Reſpondetur, omnem effectum exiſtere quidem dependenter ab aliqua actione, ſed non neceſſariò ab hac vel illa actione determinatè, ſicut neque ab hac vel illa cauſa determinatè. Quare benè fieri poteſt, vt priùs Deus decernat ponere quendam effectum, non adhuc determinando per quam actionem, aut qua cauſa mediante. Et tunc etiam fieri poteſt, vt aliquis mereatur, quòd ille ipſe effectus ponatur per talem actionem, ſiue à tali cauſa. Quo pacto non cadit ſub eius meritum, vt ponatur ſimpliciter ille effectus, vtpote qui iam ponendus ſimpliciter erat independenter ab illo merito: ſed tantùm cadit illa determinatio actionis & cauſæ, vt effectus qui iam ponendus erat, ponatur ex tali actione & cauſa. Sic ergo in caſu noſtro, ex præuio decreto diuino ſupponebatur ſimpliciter quidem futurus Chriſtus, non tamen adhuc determinatè per talem actionẽ ſeu generationem ex hac matre. Vndè con-

conſequenter B. Virgo mereri potuit, vt ipſa eſſet illa quæ conciperet & gigneret Chriſtum: ſed non per hoc meruit ſimpliciter vt exiſteret Chriſtus, quod iam ſupponebatur futurum independenter ab eius meritis, & tanquam principium ex quo & ipſa habuit gratiam ad merendum.

Qualiter meruit cõcurrere ad generationem Christi.

Obijcies ſexto rationem difficultatis quam proponit Lugus diſput. ſect. 9. Eſſe matrem, eſt concurrere ad generationem Chriſti: ergo ſi B. Virgo meruit maternitatem ſimul meruit quod Chriſtus generaretur ſecundum ſubſtantiam: ergo non ſupponebat exiſtentiam Chriſti: vel ſi ſupponebat, nam ſupponit eum exiſtentem independenter ab ipſa Virgine; & ita non relinquitur locus vt mereatur eum gigni ex ipſa Virgine. Ad hanc difficultatem, poſt relatas & reiectas plures alias ſolutiones; ſic reſpondet ipſe Lugus ſect. 7. Pro alio & alio tempore Chriſtum meruiſſe gratiam ac fortaſſe etiam exiſtentiam B. Virginis, atque B. Virginem meruiſſe ſuam dignitatem matris & generationem Chriſti: quia nempe Chriſtus pro tempore paſſionis ſuæ, & aliquo acta tunc elicito, vtpote acceptando mortem ſibi à Patre iniunctã, meruit gratiam B. Virgini & alijs progenitoribus ſuis; ſed B. Virgo per hanc gratiam meruit primam conceptionem & generationem Chriſti, atque adeo Chriſti exiſtentiam pro illo alio priori tempore. Non repugnat autem, idem quod pro vno tempore eſt cauſa, eſſe pro alio tempore effectum reſpectu eiuſdem. Additque exiſtentiam & conſeruationem Chriſti pro tempore paſſionis, non fuiſſe dependentem à conceptione, conſeruatione, & exiſtentia antecedenti: quinimò veriſimiliter protelatam fuiſſe vltra naturæ leges; quia naturali vi debuiſſet Chriſtus mori præ nimia triſtitia qua preſſus fuit in horto. Et ſimiliter addit, fuiſſe Chriſtũ prius præuiſum virum & adultum, quàm puerum & adoleſcentem.

Non poteſt dici, per gratiam acceptam ex paſſione Chr...

Sed ſine cauſa hic Auctor videtur in re alioqui plana tantoperè laboraſſe, & in plures ſcopulos incidiſſe. Tum enim, non oportet, nec expedit, meritum Chriſti erga gratiam B. Virginis & aliorum progenitorum, reducere ad ſolum tempus & opus paſſionis; ſed tunc quidem completum & conſummatum fuit meritum Chriſti, adæquatè tamen & integrè conſtituitur ex tota ſerie eius ſanctiſſimæ vitæ, incipiendo a primo conceptionis inſtanti: & ſicut in hoc ſe habet pro alijs hominibus, dici etiam debet ſe habere pro B. Virgine & progenitoribus. Tum ex alia parte, non debet dependentia Chriſti à Virgine matre reduci ad ſolum tempus infantiæ, ſiue alterius ætatis, excluſo tempore paſſionis; ſed debet etiam extendi ad tempus virilitatis & ipſius paſſionis: Quamuis enim filius non immediatè à matre dependeat, niſi dum ab initio concipitur, vel in vtero fouetur, vel lacte nutritur: tamen ex hoc ipſo ſaltem mediatè dependet deinceps quãdiu viuit, vt per ſe patet: tota quippe nutritio & omnis alia operatio qua conſeruatur vita, fit per facultates vitales ab initio acceptas. Tum etiam, neque conſtat, neque eſt neceſſarium, quod Chriſtus in horto ſola vi triſtitiæ debuiſſet naturaliter interire, & per miraculum conſeruatus adhuc fuerit in vita. Neque certè hoc exigi debet ad hoc vt Chriſtus pro tempore ſequenti mereri potuerit gratiam illam matri & progenitoribus: Sed adhuc eo admiſſo, inde non fit, quòd poſterior duratio & exiſtentia Chriſti non dependeat ex antecedenti: ſed ad ſummum fit, quod illa non erat ſufficiens ad continuationem pro tempore ſequenti, debueritq; præter illam addi aliud ſpeciale, quod ipſũ per ſe vtique ſupponebat vitam. Sicut planè in ordinario ipſo curſu vitæ indiget homo alimentis vt viuat; ſed idipſum fit dependenter ex antecedẽti vita quæ debet ſupponi, licet illa ſola abſque nouo ſubſidio non ſufficeret. Tum præterea putandum nullo modo eſt, Deum prius prædefiniſſe ac præuidiſſe Chriſtum virum quàm puerum, & adultum quàm adoleſcentem: & quod etiam ex illo diſcurſu ſequitur, prius patientem quàm conceptum & natũ. Sed potiùs cenſendum eſt, Deum in mente ſua ita ordinatè diſpoſuiſſe ac præuidiſſe vitam & opera Chriſti, iuxta exordium, progreſſum, & exitum ipſius,

ſicut

ſicut re ipſa peracta eſt. Tum etiam ille diſcurſus tendit ad hoc, vt B. Virgo non ſolùm meruerit hanc circumſtantiam ſuæ perſonæ, vt ſcilicet ipſa eſſet illa ex qua conciperetur Chriſtus, ſed etiam vt ſimpliciter meruerit ſubſtantiã pro certo tempore, ideſt meruerit exiſtentiam, & vitam Chriſti per totum ſpatium vſque ad initium paſſionis, ſiue vſque ad horam illam agoniæ in horto. Quod quidem non eſt ſubijcere humanis meritis ſolam circumſtantiam temporis, vt ſcilicet Chriſtus citius & anteriori tempore venerit; ſed eſt ſubijcere ſimpliciter vitam & exiſtentiam tot annorum, eſt ſubijcere infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, & fere totam ætatem Chriſti, paucis ſcilicet horis exceptis. At hoc planè eſt præter Theologorum mentem in hac re. Tum demum, cùm dicatur Chriſtus per paſſionem ſuam meruiſſe gratiam B. Virgini, & B. Virgo per hanc gratiam meruiſſe conceptionem & vitam Chriſti pro tot annis antecedentibus paſſionem; planè ſequitur, ipſum Chriſtum mediatè per paſſionem ſuam meruiſſe ſiue fuiſſe cauſam ſuæ conceptionis & vitæ antecedentis. Vbi, quia rurſus conceptio fuit principium totius vitæ, ac omnium operationum, & paſſionis quoque; hoc tandem toto eo diſcurſu conficitur, vt principium meriti cadat ſub meritum, quod quidem vitare ſtudebamus.

Sed meruit ſolùm quoad circumſtantiam ſuæ perſonæ.

Aliter ergo ad difficultatem ſatisfiet facilè, inſiſtendo ſemper ijſdem veſtigijs doctrinæ traditæ. B. Virgo meruit eſſe mater, meruit concurrere ad generationẽ Chriſti, tantùm loquendo quoad circumſtantiam ſuæ perſonæ: ideſt meruit ſolum hoc, vt ipſa eſſet illa quæ aſſumeretur ad hoc officium, ad hanc dignitatem. Supponendo nempe antecedenter & independenter à B. Virgine eiuſque meritis, quod Deus ſtatuerat iam carnem ſumere, ſtatuerat hanc ſingularem humanitatem ſibi hypoſtaticè vnire, ſtatuerat formare Chriſtum infantulum, eumque per ætatis decurſum deducere vſque ad mortem, ſtatuerat formare Chriſti corpuſculum ex ſtirpe Adami, & in vtero alicuius feminæ, ex eius ſolo ſanguine abſque vlla opera viri. Sed quòd id totum perficeret in hac muliere potius quàm in qualibet alia, ad hanc inquam ſolùm circumſtantiam valuerunt merita & eximia ſanctitas huius Virginis. Sicut ad hoc vt potiùs ex hac quàm ex alia progenie valuerunt merita aliorum progenitorum Chriſti. Hæc autem omnia merita eorum habuerunt ex gratia quam Deus ijs contulit ex meritis & redemptione ipſius Chriſti, quem iam ſimpliciter & abſolutè quoad ſubſtantiam præordinauerat inde penitenter ad omnia merita. Itaque quando in obiectione inferebatur, ſi B. Virgo meruit maternitatem, meruiſſe generationem Chriſti ſecundùm ſubſtantiam; diſtinguendum eſt, ne æquiuocatio committatur. Meruit ſecundùm ſubſtantiam, ideſt meruit, vt ſubſtantia ipſa Chriſti acciperetur & gigneretur ex ipſa B. Virgine potius quàm ex alia femina: & hoc quidem verum eſt, & rectè ſequitur ex antecedenti. Meruit ſecundùm ſubſtantiam, ideſt meruit vt poneretur ſimpliciter ſubſtantia Chriſti, quaſi non adhuc ſupponeretur præordinata eius exiſtentia: & hoc falſum eſt, non tamen ſequitur ex antecedenti, in quo potius dicimus, ſuppoſita abſoluta ipſa ordinatione de exiſtentia Chriſti, B. Virginem meruiſſe ſolùm hanc determinationem ſuæ perſonæ, vt ex ipſa præ alijs feminis conciperetur: & hoc vocamus mereri incarnationem ſecundùm hanc circumſtantiam, mereri ſuam dignitatem matris. Quod totum optimè fieri potuit per gratiam acceptam ex meritis eiuſdem Chriſti iam antecedenter præordinati.

Et meruit ſolùm quoad exequutionem.

Obijcies ſextò, B. Virginem meruiſſe etiam æternam ſuam electionem in matrem Dei. Baſilius homil. 25. quæ eſt de Chriſti natiuitate, dicebat, B. Virginem ob eximiam ſuam puritatem fuiſſe à Deo electam. Et Ambroſ. epiſt. 80. eodem modo loquitur. Aliaque plura affert Vaſquez in confirmationem ſuæ ſententiæ in 3. par. tradit. de electione prædeſtinatorum ad gloriam poſt præuiſa merita. Sed illi Patres loquuti non ſunt de electione æterna in mente Dei: ſolumque loquuti ſunt de electione facta in tempore, dum B. Virgo electa

ẟta ideſt aſſumpta fuit præ alijs feminis ad tantum miniſterium, quæ erat exequutio ipſa diuinæ electionis æternæ, & quæ verè cadebat ſub meritum B. Virginis. Alia autem quæ Vaſq. affert, iam ſuo loco 1. par. tractando de prædeſtinatione reiecimus.

SECTIO DVODECIMA.

Vtrum B. Virgo meruerit ſolùm de congruo, vel etiam de condigno mereri potuerit, eſſe mater Dei incarnati.

GAbriel & Almain. in 3. d. 4. q. 1., Abulenſ. paradoxo 1. cap. 34. & 38., non dubitarunt attribuere B. Virgini meritum condignum ad hoc vt eſſet mater Dei. Bonauent. eadem d. 4. art. 2. q. 2., Riccard. art. 3. q. 1., Marſil. q. 5. art. 3. dub. 1., aſſignantes quoddam meritum dignum, medium inter condignum & congruum, dixerunt, B. Virginem meruiſſe ſuam exaltationem ad dignititem matris, non quidem propriè de condigno, nec tantùm de congruo, ſed medio modo dignè. Vaſquez autem diſp. 23. cap. 2. ad finem contēdit, nec de potentia abſoluta Dei fieri potuiſſe, vt B. Virgo mereretur de condigno eſſe mater Dei. Adhæret Lugus diſp. 8. ſect. 7.

De facto meruit ſolùm de congruo.

Dico primò. B. Virgo de facto non meruit de condigno, nec alio modo medio, ſed tantùm de congruo, hanc ſuam exaltationem ad dignitatem matris. Ita indicat D. Thomas q. 2. art. 11. ad 3., & alij communiter docent. Et pro hac etiam parte faciunt illæ auctoritates quas præced. ſect. obiect. 1. adduximus, vt in reſponſione notauimus. Ratione verò ſuadetur: quia omnia opera & merita B. Virginis de facto habebant adæquatam & condignam mercedem. quam & alij iuſti de condigno merentur, nempe gloriam, cum qua mercede commenſuratur valor ipſorum operum & meritorum: non ergo ſimul habebant opera B. Virginis valorem condignum ad obtinendam etiam dignitatem matris. Qua quidem ratione iam 1. 2. q. vltima quæ erat de merito, vtebamur ad probandum, iuſtos de facto ſui bonis operibus non mereri de condigno vlla alia extraordinaria dona, præter mercedem gloriæ, cum qua tamen coniugebatur ſuũ augmentum ſanctificantis gratiæ. Excluſo autem merito condigno, ſolùm ſupereſt meritum de congruo: cùm non detur aliud medium genus meriti.

Fieri potuiſſe vt mereretur de condigno.

Dico ſecundò. Fieri potuiſſet de potentia Dei abſoluta, vt B. Virgo mereretur de condigno dignitatem matris. Ita affirmat Suarez diſp. 10. ſect. 7. Et aliqui id probant ſolùm ex eo quòd potuiſſet Deus acceptare opera B. Virginis ad tale præmium. Hoc tamen non ſufficit: quia non poteſt ſola acceptatio Dei tribuere rationem meriti condigni humanis operibus, vbi deeſt valor intrinſecus & æqualis in ipſis operibus. Vnde fatendum eſt, quod non potuiſſet fieri, vt opera B. Virginis ſimul mererentur de condigno ſuam portionem gloriæ & dignitatem matris: quia nimirum non erat valor intrinſecus condignus ad id totum in ijs operibus, nec poterat hic valor dari operibus ex ſola acceptatione Dei extrinſeca, vel abſq; eo conſtitui meritum condignũ. Inde ergo hæc concluſio ducenda eſt: quia potuiſſet Deus diſponere & ordinare, vt aliquibus operibus B. Virginis non redderetur in præmium ipſa gloria, ſed ſola dignitas maternitatis. Etenim, quamuis eius opera nō haberent valorem condignum ad vtranque mercedem ſimul: tamen ſicut habebant ſingillatim ad gloriam, vtique habuiſſent pariter ad dignitatem maternitatis per ſe ſumptam: ſiquidem hæc dignitas maternitatis non excedit, imò nec adæquat excellentiam gloriæ: quare opera quæ valebant de condigno ad gloriam, maximè quoque valuiſſent de condigno, & cum exceſſu valoris, ad dignitatem matris. Quare potuiſſet veluti pactum intercedere apud Deum & B. Virginem, vt pro mercede quorundam operum, loco gloriæ ei conferretur illa dignitas matris. Sic ergo fieri potuiſſet, vt B. Virgo eam de condigno mereretur.

Quomodo B. Virgo

Sed contra primam concluſionem obijcies primò illud quod Eccleſia in

quadam

dicatur fuiſſe digna concipere Chriſtum.

quadam Oratione ad Deum Patrem de B. Virgine canit: *Qui glorioſæ Virginis Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparaſti.* Et ſimiliter aliqui Patres loquuti ſunt. Ambroſ. lib. 2. de Virgine Maria inquit: *Digna fuit, in qua Dei filius naſceretur.* Et ſic etiam Chryſoſt. homil. 49. in Geneſ., Damaſcen. lib. 4. Fidei cap. 15., Bernard. ſerm. de Natiuit. B. Mariæ & ſerm. 1. & 4. de Aſſumpt. Quo loquendi modo aliquid magis quàm meritum de congruo videtur adſcribi B. Virgini. Reſpondetur, dignum in his auctoritatibus ſumi ſub latiori ſignificatione, pro eo quod eſt B. Virginem fuiſſe aptè diſpoſitam & præparatam ad hoc vt eſſet mater Dei. Et interdum Sancti ſignificare tantùm voluerunt, Deum cõtuliſſe B. Virgini hanc ipſam ſublimem dignitatem maternitatis.

Quomodo meruit de condigno gloriam, ſed non maternitatem.

Obijcies ſecundò. Gloria cum gratia ſanctificante eſt quid maius & excellentius præ dignitate matris: ergo dum B. Virgo meruit de condigno gloriam cum gratia ſanctificante, facilè meruit & hanc dignitatem matris. Reſpondetur, maius adhuc eſſe gloriam & gratiam cum dignitate matris coniunctam, quàm ſine ea: & ideò B. Virgo non poterat eodem opere illud totum mereri. Sed argumentum ad ſummum probat, quòd B. Virgo potuiſſet mereri dignitatē matris per ſe ſumptã, ſicut merebatur illud quod maius erat: intercedente ſcilicet illâ ordinatione Dei quam dicebamus.

Quomodo poterat de condigno mereri maternitatem

Obijcies tertiò contra 2. concluſ. ex Vaſquez. Opus bonum non poteſt eſſe condignè meritorium mercedis, ex eo quòd acceptetur à Deo; ſed debet eſſe ex natura ſua dignum & ordinatum ad talem mercedem: ſed opera B. Virginis non erant ex natura ſua ordinata ad obtinendam dignitatem matris; ſiquidem erant eiuſdem generis & rationis cum operibus meritorijs aliorum iuſtorum: ergo fieri non poterat, vt B. Virgo mereretur de condigno dignitatem matris. Reſpondetur, opus bonum verè non poſſe fieri meritorium ex ſola acceptatione diuina; ſi deſit valor ex parte ipſius operis. Tamen quando opus habet in ſe intrinſecè valorem ad tantam mercedem, quamuis ex conditione & ordinatione communi magis reſpiciat certam quandam mercedem; tunc tamen optimè poteſt per acceptationem Dei remunerantis & veluti pactum & conuentionem cum operante, ordinari ad aliam quãdam mercedem, vel æqualem, vel minorem. Meritum enim non eſt cauſa phyſica mercedis: In quo quidem ordine cauſalitatis non valet inferre, ſi cauſa poteſt efficere certum effectum, poſſe etiam alium diuerſæ rationis, vel æqualem, vel inferiorem. Sed eſt cauſa moralis: in qua cauſalitate attendi ſolùm debet æqualitas valoris, & veluti conuentio contrahentium. Sicut in rebus humanis, nummus qui habet valorem condignum pretij ad certam rem, pariter habet ad aliam diuerſam æqualem aut inferiorem: & labor qui condignè recompenſatur certa mercede, pariter recompenſari poteſt alia diuerſa æquali aut inferiori: ex conſenſu inquam contrahentium, vt notũ eſt. Ita ergo & apud Deum; ſi opus meritorium habet valorem condignum ad tantam mercedem, habebit quoque ad aliam vel æqualem vel minorem: quod ſatis erit ad meritum condignũ, accedente ordinatione & acceptatione Dei. Non dico etiam conſenſu & acceptatione hominis operantis: quia quamuis id quoque intercedere poſſit; tamen cùm Deus ſit abſolutiſſimus dominus humanæ voluntatis, id non requiritur; ſed per ſe ſufficit ordinatio Dei.

Et per meritum excedere dignitatem matris,

Obijcies quartò ex Lugo. Maius bonũ eſt augmentum gratiæ & gloriæ, quam dignitas maternitatis: ſed illud quidem augmentum eſt præmium condignum ad merita B. Virginis: ergo dignitas maternitatis non poterat eſſe præmiũ condignum. Reſpondetur, ſi quis probaret dignitatem maternitatis excedere valorem operum B. Virginis, is quidem probaret contra noſtram concluſionem. At addúcendo, quòd dignitas matris ab illo valore deficiat, id confirmat potius concluſionem: quia ſic valor operum B. Virginis excedebat excellentiam talis præmij. Et hoc eſt,

quòd

Digitized by Google

quod nos volumus, nempe B. Virginem potuiſſe mereri de condigno dignitatē matris, non ſolùm adæquando, ſed excedendo qualitatem talis præmij. Sicut vtique non negamus, ſed vltro aſſerimus, Chriſtum meruiſſe de condigno redemptionem noſtram: dum valor meritorum Chriſti non ſolùm adæquat, ſed longè excedit excellentiam huius præmij. Non poteſt ergo dici meritum condignum reſpectu mercedis excedentis valorem operis: ſed omnino dicetur condignum non ſolùm reſpectu mercedis æqualis, ſed etiam reſpectu mercedis deficientis à tanto valore; niſi quod reſpectu huius dici poterit pluſquam condignum, ideſt nō ſolùm æquiualens, ſed præualens, vt conſtat de merito Chriſti reſpectu noſtræ redemptionis & ſalutis. Et ſatis ſuperque eſt, quòd ſimili modo B. Virgo dicatur potuiſſe mereri de condigno ſuam dignitatem matris, ſicut dicimus Chriſtum meruiſſe de condigno noſtrā redemptionem. Non dici eodem modo, ideſt cum infinito exceſſu: ſed ſimili modo; ideſt ſimpliciter cum exceſſu.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Gratia Chriſti prout eſt quidam ſingularis homo.

AB hac quæſtione agendum deinceps eſt cum S. Thoma de perfectionibus Chriſti, conſequentibus ad eius ſubſtantiam, ſiue ad hypoſtaticam vnionem. Et meritò initium ſumitur à Gratia Chriſti in ſe: & dicitur, prout Chriſtus eſt quidam ſingularis homo, ad differentiam illius gratiæ qua erat caput aliorum, de qua tractatur quæſt. ſequenti. Nunc ergo de gratia Chriſti in ſe, hæc per tredecim articulos docet Sanctus Doctor. Primò, Chriſtum habuiſſe gratiam ſanctificantem, tum per coniunctionem ad Verbum, tum per habitum infuſum communem cum alijs hominibus iuſtis. Secundò, habuiſſe etiam virtutes, quia conſequuntur ex ipſa gratia ſanctificante. Tertio, non habuiſſe fidem, quia ſemper clarè videbat Deum, cum qua claritate viſionis non conſiſtit obſcuritas fidei. Quartò, nec habuiſſe ſpem, quia ſemper fuit re ipſa beatus, cum qua actuali beatitudine non conſiſtit ſpes quæ ad illam tanquam futuram tendit. Quintò, habuiſſe dona Spiritus ſancti, quia comitantur gratiam & virtutes. Sexto, inter illa habuiſſe etiam donum timoris, quia habebat affectum reuerentiæ erga Diuinam Maieſtatem & eminentiam. Septimò, habuiſſe gratias quæ dicuntur gratis datæ, quia hæ ordinantur ad vtilitatem aliorum, ad prædicandam & perſuadendam fidem, Chriſtus autem fuit primus & excellentiſſimus fidei doctor. Octauò, inter eas habuiſſe etiam gratiam prophetiæ, quia omnia futura præuidebat, & ea quæ procul erant annunciabat. Nonò, habuiſſe plenitudinem gratiæ, quia habuit gratiam in ſummo ſecundùm perfectiſſimum modum quo haberi poteſt, & quia habuit ad omnes operationes & effectus gratiæ. Decimò, hanc plenitudinem gratiæ fuiſſe propriam Chriſto, quantum eſt ex parte ipſius gratiæ, ideſt quòd fuerit in maxima excellentia qua poteſt haberi, & in maxima extenſione ad omnes effectus. Vndecimò docet, gratiam quidem vnionis hypoſtaticæ in Chriſto fuiſſe infinitam, gratiam verò habitualem non fuiſſe infinitam ſecundùm rationem entis & formæ realis, ſed benè ſecundùm rationem gratiæ, inquantum collata fuit Chriſto tanquam vniuerſali principio gratificationis in natura humana. Duodecimò, gratiam Chriſti non potuiſſe augeri, neq; ex parte ſua quæ pertingebat ad ſummam menſuram gratiæ,

gratiæ, nec ex parte ſubiecti quia Chriſtus ab initio fuit beatus. Decimotertiò tandem docet, gratiam habitualem in Chriſto ſe habuiſſe conſequenter ad gratiam vnionis ordine naturæ: tum quia principium vnionis erat Verbum, gratiæ verò habitualis Spiritus ſanctus, & miſſio Verbi eſt prior miſſione Spiritus ſancti: tum quia gratia in anima oritur ex præſentia Diuinitatis, & hæc præſentia habebatur in Chriſto per vnionem: tum demum quia gratia ordinatur ad benè agendum, actiones vero ſunt ſuppoſitorum, ergo conſequebatur ad hypoſtaticam vnionem qua diuinum ſuppoſitum ſubſtentabat humanam naturam.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus habuerit Gratiam ſanctificantem.

Chriſtus fuit ſanctus per gratiam vnionis. IN primis certum & exploratum eſt, Chriſtum Dominum per ipſummet donum hypoſtaticæ vnionis fuiſſe excellentiſſimo & ſingulari modo ſanctum. Ac declaratur facilè: ſi per gratiam habitualem infuſam, quæ eſt forma accidentalis, purus homo efficitur gratus & carus Deo, amicus Dei, filius adoptiuus Dei, heres gloriæ: quãtò magis per donum hypoſtaticę vnionis, quo Chriſtus eſt verus filius naturalis Dei, dici debet conſtitui gratus & carus Deo, de quo proinde per excellentiam ſingulariter dictum eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè cõplacui*: itemque heres gloriæ, imo primus heres, qui propterea vocatur *Primogenitus in multis fratribus*, & alij iuſti dicuntur, *Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*.

Quærunt autem aliqui, quænam propriè ſic ac dici debeat forma ſanctificationis in hoc ordine, quæ in genere cauſæ formalis conſtituat Chriſtum hoc modo ſanctum, num diuina ipſa natura, vel perſonalitas Verbi, vel modus vnionis. Et alij vno, alij alio modo loquuntur. Sed non oportet in hoc contendere. Ac potiùs quocunque ex his modis dici poterit Chriſtus in hoc ordine ſanctus. Nam diuina natura, & diuina perſonalitas, vnita hypoſtaticè humanitati Chriſti, reddit illam maximè ſanctam. & vnio ipſa qua Chriſti humanitas tàm intimè coniungitur diuinæ perſonæ & naturæ, reddit illam maximè ſanctam.

Habuit etiam gratiam habitualem infuſam. Sed hinc iam oritur ratio dubitandi, quòd ſuperflua eſſet in Chriſto alia gratia habitualis infuſa, qualis eſt in alijs iuſtis: atque adeo non ſit in illo concedenda. Certum tamen eſt apud Theologos, Chriſtum verè habuiſſe hanc etiam gratiam ſanctificantem. Vbi Suarez diſp. 12. ſect. 2. affirmat, hoc eſſe dogma fidei, ex illo Ioann. 1. *Plenum gratia*, & Lucæ 2. *Quod enim ex te naſcetur ſanctum*, & alijs huiuſmodi teſtimonijs, & ex doctrina vniuerſali de habitu gratiæ inhærente in omnibus iuſtis. Similiter Raguſa diſp. 67. §. 4. ait eſſe de fide. Sed Valent. q. 7. puncto 1. inquit, non eſſe quidem certum, ſed eſſe probabilius, quod hoc ſit de fide. Vaſq. diſp. 41. cap. 1. ait, non poſſe abſque temeritate negari gratiam infuſam habitualem in anima Chriſti, ob communem Theologorum conſenſum.

Rationem verò, quare in anima Chriſti conſtituendus ſit habitus gratiæ, non omnes eandem afferunt. Dixerunt aliqui, fuiſſe conſtituendam ad ſanctificationem Chriſti. Durand. in 3. d. 13. q. 1. fuiſſe neceſſariam ad hoc vt opera Chriſti eſſent meritoria. Alenſ. 3. par. q. 11. memb. 1. ad hoc vt diſponeret humanitatem Chriſti ad hypoſtaticam vnionem. Sed hę rationes aptæ non ſunt. Non prima: quia, vt dictum eſt, Chriſtus per ipſam hypoſtaticam vnionem excellentiſſimo modo ſanctificabatur. Non ſecunda: quia eodem modo per vnionem opera Chriſti erant perfectiſſimè meritoria. Neque tertia: quia non debebat nec poterat præmitti vlla diſpoſitio in humanitate Chriſti ad hypoſtaticam vnionem, vt iam quæſt. 4. tractauimus.

Habere debebat ob plures rationes. Optimæ ergo ſunt tres aliæ rationes, quas profert S. Tho. art. 1. Prima eſt: quia quo magis anima Chriſti erat per vnionem propinqua Verbo diuino influenti gratiam, eo magis debebat ab ipſo

ipſo participare gratiam. Et quidem, ſi alijs puris hominibus Deus concedit hanc ſupernaturalem perfectionem gratiæ, longè maiorem debebat communicare Chriſto Domino. Secunda ratio eſt: quia Chriſtus debebat exercere operationes ſupernaturales, ad quas natura creata indiget eleuari per gratiam. Neque vero ipſa vnio hypoſtatica erat per ſe & immediatè principium effectiuum ipſarum operationū, aut eleuans humanas potentias, abſq; alio auxilio ad eas efficiendas. Quamuis autem nec ipſa gratia ſanctificans per ſe præciſe ſpectata conferat potentijs vim ad operandum, aut ſit principium elicitiuum operationum: tamen eſt origo aliorum habituum ſupernaturalium & virtutem infuſarum, & exigitiuum aliorum auxiliorum; ex quibus habitibus & auxilijs eleuantibus humanas potentias, ſupernaturales operationes exercentur. Debebat ergo Chriſto tribui habitus ipſe gratiæ ſanctificantis, vt modo magis proportionato & conſentaneo illi darentur alij habitus & auxilia. Tertia ratio eſt: quia Chriſtus erat Dei & hominum mediator, & per Chriſtum Deus largitur gratiam alijs hominibus: conueniebat ergo, vt Chriſtus ipſe haberet etiam in ſe huiuſmodi gratiam.

Habuit ab initio ex vi hypoſtaticæ vnionis.

Et quidem dici debet illam habuiſſe ſtatim ab initio, ex primo nempe ſuæ conceptionis inſtanti. Nec enim debebat interponi ſpatium vllum temporis ante hanc infuſionem gratiæ. Habuit inquam ex vi & exigentia eiuſdem hypoſtaticæ vnionis. Non quaſi directè & phyſicè, tanquam à principio effectiuo, ab ipſa vnione manauerit: ſi quidem vnio non erat per ſe principiū operatiuum, vt ſupponimus. Sed quia immediatè & proximè infuſa fuit à Deo, ſicut & in alijs hominibus: ad exigentiam tamen & debitum vnionis; quia vnio exigebat, & vnioni debebatur, vt Deus habitum gratiæ infunderet animæ Chriſti Domini.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Chriſtus habuerit Gratiam auxiliantem & Virtutes.

Habuit Chriſtus gratiam auxiliantem.

DIcendum primò eſt, Chriſtum vere habuiſſe gratiam auxiliantem. Etenim in vniuerſum actus boni & ſalutares, cùm ſint ordinis ſupernaturalis, fieri non poſſunt abſque auxilio gratiæ. Neque vnio hypoſtatica ſufficiebat aut ſupplebat abſque huiuſmodi auxilijs. Et quidem plura ſunt hæc auxilia: nempe concurſus Dei ſupernaturalis, præuiæ cogitationes piæ eiuſdem ordinis, & alia principia eleuantia humanas potentias, & ſimul cum potentijs elicitiua actuum. Concurſus Dei eſt prorſus neceſſarius, nec abſque eo poteſt fieri vllus actus, nec vllo modo poteſt aliunde ſuppleri. Præuiæ cogitationes ſunt etiam ſimpliciter neceſſariæ ad conſequentes voluntatis actus: nec aliter ſuppleri poſſunt, ita vt voluntas abſque ijs valeat operari. Alia verò auxilia, quæ eleuando humanas potentias ſunt comprincipia elicien dorum actuum, quamuis admittamus poſſe ſuppleri immediatè ab ipſo Deo, per ſe adhibente influxum, alioqui debitum & conſuetum ex talibus auxilijs: tamen talis influxus non poterat per ſe adhiberi ab ipſa hypoſtatica vnione, quæ vtique non habet talem vim: nec ab eadem ſubſiſtentia perſonali Verbi diuini; ſiquidem perſonalitas diuina per ſe non eſt operatiua, prout ratione diſtinguitur ab eſſentia, nec poteſt prodire vlla operatio ad extra ab aliqua perſona diuina & non ſimul communiter ab alijs. Itaque non aliter poterat ſuppleri talis influxus in Chriſto, niſi prout in alijs hominibus, nempe per diuinam potentiam & actionem communem tribus perſonis. Quare, ſicut alijs hominibus conferuntur propria auxilia & interna principia, quæ modo magis accomodato & conſentaneo eleuent humanas potentias, & coefficiant actus: ita debent omnino concedi in Chriſto. Habuit ergo Chriſtus omne genus gratiæ auxiliantis.

Illud

Illud autem erat proprium Chriſto: quod ex vi hypoſtaticæ vnionis erant illi taliter debita omnia auxilia efficacia ad ſeruanda præcepta, vt non potuiſſet Deus ſtante vnione ea illi denegare, vt dicemus poſtea circa libertatē & impeccabilitatem Chriſti. Itaquè, hoc non ſolùm non tollit, vt Chriſtus haberet auxilia gratiæ diſtincta ab vnione: quia potiùs facit, vt ex vi eiuſdem vnionis illis carere non poſſet.

Habuit virtutes infuſas.

Dicendum ſecundò eſt, Chriſtum habuiſſe virtutes infuſas, quæ in alijs iuſtis reperiuntur: omnes inquam virtutes, quæ ſtatui beatifico, & ſummæ innocentiæ eius non repugnabant. Certè enim virtutes infuſæ, ornant ac perficiunt animam, & gratiæ ſanctificantis aptum comitatum conſtituunt, & requiruntur atque concurrunt ad operandum, ad eliciendos ſcilicet actus ſupernaturales. Atque cùm Chriſtus eſſet caput & exemplar aliorum iuſtorum; ſi alij habent has virtutes, multò magis & longè perfectiores debebat habere Chriſtus. Excipimus autem illas virtutes quę cum beatitudinis ſtatu vel plena innocentia repugnant. Qua ratione excipi debent cum S. Tho. art. 2. & 3. alijſquè Theologis communiter, fides & ſpes quæ non conueniūt Beatis, vtpote actu videntibus & poſſidentibus Deum, vt 2. 2. tractatur. Itemquè pœnitentia quæ eſt dolor de peccatis commiſſis: cum enim Chriſtus nec vnquam peccaſſet, nec peccare potuiſſet, non illi conueniebat virtus pœnitentiæ hoc modo dicta, vt notauit S. Tho. in 4. d. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2., alijquè Scholaſtici ead. diſt. Sed quia hoc attingit propriam naturam ac rationem harum ſpecialiū virtutum: magis ex profeſſo ſpectat ad proprios earum tractatus, vbi inquiritur de earum ſubiecto.

Habuit acquiſitas.

Dicendum tertiò, Chriſtum habuiſſe quoque virtutes de ſuo genere acquiſitas, habuiſſequè ſimiliter ab initio per infuſionem à Deo, quo pacto dicuntur infuſæ per accidens. Ita indicat S. Tho. art. 2. ad 3., & eſt cōmunis Theologorum ſententia. Et quidem dubitari non poteſt, Chriſtum habuiſſe has virtutes, Tum quia ſunt perfectiones conſentaneæ humanę naturæ, ſpectātes ad eius ornatum optimamquè diſpoſitionem. Tum quia Chriſtus operabatur ſumma alacritate & promptitudine in exercitio virtutum, ad quem effectum ordinantur acquiſitæ virtutes. Tum quia, ſi alij iuſti præter virtutes per ſe infuſas habent etiā acquiſitas, Chriſtus quoque debebat vtraſque habere. Tum etiam in ipſa anima Chriſti, præter ſcientiam infuſam conceditur acquiſita, vt poſtea videbimus; ergo ſimiliter ſentiendum eſt de virtutibus.

Habuit ab initio per infuſionē à Deo.

Et hoc ſuppoſito, exploratum quoque eſt, poſſe Deum eas ipſas virtutes quæ ex natura ſua ſolent humanis actibus comparari, ex ſe ipſo infundere ante omne actuum exercitium. Quo euentu hæ virtutes dicuntur adhuc eſſentialiter acquiſitæ, hoc eſt ſecundùm eſſentiam ſuam eiuſdem generis & rationis cum illis quæ humanis actibus comparantur. Dicuntur infuſæ per accidens, quia non ex ſe poſtulant infundi à Deo: & in hoc ſecernuntur à virtutibus per ſe infuſis. Chriſto ergo hoc modo infuſæ fuerunt in primo cōceptionis inſtanti hæ virtutes acquiſitæ, ſimul cum infuſis: quia ſic planè decebat ſtatum & perfectionem illius. Propter quod S. Tho. art. 2. ad 3. aduertit, Chriſtum habuiſſe quidem temperantiam, non autem continentiam, iuxta explicationem Ariſtot. 7. Ethic. cap. 9, quia temperantia ſignificat virtutem perfectam, continentia verò inchoatam, ſeu aliquid minus virtute. Chriſtus autem ab initio omnem virtutem habuit in ſtatu & gradu perfecto, ſemperquè ab initio habuit ſummam facilitatem & promptitudinem ad opera virtuoſa. Vnde hæc facilitas ex parte virtutum non augebatur in anima Chriſti per frequentationem bonorum actuum: ſiquidem ab initio omnium harum virtutum habitus fuerunt in eo ſtatu eaquè intenſione, ad quam potuiſſet peruenire per incrementum ſucceſſiuum ex omnibus Chriſti operibus. Prudentia tamen, quæ & inter virtutes morales computatur, coniungi poteſt cum ſcientia acquiſita, quam Chriſtus ex parte propijs actibus tem-

po-

potiis progreſſu comparabat, vt poſtea circa ſcientiam dicemus.

Et actus virtutum exercebat ſemper ordinis ſupernaturalis.

Cæterum, hæc doctrina intelligitur maximè de virtutum habitibus. Alioqui de actibus putandum eſt, omnes fuiſſe ordinis ſupernaturalis, atque adeo factos ex influxu alicuius virtutis infuſæ; vt attingemus etiam circa meritum Chriſti. Sed adhuc tales actus ſimul dependebant ſuo modo ex habitibus acquiſitis. Non quidem, vt dicunt aliqui, quòd eſſent ſecundùm ſubſtantiã ordinis naturalis, & vt ſic procederent ab habitibus acquiſitis; eſſent verò quoad modum ſiue quoad ordinationẽ extrinſecam ordinis ſupernaturalis; & vt ſic dependerent ab habitibus infuſis. Sed quia potiùs actus ipſi ſecũdùm ſubſtantiam ſupernaturales, ſimpliciter quidem eliciantur ex vi habituum infuſorum, & ſimul etiam quoad facilitatem & alacritatem dependeant ab habitibus acquiſitis, eo nempe modo quo in hoc alij actus ab ijs habitibus depẽdent iuxta ea quę in vniuerſum de habitibus & virtutibus 1. 2. tractauimus, vbi præſertim q. 55. ſect. 7. ſtatuebamus, habitus virtutum acquiſitarum communiter deſeruire & conferre etiam ad ſupernaturales actus promptiùs & alacrius exercendos.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Chriſtus habuerit dona Spiritus ſancti & gratias gratis datas.

Habuit Chriſtus dona Spiritus ſancti.

CErtum de fide eſt, Chriſtum habuiſſe dona Spiritus ſancti: ex illo loco Iſaiæ 11., *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quem locum ſpecialiter de ipſo Chriſto Patres exponunt, ac Theologi intelligunt: & per extenſionem ad alios etiam iuſtas referunt: quare principaliter hæc dona fuerunt in Chriſto.

Nõ ſolùm quoad habitum, ſed etiam quoad actum.

Sed Durand. in 3. d. 34. q. 3. voluit, hæc dona reperiri quidem in Beatis ſecundùm habitum, ſed non omnia ſecundùm actum: quia nempe Beatis nõ occurrit materia, in qua exerceant actus quorundam ex ijs donis, vt potè nullum vitæ periculum in quo exerceant fortitudinem. Et hoc loco putant aliqui, Durandum idem ſenſiſſe de Chriſto, qui ab initio & ſemper fuit perfectè beatus. Alij tamen Theologi hæc dona, non ſolùm ſecundùm habitum, ſed etiam ſecundùm actum, ſolent Beatis concedere, & ſpecialiter concedunt Chriſto. Quia nimirum, licèt Beati non inueniant materiam & occaſionem in qua externos actus omnium donorum exerceant: tamen optimè poſſunt ſecundùm affectum eſſe benè diſpoſiti ad eos exercendos ſi oporteret: poteſt Beatus habere animũ perferendi quæcunq; pericula ſi Deus id iuberet, ſiue eos periculis exponere de ſua abſoluta potẽtia vellet. Et certè, præter hoc, Chriſtus dum fuit in hac vita mortali, quamuis ſimul eſſet quoad animam perfectè beatus, habuit maximam materiam in qua huiuſmodi opera eximie exerceret: ac de facto ſumma fortitudine & alacritate tot moleſtias & pericula ac mortem ipſam pertulit: quod non poterat non fateri Durandus, vt ſpecialiter Chriſto tribueret exercitium fortitudinis, ad differentiam aliorum Beatorum.

Etiam donum timoris.

Sed rurſus ſpecialiter de dono timoris, refert D. Bern. epiſt. 190. inter errores Abailardi, quòd Chriſto & Beatis negauerit timorem Dei. Omnino tamen concedi debet Chriſto donum timoris ſimul cum alijs donis. Tum ex loco Iſaiæ adducto: & ex illis verbis. Pſal. 18., *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*: quæ verba extenduntur ad omnes Beatos. Tum etiam ex definitione Innocentij Papæ, qui errores Abailardi damnauit, vt habetur epiſt. 194. apud D. Bernard. Tum præterea explicatur: quia licèt in Beatis & in Chriſto, non habeat locum timor ſumptus pro fuga mali apprehenſi vt futuri, mali inquam culpæ, vel pœnæ debitæ ex propria culpa: ſiquidem certiſſimè ſciunt, nullum huiuſmodi malum eis imminere. Tamen ſumitur alio modo timor pro affectu reuerentiæ ad Deum vt potentem ſimpliciter

infligere

Digitized by Google

inſligere malum: & hic timor eſſe poteſt & debet in Beatis & in ipſo Chriſto. Et ita explicat S. Tho. art. 6. in corp. & ad 1. Quæ timoris acceptio habetur quoque in S. Script. & tribuitur Beatis, Iob 23. *Columnæ cæli contremiſcunt*. Et Matth. 9. Lucæ 5. & 7. & ad Roman. 13. timor ſumitur pro admiratione & reuerentia. Quo eodem ſenſu Gregor. lib. 17. Moral. cap. 15. explicat illum locum Iob. Et Dionyſ. cap. 13. de Cœleſti Hierarch. & Chriſoſt. in cap. 6. Iſaiæ, explicant illam Iſaiæ viſionem, qua Seraphim velabant facies ſuas ante conſpectum Dei. Quãtùs autem hic reuerentiæ actus, ſit humilitatis cuiuſdam ad Deum: eſſe etiam poteſt actus timoris, qui inter Spiritus ſancti dona computatur. Quia nempe vel dona Spiritus ſancti non diſtinguũtur à virtutibus infuſis, ſed ſunt eædem virtutes connotando peculiarem inſtinctum Spiritus ſancti ad quoſdam actus. Vel, ſi diſtinguuntur, hæc diſtinctio conſiſtit in hoc, quòd actus excellentiori & extraordinario modo facti in materia ipſa virtutum, procedunt ab habitu doni, & non ab ordinario dono virtutis. Sed præterea timor inter dona Spiritus ſancti explicari præcipuè debebat vt correſpondens virtuti temperantiæ, adæquando nempe & commenſurando dona virtutibus, ſicut & inter dona ponitur fortitudo quæ & eſt altera virtus. Et quidem de hoc dono timoris, & communiter de ratione donorum, eorumquè diſtinctione à virtutibus, Iam tractauimus ſuo loco 1. 2. q. 68. Et qualitercunque explicentur, omnino erant in Chriſto.

Habuit gratias gratis datas.

Deinde, gratiæ gratis datæ, enumerantur nouem ab Apoſtolo 1. Cor. 12. videlicet, ſermo ſapientiæ, ſermo ſciẽtiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituũ, genera linguarum, & interpretatio ſermonum. De quibus omnibus dubitari non poteſt, excellentiſſimo modo datas fuiſſe Chriſto. Et ferè de omnibus conſtat in hiſtoria euangelica. Et ratione patet, quia cùm hæ gratiæ ordinentur ad ſalutem & vtilitatem aliorum, debebant principaliter conferri Chriſto, qui venit propter nos homines & propter noſtram ſalutem.

Etiam gratiam fidei & genera linguarum

Aliqua tamen difficultas eſſe poteſt de quibuſdam ex huiuſmodi gratijs. De gratia fidei: quia vt dicebamus, Chriſtus non habuit fidem, cùm habuerit ſemper claram viſionem. Sed res eſt facilis: quia nomine fidei inter gratias gratis datas, Apoſtolus non intellexit virtutem illam theologicam, quę in nobis dicitur fides. Sed vel perfectam & ſublimem intelligentiam myſteriorum fidei ad inſtruendos alios, vel inſignem facilitatem ad explicanda myſteria fidei: vel certè firmam fiduciam ad patranda miracula. Quæ omnia optimè poterant ſimul cum clara viſione in Chriſto conſiſtere. Et iam ſuo loco 1. 2. q. 111. ſect. 4. commemorauimus varios modos, quibus gratia fidei inter gratias gratis datas poterat aut ſolebat explicari. Et quicquid de hoc ſit; ſatis erit quòd in Chriſto erat ſcientia infuſa loco fidei, & vbi in nobis aſſignatur fides obſcura, ſupplebat in Chriſto ſcientia euidens. De generibus linguarum, non conſtat, Chriſtum fuiſſe vnquam loquutum varijs linguis. Sed ſatis eſt dicere cum D. Thoma art. 7. Chriſtum habuiſſe exquiſitam notitiam linguarum omnium, & promptiſſimam habilitatem ijs vtendi ſi voluiſſet.

Etiam gratiam prophetiæ.

De gratia demum Prophetiæ, Abulenſ. in cap. 11. Numeri q. 64. negat fuiſſe in Chriſto: quia putat, de ratione prophetiæ eſſe obſcuritatem. Vnde Beati in Patria non dicuntur Prophetæ, quamuis occulta & futura cognoſcant. Imò & Ioannes Baptiſta appellatus eſt pluſquàm Propheta. Omnino tamen Chriſtus dici debet Propheta, & habuiſſe gratiam prophetiæ. Ita planè vocatus eſt in Scriptura, Deuter. 18. Lucæ 4. 7. 13. 24. & Ioann. 4. Et ſic etiam communiter apud Patres & Sacros Doctores. Et quidem de ratione prophetiæ eſt, vt cognoſcantur & enunciẽtur ea quæ remota ſunt ab aliorum notitia, cuiuſmodi ſunt futura contingentia, & alia occulta: quamuis inquam cognoſcantur clarè & euidenter. Itaque non eſt de ratione prophetiæ obſcuritas, vt aduertit S. Tho. hic art. 8. Imò regulariter notitia prophetica

Digitized by Google

in quibuſuis hominibus habet quandā claritatem, vt notauit S. Tho. 2. 2. q. 171. art. 1. ad 4. & art. 3. ad 2. Intantum vt Prophetę in Script. ſoleant nominari videntes. Poteſt ergo prophetia ſtare cum clara & intuitiua notitia: dummodo inquam, ea quæ cognoſcuntur, abſcondita & remota ſint à communi notitia eorum cum quibus Propheta conuerſatur, & quibus ignota enunciat, vt notat S. Tho. hoc art. 8. ad 2. Ideoquè Beati in Patria non dicuntur Prophetæ: quia ea quæ ipſi cognoſcunt, non ſunt remota à notitia eorum cum quibus conuerſantur. Sed benè Chriſtus, dum erat in via, erat propriè Propheta reſpectu aliorū viatorum. Admittendumquè eſt, eandem Chriſti cognitionem, dum erat in via fuiſſe propheticam, & modò in Patria non eſſe propheticam; ex variatione ſcilicet ſtatus & ſocietatis eorum quibuſcum conuerſatur, quia variatur ſolùm denominatio. Adhuc verò Chriſtus dici debet non ſolùm Propheta, ſed multò pluſquàm Propheta: quia non ſolùm habebat ea quæ erant de ratione prophetiæ, ſed multò maiora.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Chriſtus habuerit gratiam infinitam.

Gratia vnionis hypoſtaticæ erat infinita.

SVpponit S. Thomas art. 11., gratiā vnionis hypoſtaticę eſſe infinitā, ſecundùm quod perſona Verbi eſt infinita. Quare ex hac parte dici etiam debet Chriſti ſanctitas infinita, & Chriſtus in ſua humanitate infinitè ſanctus, ſiuè humanitas Chriſti infinitè ſanctificata. Quia, ſiue forma ſanctificans humanitatem Chriſti, dicatur ipſa Deitas aut perſona Verbi, hæc eſt vtique ſimpliciter infinita: ſiue dicatur eadem vnio hypoſtatica, hæc dicetur quoque in ratione gratiæ & ſanctitatis infinita, dicetur reddere naturam vnitam Diuinæ perſonæ infinitè ſanctam. Sicut nimirum & exinde opera Chriſti dicuntur infinitè digna, & infiniti valoris ad merendum ac ſatisfaciendum, vt quæſt. 19. tractabimus.

De gratia autem habituali infuſa, affirmauit etiam Maior in 3. d. 13. q. 3. fuiſſe in Chriſto infinitam. Negant cōmuniter alij, Albert. Scot. Bonau. Durand. Riccard. & cæteri Scholaſtici in 3. d. 13., itemquè S. Tho. & ſequaces hac q. art. 11. Addit tamen S. Thom., quòd licet gratia Chriſti non ſit infinita in ratione formæ & qualitatis, tamen eſſe infinitam formaliter in ratione gratiæ. Et quidam alij etiam tueri & explicare conantur, eſſe quodammodo & in aliquo ſenſu infinitam.

Gratia habitualis non erat infinita in intenſione.

Dicendum ergo primò eſt, hanc Chriſti gratiam non eſſe realiter & phyſicè infinitam in ſua ratione & intenſione. Probat primò S. Thomas: quia cùm ſit in anima Chriſti tanquam in ſubiecto, anima Chriſti quæ eſt creatura, non habet capacitatem infinitam, hoc eſt ad recipiendam gratiam infinitam; neque in illa recipi poterit gratia infinita. Verùm, adhuc probandum remanet hoc ipſum, quòd anima Chriſti, ſiue quæcunque creatura, non habeat capacitatem recipiendi gratiam infinitā.

Probat hoc ſecundo Vaſq. diſp. 46. cap. 2. poſt impugnatas alias rationes: quia nulla creatura poteſt reddi tam ſancta per gratiam adoptionis, quin in dies poſſit magis iuſtificari, & in ſanctitate creſcere, ac Deo magis placere. Nam quis neget, Deo magis placere illum ex filium adoptiuum, qui plura bona opera exerceat, & plus quam alius qui eſſet otioſus? Sed qui haberet infinitam gratiam non poteſt in ea creſcere: ergo non eſt poſſibilis gratia infinita. Hæc tamen ratio non ſatis perſuadet. Quamuis enim de facto omnes puri homines, dum ſunt in via, per bona opera creſcant in gratia: adhuc nō ex hoc apparet repugnantia, quare non poſſet Deus ex ſe conferre totam illam gratiam quam homo deberet ſuis operibus & meritis obtinere, ita vt deinceps operando non ampliùs in illa creſceret. Quinimò de facto Chriſtus, licèt non habuerit gratiam infinitam, habuit tamen ab initio totam, ita vt per ſua opera & merita non acquiſierit ſibi maiorem. Quòd ſi Vaſquez intelligat, hominem per ipſammet bona opera formaliter fieri magis iuſtum, &

magis

Digitized by Google

magis placere Deo : hinc ſolùm inferre poteſt, talem hominem creſcere in iuſtitia actuali; ſed non probat, debere etiam neceſſariò creſcere in iuſtitia habituali.

Probare tertiò ſolent alij, ex eo quia ſi eſſet gratia infinita, ei correſponderet viſio Dei infinita : ſed hæc eſt impoſſibilis, quia eſſet comprehenſio Dei : ergo gratia non poteſt eſſe infinita. Sed hæc ratio attingit aliam difficultatem, quidnam ſit illa comprehenſio Dei quæ iuxta fidem impoſſibilis reputatur: de qua re tractatum eſt 1. par. q. 12. Nunc autem non eſt ab intrinſeco neceſſaria illa conſequentia : ſi gratia eſſet infinita, ei correſpondere viſionem infinitam. Nam de facto gratia vnionis eſt infinita, vt dicebamus, cui ſanè per ſe debetur gloria & clara Dei viſio : ſed tamen non ſequitur, poſſibilem eſſe viſionem infinitam, ipſi vnioni debitam : quia nimirum obuiat peculiaris repugnantia inuenta in infinitate viſionis, ſi hæc viſio infinita eſſet comprehenſio Dei. Quare, ſicut reſpectu vnionis, ita pariter reſpectu gratiæ habitualis infinitæ, diceretur ſatis eſſe, illi correſpondere viſionem Dei maiorem & maiorem, à Deo tamen taxandam ac determinandam in exequutione. Nec alia peculiaris & propria ratio de gratia habituali apparet, vt non poſſit eſſe infinita, præ alijs qualitatibus in ſua intenſione.

Quia in vniuerſum non eſt poſſibilis qualitas infinita.

Probanda ergo tandem eſt hæc concluſio communibus rationibus, quòd non ſit poſſibile tale infinitum in rebus creatis, non ſit poſſibilis qualitas infinita, intenſio infinita qualitatis: vt iam de omnibus in Philoſophia tractauimus quæſt. 24. Quòd ſi non eſſet ſimpliciter impoſſibilis qualitas infinita: tunc non poſſet quidem efficaciter probari, gratiam Chriſti de facto non fuiſſe infinitam : ſed nec ex alia parte oporteret affirmare fuiſſe infinitam : quia non quicquid abſolutè poſſibile erat, dici debet fuiſſe de facto conceſſum animæ Chriſti, vt rurſus ex dicendis ſect. ſequenti conſtabit.

Erat infinita quodammodo in ratione gratiæ.

Dici ſecundò poteſt, gratia Chriſti quodammodo infinita moraliter in ratione gratiæ. Hoc explicat primò S. Thomas : quia gratia Chriſti habebat quicquid ſpectat ad rationem gratiæ : & non fuit data Chriſto ſecundùm certam menſuram, ſed tanquam cuidã vniuerſali principio gratificationis in humana natura. Sicut, inquit, & lux Solis poteſt eodem ſenſu dici infinita. Quod videtur ſic intelligendum : quia in Chriſto eſt omne genus gratiæ, ſiue omne munus, omnis effectus gratiæ, ex ijs quæ in alijs diſperſa ſunt. Item quia ex ipſo Chriſto tanquam fonte & capite proueniunt omnia dona gratiæ quæ hominibus conceduntur. Quare dicetur Chriſtus continere in ſe eminenter & virtualiter totam gratiam : & ſic eius gratiam eſſe quodammodo infinitam in ratione gratiæ.

Explicari idem ſecundò ſolet : quòd gratia habitualis Chriſti ſit quodammodo moraliter infinita, propter coniunctionem cum perſona diuina infinita : per hanc enim ipſam coniunctionem dicetur eadem quoque gratia reddi quodammodo infinitè digna, ſicut ipſa natura humana dignificatur per vnionem ad Verbum. Non quidem quaſi ipſa gratia habeat aliquem peculiarem modum ſuum vnionis ad Verbum: ſed ſolùm quia concomitanter reperitur in anima Chriſti quæ eſt vnita Verbo. Et quoniam hoc eſt commune omnibus alijs qualitatibus exiſtentibus in anima Chriſti, peculiaris eſt in ipſa gratia proportio & conuenientia in ratione gratiæ ſanctificantis & dignificantis ſubiectum.

Similiter explicari ſolet tertiò in ordine ad valorem & meritum operum, quia nempe gratia Chriſti eſt principiũ meriti infiniti. Non quidem quaſi ipſa gratia habitualis per ſe det valorem infinitum: ſed quia eſt principium operum, quæ re ipſa ſunt valoris infiniti, quam tamen infinitatem valoris trahunt ex vi hypoſtaticæ vnionis & dignitate ſuppoſiti operantis. Et quamuis hoc etiam ſit commune alijs donis gratiæ de genere gratiæ auxiliantis: tamen quia habitus gratiæ ſanctificantis ſe habet vt origo aliorum donorum, quæ nempe vel ex illa conſequuntur, vel ad illã ordinantur; ideò talis denominatio quodã peculiari iure ei attribuitur.

Digitized by Google

Explicatur quidam locus Euangelij.

Sed obijcies primò ex auctoritate Euangelij, Ioann. 3. *Deus non dat ad menſuram ſpiritum filio ſuo.* Vbi per ſpiritum intelligendo gratiam, ſenſus eſſe videtur, Deum non dediſſe finitam ſed infinitam gratiam habitualẽ Chriſto. Hunc tamen locum plerique Recentiores exponunt, non de gratia data Chriſto, ſed communitati hominum: non enim in textu dicitur ly filio ſuo; ſed abſolute, *Deus non dat ſpiritum ad menſuram*. Et ita dicunt ſenſũ eſſe, Deum non dare omnibus & ſingulis ſuam gratiam ſub certa menſura, ſed alijs maiorem & alijs minorem. Vel, non dare gratiam parcè & reſtrictè, ſed largè & abundanter. At quia planè in eo capite & diſcurſu ſermo eſt ſingulariter de Chriſto, & de eo Patres frequentiùs hunc locum intelligunt: ideo S. Thomas art. 11. ad primum tres affert expoſitiones. Vel nempe, ſenſum eſſe de diuina natura, quam Pater communicat Filio. Vel de dono vnionis hypoſtaticæ quod contulit humanæ naturæ. Vel de gratia habituali quoad ſua munera ſeu effectus: quatenus gratia Chriſti ſe extendit ad omnes effectus gratiæ.

Explicatur vis hypoſtatica vnionis ad habitum gratiæ.

Obijcies ſecundò. Gratia data eſt Chriſto ex vi hypoſtaticæ vnionis; ſed hæc eſt infinita: ergo debuit dari Chriſto gratia infinita: non enim erat vnde determinaretur tanta gratia, & non maior. Reſpondetur, ex vi vnionis deberi gratiam, & non determinari ex vi & exigentia ipſius vnionis, vt detur tanta & non maior. At in exequutione non poſſe dari infinitam; ſed ex voluntate Dei determinandum fuiſſe, ac determinatum eſſe, quanta gratia daretur Chriſto, vt ſect. ſequenti ſubiungemus.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Chriſtus habuerit maximam gratiam.

IN primis, Chriſtum habuiſſe maximam gratiam quam anima humana habere poſſit, etiam reſpectu potentiæ abſolutæ Dei; ita vt ſimpliciter à Deo ipſo non poſſit fieri & infundi maior, affirmant Scotus in 3. d. 13. §. *Ad primam quæſtionem*, Durand. ead. diſt. q. 1. Bonau. in 1. d. 17. par. 2. art. 1. q. 4. item Caiet. hic q. 7. art. 9. 10. & 12. & infra q. 10. art. 4. & quidam alij Theologi. Sed inter hos, Scotus voluit gratiam ipſam ſecundum ſe habere certam ac determinatam menſuram, quam ex natura ſua non poſſit excedere. Bonau. autem admittens gratiam ſecundum ſe non exigere determinatam intenſionem, vult determinationem oriri ex parte ſubiecti, ita vt anima ipſa habeat certam ac limitatam capacitatem, qua tantam gratiam & non maiorem recipere poſſit.

Nõ habuit Chriſtus maximam gratiam poſſibilem.

At certe, reſpiciendo ad Dei potentiam abſolutam, ad naturam gratiæ, ad capacitatem ſubiecti, dubium eſſe non debet, Deum poſſe animæ humanæ infundere maiorem & intenſionem habitum gratiæ, quàm de facto contulerit animæ Chriſti; atque adeo gratiam habitualem Chriſti de facto non eſſe maximam quæ eſſe poſſit in ordine ad Dei potentiam abſolutam. Hæc aſſertio indicatur à S. Tho. hîc art. 12. ad 2. & clariùs 2. 2. q. 24. Et jam ſatis communiter à Theologis approbatur. Et fundamentum eſt: quia potentia quidem Dei eſt infinita; vnde ex parte ſua non habet vllam limitationem. Nec ex parte creaturarum vlla repugnantia apparet, quare poſtquàm gratia, vel quæcunque qualitas intenſibilis prouecta fuerit ad quemcunque certũ intenſionis gradum, non poſſit magis augeri. Nulla eſt qualitatis in intenſione menſura, vltra quam per Dei potentiam non poſſit augeri. Et quando ſubiectum habet ex ſe determinatã capacitatem & exigentiam, vt corpus ignis requirit calorem vt octo, quæ eſt ſumma intenſio naturalis in materia; non tamen per hoc habet tantam repugnantiam ad maiorem intenſionem excipiendam, vt nec per Dei potentiã abſolutam poſſit ſuſtinere maiorem; ſed poſſet adhuc roborari à Deo ad recipiendam ſemper maiorem abſque vllo certo termino. Loquendo autem de habitu gratiæ quæ eſt qualitas ſupernaturalis, cùm ad hanc formam

capa-

Digitized by Google

capacitas animæ non ſit naturalis, ſed obedientialis; tantam gratiam abſolutè recipere poteſt anima, quantam poteſt Deus infundere: quia potentia paſſiua obedientialis creaturæ quodammodo correſpondet omnipotētiæ actiuæ Dei tanquam auctoris ſupernaturalis.

Et confirmatur hæc res alijs exemplis. Nulla poteſt eſſe multitudo finita tam magna; qua Deus non poſſit maiorem adhuc & maiorem efficere. Nulla poteſt eſſe magnitudo tam ingens, tam longa, tam lata, tam profunda, qua Deus non poſſit maiorem, longiorem, latiorem, profundiorem producere. Idem ergo eſt in vniuerſum de intenſione qualitatis. Neque occurrit vlla peculiaris ratio de hac qualitate quæ eſt habitus gratiæ, cur vltra certam menſuram non poſſit intendi. Eademque ratio eſt de alijs huiuſmodi habitibus, & ſimiliter de actibus: nullus enim habitus vel actus poteſt eſſe tam magnus, quo per Dei potentiam non poſſit fieri maior. Et ita in vniuerſum de hac re iam olim in Philoſ. ſtatuimus q. 24. ſect. 4.

Nihil Chriſti maximo gratia ſ... [illegible]

Habuit maximam præ omnibus hominibus & Angelis.

Secundò deinde affirmandum eſt, gratiam Chriſti fuiſſe verè maximam in comparatione cuiuſcunque gratiæ de facto collatæ aut conferendæ cuilibet creaturæ, ſiue Angelicæ ſiue humanæ. Itaque gratia in anima Chriſti maior eſt, quàm vnquam fuerit vel futura ſit in quouis homine aut Angelo. De hac re dubitari ſane non poteſt, inſpiciendo dignitatem & ſupereminentiam Chriſti Domini. Imo putandum eſt; hanc Chriſti gratiam excedere totam aliam gratiam collatam hominibus & Angelis etiam collectiuè ſumptam: ita vt ſi conſideremus, omnem aliorum gratiam in vnam ſimul colligi, & in vnam intenſionem conſurgere; adhuc gratia Chriſti illam excedat. Et in hoc etiam ſenſu accipi poteſt quod dicitur, in Chriſto fuiſſe omnem gratiæ plenitudinem. Et ſic item intelligenda ſunt, quæ S. Doctor art. 12. & alijs articulis docet, gratiam Chriſti eſſe in perfectiſſimo gradu, in ſumma menſura, maxima intenſione, & ſimilia.

Habuit ab initio maximã quã habiturus erat.

Tertiò rurſus dicendum eſt, gratiam habitualem Chriſti, ab initio fuiſſe maximam, quæ deinceps & in æternum futura erat: hoc eſt non fuiſſe minorē in primo conceptionis inſtanti, quàm in toto progreſſu eius ſanctiſſimæ vitæ, ac tandem in inſtanti mortis, nec ſucceſſiuè adauctam fuiſſe. Hoc eſt etiam certum inter Theologos. Quod S. Tho. art. 13. ea præcipuè ratione probat: quia cùm Chriſtus ab initio eſſet in anima ſua beatus, non merebatur pro ſeipſo maiorem gloriam eſſentialem, ac ita nec etiam gratiam habitualem: ſicut nec alij Beati amplius merentur.

Cur non habuit maiorem gratiam.

Obijcies primò contra primam concluſionem. Si Chriſtus non habuit maximam gratiam poſſibilem, quæri poterit, cur non habuit maiorem, & ſemper videbitur conſequentius, quod maiorem habuerit, quia ratione hypoſtaticæ vnionis maior ſemper ei debebatur. Reſpondetur, verè non poſſe à nobis huius determinationis aliã reddi rationem, niſi quia Deus ita diſpoſuit, ac tantam gratiam, & non maiorem, animæ Chriſti voluerit infundere. Cùm enim non poſſet effici & infundi gratia actu infinita, vt antea ſtatutum eſt, atque adeo omninò eſſet determinanda gratia Chriſti ſub certa menſura, Deus pro ſua ſapientia ac prouidentia determinauit quandam certam intenſionis menſuram.

Quare nõ poſſit purus homo illam adæquare.

Obijcies ſecundò contra ſecundam. Si Chriſtus non habuit maximam gratiam quæ ſit poſſibilis, ergo poſſet purus homo per bona opera magis ac magis merendo, non ſolum adæquare, ſed etiam excedere gratiam quam de facto Chriſtus habuit. Et alioqui, niſi hoc admittamus, incidemus in errorem Beguardorum, damnatum in cap. *Ad noſtrum* de Hæreticis, qui dicebant, hominem in hac vita aliquando pertingere ad ſtatum vltimæ perfectionis, in quo non poſſit amplius proficere: hoc enim ſequi videtur, ne fortaſſe aliquis pertingeret ad gradum gratiæ Chriſti. Ad hoc argumentum reſpondet S. Tho. art. 11. ad 3., quod licet in his quæ ſunt eiuſdem rationis; id quod eſt minus poſſit augeri vſque ad maius: tamen gratiam puri hominis comparari ad gratiam Chriſti, ſicut virtutem particularem ad vniuerſalem. Per quod

K 3 iudi-

indicare videtur, has eſſe gratias diuerſæ rationis, ita vt non poſſit vna per augmentum alteram adæquare. Hoc verum quidem eſt, ſi in Chriſto accipiamus gratiam vnionis: ad hanc enim nulla habitualis gratia, quantũ-libet augeatur, pertingere poteſt. Tamen gratia habitualis Chriſti eſſentialiter eſt eiuſdem rationis cum gratia habituali aliorum. Vnde negari non poteſt, per potentiam Dei abſolutam poſſe promoueri gratiam habitualem puri hominis ad æqualem vel etiam maiorem gradum, cum gratia Chriſti.

At reſpiciendo ad ordinatum curſum humanæ vitæ iuxta diuinam prouidẽtiam, certum eſſe debet, ita inueniri præfixos pro ſingulis hominibus, certos terminos meriti, & gratiæ, & gloriæ, vt quilibet homo tunc perueniat ad finẽ ſuæ vitæ & viæ, quando aſſequitur illũ terminum gratiæ & meriti, quem Deus illi in ſua prædeſtinatione deſignauit. Et ad hoc poteſt applicari ratio S. Thomæ: quia cùm Deus dederit gratiam Chriſto tanquam virtutem vniuerſalẽ, alijs verò det tanquam virtutem particularem; totam gratiam ita ordinauit, vt aliorum hominum gratia non adæquet gratiam Chriſti. Ex quo non ſequitur, hominem in curſu ſuæ vitæ peruenire vnquam ad talem ſtatum, in quo non poſſit vlterius proficere: hic enim eſt error damnatus. Sed ſolùm ſequitur, hominem in fine ſuæ vitæ peruenire ad eum gradum, quem deinceps non poterit excedere. Qui gradus in quocunque homine erit longè inferior gratia Chriſti, iuxta ordinem diuinæ prædeſtinationis.

Obijcies tertio contra tertiam concluſionem, illud Euangelij Lucæ 2., *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines*: ergo gratia Chriſti decurſu temporis augebatur. Neque videtur hic locus ſufficienter explicari de profectu quoad exteriorẽ apparentiam, hoc eſt quod Chriſtus magis ac magis patefaciebat hominibus ſuam gratiam: hoc enim eſt proficere apud homines: ſed Euangeliſta diſtincte inquit, *Apud Deum & homines*. *Quomodo dicatur Chriſtus profeciſſe in gratia.* Reſpondetur, hunc locum ſic eſſe explicandum: quod Chriſtus proficiebat in gratia, id eſt in operibus ſanctitatis & gratię: quoniam ſemper addebat noua opera bona & ſancta per gratiã, & ita proficiebat in effectibus gratiæ: Ideoque dicebatur, *Apud Deum & homines*: quia hæc opera Chriſti erant grata & manifeſta Deo & hominibus.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Gratia Chriſti prout eſt caput aliorum.

PRÆSENTEM quæſtionem in octo articulos diſtribuit S. Thomas. Primò docet, Chriſtum verè eſſe caput Eccleſię: quia ſicut in humano capite tria conſideramus reſpectu totius corporis, ordinem, perfectionem, & virtutem: Ita Chriſtus reſpectu Eccleſiæ habet excelſum primatum, habet perfectionem, & plenitudinem omnium gratiarum, habet virtutem influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ. Secundò docet, totam Chriſti humanitatem ſcilicet quoad corpus & animam, habere rationem capitis reſpectu hominum etiam quoad corpus & animam: quia tota Chriſti humanitas eſt vnita Verbo, & habet vim influendi: & per Chriſtum non ſolùm ſanctificatur anima noſtra, ſed etiam membra corporis exhibentur arma iuſtitiæ, & gloria animæ redundat in corpus. Tertiò docet, Chriſtum eſſe caput omnium hominum; diuerſis tamen gradibus: quia aliorum eſt caput, inquantum actu percipiunt ab eo influxum, vel gloriæ, vel charitatis, vel fidei: aliorum verò inquantum

Digitized by Google

rum ſaltem poſſunt participare eius influxum, quandiu in hac vitâ degunt. Quartò docet, Chriſtum eſſe caput etiam Angelorum: quia ex Angelis & hominibus vnum myſticum corpus Eccleſiæ coaleſcit, cuius vtique caput debet eſſe Chriſtus. Quintò docet, gratiam capitis in Chriſto eſſe eandem cum gratia habituali: quia per eandem formam aliquid eſt actu in ſe, & agit in aliud ſubiectū: eadem ergo gratia Chriſti in ſe, eſt gratia capitis, quatenus reſpicit alios in quos deriuetur. Sextò docet, proprium eſſe Chriſto, quod ſit caput Eccleſiæ quantū ad interiorem influxum: ſed quantum ad exteriorem gubernationem etiam Epiſcopos dici capita ſuarum Eccleſiarum, & Papam totius Eccleſiæ pro tempore ſui Pontificatus; ſolum verò Chriſtum eſſe caput vniuerſale omnium pro omni ſtatu & tempore etiam futuræ vitæ, & propria virtute atque auctoritate. Septimò admittit, etiam Diabolum dici poſſe quodammodo caput omnium impiorum, inquantum eos ad malum gubernat, vt ad finem perditionis adducat. Octauò ſimiliter admittit, Antichriſtum dici poſſe caput impiorum, quatenus in illo erit plenitudo malitiæ.

SECTIO PRIMA.

Quorumnam & quomodo Chriſtus ſit myſticum caput.

Chriſtus eſt verè caput Eccleſiæ.

CHriſtum appellari caput, notiſſimum eſt ex ſacris litteris. Ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ipſius.* Et idem repetit cap. 4. & 5. Et ad Coloſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Eodemque loquendi modo, Patres, ac Theologi, omneſquè Fideles vtuntur. Similitudine nempe ducta ex humano capite reſpectu corporis naturalis: ita nanq; deſignatur Eccleſia tanquam corpus, cuius alij ſunt membra, Chriſtus eſt caput. Et meritò; quoniam ſicut caput ſupereminet ad omnia membra, ſenſibus viget, & in reliquum corpus influit: ita Chriſtus conſtitutus eſt ſuper omnem Eccleſiam, viget perfectione & plenitudine omnium gratiarum, & influit gratiam, gloriam, aliaquè dona ſupernaturalia in alios. Reddit quoque rationem S. Tho. art. 1. ad 3., quare non dicatur Chriſtus cor Eccleſiæ; quia nempe cor habet influentiam occultam, caput verò eminentiam manifeſtam: ideoquè cordi comparatur potiùs Spiritus ſanctus, qui inuiſibiliter Eccleſiam viuificat: capiti autem comparatur Chriſtus ſecundùm viſibilem naturam. Sed dubitant rurſus aliqui, num Chriſtus dici etiam queat membrum Eccleſiæ, ſicut & caput in corpore naturali dicitur adhuc membrum reſpectu totius corporis. Præſtat tamen abſtinere ab hoc nomine in Chriſto, cum D. Tho. in 3 d. 13. q. 2. art. 1. ad vltimum: quia in corpore myſtico Eccleſiæ contradiſtinguuntur mēbra à capite, & Chriſtus quidem vocatur caput, alij vocantur membra. Conſiderando tamen diſtinctè in Chriſto, & inter ſe comparando perſonam diuinā ac naturam humanam, illa dicetur caput, hęc membrum: nimirum iuxta illud Apoſt. 1. Corinth. 11. *Caput Chriſti Deus.*

Eſt caput tantùm rationalium creaturarū.

Sed vt magis explicitè diſpiciamus, quorumnam Chriſtus ſit caput, In primis Galatin. lib. 7. de Arcanis cap. 2. & ſequentibus, & Catherinus lib. de Eximia Chriſti prædeſt., affirmant Chriſtū eſſe caput omnium creaturarum, ſiue totius vniuerſi. Et aliquo modo id concedit Suarez diſp. 23. ſect. 1. concl. 3. Ex eo quòd ad Coloſs. 1. Chriſtus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ.* Verùm cùm hæc metaphora & appellatio capitis attributa ſit Chriſto ex Sacra Scriptura, ſtandum eſt in ipſa ſignificatione Scripturę, nec extendenda plus eſt, præter vſum Patrum & conſuetum Theologorum. At ex ſenſu Scripturæ Patres & Theologi hoc nomen tribuunt Chriſto in ordine ad creaturas rationales. Et quidem meritò quantū ad præſentem ſignificationem; quia licet Chriſtus dignitate & excellentia præſtet omnibus creaturis: tamen maximè requiritur & intelligitur influxus eius in membra, cuius ſanè creaturæ irrationales non ſunt participes, nec

Digitized by Google

capaces. Et præterea hæc adaptatio capitis & membrorum in vno corpore, dicitur ſecundùm communicationem aliquam & participationem vitæ. creaturæ autem irrationales, non poſſunt participare influxum ſpiritualis vitæ à Chriſto. Vnde etiam ſi dependerent à Chriſto ſecundùm ſuum eſſe & perfectiones naturales, adhuc non eſſet admittenda huiuſmodi appellatio in ſenſu quem hîc intendimus. Sed etiam dici non debet, Chriſtum vt hominem eſſe auctorem & cauſam creaturarum irrationalium ſecundùm eſſe & perfectiones naturales earum. Habet tamen Chriſtus ius & dominium ſuper omnes creaturas; quare dicetur quidem dominus creaturarum omnium, etiam ſcilicet irrationalium, ſed non dicetur caput niſi rationalium. Neque Apoſtolus ibi dixit, Chriſtum eſſe caput, ſed eſſe primogenitum omnis creaturæ; & intellexit dominium: niſi nomen creaturæ accepit per excellentiã pro ſolis rationalibus, ſicut alias Chriſtus Marci vlt. accepit pro ſolis hominibus, quando dixit, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Eſt caput Beatorum & Viatorũ, non autem damnatorum.

Secundò addendum eſt, Chriſtum eſſe caput ſolummodò eorum, qui vel actu percipiunt, vel ſaltem ſunt in ſtatu, in quo iuxta ordinationem Dei prouidentiam percipere poſſunt influxum ſpiritualem à Chriſto; quare Chriſtus dici non debet caput damnatorum. Ita S. Thomas art. 3. & rectè; quia inter caput & membra requiritur connexio quædam & habitudo, quæ in præſenti eſſe debet ſecundùm ſpiritualem influxum, qui nullatenus exercetur à Chriſto erga Damnatos. Quod verò Hieron. ſuper cap. 1. ad Epheſ. inquit, Chriſtum eſſe caput Dæmonum, exponendum eſt per hoc, quia Chriſtus habet dominium & imperium etiã ſuper Dæmones, & Dæmones vel inuiti coguntur ſubdi & inſeruire Chriſto.

Eſt caput Hominum & Angelorum.

Tertiò, Altiſiodor. lib. 3. Summæ tract. 1. cap. 4. q. 2. Bonau. in 3. d. 13. art. 2. q. 3. ad 3. aliique nonnulli dixerunt, Chriſtum vt hominem non eſſe propriè caput Angelorum; quia videlicet non eſt eiuſdem naturæ cum illis, ſicut caput debet eſſe homogeneum cum membris; & quia non dat gratiam & gloriam Angelis, qui hæc dona non habuerunt ex meritis Chriſti. Omnino tamen dici debet Chriſtus caput non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum. Ita loquitur S. Thom. hîc art. 4. & alij Theologi communiter. Colligitur ex Apoſtolo, ad Coloſſ. 2. *Qui eſt caput omnis Principatus & Poteſtatis*, & ad Epheſ. 1. *Conſtituit eum ſupra omnem Principatum & Poteſtatem*, ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. Quæ loca intelligenda ſunt de Chriſto, non ſolùm vt Deus eſt, ſed ſpecialiter vt homo eſt, vt ſatis patet ex toto textu, & ex forma ipſa verborum. Suadetur quoque ratione S. Thomæ, quia ex Angelis & hominibus integratur vnum corpus myſticum; totius verò corporis debet aſſignari caput. Sicut ergo tam Angeli quàm homines ſunt membra huius corporis: ita Chriſtus tàm Angelorum quàm hominum caput eſt. Ad rationem verò vniformitatis & homogeneitatis ſufficit conuenientia Chriſti cum Angelis, in communi genere rationalis naturæ, cum ordinatione ad eundem finem gloriæ; hæc enim conuenientia ſatis eſt ad præſentem ſignificationem, & ad hanc habitudinẽ moralem & myſticam inter caput & membra. Sufficit quoque, quòd Chriſtus per ſua merita det etiam Angelis aliqua dona ſupernaturalia, vt in proprio loco de merito Chriſti tractabimus.

Qualiter ſit caput omnium.

Quartò, Vaſquez diſp. 48. num. 10. vult, Chriſtum eſſe caput hominum ſolùm poſt lapſum Adami, non verò in ſtatu innocentiæ. Sed hoc etiam affirmant aliqui. Id tamen dependet ex alia quæſtione, num omnia vel ſaltem aliqua dona gratiæ collata primis hominibus ante lapſum, fuerint ijs collata ex meritis Chriſti. Et quia de eodem loco de Chriſti merito inquiremus. Et de reliquo exploratum eſt, verè Chriſtum eſſe caput omnium hominum, ſiue conſiderentur in ſtatu beatitudinis, ſiue in ſtatu viæ: tàm inquam illorum qui curſu temporis præceſſerunt ante Chriſtum, quàm eorum qui ſequuntur vſque ad conſummationem ſeculi. Etenim omnes qui conſequuntur.

Digitized by Google

tur beatitudinem in patria, non niſi ex Chriſti meritis conſequuntur: & omnino dona gratiæ, tàm vniuerſalia quã particularia, tàm externa quàm interna, quæ in ſtatu viæ in ordine ad corũ ſalutem hominibus conceduntur, non niſi ex Chriſtu influxu ſeu merito conceduntur. Et media quidem vniuerſalia & externa, pro omnibus inſtituta ſunt, vt illis applicari & prodeſſe poſſent: auxilia vero partitularia & interna, vel re ipſa data ſunt, vel ſaltem iuxta rationem & capacitatem ſtatus, omnibus dari poterant.

Eſt caput ſecundum corpus & animam.

Quintò vlteriùs ſic loquendum & affirmandum eſt, Chriſtum vt hominẽ ſecundùm corpus & animam ſimul eſſe noſtrum caput. Inquantum ſcilicet, non ſolùm per animam, ſed etiam per corpus operando & patiendo, nobis ſalutaria dona promeruit, vt notum eſt. Item eſſe caput hominum quatenus conſiderantur quoad corpus & animam ſimul. Quia nempe, non ſolùm anima; ſed etiam corpus deſeruit ad exercitium iuſtitiæ & meriti per gratiam Chriſti: ac etiam corpus recepturum eſt ſuam gloriam in reſurrectione. Quod quidem totum ex Chriſti meritis prouenit ac dependet. Vnde non eſt in hoc cogitanda talis diſtributio, vt Chriſtus quoad animam ſit caput animarum, quoad corpus verò corporum. Sed potiùs coniunctim & collectiuè tota Chriſti humanitas habet rationem capitis reſpectu totius humanitatis noſtræ. Nam etiam ex corpore Chriſti dicto modo proueniũt in animam noſtram dona gratiæ, ac pariter ex anima Chriſti in corpora noſtra. Sufficit autem dicere, Chriſtum in genere tantum cauſæ moralis, ideſt per modum meriti & ſatisfactionis, influere in nos dona gratiæ: nec oportet dicere, operari per ſuam humanitatem in genere etiam cauſæ phyſicæ, per ſe efficiendo dona gratiæ. Quapropter Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. de Iuſtificat. diſtinctè adnotauit inter iuſtificationis cauſas: *Efficiens eſt miſericors Deus qui gratuitò abluit & ſanctificat; meritoria autem dilectiſſimus vnigenitus ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Et rurſus conſtabit magis infra q. 13., vbi tractabimus de potentia & cauſalitate Chriſti ad opera miraculoſa ac ſupernaturalia.

SECTIO SECVNDA.

Quænam ſit Gratia Capitis in Chriſto.

Gratia capitis eſt realiter eadem ac gratia Chriſti in ſe.

Diuus Thomas art. 4. & Scholaſtici communiter in 3. d. 13. affirmant, eandem ipſam gratiam habitualem competentem Chriſto vt cuidam ſingulari homini, eſſe gratiam capitis reſpectu aliorum. Nempe eſſe gratiam propriam Chriſti, quatenus ſanctificabat animam eius in ſe: eſſe gratiam capitis, quatenus erat principium meriti reſpectu aliorum. Sed Vaſqu. diſp. 48. cap. 2. miratur, quare Scholaſtici inquirentes gratiam capitis in Chriſto, non meminerint gratiæ vnionis. Aitque, potius gratiam vnionis, quàm gratiam habitualem, dici debere gratiam capitis in Chriſto.

Vno modo eſt eadem ac gratia vnionis.

Verùm hæc ita conciliari inter ſe, & ſimul verificari poſſunt. Gratia capitis vno modo intelligi poteſt pro illa, qua primò & principaliter Chriſtus conſtitutus eſt ordine dignitatis ſupra omnes alios, & ex virtute cuius habuit Chriſtus omnem aliam gratiæ plenitudinẽ, & quæ maximè dedit valorem condignum operibus Chriſti in ordine ad redemptionem noſtram. Sic manifeſtum planè eſt, eandem ipſam gratiam hypoſtaticæ vnionis, eſſe gratiam capitis: ſiquidem iam dicimus, per ipſam gratiam vnionis Chriſtum fuiſſe in ſua humanitate maximè ſanctum & iuſtũ, longè ſublimiori modo quàm per gratiam habitualem: & planè Chriſtus per ipſam gratiam vnionis fuit primò & principaliter conſtitutus ſuper omnes alios, & conſequenter ex illa habuit omnem aliam gratiæ plenitudinem, & habuit valorem condignum & infinitũ in ſuis operibus ad merendum & ſatiſfaciendum pro nobis.

Alio modo eſt eadem ac gratia habituali.

Alio modo gratia capitis intelligitur illa, qua Chriſtus magis aſſimilatur aliis iuſtis, inquantum nempe debet caput conuenire cum reliquo corpore, & debet

bet

Digitized by Google

bet cum alijs membris eſſe, quoad fieri poſſit homogeneum. Et ſic potiùs gratia habitualis in Chriſto aſſignanda eſt pro gratia capitis. Per hanc enim perſpicuè Chriſtus magis conuenit cum alijs iuſtis, quorum gratia eſt quidem eiuſdem rationis cum gratia habituali Chriſti, non verò cum gratia vnionis. Nec incongruè attenditur hæc conuenientia ad nominandam gratiam capitis: ſiquidem attenditur quoque ad aſſignandum ipſum caput. Nam hac ratione Theologi in hac re cōſtituunt, Chriſtum vt hominem eſſe caput noſtrum: quia nimirum per naturam humanam aſſimilatur nobis. Neque etiam ipſi gratiæ habituali deſunt conditiones requiſitæ ad denominandam gratiam capitis. Etenim, cùm gratia habitualis Chriſti ſit maxima ſuper omnem gratiam aliorum, per eam quoque Chriſtus in hoc ordine præeminet omnibus. Et rurſus ex virtute & exigentia eius data eſt Chriſto copia & plenitudo aliorum donorum gratiæ, habituū infuſorum & auxiliorum Dei. Ac demum hæc gratia mediantibus habitibus virtutum alijſque Dei auxilijs, erat principium operum per quæ Chriſtus merebatur, vt influeret in nos dona gratiæ.

Vtrunque de mente S. Thomæ.

Porrò, alienum non eſt à mente S. Thomæ, quòd præter gratiam habitualem, gratia etiam vnionis dicatur gratia capitis in Chriſto. Dum eodem art. 5. in fine corporis inquit: *Eadem eſt ſecundùm eſſentiam gratia perſonalis, qua anima Chriſti eſt iuſtificata, & ſecundùm quam eſt caput Eccleſiæ, iuſtificans alios.* Quæ verba, non ſolùm ad gratiam habitualem, ſed optimè etiam ad gratiam vnionis referri poſſunt: hęc enim etiam erat gratia perſonalis Chriſti. Et rurſus art. 6. inquit: *Chriſti humanitas ex hoc quòd eſt Diuinitati coniuncta habet virtutem iuſtificandi*: & per hoc deſignare intendebat gratiam capitis in Chriſto, qua habebat vim influendi in corpus Eccleſiæ.

Quare magis gratia habitualis dicatur gratia capitis.

Sed art. 5. ad 3. indicauit rationem, quare abſolutè loquendo, potiùs gratia habitualis quàm gratia vnionis aſſignetur pro gratia capitis: quia gratia capitis eſt illa, quæ ordinatur ad actum, quippe cùm de ratione capitis ſit influere in membra: ſed gratia vnionis ordinatur potiùs ad eſſe quàm ad actum, gratia verò habitualis magis ordinatur ad actum: ergo hæc potiùs eſt gratia capitis. Hæc tamen ratio difficultatem habebat in doctrina eiuſdem Sancti Doctoris, quàm & nos in tractatu de Gratia approbauimus: nimirum gratiam habitualem diſtingui ab omnibus virtutum habitibus, etiam charitatis, nec eſſe per ſe immediatè operatiuam: hinc enim ſequitur, per ſe tantùm ordinari ad iuſtificandum ſubiectum, & dici operatiuā ratione ſolùm habituum adiunctorum. Quo modo ipſi etiam gratiæ vnionis debentur habitus & auxilia operatiua, ratione quorum non minùs dici poteſt ordinari ſaltem ſecundariò ad actum. Defendi tamen & explicari poteſt ratio S. Thomæ. Vel dicendo, quod per gratiam condiſtinctam à gratia vnionis non ſit intelligenda præciſè ipſa ſola gratia habitualis iuſtificans, ſed adæquatè hæc gratia cum collectione aliorum habituum & auxiliorum: ita vt ex vna parte conſideretur gratia vnionis, & ex altera parte tota hæc collectio gratiæ. Et conſonat modus loquendi S. Thomæ art. 5., quo hanc gratiam non apꝑellauit habitualem, ſed perſonalē: non quidem qua conſtituatur perſona Chriſti, ſed quæ data ſit perſonæ Chriſti. Vel ſumendo gratiam habitualem præciſè pro forma ſanctificante: maior adhuc ratio eſt, vt ſecundùm eam conſideratione hæc gratia magis quàm gratia vnionis dicatur gratia capitis: quia nimirum gratia habitualis eſt propinquius principium operatiuum, cùm ſe habeat ad alios habitus infuſos, tanquam eſſentia ad potentias, vt eodem loco de eſſentia gratiæ diximus: at gratia vnionis non tàm propinquè ac directè reſpicit operationes, ſed magis radicaliter & ſubſtantialiter ſe habet. Hoc tamen non tollit, quo minus ipſa etiam gratia vnionis, ſuo ſubſtantiali modo dici quoque poſſit gratia capitis in Chriſto.

QVÆSTIO NONA.

De Intellectu & Scientia Chriſti.

TRACTATIONEM hanc de ſcientia Chriſti, in quatuor quęſtiones diſtribuit S. Thomas. In hac præſenti agit de ipſa ſcientia in communi: in alijs tribus ſingillatim de triplici ſcientia Chriſti. Hancque primam quæſtionem in quatuor pariter partitur articulos. Primò docet, Chriſtum prçter diuinam habuiſſe etiam aliquam humanam ſcientiam: tum propter perfectionem animæ, quæ cùm ſit in potentia ad cognoſcendum, cognitione perficitur: tum quia cùm Chriſtus habeat animam intellectiuam, debet etiam habere operationem intellectualem; quælibet enim res eſt propter ſuam operationem: tum quia aliqua ſcientia ſeu cognitio ſpectat ad naturam animæ humanæ, nempe cognitio primorum principiorum; Chriſtus autem habebat totam naturam humanam, nec quicquam naturalium ei defuit: Secundò ſpecialiter affirmat, Chriſtum habuiſſe ſcientiam beatam, hoc eſt claram viſionem Dei: quia cùm per Chriſtum perducendi eſſent homines ad beatitudinem, debuit cognitiò beata in Dei viſione conſiſtens, excellentiſſimè conuenire animę Chriſti. Tertiò addit, Chriſtum habuiſſe aliam ſcientiam infuſam, à beata diſtinctam: quia non ſolùm per claram viſionem debebat Chriſtus intueri Deum & alias res in Deo, ſed cognoſcere etiam res in ſe ipſis per proprias ſpecies intelligibiles: ſicut & Angeli; præter viſionem Dei, habent proprias rerum ſpecies, quibus eas in proprio genere cognoſcunt. Quartò demum, Chriſtum habuiſſe etiam ſcientiam acquiſitam: quia ſicut in alijs hominibus præter intellectum paſſibilem adeſt etiam intellectus agens, cuius munus eſt facere rerum ſpecies intelligibiles, & hic eſt connaturalis eorum cognoſcendi modus per ſpecies acquiſitas; ita & Chriſtus habuit intellectum agentem, debuitque ſimiliter ſcientiam acquiſitam habere.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus præter intellectum ſcientiamq; diuinam, etiam humanam habuerit.

ARiani & Apollinariſtæ, vt memorauit S. Tho. ſupra q. 5. art. 4., negarunt, Verbum diuinum aſſumpſiſſe mentem ſeu intellectum humanum: admittentes aſſumpſiſſe animam. Quo errore hi Hæretici planè negabant intellectum & ſcientiam humanam in Chriſto à diuina diſtinctam. Sed tamen non ſolùm potentiam intellectiuam & actum intelligendi, verùm gradum ipſum ſubſtantialem animæ intellectiuæ negaſſe videtur, dicendo Chriſti animam non fuiſſe intellectiuam. Alij verò Hæretici, dicti Monothelitæ, concedentes totam ſubſtantiam humanæ naturæ in Chriſto, & negantes humanam voluntatem & operationē, ſuſpecti ſunt intellectum etiam denegaſſe: & ita de ijs cenſet Lorca diſp. 69. num. 8. Ex noſtris autem Vgo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis par. 1. cap. 6. & lib. de Anima & ſcient. Chriſti, & Ioann. de Ripa apud Caietan. hic art. 1., dixerunt, animam Chriſti per eandemmet viſionem increatam Dei beatificari in ſe, ac videre formaliter Deum. Sed tamen non per hoc negarunt omnem aliam ſcientiam creatam & humanam in anima Chriſti.

Certum ergo de fide eſt, Chriſtum habuiſſe non ſolùm diuinum intellectū & ſcientiam, ſed etiam humanum à diuino diſtinctum. Et primò quidem de intellectu & ſcientia diuina, res eſt tàm clara, quàm Chriſtum eſſe verum Deum, *Chriſtus habuit an intellectum et ſcientiā diuinam.*

Digitized by Google

Deum, vera diuina natura conſtantem, & ſcientiam Dei realiter non eſſe diſtinctam, non eſſe ſeparabilem a natura diuina: inde enim manifeſtum relinquitur, Chriſtũ omnino habuiſſe intellectum ſcientiamq; diuinam.

Habuit intellectum et ſcientiã humanam

Secundo. De intellectu & ſcientia humana, idem planè colligitur ex Euãgelio, in quo ſæpè fit mentio ſapientiæ & ſcientiæ Chriſti: non ſolum vtique inquantum Chriſtus erat Deus, ſed ſpecialiter & propriè inquantum homo erat; atque adeo ſenſus erat de humana ſcientia Chriſti. Item conſtat ex definitionibus Conciliorum ac Summorum Pontificum. Concil. Chalcedon. act. 5. inquit, *Verbum aſſumpſiſſe animã & rationem perfectam, ſalua omni eius proprietate; & per omnia nobis ſimilem abſque peccato.* Eodemque modo loquitur quinta Synodus generalis collat. 8. cap. 3. Et Agatho Papa in epiſt. Synodali quæ in Sexta Synodo act. 8. approbata eſt, *Confitemur*, inquit, *in Chriſto omnia duplicia quæ ad naturam pertinent, duas naturas eius prædicamus, & vnamquamq; proprietates naturales habere profitemur, diuinam omnia quæ diuina, humanam omnia quæ humana ſunt abſque peccato.* Expreſsè etiam Sophronius in epiſt. ſua quæ habetur act. 11. eiuſdem Synodi docet, *Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem animabus noſtris ſimilem, & mentem menti noſtræ comparem.* Ac rurſus in Concil. Lateran. ſub Martino Papa cap. 9. definitum eſt, in Chriſto fuiſſe proprietates humanitatis indiminutè & ſine deminoratione. Ac tandem hæc aſſertio de intellectu & ſcientia humana Chriſti diſtincta à diuina, per connexionem & implicitè definita quoque eſt, dum contra Monothelitas ſtatutum eſt, Chriſtum habere humanam voluntatem & operationem, vt ſuo loco aſſeremus.

Habere debebat hanc facultatem & operationẽ humanam

Tertio ſuadetur inſuper ratione, quia præcipua perfectio rationalis animæ eſt ſcientia, quæ ei conuenit ſecundum maximum & nobiliſſimum eius gradum eſſentialem, quatenus nempe intellectiua eſt, & cum Angelis communicat, & alijs omnibus formis ſubſtantialibus antecellit: ergo non debuit anima Chriſto hac maxima & connaturali perfectione carere. Cùm & talis carentia non conferret ad inſtructionem & ſalutem noſtram. Quinimò oportebat, vt Chriſtus humana cognitione polleret, præſertim vt poſſet tanquam homo alios inſtruere & docere: ac maximè vt humanæ etiam voluntatis actus exerceret, quibus pro noſtra redemptione apud Deum mereri ac ſatisfacere poſſet.

Quarto. Non poterat prorſus fieri, vt anima Chriſti formaliter per eandẽ diuinam ſcientiam increatam beatificaretur in ſe, ſiue Deum videret, aut quicquam omnino cognoſceret. Ita enim in vniuerſum oſtendimus de omnibus Beatis in proprio Beatitudinis tractatu 1. 2. q. 3. ſect. 1. Et in hoc eadem prorſus eſt ratio de anima Chriſti: quia licet eſſet quidem ſubſtantialiter vnita perſonæ diuinæ, & formaliter ſubſiſteret per eandem ſubſiſtentiã increatam Verbi; tamen quoad actus vitales non poteſt formaliter perfici ac denominari per eoſdem actus diuinos; ſed omnino debet per actus proprios à ſe vitaliter elicitos & in ſe receptos.

Habuit ſpecies intelligibiles & habitus

Quinto vlterius certum eſſe debet, Chriſtum habuiſſe non ſolùm potentiã intellectiuam & actum intelligendi, ſed & ſpecies intelligibiles, atque habitus intellectuales, quatenus ſimpliciter in alijs hominibus inueniri: quæ vel ſimpliciter ad exercitium intelligendi requiruntur, vel ſaltem ad magis accomodatum & conuenientem modum deſeruiunt.

Habuit hæc omnia ab initio vitæ.

Sexto. Certum quoque eſt, Chriſtum a primo ſuæ conceptionis inſtanti habuiſſe ſcientiam, & habuiſſe vſum humanæ rationis, quo cognoſceret, & humano modo operari valeret. Ita communiter docent Theologi in 3. d. 14. & hoc loco de ſcientia vel infra de conceptione Chriſti. Et D. Hieronym. aliique Patres colligunt ex illis verbis Hieremiæ 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, Femina circundabit virum*; ideſt Maria concipiet Chriſtum, qui ex tunc erit in ſtatu virili, & dicetur Vir, non ætate, ſed ſapientia. Ac ſimiliter D. Auguſtin. & alij colligunt ex alijs verbis Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum*

gratiæ

gratia & veritatis: vbi per veritatem intelligunt ſcientiam. Sicut ergo Chriſtus ab initio habuit gratiam, ita quoque habuit ſcientiam. Et hoc planè erat conſentaneum perfectioni ac dignitati Chriſti Domini in ſe, & fini noſtræ redemptionis.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Chriſtus habuerit triplicem ſcientiam, beatam, infuſam, & acquiſitam.

Habuit ſcientiam b.

De ſcientia beata ſatis conſtat, Chriſtum non ſolùm nunc poſt mortem & reſurrectionem ſuam clarè videre Deum: ſed & dum commoratus fuit in terra, mortalem vitam agens; atque à primo ſuę conceptionis inſtanti, clarè & intuitiuè vidiſſe Deum, quæ eſt beata ſcientia. Ita docet S. Thom. infra q. 34. art. 4., alijquè communiter. Et ſumitur ex quibuſdam Scripturæ locis. Ibi Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*: vbi denotatur, ex tunc quo Chriſtus fuit vnigenitus Patris, ideſt ex ipſo incarnationis inſtanti, habuiſſe gloriam & gratiam viſione beatifica conſummatam. Et infra, *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit*: hoc eſt qui ſolus vidit, vtique non tantùm vt Deus ſcientia diuina, ſed ſpecialiter vt homo ſciētia beata. Et clariùs cap. 8. *Ego quæ vidi apud Patrem loquor*. Et alia ſunt huiuſmodi loca: quæ addita expoſitione Patrum, & communi Theologorum ſenſu, rem tàm certam efficiūt, vt iam ſine temeritate vel errore negari non poſſit, Chriſtum adhuc in vita mortali degentem, & ex primo conceptionis inſtanti, clarè vidiſſe Deum habuiſſeque huiuſmodi beatam ſcientiā.

Ratione quoque idipſum ſuadetur: quia ſic maximè perfectioni ac dignitati Chriſti Domini congruebat. Illi què anima quæ tàm intimè coniuncta erat diuinæ perſonæ, debebat ab illa participare quæcunque ſupernaturalia dona: inter quæ, poſt gratiam vnionis, primum eſt gloria animæ. Ac etiam, cùm Chriſtus ab initio conſtitutus fuiſſet ſuper omnes alios, non ſolùm homines, ſed etiam Angelos, non debebat carere viſione beatifica Dei quam ipſi Angeli iam habebant. Nec talis carentia beatificæ viſionis conferebat ad munus & opera noſtræ redemptionis, quæ Chriſtus venerat adimplere: poterat enim adhuc operari & pati & mereri propter noſtram ſalutem. Ideoquè, quia ad hunc finem iuuabat, vt carnem quidem haberet paſſibilem, & exteriùs appareret ſimilis alijs hominibus cum quibus conuerſabatur: ideo inquam non aſſumpſit gloriam corporis, quæ alioqui ei etiam ab initio debebatur; quia nempe gloria corporis impediſſet corpoream paſſionem: ſed tamen gloria animæ in nullo impediebat paſſionem & ſatisfactionem ordinatam pro noſtra redemptione & ſalute.

Habuit ſcientiam viatoris.

Iam præter ſcientiam beatam, omnes pariter Theologi docent, Chriſtum habuiſſe aliam quoque ſcientiam, ſtatui viatoris accomodatam, & humanæ conditioni conſentaneam. Nec obſtabat ſcientia beata per quam Chriſtus erat ac dicebatur comprehenſor, ſicut alij Beati: quia ſimul erat viator & comprehenſor, quare debebat ſimul habere aliam ſciētiam huic ſtatui proportionatam, ſicut alij viatores habēt. Quinimò & ipſi Beati præter claram viſionem Dei, habent quoque aliam propriam ſcientiam & cognitionem; non quidem obſcuram quæ eſt fides, ſed euidentem circa proportionata obiecta, quæ euidens cognitio per claram Dei viſionem non excluditur, vt nunc ſupponimus.

Sed Durandus in 3. d. 14. q. 4., Bonau. ead. diſt. art. 3. q. 2., Gabr. q. vnica art. 3. dub. 1., alijque nonnulli, vnam ſolùm alteram ſcientiam Chriſto tribuiſſe videntur, infuſam quidem à Deo, de ſuo tamen genere acquiſitam: hoc eſt quæ ſecundùm eſſentiam & naturā ſuam eſſet connaturalis homini, eiuſdemquè rationis cum illa quam homines miniſterio ſenſuum ſuaquè induſtria comparare ſolent: tamen ob maiorem congruentiam fuiſſe à Deo ipſo infuſam animæ Chriſti, vnde dicatur

 infuſa

infuſa per accidens. Statuendum tamen eſt cum D. Tho. hac q. & 11. ac 12. alijſque hoc loco Theologis, Chriſtum præter ſcientiam beatam, habuiſſe duplicem aliam ſcientiam; ſcilicet vnã per ſe & de genere ſuo infuſam, quæ ex intrinſeca ſua ratione non niſi per infuſionem à Deo poteſt haberi, ac eſſentialiter differt ab acquiſita; & alteram acquiſitam, quæ ſuapte natura ipſius hominis induſtria poteſt & ſolet acquiri.

Habuit per ſe infuſam.

Et primò quidem, Chriſtum habuiſſe ſcientiam per ſe infuſam, probari poteſt ex ſacris litteris. Iſaiæ 11. *Requieſcet in eo Spiritus ſapientia, ſcientia, intellectus, conſilij*. Ioann. 7. *Vnde hic litteras ſcit cùm non didicerit*. Et in alijs paſſim locis celebratur ſapientia & ſcientia Chriſti. Porrò, illa dona Spiritus ſancti de quibus loquutus eſt Iſaias, diſtincta planè ſunt à ſcientia beata. Sed & alia teſtimonia intelligi non debent ſolùm de ſcientia beata, verùm potiùs de ſcientia magis accomodata, & proportionata ſtatui viatoris, quem ſtatum Chriſtus extrinſecùs oſtendebat. Item patet, dona Spiritus ſancti eſſe de ſuo genere habitus infuſos, & non acquiſitos: & ſic pariter alia prædicta accipienda ſunt.

Secundò, Chriſtus vt viator ſine dubio cognoſcebat myſteria & veritates ſupernaturales: ſiquidem hæc notitia non conueniebat ipſi ſolùm propter ſe, ſed etiam ad docendum ac inſtruendũ alios. Harum veritatum nos quidem habemus notitiam fidei: ſed Chriſtus habebat notitiam euidentem, nõ verò fidem, quæ ſtare non poteſt cum viſione clara, vt quæſt. 7. notauimus. Hæc ergo notitia euidens, fuit ſcientia in Chriſto: & quidem per ſe infuſa ac de genere ſuo ſupernaturalis.

Tertiò præterea. Ad maiorem Chriſti perfectionem ſine dubio conueniebat, ei infundi ſcientiam quoque aliarum rerum: ſicut Angeli ab initio ſuæ creationis receperunt per infuſionem à Deo ſpecies intelligibiles, quibus cognoſcere poſſent res naturales: & Adamus etiam dicitur accepiſſe à Deo, quando creatus fuit, ſcientiam earundem rerum. Certè autem multò magis Chriſtus in hac ſcientia debuit excedere omnes, eſſeque ſapientiſſimus omnium. Ergo habere debuit pleniſſimam ſcientiam infuſam, idque ab initio ſuæ vitæ, in ipſo primo ſuæ creationis inſtanti.

Habuit acquiſitam.

Quartò rurſus. Chriſtum habuiſſe quoque ſcientiam acquiſitam, & ſuo exercitio acquiſiſſe humanam ſcientiam, probari ſolet ex illo Lucæ 2. *Proficiebat ſapientia*: quem locum non pauci Sacri Doctores de verò profectu in ſcientia acquirenda exponunt. Et ad Hebr. 5. *Didicit ex ijs quæ paſſus eſt obedientiam*: vbi ſimiliter indicatur hæc acquiſitio ſcientię. Idemquè confirmant Origenes homil. 50. in Matth., Cyrill. lib. 2. de Fide ad Reginas cap. 3., Ambroſ. lib. de Incarn. dominicæ ſacram. cap. 7., Bernard. lib. de Gradib. humilit., Riccard. de S. Victore lib. 1. de Emmanuele cap. 15., & alij ex Patribus.

Quintò. Ratione ſuadetur. Chriſto deeſſe non debuit perfectio & operatio connaturalis homini, vt ex adductis ſect. præcedenti manifeſtum eſt: ſed inter perfectiones & operationes naturales hominis, præcipua eſt hæc ſciẽtia acquiſita, ſiue acquiſitio huius ſciẽtiæ mediante ſenſuum miniſterio; ſiquidem hic eſt proprius modus cognoſcẽdi, conueniens homini in ſtatu præſenti: ergo Chriſtus habere debuit ſcientiam acquiſitam. Addi poteſt ex S. Tho. art. 4. Cùm Chriſtus habuerit intellectum agentem, non debuit hæc potentia eſſe otioſa abſque ſua connaturali operatione, quę eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles à ſenſibilibus, quo pacto acquiritur humana ſcientia. Et hãc rationem defendere ſtudet Caiet. eod. art. à quibuſdam impugnationibus Scoti. Sed iam diſtinctè ac ſingillatim de triplici dicta ſcientia Chriſti, ſeparatis quæſtionibus cum S. Doctore ſequitur pertractandum.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMA.

De Scientia Beata Chriſti.

QVIA de ſcientia diuina Chriſti, nihil amplius remanebat præter ea, quę 1. par. q. 14. de ſcientia Dei tractata ſunt: ideo ſolùm agendum ſupereſt de triplici dicta ſcientia creata & humana animæ Chriſti. Et hanc quæſtionem quæ eſt de ſciẽntia beata, in quatuor articulos diuidit S. Doctor. Primò docet, animam Chriſti per ſcientiam ſuam beatam nequaquam comprehendere Deum, quia Deus à nullo creato intellectu comprehendi poteſt, eo quòd infinitum non comprehenditur à finito, vt probatum eſt 1. par. q. 12. art. 7. Secundò docet, animam Chriſti per ſcientiam beatam cognouiſſe in Deo omnia quæ ſunt vel fuerunt, vel erunt in quacunque differentia temporis, eo quòd omnia quodammodo ſpectant ad ſtatum & dignitatem eius: non tamen cognouiſſe omnia poſſibilia, quia hoc eſſet comprehendere diuinam eſſentiam. Tertiò hinc infert, non cognouiſſe infinita entia in actu, quia ea quæ ſunt in actu, non ſunt infinita, ſed eſt certus ac definitus rerum numerus, tàm incorruptibilium quàm corruptibilium: cognouiſſe tamen ex quadam parte infinita entia poſſibilia, hoc eſt quæ continentur in potentia cauſarum creatarum, quæ quidem infinita ſunt, & à Chriſto cognoſcuntur. Quartò demum docet, Chriſtum videre Deum clariùs quocunque alio intellectu creato: eo quòd anima Chriſti propinquiùs quàm quæuis alia creatura Diuino Verbo coniungitur, de quo dictum eſt Eccleſ. 1. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*; atque adeo anima Chriſti pleniùs & perfectiùs participat lumen quo videatur diuina eſſentia.

SECTIO PRIMA.

Quàm perfectè Chriſtus ſcientia ſua beata Deum videat.

Scientia beata animæ Chriſti, non adæquat diuinam.

REfertur in Concil. Baſilienſi error contentus in libello cuiuſdam Auguſtini de Roma, animam Chriſti videre Deum tàm clarè & intenſe, quàm Deus ipſe intellectu ſuo diuino videt ſe ipſum. Et damnatur hic error in eo Concil. ſeſſ. 22. Itaque certum eſt, viſionem beatam creatam animæ Chriſti eſſe longè & infinitè inferiorem viſione diuina qua Deus intuetur ſe ipſum.

Non comprehendit Deum.

Itemque certum eſt, animam Chriſti ſua viſione creata non comprehendere Deum. Nam hoc ipſo quòd ſcientia beata animæ Chriſti eſt forma creata, plane ſcientia diuina & increata qua Deus intuetur ſeipſum, in infinitum illam excedit & ſuperat. Ac præterea, à ſolo intellectu diuino, & à nullo intellectu creato, poſſe diuinam eſſentiam comprehendi, nos etiam cum D. Tho. 1. par. q. 12. ſect. 30. iuxta doctrinam fidei confirmauimus. Nec de reliquo alia peculiaris ratio quęrenda eſt de anima Chriſti.

Tam ipſa ſcientia, quàm lumen gloriæ poterat augeri.

Deinde Caietan. hac quæſt. art. 4. affirmat, lumen gloriæ in intellectu humano Chriſti, eſſe tàm magnum & intenſum, vt non poſſit fieri aliud maius & intenſius: poſſe tamen dari viſionem clariorem, quam de facto ſit in intellectu Chriſti: non quidem in eodem intellectu Chriſti, ſed in alio intellectu naturaliter perfectiori, nempe angelico: quia nempe putat, cum eodem ſiue æquali lumine glorię, ab intellectu naturaliter perfectiori, elici clariorem Dei viſionem: ideoquè, licèt exiſtimet, non poſſe fieri maius lumen, concedit poſſe ex ipſo ſummo lumine elici clariorem & clariorem viſionem, pro maiori ac maiori ſublimitate naturali intellectus. Sed falſum potiùs cenſendum

Digitized by Google

ſendum eſt, quod Caietan. ſupponit, cum æquali lumine gloriæ poſſe elici clariorem ſeu intenſiorem viſionem ab vno intellectu quàm ab alio ob diſcrimen perfectionis & virtutis naturalis eorum: vt iam tractauimus 1. par. q. 12. ſect. 12. Falſum quoque eſt quod ait, non poſſe fieri maius lumen lumine animæ Chriſti. Cùm enim hoc ſit finitum ac determinatum, vt ipſe concedit, & patet ex dictis de gratia Chriſti, ſine dubio poteſt à Deo fieri maius ac maius lumen gloriæ, ex cuius vi maior ac maior Dei viſio elici poſſit. Et mirũ eſt, ſi quis ſibi perſuadeat, non poſſe à Deo fieri tantum lumen in quocunque inferiori intellectu, ex quo elici ab illo poſſit tanta viſio, quanta dicitur fieri ex perfectione naturali ſublimioris intellectus cum minori lumine. Sed planè ex hoc ipſo quòd ſit abſolutè poſſibilis maior viſio, ſequitur poſſibile quoque eſſe maius lumen, ex quo talis maior viſio in quocunque intellectu effici queat. Itaque abſolutè lumen gloriæ & viſio beata in anima Chriſti, non eſt tanta, quin poſſet per potentiam Dei augeri tam in eodem intellectu Chriſti, quàm in alio quocunque; reſpiciẽdo inquam ad Dei potentiam abſolutam. Ita perſpicuè docet S. Tho. art. 4. ad 3., iuxta ea quæ ſupra q. 7. de Chriſti gratia ſtatuta ſunt.

de facto excedebat omnes alios Beatos. Sed ex alia parte affirmandum eſt, gloriam animæ Chriſti de facto eſſe maiorem quacunque alia gloria cuiuſcunque Beati. Quod probatur auctoritate Scripturæ quam affert D. Thom. eod. art. 4. in argum. *Sed contra.* Ad Epheſ. 1. Apoſtolus inquit, *Quod Deus conſtituit Chriſtum ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.* Ratione etiam patet: quia cùm Chriſtus ſit caput omnium Beatorum, ſitque digniſſimus omnium, maximam habens in ſe coniunctionem humanæ naturæ cum diuina perſona, ſine dubio maximam gloriam & beatam ſcientiam habere debuit, clariſſimè omnium Deũ videre. Et ſicut antea diximus de gratia Chriſti, cenſendum pariter eſt, gloriam Chriſti eſſe maiorem, quàm ſit tota gloria omnium Beatorum ſimul collecta. Quod confirmari poteſt ex illo Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis:* hoc eſt, talem ac tantam gloriam Chriſti, qualis & quanta decet vnigenitum Patris, qui ſolus eſt filius naturalis Dei. Dum enim alijs iuſtis datur hereditas gloriæ eo quod ſunt filij adoptiui, quantò maior gloria debebatur illi qui ſolus eſt filius naturalis. Item *plenum gratiæ & veritatis:* hoc eſt tota gratia & vera cognitio claraq; viſio Dei, quæ alijs per partes quaſi diſperſa, communicata eſt, pleniſſimè reperitur in Chriſto vnigenito Patris. Et præterea, cùm Chriſto ratione hypoſtaticæ vnionis deberetur maior ac maior gloria in infinitum, imò & actu infinita ſi eſſet poſſibilis; dum hæc non eſt poſſibilis, ſaltem putandũ eſt, maximam eſſe gloriam animę Chriſti, ita vt non ſolùm adæquet, ſed excedat gloriam aliorum Beatorum, non ſolùm ſingillatim, ſed etiam collectiuè.

SECTIO SECVNDA.

Quænam poſſibilia & futura Chriſtus per ſuam ſcientiam beatam videat in Deo.

SVpponimus ex 1. par. q. 12., Beatos intuentes Deum, videre in illo etiam creaturas, ſiue formaliter eodem viſionis actu, ſiue altero diſtincto, iuxta varios dicendi modos, quod nunc non refert. Iam præter Durand. & alios, qui vt ea quæſt. 12. ſect. 25. commemorauimus, putabant, quemcunque Beatum videre in Deo omnia poſſibilia; nunc ſpecialiter de Chriſto, Magiſter in 3. d. 14. cap. 2. & Alenſ. 3. par. q. 13. memb. 7. affirmarunt, Chriſti animam videre in Deo omnia quæ ſcit ipſe Deus. Scotus verò in 3. d. 10. q. 2. §. *Sed ſi iſtae via*, & Bonau. art. 2. q. 3. dixerunt, Chriſtum cognoſcere quidem ea omnia habitualiter, non tamen actualiter: hoc eſt habitum luminis exiſtentem in intellectu Chriſti, omnia complecti, ad omnia ſe extendere; ſed

tamen

tamen intellectum Chriſti non ſimul & actualiter ea omnia intueri & contemplari.

Chriſtus non videbat omnia poſſibilia.

Dicendum tamen eſt cum S. Thom. art. 2., Chriſti animam nequaquam videre in Deo omnia poſſibilia. Etenim tam perfecte intueri Deum vt in eo omnia poſſibilia cognoſcantur, eſſet comprehendere Deum: ſed comprehenſio Dei eſt cuicunque creato intellectui impoſſibilis: ergo non cognoſcebat anima Chriſti in Deo viſo omnia poſſibilia. Vtranque autem propoſitionem ſatis iam ſuo loco eadem q. 12. primæ partis ſect. 30. & 31. oſtẽdimus. Nec alia noua & peculiaris ratio nunc de Chriſto inquirenda eſt. Sed bene fatendum eſt, animam Chriſti plura poſſibilia in Deo perſpicere, quàm omnes alij Beati videant: ſicut nempe dictum eſt, animam Chriſti clariùs & excellentiùs perſpicere ipſum Deum.

An videbat omnia futura.

Deinde de rebus futuris, hoc eſt de ijs quę in aliqua differentia temporis, vnquam ſunt, non defuerunt Hæretici qui dixerint, Chriſtum ita ea ignoraſſe, ſicut alij homines in præſenti ſtatu. Imò nonnulli dixerunt, Chriſtum etiã vt Deum non omnia futura cognoſcere. Inducti ex illis verbis eiuſdem Chriſti Marci 13., *De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli, neque Filius, neque Pater*. Inde vlteriùs argumentum ducentes ad probandum, non eſſe eandem naturam & ſapientiam Filij ac Patris, ſed eſſe diſtinctam & inferiorem, iuxta Arianam Hæreſim. Sed & aliqui Patres ex eodem Euangelij loco affirmarunt, Chriſtum vt hominem ignoraſſe diem & horam futuri iudicij vniuerſalis in fine mundi. Ac rurſus ex noſtris Theologis, aliqui opinati ſunt, Chriſti animam non ſemper actualiter, ſed ſolùm habitualiter cognouiſſe omnia futura, potuiſſeque ſucceſſiue modo hæc modo illa ex futuris actualiter contemplari. Ita Scotus, Bonauent. & quidã alij in 3. d. 14., & ex Recentioribus Lelius Zecchus tract. de Chriſto cap. 6., Franciſcus a Chriſto lib. 4. de Incarnat. q. 7., Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 7., & quidam alij.

Videbat omnia.

Dicendum tamen eſt, Chriſtum ſua ſcientia beata in Deo cognouiſſe ab initio ſuæ creationis & beatitudinis omnia futura. Hæc non ſolùm eſt communis Theologorum ſententia, aſſerẽtium animam Chriſti mediante viſione Dei cognoſcere ea omnia quę ſcit Deus ipſe ſua ſcientia viſionis. Sed etiam ſecundùm catholicam fidem certum eſt, Chriſtum non habuiſſe ignorantiam vllius rei futuræ, ſed verè omnia cognouiſſe, vt multis Patrum teſtimonijs probat Vaſq. diſp. 51. cap. 2. Quæ teſtimonia intelligenda maximè ſunt de ſcientia beata Chriſti: ſi enim Chriſtus aliqua creata ſcientiâ nouit futura, vtique beata ſcientia nouit. Eandemque veritatem ratione probat S. Tho. art. 2., ſupponens ex quæſt. 12. primæ partis, ſingulos Beatos videre in Deo ea futura, quæ ad ſtatum cuiuſq; pertinent: ſed ad ſtatum & dignitatem Chriſti omnia quodammodo ſpectant, inquantum ei ſubiecta ſunt omnia. Et præſertim cùm Chriſtus ſit caput hominum & Angelorum, omnia ad eos omnes ſpectantia debent nota eſſe Chriſto. Sed & aliæ etiam creaturæ, cùm à Deo conditæ ſint propter homines, ſpectat quoque ad ſtatum Chriſti, vt ab eo cognoſcantur. Non ſolùm inquam habitu, ſed etiam actu: nulla enim ratio eſt, quare non actualiter ſed tantùm habitualiter cognoſcantur, vt mox quoad circunſtantiam infinitatis pleniùs ſubiungemus.

Quomodo dixit ſe neſcire diẽ iudicij.

Ad illum verò locum Euangelij, qui difficultatem faciebat circa notitiam Chriſti de die iudicij, variæ ſolent expoſitiones adaptari. Aliquas affert S. Thomas art. 2. ad 1. Chriſtus dixit, ſe neſcire diem & horam iudicij, in hoc ſenſu, quia non expediebat ab interrogantibus ſciri. Vel ſe neſcire, non quidem loquendo ſecundùm ſe ipſum, ſed ſecũdùm corpus ſuum myſticum, quod eſt Eccleſia. Vel, cùm dicitur, *neque filius*, ſenſus ſit de ſilio adoptiuo, ideſt de alijs iuſtis, non autem de ſilio naturali qui eſt Chriſtus. Aliæ quoque expoſitiones ab alijs ſacris Doctoribus ſolent afferri. Chriſtus dicebat ſe neſcire, ad finem dicendi & manifeſtandi alijs. Aut ſe neſcire ſcientia practica, quaſi ad eius humanitatem ſpectaret diſponere & præfigere diem: quod ſo-

Digitized by Google

lùm ad diuinam voluntatem & ordinationem ſpectabat. Vel alijs ſimilibus modis.

An viderit infinita.

Hinc iam colligendum erit, num Chriſtus finita vel infinita cognoſcat. Et S. Tho. quidem art. 3. docet, Chriſtum cognoſcere infinita poſſibilia, quæ ſcilicet in potentia creatarum cauſarũ continentur, licet non cognoſcat omnia poſſibilia quæ continentur in diuina potentia. Cognoſcere verò finita entia in actu: quia hęc inquit non ſunt infinita, etiam ſi accipiantur quæcunque erunt in omni differentia temporis: quia ſcilicet ſtatus nouæ generationis rerum non durabit infinite & in æternum. Hęc tamen pars difficultatẽ habet: quia cogitationes & liberę operationes hominum & Angelorum, per totam æternitatem futuræ ſunt, nec vtique certo ac finito numero cõprehenduntur. Propter quod dixerunt aliqui, Chriſtum omnia alia futura cognoſcere, præter huiuſmodi cogitationes & operationes perpetua ſucceſſione futuras. Sed nullatenus admittenda eſt hæc exceptio: quia neque hæc neque alia quæcunque futura ſubtrahenda ſunt è Chriſti notitia. Calet. ergo & alij Thomiſtæ reſpondere ſolent, S. Thom. non de quibuſcunque futuris, ſed tantùm de indiuiduis ſubſtantialibus fuiſſe loquutum: hæc enim verè ſunt vnita, & curſus generationis eorum non durabit in æternum, ſed certo ac definito tempore concludetur.

Nõ ſolùm habitu ſed actu videbat infinita futura.

Itaque complectendo omnia futura in vniuerſum, fatendum eſt, Chriſtum per ſcientiam beatam verè cognoſcere infinita: ſicut nempe Deus ipſe ſua ſcientia viſionis cognoſcit infinita, vt 1. par. q. 14. ſect 8. tractauimus. Nec eſt aliqua difficultas in hoc, quòd intellectus creatus non ſolùm habitu ſed etiam actu infinita cognoſcat. Quinimo potiùs non cohærenter ſe habet, vnum concedere & alterum negare. Et inſuper, ſi non ſimul actu cognoſcantur omnia quæ dicuntur infinita, impoſſibile quidem eſſet per partes & ſucceſſiuè cognoſci, ita vt omnium cognitio abſoluatur. Atque in ſcientia beata & in cognoſcendis rebus creatis mediante Deo viſo, nulla ſucceſſio aut variatio poteſt induci. Et ita tractando abſolutè de hac re ſtatuimus 1. par. q. 12. ſect. 29. Hæc vero infinita quæ à Chriſto cognoſci dicimus, non ſunt infinita ſimpliciter & categorematicè, ſed potiùs ſecundùm quid & ſyncategorematicè, ſeu finita in infinitum, vt de ipſamet ſcientia Dei eo loco primæ partis loquebamur.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Scientia infuſa & acquiſita Chriſti.

SANCTVS Thomas de hac duplici ſcientia duplicem quæſtionem inſtituit. Sed, ad ſeruandam exactam ordinis rationem, viſum nobis eſt, hoc loco poſt tractatum de intellectu & ſcientia Chriſti, tractandum eſſe de eiuſdem voluntate, de qua tamen S. Tho. non agit niſi poſt plures alias quæſtiones, ſub titulo de pertinentibus ad vnitatem Chriſti, & præſertim quantum ad voluntatem. Certè autem, ita per ſe & principaliter tractandum eſt de voluntate, ſicut de intellectu & ſcientia Chriſti, & proximè poſt intellectum ſequi debet voluntas. Ideo vt numerum ſequentis quęſtionis duodecimæ pro ipſa voluntate ſeruemus, ſimul cum ſcientia infuſa etiam acquiſitam in præſenti vndecima coniungimus.

De ſcientia infuſa per ſex articulos hæc docet S. Doctor. Primò, ad perfectionem

dem animæ Chriſti ſpectare, vt ei infuſa fuerit ſcientia omnium quæ ab hominibus propria virtute cognoſci poſſunt, & omnium quæ per diuinam reuelationem hominibus innoteſcunt. Secundo, potuiſſe animam Chriſti vti ſcientia infuſa non conuertendo ſe ad phantaſmata: quia nimirum non erat ſubdita corpori, nec ab eo in operando dependebat. Tertio, hanc infuſam ſcientiam non fuiſſe collatiuam ſeu diſcurſiuam quantum ad acquiſitionem, ſiquidem Chriſtus non eam diſcurrendo acquiſiuit, ſed per infuſionem habuit: fuiſſe tamen diſcurſiuã quantum ad vſum, quia poterat Chriſtus vnum quid ex alio concludere ſi volebat. Quarto, hanc ſcientiam fuiſſe excellentiorem in Chriſto quàm in Angelis, loquendo ex parte principij, quia Chriſtus clariùs & certiùs quàm Angeli res cognoſcebat: ſed fuiſſe inferiorem ex parte ſubiecti & quoad modum cognoſcendi, cum poteſtate conuertendi ſe ad phantaſmata & diſcurrendi. Quintò, hanc ſcientiam fuiſſe in Chriſto habitualem: quia modus connaturalis animæ eſt, vt recipiat ſcientiam per modum habitus. Sextò, fuiſſe in plures habitus diſtinctam: quia hoc eſt magis connaturale & proportionatum humano intellectui.

Ei ſcien habitu[illegible] aliis vt[illegible] bat mi[illegible] ta ſciat.

De ſcientia deinde acquiſita per quatuor articulos hæc docet. Primò, Chriſtum per ſcientiam acquiſitam nouiſſe omnia quæ ſciri poſſunt per operationem intellectus agentis. Secundò, in hac ſcientia tractu temporis & ætatis profeciſſe: quia intellectus agens ſucceſſiuè abſtrahit ſpecies intelligibiles, alias poſt alias. Tertio, non per hoc quicquam ab hominibus didiciſſe: ſiquidem ipſe conſtitutus erat caput omnium hominum ad eos edocendos. Quartò, nec etiam quicquam ab Angelis didiciſſe: quia intellectus Chriſti per reſpectum ad cauſam ſuperiorem illuſtrabatur immediatè à Verbo diuino, & non mediantibus Angelis.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus per ſcientiam infuſam nouerit myſteria ſupernaturalia, ac præſertim Deum ipſum quoad eſſentiam & perſonas.

Scientia infuſa ad hoc præcipuè Chriſto conceditur à Theologis, vt cognoſceret myſteria ſupernaturalia quæ nos fide credimus. Hæc autem ſunt in duplici ordine: nempe vel de effectibus ſupernaturalibus productis à Deo, qualia ſunt dona gratiæ quæ nobis conferuntur: vel de ipſo Deo in ſe, quale eſt myſterium Trinitatis & omnia ad diuinitatem ſpectantia. De primo myſteriorum ſupernaturalium ordine, nempe de effectibus procedentibus à Deo, omnes quidem Theologi conſentiunt, verè fuiſſe cognitos à Chriſto per ſuam ſcientiam infuſam. Sed circa modum ipſum huius ſcientiæ & cognitionis, loquendo ſpecialiter de gratia ſanctificante, de fide diuina, de beatifica viſione, de dono hypoſtaticæ vnionis, contendunt aliqui, hos effectus nõ potuiſſe cognoſci à Chriſto per hanc ſcientiam proprio & quidditatiuo conceptu, propria ſpecie intelligibili, ſed tantùm aliena ſpecie & conceptu. Ita ſentiunt Durand. in 3. d. 14. q. 3. Vaſq. hic diſp. 53. cap. 1. & 2. par. diſp 135. Aluarez hac 3. par. q. 61., Bagn. 2. 2. q. 5. art. 1. ad 3., & defendit Raguſa hic diſp. 92. Ac fundamentum eſt: quia hi effectus dicunt tàm intimum reſpectum & ordinem ad Deum, vt nõ poſſint proprio & quidditatiuo conceptu cognoſci abſque clara & quidditatiua notitia Dei, quæ eſſet viſio intuitiua: at per ſcientiam infuſam præcisè Chriſtus non videbat clarè & intuitiuè Deum, alioqui non differret à ſcientia beata: ergo nec etiam huiuſmodi effectus poterant quidditatiuè cognoſci à Chriſto per hanc infuſam ſcientiam à beata diſtinctam.

An cognoſceret effectus ſupernaturales per proprias ſpecies.

Aſſerendum tamen eſt, Chriſtum in ſua ſcientia infuſa habere potuiſſe ac de facto habuiſſe proprias ſpecies intelligibiles horum & omnium effectuũ ſupernaturalium qui ſunt à Deo, eoſque proprio & quidditatiuo conceptu, claro & intuitiuo cognouiſſe. Ita videntur alij Theologi ſupponere. Et probatur; quia cùm Chriſtus non cogno-

Cognoſcebat per proprias ſpecies.

gnouerit hoc effectus per fidem; non habuerit eorum fidem; non apparet alius conueniens modus quo eos cognouiſſe dicatur, niſi per propriam eorum ſpeciem, & proprio ac quidditatiuo conceptu. Solùm enim aliqui ex illis Auctoribus aſſignant, cognouiſſe per euidentiam in atteſtante, ex euidentia ſcilicet diuinæ reuelationis de illis effectibus. Verùm hic modus cognoſcendi ſimpliciter ſpectat ad genus fidei, quia ſimpliciter innititur teſtimonio & auctoritati dicentis, vt ex ſuo loco de fide ſupponimus: at in Chriſto non erat genus fidei, ſcientia infuſa non erat de genere fidei, neque cum clara viſione rei prout eſt in ſe, qualis erat ſcientia beata Chriſti, ſtat huiuſmodi notitia ex teſtimonio dicentis, quamuis dicatur eſſe per euidentiam talis atteſtationis. Et præterea ſaltem fateri debebant, ipſam reuelationem & atteſtationem diuinam fuiſſe euidenter cognitam a Chriſto per propriam ſpeciē & proprio conceptu, ne abeamus in infinitum: at eadem planè ratio erit de alijs quoque effectibus Dei, vt per ſpecies proprias cognoſcantur. Si quæ enim difficultas in ijs obuiat, non minùs vrget in hoc diuinæ reuelationis effectu: ergo vel de nullo vel de omnibus concedi debebit quidditatiuus conceptus per propriam ſpeciem.

Quia non per hoc repræſentabant quidditatiuè Deum in ſe.

Et quidem non obſtat oppoſitum fundamentum, quo minus verè de omnibus concedatur. Etenim poteſt optimè dari ſpecies propria & quidditatiua cuiuſcunque effectus Dei, quæ non per hoc ſit quidditatiua & intuitiua ipſius Dei, quinimò ſemper ſit ſpecies aliena reſpectu Dei. Nam hoc ipſo quòd quædam ſpecies eſt per ſe ac directè repræſentatiua alicuius effectus Dei, eſtq; propria talis effectus, iam eſt ſpecies aliena reſpectu Dei. Et ſic de facto ſe habent tot ſpecies repræſentatiuæ rerum creatarum, quæ quidem ſpecies repræſentant quoq; inter alias rationes dependentiam ipſam talium rerum Deo, quæ dependentia planè eſt reſpectus & ordo eſſentialis ad ipſum Deum. Sic igitur dari poteſt propria ſpecies & quidditatiuus conceptus illorum effectum ſupernaturalium, abſq; eo quòd detur propria ſpecies & quidditatiuus conceptus ipſius Dei. Et vel hinc poteſt clariùs explicari: ponamus quempiam admittere illud cōſequens, nempe quòd tali modo per ſpecies certorum effectuum poſſit quidditatiuè & clarè cognoſci Deus proprio conceptu, & quòd hæc cognitio differret à ſcientia beata & viſione intuitiua, qua conſpicitur Deus immediatè per propriam ſpeciem, & non mediante alio effectu ſuo: tunc ſtatim ex aduerſo inſurgerent & inſtarent, quod eo ipſo talis modus cognitionis non eſſet proprius & quidditatiuus, ſed potiùs ſe haberet ſicut conceptus quem de facto habemus de Deo per ſpecies rerum creatarum. Verè ergo abſque vlla conſequentia poteſt ac debet concedi, intellectū creatum habere poſſe, ac de facto intellectum humanum Chriſti habuiſſe proprium ac quidditatiuum conceptū per proprias ſpecies quorumcunque effectuum ſupernaturalium qui ex diuina prouidentia emanant; Et ſic quidem aſſignari & conſtitui debet ſcientia infuſa Chriſti.

An cognoſceret etiā myſteria Diuinitatis & Trinitatis, & quomodo.

Iam de altero myſteriorum genere, quæ ſunt de Deo ipſo in ſe, S. Thomas ipſe hic quæſt. 11. art. 1., docet, Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe alia omnia, non tamen ipſam Dei eſſentiam: quare multò magis negaret, Chriſtum per hanc ſcientiam cognouiſſe myſterium Trinitatis. Et ita abſolutè tenent Vaſq. diſp. 53. cap. 3., Lorca & Kelliſonus ead. quæſt. 11. art. 1., dicentes, ſcientiam infuſam Chriſti non attigiſſe Deum, nec quoad perſonas, nec etiam quoad eſſentiam abſolutam. Et fundamentum eſt: quia non eſt poſſibilis, non poteſt infundi intellectui creato ſpecies propria repræſentatiua ipſius Dei: ex effectibus verò notitia quæ colligitur, dicetur potiùs acquiſita. Ac ſpecialiter Trinitatis notitia ex nullo Dei effectu colligi poſſe videtur: cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, ac diſtinctio diuinarum perſonarum ſe habeat veluti per accidens ad operationes ad extra. Et propterea aliqui, admittentes ſcientiā infuſā de Deo quoad eſſentiā, negant quoad perſonas in quibus conſiſtit myſteriū Trinitatis.

Sed

Sed Caiet. q. 11. art. 1., Suarez diſp. 27. ſect. 5., Aluarez diſp. 62., & alij hoc loco concedunt, Chriſtum per ſcientiã infuſam cognouiſſe euidenter Deum, non ſolùm quoad eſſentiam, ſed etiam quoad perſonas & myſterium Trinitatis: non tamen per euidentiam res in ſe, aut ex effectibus; ſed ſolùm in atteſtante, ex vi nempe diuinæ reuelationis. Quia ſcilicet facta fuerit Chriſto reuelatio de myſterio Trinitatis, eique data ſit euidens notitia talis reuelationis vt procedentis à Deo. Vel Chriſtus euidenter cognouerit reuelationem factam alijs hominibus, & per talem euidentiam cognouerit myſteria reuelata Diuinitatis & Trinitatis. Ampliùs vero Scotus, affirmans, poſſibilem eſſe ſpeciem propriam repræſentatiuã Dei, euidenter & abſtractiuè, ad differentiam viſionis intuitiuæ, fortaſſe hanc ſpeciem tribueret Chriſto Domino ſub genere ſcientiæ infuſæ; ſicque diceret, Chriſtum per ſcientiam infuſam, propria ſpecie intelligibili, cognouiſſe Diuinitatis myſteria, non ſolùm quoad eſſentiam, ſed etiam quoad perſonas.

An cognoſceret myſteria Diuinitatis & Trinitatis quomodo.

Verè cognoſcebat.

Aſſerendum tamen nobis videtur, Chriſtum per ſcientiam infuſam verè cognouiſſe euidenter Deum, non ſolùm vt vnum in eſſentia, ſed etiam vt trinũ in perſonis, non quidem per ſpeciem propriam repræſentatiuam Dei, neque per ſolam euidentiam in atteſtante, ſed per euidentiam ductam ex effectibus Dei. Et primò certè non videtur poſſe negari Chriſto cognitio Dei per ſcientiam infuſam. Tum quia, cùm ſcientia infuſa tribuatur Chriſto ob perfectionẽ animæ eius, vtique nulla eſt maior perfectio in hoc genere quàm cognoſcere Deum: ergo hæc maximè debet illi attribui. Tum quia, cùm alioqui alij homines per cognitionem infuſam, nempe per fidem, attingant Deum & myſterium ipſum Trinitatis, Chriſtus ex hac parte multò minus cognoſceret per ſuam ſcientiam infuſam, quàm alij homines per fidem: quod planè eſt incõueniens. Tum quia ſcientia infuſa erat illa quæ dirigebat voluntatem Chriſti in actibus meritorijs & ſatisfactorijs, ſicut in nobis ſe habet fides: ſed nulli actus ſunt excellentiores & magis meritorij, quàm illi qui verſantur circa Deum, & omnino dici debet Chriſtus maximè meruiſſe per huiuſmodi actus voluntatis circa Deum: ergo omnino per ſcientiam infuſam attingebat Deũ. Et quidem adeo expreſſum eſt in Euãgelio, Chriſtum tàm frequenter oraſſe Patrem, gratias egiſſe Patri, dediſſe Spiritum ſanctum, & alia paſſim feciſſe ac dixiſſe, quę manifeſtè ſupponebant cognitionem Dei & perſonarum. Neque ad hoc ſufficiebat ſcientia beata aut acquiſita. Chriſtus enim operabatur vt viator, orabat & merebatur vt viator: ergo non ex vi ſcientiæ beatæ, ſed ex vi alterius ſcientiæ accomodatæ ſtatui viatoris. Scientia vero acquiſita erat ordinis naturalis; operationes autem meritoriæ erant ordinis ſupernaturalis, & ita omnino debebant prodire ex notitia eiuſdem ordinis ſupernaturalis. Et rurſus ſi conſideretur ſcientia quam Vaſquez ait fuiſſe temporis progreſſu acquiſitam in Chriſto, hæc non fuit ab initio, ſed poſt multum tẽporis à Chriſto cõparata: ergo non potuiſſet Chriſtus antea & ab initio orare Patrem: cùm tamen Apoſtolus ad Hebr. 10. teſtatus ſit, Chriſtum ſtatim ab initio oraſſe ad Patrem, *Ingrediens mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, tunc dixi ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.*

Secundò. Non per hoc tribui debet Chriſto ſpecies propria & quidditatiua ipſius Dei in ſe, diſtincta ab intuitiua. In vniuerſum enim talis ſpecies dari non poteſt, vt iam tractauimus 1. par. q. 12. ſect. 3. Neque in hac re eſt neceſſaria, ſed optime per viam effectuum poteſt haberi & poterat eſſe in Chriſto, notitia euidens & abſtractiua Dei, quæ eſſet ſcientia infuſa, ab intuitiua diſtincta. *Non quidem per propriam ſpeciem Dei.*

Tertiò ergo facilè eſt, Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe Deum quoad eſſentiam. Si enim cognouit Dei effectus per ſpecies infuſas eorundem effectuum, non potuit non cognoſcere Deum per eaſdem ſpecies. Sicut & communiter homines per ſpecies ex rebus acquiſitas habent Dei notitiam. Et Angeli per ſpecies infuſas rerum crea- *Cognoſcebat diuinã eſſentiam ex effectibus.*

 crea-

Digitized by Google

creaturum vtique Deum quidquid co-gnoſcunt: Quanto magis ergo Chri-ſtus. Neque hæc cognitio ſpectabat ad ſcientiam acquiſitam, ſed ad infuſã, quandoquidem habebatur per ſpecies infuſas, eratque eiuſdem ordinis & ge-neris cum notitia aliarum rerum quæ per tales infuſas ſpecies habebatur.

Et ſic etiã myſterium Trinitatis mediante hypoſtatica vnione.

Quarto vlterius poſſe dari notitiam euidentem Trinitatis, quæ non ſit ob-ſcura et fidei, nec ſit intuitiua et viſio clara, ſatis oſtendimus in ipſa materia Trinitatis 1. part. quæſt. 32. ſect. 3. Qua poſſibilitate ſuppoſita dubitari non poterit, talem notitiam fuiſſe de facto Chriſto conceſſam, & ad infuſam ſcien-tiam pertinere. Et non debet quidem ſola euidentia in atteſtante de myſte-rio Trinitatis et ibi Chriſto: hæc enim euidentia non excedit rationem fidei, vt modo ſupponimus; ſed adhuc eſt de genere fidei: quare cum dictum ſit, Chriſtum ratione claræ viſionis non fuiſſe capacem fidei, conſequenter non debet hæc notitia per ſolam euidentiã in atteſtante ei attribui. Ideoque mi-nus cohæret Ragufa diſp. 94. ex vna parte fatetur hanc euidentem notitiã rei in atteſtante eſſe de genere fidei, & tamen eam tribuit Chriſto. Sed aſſi-gnari & explicari debet notitia euidẽs Trinitatis in Chriſto per viam aliorum effectuum, ſicut datur talis notitia de eſſentia & attributis abſolutis Dei. Et quidem ſatis perſpicuè explicatur per viam ipſius hypoſtaticæ vnionis, vt eo loco de Trinit. deducebamus. Ac ſpe-cialiter in intellectu humano Chriſti videtur manifeſtum. Nam anima Chri-ſti poterat ac debebat ſcire ſe eſſe vni-tam hypoſtaticè cuidam perſonæ diui-næ: poterat ac debebat habere ſpeciẽ propriam infuſam repræſentatiuam ta-lis vnionis, quæ ſpecies non per hoc directè & immediatè repræſentabat perſonam diuinam in ſe, ſed ad ſum-mum indirectè & mediatè, ſcilicet per tale medium cognitum vnionis hypo-ſtaticæ, ſicut per alios effectus cogno-ſcitur diuina eſſentia. Et poterat etiam perſpicere anima Chriſti rationem pro-priam ac ſpecialem talis vnionis prout terminatæ ad perſonam Verbi, ac dif-ferentiam ab alijs vnionibus poſſibili-bus ad alias duas perſonas diuinas. Atque hoc pacto per talem euidẽtiam cognoſcebat integrè totum myſterium Trinitatis. Et hæc erat ſcientia infuſa, non intuitiua ſed abſtractiua, & diffe-rens à ſcientia beata & viſione clara.

Explicatur D.Thomas

Exponi autem debet D.Thomas cum Caiet. aliiſque Thomiſtis frequenter: Quod Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognoſcebat diuinam eſſentiam proprio & quidditatiuo conceptu, ſicut intuebatur res ipſas creatas per pro-prias ſpecies infuſas. Ideoque de hoc modo cognoſcẽdi inquit, Chriſtum non cognouiſſe Dei eſſentiam per ſciẽ-tiam infuſam, ſed ſolum per beatam. Aliàs S. Doctor negare non poterat, Chriſtum per ſcientiam ſaltem acquiſi-tam potuiſſe cognoſcere Deum, ſicut alij homines cognoſcunt: & tamen inquit, cognouiſſe ſolum per ſcientiam beatam, ſcilicet proprio & quidditati-uo conceptu. Ac inſuper in corp. art. citati affirmat, Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnia quæ poſſunt ab homine cognoſci per virtutem in-tellectus agentis, & omnia quę ſpectãt ad humanas ſcientias: verè autem ho-mines Dei notitiam acquirere poſſunt & ſolent, & inter humanas ſcientias Philoſophia Deum attingit. Sic etiam de hac re ſe explicuit Durandus in 3. diſt. 14. q. 5. num. 6. qui eodem modo cum D. Thoma loqui & ſentire vide-batur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Chriſtus per ſcientiam infu-ſam obiecta etiam natu-ralia nouerit.

Reſolutio affirmatiua.

THeologi omnes concorditer affir-mant, Chriſtum habuiſſe ſcien-tiam infuſam earum etiam rerum quas homines & Angeli naturaliter cogno-ſcunt. Sed Scotus in 3. d. 14. q. 3. & Durand. q. 4. volunt, ſcientiam infuſam rerum naturalium in Chriſto fuiſſe eiuſ-dem rationis cum ſcientia acquiſita in nobis, atque adeo non per ſe, ſed ſo-lum per accidens infuſam. Et funda-mentum eſt: quia obiectorum natura-lium

Digitized by Google

Explicat D. Thom.

lium ſcientia eſt per ſe naturalis: ſed ſcientia naturalis eſt quæ de ſuo genere poteſt acquiſitione comparari, nec petit neceſſario infundi a Deo, ſicut petunt habitus ſupernaturales; ergo ſcientia rerum naturalium in Chriſto erat de ſuo genere acquiſita, & ſolum per accidens ex voluntate diuina fuerat illi data per infuſionem à Deo, ſicut & virtutes morales de ſuo genere acquiſitæ, fuerunt ab initio per infuſionem collatæ animæ Chriſti. Ex aduerſo aliqui volunt, Chriſtum habuiſſe talem ſcietiam infuſam naturalium obiectorum, quæ eſſet per ſe & ex genere ſuo infuſa, & eſſet quoque intrinſece ſupernaturalis, ſicut ſunt virtutes per ſe infuſæ. Ita cenſet Suarez diſp. 30. ſect. 1. Quia, inquit, Chriſtus ſupernaturali modo & ſuperiori quodam lumine res ipſas naturales cognoſcebat. Conſentit in re Lugus diſp. 20. ſect. 2. ſed alia ratione: Quia, inquit, gratia habitualis eleuans ſubſtantiam ad ſtatum ſupernaturalem, exigit operationes etiam proportionatas, atque adeo cognitionem ordinis ſupernaturalis, quamuis alioqui in modo attingendi ſua obiecta ſeruet adhuc modum naturalem. At Vaſquez diſp. 53. contendit ſcientiam infuſam Chriſti circa obiecta naturalia fuiſſe quoque ſecundum ſubſtantiam ordinis naturalis, licet quoad modum data fuerit modo ſupernaturali, ſcilicet per infuſionem, præter modum conſuetum & exigentiam humanæ naturæ: ſed non per hoc fuiſſe de ſuo genere acquiſitam, quinimo fuiſſe adhuc per ſe & de ſuo genere infuſam.

Hæc ſcientia erat per ſe infuſa, ſed ordinis naturalis.

Et ita quidem ſimpliciter aſſerendũ videtur, Chriſtum habuiſſe ſcientiam infuſam etiam de rebus naturalibus, eamque fuiſſe per ſe & ex genere ſuo infuſam, ſed adhuc fuiſſe in ſubſtantia ſua ordinis naturalis. Ita videtur de mente S. Thomæ, & aliorum qui oppoſitum non expreſſerint. Et explicatur ac probatur; quia intellectus humanus Chriſti erat capax ſcientiæ infuſæ de rebus etiam naturalibus, atque ad perfectionem eius ſpectabat, vt ab initio eam haberet. Sicut enim Angelis ab initio creationis infuſæ fuerunt à Deo ſpecies repræſentatiuæ rerum naturalium, ita potuerunt etiam ab initio infundi animæ Chriſti, & conueniens erat de facto infundi, ne Chriſtus eſſet inferior Angelis in tot rebus cognoſcẽdis. Ita hæc ſcientia in Chriſto erat per ſe infuſa, ſicut nempe ſpecies intelligibiles in Angelis ſunt per ſe infuſæ. Vbi, quamuis circa obiectum naturale dari poſſit, ac detur in nobis ſcientia acquiſita per ſpeciem acquiſitam; dari adhuc poteſt aliud genus ſcientiæ & ſpeciei per ſe infuſæ ac diuerſæ rationis ab acquiſita. Scientia enim & ſpecies intelligibiles Angelorum, quamuis circa eadem obiecta naturalia quæ nos cognoſcimus, ſunt diuerſæ rationis à noſtris ſpeciebus & ſcientia: ſed poſſunt per Dei virtutem communicari & infundi etiam humano intellectui, & ſic dici debent de facto fuiſſe animæ Chriſti. At tandem non propterea hæc ſcientia infuſa in Chriſto dici debet ſecundum ſubſtantiam ſuam ſupernaturalis circa obiecta naturalia. Sicut certè ſua ſcientia in Angelis, quæ illis fuit indita & infuſa ex vi creationis eorum iuxta connaturalem exigentiam, non erat ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis, ſed naturalis: & huic ſcientiæ Angelorum ſimilis erat huiuſmodi ſcientia Chriſti.

Duplex erat ſcientia infuſa Chriſti, ſupernaturalis & naturalis.

Itaque, ſicut Angeli ab initio receperunt per infuſionem à Deo duo genera formarum intellectualium, ſcilicet circa myſteria ſupernaturalia fidei ordinis ſupernaturalis, & circa obiecta naturalia ſpecies ordinis naturalis, ſed omnes per ſe infuſas: ita Chriſtus recepit per infuſionem à Deo vnum genus formæ ſupernaturalis circa myſteria ſupernaturalia, quæ in illo non fuit fides, ſed dicitur ſcientia infuſa, & fuit loco fidei; & aliud genus formæ intellectualis circa obiecta naturalia, quæ etiam dicitur ſcientia infuſa, ſed quæ eſſet ordinis naturalis, & eſſet per ſe infuſa, conſimilis ſcientiæ naturali & infuſæ Angelorum. Quare hæc eſſe poteſt quædam regula: vt circa illa obiecta de quibus homines & Angeli in via habent notitiam & cogitationes ordinis ſupernaturalis & fidei, ſiue ſpeculatiuam, ſiue practicam, Chriſtus habuerit ſcientiam infuſam ſupernaturalem:

Reſolutio affirmatiua.

Digitized by Google

alem : & de reliquo circa illa obiecta de quibus homines & Angeli habent notitiam ordinis naturalis, Chriſtus habuerit ſcientiam per ſe infuſam, ſed in ſubſtantia naturalem, ad inſtar ſcientiæ Angelorum. Et quia rurſus, in hominibus & Angelis inuenitur quædam alia cognitio & cogitatio ac virtus intellectiua ſupernaturalis præter actum & habitum fidei propriè dictum, vt pote piæ & ſalutares cogitationes ac prudentiam infuſam : & interdum etiam de iiſdem rebus & obiectis diſtinguitur duplex cognitio in ſubſtantia differens, vna naturalis, & altera ſupernaturalis; & ideo idem obiectum reſpectu vnius dicitur naturale & reſpectu alterius ſupernaturale : ſic etiam in Chriſto admittendum eſt, reperiri ſcientiam infuſam ordinis ſupernaturalis, de omnibus prorſus rebus, de quibus homines & Angeli habent talem cogitationem & virtutem intellectiuam ſupernaturalē : ac ſimiliter de iiſdem rebus habere vnam ſcientiam infuſam ſupernaturalem, & alteram naturalem. Quod quidem non habet nouam aut peculiarem difficultatem in Chriſto, ſed res eſt communis ad omnem intellectum creatum.

Qualiter erat ſcientia per ſe infuſa & naturalis.

Ad fundamenta verò pro alijs dicendi modis allata dicendum eſt : ſcientiã infuſam Chriſti de rebus naturalibus eſſe quidem ordinis naturalis, ſed non omnem ſcientiam naturalem poſſe de ſuo genere acquiſitione comparari, quinimo aliquam per ſe ac neceſſario petere infundi à Deo, vt patet de naturali ſcientia Angelorum, & huiuſmodi fuiſſe ſcientiam infuſam Chriſti. Neque verò modus cognoſcendi quem habebat Chriſtus per ſcientiam infuſam, reddebat illam in ſubſtantia ſupernaturalem circa omnia obiecta : ſed ex hac parte reddebat ad ſummum ſupernaturalem quoad modum : quia ille modus qui eſt connaturalis Angelo & animæ ſeparatæ, excedit ſtatum animæ coniunctę corpori, de quo dicemus ſect. quarta. Neque etiam ſtatus gratiæ ſanctificantis facit, vt illæ operationes quæ alioqui eſſent naturales, euadere debeant ſupernaturales, vt patet in omnibus actibus; ſicut è conuerſo in ſtatu peccati habitualis inueniuntur operationes ſupernaturales circa ſua obiecta proportionata, vt patet de actibus fidei & ſpei. Sed potiùs dici debet, ex ſtatu eleuationis ſupernaturalis fieri, vt operationes circa proportionata obiecta ſint ſupernaturales. Et ita in Chriſto ſcientia infuſa dici verè debet ſupernaturalis circa omnia obiecta de quibus homines ipſi & Angeli ob dictam eleuationem habent notitiã ordinis ſupernaturalis. Quomodo vero à tota ſcientia infuſa Chriſti differat ſcientia acquiſita, vt ita magis conſtet qualiter ſit per ſe infuſa, poſtea explicabimus circa ipſam ſcientiam acquiſitam.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Chriſtus per ſcientiam infuſam nouerit omnes res poſſibiles & exiſtentes; etiam ſecreta cordium & futura contingentia.

ILLI Theologi, qui vt quæſt. præcedenti memorauimus affirmabant Chriſtum cognouiſſe omnia poſſibilia, facilè concederent cognouiſſe non ſolùm per ſcientiam beatam, ſed etiam per infuſam. Imò in ſententia aliorum & noſtra, qua negabatur Chriſtum per ſcientiam beatam cognouiſſe in Deo omnia poſſibilia, facilius id admitti poſſet per ſcientiam infuſam, qua nempe cognoſcuntur creaturæ in ſe ipſis : quia viſio quidem Dei tam perfecta, quæ repræſentaret in Deo omnia poſſibilia, eſſet comprehenſio Dei, quæ in intellectu creato dari non poteſt : at cognitio omnium rerum poſſibilium in ſe ipſis per proprias ſpecies, nequaquã eſſet comprehenſio Dei : quare dici debebit poſſibilis, atque adeò de facto fuiſſe conceſſa animæ Chriſti per diuinam infuſionem.

Non cognoſcebat Chriſtus omnes res poſſibiles.

Sed nihilominus dicendum eſt cum communi Theologorum ſententia, Chriſtum per nullam ſcientiam omnia poſſibilia cognouiſſe; plurima verò per ſcientiam beatam, pauciora per ſcientiam infuſam. Ita S. Tho. q. 13. art. 1. docet Chriſtum non cognouiſſe omnia

poſſi-

poſſibilia. Et q. 11. art. 1. docet, Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnia quæ poſſunt ab homine ſciri virtute intellectus agentis, & ea quæ diuina reuelatione nobis innoteſcunt. Nullaque ſane ratio cogit, qua omnium rerum poſſibilium, etiam quæ nũquam futuræ ſint, notitiam & ſcientiam, humano Chriſti intellectui tribuamus; neque cur in hoc ſcientiam infuſam ſcientiæ beatæ præferamus. Vnde etiam ſi admittamus, poſſe ſimpliciter à Deo infundi intellectui creato ſcientiam omnium rerum poſſibilium in proprio genere, non habemus ſufficiens fundamentum ad affirmãdum de facto fuiſſe infuſam intellectui Chriſti. Sed iuxta doctrinam in ſuperioribus traditam ſatis erit ſi dicamus, Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe ea omnia quæ à quocunque intellectu humano vel angelico cognoſcuntur: aut etiam ſi placeat ad alia plura illam extendere, infra tamen ſcientiam beatam.

Cognoſcebat omnes res exiſtentes.

Deinde circa exiſtentiam rerum quæ aliquando ſunt vel erunt, refert Suarez diſp. 27. ſect. 1., Scotum dixiſſe, per ſcientiam infuſam non poſſe cognoſci res vt exiſtentes: quia ſcilicet ſpecies infuſæ repræſentant res ſolùm quoad ſuas quidditates & naturas, abſtrahendo ab actuali exiſtentia. Satis tamen certum eſt, Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe res, non ſolùm vt poſſibiles & ſecundùm eſſentiam, ſed etiam vt actu exiſtentes in ſua differẽtia temporis. Nec Scotus ipſe hoc negauit. Quinimò in 3. d. 14. q. 3. planè dixit, Chriſtum per ſcientiam infuſam intuitiuè cognouiſſe res quę erant tunc præſentes & actu exiſtentes. Addebat verò, hanc intuitiuam cognitionem fieri, non ſolùm virtute ſpeciei infuſæ, ſed ſimul etiam ratione præſentiæ ipſarum rerum. Quod in vniuerſum ita exiſtimat de omni intuitiua ſcientia, etiam in intellectu Angelorum. Itaque dubitari non poteſt, quin Chriſtus per ſcientiam infuſam verè cognouerit res exiſtentes intuitiuè quoad ipſam actualem exiſtentiam. Sed qualiter id fiat virtute ſpeciei, vel ex præſentia obiecti, quia res eſt communis, attigimus ſuo loco de Angelis q. 57. ſect. 2. & 5.

Non tamen ſciebat omnes res poſſibiles.

Cognouitque Chriſtus omnes res exiſtentes cuiuſcunque generis & ordinis, tam ſupernaturales quàm naturales, tam ſpirituales quàm corporeas, non ſolùm in vniuerſali ſed determinatè in ſingulari. Sed aliqua difficultas eſt de cogitationibus occultis, ſiue de ſecretis cordium, complectendo voluntatis affectus, & quæ ad hos conſequuntur & occulta ſunt. Hæc enim ſecreta Angeli ſua ſcientia naturali per ſuas ſpecies infuſas non cognoſcunt: eo quod ſpecies angelicę de ſe non repręſentant hæc ſecreta, niſi manifeſtentur per loquutionem ab ijs Angelis vel hominibus quorum ſunt hæc ſecreta cogitationum & affectuum internorum. Sed ſine dubio Chriſtus hæc omnia ſecreta per ſuam infuſam ſcientiam exactè cognouit. Ita Theologi communiter in 3. d. 13. & hic cum D. Thoma docere ſolent. Et ex pluribus Euangelij locis conſtat, Chriſtum huiuſmodi ſecreta cognouiſſe & annunciaſſe. Dicique debet, non ſolùm per ſcientiam beatam, ſed etiam per infuſam cognouiſſe. Scientia enim infuſa Chriſti non ita aſſimilanda eſt naturali ſcientię Angelorum, vt cum ea omnino adæquetur: ſed in hoc cenſeri debet eam excedere. Nam id non ſolùm conueniebat perfectioni Chriſti: ſed conferebat etiam ad munus doctoris fidei. Si enim Deus per donum prophetiæ, pleriſque Sanctis reuelare conſueuit occulta cordium; multò magis ea omnia per ſcientiam infuſam notificauit Chriſto. Cùm inſuper Chriſtus conſtitutus eſſet à Deo ſupremus iudex omnium, quare non ſolùm facta, ſed etiam cogitata & quoſcunque affectus occultos cognoſcere debuit, non ſolùm per ſcientiam beatam, ſed etiam per ſcientiam infuſam, quæ data eſt Chriſto tanquam magis proportionata ad hæc munera obeunda. Itaque nunquam egebat Chriſtus manifeſtatione ipſorum hominum vel Angelorum per loquutionem, qua ei hæc ſecreta propalarentur, ad hoc vt per ſcientiam infuſam illa cognoſceret. Imò difficile ſatis eſt, qualiter vnus Angelus cognoſcat interdum ſecreta alterius per loquutionem & manifeſtationem illius. Facilius autem

Etiam ſecreta cordium.

appa-

Digitized by Google

apparet, Chriſtum de ſe omnia aliorum ſecreta nouiſſe, non ob eorum loquutionem, ſed ex virtute ſuarum ſpecierũ ſiue luminis ſibi infuſi: quia nimirum hæ ſpecies, & lumen fuerint amplioris perfectionis in Chriſto quam in Angelis, itaut repræſentarent alienas cogitationes & affectus, non expectata aliorum voluntaria manifeſtatione, quod non præſtant ſpecies ordinariæ Angelorum.

Etiam futura contingentia.

Rurſus cognouit Chriſtus non ſolum res præſentes eique tunc occurrentes, ſed etiam quaſcunque præteritas & futuras, quæ vnquam fuerant, vel erunt in quacunque differentia temporis. Ita S. Tho. hic quæſt. 11. art. 1. ad 3. & alij valde communiter. Atque ex dictis quoque deducitur. Sed difficultas maior eſt, quonam modo potuerit Chriſtus futura contingentia & præterita cognoſcere: nimirum cum de ipſo intellectu diuino ſit grauis diſceptatio inter Theologos, qualiter contingentia futura cognoſcat. Duplex autem modus occurrit, quo videtur potuiſſe intellectus Chriſti per ſcientiam infuſam hæc futura cognoſcere. Primus eſt, vt ipſemet ſpecies infuſæ, ſeu lumen infuſum animæ Chriſti, fuerint tantæ virtutis & efficaciæ, vt quemadmodum repræſentabant quidditates rerum, & exiſtentiã rerum præſentium, ſic etiam repræſentarent exiſtentiam futuram aliarum rerum pro certa menſura temporis. Secundus modus eſt, vt Deus reuelauerit Chriſto hæc futura, eo pacto, quo aliqua reuelare ſolebat Prophetis, dederitque Chriſto euidentiam ſuæ reuelationis prout prouenientis ab ipſo Deo, & ita Chriſtus hæc futura cognouerit euidenter in atteſtante.

Cognoſcebat per proprias rerum ſpecies.

Suarez diſp. 27. ſect. 2. inquit, priorem modum eſſe probabilẽ, ſed tamen eſſe valde dubium & incertum, & quoad aliqua impoſſibilem, ſcilicet quoad illa futura quæ ſpecialiter ex ſingulari quapiam & extraordinaria gratia conferenda ex diuina voluntate dependent. Ideo magis approbat poſteriorẽ modum, & non ſolum circa futura, ſed etiam circa præterita quæ ante æuum Chriſti præceſſerant. At potius hic poſterior modus approbari non debet, ſupponendo euidentiam in atteſtante reſcludi adhuc ſub genere fidei: etenim Chriſtus clare & intuitiue in Deo ipſo per ſcientiam beatam hæc omnia cognoſceret, non debet illi attribui alia notitia per viam atteſtationis de genere fidei circa eadem obiecta. Sed alius prior modus poteſt commode defendi & explicari. Eo enim modo quo Chriſtus ſuarum ſpecierum vi cognoſcebat ſecreta cordium, quæ alioqui ab Angelis non cognoſcuntur, ita quoque dici poteſt cognouiſſe futura. Et eo modo quo Angeli ſtatim cognoſcunt ex vi ſuarum ſpecierum ea quæ ex futuris fiunt præſentia, dummodo non ſint ſecreta cordium; ita poterat eſſe talis ac tanta vis luminis & ſpecierum infuſarum Chriſto, vt repræſentarent etiam futura quando erant futura. Neque ſatis obſtant ea quæ Suarez contra hunc modum adducit.

Cognoſcebat adhuc inferiori modo ad intellectũ diuinum & ſcientiam Beatam.

Obijcit primo: quia Deus ipſe non niſi ob infinitam virtutem ſui intellectus tali modo futura cognoſcit, & id ipſum non ſatis capit humana mens: ad ſummum ergo hic modus cognoſcendi poterit cõmunicari intellectui creato per viſionem claram Dei in ſe, & non per aliam inferiorem ſcientiam. Sed reſpondetur, intellectum diuinum ob ſuam infinitam virtutem longe ſublimiori modo videre futura; quæ non ſolum per ſcientiam beatam & viſionem claram in ipſo Deo, ſed etiam per aliam infuſam qua perſpiciantur in ſe ipſis poteſt intellectui creato communicari cognitio futurorum. Et vere quidem hæc ſcientia infuſa & viſio futurorum immediate in ſe ipſis eſt inferior ſcientia beata qua videntur in Deo: ſicut & cognitio poſſibilium in ſe ipſis eſt inferior illa quã cognoſcũtur in Deo.

Non ſic Angeli illa cognoſcunt.

Obijcit ſecundò: quia ex hoc dici poſſet, etiam Angelum per ſuas ſpecies infuſas, ſuumque lumen, eodem modo intueri futura; quoniam & ipſa futura ſunt in ſe cognoſcibilia, & Angelus per huiuſmodi ſpecies & lumen habet vim cognoſcendi. Reſpondetur, hanc inſtantiam fieri etiam poſſe circa ſecreta cordium; quia ſi Chriſtus per ſuas ſpecies & lumen ea cognouit, pariter Angeli

Digitized by Google

geli ea cognoſcerent. Sed certe, neque de ſecretis cordium, neque de futuris contingentibus, eadem eſt ratio de ſpeciebus infuſis Angelorum & Chriſti: nam ſpecies Angelorum ſunt ita limitatæ, vt non repræſentent ſecreta cordium niſi eis manifeſtentur, neque futura donec ſiant præſentia; ſed ſpecies Chriſti non indigebant ijs conditionibus, & in hoc excedebant ſpecies angelicas.

Non oportebat Chriſtum intueri Deũ per ſcientiam infuſam.

Obijcit tertio. Ad videnda eo modo futura contingentia oporteret perfecto modo intueri omnia, quæ tam ex parte Dei quàm ex parte cauſæ ſecundæ poſſunt ad effectum mutare, vel eum impedire: ſed hæc non cognoſcuntur perfectè omnia niſi per viſionem Dei: ergo non videbat eo modo Chriſtus futura per ſcientiam infuſam à beata diſtinctam. Reſpondetur, hoc argumentum fieri etiam poſſe circa cognitionẽ effectuum naturalium futurorum, ac etiam poſſibilium, vt facile poteſt applicari. Sed nihil probat: quia ad cognoſcendum effectum futurum ſatis eſt habere notitiam cauſarum ex quibus effectus eſt futurus, & quod nullum adſit impedimentum: idque totum optime poteſt cadere ſub ſcientiam infuſam. Imò ſatis eſt, dari in intellectu principium repræſentans futuritionem talis effectus: quia licet intellectus nõ ſimul intueatur alia quæ ex parte cauſarum circumſtant ipſum effectum; tamen ex eo quod videt futurum eſſe effectum, deducit adeſſe omnes cauſas requiſitas abſq; impedimento. Neque ad videndum effectum neceſſe eſt, cauſas pariter in ſe ipſis intueri: ſed ſufficit principium repræſentans futuritionem ipſius effectus. Sicut & circa rem præſentem, Angelus vtique videt actum noſtrum externum qui à nobis contingenter & libere manat, quamuis non intueatur determinationem noſtræ voluntatis in ſe ipſa, ex qua talis actus externus procedit.

Nec intueri diuinã voluntatẽ in ſe.

Obijcit quarto. Aliqui effectus ſunt qui ex ſola libera Dei voluntate depẽdent, & ita ſunt contingentes non ſolùm reſpectu voluntatis creatæ, ſed etiam diuinæ: at videri non poteſt effectus futurus, niſi videatur cauſa libera, & eius interna determinatio, à qua dependet effectus: per ſcientiam vero infuſam non perſpicitur diuina voluntas eiuſque determinatio: ergo nec videri poſſunt ij effectus futuri. Reſpondetur, omnes certe effectus creatos ita dependere ex libera Dei voluntate: vt ſi hoc argumentum valeret, non minùs probaret de omnibus, quàm de ijs qui ex ſola Dei voluntate dependent. Et applicari etiam poſſet contra cognitionem effectuum poſſibilium, quia pariter oporteret pro ijs intueri diuinam potentiam. Sed ſane, ſicut modo diximus de effectibus præſentibus qui ab Angelis cognoſcuntur: ita ad perſpiciendum effectum futurum neceſſe non eſt intueri in ſe internam determinationem voluntatis diuinæ; ſed ſatis eſt habere principium intuitiuè repræſentans effectum ad extra, vt futurum ſecundùm propriam entitatem & exiſtentiam.

SECTIO QVARTA.

De Actu Scientiæ infuſæ Chriſti.

POſſet quis opinari, vnicum fuiſſe & eſſe actum, quo humanus Chriſti intellectus intueatur omnia obiecta quæ ſub hanc ſcientiam cadunt: videlicet actum quendam neceſſarium, ac ſemper permanentem, & inuariatum; qualis nempe eſt actus ſcientiæ beatæ quo videntur res in Deo.

Non erat vnicus ſed multiplex actus.

Sed Theologi communiter ſupponunt, actum ſcientiæ infuſæ non hoc modo ſe habere; non fuiſſe vnicum circa omnia obiecta. Cùm nimirum cognoſcantur res adeo diuerſæ, & non vno medio, vel vna ratione, ſicut aliqui perſpiciuntur per ſcientiam beatã; ſed ſingulæ cognoſcuntur in proprio genere, & abſque certa colligatione: Item ſupponunt, non eſſe actum quendam in ſe neceſſarium: quia nulla occurrebat neceſſitatis ratio determinãs intellectum, vt ſemper permaneret in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ; ſicut talis neceſſitas ac determinatio inuenitur in ſcientia beata & actuali viſione Dei. Denique ſupponunt, non fuiſſe

actum

actum permanentem ſemper eundem & inuariatum: ſed potius ſucceſſiue plures ac varios actus fuiſſe in intellectu Chriſti per infuſam ſcientiam, eo nempe modo quo ſe habet ſciẽtia Angelorum, cui hæc ſcientia infuſa Chriſti aſſimilatur. Atque hæc plane eſt ſententia D. Tho. hic q. 11. & aliorum. An verò Chriſtus potuerit ſimul pluribus actibus huius ſcientiæ, vel vno eodemque actu, plura ac varia obiecta conſiderare, itemquè an ſemper fuerit in actuali conſideratione alicuius obiecti per ſucceſſionem vnius actus ad alium, eodem modo definiendum eſt, quod de ſcientia Angelorum in 1. par. tractauimus. Illudque veriſimile eſt de hac ſcientia infuſa Chriſti, quod aduertit Vaſq. diſp. 53. num. 18., aliquando Chriſtum ſimul & actualiter cogitaſſe omnia quæ cadunt ſub hanc ſcientiã, ſaltem intra certum genus & ordinem. Quia nimirum cum ſcientia Chriſti reſpiciat in aliquo genere infinita, vtpote infinitas cogitationes futuras: ſi ſolùm ſucceſſiuè cognoſceret, modò has, modò illas; nunquam compleret & pertranſiret omnes, nullumquè adueniret tempus quo perſpexiſſet omnes: ſi ergo verè & actualiter cognouit omnes, oportet vt infinitas ſimul cognouerit. Quod quidem facilè fieri potuit ex virtute ſcientiæ habitualis, addito etiam peculiari concurſu diuino ad complectenda ſimul infinita.

Non indigebat conuerſione ad phantaſmata.

Deinde quoad modum cognoſcendi per hanc ſcientiam, ſiue quoad vſum actualẽ huius infuſæ ſcientiæ, Durand. in 3. d. 14. q. 3. num. 7. docuit, Chriſtum non potuiſſe exercere actũ ſcientiæ infuſæ niſi per conuerſionem ad phantaſmata, ſimili modo quo nos in hoc ſtatu viæ cognoſcimus: quia inquit, quæcunque forma & perfectio recipitur in ſubiecto ſecundùm ſtatum ipſius ſubiecti: ſed ſcientia infuſa Chriſti, fuit eius perfectio vt viatoris; conditio autem viatoris eſt, nihil intelligere niſi per conuerſionem ad phantaſmata. Hinc infert, Chriſtum ab initio habuiſſe tantùm habitum, & non actũ ſcientiæ infuſæ, donec ex rebus ſenſibilibus phantaſmata compararet.

Certum tamen eſſe debet cũ S. Tho. hic q. 11. art. 2. alijſq; Theologis communiter, Chriſtum non eguiſſe conuerſione ad phãtaſmata in vſu huius ſciẽtiæ, hoc eſt actum huius ſcientiæ non fuiſſe dependentem ex ſpeciebus ſenſibilibus, ſiue ex cognitione ſenſus interioris circa obiecta ſenſibilia. Et probatur tum ratione à priori: quia cùm hæc ſcientia non fuerit ſenſuum miniſterio acquiſita, non habet per ſe connexionem & dependentiam ab operatione ſenſuum, ſicut habet ſcientia noſtra quæ per ſenſus comparatur. Tum etiam, quia ſcientia infuſa Chriſti eſt ſimilis ſcientiæ Angelorum, & per ſe habet omnia requiſita ad operandũ: non ergo indiget cõuerſione ad phantaſmata. Tum inſuper Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit alia plura quàm ea quorum habere poterat notitiam per phantaſmata. Tum certè potuit Chriſtus ab initio per voluntatem operari ac mereri: ergo & ab initio poterat vti hæc ſcientia infuſa abſque phantaſmatibus, iuxta doctrinam in ſuperioribus traditam. Et non ſolùm ab initio, in ea ætate in qua alij homines ob defectum diſpoſitionis in ſẽſibus non poſſunt benè vti ratione; ſed & deinceps omni tempore, etiam in ſomno, poterat tàm perfectè vti hac ſciẽtia, ſicut alio quocunque tempore; quandoquidem non dependebat à ſenſibus.

Neque obſtat ratio Durandi: non ſolùm quia vt ait S. Tho. art. 2. Chriſtus erat ſimul viator & comprehenſor, & ex parte corporis habebat conditiones viatoris, ex parte vero animæ intellectiuæ conditiones comprehenſoris. Sed præterea conditio ipſa viatoris eſt, intelligere per conuerſionem ad phantaſmata quoad illam ſcientiam quæ acquiritur dependenter à ſenſibus: nõ vero quoad aliam ſcientiam quæ abſq; hac dependentia infundatur à Deo. Vnde ſi cuicunque infanti puro viatori Deus infunderet hanc ſcientiam, qualem habuit Chriſtus; hic purus viator æquè benè poſſet vti tali ſcientia infuſa abſque conuerſione ad phantaſmata.

Poterat exerceri cum conſe

Sed quamuis ſcientia infuſa Chriſti non ex neceſſitate indigeret conuerſione ad phantaſmata; tamen S. Tho.

Art. 2.

Digitized by Google

quenti cõuerſione ad phantaſmata.

art. 2. ad 3. & art. 4. in corp. affirmat, potuiſſe Chriſtum ex libertate exercere ſcientiam infuſam conuertendo ſe ad phantaſmata; ita quòd in poteſtate & arbitrio Chriſti ſitum eſſet, vel exercere actum ſcientiæ infuſæ abſque cõuerſione ad phantaſmata, vel cum conuerſione ad phantaſmata. Ex aduerſo Vaſq. diſp. 52. cap. 2. prorſus negat, potuiſſe Chriſtum vti ſcientia infuſa conuertendo ſe ad phantaſmata. Verùm dupliciter accipi poteſt vſus ſcientiæ infuſæ cum conuerſione ad phantaſmata. Vel ita vt ad actum ſciẽtiæ infuſæ conſequeretur ſiue adiungeretur cooperatio ſenſus interioris per ſpecies ſenſibiles circa obiecta ſenſibilia. Vel ita vt actus ſcientiæ infuſæ dependeret à ſpeciebus ſenſibilibus ſiue à cognitione ſenſitiua. Priori modo negari non poteſt, Chriſtum potuiſſe vti ſcientia infuſa cum conuerſione ad phantaſmata. Certè enim actus huius ſcientiæ non impediebat operationem ſenſitiuam. Quinimò attenta naturali ſubordinatione inter potentias animæ noſtræ, conſentaneum potiùs erat cognitioni intellectiuæ conſequenter adiungi etiam ſenſitiuam, circa obiectum inquam vtrique commune & proportionatum. Poſteriori modo non apparet, quo pacto potuiſſet actus ſcientiæ infuſæ dependere à ſpecie ſenſibili vel ab actu ſenſus: cùm de ſe ſit prorſus ſolutus & abſtractus à ſenſu. Et ſanè hic poſterior modus eſt, quo magis propriè dicitur intellectus cognoſcere res cum conuerſione ad phantaſmata: & hic eſt modus connaturalis quo nos cognoſcimus. Priori verò dicitur minùs propriè intellectus vti ſcientia conuertendo ſe ad phantaſmata. Sed iuxta hunc modum debet accipi dictũ S. Tho. de ſcientia infuſa Chriſti. Quod autem addit art. 4., modum cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata inuoluere imperfectionem in ſcientia infuſa Chriſti quæ imperfectio non inuenitur in ſcientia Angelorum: hoc inquam ſic explicari debet: non quod formaliter ipſa ſcientia infuſa ſecundùm ſe talem imperfectionẽ inuoluat: ſed quòd inuenitur in tali ſubiecto, ſcilicet humano intellectu, cui connexa eſt imperfectio cognitionis ſenſitiuæ; & ita ratione ſubiecti & per concomitantiam compatitur conuerſionem ad phantaſmata.

Potuit exerceri cum com-

Non debebat exerceri per modum diſcurſus, ſed poterat aliquo pacto.

Demum examinãdum ſupereſt, num actus ſcientiæ infuſæ exerceretur per modum compoſitionis & diſcurſus, vel potiùs per modum ſimplicis intuitus. Alenſis 3 par. q. 13. art. 5. & Durand. in 3. d. 14. q. 3. abſolute docent, hanc Chriſti ſcientiam fuiſſe diſcurſiuam, eo quòd putabant fuiſſe eiuſdem rationis cum ſcientia acquiſita. S. Tho. hic q. 11. art. 3., quem Thomiſtæ communiter ſequuntur, affirmat, quòd licet hæc ſcientia Chriſti non fuerit diſcurſiua quoad acquiſitionem, tamen potuiſſe Chriſtum per eam ſcientiam diſcurrere, inferendo vnum ex alio. Et pro hac parte affert illum locum Matth. 17., vbi Chriſtus interrogauit Petrum, ***Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filijs an ab alienis***, & Petrus aſcendit, ***Ab alienis***; tunc Chriſtus concludendo intulit, ***Ergo liberi ſunt filij***. Bonau. in 3. d. 14. art. 3. q. 2. & Riccard. art. 4. q. 3. & Vaſquez diſp. 52. cap. 3., volunt, ſcientiam infuſam Chriſti non fuiſſe diſcurſiuam, nec potuiſſe Chriſtum ea vti diſcurrendo, nullũmquè actũm ſcientiæ infuſæ potuiſſe eſſe illatiuum.

Sed certè idem putandum erit de hac infuſa ſcientia Chriſti, ac de naturali ſcientia Angelorum: ſcilicet non fuiſſe ſuaptè natura diſcurſiuam, neque cum compoſitione actuum, ſed fuiſſe per modum ſimplicis intuitus. Modus enim cognoſcendi per diſcurſum, ideo nobis conuenit, quia acquirimus ſcientiam, priùs aſſequendo notitiam alicuius propoſitionis, & inde conſequenter deducendo notitiam alterius tanquam concluſionis illatæ: ſed per ſcientiam infuſam æquè primò repræſentantur omnes propoſitiones & veritates quæ ſub eam cadunt, per ſe inquam & directè; neque oportet vnam ex alia tanquam ignotam ex nota deducere: ergo ex natura ſua non requirebatur diſcurſus in tali ſcientia. Sed, cùm dictum ſit, non debuiſſe Chriſtum ſemper permanere in actuali conſideratione omnium circa quæ eius ſcientia

tia infuſa ferri poterat, admittendum eſt, potuiſſe Chriſtum habere actualē conſiderationem vnius rei, & exinde deſcendere in cōſiderationem alterius rei habentis connexionem cum illa priori. Quod admittendum etiam eſt de Angelorum ſcientia. Et hic cognoſcendi modus poteſt aliquo ſenſu dici diſcurſus, quatenus intellectus tranſit & excurrit ab vno ad aliud obiectum conſiderandum. Sed non eſt propriè diſcurſus, qualis eſt in nobis, qui fit per compoſitionem iudicij, & per illationē conſequentis ex antecedenti. Itaque hoc modo minùs propriè dicto admittendum erit cum S. Thoma, Chriſtum potuiſſe vti ſcientia infuſa cum diſcurſu. Quamuis ad id probandum, locus ille ex Matthæo non ſatis vrgeat: ſiquidem dici poteſt, Chriſtum tunc vsū fuiſſe ſcientia acquiſita: vel explicaſſe eo humano modo conceptum, quem tamen in intellectu ſuo abſque illatione diſcurſiua habebat. Sicut certè & Angeli humana forma apparentes, ac etiam Deus ipſe humano more loquēs, poſſunt & ſolent noſtro modo loqui, quamuis in mente ſua non vtantur diſcurſu.

SECTIO QVINTA.

De Speciebus intelligibilibus Scientiæ infuſæ Chriſti.

Plures fuerunt infuſæ ſpecies in intellectu Chriſti

Sicut ad quamcunque aliam cognitionem requiruntur ſpecies intentionales impreſſæ: ita certum eſſe debet, ad hanc ſcientiam infuſas fuiſſe à Deo intellectui Chriſti ſpecies intelligibiles. Sed vnam fuiſſe tantummodò ſpeciem adæquatè complectentem omnia obiecta quæ cadebant ſub infuſam ſcientiam, opinatus eſt Marſil. in 3. d. 10. art. 2. Plures tamen ac diſtinctas fuiſſe huiuſmodi ſpecies, communiter Theologi vel aſſerunt vel ſupponunt. Intelligere enim tam diuerſa obiecta vnica ſpecie, ſicut vnico actu, videtur proprium viſionis beatificæ, qua conſpicitur Deus in ſe, & in Deo creaturæ: vbi tota creaturarum diuerſitas vno cognitionis medio adunatur. Et ita vna ſpecies intelligibilis hæc omnia comprehendit. Sed in omni alio genere notitiæ, quo diuiſim ac diſcretè attinguntur plura ac diuerſa in ſeipſis, huic diuerſitati magis conſentanea eſt multitudo ſpecierum. Et peculiari ratione intellectui humano magis connaturalis eſt modus cognoſcendi per plures ſpecies intelligibiles: quare, ſi non vna tantùm ſed verè plures huiuſmodi ſpecies infuſæ ſuere intellectui angelico ad cognoſcenda obiecta ſibi proportionata, putandum erit plures quoque intellectui humano Chriſti fuiſſe infuſas.

Videbatur poſſibilis vnica ſpecies.

Eſto fortaſſe non ſit impoſſibilis in ordine ad Dei potentiam abſolutam vna ſpecies, repræſentatiua omnium quæ ab intellectu angelico naturaliter cognoſcuntur: & ſimiliter omnium rerum naturalium quæ cadebant ſub ſcientiam infuſam Chriſti. Si enim quò ſuperior eſt quilibet Angelus, eo vniuerſaliores ſpecies habet, ita ut vna ſpecies plura repræſentet in intellectu Angeli ſuperioris quàm inferioris: ita aſcendendo erit poſſibilis vna ſpecies tam vniuerſalis & ampla, quæ repræſentet omnia quæ ab inferiori Angelo cognoſcuntur: & rurſus alia repræſentans omnia quæ ab alio aliquantum ſuperiore: & ſic tandem à ſupremo: ac inſuper omnia quæ à Chriſto per ſcientiam infuſam cognoſcebantur. Dixi vero, omnium quæ naturaliter ab Angelo cognoſcuntur, & rerum omnium naturalium quæ cognoſcebantur à Chriſto: quia alioqui ſpeciali ratione videri poteſt impoſſibilis vna ſpecies repræſentans ſimul tàm ſupernaturalia quàm naturalia obiecta, atque elicitiua actuũ ſupernaturalium ac naturalium: vbi nimirum eſt tanta diuerſitas, ex parte obiecti, & notitiæ, & perfectionis. Quamuis vero cenſeatur ſic poſſibilis vna ſpecies repræſentans omnia obiecta naturalia, vel ſi poſſet etiam complecti ſupernaturalia: non propterea oportebit dicere, talem vnicam ſpeciem de facto fuiſſe infuſam intellectui Chriſti. Non enim omnis poſſibilis perfectio debet ſtatim attribui Chriſto, ſi non aliud ſuppetat fundamentum. Quinimò hæc perfectio vnitatis in ſpecie

cie

cie repræſentatiua, dici debet de facto propria in viſione beatifica Dei & creaturarum in Deo.

Non erant tot ſpecies quot res cognoſcibiles.

Sed ex alia parte difficile eſt quod aſſerit S. Thomas q. 11. art. 6. ad 3., in intellectu Chriſti fuiſſe proprias ſpecies ſingularum rerum ad cognoſcendas ſingulas res propria cognitione. Et Scotus in 3. d. 14. q. 3. §. *Ad quæſtionem*, aperte dixit, intellectui Chriſti debuiſſe infundi ſingulas ſpecies diſtinctas pro quocunque ſingulari eorum quæ Chriſtus cognoſcebat. Omnino tamen conſtat, non potuiſſe tot ſpecies diſtingui in intellectu Chriſti, quot erant res in ſingulari quas ille cognoſcebat. Etenim per ſcientiam infuſam Chriſtus infinita ſingularia cognoſcebat: at certe non habuit ſpecies infinitas: & eſt ſpecialiter impoſſibilis tanta multitudo actuum in cognoſcendo quę ſimul exiſtat, quanta eſt multitudo rerum quæ cognoſci poſſunt: & ſic etiam non poſſunt infundi & ſimul exiſtere tot ſpecies intelligibiles in intellectu. Ac pręterea Angeli de facto non habent ſingulas ac diſtinctas ſpecies ſingularum rerum quas cognoſcunt: ſed per paucas ſpecies plura cognoſcunt, & quo ſublimiores ſunt per pauciores: ergo & ſpecies infuſæ Chriſti, non ſunt tot diſtinctæ, quot res cognitæ, ſed vnaquæque ſpecies plura complectebatur. Dictum verò illud S. Thomæ explicari ſolet à Thomiſtis de ſingulis ſpeciebus realibus quæ cognoſcuntur; hoc eſt vt ſingulæ ſpecies intentionales repræſentarent ſingulas ſpecies reales, quæ quidem finitæ ſunt; & ſic vna ſpecies intentionalis complecteretur omnia indiuidua quæ ſub vna reali ſpecie cognoſcebantur à Chriſto.

Erant vniuerſaliores noſtris ſpeciebus.

Concedendum itaque eſt, has infuſas Chriſti ſpecies, fuiſſe vniuerſaliores & ampliores quàm ſint noſtræ acquiſitæ, hoc eſt vnamquamque Chriſti ſpeciem valuiſſe ad plura repræſentanda. Et hoc oritur ex ipſo diſcrimine ſpecierum infuſarum & acquiſitarum. Nos enim ſingularum rerum ſingulas ſpecies comparamus: ſed à Deo vna ſpecies plurium rerum infundebatur. Neque verò ita retinendus erat modus connaturalis humanæ cognitionis qui eſt per plures ſpecies, vt non haberetur ratio modi magis connaturalis infuſioni diuinæ, atque perfectioni ſcientiæ infuſæ, & ſimilitudini ſcientiæ angelicæ, vt per pauciores ſpecies plura cognoſcantur.

An etiam angelicis.

An verò ſpecies infuſæ Chriſti eſſent magis vel minùs vniuerſales & amplæ in repræſentando plura, quàm ſint ſpecies angelicæ. S. Thomas in 3. d. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 4. dixit, ſcientiam Chriſti fuiſſe magis vnitam & per ſpecies magis vniuerſales, quàm ſit aliqua ſcientia creaturarum; & animam Chriſti habuiſſe ſcientiam magis vniuerſalem, quàm habeat aliquis Angelus: vbi plane docuiſſe videtur, ſpecies Chriſti fuiſſe vniuerſaliores ſpeciebus angelicis. Et hanc ſententiam defendit Suarez diſp. 20. ſect. 1., & magis approbat Vaſq. diſp. 54. ad finem. Sed tamen idem S. Thomas hîc q. 11. art. 6. ad 1. docet, ſcientiam Chriſti eſſe inferiorem ſcientia angelica, inquantum per multos habitus diſtinguitur, quaſi per ſpecies magis particulares exiſtens. Atque ita ſpecies Chriſti fuiſſe minùs vniuerſales angelicis, Caiet. alijque Thomiſtę hoc loco defendunt, & Valent. q. 11. puncto 2. & Raguſa diſp. 99.

Pro priori parte facit: quòd maior perfectio tribuenda eſt ſcientiæ Chriſti quàm ſcientiæ Angelorum: ad perfectionem verò confert maior vniuerſalitas ſpecierum. Pro altera parte facit: quòd intellectui Chriſti videtur tribuenda ſcientia modo magis connaturali animæ humanæ, qui eſt cognoſcere res per plures & magis particulares ſpecies. Et per hoc ad rationem prioris partis Thomiſtæ reſpondent, perfectiones quidem ſupernaturales ſublimiori modo tribuendas eſſe Chriſto, quàm Angelis: ſed perfectiones naturales, inter quas eſt ſcientia infuſa, quæ eſt intellectu angelico connaturalis, tribuendas eſſe inferiori modo, modo ſcilicet magis connaturali animæ humanæ. Sed contra hanc reſponſionem nititur Suarez pro priori parte: quòd ſciētia infuſa Chriſti eſt ſupernaturalis, & ſic etiam in intellectu angelico. Attamen iam antea dicebamus, circa obiecta naturalia hanc infuſam ſcien-

tiam.

Digitized by Google

tiam eſſe quoque in ſubſtantia ſua ordinis naturalis.

Videntur dicenda vniuerſaliores angelicis.

Meliùs ergo pro priori parte contra poſteriorem poteſt afferri: quod ipſi et Thomiſtæ fatentur, ſcientiam infuſam Chriſti quoad multitudinem obiectorum, ac etiam quoad certitudinem & euidentiam cognitionis, eſſe perfectiorem ſcientia angelica: ſi ergo perfectior eſt actus ſcientiæ Chriſti, quamuis ſit perfectio naturalis, ſpecies quoque impreſſæ cenſeri debebunt perfectiores. Et ita ſi ſunt magis perfectæ in intenſione & claritate, debebunt quoque dici perfectiores in vniuerſalitate. Hic enim ordo inter ipſos Angelos obſeruatur: quod cuius Angeli ſpecies ſunt perfectiores in intenſione & claritate, ſint etiam in vniuerſalitate: quo enim Angelus eſt ſublimior, & per vniuerſaliores ſpecies intelligit. Et præterea illa maior perfectio quæ conceditur in actu ſcientiæ Chriſti, prouenire non poteſt ab intellectu humano Chriſti ratione virtutis eius naturalis, ſiquidem intellectus humanus eſt per ſe inferior angelico: ergo prouenire debet ex perfectioribus ſpeciebus. Neque ſatis rectè dicunt Thomiſtæ, prouenire ſolùm ex maiori perfectione luminis ſeu habitus intellectualis infuſi. Tum quia ſi intellectus habet lumen magis perfectum, ſpecies quoque debebunt eſſe proportionatæ intellectui illuminato, atque adeo debent etiam eſſe perfectiores in intellectu Chriſti quàm in intellectu angelico. Si enim lumen non eſt infuſum intellectui Chriſti modo magis connaturali homini, ideſt modo minùs perfecto; ſed potiùs modo ſublimiori; eo magis ſpecies infundi debuerunt modo magis conſentaneo ipſi lumini quo perficiebatur idé intellectus. Itaquè ex his veriſimilius videtur, ſpecies infuſas intellectui Chriſti, fuiſſe vniuerſaliores ſpeciebus omnium Angelorum: quamuis etiam propter auctoritatem D. Thomæ hoc loco oppoſita ſententia ſit valde probabilis.

Erant perfectiores angelicis, ſed non omnibus poſſibilibus

Demum Scotus in 3. d. 14. q. 4. contendit, ſpecies infuſas Chriſti non ſolùm fuiſſe perfectiores ſpeciebus Angelorum omnium, ſed fuiſſe ſimpliciter perfectiſſimas, quæ à Deo poſſint infundi: ſicut idem Scotus de gratia Chriſti alijſq; perfectionibus opinabatur. Hoc tamen falſum eſt: quia cùm ſpecies Chriſti eſſent in ſe finitæ perfectionis, poterant omnino de potentia Dei abſoluta fieri & infundi aliæ magis perfectæ, quamuis de facto ſint perfectiſſimæ omnium quæ in quocunque alio intellectu inueniantur. Quinimò ipſe Scotus volebat, ſcientiam infuſam Chriſti eſſe eiuſdem rationis cum ſciētia acquiſita: certe autem ſcientia Angelorum eſt perfectior quàm noſtra de ſuo genere acquiſita: quare conſequenter loquendo, non poterant ſpecies Chriſti dici perfectiores ſpeciebus angelicis, nedum ſimpliciter perfectiſſimæ. At ſupponendo, vt nos dicebamus, ſcientiam Chriſti fuiſſe per ſe infuſam, ac ſublimioris rationis ad noſtram acquiſitam; optime ſtat ſpecies pro tali ſcientia infuſas fuiſſe perfectiores alijs, non ſolùm noſtris, ſed etiam Angelorum.

SECTIO SEXTA.

De Habitu Scientiæ infuſæ Chriſti.

Sententia negans habitum diſtinctum à ſpeciebus.

VAſquez diſp. 54. negat, fuiſſe infuſum intellectui Chriſti alium habitum præter ſpecies intelligibiles. Idemque probabile reputat Valent. q. 11. puncto 1. Sed quia negari non poteſt, in Chriſto fuiſſe ſcientiam habitualem infuſam, ideo ipſæ ſpecies in hoc dicendi modo vocantur habitus. Probat Vaſq., præter ſpecies non requiri alium habitum: quia potentia intellectiua ſufficienter per ſpeciem impreſſam conſtituitur in actu primo ad eliciendum actum ſecundum cognitionis: ergo non indiget alio habitu. Sicut & 1. par. q. 12. circa viſionem ipſam claram Dei contendebat, non diſtinctè requiri habitum luminis gloriæ præter eſſentiam diuinam vnitā intellectui tanquam ſpeciem, ſed alterutrum ſufficere. Item probat, non eſſe ponendum habitum infuſum in intellectu Chriſti ad faciliùs & promptiùs exercendum actum cognitionis,

ad

ad quod in nobis deſeruiunt habitus acquiſiti: quia in Chriſto nulla erat difficultas ad exercendos actus ſcientiæ infuſæ. Vnde ſicut in Angelis non ponitur alius habitus præter ſpecies, nec ad ſimpliciter nec ad facilius operandum, ita nec eſſe in intellectu Chriſti ponendum. Ex aduerſo habitum infuſum diſtinctum à ſpeciebus videntur magis communiter Theologi in intellectu Chriſti ſupponere: ac de mente D. Thomæ defendit Caiet. hîc q. 11. art. 6. circa ſolut. ad 3. Item Suar. diſp. 29. ſect. 2., Lugus diſp. 20. ſect. 4., Raguſa diſp. 100., & alij vt plurimum. Conſentit & Medina art. 5., qui dum rurſus art. 6. ad finem negat lumen infuſum, negauit tantùm aliud lumen diſtinctum ab habitu, vt ex teſtimonio D. Thomæ, & exemplo fidei, & rationibus quas adducit, manifeſte apparet: quare immeritò Vaſq. hunc locum Medinæ pro ſe affert.

Sententia concedens.

Pro vtraque autem parte allegantur quædam D. Thomæ loca. Sed certè in 3. d. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 4. ſatis apertè dixit, animam Chriſti per ſcientiam infuſam cognoſcere vno habitu, ſed diuerſis ſpeciebus: in quo planè diſtinguit habitum a ſpeciebus. Et hîc q. 11., præter ea quæ Medina obſeruat, art. 6. ad 3. perſpicuè inquit, dari lumen diuinitus infuſum tanquam communem rationem intelligendi, & dari ſpecies ſingularum rerum ad cognoſcendum vnumquodque: vbi etiam planè diſtinguit lumen à ſpeciebus Sed ex eo quod ſint plures ſpecies, infert S. Doctor fuiſſe diuerſos habitus ſcientiæ in intellectu Chriſti. Et hoc eſt quod Vaſq. pro ſua parte aſſerit: quaſi S. Thomas confundat habitum cum ſpeciebus, & non agnoſcat habitum à ſpeciebus diſtinctum. At facilè id explicari poteſt dicēdo. Vel S. Thomam loquutū fuiſſe per modum paritatis ex diſtinctione ſpecierum ad diſtinctionem habituum. Vel meliùs, vocaſſe quidem ipſas ſpecies nomine habitus: ſed non per hoc negauit, quinimò ſimul aſſeruit, dari lumen infuſum: quod lumen meritò vocamus habitum a ſpeciebus diſtinctum.

Sententia S. Thomæ.

Hanc ergo partem quæ conſtituit habitum infuſum præter ſpecies, probare ſolent Thomiſtæ: quia ſicut in nobis ad acquirendam ſcientiam, præter ſpecies, datur lumen intellectus agentis, neceſſarium ad illuſtrandum obiectum vt poſſit ab intellectu cognoſci: ita ad ſcientiam infuſam præter ſpecies, cùm non adſit aliud lumen naturaliter inditum, requiretur aliud lumen à Deo infuſum. Sed certè non eſt hæc ratio ob quam poni debeat habitus ſcientiæ infuſus in intellectu Chriſti. Tum quia reuera præter ſpecies non requiritur alia illuſtratio ex parte obiecti. Tum quia intellectus agens in nobis nihil aliud cōfert, quàm efficere ſpecies intelligibiles; & poſt acquiſitas ſpecies non ampliùs quicquā præſtat ad illuſtrandum ſeu proponendum obiectum, vt nunc ex ſuo loco de anima ſupponimus. Hac ergo ratione, neque in Angelis, neque in Chriſto requirebatur aliud lumen infuſum præter ſpecies ad conſtituendam infuſam ſcientiam.

Non requirebatur habitus loco intellectus agentis.

Aliter quidam alij probant, conſtituendum eſſe habitum infuſum præter ſpecies: quia ſpecies repræſentant ſolùm rationem obiecti, nec inducunt ad ferendum determinatum iudicium: ſed certè ſcientia infuſa Chriſti non erat ſolùm apprehenſiua, verùm propriè etiam iudicatiua: igitur ad ferendum iudicium, ſiue ad præbendum aſſenſum requirebatur habitus. Sed neque ob hanc rationem oportebat ponere habitum infuſum: ſpecies enim perfectæ & quidditatiuæ rerum, non ſolùm repræſentant res vt apprehendantur, ſed etiam inducunt intellectū ad actum iudicij & aſſenſus. Tales ſunt ſpecies Angelorum, præter quas non ponitur in intellectu angelico alius habitus neceſſarius ad iudicandū.

Non ad repræſentandam exiſtentiā rerum.

Alia ergo ratione putandum ac probandum eſt, in intellectu Chriſti præter ſpecies infuſum quoque fuiſſe quēdam diſtinctum habitum. Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcebat obiecta ſupernaturalia actu cognitionis ſupernaturali; ſed ad eliciendum actum cognitionis ſupernaturalis, non ſolùm eſt neceſſaria ſpecies, quæ quidem ſe tenet ex parte obiecti: ſed cùm potentia ex

Requirebatur habitus pro obiectis & actibus ſupernaturalibus.

M

ex parte ſua ſit inſufficiens ad eliciendum actum ſupernaturalem, requiritur ſpecialis eleuatio ipſius potentiæ. Et hæc eleuatio optimè perficitur per habitum infuſum. Sicut de facto intellectus noſter ad actum fidei per habitũ eleuatus & voluntas ad actus ſpei & charitatis per ſuos habitus, & intellectus in patria per lumen gloriæ ad actũ viſionis. Sic ergo in intellectu Chriſti ad eliciendos actus ſupernaturales circa obiecta ſupernaturalia conſtituendus eſt habitus ſupernaturalis infuſus præter ſpecies. Porro non ſufficere ſolam ſpeciem ad eliciendum actum ſupernaturalem, ſed adhuc requiri aliam eleuationem ex parte potentiæ, ſpecialiter loquendo de actu viſionis Dei, ſatis probauimus 1. par. q. 12. ſect. 14., vbi & illam oppoſitam ſententiam. Vaſquez oppugnauimus, & argumenta eius diſſoluimus.

An etiam pro naturalibus.

Sed tamen hæc ratio non probat, vti patet, in intellectu Chriſti fuiſſe habitum infuſum circa obiecta naturalia, & ad exercendos naturales cognitionis actus, quos & in ſcientia infuſa includimus, & cum actibus ſcientiæ connaturalis in Angelis comparamus. Nec ſanè apparet alia peculiaris ratio ad conſtituendum habitum quoad hanc partem ſcientiæ. Sed abſolutè eadem ratio eſſe videtur in hoc de intellectu Chriſti atque Angelorum. Quare eo modo quo quiſque ſenſerit de habitu ſcientiæ in intellectu Angeli, pariter de hoc putare poterit in intellectu Chriſti: ſiue habitus ponatur ad ſimpliciter, ſiuè ad faciliùs operandum. Niſi tamen quis putet, ob ſtatum intellectus humani dum anima eſt coniuncta corpori, fuiſſe præter ſpecies neceſſarium alium habitum ad vſum huius ſcientiæ independenter à phantaſmatibus & per modum ſimplicis intuitus: quem cognoſcendi modum intellectus Angeli habet ex natura ſua, nec propter illum indiget alio habitu.

Ex S. Tho. & Script. ſpecialiter colligitur pro ſupernaturalibus.

Demum, quòd ſpecialiter poni debeat habitus infuſus ſcientię in intellectu Chriſti quoad partem ſupernaturalem, voluiſſe videtur S. Thomas dicẽs, lumen diuinitùs infuſum eſſe rationem intelligendi ea quæ diuinitùs reuelantur, ſicut lumen intellectus agentis reſpectu eorum quæ naturaliter cognoſcuntur: ea enim quæ diuinitùs reuelantur, ſunt obiecta ſupernaturalia quæ actu ſupernaturali attinguntur. Colligi etiam poteſt ex Sacra Scriptura iuxta communem interpretationem, dum Iſaiæ 9. tribuebantur Chriſto ſeptem dona Spiritus Sancti, quorum aliqua ad intellectum pertinent: & huiuſmodi dona ſunt eiuſdem rationis in Chriſto & in alijs iuſtis: ac precipuè cenſentur habitus ſupernaturales infuſi: concedẽdus ergo eſt in intellectu Chriſti habitus infuſus ſcientiæ ſpecialiter quoad partem ſupernaturalem.

An ſit vnus vel multiplex habitus.

Et ex his deduci poteſt, num vnus vel plures habitus infuſi pro hac ſcientia conſtitui debeant in Chriſto. Eſſe plures affirmat Bonau. in 3. d. 14. art. 3. q. 2., ſed non aſſignat quot ſint. Varijs autem modis poſſet cogitari diſtinctio & multiplicatio plurium habituum: vel iuxta diſtinctionem ſpecierum intelligibilium, vel iuxta numerum ſcientiarum quæ apud nos deſignantur, vel alijs modis. Vnum tamen eſſe habitum ſcientiæ infuſæ in intellectu Chriſti affirmauit S. Tho. in 3. & hac q. 11. locis prææallegatis. Et defendit Suarez diſp. 29. ſect. 3., dicens vnum eſſe habitum ſcientiæ infuſæ, complectentem omnia obiecta, tàm naturalia quàm ſupernaturalia.

Eſt diſtinctus habitus ſupernaturalis ac naturalis,

Verùm, ſi in intellectu Chriſti conſtituatur habitus, non ſolùm circa obiecta ſupernaturalia, ſed etiam naturalia, diſtincti habitus cenſendi erunt circa hæc duo genera obiectorum, ſicut ſect. præcedenti diximus de ſpeciebus intelligibilibus. Et ratio eſt eadem, quia forma naturalis & forma ſupernaturalis debent omnino diſtingui: ſed ſcientia attingens obiecta ſupernaturalia, ſiue ſit actualis, ſiue habitualis, eſt ſupernaturalis, & circa obiecta naturalia eſt naturalis: ergo ſunt diſtincti habitus. Præter hanc verò diſtinctionem, non apparet alia vrgens ratio, qua plures alij habitus, vel ſupernaturales, vel naturales, diſtinguantur. Quamuis enim ſpecies intelligibiles magis multiplicentur ac diſtinguantur, non propterea oportet etiam magis multi-

multiplicare habitus. Species nanque ſe tenent ex parte obiecti, habitus ex parte potentiæ: obiecta autem ſunt vere plurima, potentia eſt vna: quare conuenienter ſpecies imitari debent multitudinem obiectorum, & habitus vnitatem potentiæ. Et rurſus ſi attendamus modum diuinæ infuſionis, conuenientius apparebit, non plures multiplicare habitus: ſic enim habitus fidei eſt vnus, quem Deus infundit, quãuis habitus qui noſtra induſtria acquiruntur, ſint plurimi.

An ſit diſtinctus habitus ſcientiæ à lumine gloriæ.

Sed tandem Suarez ead. diſp. 29. ſect. 4. à principio docet, quod ſi in intellectu Chriſti diſtinctus eſſet habitus circa obiecta ſupernaturalia ab alio habitu circa obiecta naturalia, ipſe putaret illum habitum eſſe eundem cum habitu luminis gloriæ. Cum tamen abſolutè velit, eundem eſſe habitum infuſum circa omnia obiecta, tam naturalia quàm ſupernaturalia; adhuc reputat valde probabile & veriſimile, non eſſe diſtinctum habitum ſcientiæ infuſæ ab habitu luminis gloriæ. Idquè prolixo diſcurſu ſuadere conatur: præſertim quia idem habitus luminis eſt ſufficiens principium ad cognoſcẽdum ſe ipſum abſque ope alterius habitus diſtincti. Nullus enim alius habitus poſſet eſſe perfectior habitu luminis, habitus vero minùs perfectus non eſſet ſufficiens ad cognoſcendum habitũ luminis. Ac certè lumen intellectus angelici per ſe ſufficit ad cognoſcendũ ſe ipſum. Et in vniuerſum lumen intellectuale clarum & euidens, eſt aptum principium cognoſcendi ſe ipſum. Quòd ſi per lumen gloriæ cognoſcitur ipſum lumen, pariter cognoſci poterũt alia obiecta ſupernaturalia, gratia ſanctificans, virtutes infuſæ, & alia: hæc enim omnia habent inter ſe connexionem, vt eodem principio & habitu cognoſcantur. Ita Suarez infert, totum habitum ſcientiæ infuſæ, quem vnicum cenſet, eſſe quoque vnum & eundem cum habitu gloriæ.

Debet dici diſtinctus.

Theologi tamen qui habitum ſcientiæ infuſæ conſtituunt, planè ſupponere videntur, ab habitu luminis gloriæ eſſe diſtinctum. Et ita quidem ſentiendum eſt. Tum quia lumen gloriæ eſt proprium & adæquatum principium videndi Deum in ſe & alias res in Deo: at per ſcientiam infuſam cognoſcuntur res in proprio genere: ergo diuerſum eſſe debet principium cognoſcendi, diuerſus habitus. Tum etiam lumen gloriæ habet pro ſua ſpecie intelligibili adæquata, eſſentiam diuinam vnitam intellectui, repræſentantem primariò ſe ipſam, & ſecundariò creaturas: ſciẽtia verò infuſa habet proprias rerum ſpecies: ergo diuerſus eſt habitus huius ſcientiæ ab habitu luminis. Tum certè poteſt Deus infundere huiuſmodi ſcientiam intellectui non videnti Deum, non habenti lumen gloriæ, infundere inquam tum ſpecies tum habitum proportionatum: non debet ergo hic habitus per ſe confundi cum lumine gloriæ. Tum demum dictus habitus ſcientiæ infuſæ concedebatur Chriſto tanquam illi proprius, & non communis alijs Beatis: ſed lumen gloriæ eſt commune omnibus Beatis, eratquè eiuſdem rationis in Chriſto ac in alijs: ergo diſtinguitur ab habitu luminis habitus ſcientiæ infuſæ. Item hic habitus ſcientiæ concedebatur Chriſto tanquam viatori, & nõ tanquam comprehenſori, & potuiſſet in intellectu conſiſtere abſque ſtatu beatitudinis: ergo dici debet diſtingui ab habitu luminis.

Non debet extendi idẽ habitus luminis gloriæ ad actus ſciẽtiæ infuſæ.

Nec obſtat illud Suarij argumentum. Neceſſe enim non eſt, vt habitus luminis gloriæ ſit principium cognoſcendi ſe ipſum, loquendo inquam de cognitione in proprio genere & per propriam ſpeciem: ſed lumen gloriæ eſt adæquatum principium videndi Deum & res in Deo, per eſſentiam diuinam tanquam ſpeciem. Poteſtquè optimè alius habitus minùs perfectus eſſe principium cognoſcendi ipſum lumen gloriæ in ſe. Nimirum cùm de facto ipſum lumen ſit principium videndi ipſum Deum, quamuis ut infinitè inferius ipſo Deo. Et Suarez ipſe debet dicere, eſſe principium cognoſcendi vnionem hypoſtaticam, quæ eſt quoque lumine ipſo ſublimior. Quare, licet lumen angelicum, vel aliud ſimile, ſit principium cognoſcendi ſeipſum, tamen diuerſa ratio eſt de lumine gloriæ: quoniam

Digitized by Google

lumen gloriæ eſt principium videndi tantùm Deum & res in Deo, aliud verò lumen eſt principium cognoſcendi res in ſe ipſis, & ita poteſt eſſe etiam principium cognoſcendi ſe. Deinde quamuis lumen gloriæ eſſet principium cognoſcendi etiam ſe in proprio genere, non propterea deberet eſſe principium cognoſcendi alia quoque obiecta ſupernaturalia: quia inter hæc & lumen gloriæ non eſt tanta connexio, vt idem deberet eſſe principium cognoſcendi omnia. Sed ſi ob rationem identitatis cùm ſe ipſo ſufficeret ipſum lumen gloriæ ad cognitionem ſui, non exinde erit ſufficiens ad cognoſcenda alia ab ipſo diſtincta. Sicut iuxta ſententiam ipſius Suarez in 1. par., actus viſionis Dei peculiari ratione identitatis eſt etiam quaſi reflexa intuitio ſui in ſe ipſo, ſed non propterea ſic eſt aliarum quoque rerum in ſe ipſis. Ac demum, ſi idem habitus luminis gloriæ in intellectu Chriſti fuiſſet principium cognoſcendi alia obiecta ſupernaturalia in ſe ipſis: inde potiùs inferri debebat, ſaltem circa obiecta naturalia diſtingui alium habitum, ne idem habitus luminis gloriæ ad inſpicienda etiam in ſe ipſis obiecta naturalia extendatur.

SECTIO SEPTIMA.

Quænam Chriſtus ſua Scientia acquiſita cognouerit.

Cognouit omnia quæ ab hominibus per acquiſitionem cognoſci poſſunt.

Dicendum eſt cum S. Thom. q. 12. art. 1., Chriſtum ſua acquiſita ſcientia cognouiſſe omnia quæ ab hominibus virtute intellectus agentis per quamcunque ſcientiam acquiſitam cognoſci ſolent & poſſunt. Certè enim ſcientia Chriſti acquiſita cenſenda eſt perfectior quacunque acquiſita ſcientia aliorum hominum: præſertim quoad hoc, vt non ſit quicquam vlli homini per ſcientiam acquiſitam cognitũ, quod non fuerit etiam per ſcientiam acquiſitam cognitum Chriſto. Non ſolùm inquam loquendo de ijs rebus, quarum notitiam homines verè proprio exercitio acquirunt: ſed etiam de ijs quarum à Deo per infuſionem acceperit notitiam, de ſuo tamen in genere acquiſitam. Hoc enim totum conuenit ad perfectionem ſcientiæ acquiſitæ Chriſti. Quinimo, ſi aliquod obiectum ſit, quod ex ſe quidem & ex natura ſua ac rerum diſpoſitione poſſet ab hominibus aſſequi, de facto tamen à nullo cognitum ſit ob impedimenta quæ in acquirenda ſcientia occurrunt; putandum adhuc eſt, fuiſſe notum & perſpectum Chriſto per ſuam ſcientiam acquiſitam.

An etiam illa quæ cognoſcuntur ab anima ſeparata.

Sed præterea Suarez diſp. 30. ſect. 1. in principio ait, dubium non eſſe, quòd Chriſtus in ſtatu glorioſo cognoſcat per ſcientiam acquiſitam omnia quæ naturaliter cognoſci poſſunt ab anima humana, non ſolùm coniuncta, ſed etiã ſeparata: quia inquit, coniunctio animæ Chriſti cum corpore glorioſo non impedit, quominùs cognoſcere queat ea omnia quæ ſeparata cognoſceret. Deinde addit, Chriſtum in ſtatu vitæ mortalis cognouiſſe per ſcientiam acquiſitam omnia naturalia obiecta, quæ ab anima etiam ſeparata naturaliter cognoſci poſſunt. Et expreſsè inquit, cognouiſſe intuitiuè ſubſtantias etiam ſeparatas prout ſunt in ſe ipſis. Quòd ita probat & declarat: quia animæ Chriſti, etiam dum erat in corpore mortali, concedenda eſt omnis perfectio, cuius carentia non erat neceſſaria vel vtilis ad noſtram redemptionẽ: ergo debet concedi Chriſto hæc tota ſcientia in tota hac perfectione. Et præſertim negari non poteſt, Chriſtum per ſcientiam acquiſitam cognouiſſe ſubſtantiam materialem proprio & abſoluto conceptu: cùm D. Tho. hic q. 12. art 1. ad 2. dicat, potuiſſe Chriſtũ comprehendere virtutes & effectus corporum cæleſtium: quæ comprehenſio haberi non poteſt, niſi quidditatiuè & vt eſt in ſe cognoſcatur ſubſtantia cæli. Et alioqui valde imperfectè cognouiſſet Chriſtus ſubſtantiam materialem, ſi non habuiſſet proprium & quidditatiuum eius conceptum. Ac tandem dubitari non poteſt, quin anima Chriſti, adhuc dum erat in via & in corpore mortali, intuitiuè cognouerit ſe ipſam, eo modo quo Angeli & animæ ſeparatæ intuentur ſuam ſubſtan-

Digitized by Google

ſtantiam: eadem ergo ratione & anima Chriſti ſẽper cognouit omnes ſubſtantias ſeparatas.

Hæc alia cognouit ſolum per ſcientiam infuſam.

Verùm hic Auctor, hoc dicendi modo, ex ſcientia acquiſita diuertit iterum ad infuſam: & potiùs aliud quoddam genus ſcientiæ infuſæ, præter illud quod iam aſſignauerat, videtur inuehere. Etenim ea quæ per ſcientiam acquiſitam cognoſcit anima humana dum eſt coniuncta corpori, ſunt illa quæ cognoſcit per ſpecies miniſterio ſenſuum acquiſitas: ea verò quorum ſcientiam non poteſt per has ſpecies acquirere dum eſt coniuncta corpori, quando poſtea ſeparata cognoſcit, non vtique cognoſcit per ſpecies acquiſitas, ſed per alias de nouo illi à Deo infuſas, quales ſunt ſpecies Angelorum. Quæ ſpecies ſunt quidem per ſe infuſę, ordinis tamen naturalis. Idquè planè fatetur ipſe Suarez ad finem ſectionis. At certe, ſcientia quæ habetur per has ſpecies infuſas, eſt quoque per ſe infuſa: ergo talis Chriſti ſcientia, non eſt de ſuo genere acquiſita, ſed infuſa.

Suarez autem in eo putauit, ſe diſtinguere hanc ſcientiam à ſcientia per ſe infuſa, quòd ſcientiam infuſam etiã circa obiecta naturalia dicebat eſſe ordinis diuini ac ſupernaturalis, hanc aliã verò eſſe naturalem & proportionatã animæ in ſua natura. Sed quamuis hanc diuerſitatem aſſignet, non propterea hæc alia ſcientia redditur de ſuo genere acquiſita, quinimo adhuc eſt per ſe infuſa. Et ſic diſtinguetur duplex ſcientia per ſe infuſa, vna ſupernaturalis, & altera naturalis. Sicut ſcientia angelica, cùm ſit ordinis naturalis, eſt per ſe infuſa, eo quòd habetur per ſpecies per ſe infuſas à Deo, quæ de ſuo genere non poſſunt acquiri. Nos verò iam antea dicebamus, ſcientiam infuſam Chriſti circa obiecta naturalia non eſſe ſupernaturalem, ſed naturalem. Neque circa hęc eadem obiecta debet Suarez diſtinguere duplicem ſcientiam infuſam, ſcilicet ſupernaturalem & naturalem. Et quod attinet ad ſcientiam acquiſitam concludendum eſt, ea ſolùm per hanc ſcientiam fuiſſe à Chriſto cognita, quorum notitiam homines naturali modo acquirere poſſunt: ita vt alia obiecta quorum non ſic poteſt acquiri notitia, cadant ſolùm ſub ſcientiam infuſam.

Et ita cognouit quidditatiuè ſubſtantias materiales & ſpirituales.

Vnde facilè corruunt ea quę Suarez ex aduerſo opponebat. In primis enim cognitio omnium obiectorum, quæ tam ab anima ſeparata quàm coniuncta cognoſci poſſunt, data fuit Chriſto tanquam perfectio ipſius, cuius carentia non conferebat ad finem redemptionis. Sed eorum quidem quorum acquiri poteſt ſcientia, habuit ſcientiã acquiſitam: eorum verò quorum infundi debet ſcientia, habuit ſcientiam infuſam. Et ita Chriſtus cognouit ſubſtantiam materialem, perfectè quidem & quidditatiuè per ſcientiam infuſam, minùs perfectè per ſcientiam acquiſitam. Dum verò S. Tho. ait, Chriſtum per ſcientiam acquiſitam potuiſſe comprehendere virtutes & effectus cælorum, ſumpſit comprehenſionem pro exquiſita cognitione, quæ in genere ſcientię acquiſitę haberi poſſit, magiſquè perfectam quàm ſit in omnibus alijs hominibus: idquè propter excellentiſſimam vim rationis Chriſti Domini, vt ipſe loquitur. Demum habuit quidem anima Chriſti cognitionem ſui ipſius perfectam & intuitiuam, ſicut de ſe ipſis habent Angeli & animę ſeparatę: ac pariter habuit de iiſdem ſubſtantijs ſeparatis. Hęc tamen cognitio ad infuſam ſcientiam pertinebat, ſicut & in ipſis ſubſtantijs ſeparatis. Per ſcientiam verò acquiſitam potuit anima Chriſti cognoſcere ſe ipſam & ſubſtantias ſeparatas, eo modo quo alij homines per ſpecies acquiſitas hęc aſſequi poſſunt. Quare meritò S. Thomas hìc q. 12. articulo primo, in quo quęrit, num Chriſtus per ſcientiam acquiſitam cognouerit omnia, in ſolut. ad 3. concludit, cognouiſſe omnia quę per virtutem intellectus agentis ſunt homini cognoſcibilia: ideoquè non cognouiſſe per hanc ſcientiam eſſentias ſubſtantiarum ſeparatarum & alia quędam, quę tamen ſcientia infuſa cognouit:

Digitized by Google

SECTIO OCTAVA.

Quo pacto Chriſtus Scientiam acquiſitam habuerit.

Theologorũ ſententia.

DIuus Thomas ſupra q. 9. art. 4. & hic q. 12. per totam, docet, Chriſtum habuiſſe hanc ſcientiam per propriam acquiſitionem, miniſterio ſenſuum, & abſtractione ſpecierum intelligibilium à ſenſibilibus virtute intellectus agentis: eodem pacto quo alij homines ſcientiam ſibi connaturalem acquirere ſolent. Eandemq; ſententiam ſequuti ſunt Maior Marſil. & Capreol. in 3. d. 14. Caietan. Vaſq. & quidam alij hoc loco. Oppoſita ſententia eſt, Chriſtum nõ acquiſiſſe ſcientiam propria exercitatione & operatione, ſed habuiſſe per infuſionem à Deo. Et hęc fuerat antea eiuſdem S. Tho. in 3. d. 14. vt ipſemet hoc loco commemorat q. 9. art. 4. & q. 12. art. 2. Fuit item Scoti, Bonau. Duran. Riccar. Palud. Gabr. in 3. d. 14. & Alenſis 3. par. q. 13. Quorum tamen aliqui nõ diſtinxerunt in intellectu Chriſti duplicem illam ſcientiam, infuſam ſcilicet & acquiſitam: putantes totam Chriſti ſcientiã, vel de ſuo genere infuſam, vel de ſuo quidem genere acquiſitam, ſed per accidens infuſam. Aliqui tamen diſtinguentes vtramque ſcientiam, voluerunt, non ſolùm illam quę per ſe debebat infundi, ſed etiam alteram quæ per ſe poteſt acquiri, fuiſſe per infuſionem immediate communicatam à Deo animæ Chriſti. Sed rurſus aliqui hoc explicant & limitant, dicentes, Chriſtum habuiſſe quidem per infuſionem per accidens hanc ſcientiam de ſuo genere acquiſitam, habuiſſe inquã quoad habitus intellectuales & ſpecies intelligibiles: ſed quoad actualem vſũ & experientiam ſua acquiſitione comparaſſe, ideoquè hanc vocant ſcientiam experimentalem.

Chriſtus aliquam partem huius ſcientiæ, humano modo acquiſiuit, & aliquã accepit per infuſionem à Deo.

In hac re, ex vna parte quidem affirmandum eſt, Chriſtum verè aliquam ſcientiam propria exercitatione & ſenſuum miniſterio acquiſiſſe: vt iam ſtatuimus quæſt. 9. ſect. 2. vbi non ſolùm confirmauimus, Chriſtum habuiſſe hoc genus ſcientiæ acquiſitæ, ſed habuiſſe etiam exercitium ipſum acquirendi aliquam ſcientiam. Sed ex alia parte aſſerendum nunc eſt, quod aliquã ſcientiam de ſuo genere acquiſitam habuerit Chriſtus immediate per infuſionem à Deo. Probat id Suarez quibuſdam auctoritatibus Sanctorum dicentium, Chriſtum in ſcientia non profeciſſe, eo quod eam habuerit ab initio perfectã, vtique per infuſionem. Et ratione, quia cùm Chriſtus verè quidditatiuè cognouerit ſubſtãtias ſpirituales & alia plura, quorum non poteſt talis notitia per ſenſus acquiri, non potuit talem ſcientiam aliter habere quam per infuſionem à Deo. Sed ſatis de ſe apparet, hæc non probare de ſcientia acquiſita: ſed ſolùm quod Chriſtus ab initio habuerit perfectam cognitionem infuſam omnium rerum quæ ſub eius notitiam cadere debebant. Sancti enim docere ſolùm voluerunt, Chriſtum non profeciſſe in ſcientia, quaſi de nouo aſſequendo notitiam rerum priùs ſibi ignotarum: per quod non negarunt, acquiſiſſe aliud genus notitiæ de iiſdẽ rebus antea ſibi notis per infuſam ſciẽtiam. Et notitia quidditatiua de ſubſtantijs ſpiritualibus alijſque huiuſmodi rebus, non eſt de ſuo genere acquiſita, ideoque non poterat per ſenſus acquiri, ſed ſolùm à Deo infundi.

Et conuenienter habere debuit per infuſionem

Aliter ergo probatur aſſertio: quia ſcientia acquiſita eſt perfectio connaturalis animæ humanæ: ſed cõueniens fuit, animã Chriſti fuiſſe ab initio exornatam huiuſmodi perfectionibus, non ſolum ſupernaturalibus, ſed etiam naturalibus: ergo habuit Chriſtus ab initio hanc ſcientiam, vtique per infuſionem à Deo. Quamuis enim perfectiones aliquæ, quarum carentia conferebat ad finem redemptionis, non debuerint ab initio conferri Chriſto, vtpotè dotes glorioſæ corporis: tamen illæ perfectiones quarum carentia non conferebat ad illum finem, dici debent ab initio datæ fuiſſe Chriſto: cùm ex vna parte adſit conuenientia & debitũ ob dignitatem Chriſti, & ex oppoſito non occurrat ratio ad eas denegandas.

Digitized by Google

Et quidem hac ratione virtutes de ſuo genere acquiſitæ, datæ fuerunt Chriſto, ab initio per infuſionem à Deo: at certè hæc conuenientia reperitur etiã quoad ſcientiam acquiſitam: quia ſicut decebat Chriſtum ab initio habere facilitatem & promptitudinem benè operandi moraliter, pariter decebat habere rerum notitiam, & virtutem ac facilitatem cognoſcendi more humano, atque adeo habere ab initio ſpecies intelligibiles & habitus intellectuales, ſcientiam inquam de ſuo genere acquiſitam. Item hac ratione affirmant Theologi, Adamum ab initio ſuæ creationis recepiſſe per infuſionem à Deo ſcientiam quam alioqui connaturaliter debebat acquirere: ergo maiori ratione eſt hoc de Chriſto Domino affirmandum.

Alioqui nõ potuiſſet humano modo acquirere copioſam rerum ſcientiam.

Sed vlteriùs, ſi Chriſtus non habuit hanc ſcientiam per infuſionem à Deo, non videbitur potuiſſe acquirere ſciẽtiam tàm amplam & perfectam, qualẽ ſect. præcedenti deſignauimus, nempe ſe extendentem ad omnia obiecta, quorum notitia poteſt ab hominibus comparari. Saltem enim maiori ſpatio ſuæ vitæ mortalis, prius quàm tot rerũ ſcientiam acquireret, illarum notitia acquiſita caruit. Sed etiam toto tempore ſuæ vitæ mortalis, cùm non vacauerit humanis ſtudijs ac diſciplinis, nec habuerit in ſua præſentia tot obiecta ſenſibilia quæ neceſſaria erant ad omnium rerum naturalium ſcientiam comparandam, non poterat humano modo omnium huiuſmodi rerum ſcientiam acquirere.

Non ſufficiebat vis naturalis ingenij, aut miniſterium Angelorũ.

Ad hoc reſpondet Caietan. q. 12. art. 1. circa ſolut. ad 1. & 2. ex doctrina D. Thomæ, Chriſtum ob egregiam & excellentiſſimam vim ingenij potuiſſe ex vno obiecto viſo deuenire in notitiã plurium aliorum, & ſic ex paucis in notitiam omnium. Credibile quoque eſſe, quod Angeli attulerint illi in conſpectum omnia obiecta ſenſibilia quæ requirebantur ad acquirendam ſcientiam. Si enim, vt Euangeliſta narrat, Chriſto eſurienti acceſſerunt & miniſtrarunt Angeli, veriſimile pariter erit Chriſto velut indigenti ſpirituali cibo ſciẽtię Angelos eo modo miniſtraſſe.

Sed certè, licet Chriſtus ob ſublimiorẽ vim ingenij ſui præ alijs hominibus, potuerit multo perfectiùs plures res aſſequi quàm alij homines; & licèt etiam ex vno obiecto cognito poſſit deduci notitia alterius, vbi ſit ſufficiens connexio, addita quoque aliqua experiẽtia: tamen non poteſt humano modo ex vno obiecto acquiri notitia quorũcunque aliorum, itaut ex paucis acquiratur omnium. Neque ſanè apparet, qualiter naturali via, ex his ſolummodo rebus quæ Chriſto occurrebant acquiri poſſet notitia omnium aliarum naturalium rerũ. Imò nec ex eo quod res aliqua oculis ipſis perſpiciatur, innoteſcere poſſunt eiuſmet natura vires & effectus: vt patet in varijs herbis, lapidibus, & alijs: niſi inquam accedat experientia & diligens induſtria, cui pro hiſce rebus non vacauit Chriſtus Dominus, qui totum ſuum ſtudiũ & laborem pro humana ſalute impendebat. Nec acceptandum eſt quod addebat Caiet. de miniſterio illo Angelorum. Quod ſanè abſque fundamento vllius auctoritatis vel rationis inducitur. Et iam hoc ipſo modo fatetur Caietan., Chriſtum non acquiſiſſe ſcientiam ordinario & conſueto modo naturali, quo alij homines: quare præſtabit dicere, potiùs à Deo ipſo infuſam fuiſſe Chriſto ſcientiam de ſuo genere acquiſitam illarum rerum quarum non poterat ab ipſo humano modo acquiri.

Nec ipſa infuſa ſcientia.

Aliter reſpondebat Capreol. in 3. d. 14. q. 1. art. 3. in fine, Chriſtum iuuatũ fuiſſe eadem ſua ſcientia infuſa ad acquirendas omnes humanas diſciplinas de genere ſcientiæ acquiſitæ. At certè humanæ ſcientiæ non poſſunt acquiri niſi per ſpecies ſenſibiles, quæ vtique prouenire non poſſunt ex ſcientia per ſe infuſa. Sed, cùm ſcientia infuſa non habeat per ſe hanc vim imprimendi ſpecies de ſuo genere acquiſitas, fatendum erit, has fuiſſe immediatè à Deo ipſo infuſas animæ Chriſti.

Habebat Chriſtus ſcientiam acquiſitam de omni

Tandem Marſil. in 3. q. 10. art. 3. & Vaſq. diſp 55. num. 10. dicunt, Chriſtũ non habuiſſe quidem ſcientiam huius generis acquiſitam de omnibus rebus ſcibilibus, ſed tantùm de ijs quarum

M 4 huma-

Digitized by Google

humano modo, tempore ſuæ vitæ mortalis poterat ſibi notitiam comparare. Sed non videtur conueniens, ne admittatur infuſio aliqua ſcientiæ acquiſitæ, ſubtrahere Chriſto hanc perfectionem animæ humanæ connaturalẽ, eique denegare tantam acquiſitam ſcientiam, quantam alij homines propria induſtria aſſequuntur & quantum Salomon & Adamus acceperunt per infuſionem à Deo.

Iam verò, cùm aſſeramus, Chriſtum aliquam ſcientiam propria exercitatione compariſſe, & aliquam intra idem genus ſcientiæ de ſuo genere acquiſitæ accepiſſe per infuſionem à Deo, ad deſignandam aliquam regulam huius rei, dici vno modo poſſet, Chriſtum acquiſiſſe quidem ſua exercitatione totam illam ſcientiam quam humano modo ſuo tempore poterat comparare, aliam verò partem quam de ſe acquirere nõ poterat, habuiſſe per infuſionẽ à Deo, & vel habuiſſe ſucceſſiuè in eodem progreſſu ſuæ vitæ, vel ſaltem in fine. Sed quia hoc modo diceretur Chriſtus caruiſſe tanto tempore magna parte huius perfectionis. Ideo potiùs videtur dicendum, Chriſtum habuiſſe ab initio per infuſionem à Deo omnem ſcientiã de ſuo genere acquiſitam omnium rerum naturalium, quoad eſſentiam & quidditatem ac proprietates earum: item quoad naturalem conſtitutionem & ordinationem vniuerſi, quæ omnia in humanis ſcientijs addiſci ſolent. Notitiam verò effectuum contingentium eius tempore occurrentium acquiſiſſe temporis progreſſu, ſecundùm quod realiter occurrebant ſub aliqua præſentia requiſita ad illorum notitiam humano modo acquirendam. Etenim illa quidem eſt maxima perfectio ſcientiæ acquiſitæ, quæ communicata fuit Adamo per infuſionem, & in qua acquirenda alij homines ſua exercitatione laborant: illa ergo conuenienter fuit communicata Chriſto per infuſionem. De effectibus verò contingenter exiſtentibus, non poteſt quidem naturali & humano modo acquiri notitia antequam actu ſunt, & quatenus conſiderantur ſub eſſe futuro: neque datur principium vel ſpecies de genere acquiſito, repræſentans effectum contingentem futurum: ſcientia autem acquiſita Chriſti, vt dicebamus, non debebat verſari niſi circa ea obiecta quorum naturali modo poteſt acquiri notitia: quare Chriſtus non cognoſcebat per ſcientiam acquiſitam contingentia futura antequam eſſent. Sed quando hi effectus actualiter ponebantur in eſſe, & erant præſentia, ita vt connaturali modo poſſet eorum acquiri notitia: tunc putandum eſt, Chriſtum ſua naturali operatione acquiſiſſe & habuiſſe huiuſmodi notitiam horum effectuũ, præter ſcientiam per ſe infuſam quam antea habebat: non enim quoad hoc neceſſaria erat alia diuina infuſio per accidens, & Chriſtus ipſe habebat intellectum agentem omnemque virtutẽ naturalem aptam ad acquirendam ſcientiam. Nec eſt illi auferenda operatio hæc naturalis, quæ abſque vllo incommodo ei tribui poteſt; ſiquidem etiam Adamus qui ab initio infuſas habuit omnes naturales ſcientias, tamen horum contingentium notitiam ſine dubio ope ſuorum ſenſuum acquiſiuit.

Acquiſiuit Chriſtus experimentalem ſcientiam.

Hinc demum patet, quatenus verum ſit, Chriſtum propria exercitatione experimentalem ſcientiam, prout dicebatur acquiſiſſe. Et quidem ſupra quæſt. 9. art. 4. vbi S. Thomas docuit, Chriſtum acquiſiſſe ſcientiam, hanc vocauit experimentalem: & ita nonnulli Thomiſtæ intelligunt mentem S. Doctoris. At Suarez ſect. 2. citata explicat, quid ſit ſcientia experimentalis, nempe eſſe repetitam memoriam earum rerum quæ ſenſu perceptæ ſunt prout perceptæ ſunt, hoc eſt eſſe notitiã qua quis recognoſcit rem per priùs fuiſſe ſenſu perceptam. Verum ergo eſt, Chriſtum acquiſiſſe ſcientiam experimentalem hoc modo ſumptam. Sed eadem ſanè ratio eſt de alijs effectibus contingentibus. Sicut enim Chriſtus dicitur acquiſiſſe notitiam, quod ſuis ſenſibus percepiſſet talem rem: ita etiam dici debet acquiſiſſe de actionibus à ſe factis, & ſimiliter de alijs quæ fiebant ab alijs hominibus, ac in vniuerſum de effectibus, quos diximus. Itaque Chriſtus non acquiſiuit ſolùm eo modo ſumptam experimentalem

talem ſcientiam, ſed acquiſiuit ſcientiam quoad hanc maiorem amplitudinem.

Qualiter habuerit ſcientiã de rebus præteritis & abſentibus

Quod ſi præter hæc, habuit etiam Chriſtus ſcientiam acquiſitam de contingentibus præteritis, antequam ipſe eam poſſet humano modo acquirere, & ſimiliter de abſentibus quæ occurrebant in alijs locis eodem tempore vitæ eius: putandum eſt, horum notitiam fuiſſe illi per accidens infuſam, ſiquidem ordinaria via eam acquirere non poterat, vt per ſe patet. Item ſi dicamus, Chriſtum nunc in ſua vita glorioſa, & incipiendo à puncto ſuæ reſurrectionis, ac deinceps in futurum, cognoſcere per ſcientiam de ſuo genere acquiſitam omnes effectus contingentes: putandum inquam eſt, hanc ſcientiam eſſe illi per accidens infuſam; ſiquidem alioqui non poteſt huiuſmodi ſcientia per humanam exercitationem acquiri, niſi ſenſuum miniſterio, de obiectis quę ſub corporalem ſenſum cadunt. Cum qua infuſione per accidens talis ſcientiæ acquiſitæ, optimè ſtat alia ſcientia per ſe infuſa quam iam in intellectu Chriſti ſupponimus.

Non tota Chriſti ſcientia acquiſita debuit per ſe acquiri.

Sed in contrarium obijcies primò, quod tota Chriſti ſcientia acquiſita dici debeat propria eius exercitatione comparata. Tum quia hoc eſt magis conſentaneum naturæ talis ſcientiæ, quæ vtique petit acquiri, non infundi. Tum quia id eſt magis conſentaneum perfectioni ipſius Chriſti: præſtantius enim eſt, propria vi & operatione acquirere ſibi ſcientiam, quàm ab externo recipere. Tum quia id eſt magis connaturale intellectui agenti, cuius munus eſt per abſtractionem ſpecierũ deſeruire ad acquirendam ſcientiam. Reſpondetur, hoc argumentum fieri pariter poſſe circa ſcientiam Adami, circa habitus virtutum moralium infuſos Chriſto, & ſimilia. Sed reuera non officit: quia ex alia parte occurrit maior conuenientia, vt hæc forma quę alioqui ex natura ſua poterat & petebat acquiri, fuerit antecedenter per infuſionem à Deo collata, vt vidimus. Quare, licèt cæteris paribus, præſtabilius ſit, perfectionem aliquam per ſe acquirere, quàm aliunde recipere: tamen adhuc magis præſtat antea habere per collationem ab alio, quàm interim carere donec poſtea proprio exercitio acquiratur, vti aduertit S. Thomas infra q. 19. art. 2. Plus laborat Caietan. circa illam inſtantiam ex munere intellectus agentis, quæ quidem ſumpta eſt ex D. Thoma, vt eam ab impugnationibus Scoti defendat. Sed nobis ſatis eſt, concedere aliquam acquiſitionem ſpecierum & ſcientiæ in Chriſto virtute intellectus agentis quoad eam partem quam diximus. Abſolutè autem inconueniens non eſt, ſed poteſt alijs rationibus conuenientiùs eſſe, aliquem effectum fieri à Deo, quàm expectare vt fiat per potentias naturales.

Obijcies ſecundò ex Vaſquez diſp. cit. cap. 3. Scientia acquiſita habet connexionem cum operatione ſenſus: ſed hæc operatio paulatim creuit in Chriſto, ſicut & in alijs hominibus: ergo ſcientia quoque humana acquiſitione creuit. Sed ad hoc argumentum ſatisfaciemus ſect. 10. Vbi etiam magis explicabimus diſcrimen ſcientiæ per accidens infuſæ à per ſe infuſa.

Nec tota per accidẽs infundi.

Obijcies tertiò è contra, quòd tota Chriſti ſcientia debuerit à Deo infundi: quia ſi Chriſtus aliquam partem ſcientiæ acquiſiuit, poterat acquirere etiam addiſcendo ab alijs hominibus, quod planè apparet abſurdum. Sed ad hoc ſatisfaciemus ſect. ſequenti.

Sed benè partim acquiri & partim infundi.

Obijcies quartò, quod dici non debeat hæc Chriſti ſcientia, partim à Deo infuſa, & partim humano exercitio acquiſita: quia ſequeretur, eorundem obiectorum fuiſſe in Chriſto alias ſpecies per accidens infuſas, & alias verè acquiſitas. Etenim ſi Chriſtus vllas ſpecies acquiſiuit, vtique acquiſiuit tales, quales nos acquirimus: ſed hæ aptę ſunt nobis repræſentare res naturales quoad eſſentiam & proprietates earũ: ad hanc verò cognitionem ponebamus in Chriſto ſpecies per accidens infuſas: ergo eorundem obiectorum multiplicantur plures ſpecies, quod eſt ſuperfluum & abſurdum. Reſpondetur, hoc argumentum non habere hic maiorem difficultatem, quàm in ſcientia noſtra acquiſita. Etenim poſtquam ſemel acquiſ-

quiſiuimus ſpeciem alicuius obiecti, quando iterum idem obiectum in aſpectum veniet, immittet denuo ſuam ſpeciem: parum autem ad hoc refert, quòd prima ſpecies fuerit per ſenſum acquiſita vel à Deo infuſa. Itaque, aut inconueniens non eſt multiplicari plures ſpecies huius rationis, & præſertim repræſentando nouas aliquas conditiones aut circunſtantias obiecti. Aut per nouam acquiſitionem non additur noua ſpecies, ſed prior intenditur vel certo modo afficitur & modificatur. Et quicquid dicatur, eodem pacto hoc explicandum erit in ſcientia acquiſita Chriſti, ſicut dicetur in ſcientia noſtra.

SECTIO NONA.

Vtrum Chriſtus dictam ſcientiam acquiſierit addiſcendo aliquid ab Angelis & hominibus.

HOC non quæritur de illa ſcientia acquiſita quam Chriſtus habuerit infuſione per accidens, ſed ſolùm de illa quam reuera ſua operatione acquiſiuit. Quamuis enim dubitare quis poſſet, num talis infuſio facta eſſet miniſterio Angelorum: tamen putandum ſimpliciter eſt, totam infuſionem factã fuiſſe à Deo. Eoque magis, quod anima Chriſti erat propinquiùs coniuncta Deo quam omnes Angeli, vt arguit S. Thomas q. 12. art. 4. Ac etiam ſi Chriſtus aliquam ſpeciem infuſam accepiſſet ab Angelis, non propterea dici deberet propriè loquendo quicquam ab Angelis didiciſſe: quia nemo diſcit niſi à docente, & nemo dicitur docere, niſi proponendo res ex parte obiecti, & infundere ſpecies non dicetur propriè docere.

Ratio dubitandi. Cùm ergo duplex ſit modus acquirendi ſcientiam: Vnus per inuentioné, quo quis conſiderando virtute ſui intellectus per ſpecies quas ſenſibus acquirit, naturales veritates aſſequitur. Alter per diſciplinam, quo quis ab alio docente & inſtruente ediſcit quæ neſciebat. Hinc queritur, num Chriſtus ſcientiam acquiſierit, non ſolùm primo modo, hoc eſt per inuentionem, earum nempe rerum quas naturaliter ſuis ſenſibus deprehendebat, ſed etiam ſecundo modo, nempe per diſciplinam, aliquid addiſcendo, vel ab Angelis, vel ab hominibus. Et ratio dubitandi de Angelis ſumitur ex illo facto Lucæ 22. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum*: non enim videtur qualiter hoc fieri potuerit: niſi per doctrinam qua Angelus proponeret Chriſto rationes, ob quas libenter paſſionem & mortem ſubire deberet. De hominibus quoque ratio dubitandi eſt; quia homines loquendo, narrabant & manifeſtabant Chriſto quædam, quæ alioqui ipſe per ſcientiam acquiſitam non cognoſcebat: proferebant ſuas cogitationes & affectus, id eſt ſecreta cordium, quæ alioqui non poterant humano modo cognoſci per ſcientiam acquiſitam: acquirebat ergo Chriſtus harum rerum notitiam ab hominibus addiſcendo.

Non defuerunt aliqui ex Catholicis, admittentes, Chriſtum ab Angelis didiciſſe: Nec defuerunt Hæretici, idem ab hominibus affirmantes: Gnoſtici enim ſeu Valentiniani, vt refert Ireneus lib. 1. aduerſus Hæreſes cap. 17. audebant aſſerere, Chriſtum didiciſſe more communi aliorum puerorum ſub ferula præceptoris, incipiendo ab Alphabeto, ac deinceps in humanis diſciplinis proficiendo.

Certum tamen eſſe debet cum communi Theologorum ſententia, Chriſti neutiquam quicquam didiciſſe, nec ab Angelis, nec ab hominibus. *Reſolutio negatiua.* Et primo quidem non didiciſſe more communi aliorum puerorum, expreſsè habetur ex Euang. Ioannis 7. *Quomodo hic litteras ſcit cùm non didicerit*: quo loco maniſeſte confutatur ille Hæreticorum error. Et iam ſupra diximus, Chriſtum per diuinam infuſionem habuiſſe plenam notitiam & ſcientiam de omnibus iis rebus quæ in humanis diſciplinis continentur.

Probatur idem ſecundò ratione S. Thomæ q. 12. art. 3. Quia Chriſtus conſtitutus erat à Deo in doctorem omnium: non ergo debebat quicquam ab aliis addiſcere. Et hæc ratio non ſolùm procedit de hominibus, ſed etiam de Angelis: cùm Chriſtus ſit vtrorumque

què caput, & Angeli ipſi per Chriſtum multa cognouerint. Et quamuis Chriſtus principaliter conſtitutus fuerit doctor pro rebus & miſterijs ſupernaturalibus: adhuc certè non fuiſſet decens aut conueniens, vt quicquam à quocunque vel homine vel Angelo addiſceret.

Probatur tertiò & explicatur magis. Dupliciter conferre poteſt doctrina magiſtri ad præbendam cognitionem rerum: vel quia magiſtro affirmanti certam rem, diſcipulus fidem adhibet, creditquè ita eſſe per actum fidei humanæ: vel quia magiſter proponit & explicat rationes, quarum vi diſcipulus præbet aſſenſum rebus quæ ſibi proponuntur. Sed neutro modo conueniebat Chriſto, quicquam addiſcere. Non primo: quia Chriſtus non habebat actum fidei humanæ vt rurſus dicemus ſect. ſequenti. Neque ſecundo: quia Chriſtus facilè poterat ex ſe adinuenire ac penetrare omnes huiuſmodi rationes, quæ ab alijs poterant illi proponi: potiùs ergo ex ſe ipſo per viam inuentionis, quam ab alijs per viam diſciplinæ hanc totam notitiam acquirebat.

Diluitur ratio dubitandi de Angelis. Ad locum Euangelij de Angelo confortante Chriſtum, duæ expoſitiones à Sacris Doctoribus adhiberi ſolent. Prima eſt, Angelum reuera confortaſſe Chriſtum, ad ſolatium aliquod illi præbendum, doloremque leniendum: non tamen docendo Chriſtum rationes vllas quas ipſe non ſciret, ſed ſolùm proponendo ac in memoriam reuocando eas quas Chriſtus probè nouerat. Altera eſt, neque hoc modo Angelum confortaſſe Chriſtum, ſed tantum laudaſſe & commendaſſe fortitudinem & charitatem qua Chriſtus ſponte ſua paratiſſimus erat pati & mori. Quamuis enim Lucas dicat, Angelum apparuiſſe confortando Chriſtum, non opus eſt, vt per confortare intelligamus veluti addere & conferre fortitudinem: ſed optimè poteſt intelligi, laudare fortitudinem. Sicut dicunt quoque homines magnificare Deum, non vtique quod magnum faciant Deum, aut vllam magnitudinem illi tribuant, ſed ſolùm quod laudant Dei maieſtatem & magnitudinem.

Et de hominibus. Ad rationem de hominibus dicendum eſt: quod ſi Chriſtus adhibuiſſet fidem hominibus loquentibus, ſi exercuiſſet actum fidei humanæ quo credendo aſſenſum præberet ijs quæ ſibi dicebantur, ſicut nos præbere ſolemus aliorum dictis: ſic quidem dici poſſet didiciſſe ea quæ crediſiſſet. At certè Chriſtus non habuit huiuſmodi actum, ſed tantùm audiuit quidem & percepit loquutionem externam, ſimulquè deprehendit quantam vim haberet illa loquutio ad ſignificandam rem quæ dicebatur, & quanta credibilitas ineſſet eidem loquutioni, prout iterum ſect. ſequenti dicemus. Hoc autem non erat diſcere, ſed erat ſua inuentione cognoſcere: ſicut & cùm alias hominú actiones percipiebat, ſimulquè perſpiciebat quātam vim tales actiones aliaue ſigna haberent ad aliquid denotandum: non inquam per hoc dici debebat quicquam ab alijs ediſcere, ſed tātùm ſua inuentione cognoſcere.

SECTIO DECIMA.

Qualis fuerit Scientia acquiſita Chriſti quoad Actum, Species intelligibiles, & Habitum.

Habuit Chriſtus ſucceſſiue varios actus huius ſcientiæ. Debent hæc tria in ſcientia acquiſita Chriſti diſtingui, ſicut & in alijs hominibus. Habuit ergo Chriſtus actum ſciendi quo res per hanc ſcientiam cognoſcebat & conſiderabat: nōn quidem vnicum ſemper & inuariatum actum, ſed ſucceſſiue modò vnum modo alium circa varia obiecta, vt & de ſcientia infuſa ſuperiùs dicebamus.

Habuit ſpecies intelligibiles Habuit & ſpecies intelligibiles impreſſas, neceſſarias ad exercendum actum cognitionis. Et ſicut in nobis non ſolùm dantur hæ ſpecies in intellectu, ſed etiam ſenſibiles in ſenſu, à quibus illæ abſtractæ ſunt, & inter ſe ſunt affines atque connexæ: ita putādum eſt, & Chriſtum habuiſſe non ſolùm ſuas ſpecies impreſſas in intellectu, ſed etiam in interno ſenſu. Nam & potentia ſenſitiua Chriſti non debebat hac ſua connaturali perfectione ca-

carere : & ſpecies ipſæ intelligibiles Chriſti erant eiuſdem rationis ac in nobis, quare in eſſendo & in operando habebant naturalem connexionem cū ſpeciebus ſenſibilibus. Et hoc verificatur, non ſolum de illis ſpeciebus quas ſua operatione & ſenſuum miniſterio Chriſtus ipſe realiter acquirebat: ſed etiam de illis quas habuit in hoc eodē genere per infuſionem à Deo; ſic enim debebant à Deo infundi, non ſolùm in intellectu Chriſti ſpecies intelligibiles, ſed etiam in ſenſu ſenſibiles, illiſque proportionatas, quales nempe acquirendæ fuiſſent ope ſenſuum externorum.

Habuit plures habitus.

Habuit item Chriſtus habitum ſciētiæ acquiſitæ, ad faciliter & promptè operandum, vt ſupponimus eſſe in nobis. Et plures quidem ac diſtincti habitus huius generis erant in intellectu Chriſti: ſiue quos Chriſtus propria exercitatione per partes & ſucceſſiue acquirebat: ſiue quos accepit per infuſionem à Deo. Quamuis abſolutè, neceſſe non ſit, tot habitus diſtinguere & multiplicare in Chriſto, quot in nobis: quia nimirum habitus non niſi diuiſim circa ſingulas cóclusiones acquiruntur in nobis: ſed facilè poterat habitus magis vniuerſalis à Deo infundi circa plures concluſiones inter ſe ordinatas, qui adhuc conueniret cum noſtris habitibus in ratione habitus acquiſiti, quoad modum cognoſcendi, & quoad actus eiuſdem rationis exercendos.

Exercebatur per conuerſionem ad phantaſmata & per diſcurſum.

Deinde, ad magis explicandam rationem huius ſcientiæ Chriſti, Suarez diſp. 30. ſect. 1. docet, Chriſtum ea vti potuiſſe abſque conuerſione ad phantaſmata: quia, cùm dixiſſet hanc ſciētiam extendi ad ſubſtantias etiam ſeparatas quidditatiuè cognoſcendas, harum ſubſtantiarum certe non dantur phantaſmata & ſpecies ſenſibiles. Et inſuper probat hac ratione: quia anima Chriſti non erat obnoxia & ſubiecta corpori, ergo poterat vti ſua ſcientia abſque dependentia ab inſtrumentis corporeis, & ita abſque conuerſione ad phantaſmata. Atque conueniens quoque erit, hanc perfectionem attribuere huic ſcientiæ Chriſti.

Sed cùm hic Auctor dixiſſet, ſpecies huius ſcientiæ Chriſti eſſe per ſe infuſas à Deo, atque adeo diuerſæ rationis à ſpeciebus de ſuo genere acquiſitis, potuit hoc modo conſequenter philoſophari. At vero, ſi loquamur de ſciētia Chriſti ex ſuo genere acquiſita, vt ſane nunc loquimur: fatendum erit, ſpecies huius ſcientiæ eſſe eiuſdem rationis cum ſpeciebus quæ acquiruntur in nobis: cùm ergo propria ratio ſcientiæ acquiſitæ maxime conſiſtat in hoc, quod vſus eius exerceri debeat per conuerſionem ad phantaſmata; talis quoque fuit ſcientia acquiſita Chriſti. Idque ſequitur etiam ex modo dictis: nimirum etiam quoad eam partem huius ſcientiæ, quæ infuſa fuit per accidens à Deo, infuſas ſimul fuiſſe ſpecies ſenſibiles, non ſecus ac ſi humana operatione acquiſita fuiſſet. Eademq; ratione hæc Chriſti ſcientia fuit ſuapte natura diſcurſiua, inuoluens compoſitionem, ſicut noſtra ſcientia. Quod magis confirmatur: quia hæc ſcientia ponitur in Chriſto, tanquam ea quæ connaturalis eſt animæ humanæ, ne anima Chriſti careret tanta perfectione naturali: at ſcientia connaturalis animæ humanæ, plane eſt diſcurſiua, dicens ordinem ad operationem ſenſus: ergo talis fuit huiuſmodi ſcientia acquiſita Chriſti. Et in hoc quidem eſſentialiter differebat hæc ſcientia ab alia ſcientia per ſe infuſa, quamuis circa eadem obiecta.

Neque vero per hanc acquiſitam ſcientiam attingebat Chriſtus quidditatiuè & intuitiuè ſubſtantias ſeparatas, vt iam ſuperiùs oſtenſum eſt. Nec etiam refert quod Suarez addebat, animam Chriſti non fuiſſe obnoxiam & ſubiectam corpori. Nam vere quidem anima Chriſti habebat quaſdam perfectiones independentes a corpore, & in hoc genere habebat ſcientiam per ſe infuſam. Sed ſimul etiam conuenienter habere debebat alias perfectiones dependentes à corpore, & ſic habebat vtique potentias ſenſitiuas & operationes earum. Atque in hoc genere habere præcipuè debebat illam humanam ſcientiam, quæ connaturaliter dependet à corporeis inſtrumentis, &

exer-

Digitized by Google

exercetur per conuerſionem ad phantaſmata, & per diſcurſum: quæ eſt ſcientia de ſuo genere acquiſita. Et conueniebat Chriſto habere vtrumque genus perfectionum & operationum, conueniebat habere illas perfectiones & operationes quæ ſunt connaturales animæ humanæ coniunctę corpori, & non inuoluebant imperfectionem alioqui repugnantem ſtatui eiuſdem Chriſti.

Erat in omni ſuo actu, vera, certa, & euidens. Poſtremò, de hac acquiſita ſcientia poteſt dubitari, an fuerit in omni ſuo actu, vera, certa, & euidens. Et ratio difficultatis, quæ peculiariter de hac ſcientia procedit, eſt: quia in acquiſitione humanæ ſcientiæ, ſæpè admiſcētur errores, & opiniones incertæ, ac iudicia ineuidentia: ergo ſi hæc ſcientia Chriſti fuit eiuſdem rationis cum noſtra, participauit eoſdem defectus. Non enim ſolùm ex imbecillitate noſtra interdum in cognoſcendo deficimus: ſed quandoque etiam ex qualitate ipſarum rerum, quia nempe tales ſunt, vt nec ſint per ſe euidentes, nec afferant humano intellectui medium certum & euidens; vnde non poteſt inter homines de ijs rebus acquiri maior cognitio quàm probabilis.

Certum tamen eſſe debet, ſcientiam acquiſitam Chriſti quoad omnem actū fuiſſe veram, certam, & euidentem. Ita ferè ſupponunt omnes Theologi. Et ſuadetur facilè: quia ſuppoſitæ imperfectiones non ſunt vtique per ſe de ratione acquiſitæ ſcientiæ: ſiquidem datur apud homines ſcientia vera, certa, & euidens. Et licet in noſtro intellectu inueniantur illi defectus, tamen prorſus dedecent dignitatem Chriſti, & non poterant conſiſtere cum alia perfecta eius ſcientia, beata & infuſa. Itaque nullatenus poterat in cognitione Chriſti vlla falſitas admiſceri, non poterat Chriſtus decipi. Opinio autem & humana fides, quæ eſt obſcura cognitio, eſt de ſuo genere fallibilis & incerta: quare eadem ratione non poterat habere locum in Chriſto. Et præſertim, cognoſcebat Chriſtus per ſcientiam infuſam certo & euidenter omnes veritates quæ ſub ſcientiam acquiſitam cadere poterant: & quod maius eſt, habebat ſemper actum claræ viſionis earundem rerum per ſcientiam beatam. At certè non poſſunt prorſus ſtare ſimul in eodem intellectu cognitio vera & falſa, certa & incerta, euidens & obſcura reſpectu eiuſdem obiecti: quamuis enim non ita conſtet, incompoſſibiles eſſe huiuſmodi habitus inter ſe, tamen de actibus eſt ſatis notum: nullus ergo actus ſcientiæ acquiſitæ eſſe poterat in intellectu Chriſti, niſi verus, certus, & euidens; & conſequenter nec alius habitus poterat in illo induci.

Ad rationem illam difficultatis facilis eſt ſolutio. Ea enim quorū humano modo acquiri poteſt ſcientia certa & euidēs, de ijs omnino Chriſtus habuit talem perfectam ſcientiam. Ea autem quæ non poſſunt humana induſtria certò & euidenter deprehendi, ſed tantùm opinatiuè cognoſci: de ijs quidem cognouit Chriſtus quantam probabilitatem ex humanis medijs haberent, idquē cognoſcebat certo & euidenter: non tamen ferebat iudicium opinatiuum & obſcurum de ipſis rebus in ſe. Vt autem intellectus Chriſti nō exiret in talem actum iudicij probabilis & incerti, non ſolum fiebat ex peculiari prouidentia & aſſiſtentia diuina, qua dirigebatur intellectus Chriſti ne in tales actus excurreret: ſed etiam connaturaliter & ab intrinſeco fiebat virtute ſcientiæ beatæ & infuſæ: quia nempe cùm Chriſtus hac alia duplici ſcientia certo & euidenter cuncta perſpiceret, quæ ſub ſcientiam acquiſitam cadere poterant, eo ipſo continebatur eius intellectus ne alium actum iudicij vel aſſenſus incertum aut ineuidentem in ſe admittere poſſet.

QVÆ-

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Voluntate Chriſti.

SANCTVS Thomas tractat de voluntate Chriſti infra quæſt. 18. ſub ratione vnitatis, hoc eſt de pertinentibus ad vnitatem Chriſti quantum ad voluntatem, occaſione erroris eorum Hæreticorum qui vnam tantùm voluntatem poſuerunt in Chriſto. Sed certe, vt initio ſuperioris quæſtionis nos præmonuimus, non minùs principaliter agendum eſt de voluntate quàm de intellectu & ſcientia Chriſti. Et hic vtique eſt maxime debitus locus, proximè poſt ipſam ſcientiam: Ideoque ſcientiam Chriſti acquiſitam de qua S. Doctor ſua quæſt. 12. tractat, nos ſimul cum ſcientia infuſa quæſt. præcedenti coniunximus, vt numerum præſentis quæſtionis duodecimæ pro voluntate Chriſti relinqueremus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus præter voluntatem diuinam etiam humanam habuerit.

Hæretici Monothelitæ negant.

PRætermiſſis illi Hæreticis, qui non vtraınque integram naturam, diuinam & humanam, agnouerunt in Chriſto, & conſequenter aec duplicem voluntatem ei attribuerunt: fuit ſpecialis error Macharij Patriarchæ Antiocheni, & aliorum quos refert S.Tho. q.18. art. 1., qui ex ipſo ſuo errore, græca appellatione vocati ſunt Monothelitæ, quaſi aſſertores vnius voluntatis. Hi vnam tantùm voluntatem, nempe diuinam, poſuerunt in Chriſto: cùm in reliquis rectè ſentirent de integritate ſubſtantiali humanæ naturæ & diſtinctione à diuina. Sed Vaſq. diſp.73.cap. 1. contendit, & ex Actis ſextæ Synodi conatur deducere, hos Hæreticos non negaſſe in Chriſto potentiam voluntatis, neque etiam omnem actum eius, ſed ſolummodo actum ſeu affectum efficacem, quo volumus ac decernimus aliquid operari, quo alijs potentijs imperamus, eaſque ad operandum adigimus. Veruntamen, in actis eius Concilij non apparet, illos diſtinxiſſe inter potentiam & actus voluntatis, inter affectum efficacem & inefficacem: ſed abſolute & indiſcriminatim propriam humanæ naturę voluntatem in Chriſto abſtuliſſe. Vnde inter alia habetur Actione 8. poſt medium, quod Theophanes Præsbiter, poſt damnatum & pallio Epiſcopali exutum Macharium, rurſus nomine Concilij interrogauit Macarium & Stephanum eius diſcipulum, *Habuitnè humanam voluntatem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & impeccabilem? Macarius & Stephanus dixerunt, nos voluntatem humanam in Chriſto non dicimus.* Ideo Theophanes ex aduerſo eos confundens dicebat, *Ego dico Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum habuiſſe naturalem voluntatem, quam ipſe Deus Adamum creans ei indidit.* Et ex eo quòd Adamus in ſua creatione accepit & habuit animam rationalem, ſtudebat conuincere habuiſſe quoque naturalem voluntatem: Et in hoc ipſo Macarius & Stephanus eius diſcipulus tergiuerſabantur. Itaque ſimpliciter & in totum humanam voluntatem in Chriſto denegaſſe videntur. Quid autem de alijs operationibus ſenſerint, ſuo loco q. 19. dicemus.

Iam certum de fide eſt, verè Chriſtũ præter voluntatem diuinam habuiſſe etiam humanam, diſtinctam, & integram quoad potentiam & actus. Probatur primò ex Sacra Script.. Matth. 26 & Lucæ 12. *Pater non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, ita fiat. Non mea ſed tua voluntas fiat.* Ioannis 5. & 6. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.*

Catholica fides affirmat.

Ex Scriptura.

Digitized by Google

ſit me. At voluntas Patris eſt vtique eadem voluntas diuina Chriſti, vtpote communis omnibus tribus perſonis in Trinitate: ergo alia voluntas Chriſti, quæ à Patris voluntate diſtinguitur, planè eſt humana voluntas diſtincta à diuina. Non ſolùm inquam potentia voluntatis, ſed etiam aliquis actus ſaltem per modum ſimplicis & inefficacis affectus. Rurſus ad Philippenſ. 2. de Chriſto dicitur, *Factus obediens vſque ad mortem*: ſed certè Chriſtus non erat capax obedientiæ ſecundùm voluntatem diuinam, quia diuina voluntas habet præcipere, non obedire: ergo omnino habuit humanam voluntatem, & habuit actum abſolutum & efficacem quo voluit ex obedientia pati & mori. Et peruersè Hæretici exponebant, Chriſtum nominaſſe voluntatem ſuam in perſona aliorum hominum, & non quaſi in propria natura humana. Non enim de alijs hominibus, ſed prorſus de ſe ipſo dicebat, non ſicut ego volo, non mea voluntas: & per ſuam propriam voluntatem Chriſtus obediuit ſubeundo mortem.

Concilijs & Patribus. Probatur ſecundò ex Concilijs. Sexta Synodus generalis, ad hanc veritatem confirmandam, & errorem oppoſitum confutandum, ex inſtituto congregata fuit: & ita ex profeſſo hanc rem definiuit, & illum errorem eiuſquè aſſertores damnauit. Ac deinde eadem veritas denuò definita fuit in Septima Synodo generali actione 7. in Confeſſ. fidei; in Concilio Lateran. ſub Martino primo conſultat. 5., in Concil. Florentino ſeſſ. vltima. Ac præterea frequenter apud Sanctos Patres & Eccleſiæ Doctores aſſeritur & confirmatur.

Ratione. Probatur tertiò ratione cum S. Thoma: Verbum diuinum aſſumpſit naturam humanam perfectam quoad omnia quę ſpectant ad integritatem ipſius naturæ: ergo aſſumpſit voluntatem, quæ eſt præcipua quædam humanæ naturæ potentia. Imò ad finem incarnationis, nempe ad redemptionem humani generis, quæ perficienda erat per merita & ſatisfactionem Chriſti, oportebat Chriſtum vt hominem eſſe præditum humana voluntate, ad hoc vt mereretur & ſatisfaceret; quod certè ſola voluntate diuina præſtare non poterat.

Catholica fides affirmat.

Ex Scriptura.

Fundamentum verò illorum Hæreticorum erat vanum & friuolum. Timebant enim, ne ſi concederent humanã voluntatem in Chriſto, non fuiſſet omnino conformis à voluntate diuina, ſed fortaſſe ab illa diſcors. At certè facillimum erat, Chriſtum ſemper conformare voluntatem ſuam humanam cum diuina, vt ſect. 4. tractabimus.

Cæterùm, S. Thomas eadem quæſt. 18. art. 2. docet, Chriſtum præter voluntatem rationalem habuiſſe voluntatem ſenſualitatis, hoc eſt appetitum ſenſitiuum, quem inquit participatione quadam poſſe vocari voluntatem. Et art. 3. docet, fuiſſe in Chriſto quadam ratione duas voluntates etiam in parte rationali. Sed quidem veriſſimum eſt, Chriſtum habuiſſe quoque appetitum ſenſitiuum, de quo tamen alia quæſtione tractabimus: nunc de voluntate tãtùm rationali inquirimus. Illa autem diſtinctio duplicis voluntatis in parte rationali, non intelligitur quantum ad potentiam, ſed ſolùm quãtum ad actus, de quibus iam agere proſequemur.

SECTIO SECVNDA.

Quos actus humana voluntatis Christus habuerit.

Habu[…] omn[…] non […] uebar[…] perfe[…] DIcendum abſolutè eſt, habuiſſe eos quos ſolet habere humana voluntas in alijs hominibus, ſolùm exceptis quibuſdam actibus inuoluentibus imperfectionem repugnantem ſtatui Chriſti. Videlicet, non habuit actũ pœnitentiæ, qui nempe ſupponit aliquod praue factum, cùm Chriſtus non potuiſſet quicquam prauè facere. Non habuit actum ſpei circa beatitudinem animæ, quia actu habebat ipſam beatitudinem.

In ſ[…] habui[…] tus […] tia & […] moris […] Difficultas peculiaris eſt de actibus triſtitiæ & timoris. Quos quidem in Chriſto fuiſſe ſumitur ex Euangelio, Matth. 26. *Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, tunc ait illis, triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*; & Marci 14. *cœpit pauere*

Digitized by Google

ttere & tadere. At ex aduerſo ratio dubitandi eſt, quia Chriſtus quoad animā erat ſemper beatus, habens viſionem Dei in intellectu, & delectationē beatificam in voluntate, cum qua delectatione non poteſt vlla triſtitia admiſceri, vt in propria beatitudinis materia 1. 2. q. 4. tractauimus. Et hæc ratio procedit etiam de timore præter aliam ſpecialem difficultatem quam poſtea addemus.

Nō ſolùm in appetitu ſenſitiuo, ſed in ipſa voluntate.

Propter hoc dixerunt primò aliqui, hos actus fuiſſe tantùm in appetitu ſenſitiuo, non autem in voluntate rationali Chriſti. Sed Theologi communiter affirmant, fuiſſe vere in voluntate Chriſti. Sumitur ex Sanctis Patribus, Hieron. in cap. 26. Matth., & alijs circa memorata loca Euang., Athanaſ. lib. de Incarn. Domini poſt medium, Cyrillo lib. 4. in Ioann. cap. 1., Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 18., Epiphan. Hereſi 69. & 76., Fulgent. lib. 3. ad Thraſimund. cap. 21. & 22. Sumitur item ex Epiſt. Agathonis Papæ in Sexta Synodo act. 14. Hinc enim probant contra Monothelitas, fuiſſe in Chriſto humanā voluntatem à diuina diſtinctam, quia habuit hos actus triſtitiæ & timoris, qui vtique in diuinam voluntatem cadere non poſſunt. Idem colligitur ex ipſo textu euangelico. Cùm enim Chriſtus orauerit tunc ad Patrem vt tranſiret ab eo calix paſſionis, vtique ſecundùm partem rationalem, hoc eſt in voluntate ſua rationali, habebat aliquam mortis fugā, ſcilicet penes actus triſtitiæ & timoris. Præterea, beatitudo animæ ex vi & natura ſua excludit hos actus triſtitiæ & timoris, non ſolùm ex voluntate, ſed etiam ex appetitu ſenſitiuo: ſi ergo peculiari diſpoſitione diuina factum dicatur, vt haberent locum in appetitu ſenſitiuo Chriſti, idem pariter dici poterit ac debebit reſpectu voluntatis.

Habuit nō ſuſpenſo gaudio beatifico.

Secundò. Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 14. non dubitauit aſſerere, Deum pro tunc ſuſpendiſſe delectationem beatificam à voluntate Chriſti, ad hoc vt poſſet admittere actum triſtitiæ. Fauet D. Ambroſ. lib. 10. in Lucam, agens de hac triſtitia Chriſti. Sed etiam hoc eſt contra communem Theologorum ſenſum. Et eſt in ſe falſum. Etenim beatitudo eſſentialis de ratione ſua eſt perpetua & immutabilis; delectatio autem beatifica, vel eſt pars eſſentialis beatitudinis vt nos opinamur, vel ſaltem eſt intrinſecum & inſeparabile eius complementum. Et alioqui, cùm putandum ſit, non tantùm ſemel ſed ſæpiùs in vita mortali, huiuſmodi actus triſtitiæ & doloris in voluntate Chriſti contigiſſe, & Chriſtum habuiſſe libertatem ex ipſa humana voluntate hos actus exercendi: oporteret fateri, Chriſtum tam ſæpè caruiſſe gaudio beatifico, & habuiſſe in ſua humana voluntate poteſtatem ſuſpendendi quoties vellet talem actum delectationis beatificæ, atque adeo nō fuiſſe perfectè beatum in anima; quod nullatenus eſt admittendum.

Habuit ex diſpoſitione diuina ſimul cum gaudio beatifico.

Tertio ergo dicendum eſt cum communi Theologorum ſententia: quòd licèt delectatio beatifica ex natura ſua excludere debeat omnem triſtitiam & dolorem ex voluntate Beati: tamen diuina prouidentia & peculiari diſpenſatione factum eſſe, vt in voluntate Chriſti ſimul cum ſumma delectatione conſiſteret magna triſtitia; nempe ad hoc vt Chriſtus magis pateretur, & nō ſolùm in actibus animæ inferioribus, ſed & in ſuperioribus ac in ipſa voluntate. Et explicatur magis: quia huiuſmodi actus gaudij & triſtitiæ in voluntate Chriſti non erant circa idem obiectum, atque adeo non erant propriè inter ſe contrarij ac ſimpliciter repugnantes: gaudebat enim Chriſtus de perfectione Dei in ſe, ac ſua beatifica viſione, dolebat de imminente morte. Et quamuis gauderet etiam de morte ſua quatenus erat grata & accepta Deo, dolebat de eadem quatenus erat moleſta & incommoda naturæ, & quatenus proueniebat ex offenſa Dei, vt rectè adnotauit S. Thomas infra q. 46. art. 8. ad 1. Sed verè quidem tanta eſt vis vehementis delectationis, præſertim beatificæ qualis erat in Chriſto, vt ex natura ſua impediat & excludat omnem triſtitiam, non ſolùm circa idem formale & materiale obiectū, ſed etiam circa alia omnia, vt tractauimus ea quæſt. 4. de beatitudine. In hoc

autem

autem interceſſit peculiaris diſpoſitio diuina, vt dicebamus: quod delectatio beatifica non impediret, ſed ſecum ſimul admitteret vehementem in voluntate Chriſti triſtitiam.

Quarto adhuc Lugus diſp. 22. ſect. 2., huic dicendi modo non acquieſcens, difficultatem vrget: quia hęc triſtitia in Chriſto non ſolùm videbatur habere repugnantiam naturalem cum ſummo gaudio ſtatus beatifici, quę quidem erat ſuperabilis per Dei potentiã: ſed etiam repugnantiam eſſentialem ratione ipſorum actuum, quia vnus actus deſtruit obiectum motiuum alterius, quatenus obiectum delectabile facit obiectum triſte eſſe minus malum: ſicut ſe habent aſſenſus & diſſenſus, amor & odium: quæ repugnantia nec per Dei potentiam abſolutam ſuperari poteſt, vt hi actus ſimul contingantur.

Ideo ipſe alium modum excogitauit, dicens: Tunc gaudium impedit triſtitiam, quando in priori ſigno naturæ præcedit, ſed ſi potius ipſe affectus triſtitiæ præcedat ad gaudium, non impeditur per gaudium. At ita erat in Chriſto, quod affectus triſtitiæ anteibat, non ſolùm ad gaudium ipſum beatificum, ſed etiam ad claram viſionem Dei. Et hoc fundat, vel quia Chriſtus in Deo ipſo, clare viſo, eodemque actu claræ viſionis, intuebatur ſuum affectũ triſtitiæ aliquando futurum, ſicut & alios ſuos futuros actus; atque adeo ordine naturæ prior erat actus triſtitiæ quatenus futurus, quàm eliceretur actus claræ viſionis, qui eſt vnus actus ſimplex & indiuiſibilis circa totum ſuũ obiectum. Vel, ſi hoc non admittatur, dicetur ſaltem Chriſtus per actum triſtitiæ meruiſſe conſeruationem & continuationem beatitudinis animæ, & ita ex hoc capite ipſum triſtitiæ actum fuiſſe priorem delectatione & viſione beatifica.

Habuit conſequenter ad actum gaudij beatifici.

Sed planè hic nouus dicendi modus, plures & nouas difficultates incurrit. Tum quia in primis ſi gaudium præcedens impedit triſtitiam, ita e conuerſo triſtitia præcedens impediret gaudium: & ad hoc idem Auctor affert exempla Tobiæ & Damnatorum, in quibus affectus triſtitiæ excludebat & excludit gaudium: quare ſic in voluntate Chriſti præuius actus triſtitiæ debuiſſet excludere gaudium beatificum. Tum maxime, ſi repugnantia inter hos actus ſit eſſentialis, & eius generis, quæ nec per Dei potentiam abſolutam ſuperari poſſit, ſicut inter aſſenſum & diſſenſũ, amorem & odium eiuſdem obiecti: ſic certe nulla inuerſione ordinis, nulla commutatione prioritatis, fieri poſſet vt ſimul ſtarent: ſed qui actus voluntatem antea occupaſſet, impediret alterum ne ſimul cum eo ſubintraret: & ſic manifeſtum eſt in dictis actibus contrarijs circa ſuum obiectum.

Tum deinde non recte peruertit ordinem inter eos actus Chriſti, præmittens in voluntate Chriſti eum actum triſtitiæ de morte ſua aliove humano obiecto, ante gaudium beatificum in ipſa voluntate, & ante viſionem claram Dei in eius intellectu: & pariter præmittere debens aliud genus ſcientiæ in mente Chriſti ante ſcientiam beatam, & ſic etiam omnes alios actus futuros Chriſti, de quibus eadem planè erat ratio ac de illo actu triſtitiæ. Cùm tamen communiter ſupponatur, & ita prorſus dignum ſit putare, primas Chriſti operationes ordine naturæ fuiſſe viſionem & dilectionem ac delectationẽ circa Deum, quæ erat eius beatitudo. Quare, vel in eodem ſimplici & indiuiſibili actu viſionis claræ admitti debet talis ordo naturæ & rationis, vt prius intelligatur viſio quatenus attingit Deum obiectum primarium, deinde intelligantur futuri alij actus Chriſti, ac tum rurſus viſio quatenus attingens & perſpiciens hos actus per modum obiecti ſecundarij. Vel, ſi hoc non admittatur, præſtabit potius dicere, Chriſtũ alio actu diſtincto intueri ac perſpicere actus ſuos futuros, conſequenter ad claram viſionem Dei & ad futuritionem horum actuum; ne è conuerſo præponantur hi actus ante viſionem Dei. Et hoc quidem commune eſt omnibus Beatis. Atque tam in Chriſto quam in alijs conſiderari poſſunt plurimi actus, qui per ſe & cauſaliter ex ipſa viſione Dei conſequuntur, & ſic non niſi conſequenter perſpici poſſunt. Vnde idem quoque de alijs actibus

Digitized by Google

poterit exiſtimari.

Tum præterea, non rectè ponit ordinem meriti in actu triſtitiæ erga conſeruationem beatitudinis animæ. Sicut enim ab initio ſupponitur data beatitudo eſſentialis animæ Chriſti independenter ab omni merito, ita dici debet in perpetuum conſeruari, quia beatitudo eſt ex natura ſua forma perpetua & inamiſſibilis. Sicut etiam quæſt. 6. dicebamus, Chriſtum non meruiſſe continuationem hypoſtaticæ vnionis, quæ pariter ex natura ſua eſt perpetua. Et, dum per nullos alios ſuos actus, quantumuis ſummæ perfectionis & valoris, Chriſtus meruit continuationem ſuæ beatitudinis; vt qui dicetur eam peculiariter meruiſſe illo actu triſtitiæ; quo doluit de morte ſua? vt quid debebat hæc veluti prærogatiua huic actui præ alijs concedi, & tantum artificium adhiberi vt actus triſtitiæ quoquo modo præcederet ante delectationem & viſionem beatificam; & ſic ſimul cum ea conſiſtere poſſet, ſi non poterat conſequenter ad modum aliorum actuum cum illa conſiſtere?

Tum demum, adhuc cum ea tota circuitione, toto vtique antecedenti tempore, Chriſtus non ſolum ordine naturæ, ſed etiam ordine temporis iam priùs habebat ſummum gaudium & beatificam viſionem, & abſque interruptione in ea ſemper perſeuerauit. At ſi præceſſio gaudij ante triſtitiam, habet omnino impedire ſucceſſionem triſtitię, certè impediet pro quanto durabit ipſum gaudium, & pro quandiu non interrumpetur. Igitur adhuc cum ea prioritate quę inducebatur ordine naturę, perſeuerante realiter toto tempore illo gaudio, non potuiſſet ſubintrare triſtitia.

Non repugnabat eſſentialiter actus triſtitiæ cũ actu gaudij.

Standum ergo omnino eſt in communi illo dicendi modo, Deum ſua peculiari diſpoſitione feciſſe, vt ſimul cum viſione clara Dei, & cum ſummo gaudio beatifico, ſuboriretur in voluntate Chriſti ille affectus triſtitię, & conſiſteret ſimul cum dicta viſione & delectatione, quam iam inueniebat & ſupponebat. Neque quicquam obſtat quod opponebatur: nõ enim inter eos actus eſt repugnantia eſſentialis, diuina poteſtate inſuperabilis, qualis eſt inter aſſenſum & diſſenſum, gaudium & triſtitiam de eodem obiecto formali. Nec vnus ex illis actibus tollit obiectiuum aut motiuum alterius. Sed ſolùm eſt repugnantia naturalis, qua vehemens lętitia de certo obiecto, ſiue etiam repreſentatio talis obiecti lętifici, naturaliter non permittit ſimul voluntatem dolere de alio obiecto triſti. Quę repugnantia facillimè ſuperatur à Deo faciente, vt non obſtante ſumma delectatione & lętitia de quodam obiecto iucundo, ſimul voluntas admittat aliũ actũ triſtitiæ & doloris de alio obiecto moleſto & incommodo, per ſe ſufficiente ad excitandum talem affectum.

Habuit Chriſtus timorem non obſtante certitudine mali futuri.

Iam de timore eſt alia propria difficultas: quia timor eſt fuga mali futuri ſeu imminentis, proueniens ex incertitudine futuræ moleſtiæ, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 42. art. 2., ex Ariſt. 2. Rethor. cap. 5., qui propterea ait cum timore coniungi ſpem & conſultationem de euadendo malo imminenti, ideoque eos qui in ſupplicio ſunt non propriè timere ob neceſſitatem & certitudinem mortis quam apprehendunt, ſed potiùs triſtari. At Chriſtus certo & euidenter cognoſcebat omnia futura, ac reuera ſe moriturum: ergo non erat capax timoris.

Propter hoc S. Tho. q. 15. art. 7. ait, in Chriſto fuiſſe timorem ſecundùm fugam mali futuri, non vero ſecundùm incertitudinem euentus. Caiet. ibidem aſſerit, in parte ſenſitiua Chriſti potuiſſe reperiri timorẽ quoad incertitudinẽ, non poſitiue, ſed negatiue: quia inquit, poterat in Chriſto eſſe aliqua apprehenſio, abſtrahens ab incertitudine aut certitudine mortis futuræ: licet non poſitiuè cum incertitudine. Suarez eod. art. 7. & Vaſq. diſp. 62. cap. 3. contendunt, in voluntate Chriſti fuiſſe verum ac proprium timorem, ſecundùm totam & integram eius rationem. Quoniam cùm Scriptura & Sancti tribuant Chriſto timorem, debent propriè & cũ rigore intelligi, non vrgente aliquo inconuenienti in contrarium. Atque difficultati reſpondent: de ratione timoris non eſſe incertitudinem, ſed poſſe timorem haberi de malo futuro,

quamuis

Google

quamuis certiſſimè futuro. Et Ariſtotelem fuiſſe loquutum non de omni timore, ſed tantùm de timore efficaci & operatiuo ad euadendum malum, ſiue de eo ad quem Rethores orando mouere debent auditores, iuxta materiam de qua eo loco tractabat.

Vel quia quoad ſciētiam acquiſitam malum nō erat certū.

Sed aliter in hac re dici poſſet. Primò, in voluntate Chriſti fuiſſe timorē, non ſolum ſecundùm fugam mali futuri, ſed etiam ſecundùm incertitudinem euentus. Quando enim Chriſtus orauit in horto, attentis ſolùm humanis iudicijs, & quantum per ſcientiam acquiſitam dignoſci poterat, non reddebatur omnino certa & ineuitabilis mors Chriſti. Diximus autem q. præc. in fine, Chriſtum perſpexiſſe probabilitatē cuiuſcunque propoſitionis, quantum per ſcientiam acquiſitam aſſequi poterat, quamuis non haberet aſſenſū opinatiuum & incertū de ipſa re in ſe. Si ergo ad rationē timoris ſufficere poſſit probabilitas & velut incertitudo cognita ex quadam parte in obiecto, abſque incertitudine exiſtente in ipſo aſſenſu & iudicio intellectuali, ſic dicetur in Chriſto fuiſſe timor.

Secundò adhuc, ſi omnino requiratur incertitudo etiam ex parte iudicij & aſſenſus, dici poterit, quod licèt ſecundùm ordinem naturalem non potuerit in intellectu Chriſti adeſſe iudicium opinatiuum & incertum per ſciētiam acquiſitam, ſimul cum iudicio euidenti & certo per ſcientiam infuſam & beatam: tamen peculiari diſpenſatione diuina fieri potuiſſe, vt adeſſet hoc iudicium opinatiuum in intellectu Chriſti, & ex virtute eius actus timoris in voluntate. Qua ratione, quantum erat ex parte huius iudicij probabilis, poterat etiam in Chriſto habere locum ſpes & conſultatio de euadenda morte, niſi aliud obſtitiſſet. Neque de ratione timoris eſt neceſſarium, vt habeat actu coniunctim talem ſpem & conſultationem: ſed ſatis eſt, ſi ex natura ſua habere poſſit, quando aliud non obſtet. Et ſaltem fuit in Chriſto ſimplex deſiderium de euadenda morte, imò & applicatio alicuius medij, nempe orationis ad Patrem, *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me iſte calix*.

Vel quia ſumitur timor pro eodem affectu triſtitia.

Tertiò, ſi de ratione timoris vlteriùs eſſe dicatur, incertitudo euentus excluſa alia certitudine de euentu futuro in mente eius qui timere debet: ſic dici poterit, in Chriſto non fuiſſe quidem timorem ſecundùm eam proprietatē & rigorem, quo ab Ariſt. & Philoſophis accipitur: ſed propriiſſimè ſaltem fuiſſe fugam & horrorem mali. Et quia triſtitia ſolet eſſe fuga mali præſentis, quod ſanè eſt certum, timor verò eſt mali futuri, quod apud homines ſolet eſſe incertum: ideo eundem affectum fugæ de morte qui erat in voluntate Chriſti, appellatum eſſe mærorem & triſtitiam quatenus erat mali certi, & timorem quatenus erat mali futuri. Et ita Vaſq. in fine cap. citati fatetur, hæc nomina aliquando confundi: ideoquè Euangeliſtam dixiſſe de Chriſto, *Cœpit pauere, timere, & mæſtus eſſe*. Vnde, dum ipſe contendit, fuiſſe timorem in Chriſto cum omni rigore, videtur negare fuiſſe triſtitiam cum omni rigore triſtitiæ. At certè ſi rigoroſè loquamur, magis neceſſarium apparet, ponere hunc rigorem in nomine triſtitiæ quàm timoris. Nec inconueniens erit, explicare Scripturam & Sanctos de timore minùs propriè dicto. Nam & quando inter dona Spiritus ſācti tribuitur Chriſto timor, id explicatur de timore, non pro fuga mali futuri, ſed pro affectu reuerentiali ad Deum potentem infligere malum: aut etiam pro dono correſpōdente virtuti temperantiæ, vt ſuo loco notauimus. Et in caſu præſenti, cùm Sancti ex illo timore quem Chriſtus habuit in horto, deducere intendebāt Chriſtum habuiſſe voluntatem humanam, ſatis erit intelligere affectum quendam qui non poterat cadere in voluntatem diuinam, quamuis de reliquo non haberet omnem timoris conditionem ſecundùm totum philoſophicum rigorem.

Num hi actus erant in portione ſuperiori vel inferiori voluntatis Chriſti.

Poſtremò dubium eſt inter Theologos, num hi actus fuerint in portione ſuperiori vel inferiori voluntatis Chriſti: non enim his nominibus intelligunt partem rationalem & ſenſitiuam animæ, ſed in ſola parte rationali, & in ipſa voluntate hanc duplicem portionem cum D. Auguſt. lib. 12. de Trinit. di-

Digitized by Google

diſtinguunt. D. Thomas & Caietan. infra q. 46. art. 7., alijque non pauci Theologi docent, fuiſſe ſolùm in portione inferiori. Vaſquez diſp. 65 cap. 3. contendit, fuiſſe ſolùm in ſuperiori. Refert Alenſ., Bonau., Scotum., & alios: qui tamen affirmant quidem fuiſſe in portione ſuperiori, ſed non dicunt in ea ſola fuiſſe. Suarez diſp. 38. ſect. 3. concedit in vtraque fuiſſe.

Hæc diſſenſio conſiſtit in varia explicatione ſuperioris & inferioris portionis, eſtque potiùs de nomine quàm de re. Et poteſt triplex explicatio adhiberi. Prima cum S. Thoma ibi, portio ſuperior eſt illa quæ per ſe ac directe Deum attingit, portio inferior quæ attingit alia obiecta infra Deum. Sic certe triſtitia & timor non erat in portione ſuperiori, ſed tantùm in inferiori voluntatis Chriſti: non enim dolebat Chriſtus de Deo in ſe ſed de morte ſua & de peccatis hominum. Secunda explicatio quam tradit Vaſquez & videtur quoque ad mentem D. Thomæ 1. 2. q. 74 art. 7., hæc eſt. Portio ſuperior eſt quæ regitur & operatur ſecundùm regulas æternas, hoc eſt vel iuxta vel contra debitum ordinem virtutis, etiam moralis: quo pacto omnis actus moraliter bonus vel malus eſt in portione ſuperiori. Sic illi actus in Chriſto ſpectabant ad portionem ſuperiorem, dirigebantur enim iuxta regulas æternas ſecundùm normam virtutis. Imò iuxtà hunc modum nullus vnquam fuit actus in Chriſto ſpectans ad inferiorem portionem: in hac enim ſolùm erunt, vel actus indifferentes ſi dantur, vel actus indeliberati qui interdũ à nobis fiunt non conſiderata ratione bonitatis aut deformitatis moralis: quales actus nunquam fuerunt in Chriſto. Tertia explicatio quæ à pleriſque Recentioribus magis approbatur eſt hæc. Portio ſuperior verſatur circa res æternas vel materialiter vel formaliter, hoc eſt vel immediate circa Deum, vel circa alias res ſub aliqua ordinatione ad Deum. Portio inferior verſatur circa res temporales, hoc eſt circa obiecta creata in ſe ſpectata. Sic illi actus fuerunt in vtraque portione voluntatis Chriſti: dolebat enim Chriſtus de peccatis hominum quatenus ſunt offenſa Dei, quod ſpectabat ad portionem ſuperiorem: dolebat de morte ſua quatenus erat moleſta & incommoda naturæ ſuæ, quod ſpectabat ad portionẽ inferiorem. Porro nullo ex his modis diſtinguitur realiter portio ſuperior & inferior in ipſa potentia voluntatis: ſed tantùm in eadem reali & ſimplici potentia conſideratur ordo ad diuerſa obiecta, & ſic diſtinguuntur diuerſi actus, & ad portionem ſuperiorem aut inferiorem ſpectare dicuntur.

SECTIO TERTIA.

An & quomodo humana Chriſti voluntas fuerit libera, etiam ad actus præceptos, non obſtante eius impeccabilitate.

Chriſtus erat liber non obſtante præuiſione ſuorum actuum.

VOluntatem Chriſti ſimpliciter fuiſſe liberam, eſt omnino certum, ſicut & de alijs hominibus nunc ſupponimus. Quamuis enim Chriſtus per ſcientiam beatam, ac etiam per infuſam perſpiciebat omnes actus quos ipſe facturus erat cum omnibus ſuis circunſtantijs, quæ præuiſio non conuenit alijs viatoribus: tamen hoc non præiudicabat libertati Chriſti, eodem nempe pacto quo diuina ſcientia viſionis non impedit noſtram libertatem. Quia nempe priùs ſupponitur aliquid eſſe futurum, quàm præuideatur eſſe futurum: quare ex tali præuiſione ad ſummum infertur neceſſitas conſequens, quæ proinde non lædit, ſed potiùs integrum ſupponit vſum & exercitium libertatis.

Debet ſaluari Chriſti libertas etiam in actibus ſibi præceptis.

Sed peculiaris & grauis difficultas eſt, quomodo voluntas Chriſti potuerit eſſe libera ad actus quos ex obligatione facere tenebatur, cùm nempe eſſet impeccabilis, vt q. 15. tractabimus. Si enim Chriſtus non poterat peccare, iam non poterat non obſeruare preceptum: ergo non poterat pretermittere actum ſub precepto debitum, ac proinde neceſſario & non liberè faciebat tales actus. Quare difficultas ſpecialiter viget in preceptis affirmatiuis, hoc eſt quę aliquid fieri iubent.

Digitized by Google

iubent. Quamuis poſſit etiam extendi ad precepta negatiua, que ſcilicet aliquid fieri prohibent, quod nempe Chriſtus non eſſet liber ad faciendum actum prohibitum, & neceſſario deberet in eliciendo actu voluntatis circa tale opus, elicere actum quo diceret nolo facere. Sed ſatis erit loqui de actibus cadentibus ſub precepta affirmatiua, in quibus clarior eſt difficultas. Omnino autem oportet, in his actibus tueri ac ſaluare Chriſti libertatem: quia his quoque actibus Chriſtus pro nobis meruit ac ſatisfecit. Imò precipuè meruit ac ſatisfecit paſſione & morte ſua, vt exploratum eſt: ad quam ex precepto obligabatur, vt tractabimus q. 20. ſect. 3., & vt vocauit ipſe Chriſtus Ioann. 14. & 15. *Mandatum quod dedit mihi Pater*, & indicauit Apoſt. ad Philippenſ. 2. *Factus obediens vſque ad mortem*. Similiter meruit etiam per obſeruantiam aliorum preceptorum: & quamuis non fuerit obnoxius alijs poſitiuis preceptis, adſtringebatur ſaltem preceptis naturalibus, in quibus nec diſpenſari poteſt.

Nō ſolùm quia erat indifferens inter plura bona.

In primis ergo S. Thomas q. 18. art. 4. ad 3. & alij antiquiores Theologi reſpondebant, voluntatem Chriſti ex eo quod non poterat peccare, fuiſſe quidem determinatam ad bonum in communi, ita vt non eſſet indifferens inter bonum & malum; ſed fuiſſe liberam & indifferentem ad plura ac varia bona in particulari, quia poterat amplecti vnum vel aliud bonum: idque ſatis eſſe ad meritum. Sed planè hęc reſponſio non ſatisfacit: quia vrgetur difficultas in bono aliquo & opere particulari, vt potè in exemplo paſſionis & mortis. Vel enim Chriſtus poterat recuſare paſſionem & mortem, & ſic poterat non obedire precepto, poterat peccare: vel non poterat recuſare, non poterat non acceptare & ſubire paſſionem & mortem, & ſic non potiebatur in hoc libertate, ſed adſtringebatur neceſſitate. Aliud ergo addere oportet ad conciliandam libertatem & impeccabilitatem in Chriſto.

Secundò. Quidam Recentiores hoc loco, Cabrera quæſt. 18. art. 4. d. 4., Aluarez diſp. 46., Peſant. art. 1. dub. 4., Bagnes 1. par. q. 19. art. 10., & quidam alij reſpondent ex illa regula generali, quod neceſſitas conſequens & quæ dicitur ex ſuppoſitione non lædit libertatem, & huiuſmodi dicunt fuiſſe neceſſitatem qua Chriſtus non poterat peccare, & ſic integram permanſiſſe eius libertatem. Sed planè etiam hæc reſponſio non ſatisfacit: quia neceſſitas Chriſti ad non peccandum, erat quidē conſequens ad vnionem hypoſtaticam, & ad beatitudinem animæ, tamen erat antecedens ad vſum & exercitium libertatis: oriebaturque ab intrinſeco ex ipſa conditione & perfectione Chriſti ſe habente in actu primo & per modum principij: non oriebatur ex ſola aliqua ſuppoſitione ſcientiæ aut operationis, aut determinationis in actu ſecundo: quæ quidem cum ſit conſequens aut comitans ad vſum libertatis, non lædit libertatem, & in omni voluntate ac operatione libera reperitur.

Nec ſolùm quia erat indifferens quoad circunſtãtias actuum.

Tertiò. Omiſſis quibuſdam alijs, vel falſis vel inutilibus reſponſionibus, frequentior apud Recentiores reſponſio eſt: voluntatem Chriſti fuiſſe liberam in obſeruatione præceptorum, quoad circunſtantias: quia videlicet poterat Chriſtus vno vel alio tempore aut loco, ex vno vel alio motiuo, cum tanta vel tanta intenſione, & cum his vel alijs circunſtantijs, obſeruare ſingula præcepta. Quæ indifferentia redundabat etiam quodammodo in ſubſtantiam actus: alius enim actus fuiſſet, qui fieret cum his vel alijs circunſtantijs. Et hanc libertatem ſatis eſſe ad meritum. Ita rem explicant Suarez diſp. 37. ſect. 3., Vaſqu. diſp. 74. Bonacina diſp. 2. q. 11. puncto 3. Adhuc tamen hæc reſponſio non videtur ſufficiens. Tum quia ſic in rigore Chriſtus dici deberet meruiſſe potiùs per circũſtantias quàm per ſubſtantiam actus: ſicut ex alia parte dicebantur antiqui Patres meruiſſe incarnationem ſecundùm circunſtantias, non ſecundùm ſubſtantiam. Tum præcipuè, poteſt cogitari præceptum Dei ad Chriſtum de aliquo actu faciendo determinatè ac præcisè cum certis circunſtantijs, & tunc non ſaluaretur Chriſti meritum & libertas. Quod quidem admittitur à Vaſquez

Sed ab alijs reputatur inconueniens. Et ſine dubio melius erit, in hoc etiam caſu tueri Chriſti libertatem & meritum.

Nec ſolum quia potuiſſet petere diſpenſationem præcepti.

Quarto. Addit Lugus diſp. 26. ſect. 8. potuiſſe Chriſtum ex ſua libertate abſque peccato poſtulare & obtinere à Deo diſpenſationem præcepti, iuxta illud quod dixit Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Quia ergo ex eadem ſua libertate noluit petere diſpenſationem, ideo prorſus libere obtemperaſſe præcepto, non obſtante ſua impeccabilitate. Sed neque hoc ſufficit. Tum quia non procedit de omnibus præceptis, includendo etiam naturalia quæ diſpenſabilia non ſunt, ſed ad ſummum de præceptis diuinis voluntarijs & poſitiuis. Tum verò, etiam in his præceptis poſitiuis ſaluari debet Chriſti libertas & meritum, non ſolùm in eo quod poſſet à ſe amouere & excutere talem obligationem; ſed præcipuè & formaliter in eo quod erat obedire præcepto extanti & obliganti, in eo quod erat exequi & adimplere ipſum præceptum: in hoc enim formaliter conſiſtit obedientia. Tum præterea non liquet, quod potuiſſet Chriſtus, petendo & rogando obtinere diſpenſationem præcepti, vt ſic dicatur ei voluntarium & liberum exercere aut omittere certum opus. Aut ſaltem ſub hypoteſi fatendum eſt, quod etiam in caſu quo non potuiſſet obtinere talem diſpenſationem, vel quia per petitionem non obtinuiſſet, vel quia habuiſſet quoque præceptum non petendi diſpenſationem; adhuc inquam Chriſtus fuiſſet compos libertatis & meriti in obſeruantia & obedientia talis rigoroſi præcepti.

Tum demum, loquendo ſpecialiter de illo ſingulari præcepto patiendi ac moriendi, hoc non videtur fuiſſe purè poſitiuum, ſed veluti naturale, hoc eſt per ſe conſequens ex ipſa præordinatione diuina, qua Deus decreuerat reparare ruinam generis humani mediante redemptione Chriſti per paſſionem & mortem, vt dicemus ibi quæſt. 20. ſect. 3. Quare petitio diſpenſationis debuiſſet reduci ad poſtulandam & obtinendam immutationem illius diuinæ præordinationis & decreti. Sed hoc vtique non manebat ſub poteſtate & arbitrio humanæ voluntatis Chriſti: quod quippe fuerat ſupremum conſilium & inſtitutum diuinæ pietatis intra ordinem prouidentiæ ſupernaturalis.

Pro reſolutione ergo huius rei conſiderandum eſt, duplici ratione Chriſtū non potuiſſe peccare: vna eſt hypoſtatica vnio, & altera eſt beatitudo eſſentialis animæ in Dei viſione & fruitione conſiſtens. Etenim rationalis natura quæ vnita ſit hypoſtaticè alicui perſonæ diuinæ, prorſus non poteſt inquinari peccato, non poteſt labi aut conſentire in peccatum vllum; vt poſtea tractabimus. Item nullus Beatus poteſt delinquere aut peccare, vt iam n. 2. de Beatitudine vidimus.

Sed quia ex vnione hypoſtatica non determinabatur immediatè ad operandum.

Quintò itaque, quantum attinet ad rationem hypoſtaticæ vnionis, facilius ſanè eſt conciliare Chriſti libertatem cum impeccabilitate. Vnio enim hypoſtatica in ſe præcisè ſpectata, non ſolùm non determinabat, ſed nec ſimpliciter mouebat Chriſti voluntatem ad operandum: nec ſe ſola præbebat aut addebat illi vires. Sed potius ex parte Dei conſtituebat obligationem in ipſo Deo, vt per auxilia commoda & opportuna gubernaret Chriſti voluntatem ne conſentiret in peccatum vllum. Conſtituebat in Deo ipſam neceſſitatem, vt nec de potentia abſoluta potuiſſet denegare voluntati Chriſti auxilia efficacia in omnibus caſibus ad obſeruanda præcepta, aut permittere lapſum eius in aliquod peccatum. Itaque per ſe non afferebat maiorem neceſſitatem voluntati Chriſti ipſa vnio hypoſtatica, quam afferret ſimplex efficacia auxiliorum Dei: ſed certè hæc efficacia, ſicut non adimit libertatem nec affert neceſſitatem in alijs hominibus, ita nec in Chriſto: ergo ſimpliciter illæſa ſeruabatur Chriſti libertas. Et ſicut in alijs hominibus ſimul cum hac libertate ſtat infallibilitas diuinæ prædeſtinationis, in cuius vi conferuntur auxilia efficacia: ita & in Chriſto ſimul cum libertate ſtat impeccabilitas

ducta

Digitized by Google

ducta ex hypoſtatica vnione. Erat enim Chriſti voluntas libera, inquantū non habebat principium aliquod per ſe operatiuum, eam determinans ad operandum: erat impeccabilis, inquātum ex debito hypoſtaticæ vnionis nō poterat carere aut denudari auxilijs efficacibus in quacunque occaſione ad ſeruanda præcepta & non peccandū. Diſcrimen autem eſt inter Chriſtum aliosquè prædeſtinatos ſiue in gratia confirmatos: quia cùm vnio hypoſtatica ex qua oritur impeccabilitas ſit intrinſeca & ſubſtantialis Chriſto, ſic Chriſtus eſt impeccabilis ab intrinſeco, hoc eſt ex origine & radice intrinſeca: non ſic vero quicunque alij prædeſtinati vel in gratia confirmati.

Sed iuuabatur tantùm auxilijs efficacibus.

Neque obſtant quæ contra hanc partem opponit Lugus ſect. 6. dicens. In Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticæ non oritur tantùm neceſſitas conſequens ex præſcientia, ſicut in prædeſtinatis; ſed antecedens, prouenìens ex ipſo principio operationis: inter conditiones enim requiſitas ex parte principij, vna eſt ſubſiſtentia. Quę licet non concurrat per ſe efficienter ad actū operationis, tamen ſatis eſt quòd requiratur tanquam conditio. Sicut viſio obiecti non concurrit efficienter ad actum amoris, ſed ſolùm tanquam conditio; & tamen ſufficit ad imponendam neceſſitatem voluntati. Deinde: ad hoc vt operatio in actu ſecundo ſit libera debet ſupponi in actu primo concurſus Dei paratus ad vtrāq; partem: ſed humanitati Chriſti ſtante vnione, non poterat adeſſe paratus concurſus ad vtranque partem, ſcilicet ad obſeruandum & ad tranſgrediēdum pręceptum, ad proferendum verum vel mendacium; ita vt Deus ſub conditione decreuiſſet, volo concurrere cum humanitate Chriſti, ſi ipſa mētiri voluerit: ergo vnio ipſa hypoſtatica impediebat libertatem in voluntate humana Chriſti.

Hęc inquam non obſtant. Non primum: quia dicta neceſſitas in humanitate Chriſti, oritur quidem ex aliquo principio ſeu conditione antecedenti, imò intrinſeca, tamen non per ſe mouente & inducente ad actum; ſed tantùm exigente auxilia congrua & efficacia, quæ illi à Deo denegari non poſſint: quare non infert aliam neceſſitatem, niſi quæ apta ſit prouenire ex ijs auxilijs, vtique non lædens aut impediens libertatem. Et in hoc valde differt vis vnionis hypoſtaticæ à viſione obiecti: quia viſio obiecti, ſiue per modum cauſæ efficientis, ſiue per modum conditionis, per ſe mouet & impellit voluntatem, & non ſe habet ſolùm remotè tanquam exigens auxilia efficacia, ſicut dicimus de hypoſtatica vnione. Neque ſecundum argumentum obſtat: quia non debet ſaluari & explicari noſtrum exercitium libertatis per illam præparationem concurſus Dei in actu primo, ſeu per illud decretum Dei ad concurrendum ſub conditione ſi humana voluntas ſic operari determinet. Sed ſaluari & explicari debet per hoc quod in ſe habeat omnia in actu primo requiſita ad operandum in vtranque partem, & non habeat formam aliquam vel conditionem per ſe immediate mouentem ac determinantem ad vnam partem, vt ex ſuo loco generali ſupponimus.

Verè tamen hæc reſponſio non ſatiſfacit pro alia ratione impeccabilitatis proueniente ex beatitudine animæ Chriſti. Hæc enim eſſentialiter includit, vel ſaltem irreparabiliter ſecum affert neceſſariam dilectionem Dei, quę oritur ex clara viſione: & dilectio Dei intrinſecè importat voluntatem obſeruandi omnia præcepta. Quare non poteſt voluntas Beati ſimul nolle vel negligere obſeruare aliquod præceptū: & ita habet neceſſitatem ex intrinſeca determinatione voluntatis.

Et ex beatitudine animæ non trahebat Chriſtus neceſſitatē ad actus internos.

Sextò ergo, vt difficultati penitus ſatisfiat, obſeruandum eſt, præceptum diuinum directè latum fuiſſe ſuper actum externum faciendum à Chriſto, nempe vt Chriſtus pateretur mortem, & ex conſequenti incidiſſe ſuper actū internum, vt vellet mori. Vnde ad obſeruationem totius præcepti ſatis erat, ſi Chriſtus ſemel vnoq; actu decreuiſſet mori. At poterat ſanè ſæpiùs ac pluribus actibus id velle, non ſolùm ſucceſſiuè vno actu poſt alium, ſed etiā ſimul ſaltem ex motiuis diuerſarum

by Google

virtutum. Omnes ergo alij actus interni præter vnum, erant liberi ac meritorij. Sed prætetea cùm actus externus non habeat aliam libertatem, & bonitatem, & rationem meriti, niſi eãdem cum actu interno vt ſupponimus, ſequitur, etiam actum externum prout informatum & imperatū a dictis actibus internis liberis, fuiſſe etiam in ſuo ordine liberum, hoc eſt potuiſſe non procedere ex illis, non informari illis; ac denominari debuiſſe meritorium. Sed inſuper, cùm inter omnes dictos actus internos voluntatis Chriſti deſignari non poſſit, quare potiùs vnus quàm alij fuerit ex obligatione præcepti, ſequitur, Chriſtum non potuiſſe quidem omnes omittere, ſed omnino debuiſſe vage aliquem exercere, tamen potuiſſe omittere ſingulos: & ſic de ſingulis verum eſſe, fuiſſe liberos, atque adeo meritorios. Sicut homo non poteſt vitare omnia peccata venialia, ſed poteſt ſingula: & hoc ſufficit vt omnia ſint libera ac demeritoria. Licèt hoc exemplum ſit in materia contraria, & non omnino ſimile.

Rurſus, etiam ſi præceptum fuiſſet Chriſto directè impoſitum de actu voluntatis interno, ac etiam vt exérceret plures actus circa idem obiectum; adhuc verùm eſt, Chriſtum potuiſſe alios plures elicere. Nec enim poterat illi præcipi, vt omnes poſſibiles actus eliceret. Quare hoc modo ſemper in huiuſmodi Chriſti actibus libertas ſimul cum impeccabilitate ſaluatur. Imò de facto potuiſſet Chriſtus pro ſua libertate, non elicere alium voluntatis actum de ſubeunda morte, præter actum ipſū beatificæ dilectionis per ſe alioqui neceſſarium: qui nempe actus intrinſecè includebat intentionem faciendi omnia Deo placita, idest omnia præcepta ſeruandi. Quare omnem alium actum ex ſcientia infuſa liberè poterat non exercere. Habebat enim ad ſummum neceſſitatem quoad ſpecificationem ne recuſaret mori; ſed habebat libertatem quoad exercitium eliciēdi hunc & illum actum ex ſcientia infuſa quo vellet mori.

Et ſuper actus præceptos & internos poterat Chriſtus alios actus liberos reflectere.

Septimò demum, alio etiam modo ſatisfieri poteſt, dicendo: licèt Chriſtus ex præcepto teneretur mori; tamen poterat ſic deliberare, etiam ſi non haberem præceptum moriendi, ſed hoc in mea electione maneret, adhuc volo mori ob gloriam Dei & ſalutem animarum. Ad quem actum quaſi reflexum non habebat obligationem: erat ergo liber ad eum exercendum. Idquè etiã ſatis erat, vt actus exterior informatus tali actu interno denominaretur quoq; liber & meritorius. Quod ſi Pater æternus impoſuiſſet volũtati Chriſti præceptũ ad faciēdum eum ipſum actum reflexum, poterat adhuc Chriſtus ſuper hoc alium rurſus actum reflexum liberum repetere. Et ſi ſemper adiungatur præceptum, ſemper ſupra quodcũque præceptum poterat voluntas Chriſti ſimili modo reflectere; nec vnquam deueniri poſſet ad vltimum præceptũ, ſupra quod non poſſet ſimilem actum elicere. Niſi fingatur aliud negatiuum præceptum, ne voluntas Chriſti alium actum reflexum adijceret. Quod quãuis ſit poſſibile, tamen de facto non fuit impoſitum. Sed credendum eſt, Chriſtum plurimos huiuſmodi actus ad abondantiam meriti replicaſſe. Et ità de facto conciliatur optimè in voluntate Chriſti libertas ad meritum requiſita cum impeccabilitate in obſeruatione præceptorum.

Nec ſcientia Chriſti impediebat eius libertatem

Sed adhuc aliqua ſupereſt difficultas: quia Chriſtus per ſcientiam beatam videbat in Deo, & per ſcientiam etiam infuſam cognoſcebat, quicquid Deus de ipſo decreuerat, omneſquè actus cum omnibus circunſtantijs & reflexionibus facturus erat; ſed certè non poterat ſe opponere determinationi diuinæ voluntatis & præſcientiæ diuini intellectus; ergo non poterat nõ facere omnes actus cum omnibus circunſtantijs quos & cum quibus de facto fecit. Facilè tamen dicitur, ſcientiam illam & cognitionem Chriſti non potuiſſe impedire eius libertatem. Eodem pacto, quo ſcientia viſionis Dei non impedit libertatem noſtram: quia nimirum prius ſupponitur aliquid eſſe futurũ quàm præuideatur futurum. Ex ergo viſione non oritur neceſſitas antecedens quæ impedit libertatē, ſed tantũ conſequens quæ ſupponit libertatem.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

De Rectitudine humanæ voluntatis Chriſti, & Conformitate cum voluntate Diuina.

Voluntas humana Chriſti fuit ſemper recta.

VOluntatem humanam Chriſti ſemper fuiſſe rectam & ſanctam in operando, conſtabit ex eo ipſo quod ſtatuemus q. 15. nunquam peccaſſe, & non potuiſſe peccare.

At non fuiſſe ſemper conformem voluntati diuinæ ſed interdum ab ea diſcordaſſe, colligi videtur ex illa oratione ab eo in horto fuſa, Matth. 26. *Tranſeat à me calix iſte, Pater non quod ego volo, ſed ſicut tu vis, fiat*: vbi Chriſtus de ſe fatebatur voluntatem quandam euitandi mortem, cùm tamen Deus volebat & decreuerat vt Chriſtus moreretur.

Pro reſolutione, diſtinguendum eſt, dupliciter poſſe voluntatem humanam cum diuina eſſe conformem; nempe vno modo quoad actum, altero modo quoad obiectum. Primo modo, quando quis vult id quod Deus vult vt ipſe homo velit: ſecundo modo, quando quis vult illud ipſum obiectum quod eſt volitum à Deo.

Fuit ſemper conformis diuinæ quoad actum.

Primo modo humana Chriſti voluntas fuit ſemper diuinæ conformis, vt notarunt Bonau. & Riccard. in 3. d. 17. art. 1. q. 3. & Durand. q. 1. num. 8. Et patet ex Euangelio, *Quæ placita ſunt ei facio ſemper*. ſi enim Chriſtus ſemper faciebat ea quæ Patri placebant vt ipſe faceret, vtique ſemper etiam volebat ea quæ Patri placebant, vt ipſe vellet. Et inductione etiam patet manifeſte. Quia ſi loquamur de voluntate efficaci & decreto Dei, quo Deus ſtatuerat efficere tales & tales actus Chriſti: vtique Chriſtus eos omnes & eos ſolos actus exercuit, quos Deus decreuit efficere, quos decreuit vt Chriſtus efficeret. Si verò loquamur de voluntate præceptiua, qua Deus obligauit Chriſtum ad aliqua opera facienda: certè Chriſtus fecit eos omnes actus, ſiue externos, ſiue voluntatis interno, quos Pater ei præcepit vt faceret. Si demũ loquamur de voluntate complacentiæ: ſic pariter, cùm omnes actus Chriſti eſſent recti & ſancti; vtique diuinæ voluntati placebant. Vnde in illo ipſo facto orationis in horto, Deus volebat, vt humana Chriſti voluntas haberet eum actum diſplicentiæ erga mortem, vt præclare notauit Damaſcen. lib. 3. Fidei cap. 18.

Fuit etiam conformis quoad obiectum.

Secundo modo D. Thomas q. 18. art. 5. ait, voluntatem humanam Chriſti poſſe conſiderari, & tanquam rationẽ, & tanquam naturam. Atque conſideratam vt rationem, fuiſſe ſemper diuinæ voluntati in obiecto volito conformem; conſideratam vero vt naturam, non fuiſſe ſemper conformem. Et aliqui explicant, voluntatem vt rationem intelligi deliberate operantem, et naturam vero indeliberate operantem; ſiquidem in humana voluntate, alij ſunt actus deliberati ac liberi, alij indeliberati præuenientes plenam aduertentiam rationis. Sed certè putandum non eſt, in voluntate Chriſti fuiſſe actum vllum taliter indeliberatum: non enim operabatur vnquam voluntas Chriſti, niſi ex plena & perfectiſſima aduertentia rationis: nec fuerunt in Chriſto primi motus, vt nominantur in nobis, qui non ſunt liberi, eo quod præueniant aduertentiam rationis. Neque S. Thomas oppoſitum cogitauit. Sed, vt ipſemet exponit, voluntas, vt naturę intelligi debet circa obiectum in ſe ſpectatum, vel per reſpectum ad humanam naturam præciſe ſpectatam: voluntas verò vt ratio, prout verſatur circa obiectum quatenus ordinatum ad aliud finem. Quæ explicatio ſumitur ex Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 13., ex quo & hæc diuiſio ſumpta eſt. Hoc autem eſt dicere, voluntatem Chriſti acceptaſſe quidem mortem vt ordinatam ad ſalutem hominum & gloriam Dei, habuiſſe tamen diſplicentiam mortis quatenus erat ſecundum ſe incommoda humanæ naturæ. Et ita penes vnum actum voluntatem humanam Chriſti fuiſſe diuinæ conformem in obiecto volito, non tamen penes alterum actum de eodem materiali obiecto: ſiquidem hoc materiale obiectum quod erat mors diſplicebat humanæ volun-

voluntati Chriſti pro illo actu; ſimpliciter tamen erat volitum a Deo. Et quia erat quoque volitum ab eadem humana voluntate Chriſti pro alio actu, pariter dicetur ipſa humana voluntas in vno actu non fuiſſe conformem ſibi in alio actu circa idem obiectum, quod nempe erat volitum vno actu, & erat nolitum altero actu.

Sed ad maiorem explicationem conſiderandum eſt, actum Chriſti nolendi mortem, fuiſſe ſimplicem affectum & inefficacem; actum autem volendi fuiſſe abſolutum & efficacem. Quod ſatis patet ex iiſdem Chriſti verbis, *Nō quod ego volo, ſed quod tu vis fiat.* Abſolutè enim & efficaciter Chriſtus voluit mori, ſicut Pater volebat: & ſic ipſe Chriſtus nequaquam voluit adimpleri diſplicentiam illam quam de morte habebat. Hoc ipſum notauit S.Tho. q. 18. art.6. & q. 21. art. 4. Aliique Theologi communiter obſeruant. Quorum aliqui ad id explicandum ſic loquuntur; actum quo Chriſtus voluit mori, fuiſſe abſolutum, quo verò volebat non mori, fuiſſe conditionatum. Sed Vaſq. diſp. 73. cap.2. contendit non potuiſſe dari huiuſmodi voluntatem conditionatam, actum ſcilicet præſentem voluntatis circa obiectum ſub conditione ſumptū. Sed ſupponendum modo eſt, dari poſſe & ſolere huiuſmodi voluntatem conditionatam. Et in caſu noſtro rectè dici poteſt talē fuiſſe voluntatē Chriſti qua refugiebat mortem: ita nempe vt Chriſtus voluerit non mori, ſi ſua mors non eſſet expediens ad ſalutem generis humani. Non dico, ſi Pater non præcepiſſet: nam in hoc habuit potiùs Chriſtus talem voluntatem, quòd etiam ſi non fuiſſet ex præcepto obligatus voluiſſet mori pro hominum ſalute. Eam autem voluntatem conditionatam fuiſſe in Chriſto planè colligitur ex iiſdem verbis quibus ſub forma conditionali orauit, *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte:* oratio enim eſt expreſſiua & interpretatiua voluntatis, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 23. art.1. & 2. & infra q. 21. art.1. 3. & 4.

Quod ſi reſpiciamus ad alium actum diuinæ voluntatis, apparebit, affectum diſplicentiæ de morte in humana voluntate Chriſti, fuiſſe etiam diuinæ voluntati conformem, & quoad obiectum volitum, & quoad modum volendi. Quamuis enim Deus efficaciter voluerit Chriſtum mori, tamen ſimul habebat ſimplicem diſplicentiam de morte Chriſti, quatenus erat mala & incommoda vitæ & naturæ Chriſti innocentis. Eodemque modo Chriſtus efficaciter ſua voluntate humana conſenſit ſe offerre morti, ſed ſimul habuit diſplicentiam ſuæ mortis. Vnde patet, humanam Chriſti voluntatem abſolutè loquendo in omnibus fuiſſe diuinæ voluntati conformem. *Fuit item conformis quoad modum.*

Ex quo etiam patet, nec in ipſa humana voluntate Chriſti fuiſſe contrarietatem actuum; ſicut nec in voluntate diuina illi actus ſunt contrarij. Quamuis enim alius actus ſit velle mori, & alius habere diſplicentiam de morte; tamen hi actus reſpiciebant diuerſas rationes formales, licèt in eodem obiecto materiali: & non erant ambo efficaces, ſed vnus efficax & alter inefficax. Imò ipſa etiam humana voluntas Chriſti, cum abſolutè quidem vellet mortem, voluit quoque admittere in ſe illam diſplicentiam mortis; quare ex hac etiam parte talis diſplicentia mortis fuit quoque conformis huiuſmodi deliberationi voluntatis humanæ Chriſti; ſicut & erat conformis voluntati diuinæ. *Fuit quoque conformis ſibi ipſi.*

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Potentia Chriſti.

CONVENIENTI ordine poſt intellectum & voluntatem agendum eſt de potentia Chriſti. De qua S. Thomas per quatuor tractat articulos. Primò negat, animam Chriſti habuiſſe omnipotentiam ſimpliciter: quoniam, ſicut duæ naturæ humana & diuina, diſtinctæ permanſerunt in Chriſto, ita & proprietates earum permanſerunt inconfuſæ: ſed omnipotentia eſt proprietas diuinæ naturæ: ergo anima Chriſti per ſe non habuit omnipotentiam. Secundò negat etiam, animam Chriſti habuiſſe omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum: quia ſecundùm propriam naturam habuit potentiam ſolùm ad effectus ei proportionatos & conuenientes: ſecundùm quod vero anima Chriſti erat inſtrumentum Verbi diuini habuit ſpecialiter virtutem inſtrumentalem ad mutationes miraculoſas ordinabiles ad finé incarnationis, non tamen ad annichilationem creaturarum. Tertiò item negat habuiſſe omnipotentiam reſpectu proprij corporis: quia anima Chriſti ſecundùm ſuam naturam non poterat immutare ſuum corpus à naturali diſpoſitione: vt inſtrumétum autem Verbi, licet ſubditam ſibi haberet omnem diſpoſitionem ſui corporis, tamen virtus actionis non propriè tribuitur inſtrumento, ſed principali agenti. Quartò affirmat, Chriſtum habuiſſe quodammodo omnipotentiã ad exequendam ſuam voluntatem, id eſt potuiſſe facere quæcunque volebat: quia non volebat niſi quod poterat: & prout natura eius humana erat inſtrumentum Verbi, poterat facere ea quæ volebat fieri virtute diuina.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus habuerit potentiam faciendi omnia quæ voluit.

CVM potentia ordinetur ad exequendum quod voluntas diſponit, meritò primo loco poſt præcedentem tractatum de Chriſti voluntate, hunc præſentem de potentiã inchoamus ab hac colligatione potentiæ cum voluntate. Supponimus autem vt prorſus notum, Chriſtum habuiſſe ſuam humanam potentiam ab omnipotentia diuina diſtinctam, ſicut & de intellectu ac voluntate ſtatutum eſt.

Ratio difficultatis ex quibuſdam locis Euangelij, & Pontificis. Difficultas in præſenti quæſito oritur ex quibuſdam Euangelij locis. Matth. 26. Chriſtus cupiebat euadere mortẽ: ſed tamen dixit, *Si poſſibile eſt, ſi fieri poteſt*: vnde videtur, quod non poterat quæcunque volebat & cupiebat. Matth. 9., cùm illuminaſſet duos cæcos, præcepit illis dicens, *Videte ne quis ſciat*, quare cupiebat hoc factum manere occultum: ſed tamen *Illi exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa*. Et Marci 7., cùm quidam obtuliſſent ei quendam ſurdum & mutum, & ipſe eum ſanaſſet, *Præcepit illis ne cui dicerent, quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant*. Atque difficilius eſt quod ſupra in eodem capite habetur: *Abijt in fines Tyri & Sydonis, & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere*. Cuius loci difficultas augetur adhuc auctoritate Agathonis Papæ in epiſt. quæ habetur in Sext. Synodo act. 4. & approbata eſt actis, qui inde probat in Chriſto fuiſſe humanam voluntatem, dicens: *Ergone ille omnium conditor ac redemptor in terris latere volens non potuit, niſi hoc ad humanam eius voluntatem quam temporaliter dignatus eſt aſſumere referatur*.

Chriſtus non poterat facere omnia quæ Pro reſolutione, facilè admittunt Theologi, Chriſtum non potuiſſe efficere ſiue aſſequi omnia quæ voluit voluntate ſolùm ſimplici, ſeu ineffcaci.

Digitized by Google

voluntas affectu inefficacis.

Hoc enim ſaltem conuincitur teſtimonijs allegatis. Neque hæc eſt imperfectio quæ repugnet Chriſto Domino. Siquidem Chriſtus ſecundum humanã naturam & voluntatem non habuit omnipotentiam, quam tamen habebat vt Deus ſecundum diuinam naturam & voluntatem. Et per hoc quidem ſatisfieri poteſt priori loco Euangelij. Non tamen ſatisfieri videtur ad vltimum: quia cum dicatur Chriſtus voluiſſe latere & non potuiſſe, ſenſus eſſe videtur de voluntate abſoluta & efficaci, qua procul dubio latere, nec tamen potuerit: & Pontifex loco allegato inde probabat humanam voluntatem in Chriſto, quia id non poterat diuinæ voluntati competere: at etiam de voluntate diuina verificatur, velle quædam affectu ſimplici & inefficaci, quæ re ipſa non fiunt. Propterea Caietan. hac quæſt. art. 4. docet, potuiſſe quidem Chriſtum facere omnia quæ voluit per ſe ipſum facere, non tamen omnia quæ voluit per alios fieri, etiam ſi efficaciter voluerit. Farnon S. Thom. eod. art. in 2. reſponſ. ad 1. argumentum. Sequitur Vazq. diſp. 58. Et probabile reputat Medina eod. art. 4. ſed probabiliorem cenſet oppoſitam. Quam abſolute tradit Suarez diſp. 38. ſect. 5.

Poterat omnia quæ volebat affectu efficaci ſimpliciter.

Et quidem ſine dubio affirmandum eſt, Chriſtum potuiſſe ſiue per ſe ſiue per alios efficere & conſequi ac de facto effeciſſe, & aſſequutum fuiſſe vniuerſa quæ abſolute & efficaciter fieri voluit. Probatur manifeſte. Tum quia, vt in præced. ſect. vlt. dicebamus, humana voluntas Chriſti in ſuis actibus efficacibus nunquam fuit diſconformis, ſed ſemper conformis voluntati diuinæ efficaci circa obiectum volitum: ſed certè quicquid Deus efficaciter vult, id ſine dubio fit: ergo quicquid Chriſtus voluntate humana efficaciter fieri voluit, non ſolum potuit ab eo fieri, ſed & re ipſa factum eſt. Tum etiam Chriſtus optimè cognoſcebat, quantumnam ſua potentia ſe extendebat, & omnia quæ facere poterat: quare imprudenter voluiſſet efficaciter conſequi ea, quæ cognoſcebat ſe conſequi nõ poſſe. Imò non poſſunt homines habere deliberationem efficacem conſequendi aliquem finem, niſi cognoſcant media apta, quibus putent ſe conſequi poſſe finem: quamuis interdum decipiantur, putantes apta eſſe ea media, quæ reuera non ſunt talia: ſed Chriſtus non potuit hoc modo decipi: ergo non potuit efficaciter velle aliquid quod non poterat conſequi. Tum præterea, ſi Chriſtus omnino efficaciter aliquid volebat, vti poterat, ac ſtante ea voluntate, vti debebat, non ſolùm poteſtate naturali, ſed etiam ſupernaturali, quam habebat ad miracula facienda, qua conſequi potuiſſet ea quæ poteſtate naturali non poterat: ſed certe in illo ipſo caſu Euangelij Chriſtus non adhibuit poteſtatem ſupernaturalem, ſicut potuiſſet, & ſicut alias ad latendum adhibuit: ergo non habuit voluntatem omnino efficacem latendi. Tum demũ accedit ex preſſum teſtimonium D. Auguſt. in lib. Quæſtionum ex nouo teſtamento q. 77. vbi inquit: *Impoſſibile prorſus eſt, vt Saluatoris voluntas non impleatur, nec poteſt velle quod ſcit fieri non debere.*

Concedendum tamen eſt, Chriſtum non potuiſſe ea omnia quæ voluit voluntate tali, quæ moueret ad applicationem aliquorum mediorum. Quam proinde voluntatem ſi ex hoc placeat appellare, aliquo modo & ſecundum quid efficacem, verum eſt Chriſtum non potuiſſe ea omnia quæ aliquatenus efficaciter voluit. At hoc modo non ſolum in eo caſu quo voluit latere & non potuit, ſed & cum in horto habuit aliquam diſplicentiam mortis, talem habebat quæ moueret ad applicationem alicuius medij, nempe orationis ad Patrem; *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte*. Imo & Deus ipſe taliter vult aliquando finem, vt applicet quædam media ad conſecutionē talis finis: vt potè vult omnes homines ſaluos fieri, & ad hunc finem omnibus tribuit auxilia ſufficientia, nec tamen omnes ſaluantur. Vnde manifeſtum eſt, hanc voluntatem non eſſe omnino efficacem, quamuis moueat ad applicanda aliqua media. Hoc tamen plus admitti poteſt in humana voluntate Chriſti, quod poterat eſſe talis, vt moueret

Nõ omnia quæ volebat affectu efficaci ſecundum quid.

ueret

ueret ad applicanda omnia media quæ ſubdebantur naturali poteſtati eius, & adhuc non conſequeretur quod intendebat. In quo ſatis differt à voluntate diuina, vt patet, etiam ſiſtendo intra terminos voluntatis, quæ non eſſet omnino & totaliter efficax.

Explicatur textus Euangelij.

Cæterùm, ad eum locum Euangelij reſpõderi poteſt primo cum D. Auguſt. loco allegato, vbi ſic ait: *Chriſtus noluit ſe prodi quòd eſſet in domo, requiri autem ſe non noluit* (ſic enim legendum eſt, non vero *non voluit*) *ſed libenter accepit*. Et ità S. Auguſt. eo loco declarat factum eſſe id quod abſolute Chriſtus voluit: voluit enim ſe non prodi à diſcipulis, voluit autem ſe a ciuibus requiri, & ab ijs inueniri: & ita quidem factum eſt. Neque bene Vaſqu. diſp. cit. num. 11. hanc vocat ineptam expoſitionem: quæ non ad idem referat voluntatem & poteſtatem Chriſti, & non faciat hunc ſenſum,vt non factum ſit, nec fieri potuerit, illud ipſum quod Chriſtus fieri volebat, ſed ineptum reddat dictum Euangeliſtæ. Hæc inquam expoſitio quam ipſe ineptam vocat, planè eſt D. Auguſtini: & ita refertur, atque approbatur a D. Thoma art. 4. ad 1. Neque ſanè ineptum eſt, non ad idem referre in illis verbis Euãgeliſtæ voluntatem & poteſtatem Chriſti, ſed referre ad ea quæ ſunt inter ſe coniuncta & connexa. Satiſquè aptè ab Euangeliſta dici potuit, Chriſtus noluit ſe a ſuis diſcipulis tunc manifeſtari, & tamen hac adhibita diligentia non potuit latere, quin ab alijs requireretur & inueniretur.

Secundò, admittendo quòd Chriſtus volebat apud omnes latere: id intelligendum eſt de voluntate ac deſiderio ſimpliciter quidem inefficaci, ſecũdùm quid verò efficaci. Sic inquam efficaci: non ſolùm quia mouebat ad aliquam mediorum applicationem,ſed quia mouebat ad applicanda omnia media,quæ naturaliter ac humano modo poterant adhiberi, ſtante illo aduentu Chriſti cũ ſuis circunſtantijs. Per hoc enim aptè dici potuit, Chriſtum voluiſſe ac procuraſſe latere, & non potuiſſe. Et quidem quòd Chriſtus ſic vellet aliquid & non poſſet aſſequi,faciliùs contingere poterat quoad eos effectus qui humano modo nõn à ſolo Chriſto, ſed etiam ab alijs dependebant. Et ſic explicari debet S. Thomas. Nec etiam videtur Caietanus plus intendiſſe: qui apertè ait, Chriſtum efficaciter quidem voluiſſe latere, ſed loquendo tantùm virtute naturali: quod eſt dicere, voluiſſe applicare ea tantùm media quæ naturali virtute poterat: ſeu voluiſſe effectum latendi, tanta ſolùm efficacia quæ moueret ad applicationem mediorum naturali virtute poſſibilium adhiberi.

Explicatur teſtimoniũ Pontificis.

Tertio, eodem pacto poteſt ad auctoritatem Pontificis ſatisfieri. Siquidem bene adhuc ſaluatur diſcrimen humanæ voluntatis à diuina; cùm certè diuina voluntas ſi talis ſit vt applicet media omnia quæ ſub eius proportionata virtute ſubſtant, omnino conſequatur effectum: quare illa voluntas quæ adhibendo omnia media ſubdita eius naturali & proportionatæ virtuti, non poterat conſequi effectũ, planè erat diuerſa ac inferior à diuina: & hæc erat voluntas humana quam oportebat diſtinguere à diuina.

Quarto vlteriùs, etiam ſi in Chriſto fuiſſet tenuiſſima ſolùm latendi voluntas quæ nihil operaretur, adhuc locũ habebat ratio Pontificis iuxta verba Euangelij. De hac enim voluntate dicitur, quòd voluit & non potuit, At certè quando diuina voluntas vult aliquid affectu ſimplici & inefficaci, actu quidem id non faciet, ſed neutiquam dicetur non poſſe id facere. Quare ex hoc rectè concludebatur, illam voluntatem in Chriſto fuiſſe humanam, & non fuiſſe diuinam: quod erat Pontificis argumentum. Et habetur etiam ex Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 13. dicente: *Factum eſt, vt cùm ſui conſpectum ſubducere vellet, per ſe id non potuerit, vt perſpicuum fieret in eo eſſe humanæ voluntatis imbecillitatem.*

SECTIO SECVNDA.

An & quomodo Chriſtus habuerit potentiam, non ſolùm ad opera naturalia, ſed etiam ſupernaturalia & miraculoſa.

IN primis dubitari non poteſt, Chriſtum habuiſſe potentiam naturalem ad ea opera facienda quæ naturaliter alij homines facere poſſunt: habuiſſeque magis exquiſitam, nempe iuxta excellentiam ſuæ diſpoſitionis corporeæ, habuit enim Chriſtus optimum corporis temperamentum.

Chriſtus faciebat miracula & opera ſupernaturalia.

Secundo. Chriſtum verè feciſſe opera ſupernaturalia & miraculoſa, atque adeo habuiſſe potentiam ea faciendi, tam certum eſt, quàm firma eſt veritas euangelica noſtræ fidei. Euangeliſtæ enim teſtantur, Chriſtum miraculosè reſtituiſſe ſanitatem infirmis, vitam mortuis. Item teſtantur, remiſiſſe peccata, inſtituiſſe ſacramenta: quæ ſunt opera ſupernaturalia. Atteſtantur etiā ſuis diſcipulis contuliſſe poteſtatem faciendi miracula, remittendi peccata, conficiendi ſacramenta.

Faciebat virtute diuina.

Tertiò. Quoniam Iudæi calumniabantur, Chriſtum habuiſſe vim quādā admirabilia faciendi virtute Dæmonis: ideo ipſe Chriſtus Matth. 12. eorum perfidiam redarguit, cùm eijciens Dæmonium oſtendit, ſe id non feciſſe virtute Dæmonis, *Quia omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*. Et ſanctitas Chriſti, ac etiam qualitas ipſa operum quæ virtute Dæmonis fieri non potuiſſent, perſpicuè demonſtrabant veritatem eorum miraculorum. Stultè etiam non minùs quàm impiè dixerunt aliqui, vt refert Medina lib. 2. de Recta in Deum fide, Chriſtum habuiſſe vim efficiendi opera illa mirabilia, virtute temperamenti naturalis ſui corporis, aut facultate ſuæ imaginationis. Quem errorem idem Auctor copiosè refellit. Eiuſquè falſitas ſatis ſe prodit: quia planè nullum temperamentum quantumuis exquiſitiſſimum, nulla imaginationis vis quantumuis valida, ſe extendere poteſt ad opera tam ſublimia, ad reddendam vitam mortuis, lumen cæcis, & ſimilia facienda.

Non ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis.

Quarto. Riccard. in 3. d. 14. art. 5. q. 2. dixit, humanitatem Chriſti ipſamet vnione ad Verbum redditam fuiſſe potentem ad ſic operandum: aut ſi nō per ipſam vnionem præciſe potuit omnia adæquate perficere, ſaltem fuiſſe magis potentem per ipſam vnionem, quam ſine ea fuiſſet. Sed verum eſt, quod alij Theologi communiter docēt, vnionem per ſe præciſe & formaliter non contuliſſe humanitati Chriſti virtutem operandi: ipſa enim formaliter valebat tantùm ad terminandam naturam loco ſubſiſtentiæ creatæ, per quam quidem ſubſiſtentiam non habet natura vim operandi, ſed habet per ſe ex ſua eſſentia. Neque refert quod Riccard. opponit: quia res quo perfectiori exiſtentia pollet, eo etiam perfectiori potentia. Etenim humanitas Chriſti non exiſtebat formaliter per exiſtentiam Verbi, ſed per ſuam creatam, vt poſtea videbimus. Et non per ipſam ſubſiſtentiam, ſiue per exiſtentiā vt ab eſſentia diſtinguatur, menſuratur perfectio potentiæ, ſed per conditionē ipſius naturæ. Ad ſummum diuina ſubſiſtentia & vnio hypoſtatica cum illa valebat ad hoc, vt ratione dignitatis deberetur humanitati Chriſti alia poteſtas ad facienda opera ſupernaturalia: & ita non niſi remotè & radicaliter dici poteſt ratione vnionis humanitas Chriſti habuiſſe virtutem faciendi miracula.

Sed ex poteſtate illi diuinitùs tradita.

Quintò itaque ſtatuendum eſt, ſupernaturali Dei beneficio communicatam fuiſſe humanitati Chriſti hanc poteſtatem: non ſolùm quia ita conueniens erat ad excellentiam & dignitatem Chriſti: ſed etiam ad finem & intentū incarnationis, ſcilicet ad exercendum munus redemptoris, ad perſuadendam & confirmandam fidem, ad vtilitatem denique & ſalutem noſtram, atque ad gloriam ipſius Dei.

Poterat facere omnia quæ ad noſtram ſalutem iuuabant.

Sextò tandem, ſi quæratur ad quæ opera ſe extenderet hæc potentia Chriſti; non oportet quidem dicere, Chriſtum potuiſſe omnia quę Deus ipſe poterat: neque enim hæc poteſtas

Chriſti

Chriſti erat æqualis omnipotentiæ Dei: neque Chriſtus poterat creare, annihilare, Dæmones ſaluare, & ſimilia. Sed S. Thomas in 3. d. 14. q. 1. art. 4. dicebat, Chriſtum habuiſſe omnem poteſtatem quæ alijs creaturis communicata eſt, adeo vt natura elemẽtaris ignis magis obediret Chriſto quàm actiuis qualitatibus, & magis potuiſſet ipſe Chriſtus mouere cælum quàm Angeli. Certius tamen eſt quod docet hoc loco art. 2., Chriſtum habuiſſe potentiam faciendi omnia quæ ad finem incarnationis conducere poterant, quæ ad noſtram ſalutem apta erant iuuare.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Chriſtus habuerit potentiam phyſicè effectiuam, vel tantùm moraliter operatiuam dictorum operum.

Potentia phyſicè effectiua vocatur illa quæ realiter producit effectũ, vel principaliter vt calor producit calorem, vel inſtrumentaliter vt idem calor producit formam ignis. Moraliter verò cauſatiua hic intelligitur illa qua quis rogãdo & intercedẽdo alionè ſimili modo impetrat & obtinet ab alio vt faciat opus. Et de operibus quidem naturalibus per ſe conſtat, Chriſtum habuiſſe potentiam effectiuam eorum, eo modo quo alij homines habent. Sed difficultas grauis eſt de operibus ſupernaturalibus & miraculoſis.

Sententia affirmans Chriſtum habuiſſe potentiã phyſicè effectiuam miraculorum.

Plerique Theologi affirmant, humanitatem Chriſti habuiſſe potentiam phyſice & realiter operatiuam huiuſmodi effectuum, non quidem per modum cauſæ principalis, ſed per modum cauſæ inſtrumentalis. Ita ſentiunt Caietan. Medina Puteanus art. 2., Valent. q. 13 puncto 2., Suarez diſp. 31. ſect. 3., Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 7., Bonacina diſp. 2. q 9. puncto 3., Abra diſp. 2. cap. 2. quæſt. de Chriſti poteſtate.

Refertur pro hac parte S. Thomas pluribus in locis: ſed præſertim hic art. 2., vbi concedit, humanitatem Chriſti habuiſſe potentiam ad alias immutationes creaturarum, ſed non ad alia quædam opera, vt ad creationem & annihilationem: ſed certe potentia moralis non admittit hanc limitationẽ: ergo S. Doctor videtur loquutus de potentia phyſica. Non conueniunt autem inter ſe Auctores huius ſententiæ in aſſignando modo huius phyſicæ cauſalitatis. Quidam enim volunt, inditam fuiſſe à Deo humanitati Chriſti qualitatem realem ſupernaturalem permanentem, quæ propriè eſſet effectiua talium operum. Alij dixerunt, conſueuiſſe Deum imprimere humanitati Chriſti pro ſingulis occaſionibus motum quendam tranſeuntem, quo eleuata humanitas tanquam inſtrumentum Dei talia opera efficeret. Suarez demum cogitauit in ipſa humanitate Chriſti, ſicut & in omni alia natura creata potentiam obedientialem, indiſtinctam ab eius ſubſtantia, quæ poſſit eleuari à Deo vt inſtrumentum ad phyſice producendum quemcũque effectum miraculoſum ac ſupernaturalem.

Sententia aſſerens habuiſſe tantùm moraliter operatiuã.

Oppoſita ſententia eſt Alenſis 3. par. q. 13. memb. 3. art. 3., Altiſiod. 3. par. tract. 1. cap. 4. q. 2., Bonau. in 3. d. 13. art. 1. q. 3., Durandi q. 5., Scoti in 4. d. 1. q. 1. & 4. & 5, Vaſq. diſp. 52. cap. 5., Raguſæ diſp. 106. & 107., Becani de Incarnat. cap. 10., & aliorum, quæ aſſerit, humanitatem Chriſti non habuiſſe potentiam & virtutem phyſicam ad efficienda miracula, ſed tantùm fuiſſe inſtrumentum morale, & habuiſſe poteſtatem moralem. Huius ſententiæ videtur etiam fuiſſe S. Thomas in 3. d. 16. q. 1. art. 3., vbi ait, humanitatem Chriſti non niſi per modum orationis & interceſſionis feciſſe miracula. Quamuis Caiet. hic art. 2. dicat, vel hoc loco S. Thomam mutaſſe ſententiam, vel ibi etiam intellexiſſe phyſicam cauſalitatem. Sed fauet etiam S. Doctor 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. dicens, non poſſe vllam qualitatem habitualem in homine reperiri, quæ ſit principium operandi miracula: ſed mentem eius qui miracula facit moueri ad faciendum aliquid ad quod ſequitur effectus miraculi, quod quidem Deus ſua virtute facit: illud verò eſſe, vel orationem, vel quid ſimile; & ſic Deum vti inſtrumen-

Digitized by Google

mentaliter, vel interiori motu hominis, hoc eſt oratione, vel exteriori, vt contactu aliquo, ad miraculum perficiendum. Et hac etiam 3. par. intra q. 21. art. 1. ait, Chriſtum oraſſe, quia voluntas eius humana non erat per ſe ipſam efficax implendi quæ vellet niſi per virtutem diuinam. Vnde hic etiam intelligi poteſt Sanctus Doctor de inſtrumento non phyſice & directe productiuo, ſed moraliter & eo modo quo intra dicemus. Quo quidem modo non eſt inſtrumentum ad creandum & annihilandum, quia non eſt ad hunc effectum conſtituta a Deo, ſicut ad alias mutationes faciendas.

Non habebat humanitas Chriſti potentiã phyſicè effectiuam miraculorum.

Pro reſolutione huius rei eſt generalis quæſtio de poſſibili, an Deus poſſit aſſumere & eleuare quamcunque rem creatam ad faciendum quemcunque effectum miraculoſum & ſupernaturalem: quæ proinde non eſt, hoc loco diſputanda, ſed ſpectat ad primam partem, vbi iam ſatis eam pro parte negatiua expediuimus. Et rurſus de facto in hac particulari quæſtione de humanitate Chriſti, putandum non eſt, habuiſſe potentiam phyſicè operatiuam miraculorum & ſupernaturalium effectuum.

Probari poteſt primò ex doctrina S. Thomæ 1. par. q. 41. art. 1. dicentis, inſtrumentum non cauſare, niſi inquãtum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis, vnde deducit nullum poſſe eſſe inſtrumentum creationis: ſed ſic eſt quod humanitas Chriſti non poterat per aliquid ſibi proprium operari certa actione diſpoſitiua per ſe ordinata ad miraculum faciendum: ergo non poterat per modum cauſæ phyſicæ operari miracula. Poterat quidem exercere aliquas præuias actiones ad miracula facienda, vtpote loqui, tangere, & ſimile: ſed hæ actiones non erant per ſe ordinatæ ac proportionatæ ad faciẽda miracula, vt per ſe patet: ergo ſi humanitas Chriſti per has præuias actiones poterat miracula efficere, potuiſſet etiam ſine ijs. Ex quo ſequitur, quod potuiſſet etiam aſſumi vt inſtrumentum ad creandum. Interdum quoque miracula facta ſunt per ſolum actũ interiorem, vel per actum circa aliud ſubiectum, & non circa illud in quo erat faciendum miraculum: ergo pariter ſi hoc ſufficit, poſſet aliqua cauſa creata eſſe inſtrumentum creationis, quia licet non poſſit exercere præuium actum circa ſubiectum creationis, ſiquidem creatio non ſupponit præuium ſubiectum, tamen poteſt habere aliquẽ actum in ſe ipſa, vel in alio diſtincto ſubiecto. Propter quæ Suarez diſp. citata ſect. 8. fatetur, non ſubeſſe efficacẽ rationem, nec apparere ſufficientem implicantiam, quare humanitas Chriſti non poſſit eſſe inſtrumentum creationis. Itaque ex doctrina D. Thomæ & ſententia Thomiſtarum, negante inſtrumentum creationis, negari etiam debet virtus inſtrumentalis phyſica ad faciendam alia opera ſupernaturalia & miraculoſa.

Sine operando in abſentia ſine in præſentia.

Secundo. Plurimi ſunt qui opinantur, non poſſe cauſam vllam operari in ſubiecto diſtanti abſque eo quod operetur in medio: ſed Chriſtus multa miracula operatus eſt in loco diſtanti non diffundendo actionem per medium; vtpote dum remittendo peccata contulit gratiam, dum animam Lazari reuocauit ab inferis, dum dicens Regulo, *Filius tuus viuit* puerũ ſanauit. Ioann. 4. Non ergo humanitas Chriſti fuit cauſa phyſica horum miraculorum. Et fictitium eſt quod dicunt aliqui, delatam fuiſſe vocem Chriſti per miraculum in loca diſtantia, vel effuſam ab eo fuiſſe qualitatem quandam per totum medium. Suarez vero ſect. 6. inquit, humanitatem Chriſti effeciſſe miracula in loco diſtanti, quia Deus agens principale aderat in eo loco præſens. Sed certè quando ad aliquam operationem duæ cauſæ ſubordinatæ concurrunt, vna principalis, & altera inſtrumentalis, magis oportet vt cauſa inſtrumentalis ſit præſens, & non cauſa principalis, vt patet in alijs rebus & operationibus. Et præterea iuxta illam ſententiam nec Deus ipſe poſſet per ſe operari vbi non eſſet præſens: ergo nec poteſt ad operandum aſſumere aliquod inſtrumentum, vbi non adeſt præſens ipſum inſtrumentum. Alij ergo tandem fatentur, humanitatem Chriſti non

fuiſſe

fuiſſe cauſam phyſicam horum miraculorum, ſed tantum moralem. At hinc idem deduci debet de omnibus alijs miraculis, etiam inquam ijs quæ Chriſtus faciebat vbi erat præſens: quia nulla iam ratio coget dicere, fuiſſe cauſam phyſicam aliquorum, ſi quidem eodem vniformi modo dicitur Chriſtus feciſſe miracula.

Siue pro tempore præſenti, ſiue pro præterito aut futuro.

Tertiò vlterius. Eo modo quo Chriſtus per verba & actiones quaſdam dicitur feciſſe miracula dum viuebat, dicitur quoque apud S. Thomam per paſſiones & actiones præteritas modò cauſare effectus ſpirituales gratiæ. Sic S. Doctor infra q. 48. art. 6. ait, omnes actiones & paſſiones Chriſti inſtrumentaliter operari ex virtute diuinitatis ad ſalutem humanam, & ſecundùm hoc paſſionem Chriſti efficienter cauſare ſalutem noſtram. Et q. 56. art. 1. ait, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam effectiuam reſurrectionis noſtræ: & alijs in locis ſimilia habet. Sed certè ea quę non actu exiſtunt, nullatenus poſſunt per ſe phyſicè cauſare & producere effectum: ergo nec etiam dum Chriſtus viuebat, operabatur per actiones ſuas miracula tanquam cauſa phyſica. Ad hoc Capreol. in 3. d. 14. q. 1. & in 4. d. 13. q. 1. art. 3. ad argum. Durandi cont. 1. concl. ſecundo modo intellectum, & Sotus in 4. d. 1. q. 2. art. 3. & q. 5. art. 4., volunt actiones & paſſiones Chriſti omni tempore operari phyſicè producendo ſupernaturales effectus, ac etiam idem præſtitiſſe tempore priori antequam eſſent: idque fere ſuadere conatur Medina hîc art. 2., licèt non omnino approbet. Aliqui verò Recentiores Thomiſtæ dicunt, actiones & paſſiones Chriſti potuiſſe phyſicè operari ſolùm tempore quo fuerunt, & tempore ſequenti, non autem antecedenti. Sed certe iuxta veram Phyloſophiam ſatis conſtat, non poſſe cauſã operari quando non eſt, nec inquam tempore ſequenti poſtquam fuit, nec tempore priori antequam eſſet; ſicut nunquam quando nullo tempore exiſtit: loquendo ſcilicet de modo operandi per ſe & immediatè, prout conuenit inſtrumento. Quod quidem vel ipſo rationis lumine tam perſpicuum apparet, vt oppoſitum nullatenus poſſit intelligi: & tamen in hac re abſque vlla rationis neceſſitate vel fundamento ab ijs Thomiſtis inducitur. Ideo Suarez ſect. 7., cùm doceat, actiones Chriſti non potuiſſe realiter operari niſi quando actualiter extabant, explicat S. Thomam in illis locis loquutum fuiſſe per accomodationem: hoc eſt, quod humanitas Chriſti quæ ſubijciebatur illis paſſionibus & actionibus ſit illa quæ realiter & phyſicè operatur. Sed S. Doctor aliquid aliud voluiſſe potiùs videtur, vt infra adducemus.

Quartò tandem, cùm non occurrat validum argumentum ad probandum quòd humanitas Chriſti fuerit cauſa phyſica effectiua miraculorum, eo modo quo Auctores prioris ſententiæ intelligebant, non eſt id de facto aſſerendum. Aſſumptum verò, ex ipſorum argumentorum ſolutione infra conſtabit.

Habebat vim moralem, non ſolùm impetrando, ſed etiam imperando

Itaque concludendum eſt, humanitatem Chriſti eo modo ſolùm habuiſſe poteſtatem & vim ad opera ſupernaturalia & miraculoſa facienda, ac re ipſa illa feciſſe, quia habebat virtutem & valorem impetrandi & obtinẽdi à Deo, vt diuina poteſtate miracula faceret. Item quia Deus ipſe conſtituerat humanitatem Chriſti cum tali promiſſione & pacto, vt ad nutum voluntatis eius, ſiue poſita aliqua eius actione efficeret miraculum & opus ſupernaturale, ad idque ſe inuiolabiliter obligauerat ſua met promiſſione facta Chriſto vt homini, ſiue erga humanam voluntatem Chriſti. Quare hoc pacto humanitas Chriſti erat miraculorum cauſa, non ſolùm per modum meriti, ſed quia ſic erat conſtituta à Deo, vt ſtante nutu voluntatis eius, vel aliqua actione ad talem finem ordinata fieret miraculum. Et hoc videntur intelligere quidam Theologi, dicentes, humanitatem Chriſti habuiſſe vim deferendi ſeu intimandi diuinum imperium omni creaturæ circa quam faciendum erat miraculum: quia nempe humanitas Chriſti applicabat talem ſuam actionẽ, ad quam ex imperio diuinæ voluntatis ſequuturum erat miraculum.

[illegible] dici po-

Quare ſic humanitas Chriſti poteſt

Digitized by Google

[...]eſt cauſa effectiua.

interceſſionem, ſiue per quamcunque ſuam actionem, & per nutum ſuæ voluntatis, erat cauſa moralis miraculorũ & operum ſupernaturalium. Sed optime etiam dici poterit effeciſſe miracula, concurriſſe effectiue ad facienda miracula: ea enim cauſalitas, quam adhibebat, reducitur & ſpectat ad genus cauſæ effectiuæ: atque hoc nomen effectionis & cauſæ effectiuæ, non ſolum complectitur cauſalitatem & cauſam phyſicam, ſed extenditur etiam ad moralem. Item dicetur effeciſſe miracula, tanquam inſtrumentum eleuatum à Deo: quia nempe non ex ſua natura habebat talem vim & ordinem ad miracula facienda, ſed ſic fuerat conſtituta à Deo ad illos effectus qui erant ſupra naturam illius. Poteratque eadem actio humanitatis Chriſti quæ, ob ſuam bonitatem & dignitatem erat meritoria, ſimul eſſe deſignata à Deo tanquam conditio ad opus ſupernaturale perficiendum. Sic S. Thom. q. 48. art. 6. ad 3. inquit, paſſionem Chriſti, comparatam ad diuinitatem agere per modum efficientiæ, ad voluntatem animæ Chriſti per modum meriti, & ad carnem Chriſti per modum ſatisfactionis. Sed poterat quoque actio non meritoria eſſe deſignata à Deo ad effectum ſupernaturalem. Sic idem S. Tho. q. 56. art. 5. ad 4. inquit, paſſionem & reſurrectionem Chriſti fuiſſe effectiuã, ſed ſolam paſſionem fuiſſe meritoriam. Et tunc quando mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur, tetigit veſtimenta Chriſti & ſanata eſt, ille tactus erat deſignatus à Deo vt conditio ad quam miraculum ſequeretur. Idemque cenſendum eſt de ſimilibus actibus, non ſolum ſub ratione meriti, ſed ſub ratione talis conditionis. Atque hoc pacto actio Chriſti bene dici poteſt, quod erat cauſa effectus ſupernaturalis, non ſolum quando actu extabat, ſed etiam quando non ampliùs extabat, nimirum inquantum optime poterat ſic eſſe cõſtituta & deſignata a Deo, vt poſita & adimpleta tali conditione, alio tempore perficeretur effectus. Et pariter in diuina præuiſione poterat ſic eſſe deſignata, vt ſtante quod erat futura & ſic præuidebatur, adimpleretur effectus etiam tempore antecedenti.

Hæc cauſalitas reducitur ad genus efficientis.

Ac tandem, ſi ob hanc cauſalitatem per modum conditionis conſtitutæ à Deo ad talem effectum, placeat humanitatem Chriſti eiuſque actiones appellare inſtrumentum phyſicum ad facienda miracula, nolumus contendere & contradicere de nomine. Poteritq; appellari cauſa efficiens indirecte ſiue per aſſiſtentiam, ad differentiam eius cauſæ efficientis a qua directe & per ſe egreditur actio & effectus: cauſa enim indirecte concurrens eſt, quæ ita ſe habet, vt non ab illa quidem exerceatur & exeat actio, tamen ad eius præſentiam producatur effectus à ſuo directo agente. Et huiuſmodi cauſæ indirecte concurrentis meminimus ſuo loco Philoſophiæ intra genus cauſæ effectiuæ & inter varios modos cauſalitatis effectiuæ. Sed quia humanitas Chriſti non habebat ex rerum natura hunc ordinem exiſtentiæ & cauſalitatis ad miracula, ſed tantùm ex voluntate & promiſſione diuina, hinc appellatur cauſa moralis, vt diſcernatur ab illis cauſis effectiuis quæ ex natura rei habent illum ordinem aſſiſtentiæ ad cauſandum effectum, vt in nobis ex impulſu cognitionis in intellectu & in ſenſu exercentur & eliciuntur actus à potentia appetitiua & motiua, & ſic in alijs ſimilibus.

Quædam Euangelij loca explicantur.

Sed in contrarium ad probandum quod humanitas Chriſti eſſet cauſa phyſica miraculorum eo modo quo dicebant Auctores prioris ſententiæ, Obijciebant primo quædam Euangelij verba, Lucæ 6. *Virtus de illo exibat & ſanabat omnes*; & Lucæ 8. *Ego noui virtutem de me exiſſe*. Vel ergo in ipſa humanitate erat virtus & poteſtas operatiua miraculorum. Vel ſi nomine virtutis intelligatur ipſum opus miraculoſum, vere efficiebatur ab humanitate ſecundum proprietatem eorum verborum. Item Ioannis 1. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: ergo ſimiliter humanitas Chriſti erat cauſa effectiua gratiæ & huiuſmodi ſupernaturalium effectuum.

Reſpondetur, hæc loca poſſe intelligi de Chriſto ſecundum naturam & potentiam diuinam. Sed etiam quoad huma-

Digitized by Google

humanam naturam, erat in humanitate Chriſti virtus ad facienda miracula, quæ tamen alia non erat quàm potentia humanitatis Chriſti ad faciendas eas actiones, ad quarum exercitium & exhibitionem conſtituerat Deus patrare miracula. Et hoc modo huiuſmodi opera exibant ab humanitate Chriſti, & effectus ſupernaturales gratiæ efficiebantur per humanitatem Chriſti.

Alia loca.

Obijciunt ſecundo. Chriſtus interdum fecit miracula iubendo & imperando: vt Matth. 8. *Imperauit ventis & mari & facta eſt tranquillitas magna:* & ſupra in eodem capite imperando dixit ad leproſum, *Volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra eius:* & Ioan. 11. *Lazare veni foras:* & ſic in alijs caſibus. Qui modus operãdi indicat phyſicam cauſalitatem. Operari enim moraliter, eſt impetrare orando & intercedendo: ergo Chriſtus plus quàm per modum cauſæ moralis operabatur miraculum, nempe per modum cauſæ phyſicæ.

Reſpondetur, illum modum loquendi & imperandi non denotare cauſalitatem phyſicam per directam efficientiam, ſed ſolum talem cauſalitatem, qua Deus conſtituerat & promiſerat, ad imperium & actum voluntatis Chriſti facere miraculum. Quare humanitas Chriſti non eo ſolum morali modo erat miraculorum cauſa, qui conſiſtit in oratione & impetratione: ſed hoc etiam alio modo qui conſiſtebat in firma promiſſione & conſtitutione diuina, vt etiam ad alias Chriſti actiones & ad verbum imperij eius perficerentur miracula.

Explicatur modus loquendi Concilior. & Patrum

Obijciunt tertiò. Concil. Epheſin. eam, inquit, carnem Chriſti fuiſſe viuificatricem, hoc eſt factricem vitæ: & in Sexta Synodo in Epiſt. Sophronij dictum eſt, Verbum per carnem effeciſſe opera quæ erant indicia diuinitatis. Eodemque modo loquuti ſunt & alij Patres. Qui loquendi modus indicat phyſicam efficientiam.

Reſpondetur tamen, huic loquendi modo optime ſatisfieri per eam cauſalitatem quam explicauimus: nec plus eſſe neceſſarium. Et ita etiam D. Gregor. lib. 2. Dialogor. cap. 30. dixit, Sanctos duplici modo facere miracula, vel impetratione orando, vel poteſtate, imperando. Quod vtique non eſt ita intelligendum, quod aliquando faciant miracula per modum cauſæ moralis, & aliquando per modum cauſæ phyſicæ: ſed ita quod interdum Deus facit miraculum ad interceſſionem & orationẽ alicuius Sancti, interdum verò ad imperium & iuſſionem Sancti erga creaturas in quibus faciẽda ſunt miracula.

Et hinc tandem confirmari poteſt præſens doctrina, & ſolutio ad hæc argumenta de miraculis Chriſti: quia ſimiles loquendi modi apud Scripturam & Patres vſurpantur de miraculis aliorum Sanctorum, de quibus putandum non eſt, habuiſſe vim & actiuitatem phyſicam ad facienda miracula. Sic inquam dicuntur Sancti habuiſſe virtutem & poteſtatem faciendi miracula, ad quod ſpectat gratia ſanitatum & operatio virtutum. Et quando Ioſue cap. 10. per verba imperij, *Sol ne mouearis,* perfecit tàm grande miraculum, non vtique per modum agentis & inſtrumenti phyſicè detinuit Solem, aut immiſit impulſum aliquem in cælum, impeditiuum motus, ſed quia Deus ipſe cohibuit illum motum, vt indicat eadem Scriptura ſubiungens, *Obediente Deo voci hominis.* Et ſimiliter nunc putandum non eſt, corpora & reliquias Sanctorum, vel animas eorum exiſtentes in cœlo, per cauſalitatem phyſicam efficere illa opera & miracula, quæ ex reliquiarum contactu & interceſſione animarum ſanctarum contingunt: ſed ſolum Deum immediatè poſito contactu reliquiarum & intuitu interceſſionis Sanctorum operari miracula. Atque pari modo per verba imperij Chriſtus fecit miracula in locis etiam diſtantibus, & paſſio Chriſti dicitur efficere noſtram ſalutem: quare ſicut hic loquendi modus in his exemplis indicat cauſalitatem moralem, pariter in omnibus alijs miraculis & effectibus ſupernaturalibus denotabit, abſque alia propria phyſica cauſalitate.

Digitized by Google

rem, refert Nicephorus. Sed tamen potiùs ex ignorantia quàm ex prauitate erraſſe creditur, & excuſatione dignus cenſetur: cùm alioqui vt pius & catholicus commendetur. Eidem errori videtur fauiſſe Hilarius in Pſal. 68. & 138. & lib. 10. de Trinit. Quem tamen aliqui piè excuſant, aliqui errorem retractaſſe demonſtrant, vt late Vaſq. diſp. 59. cap. 1. Refert etiam Beda lib. 2. in Marcum cap. 28., Theodorum quendam dixiſſe, corpus Chriſti non fuiſſe graue ſicut noſtrum, cùm ſteterit ſuper aquas, & ita videatur habuiſſe dotem agilitatis, ſicut & videtur habuiſſe dotẽ ſubtilitatis, cùm egreſſus fuerit ex vtero matris illæſa eius integritate. Et dotem claritatis cum qua apparuit in transfiguratione.

Patet ex Scriptura. Perſpicuum tamen ex fide eſt, corpus Chriſti fuiſſe vere paſſibile, & ſic habuiſſe alios ſimiles defectus quos nos habemus. Et quidem in Euãgelio adeo expreſſum eſt, Chriſtum vere paſſum fuiſſe ac mortuum, atque adeo corpus paſſibile habuiſſe: vt ſi hoc non niſi ficte & apparenter geſtum fuiſſe dicatur, labefactetur prorſus firmitas noſtræ fidei; nihilque iam erit in Scriptura tàm conſtans, quod non fictum fuiſſe dubitetur. Eadem veritas continetur in Symbolis fidei & in tota doctrina Eccleſiæ. Et in ſpecie contra oppoſitum errorem definita fuit in Concil. Epheſino anathematiſmo 12., in Concil. Chalcedon. act. 5., in Quinta Synodo act. 8. & in Sexta Synodo act. 11. 13. & 18., alijſque Concilijs. Et paſſim apud Sãctos Patres cõfirmata & celebrata eſt.

Et ratione. Ratione quoque ſuadetur: quia cùm Deus decreuerit aſſumere humanam naturam, ideſt humanum corpus ſimul cum anima, ad hoc vt ſatisfaciẽdo pro noſtris peccatis nos redimeret & ſaluaret: ob hunc inquam finem debebat corpus Chriſti eſſe verè paſſibile, & verè ac non ficte pati. Quare hæc paſſibilitas non erat dedecens Chriſto, vt viſum eſt illis Hæreticis, ſed maxime decebat diuinam bonitatem, & conferebat ad finem ob quem Chriſtus veniebat. Item conueniens fuit Chriſtum agere & operari ſecundùm veritatem humanæ naturæ, & ſic etiã pati. Pariter ergo dum Chriſtus vixit illo tempore ante mortem & glorioſam reſurrectionem, non habuit dotem agilitatis, ſed connaturalem humano corpori grauitatem: ambulando enim defatigabatur, vt patet ex Euangelio. Sed quando ſemel ambulauit ſuper aquas, ſuſpenſo grauitatis effectu, id fuit inuſitatum & ſingulare, atque ex miraculo ſpeciali: ſicut etiam iterum iuſſit & fecit vt Petrus ambularet ſuper aquas. Neque etiam habuit antea dotem ſubtilitatis, ſicut deinceps poſt reſurrectionem habebat: ſed ſimiliter fuit caſus ſingularis & miraculoſus in myſterio ſuæ natiuitatis. Nec denique habuit dotem claritatis, vt ex eo ipſo cõſtat, quia tanquam extraordinarium & ſingulare narratur, quando ſemel in monte ſplendorem illum trãſfiguratus oſtendit; & ideo dicta eſt transfiguratio, quaſi mutatio conſuetæ figuræ & formæ. Verum eſt tamen, has dotes glorioſas fuiſſe ab initio debitas corpori Chriſti, ratione hypoſtaticæ vnionis & beatitudinis animæ: tamen ob finem redemptionis conueniens fuit, eas non cõcedi corpori Xp̃i niſi in reſurrectione.

Nõ habuit varios particulares defectus. Rectè autem aduertit S. Thomas art. 4., Chriſtum non habuiſſe in ſuo corpore omnes defectus qui in alijs hominibus contingunt, præſertim qui ex cauſis particularibus oriuntur, vtpotè varios morbos & ægritudines. Corpus enim Chriſti erat optime diſpoſitum ac temperatum. Cumque ipſe prudentiſſimam vitæ normam ſeruaret, nullã præbebat occaſionem huiuſmodi incõmodis, quæ alioqui non ſpectabant ad eius intentum de noſtra redemptione & ſalute. Alios tamen defectus qui vniuerſaliter contingunt in humana natura, Chriſtus vltro admiſit in ſuo corpore, vtpotè famem, ſitim, lacrymas, laſſitudinem. Subijt magnam paupertatem & diuitiarum inopiam: destitutus fuit fauore potentum & principũ. Ac præſertim pati voluit acerbiſſimos dolores, verbera, vulnera, mortem: prout nempe conferebat ad finem noſtræ redemptionis.

In reſurrectione fuit gloria… Sed tandem in reſurrectione renouatum fuit corpus Chriſti, & ab huiuſmodi defectibus ſubleuatum, vt glorio-

ſtatum ex prioribus deſectionis.

ſum permaneat in æternum, multò magis quam aliorum Beatorum corpora. Non tamen audiendi ſunt quidam Hæretici, qui inſipienter dixerunt, corpus Chriſti poſt reſurrectionem non eſſe loco circumſcriptum, ſed eſſe vbique præſens, ſicut eſt diuina natura: contra quos diſputat Suarez diſp. 32. ſect. 4., ſed nos commodiori loco iterū attingemus infra q. 18. circa communicationem proprietatum vtriuſque naturæ in Chriſto.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum corporales defectus, Chriſtus habuerit ex neceſſitate an ex voluntate.

Non erat per ſe neceſſarium, vt Chriſtus haberet corporales defectus.

IN primis D. Bonau. in 3.d 16.art.1. q.3. & Durand. q. 1. num.10. & d. 15. q.1. num.6. ſignificant, Chriſtum ex neceſſitate habuiſſe dictos corporales defectus, non quidem ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione finis, hoc eſt ſtante quòd aſſumptio humani corporis fuerat à Deo determinata ob finem noſtræ redemptionis. Sed certè non solùm ſimpliciter fieri poterat, vt Verbum diuinū aſſumeret corpus humanum expers huiuſmodi defectuum. Sed etiam ſupponēdo illum finem noſtræ redemptionis, adhuc neceſſe non erat vt Chriſtus pateretur, & ſic patiendo ſatisfaceret pro nobis, & mereretur noſtram ſalutem; ſed ſatis eſſe poterat vt operaretur; & offerret Deo opera meritoria, quæ abundè compenſarent noſtra debita; & ſatisfacerent Diuinæ Maieſtati. Quamuis ad exhibendam talem ſatiſfactionem, quæ non ſe haberet ſolùm per modum meriti; ſed etiam per modum pœnæ & vindictæ, oporteret Chriſtum ſubire aliquam paſſionem afflictiuam. Ideoquè multò conuenientius iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ fuit, vt Chriſtus haberet corpus obnoxiū paſſioni, ſicut de facto habuit.

Aliqui erant voluntarij, & aliqui non, reſpectu appetitus ſenſitiui.

Secundo. Loquendo reſpectu appetitus ſenſitiui qui à S. Thoma infra quæſt. 18. art. 2. appellatur voluntas ſenſualitatis: Aliqui defectus conſiſtebāt in actibus & affectibus quibuſdam eiuſdem appetitus, vtpotè dolere & timere. Qui proinde erant voluntarij eidem appetitui, & non erant neceſſarij neceſſitate coactionis quæ opponitur voluntario. Alij tamen defectus erant qui conueniebant corpori Chriſti, non voluntarie, ſed neceſſario neceſſitate coactionis, reſpectu ipſius appetitus ſenſitiui & inclinationis eius: vt docet S. Thomas hic art. 2., & Durand. in 3. d.16. q.1. num.10. Etenim Chriſtus tam multa paſſus eſt contra naturalem inclinationem & internum impetum appetitus ſenſitiui, vt manifeſtum eſt. Et in hoc ſenſu concedit S. Thomas eod. art. 2., nos defectus poſſe etiam dici violentos, id eſt contra vim appetitus.

Omnes erant voluntarij reſpectu voluntatis rationalis.

Tertiò. Reſpectu humanæ voluntati rationalis, Chriſtus non ex neceſſitate coactionis paſſus eſt huiuſmodi defectus, id eſt non reſiſtente ipſa voluntate: ſed potius ſuauiter voluntate paſſus eſt, quatenus eius voluntati placuit ſubire tales defectus. Ita notauit Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 20. in fine dicens: *Neque enim in eo quicquam coactum conſideratur, ſed omnia voluntaria, volens enim fame, volens ſiti, volens metu, volens morte affectus eſt.* Et ita aſſerit S. Thomas eod. art. 2. cum alijs Theologis communiter. Eſtque res certa, vt colligitur ex ijs quæ in ſuperioribus tractata ſunt. Et intelligitur quoad actum & deliberationem efficacem voluntatis Chriſti. Alioqui ſimul habuit voluntas Chriſti ſimplicem & inefficacem affectum, quo ei diſplicebat pati, vt notauit idem Damaſc. cap. 23. & 24. Imo reſpectu huius ſimplicis diſplicentiæ, tales defectus poſſunt dici inuoluntarij Chriſto, ſcilicet ſecundum quid, cùm nempe ſimpliciter eſſent voluntarij, iuxta illud Cyrilli lib. 4. in Ioann. cap. 1., *Admittit paſſionem propter nos, & facit voluntarium ſui, quod per ſe erat inuoluntarium.*

Dici poſſunt etiam liberè.

Quarto. Loquendo prout neceſſitas opponitur libertati: ſic defectus in actu primo, hoc eſt, corpus Chriſti fuiſſe paſſibile, caruiſſe dotibus glorioſis, dici adhuc poſſunt non neceſſarij, ſed voluntarij & liberi Chriſto, ſi antecedenter intelligamus aſſumptionem humanæ naturæ ſecundum ſe, & in eo

priori

Digitized by Google

priori ſigno voluntatem Chriſti liberè acceptaſſe hos defectus, & conſequenter corpus Chriſti remanſiſſe paſſibile. Quamuis enim Deus ipſe priùs ordine intentionis decreuiſſet aſſumere corpus paſſibile, adhuc poterat id ſtatuere vt exequendum mediante acceptatione & conſenſu Chriſti: & ita in exequutione talis paſſibilitas fuiſſet voluntaria & libera Chriſto. Hoc inquam potuit ita fieri: ſed tamen non conſtat ita factum eſſe. Aut ſaltem id dici poterit de continuatione eiuſdem paſſibilitatis; quòd nempe anima Chriſti, ratione ſuæ beatitudinis, & vt inſtrumentum Verbi, potuiſſet deinceps glorificare ſuum corpus, & ab illis defectibus eximere, ſed noluerit id facere vſque ad reſurrectionem: iuxta illud quod S. Thomas quæſt. præced. art. 3. dicebat, animam Chriſti vt inſtrumentum Verbi habuiſſe omnimodam poteſtatem ſupra ſuum corpus. Sed cùm art. 2. dixiſſet, animam Chriſti potuiſſe ſpecialiter efficere ea quæ conferebant ad finem incarnationis, ſcilicet ad noſtram redemptionem; limitari poteſt id quod conſequenter adiecit art. 3., ne inquam tàm ample intelligatur, vt potuiſſet anima Chriſti glorificare ſuum corpus, cùm id non conferret ad finem incarnationis & opus redemptionis. Quare nec etiam ſatis conſtat, cõtinuationem paſſibilitatis fuiſſe eo modo voluntariã & liberam humanæ voluntati Chriſti.

Iuxta ordinem naturalem quidam erant neceſſarij & quidam libera.

Quintò. Suppoſita paſſibilitate corporis quam diximus in actu primo, neceſſarium erat, & non liberum Chriſto, ſecũdùm ordinem naturalem, quędam pati: quædam verò poterat Chriſtus naturali ordine euitare, quæ proinde ex ſua libertate pati voluit. Patet prima pars: quia quædam ſunt, quæ naturaliter loquendo, neceſſario conſequuntur ex ipſa paſſibilitate, vtpotè mutatio ætatum, ac ſimilia, & præcipuè mors: vt docet S. Thomas art. 2., alijquè Theologi communiter: & ſumitur ex D. Auguſt. lib. 2. de Peccator. meritis & remiſs. cap. 29. Tractat autem Vaſq. diſp. 60. quæ ſit hæc ratio neceſſitatis incurrendi mortem, & vnde hæc neceſſitas oriatur. Sed hoc eſt merè philoſophicum, & commune ad omnes homines, & ad omnia corporea viuentia. Quare nunc ſatis eſt, eandem naturalem neceſſitatem mortis quæ premit alios homines & corporea viuentia, habuiſſe locum pariter in Chriſto. In communi vero pro omnibus viuentibus corporeis, iam ſuo loco in Philoſophia talem mortalitatis rationem aſſignauimus q. 50. ſect. 10. Patet etiam ſecunda aſſertionis pars: quia poterat Chriſtus naturali modo euitare occaſiones patiendi quædam: vtpotè poterat non ieiunare ne eſuriret, non ambulare ne fatigaretur, & ſic de ſimilibus: poterat etiam humano modo diligentiam adhibere ne violenta illa morte occideretur, ne tàm cito in iuuẽtutis vigore interiret; vt ſic etiam verificetur illud Iſaię 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Itaque hæc omnia Chriſtus ex ſua voluntate & libertate patiebatur.

Adhibita cauſa, oriebantur naturali neceſſitate quidam defectus.

Sextò tamen addendum eſt, quod adhibita cauſa illatiua paſſionis, neceſſe erat iuxta ordinem naturalem, corpus Chriſti pati: vtpotè neceſſarium erat, carnem Chriſti clauis adhibitis & impulſis perforari, perforatam dolere, & ſic de ſimilibus. Eſt res certa apud omnes Theologos. Et patet manifeſte, quia corpus Chriſti quoad hoc erat eiuſdem rationis ac diſpoſitionis cum noſtro: & voluntas humana Chriſti ſecundùm poteſtatem naturalem non habebat vim impediendi illos effectus ex ſuis cauſis, non poterat facere vt ex vulnere non oriretur dolor & ſic de ſimilibus. Et ideo in hac & præcedenti concluſione dicimus, iuxta ordinem naturalem: quia alioqui dubium non eſt, humanitatem Chriſti vt inſtrumẽtum Verbi multa potuiſſe quæ naturali vi non poterat: vt de facto toto quadragenarij ieiunij tempore cuſtodiuit corpus ſuũ à fame, donec in fine eſuriit: & in horto ſatellites voce proſtrauit, ſed poſtmodũ ſe capi & teneri permiſit.

Explicatur quidam Damaſceni locus.

Cæterùm aduerſus eam partem qua dicimus Chriſtum ſua voluntate ſubiiſſe corporis defectus, obſtare videtur, quod Damaſc. lib. de Hæreſibus verbo *Aphthartodocitæ* hoc dictum adſcribit illorum errori, his verbis: *Neceſſarias naturæ imbecillitates, ſitim dico, famem, & laborem, Dominum toleraſſe illi quidem*

conce-

Digitized by Google

concedunt, ſed non eodem modo quo nos, in nobis enim hæc neceſſitatis eſſe dicunt, in Chriſto autem voluntatis; quem etiam naturæ legibus paruiſſe negant. Sed certe non poterat intelligere Damaſcenus, illum eſſe Hæreticorum ſenſum, quem ipſemet plane docuerat lib. 3, de Fide loco ſuperiùs allegato. Itaque, vel Hæretici volebant, Chriſtum toleraſſe illas naturæ paſſiones, tantùm apparenter, & non vere. Vel ſi admittebãt verè toleraſſe, dicebant, corpus Chriſti ſecundum diſpoſitionem quam habebat non fuiſſe obnoxium paſſionibus, & nec applicata cauſa debuiſſe neceſſario pati, ſed ex voluntate Chriſti potuiſſe paſſiones ſubire. Sed nos ex oppoſito aſſerimus, corpus Chriſti ſecundum ſe ſuamque diſpoſitionem fuiſſe paſſibile, habuiſſeque neceſſitatem patiendi in applicatione cauſæ; poteſtate tamen ſupernaturali potuiſſe Chriſtũ, ſi voluiſſet, ſuſpendere & impedire paſſionis effectum, & ex hac parte illi fuiſſe voluntarium ac liberum.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Proprietatibus, & Defectibus Animæ Chriſti.

PRÆSENTEM quæſtionem in decem articulos diſtribuit S. Doctor. Primo docet, Chriſtum in ſua anima nullum habuiſſe peccatum: quia id nec iuuabat ad ſatisfactionem, nec ad oſtendendam veritatem naturæ aſſumptę, nec ad præbendum exemplum. Secundo, nec etiam habuiſſe fomitem peccati: quia in illo pars ſenſitiua fuit omnino ſubdita rationi. Tertio, nec etiam habuiſſe ignorantiam: ſiquidem habebat plenitudinem omnis ſcientiæ. Quarto affirmat, animam Chriſti fuiſſe paſſibilem, & articulo quinto habuiſſe dolorem, ſexto triſtitiam, ſeptimo timorem, octauo admirationem, nono iram: ita tamen vt abſque vlla inordinatione hos omnes affectus haberet. Decimo tandem docet, Chriſtum fuiſſe ſimul comprehenſorem & viatorem, comprehenſorem quantum ad beatitudinem animæ quam habebat, viatorem quantum ad beatitudinem corporis quæ ei deerat.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Anima Chriſti habuerit naturales potentias & operationes, etiam ſenſitiuas.

DE intellectu & voluntate, quæ ſunt potentiæ rationales animæ, cum actibus ſuis, ſatis tractauimus iam proprijs quæſtionibus.

Potentiæ ſenſitiuæ, licet dici poſſent ad corpus ſpectare, cùm ſint corporeæ, & ab Apoſtolo appellẽtur nomine carnis, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*: tamen cum S. Thoma hac quæſtione illas adiungimus animæ, maxime quia loquimur de potentijs ſenſitiuis internis & occultis.

Habuit potentias & operationes ſenſitiuas.

His ergo potentijs certum eſt præditam fuiſſe animam Chriſti: vt docent communiter Theologi in 3. d. 17., & hîc cum S. Thoma. Colligitur ex Euangelio narrante, Chriſtum fleuiſſe, timuiſſe, mæſtum fuiſſe: quæ non ſolùm de actibus voluntatis, ſed etiam de affectibus ſenſitiuis Sacri Doctores intelligunt. Et expreſsè Leo Papa epiſt. 11. ſic inquit: *In Chriſto ſenſus corporei vigebant ſine delicto peccat., & varietas affectionum ſub moderamine rationis & mentis.* Item Concilia & Patres aſſerunt,

ſunt, Verbum aſſumpſiſſe humanitatem integram cum ſuis proprietatibus, excepto peccato. Sic loquuntur Damaſcen. lib. 3. Fidei cap. 20., Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 3., alijque frequenter. Ratione quoque ſuadetur: quia conueniens erat, humanitatem a Verbo aſſumi cum omnibus ſuis proprietatibus eam naturaliter comitantibus, ſi non inuoluant imperfectionem repugnantem ſtatui Chriſti Domini: ſed potentiæ ſenſitiuę ſunt proprietates connaturales hominis, habentes ſuas operationes pariter conſentaneas humanę naturæ, quæ & poſſunt eſſe optime ordinatæ abſque vllo peccato aut imperfectione: ergo vere debebant eſſe in Chriſto.

Itaque habuit Chriſtus omnes potētias ſenſitiuas cum actibus ſuis: tum inquam in cognoſcendo, tum in appetendo. Habuit omnes internos ſenſus, ſiue realiter tanquam plures potentiæ diſtinguantur, ſiue ſit vna potentia cum varijs operationibus. Habuit pariter appetitum ſenſitiuum, cum parte concupiſcibili & parte iraſcibili, ſiue etiam hæ dicantur duæ potentiæ realiter diſtinctæ, ſiue vna potentia cum varijs operationibus. Habuitque omnes affectus vtriuſque partis, qui ſub nomine paſſionum numerantur vſque ad vndecim: nempe Amor & Odium, Gaudium & Triſtitia, Deſiderium & Fuga; quæ quidem ſpectant ad partem concupiſcibilem: itemque Spes & Deſperatio, Audacia & Timor, & Ira; quæ ſpectant ad partem iraſcibilem. Inter quos affectus, de pluribus nulla eſt difficultas, quominus concedātur in Chriſto: de quibus propterea S. Thomas nō curauit diſtincte inquirere. Sed de quibuſdam qui videntur aliquam difficultatem habere, & magis importare defectum, diſtincte agit per quoſdam articulos, vt patet in ſuæ quæſtionis decurſu. Sed iam de dolore & triſtitia, ſuprà in voluntate ipſa Chriſti fuiſſe defendimus: quare facilius id redditur in appetitu ſenſitiuo. De timore etiam ibidem ſatis egimus. De admiratione, quam Damaſcen. lib. 2. Fidei cap. 15. appellauit ſtuporem & timorem, cùm inuoluat defectum in cognoſcendo, loquemur ſect. ſequenti. Ira demum, cùm oriatur ex triſtitia, & importet affectum vindictæ, qui poteſt eſſe iuſtus & moderatus, vt explicat S. Thomas art. 9., pariter fuit non ſolùm in voluntate Chriſti, ſed etiam in ſenſitiuo appetitu.

At verò in vniuerſum hi affectus non fuerunt in Chriſto eodem modo quo ſunt in nobis, ſcilicet præueniendo deliberationem rationis, inclinando ad peccatum, inducendo pugnam in homine & difficultatem ad bonum, & reſiſtendo rationi. Sed in Chriſto fuerunt ſubiectiſſimi ad nutum rationis, nec niſi ab eadem ratione excitabantur: erant regulatiſſimi iuxta normam rectæ rationis, & penitus abſque illis imperfectionibus: vt docet S. Thom. art. 2. & 4., alijque Theologi communiter. Ac definitum erat a Leone Papa, vt ſupra memorauimus. Colligitur quoque ex Quinta Synodo collat. 8. can. 12. Traditur etiam à Sanctis Patribus, Auguſt. lib 2. de Peccator. meritis & remiſs. cap. 29., lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagianor. cap. 11., & de Corrept. & grat. cap. 11., Athanaſ. Orat. cont. Apollin., Chriſoſt. homil. 62. in Ioan., Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 20., & alijs pluribus. Suadetur quoque exemplis & ratione: quia non ſolum in Beatis, ſed etiam in primis parentibus ante peccatum, & in reliquis hominibus in ſtatu innocentiæ conceditur hæc perfecta ſubiectio ſenſus ad rationem. Eoque magis ita decebat perfectiſſimam ſanctitatem Chriſti. Cùm alioqui oppoſiti defectus non conferrent ad finem redemptionis. Imò S. Tho. infra quæſt. 41. art. 1. ad 3. ait, tentationem quæ eſt a carne, hoc eſt ab appetitu, non contingere abſque peccato, ſaltem veniali: quod ſi non ita eſt ſemper & vniuerſaliter, ſaltem eſt frequenter. Et præſertim tenetur homo, quando poteſt, præoccupare inordinatos motus appetitus ne inſurgant: debebat ergo in Chriſto pars ſenſitiua perfecte ſubijci dicto modo rationi.

Habuit omnino ſubditas rationi.

Qualiter autem perficeretur hæc perfecta ſubiectio, S. Tho. art. 2. docet, factam eſſe per gratiam & virtutes perfectiſſimas. Addi etiam poteſt, per peculiares alias qualitates; vel impreſſas

partis

parti ſenſitiuæ ne moueretur præter nutum rationis, vel iuſſus voluntati ad continendum ſub ſe pleno dominio appetitum ſenſitiuum. Vaſquez tamen diſp. 61. num. 54 vult, ſolùm peculiari protectione & aſſiſtentia Dei factum fuiſſe vt coerceretur ſenſus ſub imperio rationis: & in Beatis probabile putat: eademmet viſione clara Dei reddi appetitum ſenſitiuum plenè ſubditum rationi. Sed de hac re in vniuerſum nos diximus 1. parte circa ſtatum innocentiæ primorum hominum. Et de facto quidem ita ſe habuit pars ſenſitiua in Chriſto cum ſuis actibus & affectibus.

An potuiſſet habere repugnantes.

De poſſibili verò admittit Vaſqu. ea diſp. 61. num. 55. potuiſſe fieri, vt Deus aſſumeret naturam humanam cum ſenſu non ſubdito rationi. Suarez diſp. 34. ſect. 2. admittit, potuiſſe Deum relinquere in humanitate aſſumpta partem ſenſitiuam in tali ſtatu, vt poſſet de ſe moueri citra imperium rationis, non tamen vt poſſet moueri per actū inordinatum erga obiectum malum, quia actus non poſſet voluntariè permitti abſque culpa. Et hoc ſanè videtur magis conſonum iis quæ infra de impeccabilitate Chriſti trademus.

Poterant appellari paſſiones, ſed non fomes peccati.

Cæterùm, aliqui ex dictis colligunt, non debere affectus ſenſitiuos in Chriſto vocari paſſiones, ſicut vocantur in nobis: nempe putantes, nomine paſſionis inuolui deordinationem, quæ neutiquam fuit in Chriſto. Sed S. Tho: art. 5. abſolutè appellat animam ipſius Chriſti paſſibilem ratione horum affectuum. Et plerique Theologi hos affectus ſimpliciter vocant paſſiones, etiam in Chriſto. Eodemque modo loquuntur Cyrill. lib. 10 Theſauri cap. 3, Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 20., Ambroſ. lib. 2. de Fide cap. 3., & Fulgent lib. 3. ad Traſimund. cap. 21. Atque in Sexta Synodo generali act. 4. & 11. vocantur paſſiones Chriſti. Itaque poſſunt quidem ita vocari. Etenim hoc paſſionis nomen, non eſt impoſitum ob moralē inordinationem horum affectuum, nec eam denotat. Sed eo quòd ferre ſecū ſoleant immutationem corporalem, quæ reperiri poterat etiam in Chriſto, ſicut fuit quando Chriſtus fundebat lacrymas, & quando ſanguineum ſudorem emiſit in horto. Conſentiunt tamen Theologi cum S. Tho. hic art. 2., nullatenus eſſe vocandum in Chriſto fomitem peccati, ſicut vocatur in nobis. Quia nempe hoc nomine intelligitur, vel actualis motus inordinatus appetitus ſenſitiui, vel potentia ipſa vt expedita ad exeundum in motus inordinatos.

Obiectiones quædā ſoluuntur.

Sed in contrarium obiicies primò auctoritatem quandam Cyrilli lib. 10. Theſauri cap. 3. dicentis, *Singulas paſſiones carnis fuiſſe in Chriſto abſque peccato commotas vt commota vincerentur virtute inhabitantis Verbi*: ſed certè victoria ſuccedit pugnæ, & in hac re dicitur in ordine ad appetitum repugnantem rationi: ergo ſupponitur in Chriſto repugnantia appetitus aduerſus rationem. Reſpondetur, Cyrillum appellaſſe victoriam, eo quod in appetitu Chriſti fuit aliqua diſplicentia mortis, ſed adhuc ipſe voluit mori: ex quo non ſequitur pugna & inordinatio appetitus, quam denegauimus in Chriſto, vt mox ſubiungemus.

Obiicies ſecundo. In appetitu Chriſti fuit diſplicentia mortis, & deſideriū euadendi mortem: ſed tamen Chriſtus tenebatur ſubire mortem, vt modò ſupponimus: ergo appetitus Chriſti inclinabat in obiectum prohibitum, inclinabat contra debitum rationis: licèt non inclinaret formaliter in ipſam malitiam ac deformitatem obiecti; cùm neque in nobis formaliter ad hanc inclinet. Reſpondetur, metum illum appetitus in Chriſto non fuiſſe niſi ex perfectiſſima aduertentia ac deliberatione rationis, ob honeſtiſſimum finē: cùm tamen longe alio modo inſurgat, Item non fuiſſe circa obiectum per ſe & intrinſecè malum, ſicut in nobis eſſe ſolet; ſed tantùm ex ordinatione extrinſeca Dei, licèt ex hac ordinatione dici poſſit manaſſe obligatio naturali, vt poſtea videbimus. Rurſus non fuiſſe affectum efficacem mouentem ad opus, ſed ſolùm per modum ſimplicis diſplicentiæ ſeu deſiderij: cuiuſmodi actus erat in ipſa etiam voluntate Chriſti abſque vlla inordinatione. Per hoc autē non poteſt dici in appetitu Chriſti

ſti

Digitized by Google

ſti fuiſſe vel reſiſtentia vel pugna contra rationem, diminuens perfectam ſubiectionem quam dicebamus.

Obijcies tertio. Conueniens erat ad noſtram inſtructionem, & ad præbendum nobis exemplum, vt Chriſtus in ſe admitteret inordinationem appetitus, eamque ſuperaret, iuxta illud ad Hebr. 4., *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Reſpondetur, ad noſtram inſtructionem & exemplũ ſatis fuiſſe, vt Chriſtus ſubiret & ſuperaret alias pugnas & perſecutiones quę erant externæ & viſibiles: cùm alioqui internæ & inuiſibiles non ſic fuiſſent hominibus manifeſtæ. Et præſertim illæ quæ ab intrinſeco ex noſtro appetitu oriuntur, imperfectionem inuoluunt, non conuenientem Chriſto. Vnde dum in illis verbis Apoſtoli dicitur, *Abſque peccato*, debet intelligi etiam abſque interno impulſu ad peccatum.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Anima Chriſti habuerit vel habere potuerit defectus Ignorantiæ, Erroris, & Admirationis.

QVidam Hæretici, non ſolùm veteres, Gnoſtici & Agnoitæ, ſed etiam inter Recentiores, quos refert Caniſius lib. 3. de Deipara cap. 22. ſimilem nobis ignorantiam attribuerũt Chriſto. Aliqui etiam ex Sacris Doctoribus dixerunt, Chriſtum ignoraſſe diem iudicij. Atque ex doctrina à nobis tradita de Chriſti ſcientia, ſequitur, Chriſtum ignoraſſe multa poſſibilia, ſiquidē dicebamus non cognouiſſe omnia.

Non habuit ignorantiam. Omnino tamen ſentiendum & loquendum eſt cum S. Thoma art. 3. alijſque communiter, Chriſtum non habuiſſe ignorantiam. Et quidem quoad rem ipſam vere Chriſtus habuit plenitudinem ſcientiæ, vt oſtendimus ſuo loco de Chriſti ſcientia: vbi ſtatuimus, Chriſtum cognouiſſe omnia quæ vnquam ſunt, ac in ſpecie diem iudicij, & pluriма etiam merè poſſibilia iuxta menſuram ſuæ viſionis beatificæ. Ex eo autē quòd Chriſtus non cognouit omnia poſſibilia, dici non debet habuiſſe eorum ignorantiam. Propriè enim ignorantia dicitur, vel earum rerum quæ aliquando acta ſunt, vel earum quæ poſſunt ac debent ſciri iuxta ſtatũ & officium cuiuſque, vel earum quæ ab alijs cognoſcuntur, ſiue per ordinarium rerum curſum cognoſci poſſunt: quæ quidem omnia Chriſtus de facto perfectiſſime nouit. De poſſibili tamen fatendum eſt, quod potuiſſet Deus de potentia abſoluta aſſumere naturam, non conferendo illi ſcientiam, atque adeo relinquendo in illa ignorantiam; quia certe non ita repugnabat hic defectus, ſicut dicemus de defectu culpę.

Non habuit errorem. Deinde certum de facto eſt, in Chriſto non fuiſſe errorem ſeu falſam exiſtimationem de vlla re, quæ appellatur ignorantia poſitiua & prauæ diſpoſitionis, eſtque contraria veræ ſcientiæ. Ita probauimus antea de ſcientia Chriſti. Et vlterius Suarez diſp. 24. ſect. 3. opinatur, quod nec de potentia abſoluta potuiſſet Deus permittere talem errorem in intellectu naturæ aſſumptę. Sed Vaſq. diſp. 61. cap. 9. ait, non inueniri in hoc talem repugnantiam, ſicut inuenitur in peccato. Idem Suarez addit, nec etiam in ſenſu Chriſti fuiſſe deceptionem, prout eſt in noſtro ſenſu; ſiquidem potuit ſenſus Chriſti diuina virtute roborari, vt perciperet res quales in ſe erant. Sed in hoc potiùs tribui debet Chriſto modus connaturalis & conſuetus cognoſcendi per ſenſus. Non enim putandum eſt, Chriſtum oculis corporeis inſpexiſſe Solem tantæ molis prout eſt in ſe, ſed potiùs quantę diſpici ſolet communiter apud homines. Inde tamen deriuari non poterat vllus error aut deceptio in intellectum Chriſti: quia ſi in nobis intellectus corrigit ſenſum, quantò magis in Chriſto, quia ſcientia beata & infuſa euidenter diſcernebat veritatem omnium rerum quæ repræſentabantur ſenſibus.

Habuit admirationem. Poſtremò, admirationem fuiſſe in Chriſto, colligitur ex Matth. 8., vbi in hiſtoria Centurionis dicitur, *Audiens Ieſus miratus eſt*. Et eſt ſententia S. Thomæ art. 8. aliorumque communiter. Sed difficultas eſt: quia ex Ariſt. 1. Ethicor. cap. 2., & ex S. Thom. 1. 2. q. 32. art. 8., admiratio oritur ex eo

quòd

Digitized by Google

quòd viſo effectu ignoratur cauſa, & inde naſcitur deſiderium cognoſcendi cauſam, quod per admirationem importatur.

D. Auguſt. Epiſt. 101. poſt medium, duas admirationis cauſas aſſignat: primam cùm latet ratio alicuius rei: ſecundam cùm res viſitata non eſt, quia aut ſingularis aut rara eſt. Et S. Thom. ipſe hoc art. ait, admirationem eſſe ex eo quod nouum aliquid & inſolitum cognoſcatur. Hæc vero admiratio quę ex hac ſecunda cauſa oritur, importat potiùs affectum laudis, quam deſideriũ ſciendi aliquid occultum. Et ſane experientia patet, nos non ſolùm mirari ſolere de rebus quarum cauſas ignoramus, ſed etiam de rebus & cauſis quas probè nouimus, magnis tamen & inſuetis. Atque hic affectus admirationis potuit abſque vlla imperfectione eſſe in Chriſto. Quamuis enim reſpectu ſcientiæ beatæ & infuſæ nihil nouum occurrere poterat, benè tamen poterat reſpectu ſcientiæ acquiſitæ, quam S. Thomas experimentalem appellat. Et ſecundùm hanc ſcientiam inquit Chriſtum fuiſſe admiratum. Et de hac admiratione optimè poteſt intelligi locus ille Euangelij: apparuit enim fides Centurionis Gentilis, vt magnum quid & nouum. Vnde & Chriſtus laudauit eum illis verbis, *Non inueni tantam fidem in Iſrael*.

Præter hunc admirationis modum, negant Vaſq. diſp. 62. cap. 4. & Suarez circa art. 8. potuiſſe in Chriſto reperiri alium admirationis modum prouenientem ex ignoratione cauſæ. Quia, vt arguit Suarez, Chriſtus ſtatim viſo effectu cognoſcebat illius cauſam, quātùm ſub ſcientiam acquiſitam cadere poterat. Et, vt arguit Vaſquez, Chriſtus admiratus fuit fidem Centurionis, cuius cauſa erat Deus: vnde non poterat Chriſtus deſiderare cognoſcere hanc cauſam, quia ſcientia acquiſita de Deo penes illum effectum debebat eſſe de genere eiuſdem fidei, cùm tamen fides non poterat eſſe in Chriſto. Ac etiam ſi Chriſtus potuiſſet de nouo per ſcientiam acquiſitam cognoſcere talem cauſam, adhuc non erat capax admirationis, dum eandem cauſam alia ſuperiori ſcientia cognoſcebat.

Sed verè poteſt aliquatenus & hic modus admirationis tribui Chriſto. Non quidem qui oriretur ex ignorantia totali & proprie dicta, quæ ignorantia eſt, quando prorſus eſt ignota cauſa, & per nullam ſcientiam cognoſcitur. Sed ex eo quod Chriſtus per ſcientiam acquiſitam non haberet totam cauſæ cognitionem quam habere poterat. Cum enim ſcientiam rerum contingentium in hoc genere deberet Chriſtus propria exercitatione acquirere, vt q. 11. dicebamus; benè accidere poterat, vt aliquis effectus occurreret, cuius cauſa non ſatis appareret ex ipſomet effectu, adhoc vt per eundem effectum acquireretur perfecta ſcientia de eius cauſa. Et ita ſpecialiter in caſu illo admirationis de fide Centurionis, licet Chriſtus ſtatim perſpiceret cauſam illius confeſſionis à Centurione prolatæ, quantum cognoſcibile erat ex ipſa confeſſione: tamen poterat Chriſtus adhuc deſiderare, alio modo alijſque rationibus acquirere eius cauſæ notitiam. Sic enim nos videntes effectum, ſolemus admirari, nòn ſolùm cupientes ſcire cauſam quantum ex ipſo effectu ſciri poteſt, ſed etiam quantum alijs rationibus aſſequi poſſimus. Et præterea, licet illius fidei cauſa ſuprema eſſet Deus: tamen adhuc concurrere ſolent aliæ cauſæ inferiores coadiuuantes & inducentes, vtpote ſigna & motiua, quibus humana mens inducitur ad credendum. Quorum cognoſcendorum per acquiſitam ſciētiam, optimè poterat Chriſtus habere deſiderium ordinatum. Et quamuis omnia cognoſceret ſuperiori ſcientia, poterat nihilominus quantum ad inferiorem ſcientiam admirari, ſicut iam de priori admirationis modo affirmauimus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Vtrum Anima Chriſti de facto habuerit peccatum, vel habere potuiſſet ſi aliquando fuiſſet non vnita Verbo.

Anima Chriſti nullum vnquam habuit peccatum.

NON defuerunt Hæretici, qui adeo deſipuerint, vt tribuerent Chriſto peccatum. Sed certiſſimum dogma fidei eſt, animam Chriſti fuiſſe prorſus omnis peccati, originalis & perſonalis, actualis & habitualis, mortalis & venialis expertem. Eſt perſpicue expreſſum in Sacra Scriptura, Lucæ 1., Ioann. 8. & 9. 2. Cor. 5., Hebr. 4. 7. & 9. 1. Petri 2., Iſaiæ 53., & alibi. Definitum eſt in Concilijs, Epheſino can. 11., Lateran. ſub Martino primo cap. 5. & alijs. Frequentiſſimum etiam apud Patres. Rationibus ſuadetur: quia Chriſtum verum Deum & hominem omnino dedecebat qualecunque peccatum. Item quia Chriſtus ſemper habuit plenitudinem gratiæ & gloriæ, quæ vtique excludit omne peccatum. Chriſtus venerat diluere noſtra peccata, & ſatisfacere Deo pro noſtris offenſis, & vt præberet nobis exactiſſimum perfectionis exemplum. Debebat ergo prorſus carere omni peccato. Nec quicquam obeſt, quod dictum eſt in perſona Chriſti Pſal. 21. *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum:* ex quo loco illi Heretici ſtultè deducebant in Chriſto fuiſſe delicta, Nam vel Chriſtus loquutus eſt potius ex perſona hominum, quia ad ſatisfaciendum acceperat noſtra delicta. Vel negatiuè, id eſt, longe eſt à ſalute mea me habere delicta propria mea ob quæ pati debeam.

Potuiſſet habere ſi aliquando fuiſſet non vnita Verbo.

Deinde loquendo de poſſibili, concedendum eſt quod vlterius quærebatur, nempe potuiſſe fieri de potentia abſoluta, vt natura humana priùs exiſtens in proprio ſuppoſito, & non vnita Verbo, inficeretur aliquo peccato, ac deinde aſſumeretur a Verbo. Item de potentia abſoluta fieri poſſet, vt natura priùs hypoſtaticè vnita Verbo, dimitteretur vt in proprio ſuppoſito exiſteret, ac tunc permitteretur labi in aliquod peccatum. Et patet facile: quia reſpiciendo ad Dei potentiam abſolutam, nulla apparet in hoc implicantia. Ita tamen vt per aſſumptionem & vnionem hypoſtaticam, omnino ſtatim ſanctificaretur natura quæ priùs fuiſſet infecta peccato, & prorſus mundaretur ab omni labe peccati: nimirum iuxta ea quæ diximus de ſanctificatione humanitatis per gratiam vnionis, & ea quæ dicemus de incompoſſibilitate peccati cum hypoſtatica vnione.

Sed ſi Deus aſſumeret naturam quæ priùs in proprio ſuppoſito exiſtens lapſa fuiſſet in peccatum, dubium eſt, num per communicationem idiomatum dici poſſet, Deus peccauit: & ſimiliter ſi peccatum permitteretur in natura dimiſſa, dici priùs potuiſſet, Deus peccabit. Non abnuit Vaſq. diſp. 61. cap. 4. Et ſuadetur ſic dici poſſe: quia non refert quod actio peccati fuiſſet præterita ante aſſumptionem naturæ: nam etiam nunc creatio eſt actio præterita, & tamen rectè dicimus, Chriſtus creauit mundum, hic homo creauit mundum. Et poteſt hoc ſyllogiſmo expoſitorio ſic deduci, hic homo peccauit, Deus eſt hic homo, ergo Deus peccauit; eſſet enim idem homo ratione eiuſdem humanæ naturæ, licet eſſent diuerſa ſuppoſita, nempe creatum in quo priùs natura fuerat, & diuinum in quo poſtea eſſet.

Sed tunc non diceretur peccatum de ipſo Verbo.

Potiùs tamen ille loquendi modus reijci & non admitti debet. Tum quia dedecens eſt, quocunque modo affirmare peccatum de Deo. Tum à priori: quia communicatio idiomatum fit ratione vnius ſuppoſiti: at in caſu noſtro ſunt duo ſuppoſita. Tum quia non poteſt affirmari prædicatum de ſubiecto, niſi ratione coniunctionis quam cum eo habet: ſed illud peccatum naturæ præteritum in proprio ſuppoſito nunquam habet coniunctionem cum Deo, ſiquidem ille homo qui peccauerat non erat tunc Deus: & ſimiliter ſi natura priùs vnita, & poſtea dimiſſa, caderet in peccatum, hoc nullam haberet coniunctionem cum Deo: ergo prorſus dici non deberet, dici non poſſet. Deus pecca-

Digitized by Google

peccauit, Deus peccabit.

Et hinc facilè patet ad rationem & exemplum in contrarium. Planè enim diuerſa ratio eſt, in prædicato illo creationis, in quo nempe idem ſuppoſitum eſt, quod creauit mundum, & quod eſt Chriſtus ſeu hic homo. Et ſic de alijs ſimilibus prædicatis diuinarum actionũ præteritarum ante incarnationem. Nec ille ſyllogiſmus bene concludit, nec eſt expoſitorius. Nam medius terminus ſyllogiſmi expoſitorij debet eſſe ſingularis incommunicabilis: ſed in dicto caſu, ly hic homo eſſet terminus communis duobus ſuppoſitis. Vnde ſicut hac ratione aptus non eſt ille ſyllogiſmus, qui in myſterio Trinitatis cõſideratur, hic Deus generat, Filius eſt hic Deus, ergo Filius generat; quia nempe ly hic Deus eſt terminus communis pluribus ſuppoſitis: ita pariter ille ſyllogiſmus, in quo ly hic homo ſupponeret pro hac natura humana communi duobus ſuppoſitis, non benè concluderet.

Diceretur filium de uno ſuppoſito.

Sed inſtat Vaſquez: illud prædicatũ quod affirmatur de medio termino ratione naturæ, debet etiam affirmari de omnibus ſuppoſitis quibus communis eſt illa natura: vnde valet hic ſyllogiſmus, Deus eſt omnipotens, Filius eſt Deus, ergo Deus eſt omnipotens: at in caſu noſtro peccatum affirmatur de hoc homine ratione naturæ: ergo deberet etiam affirmari de omni ſuppoſito cui conuenit talis natura. Ad hoc reſpondetur primò: illud prædicatum quod conuenit naturæ, & ſemper eſt in ipſa natura quando coniuncta eſt pluribus ſubiectis ſeu ſuppoſitis, tunc quidem dici de omnibus ijs ſuppoſitis: ſed in caſu noſtro, quando natura humana vnita eſt ſuppoſito diuino, iam ei non ineſt peccatum, quod proinde non habet coniunctionem cum Deo, vt poſſit de Deo affirmari. Secundò: quandò prædicatum dictum de medio termino ratione naturæ communis, debet prædicari de ſingulis ſubiectis ſeu ſuppoſitis; pariter ipſe medius terminus debet ſubire regulam termini communis, vt ſuo modo diſtribui poſſit ſigno vniuerſali in ſyllogiſmo categorico. Sic in illo exemplo allato, Deus eſt omnipotens, valet diſtributiuè dicere, omnis qui eſt Deus, ſiue omne ſuppoſitum quod eſt Deus, eſt omnipotens. At non ſic diſtribui poſſet ly hic homo: non enim verum eſſet dicere omnis qui eſt hic homo, ſiue omne ſuppoſitum quod eſt hic homo, peccauit.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Anima Chriſti poterat habere & committere peccatum, permanens vnita Verbo.

Sententia affirmans.

DVrandus in 3. diſt. 12. q. 2. defendit, quod Chriſtus ſecluſa beatitudine animæ potuiſſet abſolutè peccare, atque adeo ex vi vnionis non fuiſſe impeccabilem, reſpiciendo ad Dei potentiam abſolutam: quia inquit, ea quæ in contrarium afferuntur, magis ſunt deuota, quàm ſolida. Fatetur autem, ratione beatitudinis non potuiſſe peccare, ex generali ratione qua Beati omnes peccare non poſſunt. Et ſimiliter Scotus eadem diſtinctione 12. q. vnica, & antea d. 2. q. 1. §. *Ad argumenta principalia*, impeccabilitatem Chriſti refert ad beatitudinem animæ: & fatetur, potuiſſe fieri vt anima Chriſti non eſſet beata.

Communis ſententia negans.

Communis & vera aliorum Theologorum ſententia eſt, nec de potentia abſoluta Dei eſſe poſſibile, vt ſtante vnione hypoſtatica ſuæ humanitatis cum Verbo, Chriſtus humana voluntate peccaret, aut quamcunque peccati maculam contraheret. Quæ res, quamuis hoc loco ab Angelico Doctore expreſſa non ſit, ſatis tamen ab eo expreſſa fuit in 3. d. 12. q. 2. art. 1. Et à recentioribus Doctoribus meritò tàm certa cenſetur, vt oppoſita Durandi ſententiam aliqua cenſura dignam exiſtimet; ob auctoritatem præcipuè Sanctorum Patrum, qui ſatis communiter & clarè id docuerunt, vt ijdem Theologi hoc loco referunt.

Anima Chriſti nõ poterat habere habituale peccatum.

Dico ergo primò, non eſſe poſſibile, nec de potentia quidem abſoluta Dei, vt natura humana manens vnita Verbo diuino, vllam peccati maculam ſeu habituale peccatum habeteret. Hoc

planè

planè ſequitur ex dictis ſupra q. 7. de gratia Christi, nempe humanitatem vnitam Verbo ita formaliter ſanctificari per ipſam vnionem, vt multò magis ac perfectius reddatur ſancta, quàm alij homines per gratiam habitualem ſanctificantem: at ſimul cum ſanctitate & forma ſanctificante ſtare non potest habituale peccatum, vt de gratia habituali probauimus 1. 2. q. 113. & à fortiori id verificari debet de hypoſtatica vnione: ergo nullatenus poterat in anima Christi vnita Verbo reperiri vlla peccati macula. Et explicatur magis: quia Christus ratione hypoſtaticæ vnionis erat Dei filius naturalis, atque adeo amiciſſimus Deo, & heres paternæ gloriæ: ergo nō poterat ſimul per peccatū eſſe auerſus à Deo, inimic⁹ Deo, & indignus gloria. Ac rurſus, ſi Christus habere potuiſſet maculā peccati, conſequenter potuiſſet damnari: hæc eſt enim debita pœna peccati. Et Durandus quidem num. 11. non dubitauit id admittere; Sed ſanè fidelium aures id horrent audire. Et planè implicat, vt Christo ſimul eſſet debita gloria & damnatio: ſicut implicat, quemquam eſſe ſimul beatum & damnatum, ſimul videre & non videre, amare & odio habere Deum. Cumque duplex ſit genus habitualis peccati, nempe originalis & perſonalis, non poterat Christus Deus homo obligari ſub aliena humana voluntate, vt peccatū originale contraheret: nec poterat committere vllum actuale peccatum, vt mox videbimus, ex quo perſonalem maculam incurreret.

Non poterat committere actuale peccatum.

Dico itaque ſecundò, Christum nullatenus potuiſſe quodcunque actuale peccatum committere, atque adeo ratione hypoſtaticæ vnionis fuiſſe penitùs impeccabilem, etiam inquam reſpiciendo ad Dei potentiam abſolutam. Et primò quidem Vaſq. diſp. 61. cap. 6. ea ſolùm ratione putat id ſufficienter probari, qua modò probauimus, non poſſe habitualem peccati maculam ſimul cum hypoſtatica vnione conſiſtere. Et ſimiliter Lugus diſp. 26 ſect. 1. ſolam ſanctificationem Christi per diuinitatem reddit pro ratione huius impeccabilitatis. Sed tamen, niſi alia ratio aſſeratur, diceret quis, fieri potuiſſe, vt ex actuali peccato non reſultaret macula habitualis in anima Christi. Itaut, ſicut poſſet Deus alicui homini poſt commiſſum peccatum de ſe conferre gratiam ſanctificantem, eumque à peccato iuſtificare, abſque vlla diſpoſitione libera peccatoris; ita poſſet quoque conſeruare gratiam in homine actu peccante. Nec repugnare reſpectu potentiæ abſolutæ Dei, eundem hominem ſimul eſſe, habitualiter quidem Deo gratum & amicum, actualiter verò facere aliquem actum iniuriæ & inimicitiæ erga Deum: vt iam notauimus 1. 2. q. 113. ſect. 9. ad 3. obiect. Ideo, ex alio aliquo capite probari debet hæc concluſio, quia ſpecialiter, ipſum actuale peccatum vnioni hypoſtaticæ repugnare oſtendatur.

Non poterat Deus denominatiui peccare.

Secundo ergo à poſteriori probatur communi & recepta ratione: quia ſi Christus ſecundùm humanitatem peccaret, verùm eſſet dicere, Deus peccat: nimirum propter communicationem idiomatum, qua fit vt prædicata vnius naturæ de altera quoque natura in concreto affirmentur. Sed repugnat prorſus id fieri, vt verum ſit dicere, Deus peccat: ergo impoſſibile prorſus eſt, vt Christus ſecundùm humanam voluntatem peccet. Ad hoc Durandus num. 9. concedit ſequelam; & ait conſequens non eſſe abſurdum: quia inquit, peccatum non tribueretur Deo peculiari modo, quaſi Deus cauſaret peccatum, vel moueret ad peccatum, aut non impediret cùm teneretur: ſed tribueretur per ſolam denominationē. At reuera nō minus vitæ Dei repugnat mors, quàm bonitati peccatum: & tamen per huiuſmodi denominationem verum eſt dicere, Deus eſt mortuus: ergo nec inconueniens eſſet dicere, Deus peccat, ratione ſcilicet naturæ aſſumptæ. Approbat Vaſquez cap. 4. hanc reſponſionem. Sed certè propoſitio illa palàm offendit Theologorum & Fidelium aures: communiſque exiſtimatio eſt, nullatenus poſſe verificari aut admitti, ſed eſſe prorſus diſſonam & repugnantem. Et ſanè quicquid affirmatur de Deo, ſuo modo ſanctificatur ac deificatur ex qualitate ipſius ſubie-

ℓti de quo dicitur: at id prorſus repugnat peccato. Vnde, longè aliud eſt de morte, ac de peccato. Deus enim cum ſit eſſentialiter viuens, poteſt adhuc eſſe auctor mortis: ſed eo quod ſit ſumme bonus, non poteſt eſſe auctor peccati: ſimiliter ergo repugnat, vt per communicationem idiomatum dicatur de Deo peccatum, quamuis dicatur mors.

Tenebatur Deus regere humanam Christi voluntatem ne peccaret.

Tertiò præterea, ſi Chriſtus peccaret, deduci poteſt, quòd Deus peccaret, non ſolùm ratione humanæ naturæ & voluntatis penes dictam communicationem idiomatum: ſed etiam propriè per ſuam naturam & voluntatem diuinam. Videtur enim Deus ex ſumma ſua rectitudine ac ſanctitate teneri ita regere voluntatem naturæ aſſumptæ, vt non ſinat eam conſentire in aliquod peccatum. Quod ſuadetur magis: quia cùm Chriſtus ſit ſimpliciter vnus vnitate ſuppoſiti, vnum regimen debet eſſe in Chriſto, cuius caput vtique eſt Deus ſeu diuina voluntas, iuxta illud Apoſtoli, *Caput Chriſti Deus*: ergo Verbo diuino & voluntati diuinæ incumbit talis obligatio, vt ita dirigat humanam Chriſti voluntatem, ne prorſus conſentiat in peccatum.

Quartò comprobatur humanis exemplis. Vbi enim rectus eſt ordo, ij qui præſunt, & ſuperiores ſunt, tenentur regere inferiores quantum commodè poſſunt, vt à peccatis abſtineant. Quæ obligatio, licet non conueniat Deo reſpectu vniuerſitatis hominum & Angelorum: tamen rationabiliter poteſt ei attribui reſpectu naturæ hypoſtaticè vnitæ perſonæ diuinæ. Et rurſus, cùm in vno eodemque homine ſint duo appetitus, tenetur appetitus ſuperior, ideſt rationalis, regere inferiorem, ideſt ſenſitiuum, & quantum commodè poteſt tenetur impedire: ne in eo praui & inordinati motus inſurgant, aut perſeuerent. Vbi, quamuis in homine ſit vna natura habens vtrumque appetitum; pariter ſatis eſſe videtur in Chriſto, quòd ſit vnum ſuppoſitum habens duas naturas & voluntates, ex quo valet dicere, humana voluntas Chriſti eſt voluntas Dei: debet ergo diuina voluntas in Chriſto, ex eadem regula ſuæ rectitudinis & ſanctitatis, ita humanam Chriſti voluntatem dirigere & ordinare, vt in nullum poſſit conſentire peccatum.

Nō poterat fieri vt diuina perſonalitas cōcurreret ad peccatū.

Quintò inſuper probari poteſt, quòd Deus non ſolùm peccaret hoc modo, quia non impediret peccatum, humanæ voluntatis Chriſti; ſed etiam quia poſitiuè cauſaret peccatum modo quodam repugnante diuinæ virtuti. Etenim diuina ſubſiſtentia terminans humanam Chriſti naturam, ei præſtabat quicquid præſtare ſolet propria ſubſiſtētia creata: ſed ſubſiſtentia ſuo modo concurrit ad operationes naturæ, tanquam intrinſecus terminus & complementum eius: hoc ergo modo Deus cauſaret peccatum: quod illi repugnat. Concurrit quidem Deus tanquam cauſa prima extrinſeca ad entitatem poſitiuam & realem peccati, idquè abſque vlla imperfectionis nota. Sed tamen non poterat, præter hunc modum, concurrere etiam aliquo modo intrinſecè ſe tenente ex parte cauſæ ſecundæ. Quare, ſicut non poteſt Deus conſulere aut iubere peccatum: ita nec poſſet adiuuare intrinſecè ad ipſum peccatū, per modum ſubſiſtētiæ terminādo, & complēdo naturam prauè operantē: quamuis poſſit per concurſum generalē & extrinſecum cooperari ad materiale peccati. Et ſicut nō poteſt Deus per ſuā diuinam naturam peccare, eo ſcilicet modo, quo naturæ conuenit operari: ita nec poterit per ſuam ſubſiſtentiam, eo inquam modo quo ſubſiſtentiæ conuenit concurrere ad operationem. Sed id totum poſſibile quidem eſt naturę & ſubſiſtentiæ creatæ, ſed naturæ & ſubſiſtentiæ diuinæ repugnat.

Atque hæ rationes deſeruire etiam poſſunt ad magis comprobandam præcedentem concluſionem, quòd humanitas Chriſti non poterat habere maculam peccati habitualis. Et ijs etiam rationibus ſufficienter probatur, Chriſtum non ſolùm mortalem nullam labem, ſed nec venialem habere potuiſſe.

Qualiter tenetur Deus regere naturā aſſumptam.

Sed in contrarium obijciebant primo Durandus: Deus aſſumens naturam ignis, quod ſine dubio facere poteſt, poſſet permittere vt talis ignis indiffe-

renter

ſenter combureret domum probi pauperis, ſicut ſceleſti diuitis: ergo non tenetur ex obligatione regere naturam aſſumptam, quominus ſinat illam exercere quamcunque operationem ei cõnaturalem, quamuis inordinatam. Ad hoc Cabrera quæſt. 18. art. 4. diſp. 4. ait, quod forte obligaretur Deus in aſſumpta illa natura cohibere talem ignem, ne combureret domum innocẽtis pauperis. Sed certe hoc non eſt neceſſarium, nec veriſimile, nec cum peccato naturæ rationalis ſimile. Quid mirum enim, quod poſſet Deus igni permittere id quod per ſe ipſum facere poteſt: quod nempe eſt abſque vlla culpa. Sicut vero ſua voluntate peccare non poteſt, ita nec in natura aſſumpta peccatum permittere.

Qualiter hæc obligatio conueniat diuinæ voluntati, & ſic omnibus tribus perſonis

Obijcit ſecundo Durandus, & cum eo Vaſquez. In Chriſto ſola perſona Verbi eſt vnita humanæ naturæ: ſed non poteſt obligatio conuenire ipſi ſoli perſonæ: nam obligatio eſt ad operandum, operationes vero ſunt communes omnibus diuinis perſonis, quare deberent omnes pariter adſtringi tali obligatione. At non videtur tribui poſſe hæc obligatio Patri & Spiritui ſancto: ergo nec eſt tribuenda ipſi Verbo. Ad hoc fatendum vltro eſt, rationem quidem ex qua oritur hæc obligatio, eſſe vnionem humanitatis propriam cum ſola perſona Verbi, ſed hanc obligationem conuenire abſolute ipſi Deo, atq; adeo omnibus tribus perſonis. Etenim obligatio directe & formaliter non cadit niſi ſupra voluntatem: eadem autem diuina voluntas eſt communis tribus perſonis. Nec inconueniens eſt, quod hæc obligatio conueniat alijs etiã duabus perſonis quæ non ſunt humanitati vnitæ: ſiquidem omnes tres perſonæ vno communi decreto voluerunt perficere hanc vnionem cum perſona Verbi, & vna operatione perfecerunt. Ex quo manauit hæc obligatio in diuinam voluntatem regendi humanam voluntatem Chriſti.

Qualiter Deus ſit capax obligationis.

Obijcies tertio. Non videtur poſſe conuenire obligatio Deo: cum ipſe ſit ſupra omnem legem. Et præſertim non poteſt inſurgere obligatio in Deo ex aliquo effectu eius extrinſeco, qualis eſt vnio hypoſtatica. Ad hoc patet ex dictis, quod non imponimus hanc obligationem Deo, quaſi ex lege lata ab alio ſuperiore: ſiquidem ipſe eſt ſupremus princeps & dominus. Sed ſicut Deus ſuamet eſſentiali ſanctitate habet obligationem & neceſſitatem ad non peccandum, ad non mentiendum: ita dicimus habere dictam obligationem, vt non poſſit in humanitate aſſumpta permittere peccatum. Et hæc obligatio non oritur per ſe ab extrinſeco: ſed effectus hypoſtaticæ vnionis, eſt ab ipſomet Deo, & ſe habet vt conditio & ratio, qua poſita, tenetur Deus ex ſua intrinſeca bonitate regere humanam Chriſti voluntatem. Et quidem obligatur etiam Deus ratione ſuæ promiſſionis: neque in hoc vllum eſt inconueniens, quia ex ſua libera voluntate eſt auctor ſuæ promiſſionis, & ex ſua intrinſeca fidelitate illã adimplere tenetur.

Qualiter hæc obligatio ſit ſpecialis erga naturam aſſumptam

Obijcit quarto Lugus retorquendo eadem humana exempla: Quamuis in humanis teneatur ſuperior regere inferiores, teneatur Dominus coercere ſeruos, Prælatus ſubditos, Pater filios, ne delinquant: tamen non ſimiliter obligatur Deus regere & coercere homines, ſibi ſeruos & ſubditos, & filios adoptiuos: ergo nec etiam per ſe obligatur regere & coercere rationalem naturam ſibi vnitam, vt ſic reddat eam impeccabilem. Ad hoc etiam facilè patet longe arctius vinculum eſſe hypoſtaticæ vnionis cum perſona diuina, quam alterius ſubiectionis. Itaq; externa ſubiectio ſufficit quidem inter homines ad inducendam obligationem ſuperiori erga inferiores regendos, ſed non ſufficit inducere talem obligationẽ ipſi Deo: vt hanc obligationem valet inducere in Deo nexus intimus hypoſtaticæ vnionis, quo creata natura illi coniungitur in vnitate ſuppoſiti, & efficitur natura eiuſdem diuinæ perſonæ, & ſic creata voluntas fit quoque ipſius Dei voluntas.

Qualiter extẽdatur erga motus etiam indeliberatos

Obijcit quintò. Quamuis humana voluntas in nobis ſub obligatione debeat coercere ſuum appetitum ſenſitiuum à motibus inordinatis, qui alioqui reſpectu ipſius appetitus non eſſent liberi, atque adeo nec culpabiles: tamen

P non

Digitized by Google

non per hoc tenebatur ſimiliter Verbũ diuinum coercere appetitum ſenſitiuũ Chriſti, aut etiam voluntatem à primis motibus inordinatis, qui in ſe non ſunt culpabiles, cùm non ſint liberi, idque etiam ſi fortaſſe inde ſequeretur damnum alterius innocentis: ergo nec etiã ſimpliciter tenebatur cohibere voluntatem Chriſti à prauis actibus deliberatis. Sed certè patet, longe maiorem indecentiam & repugnantiam inueniri in prauis actibus deliberatis & culpabilibus, quàm motibus non liberis & non culpabilibus. Et præterea nec etiam motus indeliberatos inordinatos potuiſſe eſſe & permitti in Chriſto, magis approbauimus ſupra ſect. 1. cohærenter ad impeccabilitatem Chriſti.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Anima Chriſti potuiſſet habere & committere peccatum amittendo vnionem cum Verbo.

NON ſolùm illi qui poſſibile reputabant, animam Chriſti cum vnione ad Verbum peccare, ſed etiam aliqui ex ijs qui id negant, videntur ſaltem admittere potuiſſe fieri, vt humanitas vnita Verbo peccaret amittẽdo vnionem ad Verbum: ſicut nempe poteſt fieri, ac de facto tàm ſæpe contingit, vt homo exiſtens in ſtatu gratiæ mortaliter delinquat amittendo ſuum habitum gratiæ quem poſſidebat.

Concluſio negans. Sed pariter aſſerendum eſt, id eſſe penitus impoſſibile. Et ita quidem ſentiunt communiter Theologi, & eſt omnino certum. Et ſane hoc ipſum perſuadetur ijſdem rationibus ſect. præcedenti pro ſecunda concluſione allatis. Ac præterea peculiari ratione demonſtratur: quia vel in eo inſtanti quo cõmitteretur peccatum, ſimul daretur vnio ad Verbum, vel tunc non daretur. Primum dici non poteſt. Tum quia iam pro eo ſaltem inſtanti exiſteret peccatum ſimul cum hypoſtatica vnione: quod iam ſupponimus fieri non poſſe. Tum quia ſi amitteretur vnio per peccatum, deberet amitti per primum ſui non eſſe, in eodem inſtanti in quo eſt peccatum, ſicut de facto amittitur habitus gratiæ per peccatum, & ſicut forma præcedens expellitur per ſequentẽ incipientem per primum ſui eſſe. Secundum quoque dici non poteſt: quia ſi in eo inſtanti non eſt vnio cum Verbo: ergo adeſt propria ſubſiſtentia creata naturæ humanæ: ſed ſubſiſtentia eſt prior operatione, actiones enim ſunt ſuppoſitorum: ergo & prius ordine naturæ diſſoluta vnio ad Verbum ante peccatum: iam ergo fieri non poteſt, vt per peccatũ hypoſtatica vnio amittatur, & vt natura humana vnita Verbo diuino peccaret amittendo ſuam vnionem ad Verbum.

Sed rurſus Vaſquez diſp. 61. cap. 7. & Lugus diſp. 26. ſect. 5. hanc rationem non approbant: quia putant, operationes per ſe dependere ſolùm à natura, & non à ſuppoſito ſeu ſubſiſtentia naturæ: & ita vnionem hypoſtaticam in natura quoad hoc ſe habere, ſicut ſe habet gratia habitualis: vnde ſicut amittitur habitus gratiæ per peccatum, ita ex hac parte amitti poſſet vnio hypoſtatica, taliter vt in eodem inſtanti deſineret per primum non eſſe, & vel nulla ſuccederet ſubſiſtentia, vel adueniret & accederet conſequenter ad operationem naturæ. Ideo affert Vaſq. aliam rationem pro hac concluſione, quia gratia vnionis ſuapte natura non ſubijcitur humanis operationibus, ſicut gratia adoptionis: ergo non poteſt amitti per vllum opus & peccatum. Probat antecedens: quia gratia vnionis non poterat augeri in Chriſto per opera bona, ſicut augetur in nobis gratia adoptionis per bona opera, non ſolùm inquit ipſe in genere cauſæ moralis & meritoriæ, ſed etiam in genere cauſæ formalis. Addit Lugus, in hoc etiam valere rationem illam antea aſſignatam: quia humanitas Chriſti ſanctificatur perfectiſſimo modo per eandem Deitatem: & ſic nec etiam cum amiſſione vnionis poſſet permitti peccare.

Non quia vnio hypoſtatica non ſubijcitur humanis actibus. Vere tamen, neutra hæc ratio ad hanc concluſionem ſufficiens eſt. Tum quia non ſatis probatur, vnionem hypoſtaticam non ſubijci humanis operationibus quoad hoc vt per mala opera

deberet

deberet amitti, ſi ex alio priori capite non repugnaret, committi peccatum per naturam vnitam Verbo. Quòd enim gratia vnionis non poſſit augeri per opera bona, ſicut augetur gratia adoptionis, habet aliam manifeſtam rationem, quia vnio conſiſtit in indiuiſibili abſque latitudine intenſiua: vnde nec per bona opera naturæ vnitæ, nec quocunque modo de potentia Dei abſoluta poteſt augeri, ſicut augetur gratia habitualis quæ habet latitudinem intenſiuam: quare hæc incapacitas augmenti nullatenus arguit independentiam vnionis ex bonis operibus. Sed benè ſub hypoteſi dici poterit, quòd ſi haberet latitudinem intenſiuã, poſſet augeri per bona opera. Sicut, & cùm de facto habeat latitudinem extenſiuam quoad partes corporis Chriſti, benè fieri poterat, vt hæc extenſio caderet ſub meritum bonorum operũ. Tum etiam, quamuis vnio hypoſtatica non ſubijciatur ex natura ſua humanis operibus & meritis: non per hoc efficitur ne per diuinam diſpoſitionem ſubijci poſſit, itaut ſi natura vnita peccaret, deberet amittere ſuam vnionem. Nam & alia bona inueniuntur, quæ nõ ſuapte natura, ſed ex diuina diſpoſitione ſubijciuntur humanis operibus quoad meritum & demeritum: vtpote bona ipſa temporalia & naturalia; quæ quamuis per ſe naturam ſequantur, tamen plerunque ex diuino arbitrio conceduntur aut auferuntur intuitu humani meriti aut demeriti.

Tum præterea conſiderari de facto poteſt conſeruatio vnionis hypoſtaticæ in humanitate Chriſti, & potuiſſet fieri vt hæc conſeruatio ordinaretur à Deo intuitu meritorum Chriſti: ergo ſic etiã poterat ordinari, vt amitteretur intuitu demeritorum, ſi hæc non erant ex alio capite impoſſibilia. Nec quicquam refert quod Vaſquez reſpondet, quia etiam ſi poſſet Deus conſeruare vnionẽ hypoſtaticam intuitu meritorum humanitatis Chriſti, adhuc gratia vnionis non eſſet ſimilis gratiæ adoptionis, ad quam nempe conſeruandam neceſſe non eſt iuſtum poſitiue mereri per ſe loquendo, ſed ſatis eſt non peccare. Hoc inquam nihil refert. Vel potiùs facit, quòd gratia vnionis eſſet magis dependens ab humanis operibus quàm gratia adoptionis: nam in eo caſu gratia vnionis amitteretur per ſolam ceſſationem bonorum operum & meritorum, & ad ſui perſeuerantiam indigeret ijs operibus & meritis. Si ergo potuiſſet Deus conſtituere, vt gratia vnionis non conſeruaretur niſi per merita, & ita potuiſſet illius conſeruationem ſubijcere humanis operibus: multò magis potuiſſet ſtatuere vt amitteretur per peccatum, quando ex alio capite non repugnaret committi peccatum à tali natura vnita perſonæ diuinæ. Tum vlterius, quamuis vnio hypoſtatica de ſe non ſubijciatur humanis meritis, potuiſſet tamen Deus facere, vt natura prius tempore exiſtens in proprio ſuppoſito mereretur de congruo hypoſtaticam vnionem: quod quidem Vaſquez admittit: ergo ſimiliter poterat Deus diſponere, vt per humanas actiones, nempe per peccata, amitteretur vnio naturæ peccantis, ſi alioqui ex alio capite non repugnat, naturam in eodẽ inſtanti temporis operari & ratione ſuæ operationis amittere hypoſtaticam vnionem?

Tum demum: quòd humanitas Chriſti ſanctificatur illo perfectiſſimo modò per eandem Deitatem, facit quidem vt non poſſit ſimul cum hypoſtatica vnione habere in ſe maculam peccati, quoniam peccati macula prorſus tollit ſanctificationem: ſed non per hoc facit, ne poſſit natura peccare amittendo talem ſanctificationem & hypoſtaticam vnionem. Sicut quidem in communi ſanctificatione per habitum gratiæ, fieri non poteſt, vt ſimul cum tali habitu ſanctificante ſtet macula peccati; ſed paſſim fit, vt homo peccet; & peccando amittat gratiam ſanctificantem. Neque adhuc oſtenditur, quare ex illo modo ſanctificationis per Deitatem ipſam ſiue per hypoſtaticam vnionem fiat, vt non poſſit natura peccare, & peccando amittere talem ſanctificationem & ipſam vnionem.

Aut quia ſanctificabat anim. Chriſti.

Sed pro hac parte recurrendum eſt ad illam rationem quam adduximus: quòd ſubſiſtentia naturæ, atque adeo

Sed quia non poterat ...

P 2 vnio

Digitized by Google

per humanam operationem.

vnio hypoſtatica quæ pro illa ſuccedit in humanitate Chriſti, ſit per ſe præreQuiſita ad exercitium cuiuſcunq; operationis, & in hoc valde differt ab habitu gratiæ, cum quo homo exercet ſuas naturales operationes, & poteſt ac ſolet exercere prauas, abſque vllo illius concurſu, ſed mere concomitanter. Cùm ergo vnio hypoſtatica eo modo ſe habeat ad omnem naturæ operationem, fieri prorſus non poteſt, vt in eodem inſtanti quo ipſa ſit ſuo modo principium operationis, realiter amittatur, & valeat dicere nunc primò nõ eſt: & quòd deperdatur ac deſtruatur per vim eiuſdem operationis, cuius ipſa ſit ſuo modo principium. Hac ergo peculiari ratione fieri non poterat, vt anima Chriſti peccaret amittẽdo ſuam vnionem ad Verbum.

SECTIO SEXTA.

Num Anima Chriſti potuiſſet habere reatum pœnæ vel habitum vitij.

Quia potuiſſet fieri, vt anima & natura humana fuiſſet priùs in proprio ſuppoſito condita, & tunc commiſiſſet peccata ex quibus oritur reatus pœnæ & habitus vitij, ac poſtmodum aſſumpta fuiſſet à Verbo diuino; dubitatur num potuiſſet pariter fieri, vt remaneret in anima vnita Verbo reatus alicuius pœnæ ſaltem temporalis, & aliquis habitus vitij, relictus inquam ex præcedentibus peccatis eiuſdem animæ. Affirmat de reatu pœnæ, & negat de habitu vitij Suarez diſp. 34. ſect. 2. ad finem. Ex aduerſo affirmat de habitu vitij, & negat de reatu pœnæ Vaſq. diſp. 61. cap. 6.

Reſolutio negatiua.

Dignius tamen videtur vtrunque negare: De vtroque enim dedecens eſſet dicere, Deus eſt debitor pœnæ, eſt vitioſus: & diuinæ maieſtati repugnare videtur talis loquendi modus, etiam inquam ratione naturæ aſſumptæ. Debetque natura aſſumpta eſſe expers omnino talium defectuum, qui non poſſent abſque labe affirmari de Deo, & tamen ob vinculum hypoſtaticæ vnionis affirmari deberent, ſi ineſſent naturæ aſſumptæ.

Deinde, Vnio hypoſtatica tàm perfectè ſanctificat & dignificat naturam vnitam perſonæ diuinæ, vt reddat illã dignam & digniſſimam habendi omne bonum, & carendi omni malo: quare ſimul ſtare non poſſet dignitas patiendi aliquod malum pœnæ. Et certe anima Chriſti, ex ipſo primo incarnationis inſtanti reddita fuit digna beatitudine eſſentiali & omni felicitate in ſe & in ſuo corpore: ergo non potuiſſet ſimul manere digna & rea carendi ad tempus beatitudine animæ, quæ carentia eſt pœna damni, aut ſubeundi moleſtiam vllam & afflictionem, quæ eſſet pœna ſenſus. Itaque per vim eiuſdem hypoſtaticæ vnionis fuiſſet ſtatim extinctus omnis reatus pœnæ ex quocunque præcedenti delicto talis naturæ. Et in hoc gratia vnionis longe ſuperat gratiam habitualem, quæ quidem ſecum compatitur reatum aliquem pœnę temporalis.

Demum, Habitus vitioſi ſuapte natura inclinant ad malum: illi ergo naturę cui repugnat facere malum, repugnat quoque habere hanc inclinationem. Et hæc etiam obligatio videtur ex aſſumptione creatæ naturæ reſultare, vt Deus ſtatim abolere deberet omnem habitum vitij quem in tali natura reperiret. Atque hanc quoque repugnãtiam habere videtur diuina ſubſiſtentia, vt non poſſit intrinſecè concurrere ex parte ſubiecti, tanquam terminus humanæ naturæ, ad ſuſtinendum habitum vitij: Et ſic neceſſario anima Chriſti ab huiuſmodi defectibus moralibus debebat eſſe immunis.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Proprietatibus ac Denominationibus Chriſti quatenus eſt Deus & homo.

AD tria genera reuocari adæquatè poſſunt omnes proprietates & attributa Chriſti Domini. Alia enim ſunt quæ ei conueniunt vt Deus eſt ratione diuinæ naturæ. Alia quæ ei conueniunt vt homo eſt ratione humanæ naturæ. Et alia quæ ei conueniunt vt Deus ſimul & homo eſt ratione vtriuſque naturæ in vnitate perſonæ. Sic omnia quæ de Chriſto in ſacris litteris prædicantur, diſtinxit Cyrillus Epiſt. 29. poſt medium, quæ refertur in Concilio Epheſino cap. 5. De primo attributorum genere non oportuit in hac tertia parte tractare, præter ea quæ iam in prima parte de Deo in ſe tractata erant. Quare hactenus à quæſtione ſeptima egimus de ſecundo attributorum genere. Superest ergo nunc vt de tertio proſequamur. Et quidem non aliæ in hoc genere proprietates occurrunt, niſi denominationes quædam in modo loquendi: de quibus S. Thomas per 12. articulos in hac quæſtione pertractat. Et poſtea de vnitate vel diſtinctione exiſtentiæ & attributorum in Chriſto, de qua per alias duas proſequitur quæſtiones.

In primo ergo & ſecundo præſentis quæſtionis articulis affirmat, verum eſſe dicere, Deus eſt homo, & homo eſt Deus: quia nempe vnum ſuppoſitū eſt Deus & homo. Tertio negat, dici poſſe, Chriſtus eſt homo dominicus: quia dici debet dominus. Quarto affirmat, non ſolum de ipſo Chriſto dici poſſe tam diuina quàm humana prædicata, ſed etiam de Deo dici poſſe humana, & de homine diuina: quia ſupponitur eadem vna hypoſtaſis diuinæ & humanæ naturæ; & ideo de homine dici poſſunt prædicata diuina, tanquam de hypoſtaſi diuinæ naturæ, & de Deo dici poſſunt humana, tanquam de hypoſtaſi humanæ naturæ. Quintò negat, dici poſſe in abſtracto de diuina natura prædicata humana, & de humana natura prædicata diuina: quia ipſæ naturæ inter ſe diſtinctæ ſunt, ſed nomina concreta ſupponunt hypoſtaſim naturæ, quæ hypoſtaſis vna eſt, et ideo poterant vtraque prædicata de illa dici. Sextò affirmat, rectè dici poſſe, Deus factus eſt homo: quia eſſe hominem verè prædicatur de Deo, & non ab æterno, ſed ex tempore per aſſumptionem humanæ naturæ: quod autem de nouo incipit, rectè dicitur factum. Septimò negat, dici propriè poſſe, homo factus eſt Deus: quia ly homo ſupponit pro perſona, at perſona illa non incepit de nouo eſſe Deus, ſed ſemper & ab æterno fuit Deus. Octauo docet, non debere abſolute dici, Chriſtus eſt creatura, ſed tantum cum limitatione ſecundum humanam naturam: vt ne in nominibus quidem videamur conuenire cum Arianis, qui abſolutè volebant, Chriſtum eſſe creaturam, etiam ratione diuinæ perſonæ. Nono docet, non poſſe dici, hic homo incepit eſſe, demonſtrando Chriſtum: tum quia hic homo ex parte ſubiecti denotat hypoſtaſim, quæ diuina & æterna erat: tum ad vitandum hæreſim Arij, qui ſimpliciter volebat, Verbum incepiſſe ex tempore. Decimo docet, benè poſſe dici, Chriſtus vt homo eſt creatura, per ly homo reduplicando formaliter humanam naturam: non tamen ſi reduplicaretur ſuppoſitum illius naturæ; vt præſertim dicendo, Chriſtus prout hic homo. Vndecimo ſimiliter docet, propriè non poſſe dici, Chriſtus vt homo eſt Deus: quia reduplicatur natura humana, quæ realiter à diuina diſtinguitur: poſſe tamen dici, reduplicando ſuppoſitum. Duodecimo tandem docet, benè poſſe dici, Chriſtus vt homo eſt perſona, ſiue accipiendo ly vt homo ratione ſuppoſiti, ſiue intelligendo quòd ipſi humanæ naturæ verè competit eſſe in aliqua perſo-

 na:

Digitized by Google

na: non autem ſi intelligatur, quaſi natura humana in Chriſto habeat propriam perſonalitatem creatam.

SECTIO PRIMA.

De His Propoſitionibus, Chriſtus eſt Deus & homo, Deus eſt homo, Homo eſt Deus.

Chriſtus eſt Deus & homo, eſt propoſitio vera.

IN primis notiſſimum eſt, hanc propoſitionem, Chriſtus eſt Deus & homo, eſſe veriſſimam. Et ita ſanè conſtat ex ipſa fide myſterij: Et ſicut ſingillatim ex fide fatemur, Chriſtus eſt verus Deus, eſt Filius Dei, eſt verus homo, eſt filius Virginis: ita & coniunctim dicimus, Chriſtus eſt Deus & homo. Sic expreſſit Athanaſ. in Symbolo, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Deus & homo eſt, Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo ex ſubſtantia matris in ſæculo natus, perfectus Deus, perfectus homo.*

Eſt propoſitio per ſe

Attamen quidam Theologi auſi ſunt dicere, talem prædicationem eſſe per accidens: eo quòd per accidens ſeu contingens fuit, vt Deus aſſumeret naturam humanam. Scotus verò in 3. d. 7. q. 1. §. *Quintò* verſic. *Sed de iſta* dixit, non eſſe quidem per accidens, quia ſubiectum includit prædicatum: nec tamen eſſe omnino per ſe, quia ſubiectum non habet conceptum omnino per ſe vnum. Sed dicendum eſt cum communi Theologorum ſententia, verè eſſe per ſe, in primo nempe modo dicendi per ſe, tradito ab Ariſt. 1. Poſter. 32. Hic enim modus eſt, quando prædicatum eſt eſſentiale ſubiecto: Chriſtus autem eſt eſſentialiter Deus & homo. Nec refert quòd aſſumptio humanæ naturæ à Verbo dicatur fuiſſe contingens. Nam etiam hæc propoſitio eſt per ſe, homo albus eſt coloratus: quamuis albedo ſit contingens in homine. Satis etiam eſt, ſubiectum habere conceptum per ſe vnum vnitate ſuppoſiti. Eodem modo fatendum eſt ſub alijs nominibus quibus Chriſtus appellari poteſt, has propoſitiones eſſe per ſe, Ieſus, Emmanuel, Filius Mariæ, alijſuè ſimilibus, eſt Deus & homo.

Non poteſt dici reduplicatiuè, Chriſtus inquãtum Deus eſt homo, & è conuerſo.

Secundò vlteriùs quæri ſolet, an ſub reduplicatione valeat dicere, Chriſtus inquantum Deus eſt homo, & inquantum homo eſt Deus. Et communiter vtrumque negatur: quia in prima propoſitione, ſiue reduplicetur natura diuina; ſiue ſubſiſtentia diuina, vtraque ab humanitate diſtinguitur: vnde ſicut dicere non valet in abſtracto, diuina natura aut ſubſiſtentia eſt humanitas, ita nec reduplicatiuè in concreto, Chriſtus in quantum Deus eſt homo. Similiter in ſecunda propoſitione, cùm reduplicetur humana natura, dicere non valet eo modo, Chriſtus inquantũ homo eſt Deus, ſicut non dicitur in abſtracto, humanitas eſt diuinitas. Sed S. Thomas art. 11. in ſolut. ad 3. admittit hanc, Chriſtus inquantum hic homo eſt Deus: quia inquit ſic reduplicari ſuppoſitum ſub humanitate ſubſiſtens. Negat tamen Durandus in 3. d. 10. q. 1. ad 3. & ſequitur Vaſq. diſp. 69. cap. 1. quia dicunt pronomen hic determinat ac reduplicat potiùs ſingularitatem naturæ humanæ, & adhuc de hac ſingulari humanitate Chriſti non poteſt prædicari diuinitas. Verùm poteſt vterque ſenſus ſub illo modo loquendi aptari: & reduplicando quidem ſolam ſingularem naturam humanam, propoſitio eſt neganda; reduplicando autem ſuppoſitum ſub illa ſubſiſtens, eſt admittẽda.

Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ſunt propoſitiones veræ & propriæ.

Tertiò. De illis propoſitionibus, Deus eſt homo, homo eſt Deus, Durand. in 3. d. 4. q. 2. ait, eſſe quidem veras, ſed non tàm proprias, ſicut cùm dicimus Petrus eſt homo: & non eſſe omnino proprias; ſed magis propriè dici debere adiectiuè ac denominatiuè, Deus eſt humanatus. Sed grauiter reprehenditur à poſterioribus Theologis: apud quos certum exploratumquè eſt, illas propoſitiones non ſolùm eſſe veriſſimas, ſed etiam proprijſſimas: quoniam cùm ambæ hæ naturæ ſubſtantiales ſint in vno ſuppoſito, de quo verè & propriè ambæ affirmantur, poſſunt etiã inter ſe in concreto propriè & ſubſtantiuè affirmari. Et hinc etiam proprijſſimè B. Virgo dicitur mater Dei, dicitur Deipara, quia eſt mater huius hominis

qui

Digitized by Google

qui propriè eſt Deus.

Non ſunt per ſe, niſi cum aliquo addito.

An autem hæ propoſitiones ſint per ſe vel per accidens. S. Thomas art. 1. ad 1. affirmat eſſe per ſe: & defendit Caietan. ibidem. Sed Scotus Durandus & alij quos refert & ſequitur Vaſquez diſp. 68. volunt eſſe per accidens: quia nempe prædicatum & ſubiectum non ſunt ſibi eſſentialia: nec neceſſariò cõnexa, ſed contingenter: nec poteſt fieri reduplicatio, Deus vt Deus eſt homo, vel è conuerſo, ſicut fit in alijs propoſitionibus per ſe. Et ſane hæ rationes conuincunt, acceptis ijs terminis ſecũdùm nudam ſignificationem quam explicant, & ſecundùm vſum ſimilium terminorum in alijs propoſitionibus, vere non eſſe per ſe in ſenſu logico apud Ariſt. deſignato. Sed Vaſq. cap. 4. inquit eſſe in quinto prædicabili, quod vocatur accidens. Ideoquè addit, ſuperfluum eſſe ſextum prædicabile; excogitatum pro hac re à quibuſdam Theologis, & vocatum aſſumptiuum. Sed tamen adnotanda eſt differentia inter has propoſitiones, & alias conſuetas quinti prædicabilis: quia aliæ ſunt denominatiuę & adiectiuę, vt notum eſt; hæ vero ſunt ſubſtantiales & ſubſtantiuæ, vt ſatis patet. Et abſolutè loquendo cauendum eſt, ne dicantur hæ propoſitiones ſimpliciter accidentales: tum ad cauendum errorem Neſtorij: tum quia termini verè ſunt ſubſtantiales, & coniunctio ipſa eſt ſubſtantialis, vt tractauimus iam ſect. 2. Ac prætereà ſecundùm additionem & explicationem aliquam, illæ propoſitiones dici debent eſſe per ſe. Et hoc voluit S. Thomas: qui expreſsè addidit, *Deus ratione ſuppoſiti quod eſt hypoſtaſis humanæ naturæ &c.* Itaque ſi dicamus, Verbum incarnatum eſt homo, Homo ſubſiſtens perſonalitate diuina eſt Deus; ſic inquam hæ propoſitiones ſunt per ſe. Nam cum huiuſmodi additione, hæc etiam propoſitio eſt per ſe, homo albus eſt coloratus. Et rurſus huiuſmodi prædicationes ſunt ac dici debent eſſentiales, tanquam generis de ſpecie, ſiue ſpeciei de indiuiduo, vel naturæ de ſuppoſito. Et ſunt in materia naturali ac neceſſaria. Et poſſunt fieri etiam cum reduplicatione, Verbũ incarnatum inquantum incarnatum eſt homo: & ſic de ſimilibus.

Qualiter ſupponant termini harum propoſitionum.

Quartò. Circa terminos harum propoſitionum obſeruãdum eſt: quòd cùm ly Deus ſit terminus realiter communis tribus perſonis, illa propoſitio, Deus eſt homo, verificatur pro perſona Filij: & ſimiliter altera, homo eſt Deus, verificatur pro hoc homine ſingulari qui eſt Chriſtus. Et ſic intelligi debet S. Tho. art. 1. & 2., dum inquit, ſubiectum in illis propoſitionibus ſupponere pro hypoſtaſi particulari. Sed tamen, ex eo quòd Pater & Spiritus ſanctus non ſunt homo, non per hoc dici pariter poteſt, Deus non eſt homo. Sicut & in myſterio Trinitatis ad intra, rectè quidèm dicitur, Deus generat, eo quòd Pater generat: non tamen dici poteſt Deus non generat, eo quòd aliæ duæ perſonę non generant. Admitti tamen poſſet e conuerſo, homo non eſt Deus, quaſi dicatur aliquis homo nõ eſt Deus, nempe ſupponendo pro tot alijs hominibus qui non ſunt Deus. Et ratio diſcriminis eſt: quia ly homo eſt terminus vniuerſalis, & poteſt hoc pacto diſtribui; ſed Deus eſt terminus ſingularis, & non patitur talem diſtributionẽ. Et ita iam in myſterio Trinitatis notauimus 1. par. q. 39. ſect. 2. Et ſimiliter in hac re non valent quidam ſyllogiſmi, vt ſi quis diceret Deus eſt homo, Pater eſt Deus, ergo Pater eſt homo: ſicut circa idem Trinitatis myſterium tractauimus ibi q. 32. ſect. 2.

Qualiter hæ propoſitiones ſint vniuocæ cum alijs.

Quintò demum. Circa formam harum propoſitionum, cùm dicitur, Deus eſt homo, quamuis prædicatum ſit vniuocum cum hac alia propoſitione Petrus eſt homo, nempe quia humanitas eſt eiuſdem ſpeciei: tamen forma prędicationis non eſt eodem modo vniuoca, quia de Petro dicitur eſſentialiter ly homo, ſed non ſic dicitur de Deo. Dicendo autem, Chriſtus eſt homo, vel Deus incarnatus eſt homo; ſic forma prędicationis eſt pariter vniuoca, quia de ſolo ſubiecto dicitur eſſentialiter homo. Et ita notauit Scotus in 3. d. 7. q. 1. §. *Quartò*, & approbat Vaſq. diſp. 68. cap. 4. Caute tamen loquendum eſt, ob erroris periculum. Similiter, comparando hanc propoſi-

Digitized by Google

tionem, homo eſt Deus, & Verbum eſt Deus, dici deberet, prædicatum quidē in vtraque eſſe vniuocum, ſed formam prædicationis non eſſe pariter vniuocam. Sed quia ly Deus non poteſt propriè dici terminus vniuocus, cùm ſit terminus ſingularis, & non vniuerſalis. Ideo meritò dicetur, prædicatum in vtraque propoſitione eſſe eiuſdem rationis & naturæ, imo eſſe idem ſingulare: ſed non eadem ratione conuenire vtrique ſubiecto, quia Verbo conuenit eſſentialiter, non autem homini, vt prædictum eſt.

SECTIO SECVNDA.

De His propoſitionibus, Chriſtus eſt diuinus & humanus, Deus eſt humanus, Homo eſt diuinus.

HÆretici quidam his loquendi modis vtebantur: vtpote putantes, vnionem duarum naturarum in Chriſto fuiſſe accidentalem, non ſubſtantialem. Sed etiam D. Dyoniſ. lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 4. par. 5. appellauit Diuinum Ieſum. Et Auguſtin. pluribus in locis nominat hominem diuinum & dominicum. Et è conuerſo Nazianz. Orat. 52. vocauit Deum hominiferum. Vnde Durandus, vt ſupra retulimus, volebat, magis propriè dici adiectiuè Deum eſſe humanum, quàm Deum eſſe hominem.

Nō debent concedi. Attamen propriè & in rigore vſurpandæ non ſunt tales propoſitiones, in quibus prædicatum dicitur adiectiuè. Ita docet S. Tho. art. 3, alijque Theologi communiter. Et ratio eſt; quia cùm vnio ſit ſubſtantialis, verè & ſubſtantialiter Chriſtus eſt Deus & homo: quare dici non debebit, eſt diuinus, eſt humanus. Item verè & propriè dicitur, Deus eſt homo, Homo eſt Deus: ergo dici non debet, Deus eſt humanus, Homo eſt diuinus. Sicut nempe non dicimus Pater æternus eſt diuinus, Petrus eſt humanus: ſed Pater æternus eſt Deus, Petrus eſt homo. Et ille modus loquendi adiectiuè denotat, quaſi Chriſtus eſſet aliquid Dei, aliquid hominis; cùm ergo verè ſit Deus & homo, non debet dici adiectiuè diuinus & humanus. Vnde meritò ille loquendi modus reprobatus fuit à Patribus Catholicis, aduerſus priſcos Hæreticos in Concil. Epheſino Anathematiſmo 5., ſumpto ex Cyrillo, his verbis: *Si quis Chriſtum Deiferum hominem audet dicere, & non potius Deum ſecundùm veritatem, anathema ſit:* Similiter in Concil. Francford. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ expreſſum eſt, dici non debere hominem deificum, & Deum humanū; ſed Deum hominem, & hominem Deū. Auguſt. quoque lib. 1. Retract. cap. 19. correxit illum loquendi modum, & docuit, Chriſtum debere dici dominum, non dominicum. Alij verò Patres qui eum loquendi modum vſurparunt, in recto & pio ſenſu loquuti ſunt: & debent exponi ſumpſiſſe nomina adiectiua pro ſubſtantiuis, & ob quandam cōmoditatem & facilitatem illo loquendi modo vſos fuiſſe: qui tamen propriè retineri non debebat.

Concedendum verò vltrò eſt, eum quibuſdam terminis ſubſtantiuis poſſe apponi & prædicari adiectiuos. Sic enim dicimus perſonam diuinam, Verbum diuinum, & ſimilia. Et in rebus creatis non dicimus Petrus eſt humanus, ſed rectè dicimus eſt perſona humana. Item dicitur Verbum eſſe humanatum: non quidem adiectiuè ab humanitate, vt Durandus ſumpſit, & Concil. Francfordienſ. reprobauit: ſed tanquam participium verbale, ac ſi dicatur Verbum factum eſt homo: ſicut & dicitur Verbum eſſe incarnatum.

SECTIO TERTIA.

De His Propoſitionibus, Chriſtus factus eſt Deus & homo, Deus factus eſt homo, Homo factus eſt Deus.

SCotus in 3. d. 7. q. 2. admittit duas poſteriores propoſitiones, & ſic pariter primam admitteret. S. Thomas hic, art. 6. & alij magis communiter concedunt ſecundam, negant tertiam.

Digitized by Google

Rectè dicitur Deus factus eſt homo.

tiam. Et quidem quod Deus factus eſt homo, habetur expreſse in ipſa Sacra Scriptura, Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*. Et in Symbolo Niceno, *Incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt*. Sed non poſſe è conuerſo dici, Homo factus eſt Deus, docent Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 2. Cyrill. lib. contra Antropomorphitas cap. 22. & alij ex Patribus. Ratione probat S. Thomas; quia homo ſumitur pro ſuppoſito, ſuppoſitum autem non eſt factum Deus, cum ſemper fuerit Deus. Alij ſimiliter probant; quia illæ propoſitione denotant, ſubiectum aliquo modo præcedere ſaltem natura, & poſtea fieri tale; at licet prius natura fuerit humanitas in ſe quam vniretur Verbo, non tamen prius natura præceſſit homo: ſed Deus quidem antea fuit, & poſtea humanitatem aſſumpſit. Et ſic in alijs rebus hac ratione dicimus, lignum fieri calidum, non vero dicimus calidum fieri lignum. Sed vlterius, etiã ſi anteriori tempore præceſſiſſet humanitas in proprio naturali ſuppoſito exiſtens, adhuc dici non potuiſſet homo factus eſt Deus: quia nempe non permanſiſſet illud ſuppoſitum, non illud præcedens ſuppoſitum induiſſet diuinitatem ſeu diuinam ſubſiſtentiam, vt ſic fieret Deus. Poſſet tamen dici in alio ſenſu, ſcilicet per tranſmutationẽ, quia ſuppoſitum humanum mutatum fuiſſet in diuinum: ſicut dicimus lignũ fieri ignem, id eſt mutari & conuerti in ignem; dicimus panem fieri corpus Chriſti, id eſt tranſmutari in corpus Chriſti.

Non verò Homo factus eſt Deus.

Nec Chriſtus factus eſt Deus & homo.

Et ex his, nec etiam concedenda erit illa propoſitio, Chriſtus factus eſt Deus & homo: ſiquidẽ non fuit prius natura Chriſtus, qui poſtea fieret Deus & homo. Sicut & in rebus creatis, non dicimus Petrus factus eſt homo, ſed Petrus eſt homo. An vero poſſit in alio ſenſu proferri & concedi hæc propoſitio, nempe, Chriſtus qui eſt Deus, & homo, factus eſt, attingemus ſect. 50

SECTIO QVARTA.

De His Propoſitionibus, Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas, Diuinitas eſt humanitas, Humanitas eſt Diuinitas.

Non ſunt concedendæ.

COmmunis & vera Theologorum ſententia eſt, non eſſe vſurpandas propoſitiones has in terminis abſtractis. Et ita docet S. Thomas art. 4. Et ratio eſt; quia huiuſmodi propoſitiones verificari debent ratione ſuppoſiti, quod eſt vnum: ſed termini abſtracti non denotant ſuppoſitum, & ille loquendi modus refertur ad naturas, quæ inter ſe prorſus diſtinctæ ſunt: quare ne confundantur naturæ, abſtinendum eſt à talibus propoſitionibus in terminis abſtractis. Vnde nec etiam ſi nominetur vnus terminus in concreto, & alter in abſtracto, admittendæ ſunt tales propoſitiones, Deus eſt humanitas, Diuinitas eſt homo, Homo eſt diuinitas, Humanitas eſt Deus. Ac rurſus eadem regula ſeruanda eſt de partibus humanitatis, quarum nomina pariter vt abſtracta ſe habent, quare dici non debet, Deus vel Chriſtus eſt anima, eſt caput, & ſimilia. Dicitur quidẽ Verbum caro, quatenus caro pro toto homine ſumitur, quo pacto nominatur Incarnatio. Et hoc modo accipiendæ ſunt quædam huiuſmodi loquutiones, quæ interdum apud Sanctos inueniuntur.

In quodam tamen ſenſu Suarez diſp. 35. ſect. 2. & Vaſq. diſp. 17. cap. 3. & alij plures admittunt, Chriſtus eſt Diuinitas & humanitas ſimul vnitæ. Quoniam hic loquendi modus fundamentũ habet in auctoritate Sanctorum. Et iuxta communem intelligentiam reddit ſenſum identicum: quo pacto vnumquodque compoſitum dicitur non eſſe aliud quam ſuæ partes vnitæ, compoſitum phyſicum dicitur eſſe materia & forma ſimul ſumptæ, ſuppoſitum dicitur non eſſe aliud quam natura & ſubſiſtẽtia ſimul. Eſtque hic loquendi modus vſitatus & conſuetus ad denotandam totalitatem compoſiti, quatenus in compoſito

poſito negatur alia tertia entitas præter partes vnitas. Neque verò hæc propoſitio in hoc ſenſu damnata fuit in Concil. Conſtant., vt iam notauimus ſupra quæſt. 2. ſect. 4. Et nihilominus cautè ea vtendum eſt. Ac præſertim dici non debet ſingillatim, Chriſtus eſt humanitas: quia ſic non exprimitur dictus modus totalitatis. Plerique tamen admittunt hanc, Chriſtus eſt Diuinitas: quoniam Chriſtus per ſe eſt nomen ſuppoſiti, & ſuppoſitum in diuinis non diſtinguitur à natura: vnde valet dicere, Pater eſt Diuinitas eſt Diuina natura, & ſic alia ſimilia.

SECTIO QVINTA.

An & quomodo omnia prædicata eſſentialia diuina et humana verè dicantur de Chriſto, et diuina de homine, & humana de Deo.

Prædicata communia verè dicuntur.

IN primis prædicata eſſentialia communia vtrique naturæ, vtpote ens, ſubſtantia, viuens, & ſimilia, planè dici debent de Chriſto, & dicuntur de Deo, dicuntur de homine, Chriſtus, Deus, hic homo, eſt ens, ſubſtantia, viuens. Neque in hoc vlla occurrit difficultas.

Prædicata diuina verè dicuntur de Chriſto, & de hoc homine.

Secundò. Prædicata eſſentialia propria diuinæ naturæ, veriſſimè dicuntur de Chriſto, & per communicationem etiam de hoc homine: vtpotè Chriſtus eſt ſubſtantia increata, eſt omnipotens; hic homo eſt ſubſtantia increata, eſt omnipotens. Similiter prædicata propria Verbi diuini vt diſtincti ab alijs perſonis: nempe Chriſtus eſt Filius Dei, eſt genitus à Deo Patre, hic homo eſt Filius Dei, eſt genitus à Deo Patre. Prædicata verò propria Patris & Spiritus ſancti, non poſſunt dici de Chriſto; de hoc homine: vt pote generare Filium, ſpirari à Patre & Filio. Hęc omnia habentur apertè ex ipſa fide, & ex ordinario loquendi modo Scripturę, Conciliorum, & Patrum. Et meritò ſic loquimur: quia cùm Chriſtus, idem ipſe qui eſt homo, ſit verus Deus, poſſumus ac debemus de illo affirmare ea quæ eſſentialiter de Deo dicuntur: ac ſimiliter ea quæ conueniunt verbo diuino. Sed interdum ob periculum erroris, abſtinendum eſt ab aliquo loquendo modo, qui poſſet prauum ſenſum reddere: vt S. Thomas art. 8. ad 2. aduertit, dici non debere Chriſtus eſt incorporeus, ne videamur conuenire cum Manichæis.

Prædicata humana verè dicuntur de Chriſto, & de Deo.

Tertiò. Pariter è conuerſo, prædicata eſſentialia humanæ naturæ rectè regulariter dicuntur de Chriſto, & de Deo, de Verbo diuino. Hoc eſt eodem modo certum: & nititur eadem auctoritate & ratione. Ob periculum tamen vel ſuſpicionem erroris, aliquæ propoſitiones non ſunt abſque explicatione vſurpandæ aut admittendæ: vtpotè Deus eſt corporeus, ne videamur conuenire cum Antropomorphitis: & ſic de ſimilibus.

Qualiter de Chriſto dicantur prædicata oppoſita.

Hinc fatendum eſt rectè dici & verificari de Chriſto, varia prædicata quæ inter ſe videntur oppoſita, quæ tamen reſpectù Chriſti verè non opponuntur, quoniam ei conueniunt ratione duplicis naturæ: vtpotè Chriſtus eſt corporeus eſt incorporeus, eſt mortalis eſt immortalis, quia nempe quatenus Deus & ratione diuinæ naturæ verè eſt incorporeus & immortalis, quatenus homo & ratione humanæ naturæ eſt corporeus & mortalis. At non per hoc licebit vti propoſitionibus negatiuis, Chriſtus non eſt corporeus, non eſt incorporeus: quia nimirùm negatio diſtribuit de Chriſto pro vtraque natura, & ſenſum reddit, quod ſecundùm nullam naturam ſit corporeus, ſit incorporeus: cùm tamen ſecundùm vnam ſit corporeus & ſecundùm alteram ſit incorporeus. Et quoniam ambiguum eſt, num propoſitio affirmatiua de prædicato infinito, ideſt negatiuo, habeat eandem vim diſtributiuam, & reddat eundem ſenſum cum propoſitione negatiua de prædicato finito. ita vt ęquiualens ſit dicere Chriſtus eſt non incorporeus; ac Chriſtus non eſt corporeus: ideo nec etiam huiuſmodi propoſitiones affirmatiuæ de prædicato infinito, ſunt vſurpandæ, niſi ſufficienti explicatione adhibita conſtet de recto ſenſu.

Digitized by Google

An Christus dici poſſit creatura.

Quartò. Eſt peculiaris difficultas, an dici poſſit, Chriſtus eſt creatura, S. Thomas art. 8. & 10. negat dici debere abſolute, nempe ob periculum erroris, ne videamur conuenire cum Arianis: ſed concedit poſſe dici cum addito, Chriſtus inquantum homo eſt creatura. At idem S. Thomas 4. cont. Gent. cap. 48. & in 3. d. 11. q. 1. art. 2., alijq; plures quos refert Vaſq. diſp. 65. cap. 1., negant eam propoſitionem, non ſolùm ob periculum erroris, ſed in rigore & proprietate ſermonis. Sequuntur Medina hîc art. 8., Lorca diſp. 64., Raguſa diſp. 123. Imò aliqui ferè neque cum addito admittunt, Chriſtus inquantum homo eſt creatura. Nihilominus Caietan. & alij quos ſequitur Vaſq. cap. 2. & Lugus diſp. 23. ſect. 4., docent, ſecluſo erroris periculo, illam propoſitionem in rigore eſſe veram & concedendam: atque adeo per cõmunicationem idiomatum dici etiam poſſe, Deus eſt creatura, Verbum eſt creatura. Et quidem pro vtraque parte extant variæ loquutiones Patrum.

Sed præſtabit dicere cum diſtinctione. Si nomine creaturæ intelligatur, quod de nihilo prorſus factum eſt ſecundùm totam entitatem ſuam: ſic vtique Chriſtus dici non debet creatura: ſiquidem non ſecundùm totam entitatem ſuam factus eſt de nihilo, quinimò prorſus factus non eſt ſecundum perſonam & naturam diuinam. Si autem nomine creaturę intelligatur, quod ſecundùm aliquid ſit factum ex nihilo, videlicet ſecundùm aliquam ſuam naturam; ſic quidem Chriſtus poteſt dici creatura, quia vere ſecundùm humanam naturam factus eſt ex nihilo, ſicut factæ ſunt aliæ ſubſtantiæ creatæ. Et quoniam hoc totum benè explicatur per illam additionem, Chriſtus inquantum homo eſt creatura, ideo præſtat non abſque hac explicatione loqui. Et ita patet, eo modo quo hoc prædicatum eſt eſſentiale ſubſtantijs creatis, verè dici de Chriſto, nempe ſecundùm humanam naturam, in qua habet rationem ſubſtantiæ creatæ communem cum alijs huiuſmodi ſubſtantijs.

Similiter ſentiendum eſt de hac propoſitione, Chriſtus incepit eſſe, hic homo incepit eſſe. Poteſt enim reddere ſenſum, quicquid eſt in Chriſto incepit eſſe, vel Chriſtus prout eſt ſuppoſitum, aut quantum ad præcipuum ſuum eſſe, incepit exiſtere: & ſic eſt planè falſa & neganda. Aliter poteſt reddere ſenſum, Chriſtus incepit eſſe ſecundùm aliquid ſui, vel ſecundùm compoſitionẽ & totalitatem ſuam: ſic propoſitio vera eſt, & concedenda. Eodemquè modo concedenda quidem eſt hæc, Verbum incepit eſſe homo; non tamen alia è conuerſò, hic homo incepit eſſe Deus.

Quædam prædicata non communicantur.

Quintò tandem fatendum eſt, quædam dici de Chriſto ſecundùm compoſitionem & totalitatem ipſam, quæ non poſſunt dici per ſe ac ſingillatim de Deo, de homine: vtpotè Chriſtus eſt compoſitus ex duabus naturis: & ſic de ſimilibus. Et ex alia parte quædam dicuntur de ipſo Verbo, quæ non poſsũt rectè dici de Chriſto aut de homine; vtpotè dicimus, Verbum aſſumpſit humanam naturam, non verò dicemus, Chriſtus aſſumpſit humanam naturam, Homo aſſumpſit humanam naturam. Quia nimirum ea prædicata quæ dicũtur per quandam relationem & reſpectum inter Chriſtum & ſuas naturas, & inter diuinitatem ac humanitatem, nõ communicantur; ſed dicuntur tantùm ſecundùm ſuam proprietatem de illo ſubiecto prædicationis, ratione cuius verificantur.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Vnitate vel diſtinctione exiſtendi & eſſendi in Chriſto.

QVAMVIS de hac re tractari potuiſſet antea, cùm de ſubſtantia myſterij incarnationis ageremus: tamen quia id non erat ee loco neceſſarium, commode in hunc locum hæc diſceptio reſeruata eſt. Et præſentem quæſtionem duobus articulis comprehendit S. Thomas. Primo docet, Chriſtum eſſe ac debere dici vnum, quia eſt vna perſona. Secundò docet, in Chriſto reperiri vnum tantum eſſe, quia cùm humana natura vniatur Verbo diuino perſonaliter, non accidentaliter, non adducit ſecum nouum eſſe perſonale ad Verbum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus habeat humanam exiſtentiam à diuina diſtinctam.

HEnricus Quodl. 3. q. 2., Capreol. in 3. d. 6. q. 1., Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 35. ad finem & cap. 41. ad finem, Caietan., Medina, Cabrera, & alij Thomiſtæ hoc loco, putantes hanc eſſe mentem D. Thomæ, vnicam tantum exiſtentiam in Chriſto conſtituunt, nempe diuinam, per quam humanam quoque naturam exiſtere dicunt: ſicut ſola diuina ſubſiſtentia reperitur in Chriſto, per quam humana quoque natura ſubſiſtit.

Reſolutio affirmatiua. Approbanda tamen eſt oppoſita ſententia quæ docet, in Chriſto vere & realiter reperiri, non ſolum diuinam exiſtentiam, ſed etiam humanam à diuina diſtinctam: ſicut nempe in Chriſto reperitur vtraque eſſentia & natura diſtincta. Ita affirmant ac defendunt Altiſiodorenſ. lib. 3. Summæ tract. 1. c. 1. q. 8. Albert., Scotus, Riccard., Durand., Bonauent., Gabr., Almain., Baſſolis, & ex Thomiſtis Heruæus & Paludan., in 3. d. 5. vel 6. Item Suarez hîc diſp. 36. ſect. 1., Vaſq. diſp. 71., Raguſa diſp. 127., Bonacina diſp. 2. q. 11. puncto 2., Kelliſonus art. 2., & alij frequenter. Probari ſolet primò quibuſdam auctoritatibus, quas tamen non habere vim, ſatis declarat Vaſq. cap. 2. Ipſe vim facit in quadam auctoritate Ariſtotelis 2. de Anima tex. 37. dicentis, *Viuere viuentibus eſt eſſe*: ex quibus verbis arguit; in Chriſto eſt duplex vita, ergo & duplex eſſe, duplex exiſtentia. Sed Caietan. exponit dictum Philoſophi de eſſe eſſentiæ. Et Medina exponit de viuere pro operatione vitali, & intelligit in ſenſu cauſali, ſcilicet viuere ſeu vitaliter operari, eſt neceſſarium ad hoc vt viuens ſit ſeu conſeruetur. Quas expoſitiones ipſe Vaſq. non ſatis impugnat. Probanda ergo eſt hæc res per viam rationis.

Oſtenditur ex vera ratione exiſtentiæ. Primò enim, ſi nomine exiſtentiæ intelligatur entitas actualis eſſentiæ, per quam conſtituitur extra cauſas, extra nihil, & de non ente actu ſit ens actu, vt vere & proprie debet intelligi: ſic perſpicuum videtur, humanitatem Chriſti habere propriam humanam & creatam exiſtentiam, & non exiſtere formaliter per exiſtentiam diuinam. Ita ſatis aperte ſequitur ex noſtra doctrina quam in Philoſophia tradidimus quæſt. 8. tractantes de eſſentia & exiſtentia in communi: vbi oſtendimus, exiſtentiam non diſtingui ex natura rei ab eſſentia, & nullam eſſentiam quæ actu ſit carere propria exiſtentia, & nullam rem poſſe exiſtere per exiſtentiam alienam. Et nunc rurſus in præſenti caſu de humanitate Chriſti breuiter declaratur: quia cùm dentur in Chriſto duæ naturæ realiter & actu diſtinctæ,

ſtinctæ, omnino habent ſuas entitates actuales realiter actu diſtinctas. Etenim non niſi actualis entitas humanæ naturæ poteſt habere exercitium diſtinctionis realis actualis à diuina natura. Et dum diuina perſona humanã naturam aſſumpſit, planè nõ niſi actualem entitatem humanitatis aſſumpſit, & non niſi actuali entitati humanitatis ſeipſam hypoſtaticè copulauit. Atque dum humanitas Chriſti fuit actu producta à Deo, hæc productio non niſi ad actualem humanitatis entitatem poterat terminari: & quando humanitas incepit eſſe, vtique humanitas actualis incepit, quatenus entitas actualis humanitatis quæ priùs non erat, fuit de nouo facta. Ac certè non ſolum entitas vnionis ad Verbum, vel relationis ad Verbum, de nouo facta fuit, ſed potiſſimè humanitas ſecundùm ſuã actualem humanitatis entitatem. Item humanitas Chriſti habuit ſua accidentia, quæ non niſi in entitate actuali humanitatis poterant ſubiectari. Chriſtus vt homo paſſus eſt, vtique in actualitate ſuæ humanitatis. Anima Chriſti quæ informabat corpus, & quæ in morte ſeparata fuit, & poſt mortem deſcendit ad inferos, & in reſurrectione rediit ad corpus, vtique hoc totum præſtabat ſecundùm ſubſtantiam & entitatem actualem animæ. Et dum caro Chriſti tangebatur, percutiebatur, vulnerabatur, vtique entitas actualis carnis his paſſionibus ſubdebatur. Poſſet denique Verbum diuinum de potentia abſoluta nunc humanitatem dimittere, quę humanitas adhuc eadem eſſet quę prius erat, vtique quia datur nunc actualis entitas humanitatis, vnita Verbo, quæ de potentia Dei abſoluta poſſet ſeparari à Verbo, & conſtitui in proprio ſuppoſito. Quibus rationibus hæc aſſertio mihi tam certa redditur, vt perſpecta ſignificatione terminorum in hoc ſenſu quo loquimur de exiſtentia & actuali entitate, non videatur de hac re poſſe dubitari.

Per exiſtentiam non debet intelligi ſubſiſtentia.

Secundo deinde, ſi per exiſtentiam intelligatur in ſubſtantiis eadem ſubſiſtentia quæ conſtituit ſuppoſitum, vt quidem acceſſit & explicauit Capreolus; ſic veriſſimum ſanè eſt, imò de fide, in Chriſto non eſſe duplicem ſubſiſtentiam, ſed ſolum vnicam, nempe Verbi diuini, & per hanc ſubſiſtere ipſam humanitatem in Verbo. Sed tamen alienum eſt à communi Theologorum ac Philoſophorum vſu in hac re confundere nomen exiſtentiæ cum ſubſiſtentia, & hæc duo tanquam diſtincta communiter nominantur. Itaque ſi quis eo pacto ſe explicet, rectè quidem in re ſentiet, ſed non rectè loquetur, debebitq; aliud nomen proferre ad denotandum id quod apud alios nomine exiſtentiæ ſignificatur, & ſub eo nomine fateri debebit diſtinctam ac propriam actualitatem humanam eſſe in humanitate Chriſti, præter diuinam & increatam Verbi.

Non debet intelligi alius modus eſſentiæ diſtinctus.

Tertiò vlteriùs, ſi per exiſtentiam intelligatur modus alius eſſentiæ ſeu entitati actuali ſuperadditus, & à ſubſiſtentia diſtinctus; quo ſanè ſenſu loquutus eſſe videtur Caietan. qui hoc art. 2. docet, exiſtentiam ſuperaddi ad ſubſiſtentiam, eſſeque minus intimam naturæ, & oriri quidem immediatè à natura, ſed non conuenire immediatè niſi ſuppoſito tanquam ſubiecto, & ideo priorem eſſe ſubſiſtentiam exiſtentia. Sic inquam fatendum eſt, humanitatẽ Chriſti non habere proprium modum exiſtentiæ taliter explicatum. Sed addendum eſt, nullam aliam naturam in ſuo ſuppoſito habere talem modum, neque humanitatem Chriſti loco huiuſce modi exiſtere per exiſtentiam diuinam. Quare non ſolùm negamus duplicem talem modum in Chriſto, ſed nullum prorſus talem modum admittimus in quacunque natura & ſuppoſito. Etenim talis exiſtentiæ modus, neque ratione aliqua vel à priori, vel à poſteriori oſtenditur, neque ad quicquam deſeruit. Et ſi dicatur deſeruire ad exiſtendum: ſi non magis explicetur ac probetur dari hoc exiſtere ſupra eſſentiam in actu poſitatam & ſubſiſtentem petitur principium. Et alioqui ſi ſic philoſophari licebit, dicet quis, in vnaquaque natura non ſolùm reperiri hunc modum, ſed alium conſiſtentiæ, & alium perſiſtentiæ, & ſic alios modos ſub nouis nominibus confingendo. Certè autem non ita philo-

ſopha-

ſophandum eſt: ſed apud antiquiores Philoſophos ac Theologos, exiſtentia non aliud ſignificat quam entitatem eſſentiæ actualem, vt iam ſupra prænotauimus. Et per eſſentiam vt ab exiſtentia diſtinctam intelligunt quidditatem rei conſideratam abſtracte ab actualitate eſſendi contingenter: & ſic dicunt, eſſentias rerum eſſe immutabiles, incorruptibiles, æternas, ſiue propoſitiones eſſentiales eſſe æternæ & immutabilis veritatis, exiſtentiam verò eſſe temporaneam, mutabilem, variabilem. Itaque iuxta veram & propriam acceptionem nominum, aſſerendum eſt, in Chriſto eſſe duplicem exiſtentiam, hoc eſt duplicem eſſentiam actu poſitam: & humanitatem Chriſti, formaliter loquendo, exiſtere ſua propria creata exiſtentia, non autem diuina increata.

Non poterat humana natura exiſtere per diuinam exiſtentiã. Quartò. Alia ratione probatur aſſertio. Vel humanitas Chriſti ſecundùm Thomiſtas exiſtit per exiſtentiam Dei eſſentialem & abſolutam, vel per exiſtentiam Verbi perſonalem & relatiuã, ratione diſtinctam ab abſoluta. Hoc ſecundum affirmat Medina hîc art. 2, qui ponit in Deo tres exiſtentias relatiuas, præter exiſtentiam abſolutam. Sed quam bene & apte id cohæreat cum doctrina Thomiſtarum, nemo non videt. Et in re præſenti planè diſſonat, quod relatio ſeu perſona diuina formaliter exiſtat per propriam exiſtentiam ratione diſtinctam ab exiſtentia abſoluta naturę diuinæ; & tamen in Chriſto natura humana realiter diſtincta à natura diuina, non habeat propriam exiſtentiam, ſed ſola eadem diuina exiſtat. Primum verò dici non poteſt: quia ſic humanitas Chriſti deberet eſſe vnita immediatè ipſi exiſtentię diuinæ abſolutæ: ſicut ad hoc vt ſubſiſtat ſubſiſtentia Verbi, debet ei immediatè vniri. At inde vlteriùs ſequeretur, omnes tres perſonas diuinas ratione exiſtentię abſolutæ eſſe æquè vnitas humanæ naturæ: ac propterea non ſolum Verbum, ſed etiam Pater, & Spiritus ſanctus, eſſet homo; vt in ſimili re arguebamus antea quæſt. 3. ſect. 7. Neque ſufficiet dicere, humanitatem Chriſti eſſe vnitam exiſtentiæ diuinæ abſolutę prout determinatæ per ſubſiſtentiam Verbi, & ideo non eſſe æquè vnita in alijs duabus perſonis. Vel enim intelligitur humanitas ſolùm vniri immediatè ſubſiſtentiæ Verbi, eaq; mediante vniri exiſtentiæ abſolutæ: at ſic non poſſet formaliter exiſtere per ipſã diuinam exiſtentiam. Vel intelligitur immediatè vniri, tàm exiſtentiæ abſolutæ, quàm ſubſiſtentiæ perſonali: & ſic vere quidem quatenus vnitur ſubſiſtentiæ Verbi, non eſſet pariter vnita alijs duabus perſonis: ſed tamen quatenus immediatè vnita exiſtentiæ abſolutæ, omnino eſſet æquè vnita omnibus tribus perſonis; ſicut ſi per poſſibile vel impoſſibile eſſet vnita immediatè eſſentiæ, ſiue ſubſiſtentiæ abſolutæ Dei. Et hoc quidem faceret, vt vnaquæque perſona diuina dici deberet incarnata, & eſſet reuera homo: quod ſane de facto non ita eſt.

Explicantur quædã auctoritates. Sed obijciunt primò Thomiſtæ, præter auctoritatem S. Thomæ, duas alias auctoritates. Vna eſt Sophronij in Epiſtola, quæ in Sexta Synodo recitata eſt act. 11., & approbata act. 14., *Humana natura Chriſti, in Verbo, non in ſe ipſa, habet vnam exiſtentiam cum Verbo.* Altera eſt Damaſceni lib. 3. de Fide cap. 11. & 13. & 21., dicentis, humanitatem Chriſti habere exiſtentiam in Verbo. Reſpondetur, ad D. Thomam dicemus ſect. ſequenti. Ad auctoritatem Sophronij, vlti ma illa particula, *cum Verbo*, non habetur in textu, ſed falſo appoſita eſt. Qua ſublata, planus eſt ſenſus: humanitas Chriſti habet exiſtentiam in Verbo, non in ſe, quia eſt vnita Verbo, & habet vnam exiſtẽtiam, ſuam nempe propriam à diuina diſtinctam. Sicut ſi dicatur, forma exiſtit in materia, & non in ſe, & habet vnam exiſtentiam in materiã. Sed prętereà aliqui ex verbis annexis colligũt, mentem Sophronij fuiſſe, humanitatem Chriſti non bis ſeu duobus modis extitiſſe, priùs in ſe & poſteà in Verbo; ſed vno tantùm modo ſemper extitiſſe, ſcilicet ſemper in Verbo. Aliqui etiam notant, in textu græco pro exiſtentia haberi hypoſtaſim, & poſſe intelligi ſubſiſtentiam. Ad Damaſcenum denique clarus eſt ſenſus: humanitatem Chriſti habuiſſe exiſtentiam in Verbo, ideſt.

Digitized by Google

ideſt non habuiſſe in proprio ſuppoſito, ſed in ſuppoſito Verbi, nempe per hypoſtaticam vnionem.

Qualiter existentia primariò conueniat ſuppoſito.

Objiciunt ſecundò. Eſſe ſiue exiſtere, primario conuenit ſuppoſito, ſicut & agere ac produci; eſtque proprietas perſonalis: ergo vbi vnum eſt ſuppoſitum, vna eſt exiſtentia. Reſpondetur, primario conuenire ſuppoſito, tanquam ei quod denominatur exiſtere: ſed vbi ſuppoſitum habet duplicem naturam, debet quoque habere duplicem exiſtentiam. Neque enim exiſtentia eſt proprietas perſonalis, quaſi conſequens ad ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem, ſed eſt proprietas naturæ, imo eſt ipſa natura prout eſt in actu.

Qualiter cum duplici exiſtentia vnio ſit ſubſtantialis.

Objiciunt tertio. Si in Chriſto ſunt duæ exiſtentiæ, ſequitur, vnionem duarum naturarum in Chriſto fuiſſe accidentalem. Vnio enim ſubſtantialis eſt, quando ex duobus extremis vnum trahitur ad exiſtendum per alterum; ita vt non ſint duo entia actu quæ vniuntur, ſed ſit vnum vt ens actuale, & alterum vt ens potentiale.

Reſpondetur, negando ſequelam. Vnio enim quę fit in ſubſiſtentia ad conſtituendum ſuppoſitum per ſe & ſubſtantialiter vnum, eſt prorſus ſubſtantialis. Neque de ratione vnionis ſubſtantialis eſt, vt vnum extremum exiſtat per alterum: quinimo hęc non eſſet vnio, ſed confuſio, ſed debent ſemper illa quę vniuntur, habere ſuas entitates actuales diſtinctas, tantum abeſt vt hęc actualitas obſtet vnioni & compoſitioni ſubſtantiali.

Qualiter Verbum denominetur per humanã exiſtentiam.

Objiciunt quarto. Si humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam, ſequeretur, Verbum ipſum diuinum exiſtere quoque formaliter per exiſtentiam creatam, ſicut eſt homo formaliter per humanitatem. Reſpondetur, Verbum non exiſtere per exiſtentiam creatam, quatenus eſt Verbum, ſiue quantum ad naturam diuinam: quod quidem eſt de fide contra Arium. Verbum tamen vt humanatum, ſiue vt exiſtens in humana natura, exiſtit per exiſtentiam creatam humanam: ideſt Verbum formaliter eſt homo exiſtens per exiſtentiam humanitatis, quod eſt idem ac dicere, per humanitatem exiſtentem humana exiſtentia. Sed ob æquiuocationem, & ob erroris periculum, non eſt abſolute vſurpanda ea propoſitio, Verbum exiſtit exiſtentia creata.

Qualiter B. Virgo eſſet propriè mater Dei.

Objiciunt quintò. Si humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam, ſequitur, B. Virginem non eſſe propriè matrem Dei: generatio enim terminatur ad eſſe ſiue ad exiſtentiam: quare ſi in humanitate Chriſti inuenitur creata exiſtentia, B. Virgo genuit Chriſtum quoad hanc exiſtentiam: ergo non propriè genuit Deum, cùm generatio terminata non ſit ad eſſe diuinum. Sed hoc argumentum poteſt potiùs contra ſententiam oppoſitam retorqueri: quia certe B. Virgo non potuit producere exiſtentiam diuinam: ergo niſi produxit humanam, non ſolùm non diceretur mater Dei, ſed nec etiam Chriſti, & Filius hominis. Quod ſi dicant, operatam fuiſſe ad producendam vnionem humanitatis cum Verbo, quia ſi non principaliter, fuerit ſaltem per modum inſtrumenti eleuata ad talem vnionem efficiendam: id quidem recipiendum non eſt, vt tractauimus q. 6. ſect. 1. Nec etiam refert ad rationem maternitatis. Ac pariter nos dicere poſſemus, B. Virginem operatam fuiſſe, non ſolùm ad producendam exiſtentiam humanitatis, ſed etiam vnionem humanitatis cum Verbo. Itaque B. Virgo eſt propriſſimè mater Dei, quia genuit hunc hominem qui eſt Deus: ſicut propria exiſtentia humanitatis Chriſti non impedit, quominùs hic homo veriſſimè dicatur Deus.

Et exercuerit ſuam operationẽ circa Deũ.

Objicies ad idem ſextò, Si humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam, ſic fuit priùs natura producta in ſe, vt exiſtens, quam vnita Verbo: ſed B. Virgo totam ſuam operationem perfecit in eo priori, in quo non erat adhuc Deus in humanitate ſubſiſtens: ergo non habuit operationem circa Deum; igitur non debebit dici propriè mater Dei. Reſpondetur primo, ſatis eſſe, quod in eodem inſtanti temporis B. Virgo operata ſit, in quo Chriſtus erat Deus homo. At quidem ſi ille ordo naturæ ſeruatus eſt in conceptione Chriſti, eodem ordine aliæ matres priùs operantur

Digitized by Google

rantur ad producendam naturam filij quoad exiſtentiam ; quam aduenıat ſubſiſtentia ; & adhuc vnaquæque dicitur mater ſui filij , intelligendo perſonā filij . Secundo , iuxta noſtram ſententiam, qua dicebamus q. 5. ſect. 7., prius natura Verbum diuinum aſſumpſiſſe partes humanitatis, nempe animam & corpus , quam hæ vnirentur inter ſe ; ſic dum B. Virgo operata fuit ad phyſicam vnionem inter corpus & animam , in qua operatione maxime cōſiſtit hęc generatio, iam operabatur quodammodo circa ipſum Verbum diuinum quatenus præunitum hypoſtaticè dictis partibus : quare ex hoc etiam capite genuit propriiſſime Deum .

SECTIO SECVNDA.

Qualiter dicendum ſit, Chriſtum habere vnum vel duplex eſſe.

Dici debet Chriſtus habere duplex eſſe exiſtentia.

FAcile quidem conſtat, cum additione dici debere , Chriſtus habet duplex eſſe eſſentiæ , vnum eſſe ſubſiſtentiæ . Et loquendo de eſſe exiſtentiæ : adhuc aliqui ex iis qui tribuunt humanitati Chriſti propriam exiſtentiam, negant dici poſſe , Chriſtum habere duplex eſſe exiſtentiæ ; & volunt dici debere vnum eſſe exiſtentiæ. Quia, vt ait Durand. in 3. d. 6. q. 2. num. 15., exiſtentia humanitatis eſt potius inexiſtentia . Et , vt ait Suarez diſp. 56. ſect. 2., per compoſitionem factum eſt vnum eſſe in Chriſto . Sed dubitandum non eſt, ſicut dicimus Chriſtum habere duplicem exiſtentiam , ita dici poſſe habere duplex eſſe exiſtentiæ : ſiquidē idem eſt ſenſus . Et licet exiſtentia humanitatis dicatur inexiſtentia ratione vnionis adiunctæ ad diuinam perſonā , adhuc vere eſt exiſtentia . Et ſicut per compoſitionem conſtituta non eſt vna eſſentia, vnum eſſe eſſentiæ in Chriſto : ita nec conſtituta eſt vna exiſtentia , ſiue vnum eſſe exiſtentiæ : ſed vnitas attribuenda ſolùm & ſubſiſtentiæ & perſonæ .

Nō autem abſolutè duplex eſſe.

Abſolutè autem loquendo dicendum non eſt, Chriſtum habere duplex eſſe , ſed dici debet habere vnum eſſe . Ita aſſerunt illi etiam Theologi qui duplicem exiſtentiam Chriſto tribuunt . Et hoc ſolum eſt quod intendit S. Tho. hic art. 2. & late explicat Suarez ſect. 2. Cum S. Doctor in fine corporis ita deducat ſuam concluſionem : *Secundum humanam naturam non aduenit Verbo nouum eſſe perſonale* . Et alia adducit in artic. , ex quibus plane videtur colligi , illum non eſſe loquutum in eo ſenſu, vt negare voluerit exiſtentiam propriam humanitatis Chriſti . Eodemque modo loquutus eſt in 3. diſt. 6. q. 2. art. 2. & Quodlib. 9. art. 3. Suadetur autem abſolute loquendo dici debere Chriſtum habere vnum eſſe . Tum auctoritate Sophronij in Epiſt. quæ habetur in Sexta Synodo act. 11., vbi dicitur , *Perſonam Chriſti habere vnum eſſe indiuiſū* . Tum ratione , quia abſolute loquendo vnius entis vnum eſt eſſe ; ſed Chriſtus eſt vnum ens : ergo dici debet habere vnum eſſe . Et quidem per vnum eſſe abſolute dictum intelligitur vnum eſſe completum, quod in Chriſto eſt perſonale, & certe Chriſtus habet vnum eſſe perſonale . Si autem diceretur duplex eſſe, intelligeretur completum & perfectum ſecundùm duplex complementum, duplicem ſubſiſtentiam . Cùm ergo Chriſtus ſit vere vnum ſuppoſitum, vna perſona , dici debet habere vnum eſſe .

SECTIO TERTIA.

Vtrum Chriſtus dici debeat vnus vel plures , vnum vel plura.

QVamuis hoc quæſitum non ſolùm ratione exiſtentiæ ad Chriſtum pertineat, ſed potiùs adæquatè ſecundùm eius entitatem, etiam quoad diſtinctionem duplicis naturæ & vnitatem ſubſiſtentiæ : tamen quia valde connexum eſt iis quæ modo dicta ſunt, conuenienter hoc loco cum S. Thom. examinandum eſt .

Dici debet Chriſtus vnus & nō plures.

Et pro reſolutione, abſolutè Chriſtus dici debet vnus, nec dicere liceret Chriſtum eſſe duos aut plures . Ita S. Tho. art. 1. , & alij Theologi communiter . Eſtque de fide 1. Timoth. 2. , *Vnus eſt*

mediator

mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. In Symbolo Niceno, *Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum*. In Symb. Athanaſij, *Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. vnus non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ, ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus*. Idemquè definitum eſt in Concil. Epheſ. in Confeſſ. fidei, & in Anathematiſmis ex Cyrillo ſumptis, in Chalcedon. act. 4., in Quinta Synodo collat. 8., in Sexta Synodo act. 4., & in Concil. Later. ſub Martino primo conſult. 5. can. 6., apud Leonem Papam Epiſt. 95., & Eutichianum Papam Epiſt. 1. Et eſt res frequens apud Sanctos Patres, Cyrill. in Epiſt. ad Theodoſ. poſt medium, Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 5. & 7., Ambroſ. lib. 2. de Fide cap. 4., Auguſt. in Enchirid. cap. 38., & tract. 38. in Ioann. , & lib. cont. Felician. cap. 11., Fulgent. lib. de Incarnat. cap 11., & alios paſſim. Ratione verò demonſtratur: quia vnitas hoc modo dicti, vel pluralitas, refertur ad ſuppoſitum: ſed Chriſtus eſt vnum ſuppoſitum, vna perſona, & non plura ſuppoſita, plures perſonæ: ergo omnino Chriſtus dici debet vnus, nec poteſt dici plures. Et ſic è contra in myſterio Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt tres, & non ſunt vnus: quia videlicet ſunt tres diſtinctæ perſonæ licet habeant vnam naturam.

Dici debet vnum & non plura.

Deinde, hinc dubitari poteſt, Chriſtū dici debere duo & plura, non autem vnum, nempe ſub genere neutro. Siquidem vnitas & pluralitas, hoc modo dicta refertur ad naturam: & ideo in myſterio Trinitatis dicimus, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt vnum, iuxta illud Chriſti in Euang. *Ego & Pater vnum ſumus*: & Ioannis in Epiſt., *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. Sed Chriſtus habet duas naturas, ex quibus non conflatur vna natura: ergo dici debet duo & plura, non autem vnum. Sed nihilominus nullus Theologus inuentus eſt, qui affirmauerit Chriſtum dici debere duo & plura, Durandus verò in 3. d. 6. q. 1. num. 13. docuit, neque debere dici, Chriſtus eſt vnum, neque eſt duo vel plura: idquè ex regulis Grammaticæ deducit.

Sentiendum tamen & loquendum eſt cum S. Tho. hìc art. 1. aliiſq; Theologis communiter, Chriſtum hoc etiam modo debere dici vnum, non verò duo vel plura. Quod quidem colligi poteſt ex quibuſdam auctoritatibus pro concluſ. ſuperiori allegatis, in quibus hoc etiam ſatis expreſſum eſt. Ratione probatur à S. Thoma: quia licèt Chriſtus habeat duas naturas: tamen non per hoc poteſt dici ſub terminis abſtractis, eſt diuinitas, eſt humanitas: quare licèt ipſæ naturæ ſint prorſus duæ, adhuc Chriſtus non poterit dici duo. In concreto autem dicuntur ambæ naturæ de Chriſto ſub vnitate hoc modo, Deus & hic homo ſunt vnus. Alia quoque ratione probatur: quia id quod per ſe & ſimpliciter eſt vnum ens, abſolutè loquendo dici non debet eſſe plura, ſed eſſe vnum, licèt habeat plura extrema diſtincta ex quibus conſtet. Sic patet in alijs compoſitis: homo conſtans ex anima & corpore, non dicitur duo aut plura, ſed vnum: & ſimiliter in alijs. Ac rurſus, ſi ly vnum neutraliter dictū reſoluatur in duos terminos, alterum ſubſtantiuum, & alterum qui ſit ly vnus adiectiuè, ſenſus redditur, vel vna res, vnum ens, vnum indiuiduum, vnum compoſitum, vnum ſuppoſitum: quibus ſanè omnibus modis Chriſtus dici debet vnum, non duo, vt patet.

Cum aliquo tamen additamento dicere liceb.t, Chriſtum eſt duo ſecūdùm duas naturas, vel cum alia explicatione conſimili: Sic aduertit Vaſq. diſp. 76. cap. 1. Et ſic loquutus eſt Sophron. in Epiſt. quæ habetur in Sexta Synodo act. 11., & in eâdem etiam alij Patres. Abſolutè autem & ſine huiuſmodi additione aut explicatione, ly duo & plura neutraliter dictum, denotat diſtinctionem non ſolùm naturæ, ſed etiam ſuppoſiti: cùm ergo Chriſtus, licèt habeat duas naturas, non ſit duo ſuppoſita, iam non debet dici duo vel plura. Sed cùm tres perſonæ diuinæ non diſtinguantur in natura, non debent dici plura. Per quod ſatis patet ad rationem dubitandi præmiſſam.

Cæterùm alias propoſitiones et loquendi

Digitized by Google

quendi formulas huic rei annexas, examinat S. Tho. in ſolut. argumentorum eiuſdem articuli primi: quas in eodem textu videre ſufficiet.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Vnitate vel diſtinctione Attributorum duplicis naturæ in Chriſto.

HAC quæſtione tractat S. Thomas ſpecialiter de his quæ ſpectant ad vnitatem vel diſtinctionem voluntatis in Chriſto. Sed iuxta ordinem iam propoſitum, conuenit amplè proponere & inquirere de vnitate vel diſtinctione attributorum vtriuſque naturæ in Chriſto. Et ſuam quidem quæſtionem in ſex partitur articulos S. Doctor. Primo ſtatuit, fuiſſe verè in Chriſto duas voluntates, fuiſſe voluntatem humanam à diuina diſtinctam: quoniam Filius Dei aſſumens humanam naturam, non potuit diminui in his quæ ſpectant ad diuinitatem, & humanitatem aſſumere debuit completã in ſuis potentijs naturalibus, & ita vere Chriſtus habuit duplicem voluntatem, diuinam & humanam. Inde in alijs articulis agere proſequitur de humana ſpecialiter voluntate. Sed quod attinet ſpecialiter ad ipſam humanam voluntatẽ aptiori loco, proximè poſt intellectum & ſcientiam Chriſti, de illa agendum putauimus antea, vt iam egimus ſub numero quæſtionis duodecimæ. Itaque nunc tantùm, prout præſenti loco congruit, videndum eſt de propoſita vnitate vel diſtinctione attributorum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus habeat omnia attributa vtriuſque naturæ, diuinæ & humanæ, diſtincta & inconfuſa.

NON ſolùm Hæretici qui circa Chriſti ſubſtantiam aberrarunt, conſequenter etiam in hac re decepti ſunt: præſertim Eutiches & ſequaces, qui vnam naturam conſtituerunt in Chriſto, nec etiam agnoſcebãt attributa duplicis naturæ diſtincta & inconfuſa. Sed præterea recentiores quidam Hæretici, cùm de duabus Chriſti naturis earumque diſtinctione ſe rectè ſentire profiterentur, adhuc attributa cõfundere aggreſſi ſunt: Ita nempe vt attributa vnius naturæ realiter communicata ſint alteri naturæ: Atque non ſolùm Chriſtum, ſed humanitatem ipſam effectam eſſe omnipotentem, omniſcientem, &c. Ac ſimiliter non ſolùm Chriſtus, ſed Diuinitas ipſa paſſa ſit, & ſic de alijs attributis. Sed præcipuè humanitati Chriſti attribuere voluerunt omnipræſentiam, ſeu vbiquitatem, id eſt præſentiam in omni loco & ſpatio, ſicut Deus ipſe eſt vbique realiter præſens ſecundùm ſuam diuinam ſubſtantiam, ita ſimiliter voluerunt, humanitatem Chriſti eſſe realiter vbique præſentẽ; vt latè refert Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 1. & 9. Ex his verò Hæreticis, aliqui dixerunt, in hac ipſa confuſione attributorum inter duas naturas conſiſtere myſterium incarnationis: aliqui, eam conſequi ad ipſum myſterium: & rurſus aliqui, conſequi neceſſariò; aliqui ex voluntate diuina; & aliqui non ſemper, ſed pro certo tempore: vtpotè ex puncto quidem reſurrectionis vel aſcenſionis humanitatem Chriſti factam fuiſſe vbique præſentẽ, ſed antea fuiſſe in ſolo ſuo naturali loco circumſcriptam.

At

Chriſtus habet omnia attributa diuina.

At veritas certa & catholica noſtræ fidei eſt, Chriſtum habere omnia attributa vtriuſque naturæ, diuinæ & humanæ, diſtincta & inconfuſa. Et primo quidem ſatis patet, habere omnia attributa diuina: quia hæc ſunt idem realiter cum ipſa natura diuina; quare omnino Chriſtus qui habet naturam diuinam, eſtq; verus Deus, omnino etiã ſine vlla diminutione habet cuncta attributa diuinitatis.

Habet humana.

Secundo. Chriſtum habere omnia attributa humanitatis, exceptis imperfectionibus repugnantibus ſanctitati et ſtatui eius, patet etiam: quia Verbum diuinum aſſumpſit humanam naturam integram & perfectam, non mutilatam & truncam. Vnde & Sancti dicere ſolent, in Chriſto fuiſſe omnia quę ſunt in alijs hominibus, excepto peccato: & cum peccato intelliguntur, fomes peccati, habitus vitij, error & ignorantia.

Habet vtraq; diſtincta, & inconfuſa.

Tertio. Attributa vtriuſque naturæ fuiſſe in Chriſto, non confuſa, ſed diſtincta, apertè ſequitur ex diſtinctione & inconfuſione naturarum. Attributa enim comitantur naturam: ſi ergo naturæ ſunt diſtinctæ & inconfuſæ, vt eſt de fide contra antiquam hæreſim Euthichianam; pariter attributa ſunt diſtincta & inconfuſa. Et ſicut humanitas non eſt effecta nec potuit fieri diuinitas; ita non eſt effecta nec potuit fieri omnipotens, &c. Ac ſimiliter de diuinitate erga humanitatem & humana attributa. Quare hoc ipſum de attributis, ſicut & de naturis, expreſsè definitum fuit in Concil. Calced. act. 5. in Sexta Synodo act. 4. & 17. Item ab Agathone Papa in ſua Epiſt. dicente, omnia eſſe in Chriſto duplicia, naturas, proprietates, voluntates, operationes, ſola excepta ſubſiſtentia. Similiter à Leone Papa Epiſt. 20. Ac tandem continetur in eo ipſo articulo definito cõtra Monothelitas de duabus Chriſti voluntatibus diſtinctis & inconfuſis. Eademque eſt frequens doctrina Patrum.

Quartò. Idem ratione probatur: quia non poſſunt vni naturę formaliter conuenire proprietates alterius: hæ enim proprietates conueniunt ſuo ſubiecto formaliter afficiendo naturam: ſed natura diuina non poteſt affici formaliter proprietatibus humanis, nec attributa diuina poſſunt formaliter afficere naturam humanam, vt per ſe patet. Neque rurſus natura diuina immediatè vnitur cum humanis proprietatibus, aut natura humana cum proprietatibus diuinis; ſed ſolùm immediatè inter ſe coniunguntur natura humana & ſubſiſtentia diuina: nullatenus ergo facta eſt, nec fieri poterat illa communicatio & denominatio inter vnam naturam & proprietates alterius.

Quintò. Plurima attributa vtriuſq; naturæ ſunt inter ſe oppoſita reſpectu eiuſdem ſubiecti & naturæ, ita vt nullo modo poſſint eidem ſimul conuenire: vtpote eſſe finitum & infinitum, paſſibile & impaſſibile, temporale & æternum, aliaquè huiuſmodi. Dum ergo diuina natura retinet omnino ſua attributa, infinitatis & reliqua; non poteſt ſimul affici oppoſitis attributis: & è conuerſo dum humana natura retinet ſua, non poterat affici diuinis.

Sextò. In particulari humanitatem Chriſti habuiſſe ſuum intellectum & ſcientiam, diſcretè ab intellectu & ſcientia diuina, ac ſimiliter voluntatẽ, & potentiam, iam in ſuperioribus oſtẽſum eſt. Ac rurſus corpus Chriſti fuiſſe paſſibile & mortale, alijſquè defectibus obnoxium, quibus ſanè diuinitas ſubijci non poterat. Itemquè humana natura per vnionem cum diuina, facta non eſt æterna, ſicut eſt ipſa diuinitas: non enim factum eſt vt humanitas Chriſti realiter ab æterno extiterit. Et ſic res ſe habet in alijs proprietatibus & attributis.

Humanitas Chriſti non eſt vbique præſens.

Septimò. Præſertim humanitatem Chriſti non habere vbiquitatem, non fuiſſe factam vbique præſentem, determinatè expreſſum habetur in ſacris litteris, Ioannis 11. & 16. Marci 16. & alibi. Et oppoſitus error manifeſtè pugnat cum præcipuis articulis de Chriſto vt homine contentis in Symbolo; nempe Conceptionis, Natiuitatis, Mortis, Sepulturæ, Deſcenſus ad inferos, Reſurrectionis à ſepulchro, Aſcenſus ad cœlum, Aduentus ad iudicium. Pugnat etiam cum Euchariſtiæ myſterio;

Digitized by Google

quia ſingulariter apud nos humanitatẽ Chriſti in hoc Sacramento reali præſentia exiſtentem cognoſcimus. Et non ſic vbique in toto vniuerſo. Et falſo prorſus finxerunt recentiores Hæretici, humanitatem Chriſti eſſe vbique inuiſibiliter, ideoque potuiſſe localem mutationem ſubire qua in vno vel alio certo loco fieret viſibiliter præſens. Etenim ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, & ex veritate ipſa myſteriorum fidei, aperte conſtat, vere & ſimpliciter humanitatem Chriſti ſubijſſe localẽ mutationem; ita ſcilicet quod inciperet de nouo eſſe in aliquo loco in quo prius realiter non erat, & deſineret eſſe in eo loco in quo prius realiter erat. Idemque definitum eſt in Concilijs, & traditum à Sanctis Patribus, vt videre eſt apud Bellarm. eo libro. Apud quem etiam optime ſoluta videri poſſunt Hæreticorum argumenta.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Attributa omnia diuinæ & humanæ naturæ, affirmanda ſint de Chriſto, de hoc homine, de Deo.

Affirmanda ſunt in concreto.

Communis & vera Theologorum ſententia eſt, cum S. Thoma ſupra q. 15, prædicanda eſſe in concreto, non vero in abſtracto. Et quidem prædicari poſſe & debere, negare non poteſt, qui Neſtorianus non ſit, diuidẽs in Chriſto perſonas. Patetque ex ſacris litteris. Ioannis 8., Chriſtus ipſe dixit de ſe ipſo, *Antequam Abraham fieret ego ſum*. Et Apoſtolus 1. Corinth. 2., *Si cognouiſſent nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent*, vbi Dominus gloriæ dicitur crucifixus. Et ſic frequenter in alijs locis ſimilia dicuntur. Item in Symbolis, Apoſtolorum, Niceno, & Athanaſij, de eodem Chriſto dicuntur ea quæ ſũt Dei; & ea quæ ſunt hominis. Eadem veritas declarata eſt in Concil. Epheſino contra Neſtor., in Concil. Lateran. ſub Martino primo conſult. 5., in Concil. Francford. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpan., à Leone primo Epiſt. 10. cap. 4. & 5., ab Agapeto primo in Epiſt. ad Anthimum, & ab alijs Patribus frequẽter. Patet etiam ratione, ſuppoſita fide: quia cùm Chriſtus ſit ſimul Deus & homo, ſitque vna perſona, plané omnia prædicata quæ conueniunt Deo quoad naturam diuinam, & quæ conueniunt homini quoad naturam humanam, debent prorſus affirmari de Chriſto. Rurſus, cùm Deus vere ſit hic homo, pariter prædicata quæ conueniũt huic homini ratione humanæ naturæ, affirmari debent de Deo: & è conuerſo, cùm hic homo ſit Deus, prædicata quæ dicuntur de Deo ratione diuinæ naturæ, debent & de hoc homine affirmari.

Non verò in abſtracto.

Sed hanc prædicationem & communicationem faciendam nõ eſſe ſub terminis abſtractis ſecundùm proprium loquendi modum, inficiare non poteſt, qui Eutichianus non ſit, naturas confundens, in qua proinde claſſe meritò aggregari poſſunt recentiores Hæretici quorum meminimus ſect. præcedenti. Sed catholica hæc veritas definita eſt in Concil. Epheſ. in anathematiſmis, in Concil. Calcedon. act. 5., in Sexta Synodo act. 4. 11. & 17., in Concil. Lateran. ſub Martino primo vbi ſupra, & eſt frequens apud Sanctos Patres. Ratio quoque eſt manifeſta, ſuppoſita fide de diſtinctione naturarum in Chriſto. Nomina enim abſtracta ſignificant formas ſeu proprietates per ſe, non cum ordine ad ſuppoſitum: cùm ergo in Chriſto vnitas & identitas ſit ſuppoſiti, iam nomina abſtrahentia à ſuppoſito, non concernunt hanc identitatem, ſed ſiſtũt in diſtinctione naturarum & proprietatum: ergo ſicut hæ non ſunt cõfuſæ, ita non debent prædicata vnius naturæ de altera in abſtracto affirmari. Non debent inquam, ſiue nominando tàm ſubiectum, quàm prædicatum in abſtracto, vt dicendo hæc humanitas eſt omnipotentia: ſiue nominando ſubiectum in abſtracto & prædicatum in concreto, hæc humanitas eſt omnipotens: ſiue nominando ſubiectum in concreto & prædicatum in abſtracto, hic homo eſt omnipotentia. Quamuis iuxta eam regulam, quod Chriſtus ſit nomen ſuppoſiti, videantur poſſe diuina attributa in abſtracto de illo prædicari,

cari, ſicut de ipſis diuinis ſuppoſitis, vtpote Verbum diuinum eſt ſua omnipotentia, Pater æternus eſt ſua omnipotentia: adhuc tamen, quia nomen Chriſti denotat quoque humanam naturam, à qua attributa diuina verè diſtinguuntur, ob erroris periculum abſtinendum eſt ab hoc modo loquendi.

Hæc mutua affirmatio dicitur communicatio idiomatũ.

Cæterùm in hac mutua prædicatione proprietatum vtriuſque naturæ cõſiſtit communicatio idiomatum, vt vocatur: qua ſcilicet nomina & prædicata quæ ſunt vnius naturæ, communicantur etiam alteri ſub terminis concretis. Quæ proinde communicatio, ità per huiuſmodi prædicationes profertur & explicatur, vt tamen non ſit purè verbalis, quaſi ſola nomina ſint communia. Neque tamen eſt eo modo realis, quo volebant illi Hæretici, qui contendebant vnam naturam realiter affici proprietatibus alterius. Sed eſt realis in hoc ſenſu, quod ambæ naturæ habentes ſuas proprietates diſcretas & inconfuſas, ſunt realiter vnitæ in vna Chriſti perſona.

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Operationibus Chriſti, Præſertim quoad rationem meriti & ſatisfactionis.

POST proprietates quæ ſe habebant permanenter in Chriſto, modò agendum ſequitur de operationibus quæ exercebantur in Chriſto. Agendum autem eſt non tam quoad entitatem phyſicam ipſarum operationum, & qua ratione de pluribus earum in ſpecie, quatenus opus erat, intra ipſum Incarnationis myſterium ſatis in ſuperioribus tractatum eſt. Sed potius agendum de iis eſt quoad denominationem moralem meriti & ſatisfactionis: quæ denominatio pariter inter proprietates Chriſti communes, quatenus erat Deus & homo, connumeranda eſt: etenim Chriſtus inquantum erat Deus & homo, ſuum meritum ſatisfactionemquè pro nobis perfecit, vt ex dicendis conſtabit. Et conuenienter ſatisfactionem cum merito in hac quæſtione coniungimus, & tractationem de Chriſti ſatisfactione, à prima quæſtione vbi tractari ſolet, in hanc vſque remiſimus: nec enim debebat ſatisfactio à merito ſeparari, & ab initio ante ſubſtantiam ipſam aliaſque partes intrinſecas Chriſti præmitti, ſed potius debebat cum merito ſociari. Chriſtus enim merendo ſatisfecit, & ſatisfaciẽdo meruit. Nihilque amplius inter meritum & ſatisfactionem intereſt: niſi quia meritum dicitur in ordine ad bonum acquirendum, hoc eſt præmium & mercedem, ſatisfactio dicitur in ordine ad malum tollendum, hoc eſt culpam & pœnam: meritum dicitur ad conſtituendum Deum debitorem vt remuneret, ſatiſfactio dicitur ad ſoluendum & expiandum debitum quod nos contraximus ob offenſas & iniurias irrogatas Deo.

S. Thomas ſuam quæſtionem inſcribit de vnitate operationum in Chriſto, nempe conformiter ad duas ſuperiores proximas quæſtiones, de vnitate Chriſti quantum ad eſſe, & quantum ad voluntatem. Et per duos quidem articulos de hac vnitate pertractat: per alios verò duos abſolutè de merito Chriſti in ſuis ſcilicet humanis operationibus. Primò ergo docet, verè in Chriſto fuiſſe duplex operationum genus, diuinarum ſcilicet & humanarum: cùm nempe in Chriſto ſit duplex natura, & vtraquè cum ſua virtute operatiua, diuina ſcilicet & humana. Secundò docet, in Chriſto fuiſſe vnam humanam operationem: intelligit vnam in genere, ſiue per dependentiam ab vna humana libera voluntate. Tertiò de-

inde docet, Chriſtum per humanam ſuam operationem non meruiſſe ſibi ſcientiam, beatitudinem, & alias perfectiones, quas ab initio & ſemper habuit: quoniam meritum non eſt niſi eorum quæ nondum habentur. Meruiſſe vero ſibi gloriam corporis, & alia quæ pertinent ad externam eius excellentiam & celebritatem: quia nempe nobilius alioqui eſt, habere aliquid per ſe ipſum hoc eſt per ſua merita, quàm ſolùm ab alio ſine ſuis meritis. Quarto demum docet, bene potuiſſe Chriſtum mereri alijs, & vere meruiſſe: quia ad hoc conſtitutus ſuit caput omnium hominum & totius Eccleſiæ.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus præter operationes diuinas etiam humanas habuerit.

Monothelitæ negarunt in Chriſto operationes humanas.

PRæter errores eorum Hæreticorum, qui Chriſtum, vel verum Deum, vel verum hominem eſſe negantes, cõſequenter vel diuinas vel humanas operationes ei moliebantur auferre. fuit peculiaris error eorundem Monothelitarum, quos vnam tantùm voluntatẽ, nempe diuinam, Chriſto tribuiſſe, q. 12. memorauimus: ij inquam vnam quoque operationem in Chriſto fuiſſe dixerunt. Eamque re ipſa diuinam: nomine vero ex Dionyſ. epiſt. 4. quæ eſt ad Caium deſumpto, Theandricam; hoc eſt Dei virilem appellabant. Vaſquez autem diſp. 73. cap. 1. referens, hactenus Theologos cum D. Thoma putaſſe, hos Hæreticos omnem humanam operationem Chriſto ſimpliciter abſtuliſſe, ipſe ex actis Sextæ Synodi contra Monothelitas celebratæ deducit, illos negaſſe tantùm affectum efficacem voluntatis humanæ in Chriſto, ex quo fierent alij motus & actus externi, quos alioqui ignorare & occultare non poterant: ideoque vocaſſe Chriſti operationem Theandricam, quòd ſimul adunaretur affectus internus efficax voluntatis diuinæ & non humanæ, atque motus & actus externus immediate prodiens ex eodem ſolo affectu voluntatis diuinæ. Verùm, non ſolùm illos negaſſe in Chriſto omnem humanæ voluntatis affectum, & facultatem ipſã, antea quæſt. 12. ſect. 1. notauimus: ſed etiam circa alias; externas quoque operationes errasse videntur: non quidem negando penitus ipſos externos motus & actus, ſed dicendo, eos actiuè prouenire & perfici ab eadem ſola diuinitate Chriſti, & non ab humanitate, ſicque negando omnem humanam operationem, ideſt actionem, & actiuitatem. In hoc ſenſu S. Thom. alijque Theologi referunt Monothelitarum errorem. Hoc plane denotant verba Seueri Hæretici, quæ ex eadem Sexta Synodo refert S. Thom. hîc art. 1. Hoc denotant quoque verba Macarij, qui fuit eius ſectæ Auctor, quæ in eius confeſſione recitantur in ea Synodo act. 8. *Quemadmodum noſtrum corpus regitur & ornatur atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima noſtra; ita & in Domino Chriſto, totam hominis eius conſperſionem, ab eiuſdem Verbi diuinitate ſemper & in omnibus mota à Deo fuit.* Et paulo infra, *Operatur enim verè diuinitas per corpus quod circa eam eſt omnium ſalutem, vt corporis quidam ſint paſſiones, Dei verò operatio.* In hoc ergo ſenſu dicebant, nullam fuiſſe Chriſti operationem humanam, ſed ſolum diuinam, ſiue Dei virilem: ideſt quæ actiue exerceretur à ſolo Deo in ipſamet Chriſti humanitate.

Chriſtus præter diuinas habuit etiam humanas operationes.

Certum autem de fide eſt, Chriſtum, præter operationes diuinas, habuiſſe integre & perfectè & actiuè etiam humanas, tàm internas voluntatis, quàm externas aliarum potentiarum, ſicut alij homines habent. Et primo quidem de operationibus diuinis, tàm ad extra, quàm ad intra, id ita conſtat; ſicut Chriſtum eſſe verum Deum; à diuina enim perſona ſeparari & excludi non poteſt, vlla diuina perfectio, potentia, aut operatio, Deo ipſi in ſe conueniens. Neque Verbum diuinum aſſumens in vnitatem ſuppoſiti naturam humanam, poterat deſerere aut abſcindere in Chriſto, id quod in ſe habebat. Itaque, ſicut Verbum diuinum in ſe omnem diuinam operationem exercet, tàm ad extra quàm ad intra, excepta ſoli ingene-

Digitized by Google

generatione æterna, qua ipſum Verbũ generatur à Patre: ita Chriſto concedi & attribui debent omnes diuinæ operationes; veraque prædicatione poſſunt ac debent de ipſo Chriſto, de hoc homine, per communicationem idiomatum affirmari, vt quæſt. præcedenti ſtatutum eſt.

Patet ex Euangelio.

Secundò. De operationibus quoque humanis, id non minùs manifeſtum eſt, ex ſacris litteris, ſicut & Chriſtum eſſe verum hominem. Et ſanè Euangelica hiſtoria, fere tota eſt narratio humanarum Chriſti operationũ, qualiter Chriſtus loquebatur, ambulabat, comedebat, flebat, intuebatur, & audiebat, aliaquè faciebat, ſicut communiter homines ſolent. Atque hæ operationes externæ erant omnibus notæ, & ſenſibus ipſis percipiebantur. Operationes quoque internæ, non ſolùm intellectus aliarumque potentiarum, ſed & ipſius voluntatis, tàm per modum affectus efficacis quam inefficacis, ſatis expreſſæ ſunt in Euangelio, vt in ſuperioribus conſideratæ ſunt, & ſpecialiter contra Monothelitas quantum attinet ad voluntatem, perſpicuè demonſtratæ. Atque non ſolùm operationes internæ, ſed etiam externæ, actiuè promanabant & exercebantur ab ipſa humanitate Chriſti, ab ipſis potentijs connaturalibus & innatis humanæ naturæ. Hoc ipſum enim denotat modus loquendi euangelicus, quo dicitur ipſe Chriſtus hæc & illa feciſſe, ambulaſſe, comediſſe, &c., vtique Chriſtus vt homo, & ſecundùm humanam naturam: neque ſic denominatur niſi inquantum verè ſic agebat & exercebat has operationes, modo alijs hominibus connaturali & conſueto.

Ex Concilijs & Patribus.

Tertio. Hoc totum definitum eſt in pluribus Concilijs, in Sexta Synodo generali, & iterum in Septima, in Concil. Lateran. ſub Martino primo conſult. 5., in Concil. Florent. ſeſſ. vlt. Et oppoſitus error omnino damnatus, tanquam aperta hæreſis. Et ibi in Sexta Synodo act. 8., cùm Macarius pertinaciter dixiſſet, *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales, in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, nec ſi membratim incidar & mittar in mare*, hinc inquam merito fuit tanquam Hæreticus a Concilio damnatus & depoſitus, & nouus Dioſcorus & Apollinarius appellatus; *Hæreticum ſeipſum manifeſtè demonſtrauit, Nouo Dioſcoro anathema, Huiuſmodi deponatur, Nouum Dioſcorum foras mitte, Nouo Apollinario malos annos, Meritò ab Epiſcopatu alienetur, Nudetur circumpoſito ei pallio*. Eadem fuit communis doctrina Patrum, quorum dicta & verba pro hac veritate de humanis Chriſti operationibus per influxum & actionẽ eiuſdem humanitatis, copioſe referuntur ac recitantur in eadem Sexta Synodo. Dicta autem eſt a Dionyſio operatio Chriſti Theandrica, ideſt Dei virilis: quia reuera erat Dei hominis: nõ quod efficeretur ſolùm virtute diuina, ſed quia exercebatur ab illa humanitate, quæ erat in vnitatem hypoſtaſis coniuncta cum Verbo diuino, & accipiat valorem ac dignitatem ab ipſa Chriſti diuinitatẽ.

Ratione.

Quartò. Ratione etiam ſuadetur à priori: quia in Chriſto erat humana natura, prorſus integra & perfecta, ſecundùm omnes vires & facultates humanæ ſpeciei conſenteneas & connaturales; & tàm hæ facultates, quàm ipſa natura, erant penitus inconfuſæ & diſtinctæ à natura diuina eiuſque perfectionibus: operationes autem proximè exercentur virtute & actiuitate huiuſmodi facultatum: ergo poterant quoque & debebant eſſe in Chriſto operationes humanæ, prorſus diſtinctæ a diuinis, & quæ verè exercerentur & actiue manarent ab ipſa humanitate Chriſti mediantibus ſuis potentijs. Neque exercitium ac diſtinctio harum operationum quicquam præiudicabat vnitati perſonæ in Chriſto: ſicut, fatentibus ijſdem Monothelitis, non præiudicabat diſtinctio naturarum, quam vltro fatebantur & ſupponebant. Tanto magis etiam operationes eſſentialiter vitales, quales erant non ſolùm operationes internæ, ſed etiam ſenſuũ externorum, non potuiſſent prorſus aliter exerceri, quàm per influxum actiuum ſuarum connaturalium potentiarum immanenter operantium. Ratione quoque à poſteriori hæc veritas

demonſtratur: quia non niſi per operationes humanas procedentes ex humana voluntate effectiue & liberè poterat mereri & ſatiſfacere vt reuera meruit ac ſatisfecit.

Omnis operatio Chriſti vt hominis, erat humana & libera.

Quintò vlteriùs. Quo pacto operatio humana Chriſti ſit vna vel multiplex, de quo inquirit S. Thom. art. 2., facile patet. In ſpeciali enim, plurimas ac varias fuiſſe operationes Chriſti, ad inſtar aliorum hominum, ſatis manifeſtum & exploratum eſt. In generali vero dari communem conceptum operationis humanæ prout contradiſtinctæ ab operatione diuina, ſimiliter quoque perſpicuum eſt. Solùm aliqua difficultas eſſe poteſt de eo quod S. Thomas explicare intendit, num omnis operatio humanitatis Chriſti, fuerit operatio humana in eo ſenſu, quo S. Doctor antea in 1. 2. accipiebat operationem humanam, quæ fit humano modo, hoc eſt cum deliberatione & libertate; atq; in hoc ſenſu omnis operatio Chriſti vt hominis, ſit vna in genere, nempe in hoc genere operationis humanæ ſeu liberæ; ſit vna vnitate principij rationalis, à quo vel immediatè vel mediatè dependeat. Et in hoc optime reſoluit ac docet S. Thomas, operationes Chriſti, etiam partis ſenſitiuæ ac vegetatiuæ, fuiſſe aliquo modo humanas: quia ex perfectione ſanctitatis ipſius Chriſti, & coniunctione humanitatis ad Verbum, peculiari modo per rationem regebantur, & erant ſub dominio libertatis Chriſti.

Dependebat etiam ex virtute & perſona diuina.

Sexto deinde. Omnis operatio humana Chriſti, non ita contradiſtinguitur à diuina, quaſi ſolû ab humana virtute, & nullo modo à diuina depědeat. Certè enim omnes operationes humanitatis Chriſti, procedebant etiam immediatè à Deo tanquam cauſa prima per concurſum generalem, non minus quàm operationes cuiuſcunque alterius cauſæ creatæ. neque ex hac dependentia excipi vel ſubtrahi poterat vlla operatio Chriſti, vt per ſe patet. Rurſus operationes quæ erant ordinis ſupernaturalis, dependebant etiam à Deo per auxilium & concurſum ſpecialem ſupernaturalem: & ita in hoc erat neceſſarium humanitati Chriſti auxilium gratiæ, ſicut in alijs hominibus, & Angelis. Ex vtroque autem hoc capite, huiuſmodi concurſus in Chriſto, non erat proprius ſoli perſonæ Verbi, ſed erat communis toti Trinitati, iuxta illã regulam, quod indiuiſa ſunt opera Trinitatis ad extra. Alio adhuc peculiari modo operationes humanæ Chriſti dependebant à diuino ſuppoſito Verbi; eo nempe quo in vniuerſum operationes naturæ ſubſtantialis à ſuo ſuppoſito dependent, & dicuntur eſſe ſuppoſiti. Sic enim Verbum diuinum gerebat & exercebat in Chriſto munus ſuppoſiti, etiam reſpectu operationum. Et hoc pacto, inconueniens non eſt, ſed neceſſarium, fateri, operationes humanas Chriſti comparari ad ſolam Verbi perſonam, & non ad alias. Quo etiam fit, vt ſolum ipſum Verbum, non autem aliæ diuinæ perſonæ, per communicationem idiomatum denominetur operari per operationes humanas Chriſti. His omnibus ergo modis hæ Chriſti operationes dependebant omnino à Deo. Sed diſtinguũtur operationes humanæ à diuinis; quia diuinæ ſola diuina virtute exercebantur, humanæ autem humana, ſed ſimul concurrente ipſo Deo, vt dictum eſt.

Operationes Chriſti miraculoſæ, erant partim humanæ, & partim diuinæ.

Septimò tandem. Operationes miraculoſæ Chriſti, quæ naturalem humanitatis virtutem excedebant, tribuebãtur ipſi humanitati tanquam inſtrumẽto, vt quæſt. 13. tractauimus. Vbi diſtingui debet quædam actio propria & proportionata ipſi humanitati, vtpote tangere languentem, loqui, & ſimilia: & quædam actio effectiua operis miraculoſi, vtpote reparatio viſus in cæco, vitæ in mortuo, & ſimilia. Sic diſtinguit S. Thomas hic art. 1. in corp. & ad 2. Prior ergo actio verè exercebatur realiter & phyſicè ab ipſa humanitate tanquam à principio actiuo, & erat propriè actio humana. Altera autem actio dici non debet quòd exerceretur phyſicè & realiter ab eadem humanitate per modum inſtrumenti: ſed ſatis eſt ſi dicatur, quod ſolùm moraliter ab humanitate penderet, phyſicè autem & realiter à ſola diuina virtute exercetur, & ita propriè & in rigore ſit de genere operationis diuinæ ab humana

con-

conduſtinctæ : vt ibi quæſt. 13. explicauimus.

Benè poterant ab vno ſuppoſito prodire humana ac diuina operationes.

Contra concluſionem poſitam obijci ſolùm poteſt, quòd videtur fuiſſe Monothelitarum fundamentum : quia operationes ſunt ſuppoſiti & perſonæ : ſed in Chriſto vnum tantùm erat ſuppoſitum, vna perſona, nempe Verbi diuini : ergo & vnum tantùm erat genus operationis, nempe diuinæ, ſublato alio diſtincto genere operationis humanæ.

Reſpondetur facile. Vni ſuppoſito poſſe plures operationes conuenire, etiam ratione vnius naturæ habentis plures potentias, imo & ratione vnius potentiæ reſpicientis plura obiecta aut plures effectus : quanto magis vnum ſuppoſitum habens duas naturas, poteſt ac debet habere operationes vtriuſq; naturæ. Et ratio eſt: quia non ideo dicuntur actiones eſſe ſuppoſiti & perſonæ, quaſi ipſa ſola ſubſiſtentia & perſonalitas ſit virtus operatiua : vnde ſequeretur, in Chriſto in quo eſt ſola diuina ſubſiſtentia, eſſe quoque ſolam diuinam virtutem & operationem. Sed ideo dicuntur actiones eſſe ſuppoſiti : quia ſubſiſtentia complet ac terminat naturam, habentem ſuas virtutes ad operandum. Cùm ergo poſſit vna natura habere plures virtutes, & poſſit vna ſubſiſtentia terminare plures naturas, vnum ſuppoſitum habere plures naturas, vt ijdem Monothelitæ fatebantur : ſic optime fieri poteſt, vt eadem perſona habeat plura operationum genera, & vt Chriſtus vere & proprie tàm humanas quàm diuinas operationes agendo exerceret.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Chriſtus per operationes humanas verè meruerit apud Deum.

Chriſtus nō meruit per operationes diuinas.

CHriſtum per operationes diuinas, ab humana eius voluntate independentes, non meruiſſe, nec potuiſſe mereri, prorſus manifeſtum & conſpicuum eſt : ſicut nempe Deum ipſum ſua voluntate operantem non poſſe mereri. Debemus quidem nos Deo benefacienti, laudem, amorem, obſequium: tamen hæc reſpectu Dei non habent vtique rationem præmij & mercedis. Sed in vniuerſum ratio meriti dicit reſpectum aliquo modo inferioris ad ſuperiorem à quo remuneratio expectatur. Non ergo dici poteſt Deus, ſiue Chriſtus per diuinam voluntatem, mereri apud homines. Neque Chriſtus quatenus Filius Dei mereri apud Patrē: quia neque vt ſic eſt illo inferior : neq; habet aliam voluntatem, alias operationes, à voluntate & operationibus Patris. Sicut ergo abſolute Deus ipſe dici non poteſt mereri apud Deum, ita nec vna perſona diuina apud aliam.

Meruit per operationes humanas.

Per operationes humanas Chriſtum vere & proprie meruiſſe apud Deum, eſt certum de fide, & patet ex ipſo Incarnationis intento, nempe ob noſtrā iuſtificationem & ſalutem : non enim aliter Incarnatio erat medium aptiſſimum ad hunc effectū, niſi in quantum Chriſtus mereretur noſtram iuſtificationem & ſalutem, ſatisfaceret pro noſtris peccatis, quod in hac re in idem redit. Merebatur autem Chriſtus apud Deum, ideſt non ſolùm apud Patrem, ſed abſolutè apud omnes perſonas diuinas, atque adeo etiam apud ſeipſum quatenus Dei Verbum & Filium : quia nempe merebatur per humanam voluntatem & operationes : & remuneratio ac recompenſatio expectabatur omnino ab ipſo Deo abſolute ſpectato, ſiuè à tota Trinitate. Conſtabit autem magis hoc Chriſti meritum ex ſequentibus, vbi aſſignabimus quænam & quibus Chriſtus meruit. Nunc breuiter in genere explicandum magis eſt, inueniendo in operibus Chriſti omnes conditiones ad veram rationem meriti requiſitas.

Operationes Chriſti erant liberæ, bonæ & ſupernaturales.

Primò ex parte operis requiritur libertas, bonitas, & vt aliqui addunt ordinatio ad Deum, ac ſpecialiter ad mercedem ſupernaturalem requiritur quoque ſupernaturalis honeſtas : de quibus conditionibus in vniuerſum tractauimus ſuo loco de merito 1. 2. q. vltima ſect. 14. & 15. Operationes Chriſti fuiſſe liberas, iam circa eius voluntatem ſupra q. 12. ſatis oſtendimus : &, rurſus ſect. ſeq. determinabimus, non niſi per actus

Digitized by Google

actus liberos Chriſtum Dominum meruiſſe. Vnde quod quidam Nominales hanc conditionem in quibuſdam Chriſti operibus non expoſcunt, ſine cauſa & inconuenienter contra meriti rationem ab eis dictum eſt: cùm ſane in vniuerſum ex ratione ipſa meriti appareat requiri libertatem: & vere in operibus Chriſti meritorijs reperiatur, vt etiam de ijs quæ cadebant ſub præcepto ſuperiori quæſt. 18. explicauimus; & de actu dilectionis dicemus ſect. ſeq. Rurſus operationes Chriſti fuerunt maxime bonæ & ſanctæ. Nec enim vlla eius actio mala fuit, vt q. 15. oſtenſum eſt. Neque putandum eſt, vllam fuiſſe indifferentem inter bonum & malum: quia ſine dubio Chriſtus ſemper perfecto modo operabatur. Atque ratione eiuſdem bonitatis, actiones Chriſti ſemper ordinabantur ad Deum. Ac etiam ſi alia magis expreſſa ordinatio ab operante requiratur; adhuc ex ipſo Euangelio, & ex inſigni charitate Chriſti, ſatis conſtat, Chriſtum expreſſe ordinare & dirigere ad Deum ſua opera conſueuiſſe. Similiter, ſi aliorum iuſtorum opera ſunt ordinis ſupernaturalis, vt proportionata fine ad mercedem eiuſdem ordinis, omnino opera Chriſti erãt in excellẽti gradu ſupernaturalis, vt ita omnibus conditionibus ex parte ſua ad meritũ requiſitis prædita & ornata eſſẽt.

Chriſtus erat viator & ſanctus. Secundo ex parte operantis ad meritum requiritur, eum eſſe viatorem & iuſtum, vt eodem loco de merito ſect. 16. tractauimus. Chriſtus ergo, quandiu mortalem vitam egit, fuit vere viator: quamuis ſimul ratione beatitudinis eſſentialis quam ab initio habuit, fuerit etiam comprehenſor: vt D. Tho. ſupra quæſt. 15. art. 10. explicauit. Fuit quoque non ſolùm ſupra omnes alios iuſtus & ſanctus per gratiam habitualem; ſed ſingulari modo per ipſammet hypoſtaticam vnionem, vt q. 7. tractauimus. Illi vero Theologi qui ibi dicebant, gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam in Chriſto ad eius ſanctificationem, conſequenter faciunt neceſſariã quoque ad meritum. Sed & alij quidã id approbant. Et Riccard. in 3. d. 13. art. 1. q. 1. ad vlt. affirmat, gratiam habitualem contuliſſe operibus Chriſti maiorem meriti valorem, quàm ratione vnionis ſolius haberent. Ex eo tamen quod eo loco oſtenſum eſt de ſanctitate Chriſti, manifeſte ſequitur, gratiam habitualem non fuiſſe neceſſariam ad eius meritum: ſed ipſius opera ratione vnionis per ſe fuiſſe maxime meritoria: imo & habuiſſe infinitum valorem intra: in hac quæſt. oſtendemus. Quare nec admittendum eſt, auctum fuiſſe valorem aut meritum per gratiam habitualem: quod enim infinitum eſt, nõ ſuſcipit incrementum, nec poteſt denominari maius. Et ita nec dicitur Chriſtus per gratiam habitualem eſſe magis ſanctus, quam per ſolam vnionẽ fuiſſet. Sed tantùm admitti poteſt, Chriſtum penes gratiam habitualem habuiſſe aliam ſanctificationis & meriti rationem, præter vnionem: Sicut in vniuerſum, ex finito addito ad infinitum, dici non debet fieri quid maius, ſed ſolùm fieri quædam plura. Quod ipſum dici ſolet, non fieri quid maius intenſiuè, ſed extenſiuè.

Deus acceptauit & remunerauit opera Chriſti. Tertio ex parte Dei ad completam rationem noſtri meriti requirebatur diuina acceptatio & promiſſio de retribuenda mercede, vt explicauimus ea quæſt. de merito ſect. 11. Hæc acceptatio & promiſſio certè nõ defuit pro operibus & meritis Chriſti. Imò ſpecialiter expreſſa eſt in ſacris literis. Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Iſai. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Atque ab euentu ipſo ſatis approbatum eſt, qualiter accepta fuerint Deo merita Chriſti, & eximijs præmijs recompenſata.

Qualiter Chriſtus non poterat non mereri. Hinc tandem patet, qualiter verificetur quod dixit Alenſis 3. par. q. 16. memb. 1. Chriſtum non potuiſſe non mereri bonis operibus. Si enim intelligatur quoad completam meriti rationem, inuoluendo obligationem Dei ad remunerandum: verum non eſt: quia potius potuiſſet ſimpliciter Deus non promittere, non retribuere mercedem, pro vllis operibus Chriſti, loquẽdo de potentia abſoluta. Si autem intelligatur quoad valorem ipſorum operum,

rum, ſtante quod fierent cum conditionibus requiſitis, cum quibus reuera facta ſunt: ſic verum eſt, opera Chriſti non potuiſſe non habere talem valorem: hic enim valor conſiſtit in intrinſeca æſtimabilitate & condignitate ipſorum operum. Si vero intelligatur quoad exercitium & exequutionem operum, quod ſcilicet Chriſtus non potuiſſet non bene operari ad merendum: ſic ſpectat ad Chriſti libertatem & impeccabilitatem, de qua antea tractatum eſt. Et verè quidem vagè ac indefinitè loquendo, non poterat Chriſtus non exercere aliquos virtutum actus, aliqua virtutum opera, quamuis non eſſet determinatus ad hunc vel illum certum actum, præſertim internum, vt de ipſa libertate q. 12. explicauimus.

SECTIO TERTIA.

Per quas humanas operationes Chriſtus meruerit.

Chriſtus meruit per actus virtutum internos.

IN primis, ſicut alij homines non niſi per operationes virtutum merentur, & præcipue formaliter per internas, hoc eſt per actus elicitos voluntatis: cùm nempe actio non bona non ſit capax meriti, & actus exterior ſeu imperatus vt ſic formaliter non addat maiorem meriti rationem ſupra actum internum elicitum voluntatis, ſed ſolùm ex eodem actu interno denominatur bonus & meritorius, vt ex 1. 2. ſupponimus: ita de operibus Chriſti Domini ſentiendum eſt; quoad hoc enim eadem & communis eſt ratio. At quia omnis operatio Chriſti erat bona & virtuoſa, iam erat ex hac parte meritoria. Et dum dicimus, Chriſtum operando meruiſſe, ſub hoc intelligitur etiam patiendo meruiſſe: dum dicimus, operationes Chriſti fuiſſe meritorias, ſub hoc nomine intelliguntur etiam paſſiones. Nam libenter pati & tolerare iuxta regulam virtutis, eſt moraliter bene operari. Et ex parte quidem internæ voluntatis interuenit in omni rigore actio & actus elicitus, quo voluntas conſentit pati: ex parte autem externa, & ipſius corporis, interueniebat ipſo, actus ſubeundi & ſuſcipiendi paſſiones, tanquam actus imperatus: inquantum inquam actus imperatus dicitur conſtituere vnum quid in genere moris cum actu elicito, quamuis non addat ſupra illum nouam & maiorem meriti rationem.

Meruit per actus ſupernaturales.

Secundo. Inter operationes virtuoſas, diſtinguuntur actus ſupernaturales virtutum infuſarum, & naturales ſeu purè morales virtutum acquiſitarum. Suarez diſp. 39. ſect. 2. concl. 3. affirmat, etiam per actus naturales virtutũ acquiſitarum, Chriſtum meruiſſe præmium ordinis ſupernaturalis. Quia, inquit, erant per ſe honeſti, & à Chriſto referebantur ad finem ſupernaturalem. Vel, quamuis ab ipſo non expreſſè referrentur, adhuc ſola dignitas ſuppoſiti operantis reddebat eos actus proportionatos ad retributionem ſupernaturalem. Sicut humanitas ipſa Chriſti per vnionem ad Verbum ſanctificata fuit, dignaque reddita, cui gratia & gloria aliaque dona ſupernaturalia deberentur: maiorem namque valorem conferebat actibus bonis tanta dignitas perſonæ operantis, quàm quæcunque conditio ipſorum actuum. Item ſupponit Valent. q. 19. puncto 3. §. *Præterea*, & conſentiunt Vuigers hac q. art. 4. dub. 2. & Bonacina diſp. 2. q. 12. puncto 3.

Verùm, etiam in hoc aſſimilari poſſunt operationes Chriſti cum noſtris: vt ſicut alij iuſti non merẽtur mercedem ſupernaturalem niſi per actus eiuſdem ordinis, & alioqui per actus naturales & purè morales mereri tantum poſſunt retributionem ordinis naturalis, vt diximus item 1. 2. q. vlt. ſect. 15. tractãtes de merito in communi: ita & Chriſtus non niſi per actus ſupernaturales tale præmium mereri potuerit. Etenim vna conditio eſt proportio operis ad mercedem, & alia eſt dignitas operantis: & ambæ per ſe ac diſtinctim requiruntur ad meritum: ſed vnio hypoſtatica eſt dignitas ex parte operantis, & eſt diuerſa à proportione requiſita ex parte operis: ergo neceſſaria quoque eſt hæc proportio in proprio genere. Et exemplum hominis iuſti hoc planè demon-

demonſtrat: nam gratia habitualis ſanctificat animam, ſed non per hoc dignificat opera ſi in ſe proportionata non ſunt. Et quamuis vnio hypoſtatica ſit longè dignior: tamen ſicut gratia habitualis quantumuis creſcat, ac ſi per impoſſibile creſceret in infinitum, non eleuaret actus naturales ad præmium ſupernaturale, eo quòd ſit diuerſæ rationis à proportione requiſita ex parte actus: ita licet vnio hypoſtatica ſit infinita quædam dignitas, adhuc eſt intra genus dignitatis ex parte operantis, vnde requiret adhuc proportionem ex parte operis. Et rurſus quæcunque dignitas ſuppoſiti operantis vtique requirit quoque bonitatẽ ex parte actus, & Chriſtus ipſe non niſi per actus bonos mereri poterat: quia nimirum bonitas eſt per ſe neceſſaria in ipſo actu ad meritum, quæ propterea ſuppleri non poteſt per dignitatem operantis: ergo debebant quoq; actus Chriſti eſſe ſupernaturales ad promerendam mercedem ſupernaturalem. Sicut enim ſe habet actus bonus ad mercedem ſimpliciter, ita ſupernaturaliter bonus ad mercedem ſupernaturalem: ergo ſicut præciſa bonitate actus, & poſita quacunque dignitate operantis, non poteſt actus eſſe meritorius vllius mercedis, etiam merè naturalis; ita ſecluſa honeſtate ſupernaturali non erat meritorius mercedis ſupernaturalis.

Omneſque eius actus erant ſupernaturales.

Sed quidem dum Chriſtus operabatur ex motiuo virtutis, facillimum illi erat operari ex motiuo ſupernaturali, & exercendo actum ſupernaturalem: non ergo eſt cur dici debeat Chriſtus meruiſſe per actum vllum naturalem; ſed bene dici poteſt ſemper & in omni actu meruiſſe, quia ſemper exercebat actum ſupernaturalem. Quia tamen in voluntate Chriſti concedebamus ſupra q. 12. ſect. 2. actus quoſdam ſecundùm portionem inferiorem, qui eſſent in ſe naturales: ideo conſiderari debet in voluntate Chriſti alius actus, quo determinabit in ſe admittere actus illos inferiores: ſic enim ibi dicebamus, Chriſtum admittere voluiſſe affectum triſtitiæ & timoris de paſſione ſua. Atque ille actus quo Chriſtus volebat in ſe admittere tales actus naturales, erat in ſe ſupernaturalis: ſi quidem ex honeſto ac ſupernaturali motiuo eos admittebat. Sicut ergo Chriſtus volens facere alios actus externos bonos, merebatur; cum actus quidem externus eſſet in ſe naturalis, actus verò voluntatis internus ſupernaturalis: ita quoque ſentiendum eſt de dictis actibus voluntatis, vt ſcilicet actus naturales ſe haberent ſolùm tãquam actus imperati ad inſtar actuum externorum.

An meruerit per actum charitatis & dilectionis Dei.

Tertio. Inter actus ipſos ſupernaturales virtutum infuſarum præcipuè cõſideratur actus charitatis & dilectionis erga Deum, qui ſanè eſt excellentiſſimus omnium. Et de hoc ſpecialiter dubitatur, num Chriſtus per illum meruerit. Et ratio difficultatis eſt: quia Chriſtus ex vi beatificæ viſionis Dei, neceſſario & non liberè diligebat Deũ, eodemque actu ſe extendebat etiam ad diligendum proximum: ſi ergo de ratione meriti eſt libertas, vt ſtatutum eſt, plane talis actus non erat meritorius. Nec poterat Chriſtus ſimul alio diſtincto actu libero dilectionis ex vi ſcientiæ infuſæ diligere Deum & proximum: quia vel per hanc ſcientiam non attingebat Deum: vel eſto attingeret, adhuc ſola illa cognitio perfectior, id eſt clara viſio poterat mouere ad diligendum Deum: alioqui enim fuiſſent duo accidentia ſolo numero diuerſa in eodem ſubiecto, in eadem volũtate Chriſti; ſiquidem non diſtingueretur ſpecie vnus actus dilectionis ab alio.

Propter hoc Vaſq. diſp. 74. cap. 3. negat, Chriſtum meruiſſe per actum dilectionis Dei. Et in eandem ſententiam refert Alenſem, Altiſiodor., Bonau., & quoſdam alios. Adhæret Abra diſp. 2. cap. 2. q. 2. At certè, durum eſt negare, Chriſtũ meruiſſe per tale genus actus, quod eſt inter omnes virtutes perfectiſſimum, & ex quo frequentiſſimè Chriſtus alia etiam ſua opera exercebat, ex amore ſcilicet & dilectione Dei & proximi: nam Chriſtus paſſim & ordinariè operabatur ac patiebatur ex ingenti ſua dilectione erga Deum, quem glorificare intendebat, & erga homines pro quorum ſalute veniebat. Et hoc ipſe indicauit, quando dixit, Ioann. 14. Vt

cogno-

Digitized by Google

cognoſcat mundus quia diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Et Patres omneſquè ſacri Doctores maximè commendare ſolent charitatem ipſam Chriſti, quæ obliget & inducat nos ad illum viciſſim amandum: & de charitate qua Chriſtus dilexit nos plerunq; intelligunt illud Apoſtoli 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, &c.* Quare ſimiliter dici debet charitas & dilectio Chriſti fuiſſe meritoria apud Deum, Et ita Theologi vt plurimum conati ſunt ſaluare & explicare rationem meriti in dilectione Chriſti. Et nos etiam ad id eniti debemus.

Nõ meruit per actum dilectionis beatificæ.

Nominales quidem propterea dicebant, Chriſtum meruiſſe per actum ipſum dilectionis beatificæ procedentem ex clara viſione Dei: dicentes, vel illũ actum eſſe liberum; vel ad meritum nõ tàm neceſſariam libertatem, quin ſaltẽ acceptatione peculiari diuina suppleri poſſit. Verùm, actum dilectionis Dei in Beatis eſſe abſolutè neceſſarium, tàm quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem, iam ſupponimus ex ſuo loco de Beatitudine 1.2. quæſt. 4. ſect. 2. quare ita etiam erat in Chriſto. Ad meritum verò requiri prorſus libertatem, ſimiliter ſupra ſtatuimus ex dictis ſuo loco de merito. Ex quibus ſanè concluditur, Chriſtum non meruiſſe per talem actum beatificæ viſionis, quatenus neceſſarium.

Quidam alij apud Ioann. Vincent. in Relect. de Grat Chriſti cap. 5. art. 3. dub. 1. dixerunt, Chriſtum habuiſſe ſpecialem poteſtatem ſuſpendendi illũ dilectionis actum, nempe per poteſtatem factiuam miraculorum; & ita ex hac parte illum actum fuiſſe liberum; atque adeo meritorium. Verùm fuiſſet quidem hic modus poſſibilis. Etenim eodem loco de Beatit. dicebamus, fieri poſſe de potentia abſoluta Dei, vt exiſtente viſione in intellectu & habitu in voluntate Beati ceſſaret actus dilectionis: quare ſic potuiſſet Chriſto ipſi dari poteſtas ad ſuſpendendum talem actũ, eo ſcilicet modo quo habebat poteſtatem ad facienda alia miracula. Attamen de facto id dici non debet: quia non debet extendi poteſtas miraculorum factiua ad talem effectum, ſicut nec ad ſuſpendendum actum ipſum claræ viſionis; nec enim in poteſtate Chriſti erat à tali actu ceſſare: Et quia non debet meritum Chriſti explicari per hoc quòd ipſe non faceret quoddã miraculum; nec enim data fuit Chriſto poteſtas faciendi miracula, ad hoc vt non faciendo acquireret meritum, ſed ad hoc vt faciendo oſtenderet ſuam poteſtatem & diuinitatem.

Nec in eodem actu poteſt conſiderari vlla pars libera et meritoria.

Rurſus aliqui cogitarunt, eundem actum dilectionis beatificæ in Chriſto fuiſſe ſimul ex vna parte neceſſarium; ex alia verò parte liberum, & ſic meritorium. Idquè adhuc pluribus modis. Vno modo, eſſe neceſſarium quatenus attingit Deum, fuiſſe liberum quatenus extendebatur ad proximum. Et ita ſentit ibi Ioann. Vincent. & hîc Cabrera q. 19. art. 3., Aluar. diſp. 45. Alio modo, quem approbat Valent. hic q. 19. puncto 2.; & defendit Lugus diſp. 27. ſect. 1., etiam circa Deum ipſum, fuiſſe neceſſarium & non meritorium quatenus attingebat bona intrinſeca Dei; fuiſſe liberum & meritorium quatenus extendebatur ad bona extrinſeca Dei, ſcilicet honoris & gloriæ. Alio denique modo, eundem totum actum dilectionis proceſſiſſe ſimul ex clara viſione & ex ſcientia infuſa: & ita quatenus procedentem ex clara viſione fuiſſe neceſſarium ac non meritorium, quatenus verò procedentem ex ſcientia infuſa fuiſſe liberum ac meritorium.

Sed certè per ſe apparet, non poſſe eundem realiter actum ſimul eſſe neceſſarium & liberum. Vel enim reuera & ſpectatis omnibus præuijs ad operandum, voluntas poteſt non exercere talem actum, & ſic eſt prorſus liber, & non eſt neceſſarius: vel non poteſt nõ exercere, & ſic eſt prorſus neceſſarius & non liber. Et quidem ad hoc vt actus ſit ſimpliciter neceſſarius, ſatis eſt vt ex vna qualibet parte trahat neceſſitatem: quamuis enim aliæ partes ex quibus dependet non afferant neceſſitatem, non propterea actus eſt liber: quia actus liber eſt, qui ſpectatis omnibus præuijs ad operandum poteſt exerceri & non exerceri. Et alioqui ſemper omnis actus eſſet liber, & nul-

lus

Digitized by Google

lus eſſet neceſſarius: quia ſaltem ipſa potentia voluntatis eſt de ſe indifferẽs, nec per ſe habet aut dat actui neceſſitatem: ergo ſemper actus eſſet ex hac parte liber.

Explicatur & confirmatur magis. Chriſtus amans ſimul Deum & proximum, ſi libere attingit proximum, ergo poteſt abſtinere & ceſſare ab illo attingendo; Sed erat vnus ſimplex actus, quo dicebatur attingere ſimul Deum & proximum, ergo poterat totum eum actum ſuſpendere: vel ſi non poterat ceſſare à diligẽdo Deo, nec etiã poterat ceſſare ab attingendo proximo per eũdem indiuiſibilem actum. Nec enim cogitari poteſt, in poteſtate & libertate Chriſti fuiſſe, nec omnino poſſibile erat, vt per eundem ſimplicem & indiuiſibilem actum creatum, in ſe inuariatum, attingeret aut non attingeret, ſiue modo attingeret & modo non quoddã obiectum, ſiue dicamus quandam partem ſui obiecti. Neque in hoc comparandus eſt actus humanus voluntatis Chriſti, cũ actu diuino voluntatis Dei; & fruſtra aliqui ex illis Auctoribus in hoc comparare conantur. Item nec erat in poteſtate & libertate Chriſti, variare & mutare totum actum, quaſi potuiſſet, vel exercere vnum actum quo attingeret ſolum Deum, vel alium actum quo attingeret ſimul Deum & proximum, neceſſariò tamen deberet alterutrum exercere, & ſic habuiſſe quidem neceſſitatem ad amandum ſimpliciter ipſum Deum, non tamen ad amandum proximum. Etenim neceſſitas in Beatis ad actus beatificos, eſt determinata ad tales certos actus in ſpecie & in indiuiduo. Sic certe Beatus neceſſariò determinatur ad certum quendam actum viſionis: nec in eius poteſtate eſt, exercere vnum aut alium viſionis actum, ſiue vnum quo videret ſolum Deum, aut alium quo videret ſimul aliquas creaturas. Neque Chriſtus in hoc differebat ab alijs Beatis. Quod vero diximus de dilectione Dei & proximi, idem procedit aduerſus alios modos, de appetendis bonis intrinſecis & extrinſecis Dei, de eliciendo actu dilectionis ex viſione clara & ſciẽtia infuſa.

Præterea, quantum ad rationem meriti, ex vna parte præſtat dicere, Chriſtum meruiſſe, non ſolum per dilectionem proximi, ſed multo magis per dilectionem Dei, quæ eſt adeo excellentior, & eſt propriè virtus Theologica ac ſuprema. Item meruiſſe, non ſolum attingendo bona extrinſeca Dei, ſed multo magis bona intrinſeca, quæ ſunt diuina & in infinitum ſublimiora. Ex alia parte præſtat dicere, non meruiſſe per eundem realiter actum dilectionis beatificæ, & realiter procedentem ex viſione clara Dei. Etenim beatitudo & meritum ſunt res diuerſi ordinis. Et in alijs quidem non conceditur, vt idem homo ſimul ſit beatus & mereatur. In Chriſto vero ob peculiarem rationem, ad ſummum concedi debet, quod ſimul erat beatus & merebatur: non tamen admitti debebit, quod per eundem quoque realiter actum eſſet beatus & mereretur: ſed ſaltem in ipſis actibus beatificis & meritorijs debet ſeruari diſtinctio.

Meruit per alium diſtinctum dilectionis actum.

Itaque facilior modus, quo defendẽdum eſt, Chriſtum per actum dilectionis meruiſſe, erit diſtinguendo realiter alium dilectionis actum, ab actu dilectionis beatificæ communi alijs Beatis, & procedentem ſpecialiter ex ſcientia infuſa. Sicut enim tribuebamus Chriſto hanc ſcientiam, diſtinctam prorſus à clara viſione, & accomodatam ſtatui viatoris: ita conuenienter illi tribuetur alius diſtinctus dilectionis actus, propriè ex hac ipſa ſcientia infuſa procedens. Et hic actus erat liber, ſicut eſt in alijs viatoribus: nec erat vnus inuariatus & perpetuus actus, ſed varijs temporibus & modis eliciebatur, ſicut & in nobis contingit. Ita ergo erat meritorius, & verè Chriſtus per actus charitatis & dilectionis Dei merebatur. Hoc voluit S. Thomas hac q. art. 3. ad 1. dicens de Chriſto: *Non meruit per charitatem inquantum erat charitas comprehenſoris, ſed inquantum erat viatoris. nam ipſe fuit ſimul viator & comprehenſor*: vbi planè indicauit duplicem charitatem, vnam comprehenſoris, & alteram viatoris: & intendebat explicare, non eandem charitatem habuiſſe ſimul ratione præmij & meriti. Et infra q. 34. art. 1. in corp., loquens de Chriſto

riti ſto

ſto in primo ſuæ conceptionis inſtanti, inquit, *Quòd ſecundùm propriũ motũ liberi arbitrij in Deum fuerit ſanctificatus, qui quidẽ motus liberi arbitrij eſt meritorius:* vbi etiam motus liberi arbitrij, quo anima ſanctificatur, idest meretur ſanctificantem gratiam, debet intelligi actus dilectionis Dei ſuper omnia, diſtinctus inquam ab actu dilectionis beatificæ, & per ſe ex ſcientia infuſa procedens. Eandemque ſententiam magis communiter Thomiſtæ ſequuntur, Ferrar. 3. cont. Gent. cap. 82. ad finem, Sotus lib. 3. de Nat. & grat. cap. 7., Medina hîc art. 4. q. ſua 1. ad 3. & q. 2. poſt 2. concl., Suarez diſp. 39. ſect. 2., Adamas Tannerus diſp. 31. q. 6. dub. 4., Peſantius hac q. art. 3. diſp. 1., Vuigers art. 4. dub. 2. & alij frequenter. Ratione autem ſuadetur: quia ſi poſſibile erat in Chriſto reperiri talem diſtinctum actum dilectionis, id erat prorſus conuenientiſſimum & aptiſſimum ad cõſtituendum in illo tale meritum: fuiſſe autem poſſibile conſtabit, ſoluendo rationem difficultatis in oppoſitum præmiſſam.

Benè poterant ſimul eſſe plures dilectionis actus in voluntate Christi.

Chriſtus per ſcientiam infuſam à beata diſtinctam, ſupernaturaliter cognoſcebat & attingebat Deum, vt iam oſtẽdimus q. 11. Et hæc cognitio mouebat quoque voluntatem Chriſti ad diligendum Deum, alio ſcilicet amoris actu, diſtincto ab illo beatifico ac neceſſario procedente ex clara viſione. Non ergo deerat ex parte cognitionis ſufficiens ratio diſtinguẽdi huiuſmodi actus amoris. Ex parte etiam ipſius amoris, amor viæ diſtinguitur ſpecie ab amore patriæ: tum ob diuerſam cognitionem à qua prouenit, ſicut amor naturalis ortus ex cognitione naturali, differt ſpecie ab amore ſupernaturali orto ex cognitione ſupernaturali: tum ex eo quòd amor patriæ eſt ex natura ſua actus neceſſarius, amor viæ ex natura ſua poteſt eſſe liber. Vel ſi non diſtingueretur ſpecie: poterat ſaltem diuina diſpoſitione fieri, vt duo actus amoris ſolo numero differentes ſimul conſiſtere poſſent in eadem voluntate Chriſti: eratque maxima conuenientia vt ita fieret. Vel etiam aderat ſufficiens ratio differentiæ ſaltem indiuidualis, ad hoc vt ij duo actus connaturaliter poſſent coexiſtere ſimul. Nam etiam ſupponendo quòd non poſſint coincidere ſimul duo accidentia ſolo numero diſtincta; adhuc admitti ſolet, poſſe coniungi aliqua habentia peculiarem quandam differentiam, vt explicat Valent. puncto 2. citato: Sic dici ſolet de pluribus ſpeciebus intentionalibus, ac etiam de actibus cognitionis circa obiecta ſolo numero differentia. Sic ergo diceretur ſufficere differentia inter actum amoris neceſſarium procedentem ex clara viſione, & actum liberum procedentem ex ſcientia infuſa, ſi quis inquam contenderet, talem differentiam non fore ſpecificam, ſed ſolùm numericam. Ac demum facilè quoque interuenire poterat aliqua differentia ex parte obiecti, ſiue dicatur ſpecifica, ſiue numerica. Etenim per actum dilectionis beatificæ Chriſtus volebat abſolutè bonum Dei: at poterant eſſe alij varij actus dilectionis particulares circa vnum vel aliud certum bonum. Imò actus dilectionis qui in omnibus Beatis neceſſariò ex Dei viſione conſequitur, dicit quidem complacentiam de omnibus bonis proprijs Dei, & voluntatem efficacem placendi Deo in omnibus quæ cadunt ſub præcepto: ſed non dicit neceſſariò voluntatem faciendi quæcunque alia citrà præceptum poſſint placere Deo, quin potiùs in hac voluntate & in his actibus habent Beati ſuã libertatem. In hoc ergo genere Chriſtus exercere poterat varios actus liberos dilectionis Dei, & ſine dubio frequentiſſimè exercebat, & ex hac perfectione liberæ dilectionis ordinariè operari ſolebat. Et inde id faciliùs conſtat de varijs actibus charitatis & dilectionis erga homines. Quare Chriſtus omninò mereri potuit; & verè de facto meruit per huiuſmodi actus eximiæ & feruentiſſimæ charitatis erga Deum & homines.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Quo tempore Chriſtus meruerit.

IN primis, Chriſtum non meruiſſe in primo ſuæ conceptionis inſtanti, ſignificarunt Alenſis 3. par. q. 17. memb. 2. art. 1., Durand. in 3. d. 18. q. 2., & alij quidam. Aſſerendum tamen eſt, verè Chriſtum incepiſſe mereri ac meruiſſe in ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti, id eſt ſtatim atque incepit exiſtere & viuere. Ita docent S. Tho infra q. 34. art. 3., & Recentiores eadem vel præſenti quæſt., Magiſter, Riccard., Scot., Gabr., Marſil., Almain., & alij Scholaſtici in 3. d. 18. Probari ſolet ex illis verbis Apoſtoli ad Hebr. 10., dicentis de Chriſto: *Ingrediens mundum dicit. Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi:* vbi ad Chriſtum trahit hæc & ſequentia verba ex Pſal. 39., & ſubdit: *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* Et Theologi intelligunt, Chriſtum in ipſo primo inſtanti ſui ingreſſus in mundum, inchoando humanam vitam, habuiſſe perfectiſſimum voluntatis actum, quo acceptauit officium noſtræ redemptionis, ſeque obtulit Deo Patri ad patiendum pro humana ſalute; & ex tunc incepiſſe mereri noſtram ſanctificationem. Sed Vaſquez, diſp. 75. alio modo hunc locum conatur exponere. Ratione probatur concluſio: quia fieri potuit, vt Chriſtus in primo inſtanti operaretur & mereretur: ergo ita factum eſt. Conſequentia habetur pro certa: quia conueniũt Theologi in hoc vt Chriſto attribuant id quod maioris perfectionis, & magis congruit eius ſanctitati, & eximiæ charitati. Antecedens non aliter probari debet, niſi quia iam in eo inſtanti aderant omnia requiſita ad operandum & merendum, nec quicquam obſtabat, vt patebit afferendo ea quæ ex aduerſo opponuntur.

Chriſtus incepit ſtatim mereri ab initio ſuæ conceptionis.

Alenſis inquit: prius eſt cauſam exiſtere quam operari: ergo non poterat Chriſtus in eo primo inſtanti mereri. Sed aſſumptum eſt falſum de ordine temporis: quinimò cauſæ naturales ſtatim ac incipiunt exiſtere, pariter incipiunt operari, ſi habeant ſubiectum diſpoſitum: vtpote Sol ſtatim incæpit illuminare, & ſic de alijs ſimilibus. Ideo addiderunt aliqui: ſaltem in primo inſtanti non poteſt eſſe operatio libera; aut quia prima operatio ſemper eſt naturalis: aut quia requiritur aliquod ſpatium temporis ad conſultandum: aut quia debet præcedere indifferentia cauſæ liberæ ante determinationem. Sed neque hæc requiruntur ad libertatem operationis. Et, vt arguit Durandus ipſe, Deus ab æterno voluit, & liberè voluit: ſic & cauſa creata libera in primo inſtanti quo incipit eſſe, poteſt quoque liberè operari. Ipſe aliam rationem opponit: ſcilicet Chriſtum non potuiſſe ſtatim ex primo inſtanti incipere vti ſcientia infuſa, eo quod indigeret ope & miniſterio ſenſuum. Sed hoc eſt multo magis abſurdum, & infra acriùs refelletur, quia ſe extendit ad totum tempus infantiæ.

Non oportebat, vt prius exiſteret quã operaretur & ſtatim liberè ac ſcientia infuſa.

Secundò, procedendo vlteriùs, quia Alenſis dicebat, Chriſtum ſtatim poſt primum inſtans meruiſſe, & ita meritum eius incepiſſe extrinſecè, dicendo in illo inſtanti, tunc Chriſtus non operatur non meretur, immediatè poſt operabitur, merebitur: ideo Marſil. eã d. 18. q. 12. art. 1. in contrarium contendit, non potuiſſe hoc modo incipere Chriſti opus & meritum: quia actus vitalis eſt ſpiritualis & indiuiſibilis, vnde non niſi intrinſecè in quodam inſtanti poteſt incipere: quare ſi Chriſtus in primo inſtanti non meruit, oportebat expectare aliud inſtans, inter quę duo inſtantia neceſſariò mediabat aliqua pars temporis. Vaſqu. diſp. 75. cit., num. 11. addit, poſſe quidem actum voluntatis incipere extrinſecè, tamen ſolùm ratione diuiſibilitatis & ſucceſſionis, vel in intenſione, vel in virtuali extenſione reſpectu obiecti, ſi ſcilicet paulatim creſcat in tali intenſione aut extenſione. Sed operationes Chriſti internas non habuiſſe tale incrementum, talem ſucceſſionem, & ideo non potuiſſe incipere extrinſecè eo modo quo volebat Alenſis.

Poterat etiam mereri immediatè poſt.

Verùm, data illa compoſitione temporis

poris per partes, & inſtantia optimè poterat actus voluntatis Chriſti, ſi non incepiſſet in primo inſtanti, incipere immediatè poſt per tempus ſequens: idquè non per ſucceſſionem vel incrementum intenſionis aut extenſionis, ſed indiuiſibiliter totus ſimul ac permanenter. Etenim actus voluntatis, ſicut & intellectus, non eſt ſolū inſtantaneus in duratione, quaſi non poſſit durare niſi per inſtans: quinimò poteſt permanenter durare pro quouis tempore, ſicut durat habitus, & potentia, & ſubſtantia ipſa animæ & Angeli. Quare ſicut huiuſmodi actus poteſt exiſtere in hoc inſtanti & tempore ſequenti: ita fieri poteſt, vt abſque illo præuio inſtanti, exiſtat eodem tempore ſequēti, exiſtat inquam totus ſimul ac permanenter, prout de facto ſolet exiſtere. Et ita in vniuerſum de inceptione rerum permanentium ſtatuimus quæſt. 30. Philoſ. ſect. 2. Verè ergo ſi actus Chriſti meritorius non incepiſſet in primo inſtanti, poterat incipere in tempore immediatè ſequenti: idquè non per ſucceſſionem aut incrementum in intenſione vel extenſione, ſed per ſimplicem & permanentem durationem. Quòd ſi ad hunc modum inceptionis neceſſaria fuiſſet ſucceſſio, potuiſſet ſanè Vaſquez admittere in aliquo actu Chriſti illam ſucceſſionem & incremētum, ad hoc vt eo ſaltem modo abſque alià dilatione inciperet. Attamen ſublatis ex tempore inſtantibus: ſic quidē niſi actus Chriſti ſtatim ab initio incepiſſet, dici debuiſſet aliqua diuiſibilis pars temporis vacaſſe abſque actu. Sed quia nulla difficultas eſt, quominùs Chriſtus ſtatim ab initio inceperit operari, ideo verè ſtatim ab initio meruit: quod iuxta conſuetum loquendi morē dicitur, in primo conceptionis inſtanti: & non admiſſis inſtantibus, intelligitur & explicatur; ſimul prorſus atque conceptus fuit & exiſtere cæpit, fecit quoque actum aliquem meritorium.

Potuit mereri & meruit tempore infantiæ.

Tertiò. Ex illa ratione Durandi ſequebatur, Chriſtum toto tempore infantiæ non meruiſſe; quoniam ſi ſcientia infuſa indigebat miniſterio ſenſuum, ſimilis erat in hoc ſcientiæ acquiſitæ, & ita eguiſſet toto eo tempore quod naturaliter requiritur ad aſſequendum vſum rationis & libertatis. At certum omnino eſſe debet, Chriſtum verè tempore infantiæ meruiſſe. Ita omnes Theologi docent vel ſupponunt, nec Durand. abſolutè oppoſitum aſſeruit, quod & graui cenſura dignum eſſet. Sumitur ex Script. Iſaiæ 8. in figura de Chriſto dicitur: *Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, Feſtina prædari, quia antequam ſciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ.* Et Ierem. 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum*: ideſt Chriſtum in ipſo matris vtero fuiſſe ſicut virum vſu ſciētiæ & libertatis. Et ita hæc loca apud ſacros Doctores ſolent intelligi. Clariùs habetur ex frequenti doctrina Patrum & ſenſu Fidelium: nempe Chriſtum in ipſis myſterijs ſuæ natiuitatis, & circunciſionis, & adorationis Magorum, habuiſſe plenam cognitionem, & egregios actus exercuiſſe, atque ex tūc pro noſtra ſalute meruiſſe. Ratione verò patet: quia ſcientia infuſa Chriſti non indigebat miniſterio ſenſuum, vt ſupra oſtendimus quæſt. 11. cum S. Thoma, qui & infra q. 34. art. 2. ad 3. idem repetit.

Meruit inceſſanter toto tempore vitæ.

Quartò. De tempore poſt infantiam, Chriſtus ſemper expeditus fuit ad merendum pro nobis, etiam dormiens. Quod ex eadem vi & ratione ſcientiæ infuſæ eſt manifeſtum. Atque in toto progreſſu ſuæ ſanctiſſimæ vitæ habuit Chriſtus frequentiſſimam conſuetudinem merendi. Imò putandum eſt, ab initio conceptionis vſq; ad mortis exitum, ſemper & indeſinenter abſque ceſſatione meruiſſe: non quidem per vnum & eundem actum perpetuò cōtinuatum, ſed per multiplicationem & ſucceſſionem diuerſorum actuum. Sic enim Angeli dicuntur ſemper actualiter operari, ita vt nunquam careant omni actu, ſed ſemper aliquem exerceant. Et maiori ratione cenſendum eſt; tot eximias virtutes Chriſti, nunquam fuiſſe penitus otioſas. Idque prorſus decet altiſſimam Chriſti ſanctitatem, & erga Deum ac homines charitatem. Eſſeque certum apud Theologos, teſtatur Suarez diſp. 39. ſect. 3.

Digitized by Google

§. *Circa ſecundum*. Et idem cum Alenſi docet Vaſq. diſp. 75. in fine.

Non meruit in inſtanti mortis.

Quinto. Caiet. infra quæſt. 50. art. 6. §. *Ad primum* affirmat, mortem Chriſti quatenus terminabat ſuum fieri, ſiue quatenus volitam à Chriſto, fuiſſe meritoriam, atque ita in ipſomet inſtanti mortis Chriſtum meruiſſe. Verùm, ſuppoſito iuxta communem modum, quod homo deſinat, & quod Chriſtus mortuus ſit, non per vltimum non eſſe, ſed per primum eſſe: dici debet non meruiſſe Chriſtus in ipſomet inſtanti mortis, ſicut nec poſt mortem. Sumitur ex S. Tho. q. 50. art. 6., vbi ait, mortem Chriſti prout in fieri fuiſſe meritoriam, non autem vt in facto eſſe: & explicat ly in fieri, *Quando aliquis per paſſionem vel naturalem vel violentam tendit in mortem.* Et facilè patet: quia iuxta eam ſuppoſitionem, in inſtanti mortis valet dicere, nunc primò non eſt homo exiſtens, non viuit, non eſt vnita anima corpori: ergo eadem ratio eſt de eo inſtanti, ac de tempore ſequente poſt mortem. Nec ſufficit, mortem eſſe prius volitam. Nam ſic etiam fuerunt volita alia quæ ſequutura erant poſt mortem. Sed requiritur, vt in eo inſtanti quo datur actio vel paſſio, ſit quis in ſtatu viæ & meriti, ad hoc vt talis actio vel paſſio denominetur meritoria ex voluntate præterita faciendi vel patiendi. Eademquè communis ratio eſt de alijs hominibus, & ſpecialiter Martyribus, in inſtanti mortis: vt de Martyrio poſtea ſub ſacramento Baptiſmi attingemus.

Nec vltra poſt mortem.

Sextò ergo tandem concludendum eſt, Chriſtum poſt mortem non ampliùs meruiſſe, nec deinceps mereri. Ita S. Thomas hac q. art. 5. ad 1. & infra q. 56. art. 1. ad 3., alijquè communiter. Eſtquè res certa, vt abſque temeritate non poſſit oppoſitum affirmari. Habetur ex Sacra Script., non ſolùm in illis locis quæ generaliter loquuntur de hominibus. Sed propriè de ſe ipſo dixit ipſe Chriſtus Ioann. 9., *Me oportet operari donec dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari*: vbi dies eſt tempus huius vitæ nox eſt tempus poſt mortem, operari eſt mereri. Et ſic frequenter Patres exponunt. Rurſus Apoſt. ad Hebr. 9. de Chriſto inquit, *Introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*. Et cap. 3. *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*. Ratione probat Suarez: quia Chriſtus in morte ſua habuit iam plenum & conſummatum ius iuſtitiæ ad omne præmium. Probat Vaſq. diſp. 76., quia Chriſtus neque offert ampliùs ſua opera, neque orat pro nobis, quod eſſet neceſſarium ad merendum pro alijs: pro ſe vero clarum eſt, Chriſtum iam non mereri. Sed ratio quidem communis pro omnibus eſt: quia expediebat conſtitui certum ſpatium, & præfigi terminum meriti, nempe ſpatium & terminum viæ, quandiu ſcilicet homines viuunt in hoc ſtatu mortali: & ita hoc reduci debebat ad diuinam ordinationem, conſentaneam tamen rebus ipſis, vt in generali tractauimus de merito 1. 2. q. vltima ſect. 16. Addenda eſt ratio peculiaris pro Chriſto: quia ex ipſa dignitate ſua Chriſtus non indigebat multiplicare & augere opera ad plus merendum: quare quicquid mereri deinceps poſſet, iam cadebat ſub meritum quod antea geſſit. Neque conueniens erat, vt Deus exigeret vllū aliud opus aut meritum, per modum conditionis, aut alio quouis titulo, poſt mortem Chriſti, ad retribuendam illi mercedem. Omnino ergo in ipſa morte claudi debebat meritum Chriſti.

Quæ lice morti Chriſti ac etiā vulneri poſt mortē attribuatur noſtra redemptio.

Sed circa hæc, duæ difficultates occurrunt. Prima eſt: quia in Sacra Scriptura maxime attribuitur morti Chriſti, ſatisfactio, redemptio, & viuificatio noſtra, vt notum eſt. Ac præterea Sancti Patres magnam vim tribuunt pro noſtra ſalute vulneri inflicto poſt mortem làteri Chriſti: dicentes, ex illo vulnere manaſſe Eccleſiæ ſacramenta, illam effuſionem ſanguinis & aquæ fuiſſe noſtrum remedium & lauacrum, & ſimilia. Quæ omnia non poſſunt intelligi niſi per modum meriti.

Reſpondetur. Illa quæ dicuntur de morte Chriſti, intelligi de morte in fieri, ideſt quoad omnia præcedentia & cauſantia mortem, & de voluntate qua Chriſtus voluit pro noſtra ſalute ſubire mortem. Intelligi etiam de morte in facto eſſe, non per modum meri-

ti.

Digitized by Google

ti, ſed per modum efficientiæ, vt loquitur S. Tho. ibi q. 50. art. 6., idem dicẽs de reſurrectione Chriſti q. 56. art. 1. & 2. Quod ſic debet explicari: quia mors Chriſti conſtituta erat à Deo tanquam conditio, vt moriente Chriſto conferrentur nobis bona ſpiritualia. Alia vero de vulnere lateris, Abulenſ. in cap. 53. Geneſ. q. 352. exponit dictum eſſe tantùm ſecundùm ſignificationem. Vaſq. diſp. 76. cap. 2. inquit, ipſum ſanguinem & aquam appellari ſacramenta quæ fluxerunt de latere Chriſti. Sed quia Patres aliquid plus videntur intendere: Ideo Honophrius Meneſcal. apud Franciſc. Collium lib. 5. de Sangu. Chriſti diſp. vlt. cap. 2. contendebat, vere tunc in illo vulnere & effuſione additum fuiſſe aliquod meritum. Ipſe Collius cap. 3. concedit, illud fuiſſe opus meritorium: tamen ex vi præcedentis voluntatis, qua Chriſtus acceptauerat illud vulnus. Idemq; cõcedit Ragula hic tract. 2. de Incarn. diſp. 5. Verùm, nec per nouam voluntatem, nec per antecedentem dici debet opus vllum poſt mortem eſſe meritorium. Dici ergo debet, Patres loquutos quidem eſſe ratione acceptationis & conſenſus præcedentis, quo Chriſtus præuidens acceptauit Deoquè obtulit illud vulnus & ſanguinem. Sed non per hoc ſuſceptio ipſa vulneris, & effuſio ſanguinis dicatur meritoria per modum actus & operis imperati: tamen ſe habuerit ad meritum per modum obiecti, in quod tetendit antea Chriſti voluntas. Niſi quis vlteriùs addat Patres loquutos etiam eſſe de ipſa reali ſuſceptione vulneris ſecundùm cauſalitatem per modum efficientiæ, ſicut de reſurrectione docuit S. Thomas: ideſt per modum conditionis conſtitutæ à Deo.

Qualiter magis paſſioni & morti quã vita.

Altera difficultas eſt. Si Chriſtus meruit ab initio, & toto tempore præ-ulo vſque ad mortem: cur apud Scriptur. & Patres, redemptio, atque adeo meritum Chriſti, peculiari modo adſcribitur paſſioni & morti?

Reſpondetur cum D. Thoma Quodl. 2. art. 2. licet omne opus Chriſti, quantum erat ex parte ſua, haberet maximum valorem ad noſtram ſalutem: tamen ex parte Dei deputata fuiſſe omnia opera Chriſti vſque ad mortem, vt compleretur meritum eius: Deuſquè acceptauit Chriſti merita, & promiſit mercedem, pro ijs collectiuè ſumptis vſque ad mortem. Talis fuit illa promiſſio apud Iſaiam, *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, &c.* Et ideo Lucæ 24. dictum eſt, *Hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Et præclare Apoſtol. ad Hebr. 9. *Noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem præuaricationum, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis: vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris, teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioqui nondum valet dum viuit qui teſtatus eſt.* Et quidem maximas huius rei conuenientias Sacri Doctores obſeruare ſolent. Et hoc ipſum videtur voluiſſe S. Tho. infra q. 48. art. 1. ad 2., dicens, *Quòd Chriſtus à principio ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem æternã, ſed ad remouenda impedimenta oportuit Chriſtum pati.* Quem locum Thomiſtæ reputant ſatis difficilem: & Vaſq. diſp. 75. num. 15. ait, ſe non ſatis capere eius ſenſum. Sed non debet intelligi, quaſi merita Chriſti non habuerint etiam ab initio valorem ex parte ſua ad tollenda quoque omnia impedimenta quæ erant ex parte noſtra. Sed, quia cum peccatum impediret noſtram ſalutem, & mors Chriſti eſſet maximè apta & proportionata vt opponeretur peccato ac deſtrueret peccatum, *Vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium*, ad Hebr. 2. Ideo ex ordinatione diuina, fundata in hac rei conuenientia, requiſita fuerit paſſio & mors Chriſti. Et quia in ipſa morte completum & conſummatum eſt meritum Chriſti, prout ordinatum à Deo, in remedium & deſtructionem noſtri peccati impedientis noſtram ſalutem; hinc præcipuè paſſioni & morti adſcribitur Chriſti meritum & noſtra redemptio.

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Num Chriſtus gloriam eſſentialem aliaque bona animæ ſibi meruerit.

AD videndum quid & quibus Chriſtus meruit, hinc iure incipimus. Quamuis enim antea occurreret vnio ipſa hypoſtatica: tamen de hac ſatis egimus quæſt. 6. vbi vidimus, Chriſtũ, nec ab initio, nec quoad conſeruationẽ & continuationem, ſiue extenſionem, ſibi illam meruiſſe; ſed ſimpliciter & in perpetuum habuiſſe independenter & antecedenter ad omne meritum.

Duæ oppoſitæ ſententiæ de gloria animæ.

2. De gloria eſſentiali, Chriſtum illam ſibi meruiſſe, & ex vi ſui meriti habuiſſe, affirmarunt Altiſiodorenſ. lib. 3 Summæ tract. 1. cap. 3., Maior & quidam alij Scholaſtici in 3. d. 18. Negat S. Tho. hic art. 3., Caiet., Medina, Valent., Suarez, Vaſq., Lugus, alijque Recentiores. Item Scotus, Bonau., Durand., & alij Scholaſtici cõmuniter in 3. d. 18., Imo aliqui ſignificant, nec potuiſſe ſimpliciter fieri, vt Chriſtus gloriam animæ mereretur, ſaltem ſuppoſito quod eam ab initio habuerit. Ita Medina hic art. 3. q. ſua 5. concl. 4. & Vaſq. diſp. 78. cap. 3.

Poterat fieri vt Chriſtus mereretur ſuã gloriam.

Dico tamen primò. Potuiſſet ſimpliciter fieri, vt Chriſtus gloriam eſſentialem animæ ſuæ mereretur; non ſolùm quia poterat Deus hanc gloriam non conferre Chriſto ab initio, ſed etiam ſuppoſito quod contulit ab initio. Probatur; quia fieri poterat, vt Chriſtus, priùs natura eliceret aliquem actum meritorium, cuius intuitu ei daretur gloria. Cùm enim Chriſtus habuerit, ſcientiam infuſam ſupernaturalem, ratione cuius operabatur & merebatur; poterant vtique ita res diſponi, vt priùs natura haberet Chriſtus aliquem huius ſcientiæ actum & aliũm voluntatis meritorium, qui ex vnione ipſa hypoſtatica eſſet condigni valoris ad mercedem gloriæ, & hanc in eodem ipſo reali inſtanti temporis reciperet, conſequenter inquam & dependenter ordine naturæ & cauſalitatis ad illum actum meritorium. Quod conſtabit adhuc plenius diluendo, ac repellendo quicquid obſtare poſſe videbatur.

Nec erat quicquam quod ſimpliciter obſtaret.

Primò. Henric. Quodlib. 6. q. 6. in aduerſum hanc rationem indicat: Viſio Dei ſe habet ad vnionem Verbi, ſicut paſſio ad eſſentiam, neceſſario & immediatè ad illam conſequens: ſed non poteſt eſſentia Angeli aut animæ mereri ſuas paſſiones: ergo nec anima vnita Verbo viſionem Dei. Sed hæc ratio ſupponit quod antea refutauimus, non poſſe à Diuina perſona aſſumi naturam niſi intellectualem & cum clara viſione Dei. Non ergo viſio Dei ex hypoſtatica vnione tanquam ex cauſa phyſica dimanat, neque neceſſitate ſimpliciter ad eam conſequitur; ſed ſolùm morali dignitate debetur: quæ dignitas non tollit, quominùs etiam ius meriti ad illam accedere poſſit.

Secundò, D. Bonau. dicebat, viſionem Dei debuiſſe præire tanquam diſpoſitionem humanæ naturæ ad vnionem hypoſtaticam cum diuina perſona: ergo non poterat Chriſtus per opera conſequentia & valorem ſumentia ex eadem vnione mereri illam præuiã viſionem. Sed ſimiliter aſſumptum illud falſum & impoſſibile eſſe oſtendimus antea quæſt. quinta.

Tertiò. Plures ſunt qui dicunt. Vt quis mereatur aliquod præmium, debet antea eo carere: nec poſſunt meritum & præmium incipere ſimul. Et ita indicat S. Thomas hic art. 4. Sed, illud non eſſe neceſſarium, docuit clarè, S. Tho. Quodlib. 9. art. 8. & in 2. diſt. 5. q. 2. art. 1., loquens de Angelis: quamuis 1. par. q. 62. art. 4. aliter loquutus ſit de ipſis Angelis. Alijs autem exemplis patet manifeſtè, non requiri vllam diſtantiam & prioritatem temporis inter meritum & premium. In eodem enim inſtanti quo peccator elicit actũ contritionis, recipit ex vi illius gratiam iuſtificantem: & in eodem inſtanti quo iuſtus elicit actum meritorium recipit augmentum gratiæ quod meretur. Imò & poteſt præmium duratione temporis antecedere ad meritum: vt patet de gratia data antiquis Patribus ex meritis Chriſti. Optime ergo fieri poterat, vt

eodem

Digitized by Google

eodem inſtanti quo Chriſtus eliciebat actum meritorium reciperet mercedem gloriæ.

Quartò. Alij, inter quos eſt Vaſq., impedimentum afferunt ex conditione ſtatus: quia repugnat, Beatum mereri gloriam, repugnat vt quis ſimul habeat & mereatur gloriam, quia ſic ſimul eſſet in termino & in via: ergo fieri non poterat, vt Chriſtus in eodem inſtanti mereretur ſuam beatitudinem & eſſet beatus. Verùm, illud impedimentum procedit ſolùm de regula ordinaria, & nullatenus reſpectu diuinæ potentiæ, qua adhuc fieri poſſet, vt qui antea erat beatus, vlteriùs quoque mereretur. Imo de Chriſto in illo caſu, non tàm diceretur, quod Beatus meruiſſet, quàm potiùs quod merendo factus eſſet beatus: ſiquidem dicebamus, quod priùs natura habuiſſet meritum, & ex vi meriti accepiſſet beatitudinem. Neque in hoc ordine ſpirituali vlla repugnantia eſſet, ſimul eſſe in via & in termino, cum ordine tamen naturæ, vt ex re ipſa facilè apparet.

Quintò demum addunt: quia viſio clara Dei, exiſtens in intellectu Chriſti, concurrere debebat in eodem inſtanti per modum principij ad quemcunque actum virtutis in voluntate eliciendum: principium autem meriti non poteſt cadere ſub meritum. Aſſumptum probat Vaſquez: quia impoſſibile eſt, eum qui videt Deum & ex viſione amat, non conſiderare efficaciùs opera & obiecta omnium virtutũ, atque adeo efficaciori affectu in illa tendere, quam ſi Deum non videret: ergo omnino viſio ipſa Dei concurrit quoque per modum principij. Sed certe, nec reſpectu diuinæ potentiæ impoſſibile eſſet facere, vt ex viſione nulla maior efficacia, nullus influxus, in voluntatis actum redundaret. Imò nec eſſet poſſibile vt redundaret in actum naturæ ordine priorem & præuium ad ipſam viſionem. Nec vllatenus hæc ratione probatur, quòd non potuiſſet fieri, vt priùs natura voluntas Chriſti eliceret quẽdam virtutis actum ex influxu ſcientiæ infuſæ independenter & antecedenter ad lumen gloriæ & viſionem Dei; ſed ex merito talis actus ei in eodem inſtanti infunderetur lumen gloriæ, ſicut de facto in viatoribus infunditur augmentum gratiæ & virtutum infuſarum.

Dico ſecundò. Chriſtus de facto non meruit, non habuit ex merito, ſuam gloriam eſſentialem. Hæc concluſio eſt de mente D. Thomæ, qui non loquitur de poſſibili reſpectu diuinæ potentiæ, ſed tantùm de facto iuxta conuenientem & rectum ordinem. Idemque intendunt alij Doctores vt plurimum. Probari ſolet primò: quia Chriſto debebatur iam beatituo tanquam proprietas connaturalis, cùm eſſet filius Dei naturalis. Sed quia abſolute non repugnat, idem donum deberi & dari pluribus titulis, addendum eſt: cùm gloria deberetur Chriſto tanquam propria hereditas filio naturali, nec aliunde obſtaret vllum impedimentum, nec debebat exigi aut expectari alia præuia diſpoſitio, aut operatio, non debebat illi præmitti aliud opus & meritum, etiam inquam loquendo ordine cauſalitatis & naturæ, ſed potiùs conueniebat, dari Chriſto ſuam gloriam immediatè & proximè ad ipſam hypoſtaticam vnionem.

De facto ob maiorem conuenientiam non meruit.

Secundò confirmatur magis: quia omnino præter hypoſtaticam vnionẽ, aliquod aliud ſupernaturale donum debebat præcedere in anima Chriſti ante omne meritum, nempe ſaltem ſcientia infuſa & omne aliud auxilium prærequiſitum ad actus meritorios: ſed conuenientiſſimum erat, primum cognitionis actum erga Deum intellectui Chriſti tribuere clarum & intuitiuum; ſimiliter primum dilectionis habitum & actum beatificum: ergo putandum non eſt, Chriſtus per alios priores actus & priora vlla dona meruiſſe beatitudinem eſſentialem animæ.

Tertiò. Idem ſuadetur ex ratione ſtatus, ex diuerſo ſtatu meriti & præmij, viæ & termini: quia iuxta conuenientem rerum ordinem, non debet quis ſimul eſſe beatus & mereri beatitudinem, in eodemque inſtanti temporis eſſe ſimul in via & in termino, reſpectu inquam gloriæ eſſentialis. Quinimo ſtatus & tempus beatitudinis, non eſt iuxta legem Dei capax meriti

ad ipſam beatitudinem. Et alioqui, etiam per opera quæ deinceps faciunt Beati, mererentur nouum Beatitudinis augmentum. Et Chriſtus ipſe, etiam per opera quæ fecit in progreſſu ſuæ vitæ, & per paſſionem ipſam, dici potuiſſet meruiſſe ſuam beatitudinem: ſicut nimirum meruit gratiam antiquis Patribus, tanto tempore antea illis datam. Multum etiam pro hac re facit communis Theologorum ſenſus. Vnde Valent. puncto 3. ob ſolam illorum auctoritatem, rationibus depulſis, huic concluſioni conſentit.

Sententia affirmans de deuit. gratia.

Deinde. De gratia habituali ſanctificante, Chriſtum illam ſibi meruiſſe, ſignificat S. Tho. infra q. 34. art. 3., & inde probat in primo conceptionis inſtanti meruiſſe, quia ſanctificatus fuit per proprium motum liberi arbitrij in Deum, ſicut iuſtificantur adulti. Hinc Vaſquez diſp. 78. num. 17., & aliqui Thomiſtæ, concedunt in Chriſto moralem quandam diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem, ſed negant fuiſſe illius meritoriam. Quia, dicunt, licet fuerit prior in genere cauſæ materialis, ſeu ex parte paſſi, non tamen fuit prior in genere cauſæ effectiuæ ſeu ex parte agentis. Quinimo in hoc genere ab eodem habitu gratiæ efficiebatur. Sicut nempe in vniuerſum exiſtimant de iuſtificatione adultorum per propriũ actum. Sed nos iam ſuo loco 1. 2. quæſt. 112. ſect. 6. & q. 114. ſect. 6. oſtendimus, nec poſſe illum modum & ordinẽ interuenire inter motum liberi arbitrij & habitum gratiæ, nec quicquam referre ad commutandam rationem meriti in rationem diſpoſitionis. Sed nec etiam ad intentum D. Tho. ibi ſpectabat, quod actus voluntatis Chriſti eſſet diſpoſitiuus & non meritorius ad gratiam. Sed ſufficiebat, quod Chriſtus ſanctificatus eſſet per motum liberi arbitrij concomitanter, non antecedenter: hoc eſt, Chriſtum in eodem inſtãti ſimul fuiſſe ſanctificatum & habuiſſe actum voluntatis, & hunc actum fuiſſe tanquam conueniens ornamentum, ſiue tanquam diſpoſitionem conſequẽtem: ſicut antea quæſt. 9. art. 3. ad 2. diſtinxerat diſpoſitionem antecedentẽ & conſequentem ad formam.

Poterat Chriſtus mereri, ſed de facto nõ meruit.

Dico ergo tertiò. Poterat ſimiliter fieri, vt Chriſtus habitualem gratiam mereretur, de facto tamen non eam meruit, nec per vllum motum liberi arbitrij ſe antecedenter ad illam diſpoſuit. Patet de poſſibilitate ex dictis concl. 1. de gloria. Et quia fieri poterat, vt Chriſtus priùs natura ex auxilio actuali ſupplente influxum habitus eliceret actum meritorium; prout in alijs hominibus antequam recipiant habitus ſupernaturales contingere ſolet: & ſic intuitu eius actus Deus infunderet habitum gratiæ. Et licet purus homo non poſſit de condigno mereri primam gratiam ſanctificantem, Chriſtus tamen poterat: quia videlicet in puro homine non inuenitur alia dignitas ex parte operantis: ſed in Chriſto ſupponebatur dignitas infinita penes hypoſtaticam vnionem. De facto autem concluſio eſt eorundem Theologorum, qui pari modo loquuti ſunt de gratia ac de gloria. Eodemque modo ſuadetur; quia, cùm Chriſtus ratione vnionis eſſet filius Dei naturalis, non indigebat alio merito aliaue præuia diſpoſitione ad obtinendam gratiam ſanctificantem, ſicut nos indigemus. Et alioqui magis conſentaneum erat, Chriſtum ſemper operari magis connaturali modo, nempe ex habitu, quàm ex auxilio ſupplente vicem habitus: vnde priùs ordine naturæ & cauſalitatis fuerit, Chriſto infundi habitum gratiæ, quam Chriſtum operari: nulla ergo operatio Chriſti fuit meritoria aut diſpoſitiua ad habitum gratiæ.

Similiter habitus infuſos, & ex parte auxilia tierabia.na

Idemque intelligendum eſt de alijs habitibus & auxilijs ab initio conceptionis Chriſto collatis. Omnia enim quæ ſe habebant in actu primo, collata fuerunt Chriſto per modum vnius ante quamcũque operationem in actu ſecundo. Quamuis plurima ex ijs potuiſſent à Deo conferri poſteriùs natura, præuiſo iam aliquo actu meritorio. Dico plurima: quia certe fieri non poterat, vt tota auxiliorum collectio eſſet poſterior & caderet ſub meritum: ſed omnino aliqua debebant præire tanquam principium primi actus meritorij: principium autem actus omnino præcedit actum, & principium meriti.

citi non cadit ſub meritum.

De alijs autem auxilijs quæ ſucceſſiuè toto tempore ſequenti conferebantur animæ Chriſti, Vaſq. num.16. adhuc negat, Chriſtum potuiſſe illa mereri; nimirum ratione ſui ſtatus: ſicut alij Beati non poſſunt mereri huiuſmodi auxilia ad bene operandum, quæ cùm ſint fructus Beatitudinis non poſſunt amplius cadere ſub nouum meritum vllius Beati. Sed certe non oportet negare Chriſto omne meritum quod negatur alijs Beatis: nam animæ Beatorum non merentur ampliùs pro eo ſtatu gloriam & reſurrectionem corporis, ſed tamen Chriſtus meruit, vt poſtea dicemus. Itaq; de ijs auxilijs aliiſuè donis collatis animæ Chriſti tempore ſequenti, non militat illa eadem ratio, vt ſubducantur à meritis Chriſti. Quinimo Vaſq. ipſe diſp.79. num.4. cō-cedit, Chriſtum meruiſſe impaſſibilitatem animæ ſuæ: quod quidem verum eſt. Et num. 12. addit, meruiſſe etiam ſcientiam infuſam omnium cogitationū & rerum futurarum. Sed eſt contra doctrinam S. Tho., vt ipſe fatetur. Et ſimpliciter approbandum non eſt: quia & hanc ſcientiam Chriſtus habuit antecedenter, ſicut ſcientiam infuſam aliarum rerum.

Iuxta hæc demum fieri quidem poterat, vt Chriſtus mereretur continuationem donorum animæ quæ ab initio habuit: quoniam hæc continuatio correſpondebat tempori poſteriori, & ita ſupponebat priora Chriſti opera meritoria. Sed tamen quia ipſa dona dicunt ex natura ſua perpetuitatem, non eſt id de facto aſſerendum: ſicut & quæſt. 6. de continuatione vnionis hypoſtaticæ dicebamus.

Explicantur quædā Scripturæ loca. In contrarium obſtare primò videntur quædam Scripturæ loca: in quibus indicatur, datam fuiſſe Chriſto gloriam & gratiam ex proprijs meritis eius. Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*: quæ verba dicuntur ad Chriſtum: & oleum lætitiæ ſignificat gratiam & gloriam. Iſaiæ 53. *Pro eo quòd laborauit, videbit & ſaturabitur*: vbi viſio & ſatietas denotat beatitudinem, ſcilicet viſionem & fruitionem Dei, iuxta illud, *Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua*. Ioann. 7. *Propterea diligit me Pater quia animam meam pono*: diligit autem Deus infundendo gratiam & gloriam.

Reſpondetur. In primo loco ſenſum eſſe, *Dilexiſti iuſtitiam, propterea* enim, ideſt propter hoc vt diligens iuſtitiam, *vnxit te Deus*: vbi opera iuſta Chriſti non fuerunt cauſa & meritum, ſed potiùs effectus gratiæ qua antecedenter vnctus fuit Chriſtus. Ita exponit ibi D. Auguſt. Vbi etiam pro diuinitate Chriſti obſeruat ex textu græco debere ſic intelligi & legi, *Vnxit te ò tu Deus, Deus tuus*, vbi ipſe Chriſtus vocatur Deus, & dicitur vnctus à Deo. In ſecundo loco ſenſus eſt, videbit multitudinem fidelium & electorum, & tali fructu laborum ſuorum vehementer gaudebit. In tertio demum loco ſenſus ad ſummum eſt, quòd Pater diligebat Chriſtum eique paratus erat conferre gloriam corporis & exaltationem nominis, ob meritum paſſionis.

Obijcies ſecundò. Perfectior modus eſt, habere aliquid ex ſe ipſo, quàm merè ab alio: & ſic perfectior modus eſt, habere per propria merita, quàm merè gratis: ergo ſi fieri poterat, vt Chriſtus mereretur, & proprio merito acciperet gloriam & gratiam; ita conueniebat fieri, & ita putandum erit factum eſſe. *Explicatur perfectior modus habendi gloriam & gratiam.*

Reſpondetur. Illum eſſe quidem perfectiorem modū, niſi occurrat alius modus adhuc perfectior. Et ſanè perfectiſſimus modus erat, habere gratiam & gloriam per modum naturæ, ex vi filiationis naturalis, tanquam primum donum conſequens ad huiuſmodi filiationem. Atque hac ratione Chriſtus habuit ex ſe ipſo, ideſt ex naturali ſua filiatione & ſubſtantiali vnione. Item perfectior modus eſt habere ex meritis quàm gratis, quando in eo qui habet gratis deſunt opera aut valor operum ad merendum: ſed in Chriſto non deerant opera & valor operum ad multò plus merendum: ſed ſolùm defuit prioritas naturæ & cauſalitatis, qua potiùs gratia & gloria debebant præcedere ad opera & merita Chriſti.

Digitized by Google

SECTIO SEXTA.

Vtrum Chriſtus gloriam corporis aliaquè dona externa ſibi meruerit.

REfertur Caluinus lib. 2. Inſtit. cap. 17 ſect. 6. negaſſe, Chriſtum quicquam ſibi meruiſſe, & in ſpecie gloriam corporis & exaltationem nominis: eiuſque verba recitat Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 9. Vera tamen & certa Theologorum ſententia eſt, Chriſtum vere ſibi meruiſſe, ſuoquè merito accepiſſe gloriam corporis aliaquè externa dona, videlicet celebritatem & exaltationem nominis. Ita docent omnes Scholaſtici in 3. d. 18., & S. Thomas alijquè hoc loco.

Reſolutio affirmatiua.

Probatur aperrè ex Sac. Script Lucę 24. *Oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam*. Ad Philippenſ. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, et omnis lingua confiteatur &c* Ad Hebr 2. *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum*. Et Apocal. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, ſapientiam & fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem*. Vbi accipere diuinitatem dictum eſt, non pro ipſo dono hypoſtaticæ vnionis, ſed pro celebritate & recognitione diuinitatis eius, vt explicauimus antea q. 6. Et in ijs omnibus locis clare expreſſum eſt, Chriſtum ex ſuo merito accepiſſe gloriam corporis & celebritatem nominis. Et idem olim prænunciauerat Propheta Pſal. 109. *De torrente in via bibet propterea exaltabit caput*. Idipſum Sancti Patres & Sacri Expoſitores communi conſenſu docent. Et ratione facile ſuadetur: quia Chriſtus hæc conſequutus eſt in progreſſu temporis, & poſt exercitium ſuorum operum ac meritorũ: nec quicquam obſtat, quominùs intuitu talium meritorum hęc dona accepiſſe dicatur.

Porrò, inter hæc quæ Chriſtus ſibi meruit, computantur reſurrectio ſui corporis cum dotibus glorioſis, aſcenſio in cælum, poteſtas etiam regendi homines, inſtituendi ſacramenta, iudicandi viuos & mortuos, itemquè ſupremum dominium, & regius principatus, & ſubiectio omnium rerum. Quamuis non omnia hæc cadebant ſub meritum Chriſti, prout conſiderari poſſunt antecedenter in actu primo: ſiquidem Chriſtus ratione vnionis habebat originaliter ius principatus & dominij ſuper omnes & ſuper omnia. Sed ſaltem ſub meritum cadebant quoad poſſeſſionem & vſum, prout conſequenter obtinuit & exercuit. Rurſus computanda ſunt omnia noſtra bona, quatenus cedunt ad honorem & gloriam eiuſdem Chriſti. Circunſtantiæ quoque incarnationis, etiam tempore præcedentes, vt antea q. 6. tractauimus. Putandum verò eſt, Chriſtum hæc omnia meruiſſe quoad executionem factam in tempore: neque neceſſe eſt dicere, meruiſſe etiam quoad prædefinitionem ęternam in mente Dei: nimirũ iuxta doctrinam eodem loco traditam, & in communi 1. par. de diuina prouidentia & prædeſtinatione erga homines.

Obiectiones ſoluuntur.

In contrarium objiciebat Caluinus: quia ex Sacra Scriptura habemus, Chriſtum veniſſe propter ſalutem noſtram: ſi autem meruit etiam ſibi, ergo venit etiam propter gloriam ſuam: quod diminuit charitatem eius & beneficentiã erga homines. Sed reſpondetur facilè, Chriſtum ex primario intento & principali fine, veniſſe & operatum fuiſſe propter ſalutem noſtram: ſed ex conſequenti meruiſſe etiam ſibi, eademquè ſua eximia charitate & beneficentia erga homines, vtique merebatur etiam ipſe in externa celebritate & in ſuo corpore exaltari & glorificari.

Objicies ſecundo. Gloria ipſa corporis, & alia bona externa, erant Chriſto debita, tanquam filio naturali, titulo vnionis hypoſtaticæ: ergo non debebat illa obtinere per merita. Tum quia ita diximus de gloria & alijs bonis animæ. Tum quia non poterat Chriſtus obtinere per merita, vt denominaretur omnipotens, infinite ſapiens, &c, eo quòd hæc idiomatum communicatio ei debebatur ex vi vnionis: ergo ſimiliter

non

Digitized by Google

non poterat mereri alia quæ ei debebantur titulo vnionis. Tum demum ſi Chriſtus habuiſſet ab initio gloriam corporis, quando habuit gloriam animæ, non eam meruiſſet: ſed ordo temporis parum in hoc refert quoad meritum: ergo etiam de facto non eam meruit.

Reſpondetur, negando illam conſequentiam optime enim poteſt idem bonum alicui deberi pluribus titulis: ſicut iuſtis debetur gloria, & tanquam hereditas vt filijs Dei adoptiuis, & tanquam merces vt bene meritis. Ad primam vero probationem, diuerſa planè eſt ratio de bonis animæ: illa enim debuerunt conferri Chriſto ab initio, non ſolùm ordine temporis, ſed ordine naturæ antecedenter ad operationes meritorias, vt dicebamus. Ad ſecundam, multo magis diuerſa ratio eſt de communicatione idiomatum: hæc enim neceſſitate ſimpliciter, & in genere cauſæ phyſicæ, imo formalis, ab vnione conſequitur· vnde non poterat prorſus cadere ſub meritum, ſicut nec quòd Chriſtus ſit & dicatur Deus. Ad tertiam, maior ſanè conuenientia de facto eſt, vt Chriſtus meruerit gloriam corporis, quam ab initio non habuit: quia cum aliquo tempore fuerit viator, carens gloria corporis, fuit in ſtatu libero & expedito merendi quæ ad corpus attinent. At etiam in caſu quo ab initio quoque fuiſſet collata gloria corpori Chriſti; adhuc maior conuenientia fuiſſet de illa quàm de gloria animæ vt caderet ſub meritum Chriſti: quia non vrgebat illa ratio, vt gloria corporis antecederet ordine naturæ operationes Chriſti meritorias, quæ adducebatur de gloria animæ.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Chriſtus gloriam aliaque dona gratiæ meruerit Angelis.

AFfirmant Catherinus lib. 1. de Eximia Chriſti prædeſt. & lib. de Gloria & peccato Angelor., Galatin. lib. 3. de Arcanis cap. 4. Arboreus lib. 3. Theoſophiæ cap. 13., Viguer. in Inſtitut. theolog. cap. 20. §. 1. verſ. 4., Valentia ſupra q. 8. puncto 3., Lorca diſp. 45., & latè Suarez diſp. 42. sect. 1. Fauet D. Tho. in cap. 1. Ioann. lect. 10. exponens illud, *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, vbi id extendit etiam ad Angelos. Et in hac etiam parte ſupra quæſt. 8. art. 1. dicebat, Chriſtum tanquam caput influere in membra, & art. 4. eſſe caput hominum & Angelorum. Adduntur etiam quædam loca Scripturæ & dicta Patrum in fauorem huius ſententiæ. In quibus nempe vniuerſaliter dicitur, omnes eſſe ſaluatos per Chriſtum, non diſtinguendo de Angelis & hominibus. Et ad Epheſ. 1. & Coloſſenſ. 1. inquit Apoſt., Chriſtum inſtauraſſe & purificaſſe quæ in terris & quæ in cælis ſunt. Item Cyrill. lib. 5. in Iſai. ad cap. 54. Hieron. in illum locum ad Epheſ. Gregor. in 1. Reg. cap. 2. Fulgent. lib. 2. ad Traſimund. cap. 3., Bernard. ſerm. 22. in Cant., & alij ex Patribus videntur extendere meritum Chriſti etiam ad Angelos. Mitto Origen., qui homil. 1. in Leuit. & 9. in Lucam ſignificauit, Angelos fuiſſe quoque per Chriſtum à peccatis redemptos, ſicut homines. Nam Origenes errauit circa æternitatem pœnæ & damnationem Dæmonum: quem errorem ſuo loco 1. par. q. 64. sect. 1. confutauimus. Bernar. autem eo ſerm. in Canti. aliter docet, Chriſtum fuiſſe redemptorem etiam Angelorum dicens: *Qui erexit hominem lapſum dedit ſtanti Angelo ne laberetur; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens; & hac ratione fuit aquè vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.*

Sententia affirmans.

Ex aduerſo negant Alenſis 3. par. q. 12. memb. 2. art. 3. §. 5., Bonau., Duránd., Palu-

Digitized by Google

Paludan., & alij in 3. d.13., Almain. & Maior. diſt.19. Briedo lib. de Captiuit. & redempt. gener. humani tract.2.cap. 2. par.3. art. 5., Vaſquez diſp.49. ſect. 2., Becanus cap. 14. quæſt. 9., Lugus diſp.27. ſect. 3. & alij magis communiter. Et expreſsè S. Thomas in 3. d. 13. q.2. art.2., & de Verit. q. 29. art. 4. & 7. ad 5. Et indicat etiam hac parte infra q.56. art.6., dum ait, Chriſtum iudicaturum eſſe Angelos, ſolùm quoad præmium aliquod accidentale, non quoad eſſentiale. Aſſeruntur & pro hac parte plura loca Scripturę & dicta Patrum, vt videbimus.

Chriſtus meruit Angelis aliqua dona gratiæ.

Dico primò. Chriſtus meruit quidem Angelis aliqua dona gratiæ. Ita ſequitur ex dictis antea quæſt. 8., vbi ſtatuimus, Chriſtum eſſe caput non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum; & nō ſolùm quoad externam gubernationē, ſed etiam quoad internum influxum, qui influxus eſt a Chriſto mediantibus meritis eius. Meruit autem Chriſtus Angelis illuſtrationes aliquas, & actus gaudij, & ſimilia, quæ ex myſterio incarnationis conſequuta ſunt, & quæ etiam Beatis adijci de nouo poſſunt. Et hoc quidem ſatis eſt ad mentem D. Thomæ in prioribus locis. Et de hoc ſatis intelligi poſſunt aliæ auctoritates, quæ videntur influxum & meritum Chriſti extendere etiam ad Angelos. Et hoc admittunt etiam Auctores poſterioris ſententiæ.

Non meruit gloriā & gratiā illi annexam.

Dico ſecundò. Chriſtus ſecundùm talem naturam determinate, ſcilicet humanam, & per opera ſua quatenus humana, nō meruit Angelis gloriam eſſentialem & dona gratiæ annexa, prout illis primò decreta ſeu collata fuere. Probatur primò: quia Scriptura, Symbolum Nicenum, & Patres, inclamant, factam fuiſſe incarnationem, & adueniſſe Chriſtum, propter nos homines, propter ſalutem hominum, nec fit mētio Angelorum: ſed potiùs hoc proponitur tanquam ſingulare beneficium humani generis, vt oſtendimus antea quæſt. 6. At ſi Chriſtus æquè meruiſſet Angelis ac hominibus, pariter etiam dici debuiſſet veniſſe propter Angelos propter ſalutem Angelorum: non ergo meruit Angelis gratiam & gloriam, ſicut hominibus.

Secundo clariùs, Matth.18. & Lucę 15. adducit Chriſtus parabolam paſtoris, qui reliquit nonagintanouem oues in deſerto, & venit quærere centeſimā quæ perierat. Vbi Sacri Doctores explicare ſolent, per oues relictas in deſerto intelligi Angelos in cælo, per centeſimam quæſitam & inuentam intelligi homines in terra. Quod ſi Chriſtus tàm Angelis quàm hominibus gratiam & gloriam meruiſſet; vtique non diceretur reliquiſſe Angelos, & quæſiſſe ſolùm homines. Et Apoſtolus ad Hebr.4. ſic inquit: *Qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex vno omnes, propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare: Quia ergo pueri communicauerint carni et ſanguini, & ipſe participauit eiſdem: Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus ſimilari*. Hoc eſt, Chriſtus qui ſanctificat, & illi qui per eum ſanctificantur, ex vno genere humano, ex vno Adamo, omnes ſunt: omnes ergo qui ſanctificantur per Chriſtū, ſunt ſolùm homines. Hi ſanctificati vocantur pueri & fratres Chriſti: & omnes communicant in humana natura, in carne & ſanguine. Et quia Chriſtus veniebat ſaluare homines, non Angelos; ideo venit in natura humana ex ſtirpe Abrahæ, non in natura angelica. Patet ergo, tantùm homines, non autem Angelos, accepiſſe gratiam & gloriam, ſanctificatos & glorificatos eſſe, ex meritis Chriſti.

Non meruit per paſſionem & mortem.

Tertio. Chriſtus de facto compleuit & perfecit ſuum meritum per paſſionē & mortem: ſed per paſſionem & mortem meruit tantùm hominibus, & non pro Angelis, vt expreſsè aduertunt D. Auguſt. in Enchir. cap. 21. Bernard. in ſerm. feriæ quartæ hebdomadæ ſanctę, Anſelm. & Beda in cap. 1. ad Epheſ. circa illa verba, *Inſtaurare omnia in Chriſto*. Et ratione probatur: quia in omnium ſententia, incarnatio prout in carne paſſibili, ſiue circunſtantia carnis paſſibilis, fuit à Deo prædefinita poſt præuiſum lapſum Adami, & in remedium humanæ ruinæ: at negotium Angelorum quoad gratiam & gloriam peractum erat ante præuiſum lapſum

Adami,

Digitized by Google

Adami, vt pro certo ſupponitur; & ſic omnibus Angelis conſtituta fuerat à Deo gratia, & Angelis ſanctis perſeuerantia & gloria, ante prædefinitam incarnationem in carne paſſibili, & ſic ante meritum paſſionis & mortis Chriſti, & pariter omnium operum eius prout exercebantur in carne paſſibili: ergo Chriſtus non meruit hoc modo Angelis, ſicut hominibus: non habuerunt Angeli, ſicut homines, gratiam & gloriam, ex merito paſſionis & mortis Chriſti.

Nec ſimpliciter per humana opera.

Quartò vlteriùs. Supponimus, incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam, non ſolùm quoad circunſtantiam carnis paſſibilis, ſed ſimpliciter quoad determinationem humanæ naturæ, poſt præuiſum lapſum Adami, ac proinde poſt peractum negotium Angelorum: ergo gratia & gloria non fuit collata Angelis ex meritis Chriſti hominis; ex operibus humanis Chriſti. Neque in hac re dici poteſt, Deum ordine quidē intentionis, priùs ante prædefinitam & præuiſam incarnationem, decreuiſſe Angelis dare gratiam & gloriam, ordine tamen executionis dediſſe poſt, & ſic dediſſe ex meritis Chriſti. Hoc inquam dici non poteſt. Tum quia ſic ſaltem implicitè in eo priori Deus prædefiniſſet incarnationem in natura humana, & merita Chriſti humana. Tum quia homines ipſi de facto non habent gloriam & gratiam niſi ex meritis Chriſti iam præuiſis, non eliguntur in mente Dei ad gratiam aut gloriam niſi poſt præuiſa merita Chriſti, vt deinceps dicemus. Tum quia eo modo maximè ſequeretur, incarnationem ex vi illius primæ intentionis ordinatam fuiſſe vt medium ad ſalutem Angelorum: quod prorſus falſum eſt. Tum demum, Auctores qui volunt, Angelos accepiſſe gratiam & gloriam ex meritis Chriſti, eo fundamento id adſtruunt, quia putant, priùs natura & ratione, ante lapſum Adami, & ante prædeſtinationem Angelorum, Deum decreuiſſe aſſumere determinatè humanam naturam, & hac aſſumptione præuiſa cum meritis Chriſti, conſequenter ex vi horum meritorum decreuiſſe dare gratiam & gloriam ipſis Angelis: eo ergo fundamento ſublato, & oppoſito conſtituto de prædefinitione incarnationis in natura humana, poſt præuiſum lapſum Adami, & poſt peractum in mente Dei negotium Angelorum, planè etiam corruit illa ſententia.

Fortaſſe meruit vt indiuidui rationalis naturæ.

Dico tertio. Procedendo iuxta illum ordinem diuinæ diſpoſitionis, quo dicebamus, Deum priùs ante præuiſum lapſum Adami decreuiſſe abſolutè aſſumere naturam creatam rationalem, non determinando adhuc in illo ſigno angelicam vel humanam; ſic explicari poterit, gratiam & gloriam Angelis datam & prædefinitam fuiſſe ex meritis Chriſti quatenus indiuidui rationalis naturæ, abſtrahendo à determinatione naturæ. Et pro hac etiam concluſione afferri & intelligi poſſunt illæ auctoritates quibus Auctores primæ ſententiæ extendunt merita Chriſti ad gratiam & gloriam etiam Angelorum. Ratione autem ſuadetur: quia ſupponendo, quod Deus antecedenter ad lapſum hominis decreuerit abſolutè aſſumere rationalem naturam, optimè intelligi poteſt id decreuiſſe antequam etiam prædefiniiſſet vllum donum gloriæ & gratiæ Angelis ipſis conferre: ac etiam ſic antecedenter decreuiſſe, vt indiuiduum illud rationalis naturæ, quod erat diuinum ſuppoſitum, operaretur ac mereretur: & ſic tandem ex ijs meritis ſtatuiſſe dare gratiam & gloriam ipſis Angelis. Quòd ſi id fieri potuit, ita factum fuiſſe ſuaderi poteſt his congruentijs prioris ſententiæ: quia id magis facit ad excellentiam Chriſti, & ad dignitatem capitis, & ad maiorem ordinis colligationem, reducendo nempe omnia dona gratiæ ad primum quendam auctorem & mediatorem. An verò id colligi etiam poſſit, ex eo quòd Angeli in ſua via habuerint fidem Chriſti, dicemus ſect. 10. loquendo de gratia data primis parentibus ante peccatum: communis enim erit ratio & doctrina.

Et vt donetur alio titulo.

Dici adhuc poteſt quartò, Angelos aliquo modo ſecundariè habuiſſe gloriam & gratiam ex meritis Chriſti, etiā vt humanis. Si nempe intelligamus, Deum poſt primum ſignum in quo voluit Angelis conferre gratiam tanquam

ſacta

ſuum beneficium, illis non debitum, & poſt prædefinitam ac præuiſam in alio ſigno incarnationem & merita Chriſti, intelligamus inquam, Deum rurſus voluiſſe & intendiſſe dare illam ipſam gratiam Angelis alio titulo, tanquam debitam meritis Chriſti, dareque ex iuſtitia ſiue remuneratione quam exercere volebat erga Chriſtum. Et ad hoc etiam conferre poſſunt illæ auctoritates, quæ meritum Chriſti extendebant ad Angelos. Et ita rem explicat Valent. q. 19. puncto 4. §. *Quod verò*, qui alioqui cum D. Thom. ſupponebat, incarnationem ſimpliciter fuiſſe prædefinitam in remedium peccati. Id autem potuiſſe ita fieri, explicatur, quia hæc duo inter ſe non repugnant, vt ex parte patet de facto exemplo hominum. Nam Deus tribuit primam gratiam hominibus, tanquam beneficium ipſis nõ debitum, ideoque dicitur gratis nobis dari & liberaliter, non ex iuſtitia & meritis noſtris: ſed ſimul tribuit eandem gratiam tanquam mercedem ex iuſtitia debitam meritis Chriſti. Licet enim repugnet reſpectu eiuſdem, conferre illi aliquod donum tanquam beneficiũ merè gratuitum, & conferre tanquam præmium debitum ex iuſtitia: tamen non repugnat reſpectu diuerſorum, quia benè poteſt idem donum eſſe gratuitum reſpectu vnius, & debitum reſpectu alterius. Et quamuis in priori ſigno Deus decreuiſſet dare gratiam Angelis tanquam beneficium illis gratuitum, poterat adhuc in altero ſigno rurſus illam ordinare in præmium meritorum Chriſti. Et ſimiliter de gloria, non ſolùm quatenus continetur in gratia vt in radice: ſed etiam quia poſt decretum de conferenda gloria Angelis tanquam mercede ipſis debita ex meritis gratiæ, poterat adhuc illam ordinare vt mercedem meritorum Chriſti: ſicut nempe de gloria hominum ſect. 9. dicemus.

Et fortaſſe quoddam augmentũ. Addunt aliqui, potuiſſe etiam aliquod augmentum gratiæ dari Angelis in ſua via ex meritis Chriſti, per quod meruerint aliud quoque augmentum gloriæ. Quod quidem erit conſequens ad aliam hypoteſim, ſi Angeli in via habuerunt notitiam Chriſti, vt diximus ſuo loco 1. par. q. 57. ſect. 8. Nam hæc notitia non poterat præberi Angelis niſi poſt ordinatum ipſum incarnationis myſterium: & ſic poterat ac debebat præberi ex meritis Chriſti. Et cum eſſet de genere fidei, erat meritoria, ac proinde poterat afferre quoddam augmentum gratiæ & gloriæ. De qua re pleniùs dicemus ſect. 17. circa primos parentes in ſtatu innocentiæ.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum Chriſtus meruerit hominibus diuinam beneuolentiam & prouidentiam ac prædeſtinationem æternam.

MEritum Chriſti maximè ordinatum fuiſſe ad ſalutem hominum, ſatis notum eſt, ex dictis iam antea de fine ipſo & ordine incarnationis. Sed ad diſcernendũ exactè quicquid Chriſtus meruit hominibus, diſtinctè per plures partes diſcurrendum eſt. Et in primis reſpectu diuinæ voluntatis æternæ intelligitur meritum, nõ quidem ad illam obtinendam quoad entitatem intrinſecam & neceſſariam quam dicit in Deo, ſed quoad terminationem liberam ad obiectum & effectum, ita videlicet quòd priùs Deus præuiderit merita, & exinde habuerit voluntatem conferendi aliqua bona.

Primò ergo ſupponimus, Deum habuiſſe ab æterno voluntatem quandam generalem ordinandi homines ad finẽ ſupernaturalem, ad vitam æternam, per media apta & proportionata: habuiſſe inquam ante præuiſum originale peccatum & lapſum Adami. Et ex vi eius voluntatis Deus decreuit & contulit primis parentibus prima dona gratiæ, promittens illa etiam poſteris, ſub conditione ſi in diuini præcepti obedientia permanſiſſent. Hanc Dei beneuolentiam & ordinationem, non meruit Chriſtus vt homo, per opera inquam & merita vt humana. Patet ex dictis: quia hanc voluntatem habuit Deus ante præuiſum peccatum: humanæ autem naturæ aſſumptionem non determinauit niſi poſt præuiſum *Non meruit primã volũtatem Dei ordinandi homines ad ſalutem.*

pec-

Digitized by Google

peccatum. Dici tamen poteſt Deus eam voluntatem habuiſſe ex meritis Chriſti vt indiuidui rationalis naturæ per opera abſolute ſumpta: ſicut proximè dicebamus reſpectu Angelorum.

Nec voluntatem Dei de reparando humano genere poſt lapſũ.

Secundo. Poſt præuiſum originale peccatum habuit adhuc Deus voluntatem etiam generalem adhibendi remedium humanæ naturæ lapſæ, eiuſq; ruinam reperandi, & decreuit determinate aſſumere humanam naturam ob redemptionem & ſalutem hominũ: Neque hanc voluntatem meruit Chriſtus vt homo: ſiquidem ex hac voluntate & intentione determinauit Deus humanam naturam, vt Chriſtus homo pro peccato hominis ſatisfaceret. Nec etiam perinde, hæc voluntas & determinatio fuit ex meritis Chriſti prout indiuidui rationalis naturæ: non enim Chriſtus vt indiuiduum rationalis naturæ meruit, ſiue merito ſuo obtinuit & fecit, vt Deus determinaret aſſumere humanam potiùs naturam. Et humana natura ad rationalem ſe habet vt ſpecies ad genus, inter quæ non eſt realis diſtinctio: quare ſequeretur Chriſtum meruiſſe ſe ipſum ſiue ſuam ſubſtantialem entitatem & naturam: quod admitti non poteſt. Accedit, quod in ſacris litteris diuina voluntas ac determinatio ſubueniendi hominibus lapſis, adſcribitur ſimpliciter dilectioni diuinæ Ioann. 3., charitati diuinę ad Roman. 5., miſericordiæ diuinæ ad Epheſ. 2. & alibi: itaque non debet ad hoc trahi meritum Chriſti vllo modo conſideratum. Vnde Suarez alioqui ſupponens ſimpliciter determinationẽ incarnationis ante peccatum, tamen diſp 41. ſect. 4. concl. 2. non extendit Chriſti meritum ad illam voluntatem diuinam de reparando humano genere, nec ad circunſtantiam carnis paſſibilis in Chriſto.

Meruit ordinationẽ Dei de inſtituendis & conferendis alijs medijs & auxilijs.

Tertio. Habuit Deus vlteriùs ſpecialem voluntatem inſtituendi & conferendi varia media & auxilia ac particularia dona gratiæ pro ſalute hominum. Quam voluntatem habuit etiam circa Reprobos, quibus nimirum ſalutis media & ſufficientia auxilia etiam prouidit: & hæc eſt prouidentia ſupernaturalis omnibus communis. Hanc voluntatem habuit Deus ex meritis Chriſti præuiſis, ex meritis inquam determinatè vt humanis, imò vt per paſſionem & mortem conſummatis: ſicut nempe in exequutione ipſa hæc auxilia & dona gratiæ confert ex vi talium meritorum, vt poſtea ſubiungemus. Et explicatur facilè: quia Deus poſt præuiſum lapſum Adami & totius generis humani, intendens præbere remediũ, determinauit aſſumptionẽ naturæ humanæ paſſibilis, & vt Chriſtus per paſſionem & mortem ſatisfaceret ac mereretur; ex his meritis præuiſis decreuit inſtituere & conferre certa media & auxilia quibus homines ſaluari poſſent: & ita hæc voluntas cadit ſub meritum Chriſti, ſicut & de prædeſtinatione circa electos mox dicemus, & de ipſa communi prouidentia diximus 1. par. q. 23. ſect. 5.

Meruit prædeſtinationem hominum, abſolutè, non comparatiuè.

Quarto. Præcipuè habuit Deus ſingularem beneuolentiam erga partem quandam hominum, nempe electionẽ & prædeſtinationem, quę importat decretum dandi gloriam & gratiam cum finali perſeuerantia. Hanc prędeſtinationem æternam, abſolutè quidem habuit Deus ex meritis præuiſis Chriſti, non tamen comparatiuè reſpectu eorum quos dereliquit. Hoc eſt ex meritis quidem Chriſti inductus eſt Deus vt prædeſtinaret, non tamen ex ipſis meritis inductus eſt vt prædeſtinaret potiùs hos quàm illos. Et ſic meruit quidem Chriſtus homines prædeſtinari à Deo, non tamen hos potiùs quàm illos. Sed hæc diſcretio & comparatio adſcribenda eſt ſoli voluntati & libertati diuinæ, iuxta inſcrutabilem altitudinem iudiciorum Dei. Conſequenter verò etiam ipſe Chriſtus, cognoſcens determinationem factam à Deo, & ſingularem electionem prædeſtinatorum, ſpecialiter obtulit ſua merita & orauit pro ipſis electis: ſed hoc totum ordinatũ fuit à Deo ex vi electionis precedentis in mente diuina. Et ſimiliter in quibuſcunque alijs donis gratiæ, quæ Deus confert quibuſdam & non omnibus hominibus. Ita de hac re ſtatuimus circa noſtram prædeſtinationem 1. par. q. 23. ſect. 24., vbi vtranque partem huius aſſertionis auctoritate & ratione fun-

dauimus.

dauimus, nec aliud nunc addendum occurrit.

SECTIO NONA.

Vtrum Chriſtus meruerit hominibus gloriam & omnia dona gratiæ.

CApreolus in 3.d.18. q. vnica art. 3. ad argum. Scoti cont. 4 concl., Driedo de Captiu. & redempt. gener. humani tract. 2. cap. 2. par. 3. art 4. ad 1. & tract. 4. cap. 2. par. 8. memb. 3. Adamus in cap. 1. ad Philippenſ, Franciſcus Sonnius lib. 2. Demonſtr. Chriſtianæ religion. tract. 3. cap. 19., & quidam alij dixerunt, Chriſtum meruiſſe tantùm gloriam & gratiam iuſtificantē, non tamen auxilia & diſpoſitiones quæ præcedant primam iuſtificationem & remiſſionem peccatorum, non meruiſſe applicationem ſuorum meritorum. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 55. §. *An autem*, concedit, Chriſtum meruiſſe etiam diſpoſitionem proximam, non tamen diſpoſitiones remotas. Addit Driedo, nec meruiſſe quædam dona gratię data antiquis Patribus, vtpotè præparationes ad incarnationem faciendam.

Chriſtus meruit hominibus gloriam.

1 Dico primò. Chriſtus meruit hominibus gloriam. Eſt de fide. Ad Roman. 5. *Per quem habemus per fidem in gratiam iſtam, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*: & infra *Abundantiam gratiæ & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum*: & rurſus *Ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Ad Hebr. 5. *Conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*. Et ſic paſſim in alijs locis. Eademque eſt frequens doctrina Conciliorum & Patrum.

Secundo ſuadetur ratione. Maximum donum quod nobis confertur eſt gloria, imo finis ad quem alia omnia dona ſupernaturalia per ſe ordinantur: maximum bonum quod peccato amittitur, eſt gloria: maxima pœna quæ per peccatum incurritur, eſt pœna damni, conſiſtens in priuatione gloriæ. Sed certè fatendum eſt, Chriſtum in ſua ſatisfactione, maximè operatum eſſe, vt auerteret à nobis maximam peccati pœnam, vt reſtitueret nobis maximum bonum amiſſum: & ſic etiam ſuo merito operatum eſſe, vt conſequeremur maximum donum, vt obtineremus noſtrum vltimum ſupernaturalem finem: igitur maximè hominibus meruit gloriam.

Homines ipſi per gratiam merentur ſibi gloriam.

Tertio. Quia homo iuſtus habet in ſe gratiam ſanctificantem per quam habet ius ad gloriam, & exercet bona opera per quæ meretur etiam gloriam; explicandum qualiter verificetur, gloriam dari ex meritis Chriſti. Recentiores Hæretici, vel hinc inducti ſunt ad dicendum, hominem non eſſe verè & intrinſecè iuſtum, non verè per bona opera mereri; ſed ei imputari iuſtitiam & merita Chriſti, vt vitā æternam obtineat. Et alioqui putant, multum detrahi, & iniuriam fieri iuſtitiæ & meritis Chriſti, ſi homo non per ſolam hanc imputationem extrinſecam, ſed per intrinſecam formam & per ſua opera habeat ius & meritum ad gloriam. Verùm, ille eſt manifeſtus error contra fidem, eumquè ſatis impugnauimus 1. 2. q. 113. & q. 114., propriò nēmpe loco de noſtra iuſtificatione & merito. Itaque ſupponimus, vere hominem fieri per gratiam in ſe intrinſecè iuſtum & ſanctum & heredem glorię, & verè per ſua opera mereri gloriam. Et ſimul cum hoc verificandum eſt, dari nobis gloriam ex meritis Chriſti.

Chriſtus meruit nobis vt haberemus gratiam & merita.

Quarto. Datur omnino nobis gloria ex meritis Chriſti, quia ipſa gratia per quam illam conſequimur datur nobis ex meritis Chriſti: tum inquam gratia ſanctificans per quam habemus ius hereditati ad gloriam: tum gratia auxilians per quam facimus opera meritoria: ergo gloria quam deinde conſequimur ex huiuſmodi gratia & meritis noſtris, originaliter datur nobis ex meritis Chriſti. Imo ipſam gratiam meruit nobis Chriſtus ad hoc vt obtineremus gloriam: itaque ordine intentionis, prius referuntur merita Chriſti ad noſtram gloriam, quàm ad gratiam. Et quia in intentione ipſa Dei ſupponimus, Deum prius ratione habuiſſe voluntatem dandi gloriam quam

dandi

Digitized by Google

dandi gratiam, & vtramque voluntaté dicimus habuiſſe ex meritis Chriſti præuiſis poſt peccatum; ſic etiam magis principaliter diſponit Deus in nobis gloriam ex meritis Chriſti. At videndú eſt, num etiam alio modo immediaté, & non ſolùm mediante gratia & noſtris meritis, detur nobis gloria ex meritis Chriſti.

Meruit nobis gloriā vltra noſtra merita.

Quintò. Si iuxta frequentem Theologorum doctrinam, dicentium Deum præmiare vltra condignum, admittatur, quod Deus adaugeat aliquem gradum glorię vltra illam menſuram quam præcisè merita noſtra expoſcunt: ſic dici poterit, & debebit, talem gradum & exceſſum, dari immediate & proximè ex meritis Chriſti. Etenim ſine dubio ad id totum ſe extendit valor meritorum Chriſti, & pertingunt quò non perueniunt merita noſtra. Et cum expreſſa formalitate, talis ac tantus erat valor meritorum Chriſti, vt ſe extendat ad obtinendam nobis gloriam vltra id quod nos mereamur, ſiue ad obtinendam gloriam etiam ſi nos illam non mereamur. Et totum quod nobis conceditur, putandum omnino eſt concedi ex ipſis meritis Chriſti, ſicut dicemus de omni dono gratiæ. Et pro hac explicatione accipi & intelligi poſſunt illa verba Chriſti Ioann. 10., *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*,

An ipſa quoq; noſtra merita facta ſint digniora maioris gloria.

Sextò. Addunt aliqui Theologi, gratiam ipſam iuſtificantem nobis infuſam, & merita ipſa noſtra facta ex gratia, participare maiorem quandam dignitatem & valorem ex dependentia & deriuatione à Chriſto, ita vt illis de condigno & de rigore debeatur maior gloria, quàm ſi non eſſet talis gratia data ex meritis Chriſti. Ita docent Caiet. tomo 3. Opuſculor. tract. 11. cap. 9., Sotus in 4. d. 19. q. 1. art. 2., Hoſius in Confeſs. cathol. cap. 73. Ruard. art. 11. cont. Luther. §. *In ſecunda articuli particula*, Lindan. lib. 3. Panopliæ cap. 20., Lorca 1. 2. diſp. 46. de Grat., Suarez lib. 12. de Grat. cap. 19. & quidam alij. Et mouentur: quia eadem res plus valet, plus æſtimatur, dignior & carior eſt, quantò eſt perſonæ dignioris & carioris, vt in rebus ipſis humanis notauit D. Auguſt. lib. de Cura pro mortuis cap. 7. Ergo eadem noſtra gratia, idem noſtrum meritum, plus valet, & maiorem gloriam expoſcit apud Deum, eo quòd ſit aliquid Xp̄i perſonæ Deo dilectiſſimæ, dum prouenit nobis ex meritis Chriſti. Et ipſe homo per gratiā acceptā ex meritis Chriſti, ſit membrū Chriſti, & Chriſtus tanquam caput eſt auctor talis gratiæ & conſequenter meriti ex ea procedentis: ergo homo per talem gratiam eſt dignior & plus meretur, quam ſi illam non haberet à Chriſto. Vnde Caiet. inquit, Chriſtum ipſum mereri in nobis: & ſicut dixit Apoſtolus, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*; ſic inquit dici poſſe, *Mereor ego, iam non ego: meretur verò in me Chriſtus*.

Non ipſa noſtra merita facta ſūt digniora.

Sed tamen hoc non eſt neceſſarium, nec ſatis fundatum. Et ita docent Andræas de Vega lib. 15. ſuper Concil. cap. 15., & latè Vaſqu. 1. 2. diſp. 214. cap. 7., & alij ex Recentioribus. Etenim in vniuerſum, dignitas & valor gratiæ & meriti, eſt quædam proprietas intrinſeca eius, vnde non poterat conſtitui & explicari penes æſtimationem & acceptationem extrinſecam Dei, vt iam ſuo loco tractauimus in 1. 2. de Gratia & de Merito: ergo nec etiam dici debet maior dignitas aut valor accreſcere ex reſpectu illo extrinſeco ad Chriſtum: neque gratia aut meritum, fit maioris dignitatis & valoris, ex hoc præcisè quod à Chriſto proueniat. Et confirmatur: quia alioqui ſequeretur creſcere in infinitum, ſiquidem Chriſtus eſt perſona infinita, infinite digna, infinite cara & dilecta Deo, vnde meritum ipſius Chriſti valet in infinitum. Sequeretur, hominem iuſtum de facto, quatenus membrum Chriſti, & quatenus operatur per gratiam acceptam ex Chriſto, mereri quoque de condigno auxilia gratiæ, aut etiam donum ipſum perſeuerantiæ, & poſſe condignè ſatiſfacere pro peccatis aliorum: ſicut nempe dicitur ex eo reſpectu mereri de condigno alium vlteriorem gradum gloriæ: nam ad hæc omnia pariter extenditur dignitas & valor meritorum Chriſti. Sequeretur quòd dum homo adultus ritè diſpoſitus recipit ſacramentum, & ex illo conſequitur augmentum

gratiæ

gratiæ ex opere operato, dici deberet tanquam membrum Chriſti mereri de condigno tale augmentum. Rurſus ſequeretur, quando aliquis accipit gratiam ex precibus & impetratione alterius Sancti valde grati Deo, & præſertim B. Virginis, quod pariter per talem gratiam, & per opus ex illa factum, deberet ille conſequi aliquid plus gloriæ; plus inquam, quam ſi talem gratiam non accepiſſet ex ea interceſſione. Et alia ſimilia poſſunt inferri, quæ non ſunt admittenda.

Sed tota dignitas ſumitur ab intrinſeco.

Et ad motiuum alterius ſententiæ dicendum eſt; In ratione condignitatis ad præmium attendi ſolùm dignitatem & valorem intrinſecum perſonę & operis, & non reſpectum ad alteram perſonam extrinſecam: gratia autem & opus noſtrum, refertur ad Chriſtum ſolùm extrinſecè: non ergo ex hac parte plus valet, non exigit maiorem gloriā; vltra ſuam intrinſecam dignitatem & valorem, ac ſi non proueniret ex Chriſto. Imo; nec etiam ex eo quòd ipſemet qui operatur, habeat maiorem ac maiorem gratiam ſanctificantem, redditur opus eius magis ac magis meritorium, niſi opus ipſum in ſe creſcat, vt diximus 1. 2. quæſt. 114. ſect. 23. Et homo intantum fit membrum Chriſti, inquantum ex illo recipit influxum gratiæ: itaque non fit plus dignus, nec plus meretur, quàm inquantum habet per gratiam ex illo acceptam: & perinde eſſet, ſi eandem gratiam haberet, & non ex illo. Et abſolutè per gratiam ſibi inhærentem fit in ſe filius Dei adoptiuus: quæ ſanè eſt ſuprema dignitas, quę perſonis creatis poſſit obuenire: vnde nō oportet vt plus exerceat per alium dictum reſpectum extrinſecum. Modum autem illum loquendi Caiet. alij Theologi reprehendere potiùs ſolent, tanquam fauentem Errori recentiorum Hæreticorum, qui totam meriti vim attribuunt ipſi Chriſto, & auferunt à nobis. Sed ſic poteſt aptè explicari, *Mereor ego, tam non ego*, id eſt non per vires meas; *Sed meretur in me Chriſtus*, id eſt mereor per gratiam acceptam à Chriſto. Quod non denotat, creſcere noſtrum meritum præcisè ex reſpectu ad Chriſtum; ſed potiùs denotat totum ipſum noſtrum meritum eſſe ex Chriſto, inquantum eſt ex gratia habita per Chriſtum.

Chriſtus meruit nobis promiſſionem Dei de conferenda gloria.

Septimo. Aliud adhuc eſt, quod poteſt attribui meritis Chriſti in ordine ad gloriam nobis conferendam, non ſolum inquam ad aliquam partem ſiue incrementum gloriæ, ſed ad totam ipſam gloriam ſingulorum. Nempe præter valorem & dignitatem operis & operantis, ſpectat etiam ad conſtituendum noſtrum meritum, promiſſio & acceptatio ſiue obligatio Dei de retribuenda mercede. Dici ergo poteſt, quod ex meritis Chriſti factum ſit, vt Deus promiſerit noſtris operibus mercedem gloriæ; quod acceptet noſtra opera ad retribuendam talem mercedem. Sed hoc etiam negant Vega loco cit., & Vaſq. ibi 1. 2. diſp. 222. cap. 3.; non ſolùm quia putant non requiri talem Dei promiſſionem ad meritum; ſed quia etiam ſi daretur, inutilis eſſet noua imputatio ſeu applicatio meritorum Chriſti, ad hoc vt Deus promiſerit dare gloriam benè operantibus: cùm hæc promiſſio anteceſſerit etiam ante peccatum, & ante decretum incarnationis: & ita ſufficeret dari nobis per merita Chriſti gratiam qua benè operemur & ſimus digni gloria. Vt indicauit Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 16., *Cùm Chriſtus Ieſus in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minùs illis operibus quæ in Deo ſunt facta vitam æternam verè promeruiſſe cenſeantur*. Illud tamen concedunt Suarez hîc diſp. 41. ſect. 3., Becanus cap. 14. q. 12., & alij hoc loco, vel 1. 2. de merito.

Et quidem verè requiri & concurrere promiſſionem Dei ad complendam rationem meriti, nempe ſecundùm rationem obligationis, ſupponimus ex eo loco de merito: eo præſertim, quia potuiſſet Deus alijs titulis exigere & acceptare noſtra opera, & non obligari ad reddendam mercedem. Optimè ergo fieri potuit, & ſic dici debet factū eſſe, vt Deus intuitu meritorum Chriſti, contentus fuerit promittere noſtris operibus mercedem gloriæ, & ſe obligare ad eam reddendam: quia hoc magis commendat excellentiam & vtilita-

ſitatem meritorum Chriſti pro nobis. Hoc etiam planè expreſſit Concil. Trident. eodem loco ſeſs. 7. cap. 16. dicẽs; *Benè operantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Ieſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Vnde rectè Concil. in verbis ſequentibus ſubiungit, nihil deeſſe ad meritum, vt Vaſq. adducebat: quia iam præſignauerat promiſſionem factã per Chriſtum. Et rurſus ſeſs. 14. cap. 8. loquens de noſtra ſatisfactione ait, *Facientes fructus pœnitentiæ, qui ex Chriſto vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre*: ergo ſimiliter merita noſtra per Chriſtum acceptantur à Patre. Et hoc idem indicauit Apoſtolus 2. ad Timoth. 1., *Secundùm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Et quamuis Deus ante lapſum Adami & generis humani, promiſiſſet quoque meritis eius & poſterorum mercedem gloriæ: tamen poterat adhuc Deus poſt peccatum non ampliùs promittere vitam æternam pro bonis operibus: imò poterat nouo obligationis titulo & à nobis exigere in recompenſationem peccati: & titulo etiam redemptionis nouo adſtringuntur vinculo homines erga Deum, vt inter alia adnotauit Auguſt. ſerm. 3. de Verbis Domini. Hoc ergo etiam beneficium poſſumus & debemus fateri obueniſſe nobis ex meritis Chriſti, vt etiam poſt peccatum, Deus non ſolùm largiatur nobis gratiam ad benè operandum, ſed etiam promiſſione & acceptatione ſua ſe obligauerit retribuere nobis mercedem gloriæ pro bonis operibus.

Meruit quoquè immediatè totam ipſam gloriam.

Octauo demùm dici inſuper poteſt, ita dari nobis gloriam immediatè ex meritis Chriſti, vt ſimul detur duplici meritorum & iuſtitię titulo, nempe non ſolùm ob merita propria hominis facta ex gratia Chriſti, ſed etiam proximè & per ſe ob merita eiuſdem Chriſti. Negat hoc ipſum Vaſq. ea diſp. 221. cap. 3. Sed alij facilè id concedunt. Et aliqui ex ijs qui volebant opera noſtra fieri digniora & plus valere ex illo reſpectu ad Chriſtum, explicant, id ſaltem verificari & intelligi hoc modo, quòd Deus veluti libentiùs & alacriùs, ideſt pluribus titulis, det nobis eandem gloriam commenſuratam meritis noſtris, reſpiciendo ſimul ad merita Chriſti. Et ſuadetur facilè: quia ſanè poſſibile erat, eandem mercedem decerni & dari titulo duplicis meriti: & aliqui Theologi volebant, eundem gradum gloriæ debitum alicui iuſto pro quodã actu meritorio, deberi rurſus & dari pro alio & alio actu non excedente menſuram prioris: neque hoc impugnabatur quòd non eſſet poſſibile, ſed quòd non ſufficeret. Itaque ſi abſque detrimento totius gloriæ quocunque titulo conferendæ cuilibet iuſto, dicatur illa ipſa gloria quæ ei datur intuitu ſuorum meritorum, dari etiam per ſe & immediatè intuitu meritorum Chriſti; id conuenienter admitti poteſt & debet.

Chriſtus meruit hominibus gratiam iuſtificantem & remiſſionem peccatorũ.

Dico ſecundò. Chriſtus meruit hominibus gratiam iuſtificantem qua remittuntur peccata. Eſt etiam de fide. Ioann. 1. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Ad Roman. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu, quẽm propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, &c.* Et paſſim in ſacris litteris hoc expreſſum eſt ſub varijs nominibus, redemptionis, emundationis, remiſſionis, & ſimilibus. Et ſub ipſo nomine meriti definitum in Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 7., vbi inter iuſtificationis cauſas dicitur: *Meritoria autem dilectiſſimus vnigenitus ſuus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit*. Eſtque res notiſſima apud omnes Patres & ſacros Doctores, & Chriſti fideles.

Secundò. Satis etiam patet ex dictis de fine & motiuo incarnationis, & rurſus paſſionis Chriſti: nempe incarnationem in humana natura, & in carne paſſibili, & paſſionem Chriſti, fuiſſe à Deo inſtitutam & ordinatam in remedium noſtri peccati, ad reparationem generis humani perditi in Adamo: & ſimiliter ex dicendis infra de ſatisfactione Chriſti pro noſtris peccatis, eiuſ-

Digitized by Google

quę ſufficientia, valore, ac neceſſitate. Omnia enim hoc oſtendunt, Chriſtum debuiſſe nobis mereri remiſſionem peccatorum, iuſtificationem à peccatis, quod eſt dicere gratiam iuſtificantem & ſanctificantem.

Meruit augmentũ gratia.

Tertio. Quia non ſolùm ab initio tribuitur peccatori prima gratia iuſtificãs, ſed deinceps homini iuſtificato tribuitur etiam augmentum gratiæ, quod ipſemet iuſtus ſuis ſequentibus actibus de condigno meretur, ſicut gloriam: cùm alioqui prima iuſtificationis gratia non cadat ſub noſtrum meritum de condigno; ſed ad ſummum de congruo: quod totum ex ſuo tractatu de merito ſupponimus. Ideo de augmento quidem gratiæ, iiſdem modis explicãdum eſt, dari nobis ex meritis Chriſti, ſicut dictum eſt de gloria; eadem enim communis eſt ratio. Sed primam iuſtificationis gratiam, alio adhuc peculiari modo Chriſtus nobis meruit: nempe vt daretur homini non eam de condigno merenti, imò potiùs adhuc indigno & inimico: peccator enim, poſito quocunque ſuo actu, eſt adhuc inimicus & indignus: ſed ei ex meritis Chriſti tribuitur gratia iuſtificationis. Vaſq. tamen ibi 1. 2. diſp. 222. cap. 2. contendebat, non requiri peculiarem applicationem meritorum Chriſti, ad hoc vt peccatori verè contrito, aut diligenti Deum ſuper omnia, infundatur gratia iuſtificationis, & remittatur peccatum; quia putabat, actum ipſum contritionis aut dilectionis, habere per ſe formaliter vim iuſtificandi peccatorem, & delendi peccatum; atque ex parte efficientis præſupponere habitum gratiæ. Sed hoc ſatis refutauimus ſuo loco de gratia & iuſtificatione in communi: & rurſus infra circa ſatisfactionem Chriſti refellemus. Et preterea illa gratia iuſtificans quę nobis datur ex opere operato per ſacramenta, ſiue in prima infuſione, ſiue in augmento, prorſus datur ex ſolis meritis Chriſti, pręter & vltra meritum noſtrum.

Et habitus comitantes gratiam.

Quarto. Quia ſimul cum gratia iuſtificante, infunduntur nobis alij habitus ſupernaturales, vt ſupponimus: conſequenter hos quoque meruit nobis Chriſtus. Patet ex eodem loco Concilij Trident. dum ſubiungit: *In ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.* Et ſequitur ex ipſa connexione harum virtutum cum habitu gratię: illum enim inſeparabiliter comitantur: itaque planè cadunt per concomitantiam ſub idem meritum, ex quo datur & infunditur ipſa gratia.

Meruit omnia alia dona gratia.

Dico tertiò. Chriſtus hominibus meruit omnia alia dona & auxilia gratię. Hęc eſt Theologorum communis & certa. D. Tho. ſupra q. 7. art. 9. & 11. & q. 8. art. 3. ad 2., Scoti in 3. d. 19. quęſt. vnica, & aliorum qui vniuerſaliter abſque exceptione loquuti ſunt. Et ex profeſſo contra illam Capreoli ſententiam, Vegę lib. 4. & 15. ſuper Concil., Hoſij in Confeſs. cathol. cap. 41. & 43., Lindani lib. 3. Panoph. cap. 36., Valent. hîc q. 19. puncto 4., Suarez diſp. 41. ſect. 2., Vaſq. diſp. 77., Raguſa diſp. 9. & aliorum ſcribentium contra Hereticos, & hoc loco. Et Valent. valde admiratur oppoſitam ſententiam. Vaſqu. hanc concluſionem vocat catholicam veritatem. Et ita alij pro certo ſentiunt. Probatur primò ex ſacris litteris, quę ſatis clarè omnia dona gratię referunt ad Chriſtum. Ioann. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Actor. 4. *Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Ad Epheſ. 1. *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, ſecundùm diuitias gratiæ eius.* Et cap. 4. *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Et alibi paſſim varia ac ſingula dona gratię referuntur ad Chriſtum: vt de gratia vocationis 2. ad Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu.*

Secundo probatur ex Concilijs, Pontificibus, & Patribus. Concil. can. 3. & 4. & Arauſican. 2. can. 25., planè dixerunt, gratiam auxiliantem qua homo ad iuſtificationem diſponitur, dari nobis per Chriſtum, ideſt ex meritis & redemptione Chriſti. Similiter Trident. ſeſs. 6. cap. 5. inquit, *Iuſtificationis exordium à Deo per Chriſtum Ie-*

ſum.

ſum præuenient e gratia. ſumendum eſſe vt hoc eſt ab eius vocatione, & cætera Item Celeſtinus Papa Epiſt. 1. cap. 10. & Innocent. primus in Epiſt. 93. apud Auguſt. Epiſt. 105. & alibi paſſim, alijquè Patres ſcribentes contra Pelag., ſemper gratiam auxiliantem, etiam ſcilicet illam qua peccator ad iuſtificationem diſponitur, vocabant gratiam Chriſti, gratiam per Chriſtum, gratiam redemptionis: vtique ſupponentes, dari nobis ex meritis Chriſti.

Tertiò ratione probatur. In Chriſti operibus fuit ſufficiens, & condignus, & ſuperabundans valor, ad hęc omnia dona gratię promerenda. Spectatquè ad perfectionem & amplitudinem redemptionis, redundat in gloriam Chriſti, & conſonat ordinatę diſpoſitioni diuinę intra ordinem prouidentię ſupernaturalis erga genus humanum eiuſquè reparationem, ſi omne huiuſmodi auxilium & donum gratię dicatur conferri, nobis à Deo per Chriſtum, intuitu meritorum Chriſti: ergo ita omnino ſentiendum & loquendum eſt.

Quartò. Id intelligi debet, tum de auxilijs gratię quę conferuntur homini poſt iuſtificationem, tum de illis quę conferuntur ante iuſtificationem, ſiue per modum diſpoſitionis proximę, ſiue remotę: nulla eſt ratio diſcriminis inter hęc omnia dona gratię. Item debet intelligi de illis donis gratię quę dicuntur gratis datę, quę nempe ordinantur etiam ad ſalutem animę, & conceduntur quibuſdam propter ſalutem aliorū. Rurſus etiam de certis donis gratię pręparatorijs ad ipſam incarnationem, qualis fuit gratia data Abrahamo, vt crederet, oraret, ac filiū offerret, ideoq; ex eius ſemine naſceretur Chriſtus: & gratia collata B. Virgini ab initio ſuæ conceptionis, qua diſponeretur vt eſſet mater Chriſti: aliaque ſimilia. Hæc enim dona gratiæ non erant tanquam principium per ſe requiſitum ad incarnationem, ſed benè poterant cadere ſub meritum Chriſti, iuxta ea quæ diximus q. 6. Et in vniuerſum, etiam dona gratiæ quæ data fuerunt tempore ante Chriſtum, potuerunt dari ex meritis Chriſti, vt ſect. ſequenti tractabimus.

Meruit ap-

Quintò tandem dici etiam poteſt Chriſtū meruiſſe applicationem ipſam ſuorum meritorum. Quod explicatur facile: quia hæc applicatio vel intelligitur & perficitur mediātibus remedijs & ſacramentis diuinitus inſtitutis: & ſic certè Chriſtus non ſolùm meruit, vt hæc remedia inſtituerentur in ſe, & acciperent virtutem conferendi gratiam ex promiſſione diuina, ſed etiam meruit vt adhiberentur & reuera prodeſſent hominibus. Vel applicatio intelligitur & perficitur, per hoc ipſum quod Deus infundit & confert dona gratiæ: & ſic etiam hanc infuſionem & collationem Chriſtus meruit. Attamen non per hoc dicimus, Chriſtum ipſum primario meruiſſe, comparatiue & oppoſitiuè loquendo, vt dona gratiæ conferrentur potiùs his quàm illis, plura his quàm illis: non dicimus ex meritis, aut ex determinatione humanę voluntatis Chriſti primariò factum eſſe, vt dona gratiæ taliter diſtribuerentur inter homines, vt ſacramentū adhiberetur potiùs huic quàm illi, vt certum auxilium conferretur magis huic quàm illi: nō dicimus hanc applicationem meritorum Chriſti, ſub hac formalitate diſcriminis, factam eſſe ex ijſdem meritis Chriſti. Sed hæc quidem diſcretio ac determinatio referenda eſt ad inſcrutabilem altitudinem voluntatis & libertatis Dei. Sic iam circa ipſam prouidentiam & prædeſtinationem diuinam diximus ſect. præcedenti. Sic de applicatione ſacramenti, & alijs donis gratiæ aduertit S. Thomas hac q. art. 4. ad 3. & quæſt. 29 de Verit art. 7. ad 4. & 13. Et hoc pręcipuè voluiſſe videntur Auctores initio allegati: ad hoc enim tantùm tendunt quædam eorum argumenta, quæ proinde non alia ſolutione indigent.

-plicationē ſuorū meritorum.

SECTIO DECIMA.

Vtrum Chriſtus gratiam & gloriam meruerit omnibus hominibus.

DVplex eſt huius quæſiti ſenſus. Primus, num Chriſtus meruerit, vt omnes homines, quotquot creantur, gratiam & gloriam conſequantur. Secundus eſt, num omnes homines qui gratiam & gloriam conſequuntur, illam habeant & accipiant virtute meritorum Chriſti.

Meruit omnibus quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam.

In primo ſenſu meruit quidem Chriſtus omnibus hominibus gratiam & gloriam, quoad ſufficientiam, non vero quoad efficaciam: id eſt merita Chriſti habebant ſufficientem valorem, qui compenſari poſſet gratia & gloria omnium hominum; non tamen omnibus hominibus de facto datur gratia & gloria. Etenim merita Chriſti habebant quidem in ſe ex dignitate perſonę operantis infinitum valorem, vt magis oſtendemus circa ſatisfactionem: atque adeo gratia & gloria omnium hominũ, adhuc non excederet, nec adæquaret huiuſmodi valorem ac dignitatem meritorum Chriſti. Attamen de facto conſtat, non omnes homines accipere gloriam, cùm non omnes ſint prædeſtinati, ſed tàm multi ſint reprobi: non omnes accipere gratiam iuſtificantem, cùm plerique decedant abſque ſacramento & abſque perfectæ contritionis vel dilectionis actu: nec omnes item accipere gratiam auxiliantem internã, cùm plerique decedant ante quam vſum rationis attingant, ſintque huius auxilij capaces. Hæc ergo non meruit omnibus Chriſtus quoad efficaciam. Pro omnibus tamen inſtituit Deus quædam externa & generalia ſalutis remedia, habentia vim conferendi gratiam & perducendi ad gloriam: vt ſunt ſacramenta, non ſolùm nunc in lege noua, ſed aliquod etiam ſaltem pro paruulis in lege naturæ: licet non omnibus hæc remedia re ipſa applicentur aut applicari poſſint. Solet etiam Deus omnibus adultis tribuere aliquod internum auxilium ſufficiens, quo ad vlteriora prouehi poſſent. Ita in vniuerſum diximus circa prouidentiam ſupernaturalem Dei 1. par. q. 23. ſect. 4. & 5. Et hoc pacto hæc meruit Chriſtus omnibus quoad efficaciam: etiam inquam auxilia ſufficientia, quæ dantur ijs qui non conſentiunt, meruit Chriſtus efficaciter, meruit vt re ipſa darentur, & reipſa dantur ex meritis Chriſti, iuxta ſequentem doctrinam. In illis autem quibus Chriſtus non meruit efficaciter, nihil quidem deerat ex parte operum Chriſti, ſed ſolùm ex parte acceptationis diuinæ, quia Deus non pro omnibus ea efficaciter acceptauit, non omnes prædeſtinare voluit, non omnibus gloriam & alia dona gratiæ elargiri.

Omnes qui ſaluantur, recipiunt gloriam & gratiam, ex meritis Chriſti.

In ſecundo ſenſu nullus quidem negauit, omnes qui poſt aduentum Chriſti ſaluantur, non niſi ex meritis Chriſti accipere gratiam & gloriam & ſalutem: vt expreſſit ipſe Chriſtus Ioann. 14. *Nemo venit ad Patrem niſi per me*: & Petrus Apoſtolus Actor. 4. *Non eſt in alio ſalus, nec enim aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*: & alibi ſæpè. Vndè quod dixit Dominus Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael*: intelligebatur ſolùm quoad corporalem præſentiam, & prædicationem, & miraculorum operationem. Alioqui in toto nouo teſtamento exploratum eſt, Chriſtum veniſſe & meruiſſe tàm pro populo Gentilium quàm Iudæorum.

Etiam Reprobi recipiunt dona gratiæ ex meritis Chriſti.

De reliquo refert Becanus hìc cap. 14. q. 11. concl. 2. Caluiniſtas dixiſſe, Chriſtum non veniſſe & meruiſſe pro ijs qui de facto non ſaluantur, qui ſunt reprobi. Sed hoc eſt manifeſtè falſum & contra fidem: vt patet 1. Ioann. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. Et vel Caluiniſtæ intelligebant, nullum ſimpliciter donum gratiæ concedi à Deo reprobis. Et de hoc ſatis expreſſum eſt in ſacris litteris, omnibus etiam reprobis immitti à Deo ſalutares vocationes quibus ad Deum conuerti & ſaluari poſſint, & interdum etiam ijs concedi donum iuſtificationis, licet abſque finali perſeuerantia, vt iam ſuo loco tractauimus 1. par. q. 23.

Vnde

Vndè meritò Concil. Trident. ſeſs. 6. can. 17. ſic definiuit: *Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, anathema ſit.* Vel intelligebant, quamuis daretur gratia reprobis, non dari ex meritis Chriſti.

Et de hoc etiam ſatis apertè loquitur Sacra Scriptura, ita amplè & vniuerſaliter, abſque exceptione loquens de omnibus hominibus, & de aduentu ac redemptione Chriſti pro omnibus, vt omnino pateat, omnem qui accipit donum gratiæ ſiue iuſtificantis, ſiue tantùm auxiliantis, accipere ex meritis Chriſti, non excludendo reprobos. Vnde, quod dixit Chriſtus Dominus. Ioann. 17., *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi*: hoc inquam dixit quoad illam particularem orationem, non verò de tota ordinatione ſuorum meritorum: dixit quoad efficaciam conſequendæ ſalutis pro ſuis electis, ex peculiari inſtinctu diuino ſupponente electionem factam ex diuino beneplacito; non autem excludendo dona gratiæ alijs etiam concedenda, nec ſufficientiam qua alij etiam ſaluari poſſent.

Etiam homines qui præceſſerũt Chriſtum, receperant gratiam ex eius meritis.

Sed præſertim referebat D. Auguſtin. lib. 2. de Gratia Chriſti & peccat. orig. cap 26., Pelagianos negaſſe, merita Chriſti ſpectaſſe ad antiquiores homines qui vixerant ante aduentum Chriſti. Etenim meritum debet præire ante præmium, quia eſt cauſa vt detur præmium: nec videtur poſſe inuerti hic ordo, ita quòd conferatur præmium ante meritum, quia tunc nihil videtur facere aut iuuare ampliùs tale meritũ: ergo dona collata antiquioribus hominibus, non fuerunt illis collata ex virtute meritorum Chriſti. Et confirmatur: quia nec ipſe Chriſtus poterat tunc orare, ſuaquè merita offerre & applicare pro ijs qui ante ipſum præceſſerunt, & pro obtinendis illis donis gratiæ quæ iam antea ijs collata erant.

At ſimiliter certum de fide & exploratum eſt, Chriſtum veniſſe ac meruiſſe, etiam pro illis qui eum præceſſerũt, & dona gratiæ quæ illis data fuerunt, pariter data fuiſſe ex meritis Chriſti. Et hoc intelligitur de omnibus abſque exceptione, etiam de primis parentibus, quoad illa inquam dona gratię quę receperunt poſt peccatum. Patet non ſolùm ex ijſdem Scripturæ locis, quæ vniuerſaliter loquuntur, & ſe extendũt ad omne tempus, ad omnes homines: ſed etiam in relatione ad tempus præteritum, ad Roman. 3. *Propter remiſſionem præcedentium delictorum*; & ad Hebr. 9 *In redemptionem earum præuaricationum quæ erant ſub priori teſtamento.* Et in eodem ſenſu dictum videtur Apocal. 13., *Agni qui occiſus eſt ab origine mundi.* Item Concil. Trident. ſeſs. 5. in Decreto de Peccato original., & ſeſs. 6. cap. 1. & 2. de Iuſtificat., manifeſtè ſupponit, Chriſti redemptionem valuiſſe pro tempore & omnibus hominibus, etiam præcedentibus. Alijquè Patres ac ſacri Doctores idem pro certo docent aut ſupponunt. Vnde Bernardus Epiſt. 190. pulchrè ad hanc rem accomodat factum illud Matth. 21., *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et in huius etiam rei ſignum, nullus antiquorum hominum ingreſſus erat regnum cœlorum ante aduentum & mortem & reſurrectionem Chriſti: data tamen illis fuerant ſua dona gratiæ, non niſi ex meritis Chriſti. Ratione idem ſuadetur: quia indigentia erat eadem in prioribus ac poſterioribus hominibus, ex reatu peccati & defectu naturæ: ſufficientia & efficacia meritorum Chriſti erat ampla & adæquata pro omnibus. Atque optimè fieri poterat, vt daretur præmium ante meritum ordine temporis: quo ſimul diſſoluatur oppoſita difficultatis ratio.

Meritum præcedebat ordine præuiſionis & cauſalitatis.

Etenim ab æterno, priùs ordine rationis Deus præordinauit & præuidit merita Chriſti futura, & conſequenter decreuit dare gratiam & gloriam illis etiã hominibus, qui ordine temporis futuri erant ante Chriſtum. Nec enim apud Deum neceſſe erat, vt priùs realiter exhiberentur merita, quàm ab ipſo redderetur merces: ſed ſatis erat, quòd priùs ratione præordinata & præuiſa eſſent. Sic nanque merita habebant adhuc ſ(ci)am prioritatem cauſalitatis erga

erga retributionem mercedis: quia cauſalitas meriti erga præmium, non eſt cauſalitas phyſica & realis, ſed tantùm moralis, ad quam prorſus ſufficit illa prioritas ordinationis & præuiſionis. Et reuera ipſum meritum præordinatum & præuiſum facit vt conferatur præmium, etiam ante realem exhibitionem meriti. Nec etiam oportet ſeruari eundem ordinem rationis, & veluti naturæ ſeu cauſalitatis, inter diuinos effectus in mente Dei, qui reperitur in duratione & ſucceſſione temporis: ſed optimè poteſt & ſolet eſſe, vt Deus prius in mente ſua diſpoſuerit ac præuiderit, aliquem effectum, & conſequenter ex vi illius diſponat aliũ quendam effectum, & diſponat vt ſit pro tempore antecedenti ad illum, priùs ratione præordinatum. Et ſic quidem priùs diſpoſuit ac præuidit merita Chriſti, ex hinc decreuit dare dona gratiæ tot hominibus tanto tempore ante aduentum Chriſti. Atque id ex natura rei non eſt proprium ſolis meritis Chriſti ob infinitatem valoris ac dignitatis eorum: ſed poſſet Deus alijs etiam hominibus bene merentibus dare mercedem aliquam tempore antecedenti, ſicut & inter ipſos poteſt & ſolet fieri anticipata ſolutio vel traditio vnius rei in commutatione cum alia re: quamuis in hac acceptatione & anticipatione interueniret aliqua maior gratia. Semper autem oportet, vt ille effectus qui ordine temporis antecedit ad meritum, per ſe non ſit illius cauſa aut principium effectiuum: quia tunc ſuccedit illa regula, quod principium meriti non cadit ſub meritum.

Non requirebatur peculiaris oratio & oblatio aut gratiarum actio Chriſti pro prædeceſſoribus.

Ad confirmationem aliqui conati sũt explicare, potuiſſe etiam Chriſtum peculiari ſuo actu orare & offerre ac applicare ſua merita pro illis donis gratiæ iam collatis antiquioribus hominibus. Sed hoc eſt ſanè magis difficile: vt nẽpe Chriſtus diceret, rogo Pater & offero mea merita, ad hoc vt dederis gratiam Abrahamo, Dauidi, & alijs meis progenitoribus ac prædeceſſoribus. Alij dicunt, potuiſſe Chriſtum ſaltem agere gratias pro donis ante collatis, & hanc gratiarum actionem fuiſſe æquiualentem pro oratione & oblatione. Sed certe gratiarum actio per ſe non habet rationem meriti, ad obtinendum beneficium pro quo aguntur gratiæ, potiùs habet rationem recompenſationis pro beneficio quatenus accepto, & per ſe ſupponit ipſum beneficium tanquam principium ſui, ſicut præmium ſupponit ordine cauſalitatis meritum tanquam principium ſui. Dicendum ergo eſt, hæc non eſſe neceſſaria, nec iuuare ad hanc rem. Sed abſque huiuſmodi gratiarum actione, aut oratione & oblatione, ipſa merita Chriſti de ſe erant talia, & a Deo ipſo taliter ordinata ad ſalutem aliorum, vt Deus ex ſe optimè potuerit, illorum intuitu & virtute conferre ac decernere dona ſuæ gratiæ, antiquioribus etiam hominibus.

De primis parentibus in ſtatu innocentia eſt eadem ratio ac de Angelis

Tandem ſupereſt dubitatio, num meritum Chriſti extendatur etiam ad primos parentes in ſtatu innocentiæ, quem habuerunt ante peccatum, & ad dona gratiæ ac iuſtitiæ originalis tũc illis collata. Affirmant illi qui volebant, Incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam ante præuiſum peccatum: quia ſic merita Chriſti antecedebant ordine rationis & cauſalitatis ad illum ſtatum, ad illa dona. Et ita contendit Suarez hîc diſp. 41. ſect. 1. in fine, & ſupra q. 1. in comment. art. 3. circa quintum argum. Defendunt etiam aliqui ex ijs qui alioqui ſupponebant, Incarnationem fuiſſe prædefinitam poſt præuiſum peccatum & in eius remedium. Ita Valent. hîc q. 19. puncto 2. explicans, prima illa dona gratiæ fuiſſe data Adamo ex paſſione ipſa Chriſti: quia inquit incarnatio & paſſio & merita Chriſti, potuerunt eſſe vna ratione poſteriora, & alia ratione priora ante peccatum. Et adhæret Cabrera ſupra q. 1. art. 3. diſp. 1. §. 26. Sed negant alij qui ponunt decretum incarnationis poſt præuiſum peccatum. At iuxta noſtram ſententiam, eodem modo ſentiendum eſt de illis donis gratiæ datis primis parentibus in ſtatu innocentiæ, quo ſupra diximus de gratia Angelorũ in via. Eadem enim planè eſt ratio. Itaquè fieri quidem potuit, vt daretur illa gratia Adamo ex meritis Chriſti vt indi-

individui rationalis, ſi Deus priùs decreuerat aſſumere rationalem naturam abſtrahendo ab humana. Non tamen ex meritis Chriſti vt humanis, & multo minus ex meritis paſſionis Chriſti quæ non fuerunt determinata niſi poſt peccatum. Neque ſtare poteſt quod dicebat Valent., fuiſſe alia ratione priora: non enim poteſt excogitari talis diuerſa ratio ordinis inter hæc duo. Illa enim quam indicat Valent., quia merita Chriſti erant præclara merita, & digna quæ compenſarẽtur quoque per illam gratiam; oſtendit ſolùm prioritatem excellentiæ & dignitatis, non autem prioritatem ordinis & cauſalitatis quæ interuenire deberet ad hunc effectum.

Habuerũt fidẽ Chriſti ex meritis Chriſti.

Habuiſſe tamẽ videtur Adamus in illo ipſo primæuo ſtatu poſt ſuam creationẽ aliud quoddam donum gratiæ, quod potuit illi dari ex meritis Chriſti hominis, nempe notitiam & fidem ipſius incarnationis futuræ. Adamum enim accepiſſe à Deo reuelationem & fidem huius myſterij in illo ſopore tunc ſibi immiſſo, concedit S. Tho. ſupra q. 1. art. 3. & 2. 2. q. 2. art. 7. Et colligitur ex verbis quæ ipſe ſurgens à ſopore dixit, *Hoc nunc os de oſſibus meis & caro de carne mea*: iuxta expoſitionem Apoſtoli ad Epheſ. 5., *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Et ita plurimi Patres docent, Adamum illis verbis prophetico ſpiritu præuidiſſe ac pronunciaſſe magnum incarnationis myſterium. Ita tamen vt Adamus non cognouerit occaſionem eius, ſcilicet ſuum peccatum futurum: vt aduertit D. Thomas vbi ſupra, & D. Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad litter. cap. 18. Certè autem hanc reuelationem & fidem, non decreuit Deus conferre Adamo, niſi poſtquam decreuerat perficere ipſum myſterium. Vnde ita hoc ordinandum eſt: quod in mente Dei poſt collata prima dona gratiæ & iuſtitiæ originalis Adamo independenter ex meritis humanis, & poſt permiſſum ac præuiſum peccatum, & poſt decretum incarnationis in humana natura, Deus rurſus decreuerit addere hanc aliam gratiam in illo ſtatu innocentiæ, ſcilicet reuelationem & fidem huius myſterij. Adhuc autem Vaſq. ſupra diſp. 12. cap. 3. & Raguſa diſp. 31. ad finem negabant, hanc reuelationem & fidem fuiſſe conceſſam à Deo ex meritis Chriſti. Sed ſaltem iuxta hunc ordinem negari non poteſt, potuiſſe ex ijs dependere. Vnde conueniens etiam erit fateri, fuiſſe in virtute illorum Adamo conceſſam: vbi non aliud obſtat impedimentum. Sicut & dicimus, gloriam corporis, & exaltationem nominis, fuiſſe Chriſto conceſſam ex proprijs eius meritis.

Habent nunc totã gloriam & gratiam ex meritis Chriſti.

Obijcies tamen primò ad probandũ, gratiam quæ ab initio data fuit primis parentibus, datã fuiſſe ex meritis Chriſti. Certe illi gratiæ tunc correſpondet ſua gloria: & aliqui boni actus quos fecerunt primi parentes ante peccatum, erant vtique meritorij, & illis etiam nunc correſpondet ſua gloria: ſed certè tota gloria quam nunc habent primi parentes, habent ex meritis Chriſti, & fuerunt prædeſtinati ex meritis Chriſti: ergo etiam illam primam gratiam iuſtificantem, & gratiam auxiliantem ad faciendos illos actus, habuerunt ex meritis Chriſti.

Reſpondetur. Illam gratiam fuiſſe per peccatum amiſſam, & illa merita mortificata, ita vt non haberent ius ad gloriam. Supponendo autem, fuiſſe denuo per penitentiam reparata illa merita cum illa gratia; vt ſic quidem quatenus reparatis correſpondet nunc ſua portio gloriæ: & vltrò fatemur fuiſſe reparata per Chriſtum, per paſſionẽ inquam & redemptionem Chriſti, cuius meritò data fuit primis parentibus gratia pœnitentię, & gratia remiſſionis, & effectus reparationis. Hac ratione nũc totam ſuam gloriam habent ex meritis paſſionis Chriſti: quare primam illam gratiam & bona ſua opera, non habuerunt ab initio ex meritis Chriſti, ſed recuperarunt ex meritis Chriſti: non prima infuſio & conceſſio, ſed reſtitutio & reſtauratio fuit ex meritis Chriſti. Et ſimpliciter primi parentes fuerunt prædeſtinati ex meritis & redemptione Chriſti, quia non fuerunt prædeſtinati ante, ſed poſt præuiſum peccatum, & poſt ordinatam ac præuiſam incarnationem & redemptionem Chri-

ſti, vt de illis, ſicut de alijs diximus 1. par. q. 23. ſect. 17.

Non cognoſcebant qualiter Chriſtus foret auctor ſuæ gratiæ & gloriæ.

Obijcies ſecundo ex Suarez. Si Adamus in illo ſtatu innocentiæ habuit notitiam & fidem Chriſti, credidit in illũ tanquam principium & auctorem gloriæ ſuæ, vt ſumitur ex eodem S. Thom. eo loco 2. 2., ergo cognouit illum vt auctorem ſuæ gratiæ & iuſtitiæ & meritorum, ergo vere Chriſtus per ſua merita erat auctor illius gratiæ & iuſtitiæ.

Reſpondetur. Etſi Adamus non ſolùm cognouerit, Chriſtum eſſe venturum, ſed etiam fore auctorem gloriæ ſuæ: tamen non per hoc cognouit modum qualiter foret auctor, an ratione illius vel alterius gratiæ, an ratione primæ infuſionis vel reſtitutionis: & ita non cognouit, Chriſtum hominem eſſe auctorem primæ infuſionis illius gratiæ, cùm reuera non eſſet.

Habuerit aliquod augmentũ gratiæ per Chriſtum.

Obijcies tertio ex eodem. Adamus, credendo in Chriſtum, aliquod gratiæ augmentum obtinuit, fides enim eſt meritoria: ergo ſi fidem habuit ex meritis Chriſti, pariter & illud augmentũ gratiæ: igitur & totam gratiam præcedentem habuerat ex meritis Chriſti: ne dicamus, partem habuiſſe per Chriſtum, & partem non. Nam ſic etiam debuiſſet partem gloriæ ſperare per Chriſtum, & non totam: quod per ſe videtur abſurdum. Et hinc infert Suarez, Adamum ab initio ipſo creationis & ſanctificationis ſuæ habuiſſe notitiã & fidem Chriſti, licet magis exactam & explicatam acceperit poſtea in ſopore.

Reſpondetur. Etſi Adamus obtinuerit illud augmentum, idque ex meritis Chriſti: inconueniens non eſt, aliquem gradum gratiæ fuiſſe illi communicatũ ex meritis Chriſti, & aliquem non. Ex quo non ſequitur partem gloriæ, & non totam, debuiſſe ſperare per Chriſtum. Nam potuit cognoſcere Chriſtum vt auctorem gloriæ ſuæ, ſicut admittebamus, etiamſi tunc nihil gratiæ accepiſſet per Chriſtum, ſcilicet non adhuc ſciendo modum qualiter eſſet auctor. Neque apud Scripturam & Patres habetur fundamentum tribuendi Adamo fidem Chriſti ſtatim ab initio, ſed ad ſummum in illo ſopore.

Qualiter fides Chriſti data illis fuerit ex meritis Chriſti.

Obijcies quarto ex Vaſq. in oppoſitũ ad probandum, nec etiam fidem Chriſti datam fuiſſe Adamo ex meritis Chriſti. Omnia quæ data ſunt hominibus per Chriſtum, data ſunt per illum tanquam redemptorem & liberatorem à peccato, ob hoc enim ſcimus ex Scriptura Chriſtum veniſſe: data ſunt ex vi ſatisfactionis a Chriſto oblata: & alioqui fruſtra ac ſine fundamento diceretur quicquam datum vlli homini alio modo ex meritis Chriſti. Sed nullum donum datum fuit Adamo in ſtatu innocentię per Chriſtum vt redemptorem, & ex merito paſſionis, ſiue ex ſatisfactione eius: vt patet, quia tunc non aderat peccati reatus: & notauit D. Auguſt. de Corrept. & grat. cap. 11. *Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit, iſtos à reatu hæreditario & proprio illius agni ſanguis abſoluit:* neque rectè diceretur Chriſtus paſſus & mortuus pro vllis donis collatis Adamo in ſtatu innocentiæ. Igitur omnino non fuit illa reuelatio & fides, aut alia quæcunque gratia data Adamo in ſtatu innocentiæ ex meritis Chriſti. Et hoc argumentum extendi poteſt etiam ad probandum dona illius ſtatus non fuiſſe primis parentibus collata ex merito Chriſti vt indiuidui rationalis, ſicut admittebamus.

Reſpondetur. Verè quidem non poſſe ex Scriptura, & ex fine nobis reuelato aduentus Chriſti, efficaciter conuinci, fuiſſe alia dona gratiæ collata hominibus præter ea quæ data ſunt ex vi redemptionis in remedium peccati. Tamen ſi cum ordine diſpoſitionis diuinæ circa hæc myſteria, coniungi poteſt alio modo meritum Chriſti ad certa gratiæ dona, debet ex quadam ſaltem conuenientia, & ita non fruſtra, nec abſque rationabili fundamento admitti. Quamuis enim ex vna parte habeamus, Chriſtum in carne paſſibili & in natura humana primariò aduenisse in remedium peccati: tamen ex concomitanti cum hoc optime ſtare poteſt, vt alio modo, & alia dona gratiæ, ſimul quoque meruerit. Sic ergo aliqua dona fuerunt collata Adamo in ſtatu innocentiæ, ex merito Chriſti, non tanquam redemptoris & libe-

nioris à peccato, non tanquam ex vi ſatisfactionis, ſed ſimpliciter tanquam merentis. Et dici adhuc poteſt, ex merito paſſionis: quia potuit eſſe, vt non niſi poſt præuiſam paſſionem Chriſti, decreuerit Deus communicare Adamo in illo primo ſtatu notitiam & fidem incarnationis: conſiderari enim poteſt ipſamet paſſio, non ſolùm tanquam redemptio & ſatisfactio, ſed ſimpliciter etiam tanquam opus meritorium. D. Auguſt. autem ibi vel loquutus eſt tantùm de alijs donis, non includendo fidem Chriſti: quæ iam dicebamus non fuiſſe data ex meritis humanis Chriſti. Vel etiam quoad hoc donum fidei, non dixit non habuiſſe ex morte Chriſti, ſed non egiſſe morte Chriſti: quia ſcilicet non vrgebat illa indigentia, quæ poſtea ex peccato nos premit. Et illuſtratur hoc totum exemplo eorum donorum quę Chriſtus ſibi meruit: non enim illa ſibi meruit per modum redemptionis aut ſatisfactionis, non egebat morte ad illa obtinenda: ſed tamen vere ſibi meruit, & meruit per eandem paſſionem ac mortem ſuam: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum.*

SECTIO VNDECIMA.

An, & per quas operationes, & quo tempore, & pro quibus, Chriſtus ſatisfecerit.

HÆC ipſa quæ de merito Chriſti tractauimus, breuiter de ſatisfactione quoque expedienda ſunt. Alia vero difficiliora Fuſius diſputanda.

Abailardus negauit Chriſti ſatisfactionem.

In primis Petrus Abailardus ſatisfactionem Chriſti pro peccato negabat: qui vt refert D. Bernard. Epiſt. 190. contendebat, Chriſtum non veniſſe, vt homines à peccati reatu & Diaboli poteſtate, redimeret ac liberaret, ſed tantùm vt exemplo & verbo tanquam doctor inſtrueret, ac tandem vt abundantiam diuinę charitatis oſtenderet. Probabat dicens: *Cùm ſolos electos Chriſtus liberauerit, quomodo eos Diabolus poſſidebat? Nunquid etiam pauperem illum qui in ſinu Abrahæ quieſcebat, ſicut & diuitem damnatum Diabolus cruciabat, aut etiam in ipſum Abraham dominium habebat, cæteroſque electos?* Et rurſus: *Quæ neceſſitas, quæ ratio, quòd opus fuit, cùm ſola viſione ſua diuina miſeratio liberare hominem à peccato poſſet, propter redemptionem noſtram Filium Dei carne ſuſcepta, tot & tantas inedias, opprobria, &c. ſuſtinere?* Ac demum cum riſu dicebat: *Quomodo iuſtificari nos vel reconciliari Deo per mortem Filij eius dicit Apoſtolus, qui tantò ampliùs aduerſus hominem iraſci debuit, quantò ampliùs homines in crucifigendo Filium ſuum deliquerunt, quàm in traſgrediendo primum eius præceptum vnius pomi guſtu? Quod ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum vt expiari non poſſet niſi morte Chriſti, quam expiationem habebit ipſum homicidium quod in Chriſtum commiſſum eſt?*

Verè Chriſtus pro noſtris peccatis ſatisfecit.

Sed notiſſimus fidei articulus eſt, Chriſtum præcipue veniſſe vt pro nobis ſatisfaceret, vt à peccato redimeret, & à poteſtate Diaboli liberaret, idque reuera perfeciſſe. Ita tota Chriſti Eccleſia omnes ſacri Doctores inclamant: & ipſe Abailardus fatebatur, *Quòd omnes Doctores poſt Apoſtolos in hoc conueniunt*, ſed ipſe id negare præſumpſit. Vnde iure Bernard. exclamat: *Quid intolerabilius iudicem, blaſphemiam an arrogantiam? quid damnabilius, temeritatem an impietatem? An non iuſtiùs os loquens talia fuſtibus tunderetur quàm rationibus refelleretur? nonne omnium meritò in ſe prouocat manus, cuius manus contra omnes?* Ita conſtat etiam paſſim ex omnibus Scripturæ libris, & ſub varijs loquendi formis, vt atteſtatur ibi Bernardus: *Quid Lex, quid Prophetæ, quid Apoſtoli, quid Apoſtolici viri, nobis aliud euangelizant, quàm quod ſolus tu negas: Deum videlicet factum hominem vt hominem liberaret?* Quare non oportet loca referre. Sed iuſte Innocentius tertius Epiſt. quæ eſt 194 apud Bernard., hunc & alios errores Abailardi, ipſumque Auctorem & ſectatores ſub excommunicatione damnauit. Itaque Chriſtus, iuxta diſpoſitionem diuini conſilij & finem aduentus ſui ſaltem in carne mortali, vere pro noſtris peccatis ſatisfecit.

tisfecit. Et intelligitur ſatisfactio, tum pro culpa, tum pro pœna: ideſt ad delendam culpam, & auertendam pœnam: hoc enim totum clauditur ſub nomine redemptionis & ſatisfactionis.

Argumenta Abailardi ſoluuntur.

Et argumenta illa Abailardi, ità friuola ſicut impia ſunt. Reſpondetquè optime Bernardus: libuit enim nobis hanc rem transfigere iiſdem Bernardi verbis: *Imò quia Diabolus electos Dei poſſidebat*, ſaltem ſcilicet per originale peccatum, *vt Dei propoſitum de ipſis impleretur ejus fuit liberatura*. Non cruciabat autem Diabolus, nec habebat dominium in electos defunctos in gratia: *Sed habe ſſet ſi non liberati fuiſſent fide Chriſti venturi: Propterea iam tunc ſanguis Chriſti rorabat etiam Lazaro ne flammas ſentiret*. Deinde, *Neceſſitas huius facti noſtra fuit, neceſſitas dura ſedentium in tenebris & vmbra mortis. Ratio fecit dignatio facientis: quis negat omnipotenti ad manum fuiſſe alias & alios modos noſtræ redemptionis, iuſtificationis, liberationis? Verùm hoc non præiudicat huius quem è multis elegit efficacia. Et fortaſſe ipſi præſtat per quem in terra oblivionis, grauedinis lapſus noſtri, tot & tantis grauaminibus reparatoris fortius & viuaciùs admoneremur; aliàs nemo naſcere ad plenum poteſt, quid boni ad gratiam, quid congruentia ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſe ipſam contineat huius venerandi myſterij inſcrutabilis altitudo*. Sed quæ propriè fuerit ratio neceſſitatis vt Filius Dei pro nobis ſatisfacere deberet, inquiremus poſtea hac quæſtione: & quæ ratio conuenientiæ vt tàm acerbã paſſionem ſuſtineret, proprio loco de ipſa paſſione. Demum, *In illo vno eodemquè facto, paſſionis Chriſti, potuit Deo diſplicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis. Et quoniam hæc tàm pretioſa mors voluntariè ſuſcipienda aduerſus peccatum, non tamen poterat fieri niſi per peccatum: non delectatus quidem, ſed tamen benè vſus malitia ſceleratorũ, & mortem de morte, & de peccato damnauit peccatum: Et quantò illorum maior iniquitas, tantò huius voluntas ſanctior*: Et ad expiationem illiuſmet peccati ſufficientem fuiſſe, *Ipſum ſanguinẽ quem fuderunt, & interpellationem ipſius quem occiderunt: Fuit verò ſanguis qui effuſus eſt, tàm multus ad ignoſcendum, vt ipſum quoque peccatum maximum quo factum eſt vt effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius atque lenſoris deletione nullam omnino dubietatem relinqueret*.

Per eaſdẽ operationes Chriſtus ſatisfecit, quibus meruit

Secundo vltimus, Per eaſdem ipſas operationes quibus Chriſtus meruit, vt dictum eſt, pariter ſatisfecit. Etenim ſimul & indiuiſim Chriſtus ſatisfecit Deo pro noſtris peccatis, & meruit nobis gratiam ac remiſſionem peccatorũ. Maximè autem dicitur ſatisfeciſſe per paſſionem & mortem ſuam: tum ob ſingularem proportionem quæ eſt in paſſione Chriſti ad placandum Deum, ad ſatisfaciendum Deo, aduerſus peccati culpam & pœnam: tum quia in morte completum & conſummatum fuit opus noſtræ redemptionis & ſatiſfactionis, ſicut & meritum.

Satisfecit ſolùm vſq; ad mortem

Tertiò præterea. Andreas de Vega lib 3. ſuper Concil. cap. 18. non ſolum affirmat, Chriſtum ſatisfeciſſe toto tempore ſuæ vitæ vſque ad mortem: ſed etiam animam eius à corpore ſeparatã in triduo vſque ad reſurrectionem, cõtinuaſſe in ſatisfaciendo, quamuis non in merendo: quia inquit, iuxta ordinariam ipſam Dei legem, animæ ſeparatæ ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, quamuis non in ſtatu merendi, vt de ſe patet de animabus Purgatorij. Attamen non debet extendi ſatisfactio Chriſti ad aliud tẽpus vltra mortem, ſicut nec meritum. Et habetur ex iiſdem Scripturæ locis, quæ ſupra circa tẽpus meriti adducebamus: planè n. cõmunia ſunt ad ſatisfactionem & meritum. Et inde etiam ratione patet: quia dum in morte Chriſti completum eſt meritum quoad omnia bona quæ nobis meruit, pariter cõpleta eſt ſatisfactio quoad omnia mala quæ à nobis auferenda erant: dum cõpletum eſt meritum ad obtinendum à Deo præmium, pariter completa eſt ſatisfactio ad ſoluendum noſtrum debitũ. Inſuper anima Chriſti ſtatim à morte fuit deinceps impaſſibilis: ergo non erat in ſtatu ſatisfaciendi: nec ſe habebat ſicut animæ Purgatorij. Imo & hæ animæ non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi non ſatis faciunt: ſed ſunt quidem in ſtatu ſati: patiendi, & ſolùm patiendo

ac

ac ſecundo pœnam, poſſunt illam ſoluere: pati enim pœnam debitam, non eſt ſatisfacere; ſed ſatisfacere eſt auferre pœnę debitū, ne ſubeatur pœna.

Satisfecit pro ſolis hominibus.

Quarto. Chriſtus vtique pro hominibus ſatisfecit. Sed non pro ijs ſolis, verum etiam pro Angelis ſatisfeciſſe, putauit Origen. homil. 1. in Leuit., & 24. in Numer., & 9. in Lucam, & 1. in Ioann. Et conſentire videtur Hieron. in cap. 1. & 4. ad Epheſ. Sed ſatis conſtat, & apud Theologos certum eſt, Chriſtum non ſatisfeciſſe pro Angelis, non redemiſſe Angelos. Etenim Angeli mali ſtatim poſt lapſum relicti fuerūt a Deo in ſtatu damnationis, abſque remedio pœnitentiæ & remiſſionis: & tàm Angeli quàm homines damnati, conſtituti ſunt extra ſpem ſalutis: & ita de Angelis iam diximus 1. par. q. 64. ſect. 1., & iterum de omnibus damnatis dicemus poſtea inter myſteria Chriſti circa deſcenſum eius ad Inferos. Quare Origenes in hoc grauiter errauit. Hieron. autem cenſetur non ex propria mente loquutus, ſed ex libris Origenis tranſtuliſſe, ſicut & alia quædam in illis Commentarijs, vt ipſemet in Præfat. teſtatur. Pro Angelis autem bonis & beatis Chriſtus non ſatisfecit, quia nullo reatu culpæ vel pœnæ, nullo huiuſmodi debito vnquam illigati fuerunt. Qua eadem ratione nec pro ſe ipſo Chriſtus ſatisfecit quamuis meruit. Pro ſolis ergo hominibus, puris inquam hominibus, ſatisfecit.

Pro omnibus hominibus.

Quintò tandem. Non ſatisfeciſſe Chriſtum pro omnibus hominibus, conſequenter dicere debebant illi Hæretici qui non agnoſcebant originale peccatum: quia ſatisfactio habere tantum poteſt locum vbi eſt reatus & debitum culpæ & pœnæ: quare non habuiſſet locum pro paruulis ante vſum rationis decedentibus, ſed ſolùm pro ijs qui vſū rationis adepti, aliqua propria & perſonali culpa ſuamet voluntate ſe reos conſtituunt. Et ita quidem Pelagiani dicebant, Baptiſmum ex inſtitutione & merito Chriſti, non eſſe neceſſarium, nec prodeſſe paruulis vt à peccato mundentur, vel vt digni fiant vitæ æterna, ſed ſolùm vt ingrediantur regna cælorum, quod à vita æterna diſtinguebant. At notiſſimum iam inter dogmata fidei eſt, ex lapſu Adami diffundi in poſteros originale peccatum, atque adeo etiam paruulos ab initio ſuæ conceptionis eſſe reos culpæ & pœnæ, & ita indigere redemptione & ſatisfactione Chriſti, ac verè pro ipſis quoque Chriſtum ſatisfeciſſe. Vnde iam antea dicebamus, Chriſtum principaliter veniſſe in remedium originalis peccati, quod erat malum commune humanæ naturæ, & in redemptionē totius humani generis. Et Apoſtolus prædicat, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & omnes eguiſſe redemptione Chriſti: ita planè comprehendens paruulos ſicut adultos. Ad Roman. 3. *Omnes enim peccauerunt*, ſaltem ſcilicet in Adamo; *& egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Et 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*.

Etiam pro B. Virgine.

Sed quia eſt valde probabilis & ſua ſententia, quæ B. Virginem Mariam excipit à communi labe originalis peccati, de ea ſolùm relinqui videbatur dubitatio, an etiam pro ea Chriſtus propriè ſatisfecerit, an etiam redemerit. Sed omnes Theologi abſque dubitatione conſentiunt, ad illam quoque ſpectaſſe ſatisfactionem & redemptionem Chriſti: quia ſaltem dicunt, per merita Chriſti fuiſſe præſeruatam ne incurreret commune illud originale peccatū: & vt plurimum fatentur, B. Virginem per naturalem ipſam deſcendentiam ex Adamo, habuiſſe debitum contrahendi originale peccatum, fuiſſe obnoxiam ad illud incurrendum: ideoquē dum per merita Chriſti fuit pręſeruata, hoc meritum habuiſſe verè & propriè reſpectu eius rationem ſatisfactionis & redemptionis. De qua re ex profeſſo agemus poſtea proprio loco de ipſa B. Virgine.

Satisfecit pro omnib. quoad ſufficientiam, non æqualiter pro omnibus quoad efficaciam.

Qualiter verò Chriſtus ſatisfecerit pro omnibus quidem quoad ſufficientiam, ſed non æqualiter pro omnibus quoad efficaciam; eodem prorſus modo intelligendum eſt, ſicut ſect. præcedenti dicebamus de merito. Qualiter etiam ſatisfactio Chriſti non auferat

nobis

nobis facultatem & obligationem ſatisfaciendi, non auferat ſtudium ac debitum pœnitentiæ, ad hoc vt conſequamur remiſſionem peccatorum; iam ſatis patet aduerſus recentiores Hæreticos ex proprijs locis in 1. 2., vt circa meritum Chriſti attigimus ſect 9, & patebit rurſus hac 3. par. de pœnitentia.

SECTIO DVODECIMA.

An Chriſtus ſatisfecerit de condigno: Et an ratione valoris ac dignitatis ſuorum operum, vel acceptationis diuinæ.

Dua oppoſita ſententia.

DVrand. in 3. diſt. 20. q. 2. num. 6. & in 4. d. 15. q. 1 num. 7. pronunciauit, non ſolùm nullam puram creaturam, ſed neque Chriſtum potuiſſe ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro offenſa commiſſa contra Deum: potuiſſe tamen ſatisfacere & de facto ſatisfeciſſe in acceptatione ipſius Dei: quam vocat ſatisfactionem de condigno minùs propriè: & in comparatione alterius ſatisfactionis quam negauit, vocat de congruo: & abſolutè appellat mediam inter ſatisfactionem de condigno & de congruo. Fauet etiam Scotus in 3. diſt. 19. q. 1. §. *In iſta quæſtione* verſ. *Quantum ad ſufficientiam.* Idemquè ſentire videntur Gabr. & Almain. ead. diſt. Et ex profeſſo defendit Ioann. Medina Cod. de Pœnit. tract. 5. de Satisfact. q. prima. Quamuis non omnes hi negent cum Durando, ſaltem ratione acceptationis diuinæ ſatisfactionem Chriſti reddi propriè condignam.

Ex aduerſo aliqui contendunt, nihil referre nec requiri ad hanc rem acceptationem diuinam, ſed operationes Chriſti per ſe præcisè ratione valoris & dignitatis intrinſecæ habuiſſe totam ac perfectam rationem meriti & ſatisfactionis condignæ. Ita præſertim Vaſq. ſupra diſp. 5., impugnans eos qui quoquo modo diuinam acceptationem in hoc requirunt. Sotus autem in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2. Valent. ſupra q. 1. puncto 5., Curiel q. 1. art. 2., Cabrera eod. art. diſp. 7., & Lorca diſp. 8. volunt, quòd etiam ſi diuina acceptatio requiratur, tamen non poterat Deus non acceptare ſatisfactionem Chriſti, ob eximium & ſuperexcedentem eius valorem. Et fauet Anſelm. lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 19.

Operationes Chriſti habebant valorem & dignitaté æqualem & excedentem ad ſatisfaciendum.

Dico primò. Operationes Chriſti habuiſſe valorem & dignitatem nō ſolùm condignam & æqualem, ſed & ſuperexcedentem ad ſatisfaciendum Deo pro omnibus peccatis, idquè ab intrinſeco ex parte Chriſti operantis, ac præciſa alia acceptatione extrinſeca Dei. Hæc eſt communis Theologorum ſententia S. Tho. ſupra q. 1. art. 2. præcipuè ad 2., ibique Caiet., Medinæ, Suarez, Raguſæ, Peſantij, Valentiæ, & hoc loco Pureani & Vuigers art. 4., Aluarez diſp. 43., Bonacinæ diſp. 2 q. 12. puncto 2. & q. 13. puncto 1. & aliorum Recentiorum. Item Alenſis 3. par. q. 1. memb. 7., Altiſiodor. lib. 3. Summæ tract. 1. cap. 3., Bonau., Riccardi, Capreoli, Palud., & aliorum in 3. d. 20. Soti lib. 3. de Nat. & grat. cap. 6., Ferr. 4. cont. Gent. cap. 55., Driedon. de Captiuit. & redempt. gener. hum. tract. 2. cap. 2. par. 3. art. 3. propoſ. 2., Vegæ lib. 3 ſuper Concil. cap. 8. & 9., Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 2., & aliorum Scribentium contra Hæreſes.

Probatur ex Scriptura.

Probatur primò ex S. Script. Apoſtolus ad Roman. 5. ex profeſſo extollit ſatiſfactionem Chriſti, eiuſquè valorem ac dignitatem aduerſus peccatum, & non ſolùm facit æquiualentem & condignam, ſed ſuperabundantem & excedentem: *Non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis, gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit:* Et alia in eundem ſenſum profert. Et ad Hebr. 7. inquit, antiquos ſacerdotes nō potuiſſe Deum placare & homines ſaluare, Chriſtum autem id perfeciſſe. Et cap. 10., antiquis ſacrificijs non potuiſſe expiari peccata, ſed benè per ſacrificium oblatum à Chriſto. Opera ergo Chriſti habebant intrinſecè valorem ac dignitatem æqualem & abundantem ad ſatiſfaciēdum pro peccatis: alioqui ſi habuiſſent ex acceptatione diuina, etiam antiqua

ſacri-

Digitized by Google

beatiſſimi & aliorum hominum opera, potuiſſent hoc modo ſatisfacere; quia poterat Deus talem ſatisfactionem acceptare.

Ex Pontificibus & Patribus.

Probatur ſecundò auctoritate Eccleſiæ apud Pontifices & Patres. Caius Papa in Epiſt. decretali, Leo Papa Epiſt. 83. & 93. & ſerm. 12. de Paſſione Domini, Agapitus Papa in Epiſt. 1., Athanaſ. lib. de Human. Verbi & eius aduentu fol. 3. & in Euangel. de Paſſ. Domini, Chryſoſt. homil. 61. in Epiſt. ad Roman., Cyrill. Alexandr. lib. de Fide ad Reginas cap. *Quòd mors Chriſti, &c.* Cyprian. ſerm. de Paſſ. & ſerm. de Aſcenſ., & alij paſſim extollunt ac celebrant valorem & dignitatem, ac ſuperabundantiam redemptionis & ſatisfactionis Chriſti: ac loquuntur planè quantum eſt ex parte ipſius Chriſti, & ab intrinſeco.

Ratione ex neceſſitate incarnationis.

Probatur tertiò ratione ex communi doctrina deſumpta. Quia ideo incarnatio dicitur fuiſſe neceſſaria ad perfectam redemptionem generis humani, quia nullus purus homo poterat de condigno & ad æqualitatem ſatisfacere, & ideo neceſſe erat, vt Deus ipſe fieret homo. At ſi nec ipſe Chriſtus poterat ſatisfacere de condigno & ad æqualitatem ab intrinſeco ex valore & dignitate ſuorum operum & ſuæ perſonæ, ſed Deus ex ſua liberalitate acceptare debebat ſatisfactionem Chriſti, alioqui ex ſe non condignam & coæqualem offenſæ; ſic pariter potuiſſet Deus acceptare ſatisfactionem alicuius puri hominis: non erat ergo neceſſaria incarnatio. Reddunt quidem Auctores prioris ſententiæ quaſdam alias congruentias, quare Deus ordinauerit incarnationis myſterium, & non vt aliquis purus homo ſatisfaceret; vt nempe Deus magis commendaret ſuam charitatem erga homines, vt nos eundem Deum agnoſcere ac diligere deberemus tanquam redemptorem, quem colimus vt creatorem, & ſimilia. Sed hæc omnia non pertingunt ad rationem illam neceſſitatis: propter quam fateri ſanè oportet, opera Chriſti habuiſſe ab intrinſeco valorem ac dignitatem æqualem ad ſatisfaciendum.

Ex dignitate Xpi.

Quartò. Ratio à priori huius condignitatis & æqualitatis, imo exceſſus, in ſatisfactione Chriſti, eſt vtique vnio hypoſtatica, qua diuinum Verbi ſuppoſitum conjunctam ſibi habet humanam naturam, & inde operationes Chriſti ſumunt tantum valorem ac dignitatē, vt non ſolùm adæquent, ſed longe ſuperent gravitatem omnis offenſæ & iniuriæ illatæ Deo, atque ita de condigno & ad æqualitatem, imo ad exceſſum, recompenſare valeant omnem iniuriam & offenſam, ac ſuperabundanter ſatisfacere. Quod præſertim ſic explicari debet: quia valor & dignitas ſatisfactionis deſumitur & creſcit ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, ſicut è conuerſo grauitas offenſionis & iniuriæ ſumitur & creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ; vt ſanè patet ex ipſa morali æſtimatione rerum. Hinc ergo quantum aggrauatur & creſcit noſtrum peccatum ex eo quòd eſt offenſa contra Deum adeo in ſe dignum; tantum quoque dignificatur & creſcit ſatisfactio exhibita à Chriſto vero Deo adeo in ſe digno: igitur ſatisfactio Chriſti eſt ab intrinſeco prorſus condigna & equiualens pro noſtris peccatis. Sic opera bona hominis iuſti, redduntur meritoria de condigno vitæ æternæ ex dignitate gratiæ ſanctificantis in tali homine; quæ alioqui opera nequaquam eſſent ita condigna ad gloriam, ſi fierent ab homine non habente gratiam ſanctificantem. Ita ergo opera facta Chriſti qui erat verus Deus, ex hoc ipſo capite reddebantur condigna & æquiualentia ad ſatisfaciendum pro offenſa commiſſa contra Deum: quamuis alioqui facta à quocunque puro homine, qui non eſſet verus Deus, non eſſent æqualia & ſufficientia.

Imò vlterius, quia dignitas perſonæ offenſæ ſe habet ſolùm extrinſecè per modum obiecti ad iniuriam ipſi illatā; dignitas verò perſonæ operantis ſe habet intrinſece quaſi forma reſpectu ſatisfactionis exhibitæ; hinc fit, vt longè excellentiori modo creſcat valor ſatisfactionis Chriſti ex eius dignitate, quā grauitas offenſæ ex eo quòd eſt contra Deum: quare ſatisfactio Chriſti non ſolùm eſt æquiualens & condigna ab intrinſeco, ſed eſt excedens ac ſuperabun-

abundans ad omne debitum peccati. Imo tandem eſt excellentiſſimo modo, & ſimpliciter infinita: de quo ſeparatim agemus ſect. ſequenti, vbi plura ad hanc rem plenius explicandam conſideranda erunt.

Ad obligandum Deum requirebatur diuina acceptatio.

Dico nunc ſecundò. Si in ſatisfactione Chriſti ſpectemus obligationem etiam ex parte Dei ad remittendam offenſam; hæc obligatio oriri non poterat ex quocunque valore & dignitate operationum Chriſti, ſed ſolum ex libera promiſſione & acceptatione diuina. Hæc concluſio conſonat doctrinæ alio loco à nobis traditæ 1.2. q.114. de noſtro merito: vbi diximus, opera bona & ſupernaturalia hominis iuſti, habere quidem in ſe æqualitatem & condignitatem valoris in ratione meriti ad vitam æternam, tamen non inducere obligationem in Deo ad talem mercedem reddendam niſi ex promiſſione & acceptatione ipſius Dei, & ſic compleri totam meriti rationem. Et patet nunc facile etiam circa ſatisfactionem Chriſti: quia certè Deus non niſi à ſe ipſo ſuaque diuina voluntate poteſt obligari, & conſtitui debitor ad aliquid faciendum. Non intelligitur autem obligatus & debitor per eam ſolum voluntatem, qua voluit & fecit, vt homo benè operetur, vt Chriſtus pateretur; quia adhuc poſita quacunque operatione & paſſione, potuiſſet non conferre mercedem, non remittere offenſam.

Hæc acceptatio erat libera Deo

Itaque promiſſio & acceptatio ad id faciendum, erat adhuc libera Deo, etiam inquam ſtante toto valore ac dignitate operationum ex parte Chriſti, neque enim ex hac parte cogebatur ſiue adſtringebatur Deus ad concedendum id ad quod valebant opera Chriſti. Item ſtante quoque ordinatione & inſtitutione diuina de incarnatione facienda, & miſſione qua fecit vt Chriſtus operaretur ac pateretur, & oblatione quoque Chriſti facientis ſua opera ob noſtram ſalutem: adhuc enim manebat liber Deus ad acceptandum meritum & ſatisfactionem Chriſti: & non niſi alia libera promiſſione & acceptatione poterat obligari. Hoc colligitur ex verbis eiuſdem Chriſti, dum ſolebat gratias agere Patri de ijs beneficijs quæ eius intuitu hominibus largiebatur: vt Ioann. 11. *Pater, gratias ago tibi quoniam audiſti me:* & ſic etiam alibi. Et ex facto ipſo demonſtratur manifeſte. Nam certe valor & dignitas operationum Chriſti tanta erat, vt etiã ſi Deus omnibus hominibus gloriam conferret, & omnia peccata remitteret, ad hoc totum, & multo plus opera Chriſti haberent condignitatem & ſuperabundantiam: quod ergo non omnibus gloriam conferat; & gratiam remiſſionis tribuat, prouenit ex eo quia non æque pro omnibus efficaciter acceptat. Vnde dicebamus, Chriſtum non meruiſſe omnibus gloriam quoad efficaciam: planè ergo in ratione meriti & ſatisfactionis quoad efficaciam, includitur promiſſio & acceptatio Dei, & hæc libera erat. Item non dicimus, Chriſtum meruiſſe ac ſatisfeciſſe pro Dæmonibus & Damnatis, nec etiam inquam quoad ſufficientiam, licet opera eius ad hoc etiam haberent æquiualentem & excedentem dignitatem: non ſolùm ſcilicet quia ipſe Chriſtus non pro eis obtulit, ſed quia Deus nullo modo, nec antecedenter, quoad ſufficientiam incarnationem & opera Chriſti ad talem effectum ordinauit.

Qualiter Chriſtus poterat condignè gratias agere & ſatisfacere

Sed contra primam concluſionem obijcies primò ex Durando. Non poterat Chriſtus æquales & condignas gratias referre Deo pro beneficijs acceptis, & præſertim pro dono hypoſtaticæ vnionis: quia opera Chriſti non attingebant ſublimitatem ac dignitatem illius doni: ergo multò minùs poterat ad æqualitatem ſatisfacere pro alienis peccatis, quia non poteſt ſoluere debita aliena, qui priùs non ſoluit ſua.

Reſpondetur primò cum Caiet. & Vega, Chriſtum ex eadem dignitate ſuæ perſonæ potuiſſe æquales & condignas gratias reddere Deo, quoniam opera facta à tali perſona participabãt eandem dignitatem hypoſtaticæ vnionis. Secundò. Licèt hoc non potuiſſet, tamen potuiſſe ad æqualitatem ſatisfacere pro peccatis. Tum quia plus eſt, ad æqualitatem compenſare beneficium hypoſtaticæ vnionis, quàm offenſam Deo factam. Tum quia eadem

gra-

gratiarum actione quodammodo creſcit obligatio amplius gratias agendi; cùm illa ipſa gratiarum actio ſit nouum quoddam ipſius Dei beneficium: at per ſatisfactionem pro peccato non creſcit nouum debitum ſatisfaciendi, cùm in hoc non addatur nouum debitum peccati. Tertiò. Quamuis potuiſſet Deus omnes Chriſti operationes exigere ſolo titulo gratitudinis in gratiarum actionem, & non acceptare ad aliam retributionem vel remiſſionem: tamen de facto ita illas ex integro ordinauit & acceptauit pro condigno merito & ſatisfactione, ac ſi nullus alius reſpectus intercederet. Quartò. Poterat vnus & idem actus Chriſti, quilibet inquam actus, & ipſe actus agendi gratias, valere ſimul ad ſoluendum debitum gratitudinis proprium, & debitum ſatisfactionis pro alienis peccatis: quia hæc erant debita diuerſæ rationis. Et ſic in nobis ipſis, idem actus gratiarum actionis, eſt meritorius de condigno gloriæ. Sicut etiam idem actus adimplet debitum obedientiæ & ſubiectionis obſeruando præceptum, at meretur de condigno gloriam, & ſatiſfacit pro pœna. Tanto magis ergo opera Chriſti, quæ erant ſummi valoris ac dignitatis.

Qualiter potuit ſatisfacere pro alienis peccatis.

Obijcies ſecundò: Si Chriſtus vt homo potuiſſet peccare & peccaſſet, non potuiſſet ſub hac hypoteſi ad æqualitatem pro peccato ſuo ſatisfacere: ergo nec de facto potuit pro alienis peccatis.

Reſpondetur primò cum eodem Vega. In illa hypoteſi potuiſſe quoque ſatisfacere, quia non creuiſſet grauitas offenſionis, quantum creſcit dignitas ſatisfactionis. Et hoc indicabant Patres Concil. Alexandr. in Epiſt. 10. apud Cyrill. & ab alijs etiam Concilijs approbata: *Quæ igitur egerit Chriſtus oblatione; nullo ſuo exiſtente facinore, pro quo ſi eſſet, ſatis admodum conuenienter offerret*. Secundo cum Vaſq. diſp. 5. cap. 7., in ea hypoteſi non potuiſſe ſatisfacere ob ipſum ſuum peccatum: ſed de facto potuiſſe pro noſtris, quia iuſtus & ſanctus erat abſque tali impedimento. Et locus Concilij alijs modis legitur: *Quâ igitur oblatione opus habuiſſet, cùm nullũ in ipſo ſit peccatum pro quo fieri poſſet oblatio vel*, Cùm peccatum cuius cauſa hoſtia iure meritòque offertur, nullum admiſiſſet? Tertiò dici poteſt, quod ex illa hypoteſi vtraque pars contradictionis ſequeretur. Cùm enim ex vna parte eſſet maculatus peccato, ſequeretur eſſe inuiſum & odibilem Deo, atque adeo indignum & impotentem ad ſatisfaciendum. Cum ex alia parte eſſet verus Deus homo, omnino eſſet ſanctiſſimus & digniſſimus, vt poſſet abundè ſatisfacere. Et ideo illa hypotheſis eſt penitus impoſſibilis & contradictionem inuoluit. Et immerito Vaſq. huic reſponſioni contradicit. Sed quicquid ſit: cùm reuera Chriſtus nullum habuerit, nec potuerit habere peccatum, pleniſſimè & ſuperabundanter pro noſtris ſatisfacere potuit ac ſatisfecit.

Qualiter dignitas Christi adæquet & excedat grauitatem noſtri peccati.

Obijcies tertiò: Maiorem videri grauitatem noſtri peccati, quàm dignitatẽ ſatisfactionis Chriſti: quia offenſa eſt contra Deum ſecundùm naturam diuinam; ſatisfactio eſt à Chriſto ſecundùm naturam humanam: at natura diuina eſt infinitè ſuperior, humana infinitè inferior: ergo ſatisfactio Chriſti non adæquat grauitatem peccati. Imo offenſa eſt contra Deum, qui tàm quoad naturam, quàm quoad perſonam eſt infinitè ſuperior homine peccante, qui è conuerſo tàm quoad perſonam quàm quoad naturam eſt infinitè inferior: ſed Chriſtus tantùm quoad perſonam, non verò quoad naturam humanam in qua ſatisfaciebat, eſt ita dignus vt dicebamus: ergo non ad æqualitatem ſatisfaciebat.

Reſpondetur. Satisfactionem Chriſti eſſe digniſſimam, eo quòd eſt à perſona diuina in natura humana. Itaque grauitas offenſæ inquantum eſt contra ipſam diuinam naturam, non ſolùm adæquatur ſed ſuperexceditur à ſatisfactione quæ eſt à perſona diuina, quauis ſecundùm naturam humanam. Neque refert quòd offenſa eſt contra Deum infinitum tàm quoad naturam diuinam quàm quoad perſonam: nam ſatisfactio eſt à Chriſto, qui tàm quoad naturam diuinam quàm quoad perſonam eſt etiam infinitè dignus, quamuis opus quo ſatisfacit fiat ſolùm per humanam naturam: quia

nimi-

nimirum dignitas operis ſumitur ex eo quod operans eſt verus Deus. Vnde nec etiam refert, offenſam factam eſſe ab homine peccante, qui ſecundum naturam & perſonam eſt infinitè inferior: quia inquam Chriſtus habet infinitam dignitatem perſonæ & naturæ diuinæ ſimul cum natura humana. Ac tandem dignitas quæ ex ipſa diuina perſona deriuatur in humanam Chriſti operationem, talis ac tanta eſt, eo quod deriuatur tanquam à forma intrinſeca; vt adæquet & excedat totam grauitatem offenſæ deſumptam ex infinita ſublimitate Dei tàm in natura quàm in perſona, & ex infinita inferioritate hominis peccàtis tàm in perſona quàm in natura.

Qualiter adæquat & excedat moraliter inferioritatem hominis ad Deum.

Obijcies quartò. Si grauitas offenſæ creſcit, quo eſt ab inferiori ad ſuperiorem, & inde tantam grauitatem ſumit, offenſa hominis aduerſus Deum; vt dignitas ſatisfactionis eſſet æqualis, deberet eſſe ab alio tantundem ſuperiori ad inferiorem: ſed ſatisfactio Chriſti ad ſummum eſt ab æquali ad æqualem: ergo non eſt condigna pro noſtris peccatis.

Reſpondetur primò. Stando in hac comparatione grauitatem offenſæ ab inferiori ad ſuperiorem, non ſolùm poſſe condignè computari, ſi alius tantundem ſuperior perſonæ offenſæ ſatisfactionem exhiberet; ſed etiam ſi aliquis æqualis tantundem inclinet & demittat ſe vt ſatisfaciat, quãtum offendens erat inferior perſona offenſa. Sic eſt in caſu noſtro, quod Deus adeo inclinauit ſe; aſſumens humanam naturam, quantum ipſe homo qui Deum offendit erat inferior Deo. Non quidem quaſi per hoc ipſum quòd Verbum ſe vnierit humanæ naturæ, ſatisfactum ſit Deo: in hac enim ſola operatione quæ exijt à voluntate diuina, & non ab humana Chriſti, non inuenitur meritum & valor ſatisfactionis apud Deum. Sed per hoc quod Verbum ſubſiſtens in humana natura adeo inferiori, exhibuit ſatisfactionem mediante eadem humana natura. Siue quando vnus fuit offenſus ab alio inferiori, ſi alius æqualis offenſo offerat ſatisfactionem pro tali offendẽte, tantundem quodammodo inclinat ac demittit ſe in honorem offenſi, quãtum offenſor erat illo inferior, atque ita tantundem illum honorat, quantũ offenſor inhonorauerat; & ſic talis ſatisfactio eſt, æquiualens & condigna pro tali offenſa. Secundo, iam diceba-mus, longè excellentiori modo creuiſſe dignitatem ſatisfactionis ex conditione perſonæ ſatisfacientis, ſcilicet ab intrinſeco, quàm grauitas offenſionis ex improportione offendentis ad offenſum. Vnde ſatisfactio exhibita à Chriſto, non ſolùm erat æqualis & condigna, ſed longe abundans & ſuperexcedens ad grauitatem offenſæ: adeo vt quantumuis peccata multiplicentur, vnus actus Chriſti erat condigni & ſuperabundantis valoris ad ſatisfaciendum pro omnibus.

An maior dignitas in alijs hominibus augeat meritum.

Obijcies quintò. Si ſatisfactio Chriſti creſcit ex dignitate perſonæ, ſequitur etiam inter alios homines eo magis idem & æquale opus creſcere in ratione meriti, quo fiat ab homine magis iuſto & ſancto habente maiorem gratiam: quod tamen non videtur admittendum.

Reſpondetur. Hoc ſpectare ad communem tractatum de merito. Et quidem aliqui vltrò affirmant, ex ea parte creſcere in nobis quoque meritum. Sed magis communiter alij negant. Et ita nos negauimus eo loco 1. 2. q. 114. ſect. 23. Eſtque planè diuerſa ratio, vt ibi diximus: quia dignitas Chriſti eſt ſubſtantialis & intrinſeca, & Chriſtus eſt in ſubſtantia ſua filius Dei naturalis, vnde omnino opera eius participant ſummum valorem: in alijs vero hominibus dignitas gratiæ habitualis ſe habet accidentaliter, & ſolùm habet vim vt reddat opera ſimpliciter meritoria de condigno, non autem vt iuxtà ſuam accretionem reddat opera magis ac magis meritoria, niſi opera ipſa ſint in ſe excellentiora. Sed inſtant aliqui; quia inter homines aliæ etiam accidentales prærogatiuæ conferunt ad augendum meritum, vtpotè regia dignitas, nobilitas, ſapientia & ſimiles. Verùm hæ circunſtantiæ intantum conferunt, inquantum redundant in ipſam opus illudquè reddant magis excellens & maioris bonitatis moralis; ſicut nempe

aliæ

circumſtantiæ obiecti, loci, tempo-ris. Sic magis meritus humiliationis excellentior eſt in homine ſublimiori. Vnde debent hæ circumſtantiæ eſſe cognoſci & conſiderari ab operante, & earum bonitas per ſe intendi. Et perinde valet circumſtantia aliqua depri-mens operantem ad augendum meritũ & bonitatem, vt patet in eleemoſina facta a pauperiori, alioue actu generoſo facto a debiliori & viliori. Non ergo augent propriè & formaliter per modũ dignitatis ex parte operantis, vt nos loquimur, quę nempe dignitas, ſuppoſita iam tota bonitate operis, conſtituit valorem & meritum, ac etiam ſi non conſideretur nec cognoſcatur dat hũc valorem.

Obijcies ſextò contra 2. concluſ. ex Vaſq. ad probandum, non referre acceptationem Dei ad ſatisfactionẽ Chriſti, quaſdam rationes quas hic repetit, & iam adduxerat 1. 2. diſp. 214. cap. 9. circa meritum noſtrum. Et addit: Si acceptatio eſt de ratione ſatisfactionis, ſequitur, Chriſtum nec etiam quoad ſufficientiam meruiſſe redemptionem illis paruulis qui decedunt abſque eo quòd ijs poſſit Baptiſmi remedium applicari: nam Deus non promiſit Chriſto, non acceptauit eius meritum, vt concederet ſufficientem opportunitatem qua hi paruuli baptizari poſſent.

Reſpondetur. Priores rationes circa meritum noſtrum ſolutas manere ex eodem ſuo tractatu. De reliquo Chriſtus meruit his etiam paruulis ſalutem quoad ſufficientiam; hoc nempe modo, quod meruit vt inſtitueretur remediũ in ſe ſufficiens tàm pro illis quàm pro alijs: & ex antecedenti ordinatione Dei, ac ſimplici complacentia de ſalute omnium, includendo etiam hos paruulos, inſtitutum fuit tale remedium: & in hoc reperitur acceptatio diuina. Non autem fuit à Deo acceptatum meritum Chriſti, ad hoc vt re ipſa applicaretur, vel proximè applicari poſſet remediũ ſalutare ijs paruulis, iuxta ea quæ de hac diuina prouidentia diximus 1. par. q. 23. ſect. 4.

Obijcies ſeptimò. S. Tho. ſupra q. 1. art. 2. ad 2. hoc diſcrimen conſtituebat inter ſatisfactionem Chriſti & puri hominis; quòd ſatisfactio puri hominis poterat eſſe ſufficiens ex gratuita acceptatione diuina, ſed ſatisfactio Chriſti erat de ſe ſufficiens: de mente ergo D. Tho. nihil referebat acceptatio Dei ad ſatisfactionem Chriſti.

Reſpondetur. Verum diſcrimen, & à D. intentum, hoc eſſe: quòd poterat quidem eſſe contentus ſatisfactione puri hominis, ſola ſua acceptatione, & abſque condignitate valoris ex parte ſatisfacientis: at ſatisfactio Chriſti erat de ſe condigna, & æqualis ac ſufficientis valoris in ſe. Quæ condignitas non habetur ex acceptatione extrinſeca Dei, ſed ex dignitate intrinſeca Chriſti. Obligatio tamen ex parte Dei adhuc non habetur, niſi ex promiſſione & acceptatione eiuſdem Dei.

SECTIO DECIMATERTIA.

Num Operationes Chriſti fuerint infinitæ dignitatis & efficaciæ ad ſatisfaciendum ac merendum.

ILLI Theologi qui negabant ſatisfactionem Chriſti eſſe de ſe condignã, pariter negant eſſe infinitæ dignitatis. Et expreſſe Scotus loco ibi allegato dicebat, meritum Chriſti ſecundùm ſe non eſſe infinitum, ſed finitum; & tanti valuiſſe, pro quanto acceptabatur. Concedit verò, ex conditione perſonæ habuiſſe quandam congruitatem, qua Deus potuiſſet illud acceptare in infinitum, ideſt pro infinitis extenſiuè: quam congruitatem non ferret perſona creata. At Vaſq. diſp. 6. num. 35. aſſerit, opera Chriſti fuiſſe quidem apta vt mererentur infinitè, tamen de facto non meruiſſe infinitè: quod eſt dicere, meruiſſe infinitè quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam; ſiue habuiſſe infinitã dignitatem, non autem infinitam efficaciam ad merendum. Idque aſſerit nõ tàm ex defectu diuinæ, quàm potiùs oblationis ipſius Chriſti ad præmium infinitum. Quidam alij dicunt, meritũ Chriſti fuiſſe ſolùm ſecundùm quid, nõ ſimpliciter infinitum: vel infinitum virtualiter ſeu eminenter, non formaliter: vel finitum altioris ordinis ſupra *Sententia negans.* 1

omne aliud meritum poſſibile.

Concluſio affirmans.

Dicendum tamen abſolutè eſt, operationes Chriſti vere fuiſſe infinitæ dignitatis & efficaciæ ad ſatisfaciendum ac merendum. Hic eſt communis loquendi & ſentiendi modus apud Theologos: de mente D. Thom. ſupra q. 1. art. 2. ad 2., & infra q. 48. art. 2. ad 3., & clarius Quodl. 2. art. 2., itemque aliorum qui dicebant ſatisfactionem Chriſti fuiſſe æquiualentem & condignam pro noſtris peccatis. Et primo quidem colligitur ex iiſdem auctoritatibus pro hac condignitate ſect. præcedenti allegatis: hæc enim condignitas importat infinitatem, quia coæquatur & ſuperabundat alteri infinito, vt videbimus. Et præterea ſic expreſſe loquutus eſt Clemens Papa ſextus in Extrauag. *Vnigenitus* de Pœnitentijs & remiſſionib., dicens, Chriſtum ſua ſatisfactione & merito acquiſiſſe theſaurum infinitum hominibus: vbi non ſolùm denotat, fuiſſe infinitam dignitatem & ſufficientiam in operationibus Chriſti, ſed etiam infinitam efficaciam, & de facto obtinuiſſe donum quoddam infinitum.

Ex infinita grauitate peccati.

Secundò ratione probatur: quia ſatisfactio Chriſti fuit æquiualens & condigna pro grauitate peccati mortalis. Sed grauitas peccati mortalis eſt in ſuo genere infinita: vtpote grauis offenſa Dei qui eſt in ſe infinitus, & infinitè ſuperior homine peccante à quo offenditur; vnde & meretur pœnam in duratione ſimpliciter infinitam, ſcilicet æternam; & non poteſt ad equalitatem compenſari ab vlla perſona creata & finita: vt iam notauimus ſuo loco de peccatis 1.2. q. 88. ſect. 5., & iterum attingemus infra. Ergo omnino ſatiſfactio Chriſti erat & dici debet infinita. Et ita quidem expreſſit S. Tho. ſupra q. 1. art. 2. ad 2., *Peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maieſtatis, tanto enim offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille in quem delinquitur, vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam*, ideſt virtutem, *infinitam*. Rurſus ſatisfactio Chriſti non ſolùm erat æquiualens & condigna, ſed longè ſuperexcedens grauitatem peccati. Et in hac comparatione non excedit ſolùm finitè, ſed excedit infinitè, & in infinitum plus valet & præponderat quam peccatũ: nimirum tanquam infinitum quoddam diuerſi generis infinite ſuperioris.

Ex infinita multitudine poſſibili peccatorum.

Tertio præterea vnus quilibet actus Chriſti non ſolùm habebat valorem ad compenſandum & ſuperandum vnum peccatum, ſed plura & plura. In qua etiam comparatione, nullus eſt certus ac finitus numerus peccatorum, qui exhauriret vel adæquaret valorem vnius actus Chriſti: ſed potiùs vnus actus Chriſti valebat & præualebat pro pluribus peccatis in infinitum: poſſunt enim peccata committi ſemper plura & plura in infinitum. Item non ſolùm poſſunt ſic multiplicari peccata ab vno peccante, ſed à ſingulis quibuſcunque. Et in hoc etiam conſiderari poſſunt nõ ſolùm qui de facto ſunt aut erunt, ſed etiam qui poſſibiles ſunt plures ac plures in infinitum. Et pro ijs omnibus peccatis & peccatoribus haberet ſufficientem valorem ſatisfactio Chriſti in quolibet vno actu meritorio. Et hanc totam vim habent illa verba Ioannis Epiſt. 1. cap. 2., *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantũ, ſed etiam pro totius mundi*: & ſimiliter alia loca quæ prædicant vniuerſalem & amplam redemptionem Chriſti: non enim poterat limitari ad certum numerum peccatorum aut peccantium. Planè ergo ſatisfactio Chriſti erat excellentiſſimo modo infinita. Quamuis enim non poſſint actu ſimul poni infinita peccata infiniti peccantes, ſed ſolùm vt dicitur finiti in infinitum: tamen ſatisfactio Chriſti potuit actu poni, & cũ æquiualeat ac præualeat omnibus peccatis & peccantibus poſſibilibus in infinitum, iam eſt actu infinita, in ſua ſcilicet dignitate & valore morali.

Ex infinitate præmij.

Quartò. Pariter hæc infinitas explicatur in ratione meriti, & in ordine ad præmium ac mercedem gloriæ & gratiæ: quia in operibus Chriſti erat tantus valor & dignitas, vt adæquaret & excederet quantamcunque gloriam & gratiam, quam maiorem ſemper ac maiorem in infinitum poſſet Deus concedere: nulla enim limitationis ratio poteſt cogitari ad vllum certum gradum.

Digitized by Google

Et ſimiliter pro pluribus & pluribus
hominibus in infinitum abſque vllo
termino.

Ex infinitate effectus.

Quintò. Quod attinet ad efficaciam,
id eſt ad effectum, ſatisfactionis & me-
riti Christi, de facto obtentum. Sic
habetur quidem efficacia & effectus
infinitus in remiſſione peccatorum tam
originalis, quàm mortalium: quia cum
infinita ſit grauitas peccati, effectus in-
finitus eſt, compenſare hanc grauitatẽ,
ſatisfacere pro peccato, obtinere re-
miſſionem peccati. Non autem habe-
tur infinita efficacia & effectus de fa-
cto pro infinitis hominibus, ſed ſolùm
pro certis ac finitis ſub determinato
numero: quia finitus ac certus eſt nu-
merus omnium hominum ſaluandorũ,
& omnium qui participabant aliquid
de gratia Chriſti, & omnium ſimplici-
ter futurorum. Gabr. autem in 3. d. 19.
q. 1. art. 1. notab. 3. & art. 2. concl. 3.
dixit, meritum Chriſti de facto acce-
ptatum fuiſſe à Deo pro infinitis poſte-
ris Adæ ſi naſcerentur. Verùm neque
per hoc haberetur de facto vllus effe-
ctus in infinitis hominibus. Neque id
eſt aſſerendum: quia ſatis eſt Chriſtum
acceptaſſe meritum Chriſti pro homi-
nibus quos de facto Deus ex ſtirpe
Adami procreare volebat, & quibus
beneficium redemptionis Chriſti com-
municare diſpoſuit. Similiter non ha-
betur infinitus effectus in intenſione
gloriæ & gratiæ in vllo homine: ſed in
quolibet erit ſub certa ac determinata
menſura vt perſpicuum eſt. Quod au-
tem non habeatur iis modis infinita
efficacia & effectus, non eſt ex eo quod
Chriſtus non ad illum obtulerit, ſed po-
tius ex eo quod Deus non ad illum ac-
ceptauit. Nam nec requirebatur pe-
culiaris oblatio & applicatio Chriſti ad
effectum conferendum à Deo ex meri-
tis Chriſti. Nec ſi Chriſtus offerebat,
tenebatur Deus acceptare meritum, &
conferre effectum: ſed totius effectus
collatio dependebat mere ex accepta-
tione Dei.

Dignitas & efficacia meritorum Christi erat ſimpli-

Sextò, iuxta hæc, valor & dignitas
meritorum Chriſti, dici debet infinita
ſimpliciter & formaliter, & non finita
altioris generis, vel infinita ſecundum
quid, aut virtualiter & eminenter: ſic
enim loqui præſtat, & ſic in aliis ſimili-
bus rebus loquimur. Efficacia verò
quoad effectum qui habetur de facto;
apud illos qui grauitatem peccati vo-
cant infinitam ſolum ſecundùm quid,
pariter dici debebit infinita ſecundùm
quid. Appellando autem grauitatem
peccati infinitam ſimpliciter, etiam
ſimpliciter infinitus dici debet effectus
qui habetur de facto ex ſatisfactione
Chriſti, & ſic efficacia ſimpliciter infi-
nita. Et vbi de re conſtat, non eſt plus
de nomine contendendum.

citer infinita.

Nec ſumebatur ex peculiari influxu voluntatis diuinæ.

Septimo deinde. Quia ratio à priori
& radix infinitatis, omnino ſumitur ex
vnione hypoſtatica, & infinitate per-
ſonæ diuinæ quæ erat in Chriſto, non
vno ſed variis modis ſtuduerunt Theo-
logi explicare, qualiter ex hac vnione
& infinitate perſonæ deriuetur infinita
dignitas ſatisfactionis & meriti in ope-
ribus Chriſti. Driedo lib. de Captiu. &
redempt. gener. humani tract. 2. cap. 2.
par. 3. art. 3. propoſ. 2. ſic explicauit:
quia cùm Chriſtus eſſet Deus & homo,
opera eius non procedebant tantùm à
voluntate humana, ſed etiam à volun-
tate diuina, & ita ab hac ſumebant in-
finitam dignitatem ac valorem. Sed
certè operationes Chriſti humanæ non
aliter procedebant à voluntate diuina,
quàm prout omnes operationes cauſa-
rum creatarum ex diuina voluntate &
cauſalitate dependent, vt habetur ex
dictis ſect. 1. huius quæſtionis & quæſt.
ſuper. Siquidem Chriſtus habebat ſuã
voluntatem humanam, & alias poten-
tias, & ſic omnes operationes humanas
cõdiſtinctas à diuinis: & quilibet actus
voluntatis humanæ Chriſti, ab ea im-
manenter eliciebatur, concurrente ta-
men voluntate diuina ſicut ad alias
quaſcunque extraneas operationes.
At ex hac parte operationes non ſu-
munt dignitatem & valorem, nedum
ſumere poſſunt infinitam: vt patet in
operationibus noſtris inquantum fiunt
ex concurſu generali Dei.

Aut ſubſiſtentia Verbi.

Octauo. Indicarunt aliqui, operatio-
nes Chriſti per ſe ac directè procedere
ex ipſa ſubſtantia Verbi ſimul cum po-
tentiis naturalibus humanitatis Chriſti,
& inde ſumere tantam dignitatem ac
valorem. Vel quia etiam mediante

Digitized by Goo

eadem humanitate recipiuntur & ſubſtentantur in Verbo ſubſtentante ipſã humanitatem. Verùm in vniuerſum ſupponimus, operationes naturæ non procedere per ſe & directe ſimul ex ſubſiſtentia, vt ſuo in loco in Philoſ. tractauimus quæſt. 18. ſect. 9. Etenim ſubſiſtentia non ſe habet vt virtus operatiua vel tanquam principium operandi, ſed ſolùm complere ac terminare naturam. Neque ex aliqua peculiari ratione operationes Chriſti per ſe ac directe procedebant ex diuina ſubſiſtẽtia Verbi: non enim aliud dici debet aut poteſt de operationibus Chriſti, quàm communiter de alijs operationibus. Deinde nec etiam alio modo operationes Chriſti recipiebantur & ſubſtentabantur in Verbo, niſi prout aliæ operationes in ſuo ſuppoſito. Neque ex hoc ſumebatur aut dependebat valor operationum Chriſti: quia etiam ſi operationes omnes reciperentur in alio ſubiecto diſtincto, adhuc habuiſſent eundem valorem quem modo habent; & quoad hoc per accidens eſt, quòd ſint immanentes, & recipiantur in eodem ſubiecto operante.

Nec ex reſpectu ad obiectum. Nonò. Rurſus aliqui explicarunt, infinitatem ſatisfactionis & meriti in operibus Chriſti deriuatam fuiſſe ex parte obiecti: quia nempe Chriſtus offerebat in recompenſationem & obſequium Deo Patri, rem infiniti prætij, ſcilicet ſuam vitam, ſuum ſanguinem, quæ ex vnione humanitatis ad Verbũ trahebant infinitam dignitatem. Ita indicat D. Tho. q. 46. art. 6 ad 4. & 6. & q. 48. art. 2. in corp. & ad 3. Atque inter Recentiores defendit ex hac parte infinitum meritum Chriſti Raguſa disp. 14. §. 2., non tamen excludens infinitatem ex parte operantis. Probat tum ex Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 2, vbi valorem ſacrificij eucharistici explicat, *Quia vna eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit*: quibus verbis, non ſolum ex parte offerentis, ſed etiam ex parte hoſtiæ oblatæ deſumit rationem valoris. Tum ex Script. 1. Petri 1., *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti*; vbi etiam valor tribuitur ſanguini Chriſti tanquam prætio perſoluto, ideſt tanquam rei oblatæ. Tum ex Patribus, qui ex eodem capite, ſcilicet ex incomparabili prætio ſanguinis Chriſti extollere ſolent ſufficientiam & excellentiam redemptionis & ſatisfactionis exhibitæ à Chriſto. Et Clemens ſextus in cap. Extrau. dicebat, quod vna gutta ſanguinis Chriſti fuiſſet ſufficiens & excedens pro ſalute totius mundi, ratione vnionis ad Verbum. Tum ratione: quia res oblata habet ſuam dignitatẽ, valorem, & æſtimabilitatem, eamque refundit in operationem qua offertur: ſed certè res oblata à Chriſto, conſiderata ſub vnione ad Verbum non habebat dignitatem, valorem, & æſtimabilitatem finitam ac limitatam, ſed infinitam: ergo inde quoque operationes Chriſti ſumebant infinitatem.

Verùm non oportet dicere operationes Chriſti habuiſſe infinitum valorem, nec condignum ad ſatisfaciendum pro peccato, ex reſpectu obiecti, præter reſpectum operantis. Ita alij plerique notant. Et patet: tum quia, etiam B. Virgo & Simeon in templo obtulerunt Chriſtum Dominum Deo Patri, & nos etiam offerre poſſumus & ſolemus: neque tamen hæc oblatio, quamuis de re & obiecto infinito, habet valorem infinitum, nec condignum ad ſatisfaciendum pro peccato. Et ſi dicatur diſcrimen eſſe, quia alij non offerunt Chriſtum tanquam rem ſuam, ſicut ipſe Chriſtus offerebat vitam & ſanguinem ſuum. Adhuc patet, non ſufficere infinitatem obiecti ad tribuendum infinitum valorem actui: & in actibus Chriſti non tribuiſſe abſque reſpectu ad ipſum operantem & offerentem. Tum deinde quilibet actus Chriſti erat in ſe infiniti valoris, quamuis non eſſet actus offerendi ſuam vitam & ſanguinem, quamuis non haberet huiuſmodi obiectum infinitum: non ergo ex infinitate obiecti ſumebatur aut dependebat infinitus valor operum Chriſti. Tum à priori: ex parte obiecti creſcit ſolùm bonitas moralis actus, & mediante bonitate meritum: differt autem à bonitate operis dignitas ex parte operantis: & qualitas obiecti non auget bonitatem

nte, operis niſi quatenus per ſe cognita & intenta, ſed dignitas operantis cōfert ſuum effectum etiam ſi ſit occulta & ignota. Atque ex obiecto infinito nō deriuatur in actum bonitas & meritum infinitum: vt diximus ſuo loco de merito in communi 1. 2. q. 114. ſect. 22., ſiquidem etiam in nobis conſiderari poſſunt varij actus circa obiectum infinitum. Et in hac re gaudere poſſumus, Chriſtum exhibuiſſe infinitum honorē & obſequium Deo, infinitam ſatisfactionem pro nobis; & antiquiores Patres idipſum deſiderabant: non tamen per hoc hi noſtri actus participant bonitatem aut valorem infinitum.

D. Thomas autem in illis locis ſemper intelligebat ac ſupponebat infinitam dignitatem Chriſti tanquam perſonæ operantis ex quo formaliter & adæquate oriretur condignus & infinitus valor, vt iam ab initio docuerat q. 1. art. 2. ad 2. At Concil. Trident. ibi ſolùm explicare voluit contra Hæreticos vim noſtri ſacrificij in virtute eiuſdem paſſionis Chriſti, ex qua ſumitur eius valor & efficacia: nullatenus per hoc determinans, ex quo formaliter capite ipſa paſſio & ſatiſfactio Chriſti ſumpſerit ſuam condignitatem & infinitatem. Sed an ipſum etiam ſacrificiū noſtrum habeat ſuo modo infinitum valorem ex influentia Chriſti, ſuo loco de ipſo ſacrificio videbimus. Rurſus, quando Petrus, & Patres, & Clemens, valorem noſtræ redemptionis tribuunt prætioſo ſanguini Chriſti, vtique intelligebant quatenus ipſe Chriſtus fundebat ſanguinem pro noſtra redemptione, & ipſe erat qui Deo Patri ſatisfaciebat: alioqui nullus alius offerens illum ſanguinem, potuiſſet noſtram redemptionem perficere. Demum iam diximus infinitatem ex parte obiecti non refundere illam dignitatem quæ requiritur ex parte operantis, ſed ſolùm refundere certam bonitatem, quatenus cognoſcitur & intenditur.

Aut ad perſonam præmiandam. Decimò. Aliter Lugus diſp. 6. ſect. 1. explicare voluit, meritum Chriſti ſumere infinitatem valoris ex parte perſonæ, non quatenus operantis & merentis, ſed quatenus præmiādæ à Deo: quia inquit: conſideratur opus bonum antecedenter ad dignitatem perſonæ, & ſolùm ſecundùm ſuam bonitatem, & vt ſic æſtimatur dignum magno præmio: ſed ad diſcernendum quale futurum ſit magnum præmium attendi debet qualitas & dignitas perſonæ præmiandæ; quia præmium quod eſſet magnum reſpectu vnius perſonæ, non eſſet magnum reſpectu dignioris & ſubliınioris perſonæ: cùm ergo Chriſtus qui eſt perſona præmianda, ſit infinitæ dignitatis & ſublimitatis, nullum finitū præmium reſpectu eius eſt magnum & proportionatum, ſed illi debetur infinitum præmium, & ſic meritum eius dicitur infinitum.

Hic tamen dicendi modus, ſine cauſa excogitatus eſt, & inutiliter à communi & conſueto diuertit. Etenim in vniuerſum, non cenſetur & æſtimatur dignum præmio vllum opus ad Deum, niſi dependenter ex dignitate perſonæ operantis: non cenſentur & æſtimantur digna cæleſti gloria opera hominis, niſi quatenus homo operans eſt dignus per gratiam ſanctificantem; neque in hoc opus eſt facere illum circuitum, quia non eſſet magnum præmium quod tribuatur homini iuſto, niſi gloria. Et præſertim petendum eſt in illo dicendi modo, an conſiderari debeat qualis ſit ille cui tanquam ſubiecto tribuendum ſit præmium, vel ille cuius intuitu & in cuius remunerationem tribuendum ſit. Si dicatur primum: ſic cùm præmium ex merito Chriſti, tribuendum ſit alijs puris hominibus, certè magnum quid eſt reſpectu puri hominis præmium ſupernaturale, quamuis in ſe finitum ſit: non ergo hinc fieret meritum Chriſti infinitum. Et è conuerſo ſi fingatur caſus, quòd ex merito alicuius puri hominis applicandum & conferendum eſſet aliquod præmium ipſi Chriſto, hoc præmium deberet eſſe infinitum, & ſic meritum puri hominis eſſet infinitum. Si dicatur ſecundum: certè non alius eſt ille cuius intuitu & in cuius remunerationem conferendum eſt præmiū, niſi ille ipſe qui operatur & meretur: ergo planè hoc in idem redit, vt ex dignitate perſonæ operantis ac merentis deſumatur quantitas præmij & meriti.

Idemquè erit dicere quod reſpectu Chriſti qui præmiandus eſt, ideſt cuius intuitu & in cuius remunerationem tribuendum eſt præmium, nullum eſt magnum præmium niſi infinitum: ac dicere quod reſpectu Chriſti qui operatur & meretur, nullum eſt magnum præmium niſi infinitum.

Nec oportet diſtinguere inter perſonam Verbi & ſanctificationē humanitatis.

Vndecimo Vaſqu. diſp. 5. cap. 5. & diſp 6. cap. 2. contendit, valorem infinitum non deriuari immediate in opera Chriſti ex ipſa perſona Verbi, ſed potiùs mediante humanitate, quatenus ſcilicet ipſa humanitas per Verbum quodammodo deificatur, ideſt ſanctificatur ac dignificatur, & fit infinite ſancta ac digna, & ita opera quæ per illam & ab illa fiunt, recipiunt valorem ac dignitatem infinitam ad merendum ac ſatisfaciendum. Et hoc fundat: quia ſi cogitetur caſus, vt humanitas Chriſti maneret in peccato, vel originali, vel mortali habituali, & non ſanctificaretur per vnionem ad Verbum, vt aliqui poſſibile reputarent; tunc eius opera prorſus non eſſent digna ac meritoria apud Deum, quia eſſent hominis iniuſti Deo & inimici, & tamen adhuc attribuerentur diuino ſuppoſito: ergo non ex illo immediatè, ſed potiùs ex humanitate quatenus deificata & ſanctificata per Verbum, ſumunt ſuum valorem, eumquè infinitum. Sed contra hunc modum ex aduerſo Raguſa diſp. 12. cōtendit, non debere nec poſſe dici, opera Chriſti ſumere valorem ex Verbo quatenus formaliter ſanctificante humanitatem: præcipuè quia inquit, principium ſupernaturale non dat valorem actui, niſi inquantum per ſe cauſat ipſum actum: & quia etiam ipſa Diuinitas ſeu diuina perſona non afficit tali modo humanitatem ad inſtar formæ, ſicut gratia animam, vt poſſit tali modo communicare valorem operibus Chriſti.

Sed etiam ſine cauſa videtur excogitata hæc diſtinctio: ſed potiùs pro eodem putandum eſt dicere, opera Chriſti ſumere valorem ex perſona Verbi, atq; ex humanitate prout ſanctificata per Verbum; & vtroque loquendi modo hic effectus proferri & explicari poteſt. Etenim reuera hæc omnia inſeparabilia ſunt, ſcilicet per Verbum ſanctificari humanitatem, & dignificari opera Chriſti. Et quatenus præciſione quadam conſiderentur, pariter dici poteſt ac debet, opera Chriſti ſumere valorem infinitum, ex eo quod ſunt opera diuini ſuppoſiti, & ex eo quod ſunt opera naturæ humanæ ſanctificatę per diuinum ſuppoſitum. Dici etiam debet, quod ſi per impoſſibile non ſanctificaretur ipſa humanitas per Verbum, adhuc opera Chriſti quatenus opera diuini ſuppoſiti eſſent infinitè digna: & ſimiliter, quod ſi opera Chriſti non participarent valorem ex perſona Verbi immediatè, adhuc acciperent ex humanitate ſanctificata per Verbum. Itaque ad fundamentum Vaſq. dicendum eſt, in eo caſu & ex ea hypotheſi vtranque partem contradictionis inferri, vt ſect. præcedenti notauimus: quare adhuc in eo caſu ex vno capite permaneret valor infinitus in operibus Chriſti ex perſona Verbi: licèt ex alio capite deſtrueretur ratione peccati. Et ad fundamētum Raguſæ, certè principium ſupernaturale non ſolùm dat valorem actui quatenus per ſe cauſans actum, ſed etiam quatenus concomitanter ſe habens in illo qui operatur, & ſic ſe habet gratia ſanctificans. Et quamuis diuina perſona non afficiat naturam humanam per modum formę, ſicut gratia animam; ſatis ſuperque eſt, quod verè abſque informatione ſanctificat humanitatem, incomparabiliter plus quàm gratia animam.

Sed abſolutè ſumebatur ex infinita dignitate Chriſti operantis.

Duodecimò ergo concludendum eſt, opera Chriſti accipere ſuum infinitum valorem formaliter ex dignitate operantis, qui erat Deus homo. Ita loquutus eſt S. Thomas. Et hoc planè intellexerunt Patres, & ex doctrina Scripturæ ex myſterio ipſo colligitur. Et ſatis explicatum manet ex omnibus prædictis. Etenim opera facta ab operante tàm digno, qui eſt filius naturalis Dei, eſt verus Deus in humana natura ſubſiſtens, ex hoc formaliter ſunt digniſſima omni præmio, habent infinitum valorem ac dignitatem. Vt etiam patet exemplo operum hominis iuſti, quæ per dignitatem operantis fiunt meritoria de condigno gloriæ. Itaq; ad hunc eſſe-

Digitized by Google

effectum valoris in operibus Chriſti, non oportebat vt hæc opera procederent ex alio peculiari influxu voluntatis aut ſubſiſtentiæ Verbi: vel vt conſiderentur ſub alio reſpectu ad obiectum infinitum, aut perſonam præmiandam: vel vt diſtinguatur reſpectu operum inter perſonam Verbi & humanitatem ſanctificatam per Verbum. Imò quamuis de facto ſubſiſtentia perſonalis ſupponatur ordine naturę ad omnem operationem, & ſic ſe habeat tanquam conditio neceſſaria, ſeu complementũ præuium naturæ ad operandum: tamen neque hæc præceſſio eſt per ſe ac formaliter neceſſaria ad dignificanda opera, ſed ſatis eſſet pura realis concomitantia. Quare ſi fieri poſſet, vt natura prius intelligeretur operari quàm terminari per ſubſiſtentiam, ſed ſimul realiter in eodem inſtanti temporis compleretur per ſubſiſtentiam, atque ita factum fuiſſet in Chriſto, adhuc illa ipſa operatio accepiſſet valorem infinitum ob realem concomitantiam dignitatis infinitæ in operante. Sicut nempe ſuo loco in communi de merito diximus, ſatis eſſe concomitantiam gratiæ ſanctificantis, quamuis ordine naturæ ſuperuenientis ad actum bonum ſupernaturalem, vt eum reddat meritorium de condigno vitæ æternæ.

Valor operum Chriſti oriebatur ex principio infinito.

Sed contra infinitatem dictam in operibus Chriſti, Obijcies primò ex Scoto. Meritum & ſatisfactio Chriſti proueniebat à principio finito, ſcilicet humanitate. Et reſpectus etiam ad finem, atque ad ipſum Verbi ſuppoſitum, erat in ſe quid finitum: ergo ſimpliciter ipſum meritum erat finitum. Vel ſi omnino dicatur fuiſſe infinitum, ſequitur fuiſſe tàm dignum opus humanum Chriſti, quàm ipſum Verbi ſuppoſitum: & tantundem valuiſſe velle creatum humanitatis Chriſti, quantum velle diuinum: ac Verbum ipſum diuinum per ſe potuiſſe mereri ac meruiſſe. Quæ omnia ſunt planè abſurda. Sicut abſurdum erit dicere, tantundem diligi à Deo velle creatum naturæ aſſumptæ, quantum velle increatum naturæ & perſonæ diuinæ. Nec ex infinitate Verbi videtur debere refundi valor infinitus in opera Chriſti: quia licet perſona Verbi ſit in ſe infinita, tamen erat finito modo vnita & communicata naturæ humanæ: ergo non dabat dignitatem infinitam.

Reſpondetur. Meritum & ſatisfactionem Chriſti, licet phyſicè & immediatè proueniebat à principio finito, tamen moraliter & concomitanter ſumebat dignitatem à principio infinito, ſcilicet Verbo diuino. Et ſic reſpectus eiuſdem meriti ad Verbum erat quid moraliter infinitum. Nec propterea ſequitur, tam dignum fuiſſe opus humanum Chriſti, quam ſuppoſitum Verbi, & tantundem valuiſſe velle creatum quantũ increatum: etenim Verbum & velle diuinum eſt in ſe, & in eſſendo, & per ſuam eſſentiam infinitum, opus autem & velle humanum per coniunctionem ad ipſum Verbum. Nec etiam ipſum Verbum per ſe & per voluntatem diuinam merebatur aut poterat mereri: vt ſatis patet ex dictis antea ſect. 2. Quod ſi poſſet mereri, alio ſanè ſublimiori & excellentiori genere infinitatis mereretur in infinitum. Nec tantundem diligebatur à Deo velle creatum, quantum velle diuinum: ſed adhuc erat infinita diſtantia inter hæc, ſicut inter ens per eſſentiam & per participationem, inter ens diuinum per eſſentiam & per hypoſtaticam vnionem. Quæ vnio erat vtique modus creatus, & non infinitus per eſſentiam: tamen erat in ratione vnionis & dignitatis moraliter infinitus: atque adeo ſufficiens ad hoc vt opera Chriſti participarent infinitam dignitatem & valorem.

Opera Chriſti erant inter ſe æqualis dignitatis.

Obijcies ſecundo. Si meritum Chriſti ex parte operantis fuit infinitum; ſequitur, Chriſtum non plura meruiſſe vno opere, quantumui excellentiori in genere moris alio quouis inferiori opere, imo nec plus potuiſſe mereri omnibus ſuis operibus, quantumcunque multiplicarentur, quam vno opere ſingulari.

Reſpondetur. Verè quantum ad dignitatem ſumptam ex parte operantis ita eſſe: quia hæc in quolibet opere erat æqualis & infinita. & in pluribus operibus non erat maior intenſiue quàm in vno opere. ſed ſolùm maior extenſiuè, id eſt extendebatur ſiue replicaba-

Digitized by Google

tur talis dignitas infinita in pluribus operibus; vt notauit S. Thomas infra q. 34. art. 3. ad 3. At ex parte bonitatis moralis quæ ſumitur ex obiecto & circunſtantijs, antecedenter ad dignitatê ex parte operâtis, poterat eſſe in operibus Chriſti, tota ea differentia & inæqualitas quæ eſt in operibus aliorum. Et ex parte acceptationis diuinæ, atq; adeo quoad effectum & efficaciam, poterat quoque eſſe magna differentia & inæqualitas: quia poterat Deus plura opera acceptare ad maius præmium, quàm vnum opus, & vnum opus quam aliud, cùm ipſum præmium nempe gratiæ & gloriæ eſſet in ſe infinitum, & capax huius inæqualitatis. Atque ita de facto ordinauit & acceptauit ad noſtram redemptionem meritum Chriſti conſummatum per paſſionem & mortem.

Qualiter merito infinito Chriſti correſpondebat præmium infinitum.

Obijcies tertiò. Merito infinito debet correſpondere ſaltem de poſſibili præmium infinitum, ideſt gratia & gloria infinita: ergo nec poterat meritum Chriſti eſſe infinitum. Et alioqui potuiſſet plus mereri Chriſtus, quàm Deus poſſit remunerare: & meritum Chriſti excederet potentiam Dei: quia Chriſtus merebatur infinitum, & Deus non poteſt tribuere præmium infinitũ.

Reſpondetur primò. Merito Chriſti in ratione ſatisfactionis correſpondere remiſſionem peccati, quæ vt dicebamus eſt beneficium infinitum. Secundò. Ita de reliquo explicanda eſt infinitas meritorum Chriſti: non quidem vt Chriſtus mereretur quod Deus de facto conferret præmium actu infinitũ, quod eſt impoſſibile: ſed ſicut explicatur infinitudo diuinæ potentiæ, per hoc quòd Deus poteſt facere plus ſemper & plus in infinitum, licèt nunquam actu infinitum; ita meritum Chriſti erat infinitum, quia ei poterat de condigno retribui plus ſemper & plus, licet non actu infinitum. Vnde etiam non ſequitur, quod potuiſſet Chriſtus plus mereri quam poſſet Deus remunerare, & quod meritum Chriſti excederet potentiam Dei: quia pari modo ſe habebat infinitum meritum Chriſti, ſicut infinita potentia Dei. Loquendo nunquam de valore & dignitate operum Chriſti: alioqui de facto quantum ad acceptationem Dei, & oblationem etiam ipſius Chriſti, Deus actu remunerat & retribuit adæquate quantum Chriſtus meruit. Tertio demum dici poteſt, inueniri aliquod certum præmium, quo Deus poſſet ad plenum de condigno compenſare & adæquare valorem ſingulorum operum Chriſti, nempe vnionem hypoſtaticam alicuius perſonæ diuinæ cum aliqua natura creata. Nam donum vnionis hypoſtaticæ eſt infinitum in ratione doni: & tantundê valere videtur aliud donum vnionis hypoſtaticæ in ratione præmij, quantũ opus ſumens valorem ex ſimili vnione hypoſtatica in ratione meriti: ſiue conſideretur vnio alterius perſonæ diuinæ cum eadem natura creata, ſiue vnio cuiuſcunque perſonæ diuinæ cum alia natura creata. Et in hoc rurſus, ſicut Chriſtus poterat plura & plura opera facere, ita potuiſſet Deus plures & plures naturas creatas aſſumere abſque termino. Addit tamen Suarez diſp. 4. ſect. 4., quod ita vnio hypoſtatica eſſet condignum præmium, vt ſimul cum eo potuiſſent adiungi plura & plura alia dona gratiæ & gloriæ, & id totum non excederet valorem meritorum Chriſti. Raguſa verò diſp. 18. §. 3. & Lugus diſp. 6. ſect. 1. abſolutè negant, alteram vnionem hypoſtaticã fore condignum præmium vllius meriti Chriſti: ac etiam ſi vna vel plures perſonæ diuinæ aſſumerent plures & plures naturas creatas in infinitum.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum Chriſtus ſatisfecerit de rigore iuſtitiæ.

FRequens & communis eſt hic loquendi modus, quo dicitur Chriſtus ſatisfeciſſe de toto rigore iuſtitiæ pro noſtris peccatis. Et ſaltem in hoc ſenſu intelligitur, quòd ſatisfactio Chriſti habebat tantam dignitatem, vt eo rigore æqualitatis quæ requiri ſolet in materia iuſtitiæ, ei correſponderet & deberetur remiſſio noſtrorum peccatorum. Sed difficultas eſt an in ſatisfactio-

Digitized by Google

ctione Chriſti reperiatur & exercea-tur iuſtitia propriè ſumpta, qualis ſolet inter homines aſſignari in ſatisfactione pro iniuria & offenſa. Quæ difficultas, ſimilis eſt ex parte Dei, alteri quam 1.2.q.114. examinauimus de merito, an Deus ex iuſtitia retribueret mercedem gloriæ pro noſtris meritis. Et magna quidem contentione hæc res inter recentiores Theologos agitatur: ſed magna ex parte videtur controuerſia eſſe de nomine: & faciliori expeditione fortaſſe tranſigi poteſt.

Duæ oppoſitæ ſententiæ.

Negare ergo videntur, interuenire propriè in ſatisfactione Chriſti iuſtitiã, illi qui ibi negabant inter noſtrum meritum & præmium: quæ & erat communior ſententia loquendo de iuſtitia commutatiua. Et ita iterùm prolixè contendit Vaſqu. ſupra diſp. 7., & cum eo Lugus diſp.3, Kelliſonus q.1. art. 2, dub. 5. Becanus cap. 15. num. 12., Puteanus q. 1. art. 2. dub. 3., Bonacina diſp 2. q.13. puncto 3., & quidam alij. Concedunt autem illi qui ibi tribuebat Deo iuſtitiam in remuneratione noſtrorum meritorum. Et ſic defendunt ſpecialiter in ſatisfactione Chriſti, Suarez ſupra diſp 4. ſect. 5., Valent. q.1. puncto 5., Raguſa diſp. 20., Cabrera q. 1. art. 2. diſp. 7. & 8., Curiel dub. 3., Peſant. diſp.6., Aluarez diſp. 4., Tannerus diſp.1. q.2. dub.5., Abra diſp. 1. cap. 2. q 4., Vuigers hac q. art. 4. dub.5., Bagnes 2.2. q.57. art. 4., & alij plures. Habetque hæc controuerſia duas partes: vna eſt ex parte Dei, an Deus exerceat iuſtitiam remittendo nobis iniurias & offenſas pro quibus Chriſtus ſatisfecit: altera eſt ex parte Chriſti, an Chriſtus exerceret iuſtitiam ſatisfaciẽdo pro nobis, & ſoluendo noſtra debita. Et pariter ſolent Auctores allegati, vel de vtraque parte negare, vel de vtraque affirmare.

Sed quantum attinet ex parte Dei, dicendum nunc putamus eodem modo quo diximus ea quæſt. de merito ſect. 11. Nempe Deum erga Chriſtum ſatiſfacientem, remittendo noſtra peccata, non exercere iuſtitiam ea proprietate ſumptam, qua inter homines dicitur iuſtitia: neque tamen exercere ſolùm iuſtitiam communi modo dictam, quæ coincidit cum ſanctitate ſeu virtute in communi, inclinante ad faciendam quæ recta & conuenientia ſunt; aut ſolam virtutem fidelitatis vel gratitudinis: ſed ſpecialiter exercere iuſtitiam peculiari modo dictam, aptam & proportionatam abſque vlla imperfectione ipſi Deo. Explicatur & probatur aſſertio per ſingulas partes iuxta doctrinam traditam eo loco de merito.

Deus erga Chriſtum ſatisfacientem exercebat verè iuſtitiam,

Primo quidem tribui omnino debet aliquo modo iuſtitia ipſi Deo in remittendis ob ſatisfactionem Chriſti iniurijs ſibi illatis, ita vt dicatur ex iuſtitia remittere, & exercere opus iuſtitiæ debitum ipſi Chriſto. Etenim ad hoc ſaltem valere debet communis & conſuetus loquendi modus, quo dicitur Chriſtus ſatisfeciſſe de rigore iuſtitiæ: quod nempe talem ſatisfactionem, adeo condignam & æquiualentem pro noſtris peccatis obtulerit Deo, vt Deus non merè gratis, non ſolùm ob aliquam congruitatem, ſed ob iuſtum ac rigoroſum prætium ſibi perſolutum à Chriſto debeat iuxta normam iuſtitię remittere nobis noſtra peccata. Et expreſsè etiam Apoſtolus Paulus in hoc nominauit & magnificauit iuſtitiam Dei: ad Roman. 3. *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore.* Et alibi ſimilia habentur. Item D. Auguſt. in Enchirid. cap.49. & lib.13. de Trinit. cap. 13. & 4., aliique ex Patribus frequenter, in hoc myſterio obſeruant diuinam iuſtitiam, quæ quidem non minori obſequio quam ſatisfactione Chriſti placari voluit, ſed hac ſatisfactione ſuperabundanter placata eſt: quare exercet Deus inſignem iuſtitiam, remittendo noſtra peccata ob talem ſatisfactionem ſibi exhibitam.

Non propriè commutatiua qualis eſt inter homines.

Secundò. Non debet tribui iuſtitia ſub ea proprietate qua inter homines exercetur. Iuſtitia enim propriè dicta commutatiua inter homines conſiſtit in commutatione dati & accepti, vel quoad ſatisfactionem in adæqua-

tione

Digitized by Google

et parte ſatisfactionis Chriſti, ſupponitur etiam & inuoluitur obligatio promiſſionis & acceptationis. ex parte voluntatis Dei: quia alioqui quantumuis Chriſtus operatus eſſet, niſi Deus libere promiſiſſet & acceptaſſet, non fuiſſet debitor ex iuſtitia, nec ſimpliciter debitor: ſed ſua libera promiſſione coniuncta cum æqualitate prætij oblati, factus eſt debitor ex iuſtitia. Vnde pro tanto ſolùm factus eſt debitor pro quãto ipſe ex ſua libertate promiſit & acceptauit, & nihil amplius, iuxta ea quæ etiam in ſuperioribus dicta ſunt.

Chriſtus acquiſiuit ius vt Deus remitteret offenſã.

Quinto demum confirmatur magis. Per ſatisfactionem Chriſti prout acceptatam à Deo, Deus nõ habet amplius illud ius quod habebat aduerſus hominem pro quo illam acceptauit: & ſi adhuc nollet remittere offenſam homini pœnitenti, iuxta promiſſionem factam Chriſto, ſed vellet illum adhuc ex primo rigore punire, in hoc ageret abſque titulo iuſtitiæ, ageret iniuſtè: ergo verè Chriſtus ſatiſfecit ad iuſtitiã, & Deus manet obligatus ex iuſtitia ad remittendam peccatori offenſam. poſt inquam acceptatam ſatisfactionem Chriſti, & adimpletam conditionem.

Neque valet quod diſtinguit Lugus diſp. 3. cit. ſect. 1., aliud eſſe quod Deus amiſerit ſuum ius ad puniendum hominem, & aliud quòd homo acquirat ius ne puniatur à Deo: primum fatetur eſſe verum abſque difficultate: ſecundùm contendit non verificari in homine reſpectu Dei, quod tamen requirebatur vt Chriſtus diceretur propriè ſua ſatisfactione obligaſſe Deum ex iuſtitia. Hoc inquam non valet: quia licet de reliquo diſtingui debeat, amitti ius in vno ad faciendum aliquid, & acquiri ius in alio ad aliud quid poſitiuè faciendum: tamen certè pro eodem moraliter ſe habent, amitti ius in vno ad faciendum aliquid contra me, & acquiri ius in me ne ille faciat illud contra me: Petrum amittere ius exigendi centum à Paulo, & Paulum acquirere ius ne exigantur ſibi centum à Petro: ne ſcilicet ille faciat contra me eo titulo ſui primi iuris extincti; licèt fortaſſe poſſet adhuc facere alio titulo. Vel quicquid ſit de modo loquendi; certè hoc ipſo quod ego facio vt alius amittat ius quod habebat aduerſus me, ſiue ad exigendum à me centũ, vtiq; illi ſatisfacio ad iuſtitiam, & facio vt ille non poſſit ampliùs iuſtè agere aduerſus me, & ſecus iniuſte faceret. Si ergo ex ſatisfactione Chriſti à Deo acceptata, valet dicere, Deum amittere ius puniendi peccatorem, ſcilicet iuxta eius inſtitutionem rite pœnitentem; iam etiam dicere valet, Chriſtum acquiſiſſe ius, ne Deus talem puniat, ſiue abſolutè feciſſe ne Deus poſſit iuſte illum punire, ſed ex iuſtitia debeat illi offenſam remittere.

Chriſtus etiam exercebat iuſtitiam erga Deum.

Deinde ex parte Chriſti concedenda eſt peculiaris quædam virtus iuſtitiæ, qua Chriſtus intendebat ſatisfacere Deo. Etenim obiectum quoddam bonum & laudabile erat, exhibere ſatiſfactionem Deo offenſo, ad recompenſandam & reſarciendam iniuriam ei illatam, eratquè vera virtus hoc intendere & procurare: & habebat formam iuſtitiæ veluti per modum reſtitutionis & redintegrationis: differenter tamen à iuſtitia quæ inter homines exercetur: ergo erat peculiaris quædam virtus iuſtitiæ. Quod totum explicandum magis & comprobandum eſt, examinando varios modos quibus alij Theologi de hac re philoſophati ſunt.

Erat quedam ſpecialis virtus in Chriſto inclinans ad ſatiſfaciendum Deo.

Primo Vaſquez diſp. 7. cap. 6. contendit, non fuiſſe in Chriſto peculiarem virtutem ex cuius ratione ſatisfecerit; ſed inquit ſatisfeciſſe ex omnibus virtutibus quas habebat. Sicut in nobis non eſt aliqua ſpecialis virtus, cuius actus ſit mereri apud Deum, præter varias virtutes circa proprias materias verſantes. Sed certè negari non debet in Chriſto talis peculiaris virtus, quam dicebamus, quæ formaliter intenderet ſatisfacere & recompenſare Deo pro eius offenſa, ſoluere illi debitum ex eius offenſa in nobis contractum. Sicut & ipſe Vaſqu. infra de pœnitentia q. 85. art. 2. agnoſcit & confirmat, dari in nobis ſpecialem quandam virtutem pœnitentiæ ad ſatisfaciendum & recompenſandum Deo pro noſtris peccatis: contra illos qui confundebant pœnitentiam cum generalitate & varietate aliarum virtutum. Veriſſimum tamen

men eſt, Chriſtum ſatisfeciſſe, non ſolum quando operabatur formaliter ex motiuo huius ſpecialis virtutis, ſed quandocunque operabatur ex motiuo cuiuſcunque virtutis: quia omnia & ſingula opera Chriſti erant infiniti valoris & dignitatis, & acceptabantur à Deo in condignam ſatisfactionem: ſed non per hoc excluditur illa ſpecialis virtus. Et ita ſane nos quoque meremur apud Deum per omnes virtutes, etiam quando non operamur formaliter ex hoc motiuo vt mereamur, ſed ex varijs & proprijs motiuis aliarum virtutum. At datur in nobis ſpecialis virtus qua intendimus mereri apud Deum: & hæc eſt virtus ſpei qua vtique intendimus & procuramus nobis beatitudinem à Deo, ſcilicet intendimus bonis operibus & meritis obtinere; & quando operamur ex hoc motiuo, tunc operamur ex motiuo ſpei tanquam ſpecialis virtutis.

An eſſet virtus iuſtitiæ.

Secundo. Lugus diſp. 3. ſect. 9. contendit, Chriſtum non ſatisfeciſſe ex virtute iuſtitiæ, & pro debito iuſtitiæ: pro qua re præmiſerat ſect. 3., in vniuerſū non remanere in homine debitum iuſtitiæ ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis commiſſis. Quia inquit, homo poſt quam peccauit, iam non poteſt amplius reddere Deo illud ipſum in indiuiduo quod ei per peccatum abſtulit, ideſt illum honorem, illam gloriam: ſed ad ſummum fieri poteſt vt reſtituat in æquiualenti, ideſt in alijs actibus honorificis Deo. At hoc totum poteſt Deus ipſe pro ſuo libito ſibi recuperare quoties voluerit, per innumeras vias mouendo hominem efficaciter ad actus egregios, ex quibus æqualis vel maior gloria ipſi Deo reſultet: ergo non remanet ipſe homo obligatus ex iuſtitia ad ſatisfaciendum Deo. Sicut ſi quis intulit damnum Petro, & Petrus habeat curam totius ſubſtantiæ & facultatum illius, poſſitque pro libito recuperare quod ſibi debetur, non remanebit ille obligatus ex iuſtitia ad recompenſandum damnum illatum Petro. Quod ſi adhuc diceretur homo per peccatum manere obligatus ex iuſtitia ad ſatisfaciendum Deo, poſſet ipſemet ſatisfacere huic debito iuſtitiæ, neque ad hoc indigeret ſatisfactione Chriſti: quia iuſtitia non obligat debitorem niſi ad reddendum quantum poteſt: ergo homo faciendo quantum ipſe poſſet, ſatisfaceret ſuo debito iuſtitię. Et alioqui repugnat dicere, quempiam manere obligatum ex iuſtitia ad ſoluendum ſiue ſatisfaciendum, & non poſſe ſoluere ſiue ſatisfacere.

In nobis eſt virtus quædam & pars iuſtitiæ.

At ſine dubio agnoſcenda eſt in homine poſt peccatum, peculiaris obligatio inde reſultans, ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa & iniuria ei illata. Quæ obligatio non eſt vaga, quaſi ſpectans ad eaſdem virtutes contra quas homo peccauit: neque ſolùm ſpectat ad virtutem charitatis aut ſpei, ſcilicet propter bonum Dei vel proprium hominis abſolute ſpectatum. Sed conſtitui debet peculiariter ad hoc vt reſarciat ac recompenſet offenſam & iniuriam Dei: & ſic ſpectat ad virtutem quæ habet rationem iuſtitiæ erga Deum: quæ quidem in ipſis peccatoribus dicitur pœnitentia. Diſcurſus autem allatus, ſi quid valeret, non tolleret ſolùm debitum iuſtitiæ in nobis, ſed abſolutè omnem obligationem. At verè nec obligationem abſolutè nec debitum iuſtitiæ tollit. Etenim homo poſt peccatum tenetur ſaltem in æquiualenti reddere Deo quod abſtulit, & reſarcire quantum poteſt honorem ipſius Dei. Quamuis enim poſſit Deus ipſe innumeris vijs & modis ſibi totum recuperare, non per hoc ceſſat obligatio & debitum ex parte hominis ad conſentiendum & cooperandum, & præſtandum quod ſibi incumbit. Vel enim poterat Deus recuperare totam ſuam gloriam abſque libero conſenſu & concurſu hominis: & hoc eſſet tollere nobis exercitium libertatis, & tollere Deo illam gloriam & laudem, quæ illi ex actibus virtuoſis rationalis creaturæ reſultat. Vel poterat cum libero conſenſu & concurſu ipſius hominis, quem tamen ipſe Deus ſuis auxilijs & motionibus ab humana voluntate educere poteſt: & ad hunc conſenſum atque concurſum præſtandum, remanet vtique obligatus ac debitor ipſe homo.

Sicut inter ipſos homines.

Et ita in exemplo illo allato, is qui damnum intulerat Petro, remanet vti-

que

Digitized by Google

que obligatus ad non reſiſtendum, ſed ad conſentiendum, & quatenus opus ſit ad cooperandum, vt Petrus ſibi recuperet quod ſuum erat. Imò in humanis ſemper obligatio premit ipſum debitorem, nec eſt licitum creditori auctoritate ſua accipere quod ſibi debetur, niſi in caſu quo alius renuit ſoluere debitum, & non adeſt alia via ad recuperandum. Et rurſus ſi damnum Petri conſiſtebat in contumelia ſibi illata, quod aliter reſarciri nõ poſſit, quam per obſequium aliquod ſibi libere exhibendum ab eo qui illum offendit: quãtumuis Petrus haberet in ſua plenaria poteſtate facere vt aliud quodcunque ſibi liberum obſequium præſtet, adhuc remanet hic omnino obligatus ac debitor ad tale obſequium liberè exhibendum. Atque in omni alio præcepto, debito, & obligatione noſtri ad Deum, prorſus Deus ipſe habet in ſua plenaria & abſolutiſſima poteſtate facere vt homo adimpleat præceptum, debitum & obligationem: ſed tamen vere ipſe homo eſt ſic obligatus & debitor. Et quãdocunque homo violat præceptum & obligationem, vtique Deus habebat in ſua manu facere ne homo violaret preceptum & obligationem: & tamen adhuc verè homo eſt reus ſuæ tranſgreſſionis & culpæ, ac iuſtè plectetur à Deo. Et in caſu ipſo, quo fatetur Lugus poſſe hominem obligari ex iuſtitia erga Deum, videlicet quando Deus præciperet homini, non ſolùm auctoritate iuriſdictionis quam habet tanquã Princeps in ſubditos, ſed etiam auctoritate proprietatis quam habet tanquam Dominus in ſeruos: vtique adhuc in pleniſſima poteſtate Dei eſſet facere vt homo ſua iuſſa exequeretur, & tamen verè maneret ipſe homo obligatus ex iuſtitia. Neque ad hoc debet induci, quòd Deus præcipiat vt homo cum ſolo certo quopiam auxilio operetur: non enim ſub formam præcepti cadit, operari ex hoc vel illo auxilio, ſed abſolutè operari: ad quod tamen Deus ipſe poteſt vel efficacia vel ſufficientia ſolùm auxilia exhibere. Et ſiue ſignetur, ſiue non ſignetur certum auxiliũ, ſemper valet dicere hominem ſubdi illi obligationi, tàm ſub ratione iuſtitiæ, quàm aliarum virtutum, iuxta conditionem rerum & præceptorum. Et multo minus ad hanc rem trahi debet alia controuerſia de modo diuinorum auxiliorum, eorumque ſufficientia vel efficacia.

Sic erat virtus iuſtitia in Christo.

Suppoſito autem debito iuſtitiæ ex parte hominis, dici debet Chriſtus in hoc etiam ſenſu ſatiſfeciſſe de rigore iuſtitiæ, ideſt pro noſtro debito iuſtitiæ. Qualiter autem ad hoc indigebat homo ſatiſfactione Chriſti, nec poterat ipſe ad æqualitatem & de iuſtitia ſatiſfacere, ſpectat ad aliam ſequentem diſquiſitionem de neceſſitate ſatiſfactionis Chriſti & impotentia hominis. Sed quantum ad præſens punctum ſpectat, explicatur facile: quia non ſolum debet attendi obligatio iuſtitiæ natiua ad faciendum, ſed etiam ſubiectio poſitiua ad patiendum, qua remanet quis obnoxius ad ſubeundam talem ac tantam pœnam, vt paſſim inter homines ipſos contingit. Sic itaque, quia per nulla opera ſua potuiſſet purus homo reddere ad æqualitatem Deo quantum ei debebatur, ſiue quantum ei fuerat ablatum, iuxta ea quæ poſtea dicemus, hinc inquam manebat iuſte obnoxius & ſubiectus ad æternam pœnam. Ideo ergo fuit neceſſarium, vt Chriſtus Deus & homo ſuppleret & ſatiſfaceret, reddens Deo ad æqualitatem & exceſſum, quicquid ei debebatur; ſiue quod ei erat ablatum: & ſic verè Chriſtus de toto rigore iuſtitiæ ſati fecit.

Non erat propriè cõmutatiua

Tertiò. Stante quod Chriſtus ſatiſfecerit ex virtute iuſtitiæ, Raguſa diſp. 20. vult, propriè ſatiſfeciſſe ex iuſtitia commutatiua, qualis inter homines nominatur & exercetur: quia Chriſtus ſeruaſſe videtur omnes conditiones quæ in humana commutatiua iuſtitia requiruntur & inueniuntur. Verùm non oportet nec conuenit, hanc Chriſti iuſtitiam erga Deum, facere eiuſdem rationis cum iuſtitia commutatiua vnius hominis ad alium. Etenim in vniuerſum iuſtitia erga Deum conſtituitur diuerſæ rationis à iuſtitia ſiſtente inter ipſos homines. Et præſertim inter Deũ & homines non intercedit eadem ratio dati & accepti, ablati & reſtituti, nec eadem ratio commercij & iuris, tranſla-

tionis

tionis & commutationis, ex homine ad Deum, ex Deo ad hominem, quæ intercedit inter ipſos homines: ſed longe altiori & nobiliori modo, ſicut dictum eſt ex parte iuſtitiæ ipſius Dei: ſic ergo etiam ex parte Chriſti, non eſt propriè & eiuſdem rationis commutatiua iuſtitia ad Deum, qualis eſt inter ipſos homines.

Nec propriè virtus religionis aut pœnitentia ſicut in nobis.

Quarto. Suarez diſp. 4. ſect. 5. exiſtimat virtutem iuſtitiæ ex qua Chriſtus ſatisfecit, contineri ſub virtute religionis, quæ quidem in nobis aſſignatur pro iuſtitia erga Deum: nec debere ſpecie diſtingui ab omni virtute quæ in puris hominibus reperitur: ſed eſſe eiuſdem rationis cum virtute noſtra pœnitentiæ; quamuis in Chriſto non vocetur hoc nomine, quia non ſatisfaciebat pro peccato proprio, ſed tantum pro alieno. Verum religio à S. Thoma 2. 2. q. 80. aliiſque Theologis dicitur pars poteſtatiua iuſtitiæ, id eſt ſimilis quidem iuſtitiæ, tamen deficiens à proprietate & rigore illius ſimiliter pœnitentia 3. par. q. 85. art. 3. At Suarez volebat iuſtitiam Chriſti eſſe propriè & rigoroſe iuſtitiã: non ergo debebat illam ſub religione collocare, nec cum noſtra virtute pœnitentiæ in vna ſpecie coniungere. Attingitur etiam aliud dubium, an eadem virtus ſit ſatisfacere pro peccato proprio ac pro alieno. Et rurſus aliud, an virtus pœnitentiæ contineatur ſub religione vel ab illa condiſtinguatur, de qua re ſuo loco dicemus.

Sed erat peculiaris quadam virtus iuſtitia.

Quinto ergo concludendum nunc potius eſt, virtutem iuſtitiæ ex qua Chriſtus ſatisfecit, fuiſſe peculiarem quandam iuſtitiam in ipſo Chriſto, differentem ab ea quæ in hominibus tàm erga Deum quàm inter ſe inuenitur. Eo præſertim quòd noſtra iuſtitia erga Deum deficit à rigore iuſtitiæ, quia non poteſt reddere æquiualens: & hæc impotentia non eſt per accidens & ab extrinſeco, ſicut aliquando inter ipſos quoque homines interdum contingit: ſed eſt per ſe & ab intrinſeco, ex infinita diſtantia hominis ad Deum. At Chriſtus per ſe & ab intrinſeco poterat reddere æquiualens Deo, & ad plenum, atque ad exceſſum ſatisfacere pro noſtris debitis. Et quidem huiuſmodi ratio diſcriminis diſtinguit in nobis partes poteſtatiuas quæ dicuntur iuſtitiæ, ab ipſa iuſtitia propriè & rigoroſe ſumpta, vt ex ſuo tractatu de iuſtitia conſtat.

Sed iam ex aduerſo contra iuſtitiam conſtitutam inter Deum & Chriſtum, objici primò poſſunt & ſolent illa ipſa quæ difficultatem faciunt inter Deum & alios homines. Sed ad hæc ſufficienter patet ex doctrina tradita ſuo loco circa meritum noſtrum de iuſtitia Dei in retribuenda mercede, & ex explicatione ipſa talis iuſtitiæ, qualem diximus interuenire inter Deum & homines, ac nunc inter Deum & Chriſtum.

Inter Deũ & Chriſtũ ſeruabatur iuſtitia pro alienis debitis.

Objicitur præterea ſecundo ſpecialiter ad probandum, plus deficere iuſtitiam inter Deum & Chriſtum, quàm alios homines. Minùs ſeruatur iuſtitia, quando vnus ſatisfacit vel meretur pro alio, quàm quando idem debitor ſe ipſo: ſed Chriſtus ſatisfaciebat & merebatur pro nobis, ſinguli autem pro ſe ipſis: ergo. Et probatur maior propoſitio: quia iuſtitia debet ponere æqualitatem & ſoluere obligationem: ſed multo minùs ponitur æqualitas & ſoluitur debitum, quando non ille met qui alterum offendit, ſed alius pro ipſo ſatisfacit: ergo tunc minùs ſeruatur iuſtitia.

Reſpondetur. Non minùs ſeruari iuſtitiam ſi vnus ſatisfaciat vel mereatur pro alio, quando is cui exhibetur ſatisfactio & obſequium contentus eſt acceptare pro alio. Et tunc non minùs ponitur æqualitas & ſoluitur debitum, dum vnus adimplet quod in alio deeſt, & quod ab alio debetur. Imo quando alius qui eſt reus & debitor, non habet in ſe & in ſuis bonis quo ad æqualitatẽ ſoluat debitori, tunc ille qui habet, poterit exactè ſeruare & adimplere iuſtitiam, quam principalis debitor non poteſt. Et ſic inter homines, quando fideiuſſor ſupplet pro debitore, exercetur rigoroſa iuſtitia inter ipſum & creditorem.

Ad iuſtitiam inter Deum & Chriſtum ſufficit diſtinctio naturæ.

Objicies tertiò. Eiuſdem ad ſe ipſum non eſt propriè iuſtitia ex Ariſt. 2. Ethicor. cap. 1., ſed iuſtitia dicitur eſſe virtus ad alterum: at Chriſtus ipſe eſt Deus: ergo non eſt propriè iuſtitia inter Deum & Chriſtum, ſed ex hac parte

Digitized by Google

magis poteſt eſſe inter Deum & purum hominem.

Ad hoc reſpondent aliqui, ſatis eſſe quod Chriſtus tanquam Filius Dei diſtinguatur ratione perſonæ à Deo Patre, & ſic etiam à Spiritu ſancto. Verè tamen hoc non ſufficit: Tum quia non ſolum ſeruanda erat iuſtitia ex parte Dei Patris & Spiritus ſancti, & erga Deum Patrem & Spiritum ſanctũ; ſed etiam ex parte Filij & erga Filium; ſiue ex parte Dei & erga Deum abſolutè ſpectatum & vt ſubſiſtentem in omnibus tribus perſonis: nam ſic Deus erat offenſus, eademquè eſt Maieſtas & voluntas Patris ac Filij. Tum quia etiam ſi Pater ipſe ac omnes tres perſonæ aſſumpſiſſent humanitatem Chriſti, adhuc non minùs ex iuſtitia ſatisfactum fuiſſet ipſi Deo: non ergo ad hanc rem facit illa diſtinctio perſonarum.

Reſpondent alij ſatis eſſe, quod homo pro quo offerebatur ſatisfactio & ſoluebatur debitum, eſſet diſtinctus à Deo. Sed certe neque hoc ſufficit: quia planè diſtinctio eſſe debet inter eum qui ſua operatione ſatisfacit & illum cui exhibetur ſatisfactio & ſolutio.

Reſpondendum ergo eſt, vt magis communiter alij ſolent, ſatis eſſe diſtinctionem naturæ inter Chriſtum & Deum, quamuis in vnitate perſonæ: etenim ipſe Chriſtus ſecundùm naturam humanam operabatur & exhibebat ſatisfactionem Deo, & non ſolùm Deo Patri & Spiritui ſancto, ſed etiam ipſi Filio; & ſic toti Trinitati. Et hoc ſufficere demonſtratur apertè: quia iuſtitia, & ſatisfactio, ac remiſſio, exercetur per voluntatem: ſed cum diſtinctione naturarum ſunt quoque diſtinctæ voluntates in Chriſto, eſt enim in illo voluntas diuina & humana: ergo ſic optimè poteſt intelligi, per voluntatem humanam perfici & exhiberi ſatisfactionem, per voluntatem diuinam remitti offenſam; atque adeo per voluntatem humanam exerceri iuſtitiam in ſatisfaciẽdo, & per voluntatem diuinam in remittendo offenſam: & ita optimè in hac re poteſt ſtare iuſtitia.

Opera Chriſti erant apta ad ſatiſfaciendum diuinæ iuſtitiæ

Obijcies quartò. De ratione & perfectione iuſtitiæ eſt, vt debitor ſatisfaciat ſiue ſoluat ex bonis ſuis proprijs, & non ex bonis eiuſdem creditoris: & ex bonis quæ ex ſe habet; & non gratuito acceptis ab eodem creditore: & ex bonis aliàs indebitis, & non alio titulo debitis eidem creditori. Sed opera Chriſti erant peculiari modo ipſius Dei tanquam ſuppoſiti operantis, & præſertim dignitatem valoris habebant ex infinitate diuini ſuppoſiti: erant gratuito accepta ab ipſo Deo, mediante vnione hypoſtatica & auxilijs gratiæ ex illa conſequentibus: erantque titulo eiuſdem vnionis maximè debita & obſtricta Deo: ergo non poterat in illis & ex illis exercere iuſtitia inter Deum & Chriſtum.

Reſpondetur. Opera Chriſti fuiſſe adhuc propria ipſius Chriſti tanquam hominis, fuiſſe propria humanitatis eius: quamuis ſimul eſſent opera diuini ſuppoſiti, & ex illo acciperent dignitatem valoris: ſed hoc non derogabat proprietati & perfectioni iuſtitiæ, qualem deſcripſimus inter Deum & Chriſtum; quia ad hoc ſatis eſt, quód erant vere opera Chriſti vt hominis, omni eo modo quo poſſunt eſſe opera propria naturæ rationalis creatæ à Deo. Et quamuis verè eſſent gratuitò accepta ab ipſo Deo: tamen iam facta erant ipſius Chriſtus erantquè ſub libertate & dominio ipſius. Neque verò eſt contra rigorem iuſtitiæ, ſi debitor ſatisfaciat creditori ex bonis gratuito acceptis ab eodem creditore; poſtquam ſunt facta propria ipſius debitoris: ſed interuenit quidem pura gratia in eo quod creditor donet talia bona debitori; at in acceptanda ſolutione & ſatisfactione ſibi ex talibus bonis poſtea exhibita, optimè poteſt interuenire iuſtitia. Et ſic inter homines, ſi Petrus donet Paulo centum, optimè poterit Paulus iiſdem nummis ſoluere aliquod debitum quod habebat cum Petro: & in illa donatione interuenit gratia, in hac ſolutione iuſtitia. Benè quidem iuſtitia poſcit, vt non ſatisfiat vni debito iiſdem bonis aliàs debitis alio titulo iuſtitiæ: vtpotè non poteſt Paulus debens Petrò centũ ratione mutui, ſatisfacere huic debito ſoluendo centum quæ aliàs etiam Petro debet in mercedem laboris ab illo præſtiti in ſua vinea. Attamen poteſt alicui

Satisfactio dum diuina iuſtitia

alicui debito iuſtitiæ ſatisfieri iiſdem bonis debitis alio titulo præter iuſtitiã, vtpote titulo gratitudinis, aut alio ſimili: ſicque ſatisfaceret vtique Paulus ſoluens Petro centum quæ illi debet ratione mutui, quamuis ſimul concurret obligatio charitatis ob indigentiam Petri, vel gratitudinis ob alia beneficia accepta. Hinc in toto rigore iuſtitiæ poterat Chriſtus ex hac parte ſatisfacere Deo ſuis operibus, quæ quidem non alio titulo huiuſmodi iuſtitiæ, ſed titulo gratitudinis erant debita Deo.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Vtrum dicto modo ſatisfacere Deo fuerit ita proprium Chriſto, vt nullus peccator pro ſe ipſo perfectè ſatisfacere poſſit.

Auctorum placita.

POſſe purum hominem pro ſuis peccatis perfectè & de condigno ſatisfacere Deo, affirmaſſe videntur Alenſis 3. par. q. 5. memb. 5. art. 2., Scotus in 3. d. 19. & in 4. d. 15. q. 1. art. 2., Ricard. in 4. d. 17. art. 1. q. 7., Paludan. in 3. d. 20. q. 1. art. 2., Ruard. art. 6. cont. Luther. §. *Sed hæc ſatisfactio*. Aliqui vero explicant, poſſe hominem ſic ſatisfacere ſolùm ex gratia & charitate. Aliqui ſolo valore contritionis elicitæ ex auxilio gratię antecedenter ad gratiam habitualem. Et rurſus aliqui volunt, per actum contritionis ſatisfieri formaliter, quia ipſemet actus per ſe iuſtificet hominem a peccato, & ſoluat à debito culpę. Aliqui verò tantùm diſpoſitiuè, quia contritio fit diſpoſitio condigna ad obtinendam remiſſionem peccati. Et adhæret huic dicendi modo Caietanus ſupra q. 1. art. 2., dum ait, hominem conſideratum cum diuina miſericordia gratificante opus eius vt acceptum ſit, poſſe perfectè ſatisfacere: conaturquè explicare S. Thomam cùm dixit hominem purum non poſſe ſatisfacere, per ly purum excludere voluiſſe non tantùm ſuppoſitum diuinum, ſed etiam diuinam miſericordiam gratificantem. Ex aduerſo aliqui ſunt qui contendunt, purum hominem non poſſe vllam vel minimam quidem ſatisfactionem pro ſuo peccato exhibere. Ita volunt Medina ſupra quæſt. 2. art. 2. circa vlt. argum. & Zumel 1. 2. q. 113. art. 2.

Communis & vera ſententia eſt, non poſſe peccatorem perfectè & de condigno pro ſuis peccatis ſatisfacere Deo. Ita docent ex profeſſo Anſelm. in lib. *Cur Deus homo*, D. Thomas ſupra q. 1. art. 1. ad 2., Bonau. Durand. Capreol. Maior Gabriel & alij in 3. diſt. 20. & in 4. d. 14. & 15., Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 54., Sotus lib. 3. de Nat. & grat. cap. 6., Vega lib. 15. ſuper Concil. cap. 4., Valent. ſupra q. 1. puncto 5., Suarez diſp. 4. ſect. 8., Vaſquez diſp. 2., Becanus cap. 1. qu. 5. Bonacina diſp. 2. q. 13. puncto 3., Abra diſp. 1. cap. 2. q. 4., Peſaut. q. 1. art. 2. diſp. 4., Puteanus art. 2. dub. 7. & 8., Tanner. diſp. 1. q. 2. dub. 8., Raguſa diſp. 5., Lugus diſp. 5. ſect. 1., Coninc. tomo 2. tertiæ par. diſp. 2. dub. 3. & diſp. 10. dub. 2., aliique communiter.

Non poteſt homo pro ſuo peccato formaliter ſatisfacere.

Dico primò. Non poteſt homo ità perfectè ſatisfacere pro ſuis peccatis, vt ipſomet actu ſuæ ſatisfactionis formaliter iuſtificetur & à peccatis mundetur. Hanc concluſionem exiſtimo certam: quam ſatis iam 1. 2. q. 113., tractantes de forma iuſtificante, præſertim ex Concil. Trident. demonſtrauimus.

Sed Vaſquez, cùm eo loco voluiſſet, contritionem formaliter aptam eſſe per ſe iuſtificare peccatorem, idque denuò hoc loco ſupponat: adhuc confidit communem retinere ſententiam, quod non poſſit peccator pro ſe perfectè ſatisfacere. Et hac ratione id explicare conatur, quam poſt alias reiectas diſp. cit. cap. 5. affert. Non poteſt homo facere vt ſibi remittatur totum debitũ ex peccato contractum: quia inter alia contraxit debitum carendi omni auxilio diuinæ gratiæ: ſed nõ poteſt actum contritionis elicere niſi ex antecedenti auxilio gratiæ: ergo ſuo contritionis actu iam non ſatisfacit pro illo debito carendi omni auxilio: ſed Deus ipſe omnino gratis remiſit illud debitum conferendo ſuum auxilium: igitur non poteſt homo perfectè ſatisfacere pro ſuis peccatis, ideſt po toto debito ex

illis

Digitized by Google

illis contracto. Eundem dicendi modum amplexus eſt Matthæus Kelliſonus ſupra quæſt. 1. art. 2. dub. 3.

Verum in primis notum eſt, controuerſiam hanc de facultate hominis ad ſatisfaciendum pro ſuo peccato, ſpecialiter procedere & agitari quantum ad culpam & maculam, ideſt an poſſit homo perfectè pro culpa ſatisfacere ad delendam peccati maculam. Et illi qui dicebant poſſe hominem perfectè & de condigno pro ſuo peccato ſatisfacere, intelligebant præcisè pro culpa: neque volebant, hominem perficere id poſſe abſque præuenienti auxilio gratiæ, illi gratis à Deo collato, niſi quis vellet adhærere Pelagio: igitur Vaſquez in re non ab eorum ſenſu recedit, ſed eodem cum illis ſenſu dicere poterat ac debebat, hominem per actū contritionis elicitum ex auxilio gratiæ gratis accepto poſſe perfectè & de condigno ſatisfacere pro culpa, delendo in ſe peccati maculam.

Secundò. Si per ſatisfactionem perfectam intelligit eam, qua pro omni debito peccati ſatisfit; ſequitur, nec eſſe perfectam remiſſionem peccati, niſi quando totum debitum remittitur: ergo de facto quādo homo iuſtificatur, non conſequeretur perfectam remiſſionem peccati, quia non tunc ei remittitur omne debitum carendi diuinis auxilijs, ſiquidem ſupponitur illi antecedenter conceſſum tale auxilium quo actum contritionis exercuit.

Tertiò. Sequeretur etiam, quòd perfectè mereri vitam æternam, eſſet mereri omne auxilium per quod homo perducitur ad vitam æternam: ſed nullus homo meretur omne auxilium, etiam primum, aut de condigno aliud poſt primum. ergo nullus perfectè meretur vitam æternam. Aut ſi hanc perfectè mereri, eſt per auxilium gratiæ præuium mereri ſubinde gloriam; etiam perfectè ſatisfacere erit, ex auxilio gratiæ conſequi remiſſionem culpæ, ſi ipſe actus contritionis per ſe valet delere culpam. Et certè ità explicandum eſt, non poſſe peccatorem de condigno ſatisfacere pro ſua culpa, ſicut ex alia parte fatendum eſt poſſe iuſtum de condigno mereri gloriam; at iuſtus meretur de condigno gloriam, non ſic merendo auxilia gratiæ: ergo non eo ſolùm dici debet peccator non ſatisfacere de condigno, quia non ſic obtinet auxilium gratiæ; ſed quia vlterius poſt acceptum auxilium gratiæ, actus ipſe contritionis quem ex illo elicit, non per ſe valet delere culpam.

Quartò. Præcipuè ſequeretur, neque Chriſtum ipſum de facto perfectè ſatisfeciſſe pro noſtris peccatis. Etenim incarnatio & redemptio Chriſti verè eſt maximum & primum remedium pro remiſſione noſtrorum peccatorum: at incipiendo à primo peccato Adami, vtique genus humanum contraxit debitum carendi omni auxilio & hoc ipſo remedio, poteratq; iuſtiſſimè Deus in pœnam illius peccati hoc & omne remedium denegare. Sed certè Chriſtus de facto non ſatisfecit pro noſtro debito carendi hoc remedio: ſiquidem Chriſtus non promeruit ipſam incarnationem Verbi, non promeruit vt ipſemet mitteretur ad redemptionem generis humani: ſed hoc totum fuit antecedenter ordinatum à Deo ex mera ſua miſericordia ante omne meritum Chriſti, & hoc erat principium & origo omnium meritorum Chriſti: ſic ergo ſequeretur, nec ipſum Chriſtum de facto perfectè ſatisfeciſſe pro hominum peccatis, quia non ſatisfecit pro toto debito contracto per peccatum, pro debito carendi omni remedio.

Dico ſecundò. Non poteſt homo ita perfectè ſatisfacere pro ſuis peccatis, vt de condigno obtineat & conſequatur à Deo remiſſionem eorum. Hæc aſſertio coincidit cum illa quam 1. 2. q. 114. ſect. 6. ſtatuimus, quòd non poſſit homo de condigno mereri primam gratiā iuſtificantem, & remiſſionem peccati quoad culpam. Quod ibi pariter ex Trident. probauimus. Et nunc ex eodem Concilio addimus hæc, quæ magis ſpecificè ſpectant ad præſentem cauſam de ſatisfactione Chriſti. Seſſ. 6. cap. 7. inquit: *Merita paſſionis Chriſti in iuſtificatione impij communicari, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur.* Certè autem ideo merita Chriſti communica- *Non poteſt de condigno.*

Digitized by Google

ri dicuntur in hac infuſione charitatis ſeu gratiæ iuſtificantis, quia tota diſpoſitio hominis, etiam inquam contritio non erat condigna ad obtinendam & merendam gratiam iuſtificantem, & ita hæc infunditur ex ſola condignitate meritorum Chriſti. Et cap. 9. in principio, *Neceſſarium eſt credere, neque remitti neque remiſſa vnquam fuiſſe peccata niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtum*. Quod totum plane dicitur, quia peccator quacunque ſua diſpoſitione & contritione non meretur de condigno remiſſionem ſuorum peccatorum, & ideo dicuntur peccata remitti gratis ex diuina miſericordia: ſed quia Chriſtus quidem ſatisfecit de condigno, dicuntur remitti propter Chriſtum.

Ratio verò peculiaris & à priori huius rei eſt; quia impius, cùm ſit inimicus & inuiſus Deo, eſt eo ipſo indignus apud Deum, & ita nullum habere poteſt meritum condignum, quod omnino operantis dignitatem requirit: ſed ſatisfacere de condigno pro peccato, eſt de condigno mereri remiſſionem peccati: ergo prorſus non poteſt peccator vllo ſuo actu ſatisfacere de condigno apud Deum. Sed rurſus idem à fortiori conſtabit ex dicendis ſect. ſequenti, vbi oſtendemus, nec etiam vllum iuſtum præter Chriſtum eſſe habilem ad ſatisfaciendum Deo de condigno ſiuè ad æqualitatem. Addunt quoque aliqui quaſdam alias rationes: quæ tamen vel ſolùm tendunt ad excludendam ſatisfactionem ex iuſtitia eo rigore dicta quo inter homines exercetur, vel excluderent etiam meritum condignum hominis iuſti ad vitam æternam: quare vel minus vel nimis probant; & abſolutè non ſunt ad rem.

Non poteſt ratione vllius gratiæ vel acceptationis diuinæ.

Dico tertiò. Non poteſt vllus homo perfectè ſatisfacere pro ſuo peccato, nec etiam ratione cuiuſcunque gratiæ vel acceptationis diuinæ, ſecluſo merito Chriſti. Probatur primò: quia vel intelligeretur quòd homo, ratione gratiæ habitualis priùs acceptæ poſſet ſatisfacere pro peccato: & hoc non habet locum, quia iam per ipſam gratiam acceptam homo iam iuſtificatus eſſet à peccato, & ſupponitur illi remiſſum peccatum: igitur iam non ſatisfaceret pro delendo peccato, ſiue ad obtinendam remiſſionem peccati: loquimur autem quantum ad culpam. Nec ampliùs ſumus in caſu, num peccator ipſe poſſit perfectè & de condigno ſatisfacere vt iuſtificetur: ſiquidem ante ſatisfactionem ſupponitur iuſtificatus, atque adeò merè gratis ex diuina miſericordia, & non ex ſuo merito condigno.

Secundò. Vel intelligeretur, quod homo poſſit perfectè ſatisfacere ratione gratiæ habitualis, quam ſimul & eodem inſtanti cum ſuo contritionis actu recipiat à Deo: præſertim ſi priùs natura ſit, Deum infundere homini gratiam habitualem per modũ principij, quàm hominem exercere contritionis actum, vt plerique putant. At nos 1. 2. q. 112. iam oſtendimus, nullatenus priùs in exequutione infundi à Deo habitum gratiæ, ſed tantùm poſteriùs & conſequenter ad actum contritionis: ipſe autem habitus gratiæ eſt forma delens peccatum & iuſtificans animam. Sed certe non poteſt dici contritio ratione ipſius gratiæ ſuperadditæ accipere valorem condignum ad ipſammet gratiã, licèt dici poſſit accipere cõdignitatem ad gloriam, vt dicebamus 1. 2. q. 114. quoniam gratia quæ homini contrito infunditur, intelligi quidem poteſt dare condignitatem tali actui ad gloriam, quæ eſt res omnino diſtincta, non tamen ad ſe ipſam. Conſequenter nec talis contritionis actus ex ipſa gratia ſuperaddita accipit valorem condignũ per modum meriti ad remiſſionem peccati: quia cùm remiſſio peccati ſit effectus formalis eiuſdem gratiæ, ita prorſus in hoc ſe habet ſicut ipſa forma gratiæ. Quòd ſi priùs natura ex parte Dei infunderetur gratia habitualis, quàm eliciatur ab homine actus contritionis, iuxta ſententiam illam oppoſitam: tunc etiam priùs natura intelligeretur peccati remiſſio prout eſt à Deo, nec iam ipſi contritionis actui adſcribi poteſt meritum condignum ad remiſſionem peccati: nec iam ex ſatiſfactione hominis, ſed ex pura miſericordia Dei præiret illa infuſio gratiæ quæ iuſtificaret hominem à peccato: igitur non ipſe homo perfectè ſatisfacit

Deo,

Deo, vt meretur [illegible] ſua ſatisfactione obtineat ac de condigno gratiam iuſtificationis & remiſſionis.

Tertiò. Vel intelligeretur, quòd homo ratione diuinæ acceptationis extrinſecæ poſſit perfectè ſatisfacere pro peccato. Et hoc dici non poteſt: quia vt oſtendimus eadem quæſt. 114., acceptatio Dei extrinſeca non confert condignitatem; ſed hæc potiùs ſumenda eſt ex valore operis & dignitate perſonæ: ſi ergo ex parte hominis & contritionis eius non datur condignitas & æqualitas ad remiſſionem peccati: licet poſſet Deus ſatisfactione nō condigna eſſe conſentus, vt notauit S.Tho. ſupra q.1. art.2. ad 2., tamen vere nunquam ſatisfactio puri hominis eſſet cōdigna, vt docet idem S. Thomas.

Dici poteſt ſatisfacere quatenus membrum Chriſti.

Quartò. Affirmant aliqui, de facto hominem perfectè ſatisfacere pro ſuo peccato, quatenus eſt membrum Chriſti. Et ita ſignificat Caiet. ibi q. 1. art. 2. ad finem, quoniam licet peccator in tali ſtatu ſit membrum Chriſti mortuū, tamen eſt ſimpliciter membrum eius, illi vnitum per fidem & ſpem & alia auxilia gratię, quibus ad actum contritionis inducitur. Sed vel hoc intelligitur, quòd ſatisfactio puri hominis quæ alioqui de ſe non eſt condigna, conſtituatur condigna eo quòd exhibetur ab homine per gratiam auxiliantem, quam habuit per Chriſtum. Et hoc dici non poteſt: quia vt vidimus ſupra ſect. 9., opera noſtra non ſumunt hoc modo maiorem valorem & dignitatem ex meritis Chriſti. Vel intelligitur, quòd ex merito ſatisfactionis Chriſti remittitur peccatum homini contrito, ad quā remiſſionem ipſa contritio non eſt condigna. Et hoc modo adhuc ipſi Chriſto proprium eſt, perfectè & de condigno ſatisfacere pro peccato. Vel intelligitur, quòd eadem ſatisfactio Chriſti tribui poſſit homini, ea ratione qua actio capitis poteſt prædicari de membro, iuxta regulam Tyronij apud Auguſt. lib. 3. de Doctr. Chriſtiana cap. 30. & 31. Et hoc etiam modo negat Suarez diſp. 4. ſect. 10., dicendum eſſe hominem ſatisfacere vt membrum Chriſti. Sed concedit Vaſq. diſp. 10. cap. 7. Et cum ſufficienti explicatione facilè concedi poteſt, eo magis quod hoc modo loquitur S. Thomas infra q.48. art. 1. & art. 2. ad 1. & q.49. art.1. in corp. *Vbi hoc exemplo rem declarat: ſicut homo per opus meritoriū quod manibus faceret, redimeret ſe à peccato quod pedibus commiſiſſet, ita ſinguli homines per merita Chriſti ſui capitis dici poſſunt ſatiſfacere pro peccatis, quæ ipſi voluntate propria commiſerunt.* Nec mirum, cùm Chriſtus pro nobis ſatisfecerit; & ſatisfactionem ac merita Chriſti Deus nobis ſit elargitus. Adhuc tamen verū eſt, ſatisfactionem perfectam eſſe propriam Chriſti tanquam capitis, & tanquam eius qui vere ſatisfactionem perfecit: ſed per Chriſtum communicatur nobis.

Poteſt imperfectè & de cōgruo ſatisfacere.

Dico quartò. Poteſt homo per Dei gratiam ſatisfacere aliquo modo, ſaltem imperfectè, pro ſuo peccato. Hæc aſſertio eſt ſatis communis: habeturque ex S. Thom. ſupra q. 1. art. 2. ad 2. Et quoad rem eſt certa. Nam homo ex auxilio Dei per Chriſtum ſe ſe diſponit per actus pœnitentiæ, vt à Deo obtineat remiſſionem peccati. An verò dici debeat ſatisfacere de congruo, eodem modo definiendum eſt, quo 1. 2. q.114. diximus mereri de congruo gratiam iuſtificantem: ſicut enim ſatisfactio perfecta vocatur de condigno, ita imperfecta vocabitur de congruo. Quæ congruitas talis eſt, vt neque dicenda ſit attingere æqualitatem iuſtitiæ, neq; intuitu illius dicatur Deus ex iuſtitia peccatum remittere: ſed ſolùm gratis & ex miſericordia, vt loquebatur Concilium.

Alio modo intelligi poteſt, hominem ſatisfacere imperfectè pro ſuo peccato, nempe pro reatu tantùm pœnæ temporalis poſt iuſtificationem relicto: vel etiam pro culpa quæ non excludit gratiam iuſtificantem, nempe pro venialibus peccatis quibus etiam iuſtus illigatur: hactenus enim loquuti tantùm ſumus de peccato quod conſtituit hominem inimicum Deo, & excludit gratiam ſanctificantem, nempe mortali & originali. De hac autem ſatisfactione pro reatu pœnæ temporalis, & pro peccatis venialibus, quæ exhiberi poteſt ab homine iuſto, loco magis proprio in

materia de pœnitentia tractandum ex profeſſo erit. Ad præſentem enim tractationem ſatis eſt diſcutere qualiter homo non poſſit ſatisfacere pro peccato auferente iuſtificantem gratiam, & conſtituentem ſtatum inimicitiæ cum Deo.

Non ineſt tanta dignitas actui ſatisfactionis, quanta gravitas peccato.

Sed in contrarium obijcies primò ad probandum, poſſe hominem pro peccato ſuo ſatisfacere de condigno. Tanta bonitas ineſt actui contritionis vel dilectionis Dei ſuper omnia, quo peccator ſe conuertit ad Deum, quanta ineſt peccato prauitas: ergo per huiuſmodi actum homo qui peccauit ſatisfaciet de condigno, compenſando ad æqualitatem malitiam prioris peccati. Item tàm gratus & acceptus eſt Deo actus contritionis, quantum odibilis & inuiſus erat actus peccati; tantundem cõtritio reducit & conuertit ad Deum, quantum peccatum abducit & auertit. Addiquè poſſunt alia argumenta, quæ dicto loco 1. 2. adducebantur ad probandum quod contritio valeret formaliter iuſtificare hominem à peccato.

Reſpondetur. Hoc argumentum, ſi valeret, extenderetur etiam ad probãdum, peccatorem iuſtificari debere formaliter per quemcunque actum virtutis, oppoſitum illi vitio in quo deliquerat, factumque cum ſimilibus circunſtantijs: tanta enim bonitas ineſt huiuſmodi actui virtuoſo, quanta malitia actui vitioſo oppoſito. Hoc autem certe nullus concedet: ab omnibus ergo ſoluendum eſt argumentum. Et quidem facilè ſoluetur dicendo, longè maiorem eſſe peccati grauitatem in ratione offenſæ contra Deum, quàm ſit valor actus boni oppoſiti, vel actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia. Etenim homo poſtquam peccauit, remanet inimicus Deo, & apud Deum indignus: quare non poteſt de condigno mereri & obtinere vt in priſtinam amicitiam reuocetur. Et prætereà, quod homo per peccatum Deum offendat, eſt quid grauiſſimum ac maximè deteſtabile: quod vero homo faciat actum virtutis oppoſitæ, aut doleat de peccato, non ineſt huic actui par maximus valor. Improportio enim hominis offendentis ad Deum offenſum, auget maximè grauitatem offenſæ: non tamen auget ſed minuit valorem bonitatis. Ad alia quæ addebantur, iam ſatis diximus eo loco in 1. 2., nec nunc aliud addere neceſſe eſt.

Non ſatisfacit homo per deſiderium ſatisfaciendi.

Obijcies ſecundo. Si homo non poteſt opere ipſo de condigno ſatisfacere Deo pro ſuis peccatis, vtique poteſt ſaltem habere deſiderium ſatisfaciendi, & animum deliberatum id perficiendi ſi poſſet: ſed voluntas apud Deum pro opere reputatur, imo opus externum per ſe non addit quicquam nouæ bonitatis & valoris & meriti apud Deum vltra voluntatem internam: ergo verè homo per huiuſmodi deſiderium & voluntatem Deo ſatisfaceret de condigno.

Reſpondetur. Dum homo non poteſt opere ipſo exhibere Deo ſatisfactionem condignam, nec etiam poteſt habere voluntatem efficacem & abſolutam exhibendi, ſed ad ſummum inefficacem per modum ſimplicis complacentiæ & conditionatam, & ita hoc ipſo non attingit perfectionem voluntatis efficacis & abſolutæ. Sed præcipuè, dictum illud, quod apud Deum voluntas pro opere reputetur, & opus externum non addat quicquam ſupra voluntatem internam, intelligitur ſolùm quoad bonitatem & valorem ex parte obiecti & circunſtãtiarum, non vero quoad dignitatem ex parte perſonæ: illa enim dignitas quæ ex parte perſonæ operantis ſumenda eſt apud Deum, prorſus non habetur niſi ex reali ipſa dignitate perſonæ, quæ in re ſit. Sic quantumuis quis haberet deſiderium operandi ex vnione hypoſtatica apud Deum, & animum ſic operandi ſi eius natura eſſet hypoſtaticè vnita Deo; vtique non per hoc haberet tantam dignitatem in operando, quantam habuit Chriſtus per veram & realem vnionem hypoſtaticam, ſed adhuc non excederet menſuram & dignitatem puræ creaturæ. Et ſimiliter ſi quis exiſtens in peccato habeat deſiderium & animum operandi in ſtatu gratiæ, non per hoc meretur de condigno gloriam, non per hoc habet illam dignitatem in tali actu voluntatis, quam reuera ha-

bent

Digitized by Google

[illegible] apud Deum. Nullatenus er[go] [illegible] in voluntatem, deſiderium ſatisfaciendi de condigno, [illegible] quiſquam apud Deum de condigno.

SECTIO DECIMASEXTA.

Vtrum dicto modo ſatisfacere ſit tàm proprium Chriſto, ut nullus purus homo quantumuis ſanctus pro peccatis ſatisfacere poſſit.

Sententia affirmans poſſe aliquẽ purum ſanctum ſatisfacere pro aliorum peccatis.

SOtus in 4. d. 1. q. 5. art. 4. & diſt. 19. q. 1. art. 2. & lib. 3. de Nat. & grat. cap. 6. affirmat, de potentia abſoluta Dei fieri potuiſſe, vt aliquis purus homo ſanctus & innocens perfectè ac de condigno pro aliorum peccatis ſatisfaceret; inquit tamen, hanc ſatisfactionem non fore cum tanto rigore iuſtitiæ, cũ quanto de facto eſt ſatisfactio Chriſti Domini. Suarez verò diſp. 4. ſect. 7., Cabrera quæſt. 1. art. 2. diſp. 12., & Raguſa diſp. 47. volunt, de potentia abſoluta fieri potuiſſe, vt aliquis purus homo ſanctus ſatisfaceret de iuſtitia & aliquo modo de condigno pro alijs peccatoribus: ſed tamen talem ſatisfactionem non fore æqualem diuinæ offenſæ, nec ex perfecta iuſtitia.

Vera ſententia negans.

Communis & vera ſententia eſt, ita proprium eſſe Chriſto, perfectè ac de condigno & ad æqualitatem pro aliorũ peccatis ſatisfacere; vt id nullo puro homini, ſiue pariter Angelo, quantumuis ſancto, nec de potentia quidem abſoluta Dei, competere poſſit. Ita S. Tho. ſupra q. 1. art. 2. ad 2., Alenſis 3. par. q. 1. memb. 7. art. 2., Altiſiodor. lib. 3. tract. 1. cap. 8., & alij Scholaſtici communiter, ac recentiores Theologi hac 3. par. q. 1., quos ſect. ſuperiori allegauimus. Et quidem valide probatur ex mente Sanctorum Patrum & quorundam Pontificum, qui planè ita de redemptione Chriſti loquuntur, vt planè doceant, non potuiſſe fieri, vt alius quàm verus Deus in natura aſſumpta, condignè & ad æqualitatem ſatisfaceret pro noſtris peccatis, non potuiſſe fieri vt per purum hominem aut Angelum, quantumuis ſanctum, ſolueretur Deo condignum prætium noſtræ redemptionis, & ideo neceſſarium fuiſſe incarnationis myſterium ad, effectum modum noſtræ reparationis & diuinæ ſatisfactionis. Ita apertè docent Athanaſ. in Euang. de Paſs. Domini, Cyrill. Epiſt. 1. quæ eſt ad Valentin. cap. 18. & lib. 1. de Fide ad Reginas cap. *Quòd redempti ſumus per ſanguinem Chriſti*; & cap. *Quòd mors Chriſti mundo ſalutaris*, Baſil. in Pſal. 28. in illa verba *Frater non redimit*, Cyprian. ſerm. de Paſſione Chriſti & de Circumciſ., Irenæus lib. 3. aduerſus Hæreſes cap. 20., Fulgent. lib. de Incarn. & grat. cap. 4., Anſelm. in lib. *Cur Deus homo*, Riccard. de S. Victore lib. Incarn. Verbi cap. 8., alijque ex Patribus. Item Caius Papa in Epiſt. decretali, Leo primus ſerm. 1. de Natiuit. & Epiſt. 83. & 97., Agapitus in Epiſt. ad Antimum, Adrianus primus in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Et communiter etiam Fidelium menti hæc perſuaſio inſedit.

Inquiritur ratio huius rei.

Ratione vero probari à quibuſdam ſolet, & à Soto ipſo probatur, ſatisfactionem puri hominis non fore de rigore iuſtitiæ: quia tota ſatisfactio offerretur ex bonis gratis acceptis à Deo, & alias etiam debitis Deo. Verùm hæc & quædam aliæ ſimiles rationes, nimis probarent: nam excluderent etiam meritum cõdignum iuſtorum ad vitam æternam, imo & applicari poſſunt aduerſus meritum & ſatisfactionem ipſius Chriſti. Sed reuera non probant, vt ſatis patet ex dictis. Aliunde ergo petenda eſt vera & propria ratio huius rei [illegible]

Non euaditur impoſſibile vnum mereri de condigno pro alijs.

Vaſquez diſp. 10. cap. 5., poſt reiectas alias rationes, & inter eas communem & conſuetam, hac noua ratione antiquam aſſertionem ſe demonſtrare conſulit: quia meritum hominis condignũ poteſt eſſe tantum pro ſe ipſo, & non pro alijs: ergo ſimiliter & ſatisfactio condigna. Probat antecedens & conſequentiam: quia ſecluſa gratia vnionis, omnis alia gratia eſt gratia adoptionis, eiuſdemque rationis cum gratia quæ de facto puris hominibus confertur: ſed per hanc gratiam quam de facto habent homines, poſſunt mereri & ſatisfacere de condigno tantum pro

ſe ipſis, non autem pro alijs: ergo per nullam gratiam, ſecluſa hypoſtatica vnione fieri potuiſſet, vt vnus ſatisfaceret pro alijs de condigno.

Hæc tamen ratio, niſi aliud obſtet contra ſatisfactionem cõdignam vnius hominis pro alio, plane infirma eſt. Primò: quia non oſtendit, fieri non poſſe de potentia abſoluta Dei, vt meritum condignum quod de facto valet pro eodem qui operatur applicaretur pro alio: quinimo in hoc nulla apparet repugnantia. Quamuis enim de facto Deus non ordinauerit, nec acceptet merita vnius hominis, ad tribuendum de condigno præmium alijs ab operante: tamen poſſet ſic ordinare & acceptare. Eo nempe modo quo diximus antea quæſt. 6., quòd licèt de facto meritum hominis condignum, ordinatum ſit & acceptetur propriè ad mercedem gloriæ: tamen potuiſſet Deus ordinare & acceptare ad aliam mercedem tribuendam loco gloriæ: quia licèt in ipſo merito non ſit condignitas ad hoc totum, ſcilicet ad tãtam gloriam cum ſua gratia & ad alia bona ſimul; tamen eadem condignitas valere poteſt ad hoc vt loco glorię detur aliud bonum æquiualens aut minus, neque ad hoc deeſt ſufficiens valor in eodem opere meritorio. Ita ergo fieri etiam optimè poterat, vt ex ordinatione Dei, & quaſi pacto inito cum homine operante, pro gloria quæ ei conferenda eſſet, conferatur æqualis gloria alteri iuſto: idem enim valor, eademquè dignitas operis meritorij, tàm ad alterũ, quàm ad eundem operantem adęquari videtur.

Sed gratia ſanctitatis poterat ordinari ad merendum pro alio.

Secundò. Vel ideo vnus homo ſanctus non poſſet mereri dè condigno pro alio, quia dignitas & ſanctitas operantis in vniuerſum ex natura ſua refertur tantùm ad eundem operantem, vel quia ſpecialiter dignitas & ſanctitas per filiationem adoptiuam ſit hoc modo limitata. Primum dici non poteſt: quia ſic nec etiam Chriſtus potuiſſet mereri de condigno pro alijs. Secundum etiam non rectè dicetur: quia in ipſa differentia eſſentiali filiationis adoptiuæ & naturalis, non apparet quomodo tale diſcrimen oriatur. Quæ enim eſt hæc diuerſitatis ratio, vt merita Chriſti Filij naturalis Dei referri poſſint ad alios, non autem merita alterius Sancti, qui ſit filius adoptiuus Dei? Vaſquez diſp. 5. num. 42. & diſp. 6. num. 13. inde deducebat, merita Chriſti valere reſpectu aliorum, quia ſanctitas Chriſti eſt diuerſæ rationis à ſanctitate noſtra, vnde referri debet ad præmium diuerſæ rationis, quod non poteſt eſſe aliud, niſi quòd Chriſtus debebat obtinere quicquid poſtularet, non ſolùm pro ſe ipſo, ſed etiam pro alijs. At certè illa diuerſitas ſanctitatis per ſe non inducit hanc diuerſitatem præmij; ſeu potiùs ſubiecti cui cõferendum ſit præmium. Sed potiùs facit, quòd ſanctitas & meritum Chriſti ad maius & maius præmium in infinitum referri poſſit, tàm pro ſe ipſo, quàm pro alijs: meritum verò puri hominis ſancti ad certam ſolùm menſuram mercedis; quæ tamen poſſet adhuc à Deo ordinari vel pro ipſo operante ſicut de facto ordinatur, vel pro alio. Ad ſummum conſiderari poteſt maior quædam conueniẽtia in Chriſto Domino, quàm in alio puro ſancto: ſed hoc non ſufficit ad rationem quam inquirimus.

Tertiò. S. Thomas ipſe 1. 2. q. 114. dicebat: *Merito condigni nullus poteſt mereri alteri primam gratiam, niſi ſolus Chriſtus, quia vnuſquiſque noſtrum mouetur à Deo per donum gratiæ, vt ipſe ad vitam æternam perueniat. & ideo meritũ condigni vltra hanc motionem non ſe extendit; ſed anima Chriſti mota eſt à Deo per gratiam, non ſolùm vt ipſe perueniret ad gloriam, ſed vt alios in eam adduceret, inquantum eſt caput Eccleſiæ, & auctor ſalutis humanæ.* Vbi plane S. Doctor ad diuinam ordinationem refert, quòd inter puros homines non meretur vnus de condigno pro alio, ſed quòd ſolus Chriſtus meruerit pro omnibus: non vtique negans condignitatem valoris & poſſibilitatem ordinationis, ſi Deus inſtituere & acceptare voluiſſet merita vnius hominis pro alio, ſicut de facto inſtituit & acceptauit merita Chriſti.

Etiam de facto dicitur ſatisfactio vnius valere pro alijs.

Quartò inſuper, de facto plerique Theologi concedunt & affirmant, poſſe & ſolere vnum hominem applicare ſuam ſatisfactionem & ſatisfacere verè

de

Digitized by Google

de condigno pro peccatis alterius, ſolùm tamen quantum ad reatum & reſiduum pœnæ temporalis poſt remiſſã culpam: quamuis ſupponatur, quòd non poſſit vnus mereri de condigno alteri gloriam, nec ſatisfacere de condigno pro culpa. Itaque non eſt penitus ex diſtinctione ſubiecti interclusũ, quominùs opera vnius poſſint de condigno valere pro alio: ſiquidem de facto valent & acceptantur pro condigna ſatisfactione quantum ad dictum reatum pœnæ. Vnde ſic etiam valere & acceptari poſſent ad meritum condignum gloriæ, cùm ad hoc non deſit valor ſufficiens & adæquatur in bonis iuſtorum operibus: ſed deeſt ſolùm ordinatio & acceptatio Dei. Similiter, ſi alioqui non deſit valor condignus in operibus iuſtorum ad compenſandam malitiam peccatorum, potuiſſent ad hunc effectum ordinari & acceptari à Deo, & ſic fieri potuiſſet, vt aliquis purus homo iuſtus pro peccatoribus ſatisfaceret de condigno.

Quintò demum, niſi alioquì de fide conſtaret, peccatum Adami infeciſſe totam poſteritatem, transfundendo maculam originalem cum ſua pœna, pariter Vaſquez putaſſet, fieri non potuiſſe vt peccatum vnius hominis hoc modo referretur ad alios: at nunc de fide conſtat id fieri potuiſſe, dum factũ eſt. Quare hinc etiam deduci debet, fieri quoque ex diuina prouidentia potuiſſe, ſi ſic ei placuiſſet, vt meritum alicuius iuſti ſecundùm valorem condignum referratur ad alios, ſi non ſit aliud impedimentum quàm diſtinctio perſonarum.

Non ex ſo lo ſuo arbi trio, ſiue ad coercen dos homi- nes, recuſa bat Deus ſatisfactio- nem puri hominis.

Aliter Lugus etiam diſp. 5. ſect. 4. & 8., minùs acquieſcens communi & receptæ rationi, hanc aliam ſuam excogitauit, quare non poſſit purus homo ad plenum ſatisfacere pro peccatis, ſiue ſuis, ſiue alienis: quia ſi ſcirent homines, Deum condignè placari poſſe per noſtra obſequia, facilius auderet Deum offendere, & minùs grauiter ſentirent de huiuſmodi offenſa, quàm oporteret ad eam omnino vitandam: quare ſicut ad coercendos homines condignè ſtatuta eſt pœna æterna, quia minor non ſufficeret; ita etiam attenta grauitate offenſæ & hominum leuitate ac impudentia, condignè ſequitur, nulla obſequia puri hominis admittenda pro perfecta Dei placatione, ne vileſceret apud homines talis offenſa. Sed ſolius Chriſti ſatisfactio poterat ſuperare grauitatem offenſæ, eamque condignè tollere ac delere.

Verùm hic dicendi modus videtur rem deducere ferè ad rationem politicam, & vtilitatem gubernationis, & non ſimpliciter ad naturam peccati & ſatisfactionis. Primò itaque petendum eſt, num ſecluſa tali ratione & vtilitate coercendi homines, reuera humana obſequia, ſaltem ad eximium aliquem gradum adaucta, adæquarent grauitatem peccati, & condignè placarent Deum: vel adhuc prorſus idnon præſtarent. Si dicatur hoc ſecundùm: iam non oportebat longiori illo circuitu pergere, & vtilitatem illam diuinæ gubernationis adijcere. Si dicatur primum: ergo ſimpliciter ex arbitrio ſuo & ratione politica, ob eum finem gubernationis & coercitionis hominum, noluit Deus acceptare humanam ſatisfactionem, & placari humanis obſequijs, ſed voluit requirere ſatisfactionem & obſequium Chriſti.

Secundò. Si hac ratione volebat duci Deus, ſanè apparet, quòd multò validiùs coercuiſſet homines à peccatis, ſi ad concedendam illis veniam indixiſſet valde laborioſam & arduam ac diuturnam pœnitentiam, & multa atque aſpera obſequia exegiſſet: quàm hoc modo de facto, inſtituendo quidem ſatisfactionem Chriſti, ſed ab ipſis hominibus non plus exigendo pro remiſſione culpæ, niſi ſimplicem quendam contritionis actum, ſiue ſuſceptionem facillimam ſacramenti. Multo plus enim mouerentur homines incommodo & grauamine ſuo, quàm ea conſideratione conſtitutionis diuinæ de ſatisfactione Chriſti.

Tertiò. Quando dicebat hic Auctor, quia ſi ſcirent homines Deum condignè placari poſſe per noſtra obſequia, faciliùs auderent Deum offendere: petendum eſt, vel verum ſcirent, vt ſanè verbum ſciendi ſonat, vel falſum. Si falſum: ergo non oportebat dicere, ſi ſci-

Digitized by Google

ſcirent homines: ſed potiùs aliunde demonſtrandum ijs erat, prorſus non poſſe ex natura ipſa rei condignè placari Deum noſtris obſequijs. Si verum ſcirent: ergo excogitatus fuit modus, quo eluderentur homines ne id ſcirēt, ſed maiorem quàm ſit peccati grauitatem apprehenderent, & ad hunc finem adinuenta fuit ſatisfactio Chriſti, incarnatio Verbi, vt ſic homines à peccatis abſterrerentur. At detecta nunc hoc artificio, iam ampliùs nō multum apud homines præualebit. Quod totum patet quàm ſit abſurdum. Quinimo, tuendum eſt, quòd ſi homines prorſus neſciſſent hoc myſterium, nec Deus illud ijs reuelaſſet, adhuc re ipſa independenter ab humana notitia, vtilis ac neceſſaria fuit ſatisfactio Chriſti, & propter eam incarnatio Verbi, ob inſufficientiam omnis humanæ ſatisfactionis in ſua conditione intrinſeca.

Quarto rurſus petendum eſt, an potuiſſet diſponere Deus, vt condignè humanis obſequijs placaretur, vel non potuiſſet. Si non potuiſſet: hoc iam erat vera & intrinſeca ratione ex natura ipſa peccati & grauitate diuinæ offenſæ deducendum, & huius vi reddenda erat ratio à priori quæ inquirebatur, & non inconueniens tantummodo quoddam à poſteriori adducendum. Si potuiſſet: ergo iam ex mero arbitrio ſuo & ratione politica noluit, ſed exceſſiuo rigore vltra condignum inſtitit exigere ſatisfactionem Chriſti; quod prorſus eſt præter mentem Sanctorum, & contra concluſionem ipſam quam defendimus.

Quintò demum, nec tolerandum eſt quod addebatur, ob eundem finem gubernationis, vt coercerentur homines à peccatis, conſtitutam fuiſſe pœnam æternam: quaſi non ab intrinſeco ob dignitatem ipſorum peccatorum eis deberetur. Sed omnino fatendum eſt, pœnam ęternā eſſe ex natura rei proportionatam ac debitam mortalibus peccatis, ita vt minor quàm æterna remaneret longè infra meritum ipſorū peccatorum, & ideo ſtatutam fuiſſe à Deo æternam pœnam, quia ex ratione ipſa peccatorum mortalium debebatur. Et ita pariter, fatendum eſt, omnem ſatisfactionem quæ non eſſet exhibita a diuino ſuppoſito, fuiſſe ex natura rei longè inferiorem grauitate peccati, ita vt non minor quam ſatisfactio Chriſti eſſet reuera æqualis & condigna: & ideo hanc fuiſſe inſtitutam & requiſitam à Deo.

Sed abſolutè ſatisfactio puri hominis non adæquabat grauitatē peccati.

Tandem ergo, communis ſententia non alia quàm communi ratione defendenda & approbanda eſt, quam tradidit S. Tho. loco allegato & alibi, tradunt etiam alij Theologi magis communiter. Nempe quia grauitas peccati eſt maxima & ſumma in ſuo genere, ex eo quod eſt ab homine adeo inferiori aduerſus Deum ſupremum principem ac dominum, & infinitè dignum. Ratione cuius improportionis inter offendentem & offenſum maximè creſcit grauitas offenſæ. Vnde hæc grauitas peccati dicitur infinita, quia ea improportio eſt infinita: & S. Thomas ibi dixit, peccatum habere infinitatem quādam. Siue inquam dicatur hęc peccati grauitas infinita ſimpliciter, ſiue ſolùm ſecundùm quid, de qua re diximus ſuo loco de peccatis 1. 2. At è conuerſo ſatisfactio quæ exhibetur, potiùs in ſua dignitate & valore minuitur ex hac improportione, ex inferioritate ſatisfacientis ad illum cui ſatisfit: & ex oppoſito augetur ex dignitate & auctoritate ipſius perſonæ ſatisfacientis & honorantis alterum: quod ſane ex ipſa morali ęſtimatione ſatis perſpicuum & notum eſt. Et ita inter ipſos homines, quanto vilior perſona ſpernit & inhonorat digniorem, tanto cenſetur iniuria & offenſa grauior; quòd autem honoret, non magnum cenſetur: ſed è conuerſo quanto dignior perſona honorat alterum, tanto cenſetur maior honor. Hinc ergo planè fit, vt omnis ſatisfactio quæ exhibeatur à puro homine ad Deum, non adæquat, non attingit grauitatem offenſæ & iniurię quę conſideratur in peccato, ſed longè & in infinitum remanet infra illam: prorſus ergo ex natura ipſa rerum oritur, vt non poſſit purus homo ad æqualitatem & de condigno ſatisfacere Deo pro peccatis, neque ſuis, neque alienis. Sed ad hoc requirebatur perſona ſimul & infinitè digna, quæ exhibere poſſet ſatiſfa-

tiſfa-

Digitized by Google

tisfactionem æquiualentem ad compenſandam grauitatem offenſæ. Quod non aliter poterat fieri, quàm per incarnationem alicuius perſonæ diuinæ. Et ita fuit tàm proprium Chriſto ſatisfacere perfectè & de condigno pro peccatis, vt nullus purus homo, ſiue Angelus, quantumuis alioqui iuſtus & ſanctus, id perficere poſſet. Et hæc eſt ratio, quæ planè ducitur ex mente Sanctorum, & quam latè proſequuntur Anſelmus & Riccard. de S. Victore: & in hoc propriè ſenſu docuerunt ſancti, non potuiſſe perfectè redimi genus humanum & placari Deum, per quamcũque ſatisfactionem vllius puri hominis vel Angeli, ſed ideo neceſſarium fuiſſe & à Deo inſtitutum incarnationis myſterium. Addit etiam S. Thomas: cùm peccatum originale de facto ſit toti humanæ naturæ commune, & ex ſui origine poſſit extendi in infinitum in quoſcunque poſteros ex Adamo prouenire poſſent, non poterat vlla perſona creata, ſed ſola perſona diuina & infinita, adæquare & compenſare tale peccatum.

Valor actus boni et dignitas gratiæ non adæquat grauitatẽ peccati.

Obijcies tamen primò contra hanc veram ſententiam & rationem. Actus meritorius & ſatisfactorius verſatur circa Deum obiectum infinitum: ergo inde ſumit infinitum quendam valorẽ, ita vt poſſit compenſare peccati malitiam. Et rurſus ſi procedat à gratia ſanctificante, cùm hæc ſit participatio quædam diuinæ naturæ, videtur pariter infinitam dignitatem conferre humanis actibus, vt poſſint adæquare grauitatem peccati.

Reſpondetur. Valorem meriti & ſatisfactionis debere potiùs menſurari & creſcere ex dignitate operantis, quàm obiecti: certè enim non tantundem æſtimabile eſt, quòd homo ſubijciat ſe Deo infinito, quantum deteſtabile eſt, quod homo ſpernat & offendat Deum infinitum. Et gratia ipſa ſanctificans eſt quædam participatio infinitè deficiens à ſublimitate diuinæ naturæ: non ergo confert tantam dignitatem & valorem operi, ſicut requireretur ad compenſandam æquiualenter grauitatem peccati.

Nec pœnæ peccati.

Obijcies ſecundò. Si homo iuſtus qui promeretur ſibi vitam æternam, poſſet eam mereri pro alio; poſſet etiã æquè de condigno ſatisfacere pro pœna æterna alteri debita: nam illa pœna æterna quæ dicitur pœna damni, non eſt aliud quàm priuatio gloriæ: pro eodem autem eſſe videtur, mereri gloriam, ac auertere priuationem gloriæ. Vnde rurſus poterit homo iuſtus de condigno ſatisfacere etiam pro culpa qua alius merebatur pœnam æternam: non enim ſtat, conſequi vel mereri remiſſionem pœnæ æternæ abſque remiſſione culpæ.

Reſpondetur. Quamuis poſſit vnus homo mereri pro alio iuſto & digno vitam æternam: aut etiam pro alio non impio & non indigno: tamen nullatenus poteſt illam mereri homini impio atque ita indigno, exiſtenti ſcilicet in ſtatu inimicitiæ cum Deo: multò plus enim in infinitum requiritur ad merendum pro tali ſubiecto, in quo ſupponitur talis indignitas. Sic ergo nullatenus poteſt vnus purus homo iuſtus mereri pro alio remiſſionem pœnæ æternæ, neque pœnæ damni, neque pœnæ ſenſus; non poteſt ſatisfacere pro pœna: & ſic multò minùs poteſt ſatisfacere pro culpa, poteſt mereri remiſſionem culpæ, quæ remiſſio importat etiã remiſſionem pœnæ, & iuſtificationem gratiæ, ac dignitatem gloriæ.

Etiam ſi eſſet gratia infinita non adæquaret.

Obijcies tertiò. Si eſſet poſſibilis gratia habitualis infinita, & hanc Deus conferret alicui puro homini; ſaltem hic homo per talem ac tãtam gratiam poſſet ſatisfacere de condigno pro alijs peccatoribus, iam haberet in ſe dignitatem infinitam.

Reſpondetur. Nec eſſe poſſibilem eam gratiam infinitam, vt ſupponimus. Neque ſi eſſet poſſibilis valeret de condigno compenſare grauitatem peccati. Tum quia ſimpliciter non creſcit valor meriti ex maiori & maiori gratia habituali, vt notauimus ſupra ſect. 12. ad 5. Tum quia etiam ſi creſceret, ſolùm poſſet creſcere intra eundem ordinem, ſcilicet ad merendam maiorem & maiorem gloriam. At infinitudo ſiue maxima grauitas peccati, eſt alterius ordinis, quæ prorſus compẽſari ad æqualitatem non poteſt per quemcunque

Digitized by Google

dignitatem gratiæ habitualis, citra hypoſtaticam vnionem. Sed cùm ſemper illa gratia relinqueret perſonam operantem infinite inferiorem Deo, nunquam poſſet compenſare & adæquare grauitatem offenſæ commiſſæ à perſona infinite inferiori erga Deum.

Peccatum non poteſt compenſari nec deleri humanis actibus

Quarto. Vaſq. diſp. 4. cap. 4. contra rationem communem quam approbauimus, refert ſe ad diſp. 2., vbi cap. 2. & 3. multum loquitur ad probandum, grauitatem peccati non eſſe infinitam, nec eſſe tantam quæ compenſari non poſſit per ſatisfactionem Deo exhibitã ab ipſo homine. Ac tandem num. 32. ad hoc rem deducit, quòd licèt quandoque ſatisfactio exhibita ab inferiori, non poſſit eſſe æqualis offenſæ factæ contra ſuperiorem; tamen quando inquit opus eſt tale, vt per ſe formaliter valeat tollere ac delere rationem offenſæ, ſicut ſupponit actum contritionis per ſe aptum eſſe tollere maculam peccati, tunc habet condignitatem & æqualitatem valoris ad ſatisfaciendum pro offenſa.

Sed iam ex eodem eius diſcurſu, ea quæ primo loco adducit, vel non faciunt contra doctrinam traditam, vel ab ipſomet pro ſolutis habentur. Quòd vero ſecundo loco dicit, contritionem formaliter valere tollere maculam peccati, nos falſum eſſe ſupponimus, vt ſect. præced. concl. 1. oſtendimus. Quod autem conatur quodammodo extenuare grauitatem peccati & rationem offenſæ contra Deum, tolerandum non eſt: ſed longe alio modo Scriptura & Sancti loquuntur ad exagerandam & explicandam grauitatem peccati & offenſæ contra Deum.

Non poterat pro illo de iuſtitia, & de condigno, & ad æqualitatem ſatisfieri, niſi à ſolo Chriſto.

Quintò. Suarez etiam ſect. 7. concl. 1., vt probet poſſe à puro homine exhiberi ſatisfactionem de iuſtitia & aliquo modo de condigno, nonnulla affert. Sed, cùm ipſemet fateatur, ijs non obſtantibus ſatisfactionem puri hominis non eſſe æqualem cum grauitate offenſæ contra Deum, nihil probat contra reſolutionem traditam. Quinimò, ex hoc quod fatetur ſatisfactionem non eſſe æqualem, prorſus ſequitur, non eſſe de iuſtitia, nec de condigno: denominatio enim de iuſtitia & de condigno, ſupponit æqualitatem valoris ac dignitatis in ſatisfactione cum grauitate offenſæ. Pariter ergo dici debet, fuiſſe omnino proprium ſolius Chriſti, ſatisfacere de iuſtitia, & de condigno, & ad æqualitatem, pro hominum peccatis.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO VIGESIMA.

De Subiectione Chriſti ad Patrem.

IN hac & quibuſdam ſequentibus quæſtionibus proponit tractare S. Thomas de certis comparationibus Chriſti ad Patrem. Et primo loco de ſubiectione, per duos articulos. In vno explicat, verè conuenire Chriſto ſubiectionem ad Patrem, loquendo ſecundùm humanam naturam. Eſſeque triplicem ſubiectionem. Primam, quia natura humana eſt bona per participationem diuinæ bonitatis; & ſic humanitas Chriſti non pertingebat ad gradum perfectionis diuinæ, ſed erat longè inferior. Secundam, quia humana natura ſubditur poteſtati & diſpoſitioni diuinæ; & ſic etiam humanitas Chriſti, quantum ad omnia quæ in ea facta ſunt, ſubdebatur ordinationibus Dei Patris, quæ ſubiectio dicitur ſeruitus. Tertiam, quia humana natura & voluntas debet obedire diuinis mandatis; & ſic etiam Chriſtus ſecundùm humanam voluntatem profeſſus eſt exquiſitam obedientiam Patri vſque ad mortem. In altero articulo explicat, non debere abſolutè dici, Chriſtum ſubiectum ſibi ipſi, ſiue Filio Dei, aut Verbo diuino; quaſi denotaretur in Chriſto alia hypoſtaſis & perſona humana diſtincta à perſona Verbi: ſed benè poſſe dici cum additione ac determinatione, Chriſtum penes humanam naturam ſubijci ſibi ipſi, ſeu Verbo diuino.

SECTIO PRIMA.

An & quo pacto Chriſtus dici poſſit ſubiectus Patri, ſubiectus Deo, & ſingulis perſonis diuinis.

DAmaſcenus lib. 4. Fidei cap. 19. omnino negaſſe videtur, dici poſſe Chriſtum ſubiectum Patri, etiam cum expreſſa determinatione ſecundùm humanam naturam. Et ſimiliter cap. 21. negat dici poſſe, ſubiectum ſibi ipſi, ſubiectum Verbo diuino, aut Filio Dei: vel è conuerſo ſuperiorem & dominum ſui ipſius. Idem negauit Cyrill. in epiſt. 10., quæ & approbata fuit in Concil. Epheſino. Sed præterea Apoſtolus 1. Cor. 15. loquens de Chriſto dixit: *Cùm autem ſubiecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia:* quaſi ſcilicet, non nunc & ab initio, ſed ſolùm poſtea in fine mundi futura ſit hæc ſubiectio Chriſti ad Patrem.

Reuera humanitas Chriſti eſt ſubiecta Deo.

At certè, ſatis res ipſa nota eſt: nempe Diuinitatem & perſonam Verbi in Chriſto nullatenus eſſe ſubiectam: humanam verò Chriſti naturam verè eſſe ſubiectam Patri, ſubiectam Deo, atque adeo omnibus tribus perſonis diuinis, etiam inquam Spiritui ſancto & ipſi Verbo. Patet prima aſſertionis pars: quia Diuinitas eadem prorſus eſt omnium trium perſonarum, ac proinde nulli earum ſubiecta: & perſonæ ſunt inter ſe coæquales, quare nulla poteſt alteri ſubijci. Patet quoque ſecunda pars: quia humana natura verè fuit creata à Deo, ſemper dependens à Deo, atque ita prorſus ſubiecta Deo: non ſolùm inquam Deo Patri, ſed nihil minùs ipſi Filio & Spiritui ſancto. Solùm difficultas aliqua occurrit de modo loquendi, ſub nomine Chriſti in recto, an dici poſſit vel debeat, Chriſtus eſt ſubiectus Patri, eſt ſubiectus Deo, eſt ſubiectus ſibi ipſi, ſiue Verbo diuino.

Dici poteſt Chriſtus ſubiectus Patri.

Optimè autem S. Thomas art. 1. in corp. & ad 1. affirmat ac docet, rectè dici Chriſtum ſubiectum Patri: & conuenientiùs adhuc dici cum illa determinatione, inquantum homo, ſiue ſecundùm humanam naturam. Etenim, cùm reuera humana natura Chriſti ſubijciatur Deo Patri, illa propoſitio, Chriſtus eſt ſubiectus Patri, habet verum & legitimum ſenſum: quia ſatis eſt, vt ite-

in re ſecundùm quandam naturam verificetur. Atque in rigore ſermonis, non reddit ſenſum de ipſa perſona aut natura diuina, nec indicat diſtinctioné ſuppoſiti in Chriſto: vnde etiam ſimpliciter & abſolutè prolata, vera eſt. Vt ſic Apoſtolus loco allegato Chriſtum vocauit ſubiectum Patri. Attamen, quia ipſa nuda propoſitio, niſi alia particula addatur, non per ſe exprimit, ſecúdùm quam partem intelligatur; ideo ſine dubio conuenientius erit id exprimere, addendo illam particulam ac determinationem, inquantum homo, ſiue ſecundùm humanam naturam. Eo magis, quia obuiat Arius, qui impie volebat perſonam ipſam Filij & Verbi eſſe ſubiectam Patri, tanquam illo inferiorē & ab illo creatam: ad pleniorem ergo expreſſionem catholicæ veritatis, & ad euitandum omne periculum erroris & falſæ ſignificationis, iuuat in ea propoſitione apponere illam determinationem.

Dici etiam poteſt ſubiectus ſibi ipſi, ſubiectus Verbo, cū expreſſione tamē humanæ naturæ.

Eodem autem ſenſu, quo dicitur Chriſtus ſubiectus Patri, dicetur quoq; ſubiectus Deo, ſumendo Deum abſolutè, & pro ſingulis perſonis diuinis. Etenim illam ſubiectionem ac dependentiam quam habet natura humana Chriſti, non habet ſolùm reſpectu perſonæ Patris, ſed abſolutè reſpectu Dei, atque adeo reſpectu omnium ac ſingularum perſonarum diuinarum: neque vllam ſuperioritatem habet in hoc ipſe Pater, quæ non ſit communis alijs duabus perſonis diuinis: neque talem ſuperioritatem habet præcisè ratione ſuæ proprietatis perſonalis, ſed habet abſolute ratione ſuæ diuinæ naturæ. Quocirca Chriſtus vt homo dicetur etiam ſubiectus Spiritui ſancto, & ſubiectus Verbo diuino: & quia eadem perſona eſt Chriſtus ac Verbum, dicetur Chriſtus vt homo ſubijci ſibi ipſi vt Verbo, vt Filio Dei, vt vero Deo: & è conuerſo, Chriſtus vt Deus præeſſe ſibi ipſi vt homini. Ita docet D. Thomas art. 2. Et notauit D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 7. *Secundùm ipſum modum quo Pater maior eſt Chriſto*, ſcilicet ſecundùm humanam naturam, *etiam ſe ipſo minorem eſſe Filium. Quis non intelligat, quòd in forma Dei etiam ipſe ſe ipſo maior eſt, in forma autem ſerui etiam ſe ipſo minor eſt?*

Quare requiratur hæc expreſſio.

Admonet tamen D. Thomas eod. art. 2. in fine corporis, eſſe cum determinatione dicendum, quod Chriſtus ſit ſubiectus ſecundùm humanam naturā: ſed abſolute & ſimpliciter dici debere, quod ſit præſidens & dominus & maximus: quia inquit Chriſtus eſt nomen perſonæ, & ideo quæ illi conueniunt ratione perſonæ, cuiuſmodi ſunt hæ relationes ſeu denominationes, debent abſolute dici, ſed illa quæ ei conueniūt ratione humanæ naturæ, debent dici cum hac ipſa determinatione. Hinc autem recentiores Theologi ſumere ſolent, quod non poſſit ſine additamēto humanæ naturæ dici Chriſtus ſubiectus ipſi, aut Verbo, licèt poterat ſimpliciter dici ſubiectus Patri; ita vt ibi illa additio eſſet ſolùm de conuenientia, hic autem ſit de neceſſitate. Verùm S. Thomas hîc ait, poſſe è conuerſo dici ſimpliciter ac ſine additamento, Chriſtus præſidens & dominus: at hoc nō intelligitur reſpectu ipſiuſmet Chriſti, vt fatentur ijdem Theologi. Quare hæc regula D. Tho. potiùs valet quoad alia prædicata, quæ non dicuntur in relatione ad ipſummet Chriſtum, ſed vel abſolutè, vel in relatione ad Patrē aut alias res. Et ita notat Caiet. dicēs, ea quæ ſunt excellentiæ & dignitatis debere dici ſimpliciter & ſine additamento, ea vero quæ ſunt ſubiectionis & minorationis debere dici cum illa determinatione humanæ naturæ: quia nimirum perſona Chriſti eſt diuina & infinita, cui per ſe quidem conueniunt ea quæ ſunt dignitatis & excellentiæ, per humanam verò naturam ea quæ ſunt ſubiectionis & minorationis. Quod rurſus intelligendum eſt, vt interdum tale additamentum in loquendo fieri debeat de conuenientia, interdum etiam de neceſſitate, iuxta alias regulas & doctrinam in ſuperioribus traditam.

Vera ratio quare requiratur reſpectu Verbi.

Aliunde autem verum eſt, & melius ſumitur ex D. Thom. in ſolutionib. argumentorum, quòd Chriſtus non niſi cum additione humanæ naturæ dicatur ſubiectus ſibi ipſi, aut Verbo diuino; & ſimiliter etiam non dicatur Chri-

ſus præſidens aut dominus ſui ipſius, non dicatur Verbum diuinum præſidés aut dominus Chriſti, niſi cum additione vt hominis. Quod quidem pariter docet D. Thomas de nominibus præſidentis ac domini, ſicut de nominibus ſubiecti & ſerui. Et ratio inquam, quare non debeat dici ſine addito, Chriſtus ſubiectus Verbo, aut Verbum præſidens Chriſto, hæc eſt: quia talis loquendi modus ſimpliciter denotaret diſtinctionem ſuppoſitorũ Chriſti & Verbi, quaſi aliud ſuppoſitum eſſet Chriſtus, & aliud Verbum: quod eſt falſum & hæreticũ. Et ſic debet accipi dictum D. Thomæ in ſolut. ad 1., *Per hoc importatur pluralitas ſuppoſitorum, quæ requiritur ad hoc vt aliquis ſimpliciter ſit dominus alicuius.* Hic autem ſenſus remouetur dicendo cum addito, Chriſtus vt homo ſubditur Verbo, quia ſic potiùs indicatur, quòd ſolùm ratione humanę naturę Chriſtus diſtinguitur à Verbo, & non diſtinguatur ſimpliciter etiam ratione perſonæ. Et ideo in rigore dici poterat abſolutè Chriſtus ſubiectus Patri, quia verè etiã ratione perſonæ diſtinguitur a Patre, licet non ratione perſonæ ſubijciatur Patri.

Et quare requiratur reſpectu ſui ipſius.

Rurſus ratio quare non debeat dici ſine addito Chriſtus ſubiectus ſibi ipſi, non videtur reddi debere eodem modo, quòd denotaretur diſtinctio ſuppoſitorum: quinimò potiùs dicendo ſibi ipſi, denotaretur vnitas & identitas ſuppoſiti, quia vnus & idem dicitur is qui ſubijcitur, & is cui ſubijcitur. Sed meliùs reddi debet: quia inepta & incongrua eſt loquutio: nam prædicatio ac denominatio relatiua importat diſtinctionem extremorum inter quæ exercetur, diſtinctionē ſubiecti ac termini: vnde non rectè dicitur quidpiam ſimile aut diſſimile ſibi ipſi, & ſic de alijs denominationibus relatiuis. Oportet ergo addere aliquam particulam in propoſitione quæ importet talem diſtinctionem: quod fit dicendo, Chriſtus vt homo eſt ſubiectus ſibi ipſi vt Deo, Chriſtus ſecundum diuinitatem præeſt ſibi ipſi ſecũdum humanitatem. Et hoc pacto notauit S. Tho. in ſolut. ad 3., *Quòd etiam vnus homo poteſt dici ſibi ſubiectus & ſeruiens ſecundùm diuerſas partes*, videlicet ſecundùm corpus ſubditur ſibi ſecundùm animam, & ſecundùm partem ſentientem ſubditur ſibi ſecundùm partem rationalem: & alioqui ſine huiuſmodi addito, non rectè diceretur ſimpliciter homo ſubiectus ſibi ipſi, vt in illo tertio argumento obijciebatur.

Explicatur quadam loca Damaſceni & Cyrilli.

Iam verò ad auctoritatem Damaſceni ex aduerſo præmiſſam, facilis eſt ſolutio ex ipſo contextu. Quando enim negauit, Chriſtum eſſe Patri ſubiectum, ſolùm voluit, quòd Chriſtus vt homo non eguit veluti vi & poteſtate Dei cõpelli ad ſubiectionem, quia nempe ſponte & alacriter profitebatur ſuam ſubiectionem: non eguit de nouo trahi ad ſuſcipiendam ſubiectionem, quaſi fuiſſet vnquam non ſubiectus, quia potius ſemper & ab initio fuerat vt homo promptiſſimè ſubiectus. Sic enim inquit Damaſc. loquens de Chriſto: *Nec vt Deus nec vt homo Patri ſubijci neceſſe habuit: etenim quà ratione Deus eſt, Patri æqualis eſt, non autem aduerſarius, nec ſubiectus; quà autem homo, nunquam Patri contumax fuit, vt ei ſubiectione ſit opus.* Quando vero negauit Chriſtum eſſe ſubiectum ſibi ipſi, negauit talem loquẽdi modum, ſine additione & explicatione: negauit in ſenſu quo quis accipere poſſet diſtinguendo in ipſo Chriſto vnum qui ſubijciatur & vnum qui præſit, & ſic dicendo Chriſtum eſſe ſubiectum Filio Dei. Et ſic etiam planè expreſſit Cyrill. in illa epiſt., dicens: *Nec ſeruus eſt ſibi ipſi, nec dominus, quoniam ineptũ eſt vel potiùs impium hoc dicere.* Et ſimiliter ait, *Sed nec Deum aut Dominum Chriſti, Verbum Dei Patris aſſerimus, ne iterum manifeſtiùs in duo diuidamus vnũ Chriſtum, Deum illi ſe ipſum facientes & dominum.* Vbi planè notauit, quòd ineptè diceretur Chriſtus ſeruus aut dominus ſibi ipſi: & impiè ac ſacrilegè ſignificaretur diuiſio duorum ſuppoſitorum in Chriſto, ſi abſolutè diceretur Verbum diuinum dominus Chriſti, aut ſi diceretur Chriſtus dominus Chriſti.

Explicatur locus Apoſtoli.

Ad locum vero illum Apoſtoli, frequens Sacrorum Doctorum & Patrum expoſitio eſt, in fine mundi fore, vt omnia ſint plene ſubiecta ipſi Chriſto, quia nulla ampliùs reſiſtentia illi fiet, nullum impe-

Digitized by Google

quidam Chriſtum vocaſſet, *Magiſter bone*, Chriſtus reſpondit, *Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus*. Et Hieron. explicat, *Qui magiſtrum vocauerat bonum, & non Deum vel Dei filium confeſſus erat, ei dicit, hominem quamuis ſanctum, in comparatione Dei non eſſe bonum*: quia nimirum infinitè diſtat & ſubeſt bonitati diuinæ. Ad eandem quoque ſubiectionem planè ſpectabāt illa verba Chriſti, *Pater maior me eſt*: quia ibi quoque loquebatur de ſe quoad humanitatem, vt communiter Sacri Doctores intelligunt. Et inde dixit Athanaſ. in Symbolo, *Aequalis Patri ſecundùm diuinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem*.

Secunda ſubiectio eſt, ſubordinatio ad omnem diuinam diſpoſitioné. Circa ſecundùm modum, ſatis conſtat aliam ſubiectionem omnium rerum creatarum ad Deum eſſe, quòd Deus poſſit de illis diſponere & in illis ac de illis agere quicquid ſibi libuerit. Habetque Deus non ſolùm phyſicè & realiter poteſtatem faciendi quæcunque velit, abſque eo quòd vlla res illi obſiſtere poſſit: ſed etiam moraliter loquēdo habet plenam & abſolutam auctoritatem diſponendi & faciēdi quicquid ei placitum fuerit circa quācunq; rem, abſque eo quòd vllus reclamare vel iuſtè conqueri poſſit. Et extenditur hęc diuina poteſtas & auctoritas etiam ad annihilationem rerum, quatenus poſſet Deus quaſcunque res annihilare, ſicut potuiſſet ab initio non creare. Hæc inquam ſubiectio eſt vniuerſalis in omnibus rebus creatis, reſpectu Dei. Itaque omnino conuenit etiam ipſi humanitati Chriſti; neque enim hæc humanitas per vnionem ad Diuinum Verbum ſubtracta eſt ab huiuſmodi poteſtate & auctoritate Dei, non habet contrariam exemptionem, ſed non minùs ſubeſt diuinæ potentiæ & diſpoſitioni quàm quælibet natura creata.

Ad quam ſpectat denominatio ſeruitutis. Hæc verò auctoritas & poteſtas Dei dicitur ius & dominium erga omnes res, & dum Deus vocatur dominus omnium rerum, hoc intelligitur ratione huiuſmodi poteſtatis & auctoritatis. Et hoc Dei dominium & poteſtas paſſim exprimitur ac celebratur in ſacris litteris. Atque è conuerſo ſubiectionem dictam ex parte creaturarum, S. Tho. art. 1. vocat ſeruitutē: *Secundùm quòd*, inquit, *omnis creatura Deo ſeruit, eius ordinationi ſubiecta, ſecūdùm illud Sapient. 16. Creatura tibi Factori deſeruiens*. Attamen magis proprio & conſueto modo loquendi inter omnes, nomen ſerui, non attribuitur omnibus rebus quæ, ſunt ſub dominio & iure alterius, ſed tantùm perſonis rationalibus. Non enim dicimus, agros, domos, veſtes, nummos, & ſimilia inanimata, quæ poſſidentur à ſuo domino, eſſe ſeruos illius: nec etiam equos, canes, & quæcunque animantia irrationalia. Sed tantùm ſeruos vocamus, alios homines qui ſunt ſub iure ac dominio alterius. Itaque ſerui propriè dicuntur illi qui ita ſunt ſub diſpoſitione alterius, vt ipſi percipere & exequi valeant ea quæ dominus diſpoſuerit vt ab ipſis fiant. Aliæ autem res dicuntur communi vocabulo bona alterius, & ſub ſingulis vocabulis, agri alterius, veſtes nummi illius, & ſic de ſingulis. Niſi quòd ratione alicuius ſubiectionis & oneris denominantur interdum & illo nomine: ſicut Cicero in Orat. cont. legem agrariam vocauit ſerua prædia. Et rurſus, licèt ſuo modo vocentur ſerui, etiam illi qui ſua voluntate alteri miniſtrant, & ex mercede conueniunt ad ſeruiendum; tamen hi dicentur potiùs miniſtri & mercenarij. Propriè autem ſerui ſunt, illi qui ex neceſſitate ſunt addicti alteri ad ſeruiendum, ita vt recedere non poſſint, nec aliam mercedem exigere poſſint: vt ſunt illi qui capiuntur in bello iuſto, aut iuſtè empti ſunt: & dicuntur mancipia. Et huic ſeruituti opponitur libertas & ingenuitas, libertas ſcilicet à ſeruitute: vnde qui olim ex ſeruis libertate donabantur, dicebantur liberti. Et de nomine ſerui ſic teſtatur Auguſt. lib. 19. de Ciuit. cap. 5. *Origo autem vocabuli ſeruorum in latina lingua inde creditur ducta, quod ij qui iure belli poſſent occidi, à victoribus cùm ſeruabantur, ſerui fiebant, à ſeruando appellati*. Ex dicto ergo modo ſubiectionis erga Deum, ſine dubio omnes homines, ac etiam Angeli, dici propriè debent, vt verè ſunt, ſerui & mancipia Dei: & in hoc ſenſu peculiari Deus eſt ac dicitur dominus Angelorum & hominum.

Digitized by Google

minum. Proprijſſimè tandem intra hoc genus vocantur ſerui Dei, illi qui ſincerè & promptè exequuntur iuſſa Dei, ſuntque iuſti & grati Deo. Sed loquendo ſpecialiter de Chriſto grauis cōtrouerſia exorta eſt, num & ipſe dici debeat ſeruus Patris, ſeruus Dei, intelligēdo nempe ſecundùm humanam naturam, qua reuera ſubiectus eſt illo modo Patri, ſubiectus Deo: de qua proinde re mox ſeparatim diſputabimus.

Tertia ſubiectio eſt, obligatio obediendi diuinis mandatis.

Circa tertium denique ſubiectionis modum, illa eſt ſubiectio omnino propria rationali naturæ, nempe vt obedire teneatur legibus & præceptis ſibi impoſitis. Hæc ſubiectio inuenitur apud homines, in illis qui alteri ſuperiori ſubduntur. Et poteſt quidem oriri ex plùribus capitibus ac titulis. Tum nempe ex titulo ſeruitutis modò dicto: tum ex titulo ſubordinationis politicæ, quo pacto ſubduntur ciues Regi, ſiue Magiſtratui, aut Prælato: tum ex titulo gubernationis domeſticæ, quo pacto tenentur obedire filij parentibus, vxor viro: & ſi quæ ſint ſimilia. In qua re propterea diſtinguitur dominium deſpoticum & ciuile ex parte ſuperioris, & ſubiectio ex parte inferioris: nempe dominium deſpoticum eſt, quod habet dominus in ſeruos ſeu mancipia; ciuile eſt, quod habet Rex in populos, & alij huiuſmodi ſuperiores. Satis autem notum eſt, omnes homines, vt etiam Angelos, eſſe ſic ſubditos Deo, quia omnino tenentur & obligantur obedire præceptis eius. De Chriſto verò eſt aliqua difficultas, quibuſnam præceptis ligaretur, quibus legibus obedire deberet: ideoq; hoc etiam ſubinde ſeparata ſectione diſcutiemus.

SECTIO TERTIA.

An Chriſtus dici poſſit ſeruus Patris, ſeruus Dei.

Sententia affirmans.

SAtis clarè S. Thomas hanc denominationem attribuit Chriſto. Dum art. 1. in corpore, propterea affert dictum Apoſtoli ad Philippenſ. 2., Filium Dei accepiſſe formam ſerui. Et in ſolut. ad 2. *Nihil prohibet, Chriſtum dicere Patri ſubiectum vel ſeruum ſecundùm humanam naturam*. Ac deinde art. 2. pariter concedit, Chriſtum ſecundùm humanam naturam eſſe ſeruū ſibi ipſi, ſecundùm diuinam naturam: & è conuerſo ſecundum diuinam naturam eſſe dominum ſibi ipſi ſecundùm humanam naturam. Habeturquè hic loquendi modus & hæc denominatio in plurimis Scripturæ locis.

Ex quibuſdam locis noui Teſtamenti.

In primis ex nouo teſtamento, ibi ad Philippenſ. 2., *Qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus*. Vbi, ne videretur dici forma ſerui pro ſola ſpecie & apparentia ſerui, ſicut quando exercebat opera & miniſteria ſeruilia erga ipſos homines & Apoſtolos, quibus propterea dixit Lucæ 22 *Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*: ideo inquam obſeruari debet, Apoſtolum pariter dixiſſe formā Dei, & ſimilitudinem hominum. Senſus ergo eſt, cùm eſſet in natura Dei verus Deus, accepit naturam ſerui, factus eſt ſeruus, dum factus eſt homo ſimilis prorſus nobis in humana natura. Matth. 11. videtur Chriſtus vocaſſe Patrem dominum ſuum, dum dixit, *Confiteor tibi Pater, domine cæli & terræ*: vt enim dixit Athanaſ. orat. 3. cont. Arianos, nomine cæli & terræ, Chriſtus voluit omnia comprehendere, etiam ſe ipsū. Et Ioann. 20. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deū veſtrum*: vt enim ſupponit S. Tho. art. 2. in 2. argum. *Sed contra*, idem fuit dicere Deum meum ac dominum meum: & dicendo Patrem eſſe Deum Chriſti, pariter dicetur Patrem eſſe dominum Chriſti, Chriſtum eſſe ſeruum Patris. Et ſic etiam quando dixit Apoſtolus 1. Cor. 3., *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti. Chriſtus verò Dei*, pariter dicere voluit, Dei tanquam domini, eſſe ſub dominio & poſſeſſione Dei.

Ex alijs locis veteris Teſtamenti.

Deinde ex veteri Teſtamento. Pſal. 105. in perſona Chriſti loquens Dauid inquit, *O Domine, quia ego, ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ*. Iſaiæ 42., in perſona Dei Patris loquentis de Chriſto, inquit Propheta, *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea*: & alia proſequitur quę continent manifeſtum

Digitized by Google

vaticinium de Chriſto. Et ita hunc locum affert Matthæus cap. 12., vbi licèt pro ſeruo legat, puer meus: compertum eſt, indifferenter in Scriptura ſolere dici puerum alicuius pro ſeruo illius. Et ſimiliter cap. 43. repetit Iſaias, *Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi*. Rurſus cap. 52. *Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur & ſublimis erit valde*: & plura Propheta proſequitur ibi & cap. ſequenti, vbi apertiſſimè prædixit Chriſti paſſionem: ac iterum in perſona Dei Patris repetit, *Iuſtificabit ipſe ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit*. Apud Zachariam etiam cap. 3. loquens Deus Pater de Chriſto inquit: *Ecce enim ego adducam ſeruum meum orientem*. Patet ergo quam ſæpe in ſacris litteris attribuatur Chriſto hæc denominatio ſerui erga Deum Patrem.

Ex Patribus & ratione.

Frequenter etiam & apertè Sancti Patres ſic loquuti ſunt. Athanaſ. Orat. 2. & 3. contra Arianos, Nazianz. Orat. 1. & 35., ibique Elias Cretenſis, Chriſoſt. ſerm. 7. ſuper Epiſt. ad Philippenſ., & Homil. quadam circa illa verba 1. Paralip. 17. *Quis ego ſum Domine*, quæ habetur in Tomo primo, Cyrill. lib. 12. Theſauri cap. 15., & Dialogo 6. de Trinit., & in defenſ. ſexti Anathematiſmi ex Concil. Epheſ., Ambroſ. lib. 7. Epiſtolarum Epiſt. 47. & lib. 5. de Fide cap. 4. & 6. & in Præfat. Pſalmi 35., Auguſt. Epiſt. 178. & ſerm. 5. de Tempore, Hieronimus circa loca allegata Iſaiæ, Hilar. lib. 11. de Trinit., Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap. 2., Iſidor. lib. 1. de Summo bono cap. 16., Gregor. lib. 2. Moral. cap. 16., Bernard. ſæpe in ſermonibus de Paſſione, Theodoret. ſuper eum locum ad Philippenſ., Rupertus ſuper locum Zaccariæ, Petrus Diaconus lib. de Incarnat. & grat. cap. 6. & alij paſſim, dicentes Filium Dei aſſumendo humanitatem tactam eſſe ſeruum, aſſumpſiſſe ſeruitutem, & conuenienter in ſacris litteris Chriſtum vocatum fuiſſe ſeruũ, & poſſe à nobis ſic appellari, abſque præiudicio & offenſione dignitatis eius, quia id ei conuenit ratione humanitatis, illæſa permanente excellentia & ſublimitate diuinitatis, ratione cuius è conuerſo eſt vniuerſalis princeps & dominus, ſicut eſt ipſe Pater. Ratione verò idem oſtenditur ex dictis ſect. ſuperiori de ſubiectione humanitatis Chriſti ſub iure, auctoritate & dominio Dei, quæ ſubiectio ſeruitutis nomine denotatur.

Sententia negans ex Adriano Papa, & Concilio Francfordienſi.

Attamen ex aduerſo occurrit, quòd tempore Caroli magni, tunc potentiſſimi Galliarum Regis, & poſtea Romani Imperatoris, Elipandus quidam Archiepiſcopus Toletanus, affirmabat, Chriſtum eſſe ſeruum Dei, & ſic vocari poſſe: ſimul etiam vocans Filium Dei adoptiuum, intelligens prorſus ſecundùm humanam naturam. Sed Adrianus primus, tunc Papa, & Concil. Francfordienſe hoc intuitu collectum auſpicijs & interuentu eiuſdem Caroli, & auctoritate Adriani, videtur pariter vtraque illam appellationem reprobare atque damnare tanquam hæreticam: imò ferè acriùs appellationem ſerui quàm filij adoptiui. Nam inter alia, ſic inuehitur Pontifex in Epiſt. ad Epiſcopos Salleriæ, & Hiſpaniæ. *Et, quod pudet dicere, ſeruum eum, impij & ingrati tantis beneficijs, liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenoſa fauce ſuſurrare: Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum ſeruum nuncupare, qui vos de ſeruitute Diaboli liberauit?* Et Concil. in Epiſt. ad Præſules Hiſpan. propè finem, *Cur eum ſeruum nominare debemus, qui nos amicos maluit nominare quàm ſeruos?*

Ex Scripturis & alijs Patribus.

Hinc nuper Vaſq. hoc loco diſp. 80., quem ſequitur Lugus diſp. 28., mordicus contendit, nullo modo poſſe hanc appellationem ſerui attribui Chriſto. Et licèt cap. 5. dicat, ſe aliorum iudicio relinquere an id pertineat ad dogmata fidei: tamen id ipſe conatur euincere. Additque aliam auctoritatem Concilij Alexandrini in Epiſt. 10. apud Cyrill. confirmata in Concil. Epheſino, vbi negatur Chriſtum eſſe ſeruum ſibi ipſi aut dominum, & affirmatur, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri, non tamen eſſe ſeruum. Inducit rurſus cap. 6. argumentum ex Sacra Script., quo vtitur ipſe Pontifex Adrianus in ſua Epiſtola, Non inuenimus in nouo Teſtamento, Chriſtum vocaſſe vnquam ſe ipſum ſeruum, aut Patrem ſibi dominum; quinimo etiam in ipſo paſſionis articulo, quando huma-

humanæ naturæ imbecillitatem maximè experiebatur, & maxima indigentia præmebatur, non Dominum, ſed Patrē appellauit. Et Ioann. 20. diſcretè appellauit Deum meum & Deum veſtrū, quia eius eſt Pater, aliorum eſt dominus, Nullus demum Apoſtolorum aut Euangeliſtarum illum appellauit ſeruum Patris, ſed non niſi Filium Dei, & dominum ac Saluatorem noſtrum. Accedunt quædam alia teſtimonia Patrum quę afferuntur ab eodem Concilio. Leo Papa ſerm. 2. de Natiuit. *Creata eſt forma ſerui ſine conditione ſeruili*. Et Auguſt. Homil. 39. *Dominus noſter etiam in forma ſerui non ſeruus, ſed in forma etiam ſerui dominus fuit*. Adducit quoq; Vaſqu. quædam alia teſtimonia. Chriſoſt. in Homil. 13. ad Hebr. *Seruus factus non manſit ſeruus*. Euſeb. Emiſſen. Homil. 6. de Paſchate, *Non poterat interueniente pro ſeruis adſtrictus legibus ſeruitutis, ſed qui eſſet eiuſdem generis, non eiuſdem conditionis, ac longè alterius libertatis*. Cyrill. in Expoſit. Symboli Niceni, *Accepit formam ſerui, vt liberi, non ſeruus exiſtens ad libertatis redije gloriam*. Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 21. *Eum ne ſeruum quidem nobis dicere licere*. Et lib. 4. cap. 19. *Caro Chriſti ob perſonalem cum Deo verbo vnionem id habuit, vt nec ſerua eſſet, nec in ignoratione verſaretur*.

Ex ratione

Ratione denique probat: quia de ratione ſerui eſt, ita ſub alterius dominio conſtitui, vt cum eo nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet, vt habetur ex Ariſt. 1. Politicor. cap. 3. Et ideo in humanis, licet filius ſit conſtitutus ſub dominio ſui patris, non eſt nec dicitur illius ſeruus, quia cum illo in bonis honore & ſede communicat. Sed certè humanitas Chriſti omnibus his modis cum Deo communicat: In illa enim habitat, omnis diuinitatis & dignitatis plenitudo. Facta eſt particeps eiuſdem ſedis diuinæ maieſtatis, vt eodem cum ipſo Deo cultu adoretur, & eodem ipſo Dei nomine inſignitur, ſiquidem dicimus hic homo eſt Deus. Vnde ſicut ſi Rex ancillam & ſeruam aſſumat ſibi in coniugem, hæc iam non remanet ſerua, dum ſit regina & particeps eiuſdem ſedis & honoris cùm Rege: ita multo magis humanitas Chriſti per vnionem ad Verbum. Non ergo Chriſtus vt homo & ſecundùm humanam naturam dici debet Dei ſeruus.

Diſtinguendæ ſunt plures acceptiones ſeruitutis.

Pro reſolutione, hæc quæ pro vtraq; parte oppoſita pugnant, cogere videntur, vt plures ſignificationes & acceptiones in ſerui nomine diſtinguantur, vt ſecundùm aliquam debeat concedi Chriſto, & ſecundùm aliquam negari: de reliquo enim non apparet, quoad rem attinet, quæ diſſentio & controuerſia ſupereſſe poſſit, ſuppoſita recta fide huius myſterij. Ex vna parte ergo poteſt ac debet nomen ſerui & ſeruitutis ſumi pro illa ſubiectione ſub iure & poteſtate alterius, quam ſect. præcedenti aſſignauimus, quæ reuera conuenit humanitati Chriſti: non enim per vnionem ad Verbum ſubtracta eſt ex pleniſſimo iure ac dominio Dei, ita vt etiam poſt vnionem potuiſſet Deus de potentia abſoluta, pro ſuo libito, abſq; vlla iniuria, abſolutè de illa diſponere, ac etiam à ſe dimittere & ſepararare, imò & annihilare. Hæc inquam ſubiectio debet ſeruitutis nomine appellari, vt Chriſtus ſecundùm humanam naturam dicatur hoc pacto Dei ſeruus. Hoc enim nomen Sacra ipſa Scriptura in tot locis illi attribuit: tot etiam Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores, S. Thomas hoc loco, alijquè Theologi valde communiter, etiam recentiores qui doctrinam Concilij Francofor., & Pontificis Adriani diligenter conſiderarunt. Suarez diſp. 44. ſect. 1., Raguſa, Vnigers, Kelliſon. hac q., Lorca diſp. 78., Bonacina diſp. 2. q. 14. puncto 2., Abra diſp. 2. cap. 2. q. 3. Theodorus Bergomenſis tract. de Trinit. q. 21. cap. 2.

Verè Chriſto ſecundùm humanitatē conuenit ſeruitus accepta pro ſubiectione ad dominium Dei.

Propterea Vaſqu. cap. 9. & 10., ait, Chriſto attributam tantùm fuiſſe appellationem ſerui ſecundùm nomen, non autem quòd reuera ſeruus ſit, aut in re ſeruilem conditionem in ſua humanitate habeat: ſed dictum eſſe ſeruum per figuram & metaphoram. Sicut vocatus eſt agnus, leo, lapis: non quòd reuera ita ſit per naturam harum rerum: ſed hæc nomina ſolùm illi attributa ſunt, figuratè & metaphoricè loquendo. Sicquè Adrianus ipſe explicauit

Digitized by Google

[illegible] loca ſcripturæ veteris teſtamenti in quibus videbatur Chriſtus vocari nomine ſerui.

Verum, tunc nomen dicitur de aliquo per figuram & metaphoram, quando per ſe quidem & directè ſignificat aliud, ſed ob ſimilitudinem aliquam & conuenientiam tranſfertur ad id quod metaphoricè dicitur. Sic leonis nomen per ſe ſignificat certam ſpeciem animalis irrationalis, ſed ad denotandam fortitudinem dicitur etiam de fortibus viris, & ſic dictum eſt de Chriſto. At planè non ita ſe habet nomen ſerui: neq; dicetur propriè quidē ſignificare aliud quid, & per ſimilitudinem dictum eſſe de Chriſto. Sed potiùs per ſe habet vnam talem ſignificationem, qua denotat ſubiectionem antea explicatam, & ſub tali ſignificatione per ſe & propriè conuenit Chriſto. Sic ſanè loquuti ſunt Patres, dum hoc nomen Chriſto attribuerunt; Sic etiam ſanè Scriptura, in ijs locis in quibus hoc nomen pronunciauit de ipſo Chriſto.

Adrianus verò Pontifex, ſpecialiter loquebatur de quibuſdam locis veteris Teſtamenti, quæ allata erant pro Eliſpando. Nempe Iob. 1. *Conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra*: & Pſalm. 115. *Ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ*: vbi Dauid ipſe loquebatur, & Iſaiæ 44. *Noli timere ſerue meus Iacob & rectiſſime quem elegi*. De his inquam locis dixit Adrianus, *In vmbra prophetia dictus eſt ſeruus propter ſeruilis formæ conditionem*. Et ſubdit de loco illo Iobi: *Hoc nos vnà cum B. Gregorio intelligimus ſecundùm hiſtoriam de S. Iob, & allegoricè de Chriſto dictum: Nunquid propterea ſerui ei nomen imponere debemus, quia ſub perſona Iob Scriptura eum typicè deſignauit?* Itaque nec etiam dixit Pontifex, Chriſtum fuiſſe vocatum ſeruum per figuram & metaphoram, ſicut vocatus eſt agnus & leo: ſed ſolùm conceſſit, Chriſtum fuiſſe propheticè adumbratum, & myſticè præfiguratum per illos qui vocati fuerant, & vere erant ſerui Dei, ſcilicet per Iob, Dauid, & Iacob. Bene autem Concilium in ſua Epiſt. commemorat illa nomina quæ dicta ſunt de Chriſto per metaphoram, *Leo, agnus, lapis, vermis, & multa alia, quæ omnia certas habent & myſticas ſignificationes*. Sed negat etiam tali modo Chriſtum dici poſſe adoptiuum, quia talis metaphora non inuenitur in Scriptura, aut in Eccleſia catholica: ſicut nec inuenitur vocatus lupus aut vultur. Et ſimiliter notat, non fuiſſe vocatum leproſum, ſed ſolùm dictum fuiſſe, *Nos putauimus eum quaſi leproſum*. Itaque Pontifex & Concilium non dixerunt, Chriſtum vocatum fuiſſe ſeruum per metaphoram: ſed prorſus negarunt, fuiſſe vnquam vocatum aut vocari poſſe ſeruum, in alia ſcilicet huius nominis ſignificatione, vt mox ſubiungemus.

Nullatenus conuenit ſeruitus contracta ex culpa.

Ex alia ergo parte aſſignari debet alia huius nominis ſignificatio, in qua nullatenus tribui poſſit Chriſto, & in qua Pontifex, & Concilium, & alij ex Patribus, prorſus negarunt, Chriſtum eſſe ſeruum, aut vocari poſſe ſeruum. Suarez hoc loco diſp. 44. diſtinguit duplex genus ſeruitutis: ſcilicet aliam ſeruitutem naturalem & intrinſecam, quæ per ſe conuenit humanæ naturæ hoc ipſo quod eſt creatura: aliam ſeruitutem legalem & pœnalem, quæ inducta eſt per peccatum, qua homo in captiuitatem redactus eſt, & factus eſt indignus diuinæ participationis. Atque de hoc genere ſeruitutis exponit Pontificem, & Concilium, & alios Patres, dum negarunt, Chriſtum aut dici poſſe ſeruum, idquè tanquam dogma fidei tradidere. Eandem expoſitionem approbant & ſequuntur Auctor Notarum in idem Concilium, Lorca, Theodorus Bergomenſ., & alij ex allegatis.

Sed verè quidem poteſt ſeruitus hoc modo accipi. Imo dicitur homo impius ſeruus peccati: vt Ioann. 8. *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*: & Apoſtol. ad Roman. 6. opponit ſeruos peccati, & ſeruos iuſtitiæ. Dicuntur etiam homines per peccatum facti fuiſſe captiui ſub poteſtate Diaboli. Et ex hac ſeruitute & captiuitate ſumus redempti per Chriſtum. Veriſſime etiam hęc ſeruitus erat prorſus aliena à Chriſto, vt eſt in fide notiſſimum. Et de hac ſeruitute, rectè intelligentur quædam verba Pontificis & Concilij, & quædam dicta Patrum, vt legenti patebit. Atta-

men hæc ſola expoſitio non ſatisfacit: quia ſane non hanc ſeruitutem Elipandus tribuebat Chriſto. Et quando vocauit illum captiuum, intellexit captũ & ligatum à Iudæis, ſicut flagellatum, & crucifixum. Aut ſi forte pro aliquo tempore tribuebat, vt dubitari poteſt ex quibuſdam verbis Concilij, dum ait; *Neſcio ex quo ſermo adoptatus in filietati vt Dei diceris:* & expreſſe talem ſeruitutem peccati pro omni tempore remouet à Chriſto, exemplo Adami qui ab initio factus fuit de terra virgine, non ſeruus peccati, ſed liber. Tamen adhuc aliam ſeruitutem Elipandus tribuebat Chriſto pro omni tẽpore, ſimul cum filiatione quam dicebat adoptiua: & Concil. & Pontifex hanc aliam etiã denegauit. Vnde Concil. diſtincte docere & probare proſequitur, Chriſtum nec fuiſſe ſeruum reſpectu hominum, nec reſpectu Angelorum, nec reſpectu Dei: & ideo concludit, *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in Baptiſmo & in Transfiguratione, filium non innuit, non ſeruum?* Poſſent quoque afferri aliæ acceptiones ſeruitutis, quæ Chriſto non conueniant. Sed non oportet quærere alias, præter illam quam intendebat Elipandus, & Pontifex cum Concilio refutauit, & Vaſquez ipſe in ſua ratione & probatione adducit.

Neutra ſeruitus excludens veram filiationem.

Alia ergo ſignificatio & acceptio ſeruitutis eſt, quæ excludit communicationem in bonis, honore, ſede, ac dignitate. Hæc vtique ſeruitus non conueniebat Chriſto, non erat Chriſtus hoc modo ſeruus Patris, ſorcens Dei. Siue clarius dicamus, quædam acceptio ſeruitutis eſt, quæ excludit vnitatem perſonæ cum Deo, vnionem ſubſtantialem hypoſtaticam cum diuina perſona. Huiuſmodi ſeruitutem habent ſane omnes homines & Angeli, quantumuis iuſti & ſancti, ac etiam Beati: omnes enim ita ſunt pure ſubiecti Deo, vt non ſunt ipſi Deus, non ſunt vna realiter perſona cum Deo, ita ſunt pure ſerui & filij adoptiui, vt non ſint filij naturales per ſubſtantialem vnionem in perſona cum Filio Dei. Hæc inquam, eſt ſeruitus & adoptio, quam Elipandus tribuebat Chriſto: non enim errabat in ſolo nomine & modo loquendi, ſed grauiſſimẽ in re ipſa. Hanc ſeruitutem cum adoptione iure optimo Pontifex cum Concilio tam ſolerter & acriter improbauit, & tam vehementer aduerſarios increpauit. Hoc ſane ſenſu, nunquam in ſacris litteris Chriſtus nominatus eſt ſeruus, ſicut alioqui nominati ſunt, Iob, Dauid, Iacob, & omnes alij quantumuis ſancti. At vero Vaſquez hac diſp. 80. cap. 4. indicans hanc interpretationẽ, qua dicatur Elipandus duas in Chriſto perſonas diſtinxiſſe, & ipſum purum hominem & purum ſeruum Dei pronunciaſſe: promittit, infra diſp. 89. vbi agit de adoptione Chriſti, apertiſſime demonſtrare, hunc errorem falsò imponi Elipando. Sed ex aduerſo nos infra q. 23. vbi agitur de adoptione Chriſti, perſpicue oſtendemus, hunc prorſus fuiſſe errorem Elipandi, eũdem ſcilicet cum Neſtorio. Interim ſi Vaſq. velit ſuſtinere ſuam ipſius doctrinam, & nolit Elipandum habere ſibi concordem: dum in ſua ratione explicat, ſeruitutem excludere communicationem in bonis honore & ſede tenebitur fateri, Elipandum tribuiſſe talem ſeruitutem Chriſto, quæ vtique multo magis excluderet realem & ſubſtantialem vnitatem perſonæ.

Ita conciliantur dicta Scripturæ Eccleſiæ, & Patrum.

Ex his ergo penes diuerſas acceptiones ſeruitutis conciliari debent auctoritates & rationes antea adductæ, quæ nempe concedebant, & quæ negabant talem denominationem in Chriſto. Neque vero Pontifex Concil., & illi Patres negare voluerunt omnem prorſus acceptionem & appellationem ſeruitutis. Sed ſanè non ignorabant, dictum Apoſtoli, *Formam ſerui accipiens*. Et Pontifex vocauit ſeruilem formam. Et clariſſime Carolus Magnus in Epiſt. ſua ad Elipandum, quæ habetur ſimul cum Concilio, ſic fatetur: *Vna perſona Deus & homo, vnus mediator Dei & hominum: in forma Dei æqualis Patri, in forma ſerui minor Patre: in forma Dei creator, in forma ſerui redemptor*. Vbi ſane forma dicitur pro natura: ac ſi dicatur, Chriſtus inquantum Deus, eſt æqualis Patri & rerum creator, inquantum ſeruus ſecundum humanam naturam, eſt minor Patre, & eſt hominum redemptor paſſione ſua. Neque vllum inconueniens

Digitized by Google

ad huius effectum conciliationis inducere has diuerſas acceptiones ſeruitutis. Quinimò etiam in ipſis puris hominibus reſpectu Dei ſimile quid inuenitur. Etenim ex vna parte compertiſſimum eſt, omnes quantumuis iuſtos & beatos, verè eſſe ac dici debere ſeruos Dei. Sed ex alia parte Chriſtus ipſe Ioann. 15. dixit: *Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Et Apoſtolus ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum vt adoptionem filiorum reciperemus; quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater: itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius, quòd ſi filius & heres per Deum.* Oportet ergo, præter illam acceptionem ſeruitutis, quæ vltro tribuitur omnibus quantumuis amicis & filijs adoptiuis Dei, agnoſcere aliam acceptionem quæ excluderet amicitiam & adoptionem, atque participationem ſecretorum & hereditatis, & hæc ſeruitus negatur iuſtis & ſanctis. In ipſis autem hominibus inter ſe filius non dicitur ſeruus patris, nec vxor viri, licet ſint ciuiliter ſubiecti. Et in caſu quo quis deſponſaret ſibi illam quæ erat ſerua, non diceretur nec eſſet amplius ſerua. Et in caſu quo quis adoptaret ſibi in filium illum qui erat ſeruus & mancipium, iam hic deſineret eſſe ſeruus; vt dicitur in Inſtitut. Iuris ciuilis Titulo de Adopt. §. vltimo. Et ratio eſt: quia non ita filius ſubditur patri, & vxor viro, vt poſſit de illis deſpoticè diſponi, ſicut poteſt fieri de ſeruis mancipijs: nec certe poſſet pater aut vir, ex mero libito, & abſque certis quibuſdam cauſis abijcere & expellere filium aut vxorem. At loquendo reſpectu Dei, quantumuis aliquis ſit iuſtus & ſanctus, atque adeo filius Dei adoptiuus & heres gloriæ: tamen adhuc ita ſubeſt ſub pleno iure ac dominio Dei, vt de potentia abſoluta non ſolùm poſſet abijci & expelli, ſed etiam annihilari: vnde ſemper eſt ac dici debet ſeruus Dei. Et ſimiliter quoad hoc, vnio ipſa hypoſtatica naturæ humanæ cum perſona diuina ſita relinquit adhuc talem naturam ſubiectam ſub pleno dominio & poteſtate diuina, vt abſolutè poſſet a Deo dimitti ac etiam annihilari: & ideo ſemper illi competit appellatio ſeruitutis in priori acceptione explicata.

SECTIO QVARTA.

An & quibus diuinis præceptis Chriſtus erat ſubditus & obligatus.

DEbebat vtique Chriſtus ſecundùm humanam naturam & voluntatē obſeruare illa præcepta, quæ ſunt de lege naturali, & de lege Dei æterna, quæ in idem recidunt, non debent alij homines: tàm inquam præcepta negatiua, vt non mentiri non periurare: quàm præcepta affirmatiua, vt diligere Deum, diligere proximum. Eſt res clara & indubitabilis: non enim vnio hypoſtatica licitum faciebat Chriſto, mentiri, non diligere Deum, & alia huiuſmodi. Neque Deus diſpenſauit cum humana voluntate Chriſti in ſua lege æterna ac naturali, nec opportuna aut conueniens fuiſſet talis diſpenſatio, etiā ſi fuiſſet poſſibilis. Sed neque ſimpliciter diſpenſari poteſt in lege æterna & naturali, vt tractauimus ſuo loco 1. 2. q. 94. ſect. 3. Benè tamen cogitari poteſt, per modum mutationis materiæ, Chriſtum non fuiſſe obligatum quibuſdam præceptis quibus alij particulares obligantur: vtpotè non poteſt homo priuatus auferre vitam aut bona alterius, quia non habet legitimam auctoritatem: Chriſtum autem id potuiſſe, tanquam Regem & dominum, ſicut poſſunt etiam Iudices & Principes inter homines, ſeruatis regulis iuſtitiæ. Quod certè nō eſt quenquam ſubtrahi ex obligatione legis naturalis: ſed eſt potiùs alicui ſubtrahi materiam talis legis, quæ alijs hominibus occurrit.

Chriſtus penès humanam volũtatem obligabatur præceptis legis æternæ & naturalis.

Debet autem propriè ratione talis obligationis Chriſtus dici eſſe ſubditus & ſubiectus legi, quantum ſcilicet ad humanam naturam & voluntatem. Habeturque hic loquendi modus ex S. Thoma, non ſolùm hoc loco, dum ſtatuit tertium modum ſubiectionis in Chriſto

Poterat verè dici ſubditus ijs præceptis ...

aſſignauit: ſed etiam 1. 2. q. 93. art. 4. ad 2., vbi agens de lege æterna & de ijs quæ illi ſubijciuntur, concedit, ſubijci Chriſtum ratione humanitatis legi æternæ, ſicut dicitur ſubiectus Patri. Ratio quoque habetur ex dictis: quia verè humana Chriſti natura, atque adeo etiam voluntas, manſit ſecundùm ſe inferior & ſubiecta Deo: igitur verè illi competit hæc etiam denominatio ſubiectionis ad legem Dei. Et hoc eſt diſcrimen quare Deus ipſe & diuina voluntas dici non poſſit ſubdi legi, vt notauimus 1. 2. q. 90. ſect. 8. Quia nimirum diuina volunta. per ſe & ab intrinſeco determinatur ad ea quæ recta ſunt, nec reſpicit regulam vllam ſibi ſuperiorem, vnde illi tribui non poteſt reſpectus vllus ſubiectionis. Voluntas autem humana Chriſti verè ſubeſt regulæ ſibi ſuperiori: nec eſt per ſe & ab intrinſeco determinata ad ea quę recta ſunt. Sed benè quidem per vnionem ad perſonam diuinam facta eſt impeccabilis: quia debetur illi talis aſſiſtentia & directio Dei, vt Deus debeat ſemper illam regere, & nunquam permittere illam labi, vt antea ſuo loco explicauimus. Quod quidem non facit, vt voluntas Chriſti non ſit ſubdita legi, ſed facit vt non poſſit deuiare à lege cui ſubditur, facit vt certiſſimè & inuiolabiliter ſemper adimpleat omne præceptum quo verè obligatur.

Potuiſſet obligari præceptis etiam poſitiuis.

Rurſus poterat quoque humana Chriſti voluntas obligari præceptis poſitiuis, quæ ſcilicet ex voluntate ſuperioris imponuntur: & quoad hoc quoque verè ſubdebatur humana Chriſti voluntas voluntati diuinæ. Idquè ſatis manifeſtum eſt ex hactenus dictis de ſubiectione humanitatis Chriſti ad Deum. Potuiſſet etiam abſolute loquẽdo relinqui humana Chriſti voluntas cum ſubiectione & obligatione erga humanos principes & ſuperiores, ſicut ſubduntur alij homines: non enim apparet in hoc repugnantia & contradictio reſpectu diuinæ potẽtiæ abſolutæ.

An de facto fuerit ijs obligatus

De facto autem, videri quidem poteſt, Chriſtus fuiſſe obligatus & ſubditus legi diuinæ poſitiuæ, ac etiam humanis legibus terrenorum principium. Etenim Apoſtolus ad Galat. 4. apertè dixit, *Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege*. Et Chriſtus ipſe ita de ſe ipſo profeſſus eſt Matth. 5. *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem aut Prophetas, non veni ſoluere ſed adimplere*. Et in facto ipſo ita oſtendit, quia circuncidi voluit, & alios veteris legis ritus obſeruauit. Propterquè Ioannes Medina Cod. de Pœnit. tract. 3. q. 1., docuit, reuera Chriſtum fuiſſe ſubditũ & obligatum Moſaycæ legi, ſicut erant alij de Iſraelitico populo. Rurſus reſpectu humanorum ſuperiorum dicitur Lucæ 2. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*, ſcilicet Mariæ matri, & Ioſepho qui habebatur vt pater: hoc autem eſt vnum ex generibus humanæ ſubiectionis & obligationis, quam habent filij erga parentes in domo. Sed etiam pro illo genere ſubiectionis & obligationis quam habent ciues in regno erga Magiſtratus & principes, facit quod Petrus Matth. 17. interrogatus ab exactoribus tributi, an Chriſtus illud ſolueret, reſpõdit, *etiam*: & ſtatim ipſe Chriſtus conſenſit, expreſſè dicens Petro, *Da eis pro me & te*. Et quod dixit Pilatus Ioannis 19. *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te*: vbi Chriſtus non ſolùm non negauit talem poteſtatem, ſed vltro confeſſus eſt, illi datam fuiſſe à Deo, *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*: ea nempe ratione qua dixit Apoſtolus ad Roman. 13., *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo*. Vnde non defuerunt qui putauerint, verè Chriſtum fuiſſe ſubditum humanis principibus, & obligatum legibus tributorum. Et ita dixiſſe referuntur Marſilius Patauinus & Ioannes de Tanduno.

Non obligabatur Chriſtus lege poſitiua diuina veteri.

Aſſerendum tamen eſt, Chriſtum fuiſſe prorſus expertem talis obligationis omnium huiuſmodi poſitiuarum legum, nec fuiſſe ijs ſubditum ſed ſolutũ: ſed tamen ex ſuperabundantia ſuæ virtutis voluiſſe eos pariter obſeruare. Eſt res communis & certa. Et quantum ſpectat ad Moſaycam legem; notauit optime S. Thomas infra q. 37. art. 4. *Chriſtus, licèt non eſſet legi obnoxius, voluit tamen circumciſionem & alia legis onera*

onera ſubire, ad demonſtrandum humilitatis & obedientiæ exemplum. Idemque alij Patres & Expoſitores notare ſolent circa illa Euangelij loca, in quibus obſeruantia Chriſti narratur. Et hæc immunitas Chriſti ab illa lege, colligitur ex verbis eiuſdem Matth. 12., *Dominus eſt Filius hominis etiam ſabbati*. Et rationibus ſuadetur. Tum quia Chriſtus venerat vt per nouam legem imponeret finem illi veteri, & obligationem eius tolleret: ergo non debet ipſe eſſe obligatus & ſubditus illi legi. Tum quia Chriſtus daturus erat gratiam per quā homines liberarentur ab illa lege: ergo multo magis ipſe, tanquam auctor gratiæ, erat liber ab illa lege. Tum etiam, præceptum circuncisionis datum fuerat pro ſolis poſteris Abrahæ, & alia præcepta veteris legis pro ſolis poſteris Iſrael: idque intelligi debet pro ijs qui naturali via & ordine per ſeminalem propagationem ex illis deſcendebant: illa ergo obligatio non comprehendebat Chriſtum, qui modo ita ſingulari & extraordinario conceptus erat ex Virgine. Et eſt res ſimilis: ſicut pactum initum cum Adamo pro tota poſteritate generis humani, complectebatur ſolùm illos qui naturali via propagandi erant: vnde Chriſtus nullatenus fuerat obnoxius originali vinculo: ita pariter in hoc ligamine veteris legis. Tum demum & præcipuè, cùm Chriſtus eſſet verus Dei filius naturalis, eiuſque humana natura eſſet coniuncta in vnitate perſonæ cum Verbo diuino, hoc ipſo erat prorſus immunis ab obligatione illius veteris legis, quæ nullatenus vltra puros homines extendebatur.

Nec noua. Rurſus non ſubdebatur Chriſtus nouæ & euangelicæ legi: ſiquidem eius legis ipſemet erat auctor & lator. Atqui per ipſam humanam ſuam rationem & voluntatem, ex diſpoſitione tamen diuina, imponebat noua præcepta quæ deinceps permanent in Eccleſia: non ergo eadem humana Chriſti voluntas ſubdebatur illi legi. Sed nec ſimpliciter tenebatur Chriſtus illa ſua præcepta obſeruare, eo modo quo alioqui humani legiſlatores cenſentur ſuiſmet legibus obligari, ita vt teneantur eas obſeruare. Tum quia Chriſtus habebat longe altiorem & excellentiorem poteſtatem & maieſtatem, quæ eum prorſus eximebat à tali obligatione. Tum etiam inter ipſos humanos legiſlatores, tunc Princeps tenetur obſeruare ſuammet legem, quando lex eſt ita communis, vt ſit ei etiam conueniens & proportionata: alioqui quando lex reſpicit peculiariter ſubditos ob ſtatum illorum differentem à ſtatu Principis, tunc planè non tenetur Princeps eandem ſeruare legem. Certe autem lex Chriſti erat accomodata ſolis Fidelibus qui in eum credere debebant; ſiue peccatoribus qui iuſtificatione & remedio indigebāt, vt de eius redemptione participarent; & viatoribus qui erant in ſtatu proficiendi per augmentum gratiæ: ad hos enim effectus ordinata ſunt præcepta ſacramentorum quæ Chriſtus inſtituit: plane ergo non poterant cadere talia præcepta in ipſum Chriſtum.

Nec tādem Chriſtus ſubdebatur aut obligabatur vllis humanis legibus terrenorum Principum. Patet ex verbis ipſius Chriſti Matth. 17. Vbi Chriſtus præueniens Petrum qui rogatus fuerat ab exactoribus Tributi, dixit, *Quid tibi videtur Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filijs ſuis an ab alienis?* Et reſpondēti Petro, *Ab alienis*, replicauit Chriſtus, *Ergo liberi ſunt filij*. Quaſi diceret, ſi filius terreni Regis eſt liber à tributo: quantò magis ego qui ſum filius Dei & ſupremi domini omnium rerum. Vnde merito oppoſitam ſententiam damnauit vt hereticam Ioannes Papa vigeſimus ſecūdus in quadam Extrauaganti quam refert Turrecremata lib. 4. Summæ part. 2. cap. 37. Patet etiam ratione: quia Chriſtus erat ipſe ſuperior omnibus hominibus, & quibuſcunque Principibus ac Regibus, habens poteſtatem leges ferendi & omnes obligandi: nullatenus ergo ipſe ſubdebatur aut obligabatur vllis humanis legibus. *Nec vlla lege humana.*

Nihilominus tamen, iuxta ſecundam concluſionis partem, voluit Chriſtus ſua ſponte obſeruare Moſaycam legem. Et ita S. Tho. q. 40. art. 4 docet, *Quod Chriſtus in omnibus ſecundùm legis præcepta conuerſatus eſt*. Et reddit plures conuenientiæ rationes: nempe vt ita *Sed ſua ſponte illas obſeruauit.*

Chriſtus illam legem approbaret: vt eam in ſeipſo conſummaret: vt occaſionem calumniádi ſubtraheret Iudæis: vt alios homines à ſeruitute legis liberaret. Et obſeruabat etiam Chriſtus legem ſabbati. Nam quando ſanauit quoſdam in die ſabbati, & quando diſcipuli collegerunt ſpicas in ſabbato ad manducandum, Chriſtus ipſe declarauit, potuiſſe licite fieri opera miraculoſa, & opera neceſſaria. Itaque Matth. 12., comprobauit exemplo Dauidis qui cum ſocijs laicis comedit de panibus propoſitionis: & exemplo Sacerdotum qui in ſabbatis perficiebant in templo ea quæ ſpectabant ad cultum Dei. Quamuis addidit etiam, quod ipſe potius non tenebatur lege ſabbati, quia erat dominus ſabbati. De lege autem ſua euangelica, non habuit Chriſtus quid conuenienter obſeruaret: niſi quod in nocte cœnæ ſumpſit etiam ipſe Euchariſtiam. De legibus demum humanis, contentus fuit ſoluere tributum, reddens ibi rationem, *Vt non ſcandalizemus eos*. Imo contentus etiam fuit acceptare & ſubire ſententiam mortis, ſibi illatam ab iniquiſſimis Iudicibus & miniſtris, ob finem nempe & effectum noſtræ redemptionis & ſalutis.

Et ſic explicantur loca Scripturæ.

Atque iuxta hæc accipi & verificari debent, illa quæ ſuadere videbantur ſubiectionem Chriſti ad diuinas & humanas leges. Nempe Deus Pater miſit filium ſuum factum ſub lege, ideſt qui ſua ſponte obſeruaret legem, quaſi ſubditus & obligatus illi eſſet. Vel factum ſub lege, intelligendo legem æternam & naturalem, qua vere quidem Chriſtus obligatur. Aut intelligendo legem, qua nos ebnoxij eramus diuinæ iuſtitiæ, qua debitores eramus ſubeundi ſupplicia pro noſtris peccatis: Chriſtus factus ipſe eſt ſub hac lege, dum in ſe aſſumpſit onus ſatisfaciendi & ſoluendi pro nobis: vnde dictum eſt, portaſſe peccata noſtra, & tuliſſe noſtros languores & dolores. Item Chriſtus non venit ſoluere ſed adimplere legem: quia reuera illam obſeruabat & non violabat, quamuis non teneretur ex obligatione. Et præcipue non ſoluit ſed adimpleuit veterem legem & Prophetas: quia perfecit, & verificauit quæcunque figurata & prædicta erant apud veterem legem & Prophetas. De reliquo autem abſtulit etiam pro omnibus alijs obligationem illius veteris legis. Et ita iam diximus ſuo loco 1. 2. q. 98. ſect. 9. Rurſus obſeruabat Chriſtus ſubiectionem ad Mariam & Ioſeph: quia erga illos reuerenter ſe gerebat, & verbis eorum obtemperabat, non ex obligatione, ſed ex ſua eximia virtute, & ad præbendum cæteris, obedientiæ, humilitatis, & filialis pietatis exempla. Demum iuſſit Chriſtus pro ſe ſolui tributum, non quia teneretur, ſed ne oriretur ſcandalum, quia certè notum nō erat exactoribus qui & qualis ipſe eſſet, prorſus immunis. Petrus autem ex ſe antecedēter illo modo reſpondit: vel quia nondum ſatis inſtructus tunc ex ſimplicitate putabat Chriſtū teneri: vel ſolum etiam affirmauit id quod ipſe putabat Chriſtū eſſe facturū, aut fortaſſe aliàs quoq; viderat ipſū feciſſe. Quando vero Chriſtus viſus eſt acceptaſſe poteſtatem Pilati tanquam à Deo datam: vel intellexit quoad apparentiam, quia Chriſtus ipſe ex ordinatione ſuperna volebat ſe gerere vt illi ſubditum, ſubeundo iudicium & ſententiam illius. Vel intellexit de poteſtate phyſica, quæ ſtat etiam abſque iuſta & legitima authoritate: & talem poteſtatem tunc Deus dabat permittendo, vt impius Præſes & miniſtri poſſent occidere Chriſtum, & ordinando vt Chriſtus pateretur: ſicut antea ipſe dixerat, Lucæ 22. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: & ſicut poſtea dictum eſt Actor 4., *Conuenerunt Herodes & Poncius Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri*.

An Chriſtus obligatus fuerit ſpeciali præcepto patiendi pro hominibus.

Cæterum, præter hæc quæ generaliter dicta ſunt, ſpecialiter dubitatur, num Chriſtus habuerit præceptum patiendi & moriendi pro redemptione generis humani. Et quidem Chriſtus ipſe vocauit mandatum Ioann. 10 & 14., *Hoc mandatum accepi à Patre, ſicut mandatum dedit mihi Pater*. Vocauit præceptum Ioann. 15. *Patris mei præcepta ſeruaui*. Quæ omnia referuntur ad opus noſtræ redemptionis & ſuæ paſſionis. Vocauit etiam legem per Dauid

Dauid Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei*. Ideo etiam paſſio Chriſti, vocatur opus obedientiæ: ad Roman. 5. *Per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi*: ad Philippenſ. 2. *Factus obediens vſque ad mortem*. Obedientia enim exercetur reſpectu ſuperioris præcipientis: Ideoque etiam Chriſtus in ſua oratione Matth. 26. dicebat, *Pater ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua*. Et in hoc ſenſu D. Thomas infra q. 47. art. 2. affirmat, Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum ex obedientia: & explicat per plures conuenientiæ rationes, quæ ſuadent interceſſiſſe præceptum. Idemque ſentire ſolent alij Theologi, & Expoſitores ſacri circa hæc loca.

Tale præceptum non impediebat libertatem & meritũ Chriſti.

At ex aduerſo aliqui opinati ſunt, hoc præceptum non potuiſſe conſiſtere cum libertate Chriſti, qui nimirum erat impeccabilis; atque adeo non potuiſſet prætermittere opus paſſionis, ſi ei fuiſſet impoſitum ſub præcepto. Verùm, iam antea quæſt. 12. ſatis oſtendimus, potuiſſe optime ſimul conſiſtere in Chriſto, libertatem voluntatis, obligationem præcepti, & impeccabilitatẽ de omni culpa. Rurſus aliqui, ſalua etiam libertate, opinati ſunt, obligationem præcepti non potuiſſe conſiſtere cum ſatisfactione & merito: ideoque, dum Chriſtus per paſſionem & mortem ſuam debebat ſatisfacere & mereri pro nobis, non potuiſſe ad id obligari per præceptum. Idquè videtur indicare Baſil. lib. 4. cont. Eunom. dicens, *Si nihil à ſeipſo Saluator facere poterat, ſed imperante Patre, nec bonus eſt nec malus*. Sed etiam rationem meriti & ſimpliciter ſatisfactionis, nullatenus impediri per obligationem præcepti; quinimo nos ipſos de facto verè mereri apud Deum per opera quæ alioqui tenemur facere ex præcepto; in vniuerſum oſtendimus de merito 1. 2. q. 114. ſect. 3. Baſil. vero ibi, tantùm voluit, non fuiſſe neceſſarium Chriſto præceptum adhoc vt operari poſſet: quod ſane verum eſt, quia ſane poterat Chriſtus operari abſq; præcepto. Itaque reuera Chriſtus adhuc habuit ſufficientem libertatem, & merebatur ac ſatiſfaciebat, etiam in illis operibus, quæ diximus potuiſſe illi ſub obligatione incumbere. Atque adeo nihil ex hac parte obſtabat, quominùs potuerit obligari ex præcepto ad perficiendum opus redemptionis per paſſionem & mortem ſuam.

Sed aliunde de vero cauſi poteſt in dubium.

Sed aliunde ſumi poteſt, non extitiſſe de facto talem obligationem & præceptum. Etenim de paſſione Chriſti dictum eſt Iſaiæ 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*: non dixit Propheta, quia tenebatur ex præcepto Patris, ſed quia ipſe voluit. Et Chriſtus ipſe Ioann. 10. ſignificauit fuiſſe ſibi rem arbitrariam & voluntariam, *Ego pono animam meam à me ipſo. poteſtatem habeo ponendi eam*. Et Matth. 26. in ipſo paſſionis articulo dixit Petro, *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum*: at ſi tenebatur ex præcepto Patris ſubire mortem, nec ipſe potuiſſet rogare, nec Pater ei dediſſet ſubſidium Angelorum, qui eum a morte eriperet. Et Chryſoſtomus homil. 59. in Ioann. & homil. 7. in Epiſt. ad Philippenſ., & Theophilact. ſuper Ioann. 14. & 15. & Anſelm. lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 9. & 10., ſatis clare docuiſſe videntur, Chriſtum non habuiſſe tale præceptum, ſed ſolùm propter beneplacitũ Patris & ob amorẽ noſtræ ſalutis expoſuiſſe ſe morti.

Ex inſtitutione ipſa incarnationis, abſque alio diſtincto præcepto, obligabatur Chriſtus.

Propter hoc dici poterit, non interceſſiſſe quidem peculiare præceptum Patris per modum legis poſitiuæ, quo obligaret Chriſtum: ſed tamen hoc ipſo quod Chriſtus noſcebat finem ob quem Pater eum miſerat in mundum, & perfecerat myſterium hypoſtaticæ vnionis in natura humana & in carne paſſibili, nempe ob redemptionem generis humani & tam magnam gloriam ſuam, & noſcebat determinationem diuinam & neceſſitatem de tali medio, ſcilicet paſſione & morte ſua, hoc ipſo inquam, ex natura ipſa & vi charitatis erga Deum & homines, manſiſſe Chriſtum obligatum vt ſe exponeret paſſioni & morti. Et certe per ſe manifeſtum apparet, huiuſmodi ſolam ordinationẽ diuinam fuiſſe ſufficientem ad inducendam hanc obligationem. Dum enim

Deus

Digitized by Google

Deus inſtituit tàm ſingulare incarnationis myſterium, vt ubi pro noſtris peccatis ſatisfieret, & homines redimerentur, plane tenebatur humana Chriſti voluntas conſentire ad perficiendam talem ſatisfactionem & redemptionē. Etenim charitas erga proximum, obligat quemlibet priuatum hominem ad ſuccurrendum alteri particulari in ſpirituali & corporali neceſſitate; vtique obligabat Chriſtum qui cōſtitutus erat caput omnium hominum, ad ſuccurrēdum toti humano generi in tàm extrema neceſſitate, vt nos eriperet à ſumma miſeria, & proueheret ad tàm eximium bonum quale eſt beatitudo: ad quod totum vnicum erat inſtitutum remedium ſuæ paſſionis. *Si etiam* charitas erga Deum obligat in aliquo particulari caſu pro eius honore & gloria exponere vitam: vtique in tàm ampla materia obligabat Chriſtum, qui erat vnicus filius ipſius Dei, & vnice aptus ad exhibendum infinitum honorem & gloriam ipſi Deo Patri. Stante autem hac obligatione, non oportebat addi aliud poſitiuum præceptum, nec ſupereſt fundamentum ad illud ſuperaddendum.

Sic verificantur illa quæ fundabant obligationem.

Sic enim ſatis verificantur omnia loca Scripturæ, quæ indicabant obligationem & præceptum: quia etiam illa quæ ſunt de lege naturali, vocantur præcepta & mandata, ſuntquè præcepta Dei ex lege æterna, cuius participatio & velut promulgatio eſt lex naturalis, vt in ſuo tractatu de lege vidimus. Et ſimiliter reſpectu præcepti naturalis verè & propriè exerceri ac nominari poteſt obedientia. Et inſuper in hac re, non niſi ex voluntate & libertate Dei factum eſt, vt ordinatum fuerit myſterium incarnationis, & inſtitutum fuerit medium paſſionis Chriſti, ad dictum finem ſatisfactionis diuinæ & redemptionis noſtræ.

Et illa quæ tollebant præceptum.

Ex alia parte verificantur etiam illa quæ tollebant obligationem præcepti: hoc intelligendo de alio diſtincto præcepto poſitiuo. Et ita Anſelm. cap. 9. ante medium dicebat, *Chriſtum ſponte ſuſtinuiſſe mortem, non per obedientiam deſerendi vitam, ſed propter obedientiam ſeruandi iuſtitiam* Et in fine concludit. *Sic ergo voluit Deus Pater mortem Filij: quia non aliter voluit mundum ſaluare: quod Filio volenti ſalutem hominum tantundem valuit, quantum ſi illi mori præciperet: vnde ille ſicut mandatum illi dedit Pater ſic fecit, & calicem quem dedit illi Pater bibit obediens vſque ad mortem.* Similiter Chryſoſt. illa homil. in Ioan. *Qui à ſeipſo animum ponit, præcepto non indiget, nihil autem aliud hoc in loco præceptum ſignat, quàm cum Patre concordiam.* Et præterea Scriptura denotare voluit, paſſionem & mortem fuiſſe repoſitam in voluntate Chriſti, ad excludendam violentiam ex parte hominū: ideſt quod nullus potuiſſet capere & occidere Chriſtum, niſi ipſe voluiſſet capi & occidi: voluit autem ipſe, & quidem promptiſſimè ac libentiſſimè adimplere obligationem dictam ortam ex ordinatione & inſtitutione incarnationis ac noſtræ redemptionis, abſque alio diſtincto præcepto. Et ad hoc oſtendendum, ſua ſponte proceſſit in hortum & iuit obuiam ipſis miniſtris qui eum capturi erant. Itaque oblatus eſt, non quia per humanam vim adigi potuiſſet ad mortem, ſed quia ipſe voluit offerri, vt ſatisfaceret Patri, & redimeret homines. Habebat ipſe poteſtatem ponendi animam ſuam, quia nullus hominum eum cogere potuiſſet: & ideo dicebat, *Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſe*: excludebat ergo neceſſitatem violentiæ ex parte hominum, non autem obligationem ex parte diuinę inſtitutionis. Hinc Chryſoſt. ibidem: *Si nos in latronum inſidias inciderimus, non habemus liberam faciēdi quod volumus poteſtatem, velimus nolimus nos interficiunt; Chriſtus autē etiam inſidijs circumuentus, ſui iuris erat moriendi nec ne.* Auguſt. Tract. 47. in Ioann. *Ego inquit illam pono, non glorientur Iudæi, ſæuire potuerunt, poteſtatem habere non potuerunt, ſæuiant quantum poſſunt, ſi ego noluero animam meam ponere, quid ſæuiendo facturi ſunt?* Demum poterat rogare Patrem, ideſt non poterat impediri humana vi, quominus obtineret à Patre ſubſidium; nec poterat impediri Pater quominùs præberet ſubſidium; non poterant præualere homines, vbi præſto fuiſſent tot millia Angelorum;

non

non eguiſſet auxilio hominum, cui tot Angelici exercitus militabant. Idquè dixit ad reprimendum impetum Petri, qui gladio ſuo illum defendere putabat. Sed ſimul indicauit Chriſtus, aliunde vrgere obligationem ratione diuinæ ordinationis, ſubdens, *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Vel vt exponit ibi Maldonatus, potuiſſet Chriſtus rogare & accipere ſubſidiũ a Patre, ſi non interceſſiſſet ordinatio ipſius Patris: vnde ſic figurat verba Chriſti: *Putaſnè*, ſi non *ſciuiſſem decretum eſſe à Patre meo vt morerer, non potuiſſe me petere &c.* Addiderunt aliqui, quod Chriſtus potuiſſet petere diſpenſationem præcepti à Patre. Sed tamen hoc ad ſummum dici poſſet in caſu quo fuiſſet præceptum poſitiuum: non verò poteſt dici de obligatione per ſe & naturaliter orta ex inſtitutione ipſa incarnationis & noſtræ redemptionis. Addi meliùs tandem poteſt: quia hæc obligatio non adſtringebat Chriſtum, vt tali tempore, vel tali morte, vel per manus talium miniſtrorum, pati deberet, ſed abſolutè vt patiendo & moriẽdo ſatisfaceret Deo & redimeret homines; nec vrgebat aliud poſitiuum præcepeum determinans illas circunſtantias: ideo arbitrarium fuiſſe Chriſto, quando & quomodo vellet ſe morti exponere. Atque adeo tunc oblatus eſt quia ipſe voluit: poſuit tunc animam ſuam, habens poteſtatem ponendi quãdo vellet: & poterat tunc rogare Patrem & impedire ſuam paſſionem. Quod totum optimè ſtat cum abſoluta obligatione dicta.

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

De Oratione Chriſti ad Patrem.

ALIA comparatio, quam adiungit S. Thomas, Chriſti ad Patrem, eſt penes orationem & petitionem. Cum qua debet pariter reintelligi omnis cultus Dei, ſpectans ad virtutem Religionis. Et eſt res conſequens ad ſubiectionem quæſt. præcedenti conſideratam: cultus enim & ſeruitium Religionis, eſt ſecundùm reſpectum inferioris ad ſuperiorem. Includitquè alios actus præter orationem, nempe adorationem & reuerentiam, laudem & gratiarum actionem, votum & iuramentum, & alios, de quibus iam tractatum eſt in ſecunda ſecundæ. Non quæritur autem hic de actibus theologicarum virtutum, quæ prorſus referuntur ad Deum. Iam enim ex dictis antea ſatis conſtat, cùm Chriſtus ſemper clarè videret Deum, non habuiſſe fidem, quæ ob ſui obſcuritatem non ſtat ſimul cum viſione, ſed loco fidei habuiſſe ſcientiam infuſam, de qua iam ſatis egimus: & cùm fuerit ſemper beatus, non habuiſſe ſpem de beatitudine, ſed loco ſpei habuiſſe gaudium, ſicut communiter omnes beati. Sed de charitate ac dilectione dubitabatur, an Chriſtus præter dilectionem beatificam ac neceſſariam, haberet aliam liberam tanquam viator, qua etiam mereretur. Ideo hoc affirmando determinauimus ſupra q. 19. ſub merito Chriſti: nec aliud de hac re addendum remanebat.

De oratione ergo hæc docet S. Thomas per quatuor articulos. Primò, quòd ſi in Chriſto eſſet ſola diuina voluntas, ei non competeret orare, quia diuina voluntas eſt per ſe ipſam effectiua eorum quæ vult: ſed quoniam in Chriſto erat etiam humana voluntas, benè ſecundùm eam illi conueniebat orare, quia humana voluntas non eſt per ſe ipſam efficax ad implendum quæ vult, abſque virtute diuina. Secundò docet, Chriſtum non oraſſe ſecundùm ſenſualitatem, quaſi oratio eſſet actus ſenſualitatis, quia pars ſenſitiua in Chriſto erat eiuſdem rationis ac in nobis, ſed in vniuerſum pars ſenſitiua non poteſt ſenſibilia tranſcendere.

ſcendere, non poteſt Deum attingere, nec res ordinare, ſicut importat oratio: at benè potuiſſe Chriſtum ſecundùm rationem orans repræſentare Patri affectũ partis ſenſitiuæ, & hoc modo interdum oraſſe vt nos inſtrueret. Tertiò docet, Chriſtum vere oraſſe pro ſe ipſo, petens à Patre quæ ſibi deerant ſecundum humanitatem, ſicut & gratias agebat pro donis quæ acceperat, tum vt daret nobis exemplum, tum vt oſtenderet, Patrem eſſe ſuum auctorem, à quo et æternaliter proceſſit ſecundùm diuinitatem, & habet quicquid boni habet ſecundùm humanitatem. Quarto docet, Chriſti orationem fuiſſe ſemper exauditam: quia oratio debet attendi ſecundum id quod Chriſtus ſimpliciter & abſolute volebat; alioqui illud quod appetimus ſolùm ſecũdùm motum ſenſualitatis, aut ſecũdùm motum cuiuſdam velleitatis, volumus ſolùm ſecundùm quid & non ſimpliciter: voluntate autem abſoluta Chriſtus nihil voluit niſi quod erat conforme diuinæ voluntati, & ita omnis eius huiuſmodi voluntas & oratio ſemper adimplebatur.

SECTIO PRIMA.

An & quo pacto Chriſto competat orare.

Dubitatio pro parte negatiua.

NEgare videtur Damaſcenus, Chriſtum verè oraſſe, non ſolùm in ijs quæ affert S. Thomas in argumentis articuli primi: ſed magis quia lib. 3. de Fide cap. 24. explicauit, quando Chriſtus orauit, oraſſe ex perſona noſtra, quaſi pronuncians noſtram orationem: ſicut ſæpè aliàs in Script. Prophetæ loquuntur ex perſona populi vel aliorũ particularium. Et præcipuè lib. 4. de Fide cap 19. explicauit, Chriſtum quędã egiſſe ſimulationis modo, & inter ea recenſet quando orabat & præcabatur, ſicut & quando finxit ſe longius ire, & quando acceſſit ad arborem ficus vt quæreret fructus, cùm ſciret non eſſe tempus fructuum, & quando interrogauit vbi Lazarum poſuiſſent, cùm id optimè ſciret. Et indicat rationem: quia Chriſtus non indigebat oratione, ſed poterat per ſe facere quæ volebat. Et confirmatur hæc ratio: quia fruſtra peteret quis ab alio ea quæ habet in ſua poteſtate: fruſtra rogaret Regem, qui habuiſſet iam ab illo poteſtatem faciendi quæcunque vellet. Sed Chriſtus omnia habebat in ſua poteſtate, & hanc poteſtatem iam acceperat à Patre: vt ipſe teſtatus eſt Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et cap. vltimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*: & Ioann. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*: & paſſim in alijs locis indicatur hæc poteſtas & apparebit in tot operibus miraculoſis & ſupernaturalibus, quæ Chriſtus faciebat, non rogando Patrem, ſed imperando alijs rebus. Et rurſus, fruſtra petit quis ea quæ ſupponitur certo ſcire, eſſe futura, aut non eſſe futura: ſicut Chriſtus id certiſſimè ſciebat. Aut ſaltem pro ſe ipſo Chriſtum oraſſe, negaſſe videtur Hilar. lib. 10. de Trinit. dicens: *Cùm ſibi nec proficeret deprecationis ſermo, ad profectum tamen noſtra fidei loquebatur.* Et erat de hoc peculiaris ratio: quia Chriſtus pro ſe habebat omnem plenitudinem gratiæ, nullaq; re indigebat, quam præcibus obtinere deberet.

Dubitatio pro parte affirmatiua.

Ex aduerſo, non ſolùm ſecundùm humanam naturam, ſed etiam ſecundùm diuinam, Chriſtum oraſſe videntur indicare Chryſoſt. homil. 63. in Ioann., & Euthimius ac Theophilact. ſuper Ioann. 11., & Ambroſ. lib. 4. de Fide cap. 3. ac non reijcit S. Thom. in eundem locum Ioannis, qui illam gratiarum actionem & orationem quam fecit Chriſtus in reſurrectione Lazari referũt ad diuinam eius naturam & voluntatem & ideo dixit, *Ego ſciebam quia ſemper me audis*: quoniam vna eademq; erat ipſius cum Patre voluntas. Et confirmari hoc poteſt: quia Spiritus ſanctus quoque dicitur orare pro nobis, ad Roman. 8. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: at hoc non poteſt de Spiritu ſancto niſi ſecundùm diuinam naturam, cùm non aſſumpſerit aliam naturam & voluntatem: ergo pariter intelligi poteſt de Chriſto ſecundùm diuinam naturam oraſſe.

Atta-

Non poterat Chriſtus orare ſecundùm diuinam naturam.

Attamen in primis ſatis perſpicuum eſt, Chriſto non poſſe competere ſecundùm diuinam naturam orare. Ita ſupponit & ſtatuit S. Thomas art. 1. & cum eo alij Theologi hoc loco, & Scholaſtici in 3. diſt. 17. Et patet primò: quia oratio eſt propriè inferioris ad ſuperiorem, & importat quandam ſubmiſſionem eius qui petit ad illum à quo petit, & indigentiam impetrandi ac obtinendi ab alio id quod deſiderat: quod totum alieniſſimum eſt ab omni perſona diuina. Nec obeſt, quod D. Thomas 2.2. q. 83. art. 1. ait, *Peti aliquid fieri ab alijs, ſiue ſint æquales, ſiue ſint ſuperiores.* Volebat enim petitionem diſtinguere ab imperio, quod eſt à ſuperiore ad inferiorem, & ideo ſub diſtinctione tunc ita dixit; ſed poſtea in ſequentibus determinat, orationem importare reſpectum inferioris ad ſuperiorem. Vel fieri quidem poteſt oratio ab vno ad alium ſibi in gradu & dignitate æqualem, ac interdum etiam inferiorem; tamen quoad illam ſaltem rem quæ petitur importatur quidam reſpectus inferioritatis: petitur enim ab alio tanquam ab habente illam rem, quæ petenti deeſt, vel tanquam potentiori aut promptiori ad illam faciendã, vel alia ſimili conſideratione.

Non poteſt vna perſona diuina orare ad aliam.

Secundò is qui petit debet habere diſtinctam rationem & voluntatem & diſtinctos actus ab eo à quo petit: nam qui rogat, habet deſiderium conſequẽdi aliquid, & petit conſequi, vbi interuenit actus voluntatis & actus rationis; qui autem rogatur, conſentiet facere id quod petitur, vbi patet eſſe diuerſos actus & diuerſam voluntatem ac rationem. Sed in omnibus diuinis perſonis, vnica prorſus eſt voluntas, vnicus intellectus, ijdemque actus, exceptis ſolùm actibus ac relationibus notionalibus: igitur fieri prorſus non poteſt, vt vna perſona diuina exoret aliam, & hæc exaudiat illam. Et confirmatur: quia ſi Chriſtus ſecundùm naturam diuinam, hoc eſt perſona ipſa Verbi diuini per ſe exercuiſſet actum orationis ad Patrem, pariter ipſe Pater omnino exercuiſſet eundem actum orationis: ergo Pater oraſſet ſeipſum. Et è conuerſo ſi Pater exaudiebat, pariter Verbum eodem actu Patris exaudiſſet eandem orationem: ergo exaudiebat ſe ipſam. Itaque omnes ſimul perſonæ diuinæ oraſſent & ſe exaudiſſent: quod idem eſt ac dicere ipſum Deum in ſe orare ſe ipſum, & exaudire ſe ipſum: quod prorſus cogitari non poteſt. Nec dari poteſt inter ipſas perſonas diuinas talis ordo, vt vna exoret aliam, nec Filius Patrem, ſicut nec Pater Filium.

Tertiò. Omnes actus diuinarum perſonarum, qui non ſint operationes tranſeuntes ad extra, ſunt æterni, ſicut ipſæ diuinæ perſonæ, quæ ſunt penitus immutabiles, atq; adeo incapaces omnis nouitatis in ſe ipſis. At ſi Chriſtus orauit, non niſi in tempore aſſumptæ humanitatis orauit, & habemus in Euangelio quando orauit. Actus autem orationis, licet poſſit etiam exteriùs per verba proferri, tamen in ſe directus ad Deum eſt actus mẽtalis & internus, & non eſt operatio & productio rerum ad extra. Igitur orationes & preces, quæ à Chriſto fuſæ fuerunt ad Patrem, non fiebant à Chriſto ſecundùm diuinã naturam, ſed ad ſummum fieri poterant ſecundùm humanam naturam, & humanas potentias intellectus & voluntatis.

Verè Chriſtus orauit ſecundùm humanam naturam.

Affirmandum ergo ſecundo loco eſt, Chriſtum verè & propriè ſecundùm humanam naturam oraſſe ad Patrem. Ita docet S. Thom. & omnes alij Theologi. Et primò quidem, Chriſtum oraſſe, clariſſimè habetur in pluribus Euangelij locis: vnde cùm ſtatutum ſit, non potuiſſe orare ſecundùm diuinam naturam, relinquitur vt ſecundùm humanam orauerit. Matth. 14. *Aſcendit in montem ſolus orare.* Lucæ 6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Quæ non debent ſolùm intelligi de oratione largè ſumpta, pro quacunq; meditatione & contemplatione, ſed propriè etiam pro petitione. Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Ioannis 17. *Ego pro eis rogo. Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per Verbum eorum in me.* Et in toto diſcurſu eius capitis petebat à Patre ſalutem ſuorum diſcipulorum & fide-

lium:

lium: *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo: ſanctifica eos in virtute.* Et Lucæ 23. rogauit pro iiſdem ſuis crucifixoribus: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Nec minus clarum eſt in Euangelio, Chriſtum oraſſe interdum pro ſe ipſo. Ioann. 12. *Pater ſaluifica me ex hac hora.* Et cap. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* Et Matth. 26. dum orauit in horto, *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et eandem Apoſtolus ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ præces ſupplicationeſquè ad Deum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Expreſsi ſunt etiam in Euangelio alij Religionis actus, quos Chriſtus vt homo cum ſubmiſſione exercebat. Sæpè narratur gratias egiſſe, Matth. 26. Ioannis 11. & alibi. Laudes Deo dediſſe, Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ.* Deum adoraſſe, Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſerui es:* vbi profitebatur ſe non debere adorare niſi Deum. Et cap. 26. quando maxima cum reuerentia, *Procidit in faciem ſuam orans & dicens.* Idemque totum de oratione Chriſti, alijſque dictis actibus connexis, docuerunt partim Sancti Patres, & confirmant Sacri Expoſitores circa eadem loca.

Duæ rationes quibus Chriſtus orauit.

Secundò. Ad reddendam rationem, quare Chriſto competeret orare, S. Tho. art. 1. in corp. affert, quia voluntas humana non eſt per ſe efficax ad implendum quæ vult niſi per virtutem diuinã: & in ſolut. ad 1. repetit, quia Chriſtus ſecundũm quod homo nõ poterat perficere omnia quæ volebat, cùm non habeat vt ſic omnipotentiam. Sed ſtatim ſubdit, Chriſtum voluiſſe ad Patrem orare, non quaſi ipſe eſſet impotens, ſed ad inſtructionem & exemplum noſtrum. Quæ duo planè inter ſe pugnare videntur, Chriſti voluntatem & humanitatem non potuiſſe implere quæ vellet, & ideo debuiſſe orare: & ex alia parte non oraſſe ex impotentia implẽdi quæ vellet, ſed vt nos inſtrueret. Ex his tamen duę rationes colliguntur, quæ inter ſe bene conſiſtunt, quare Chriſto competeret orare. Vna ratio eſt: quia etiam ſi humana Chriſti voluntas poterat per ſe operari: tamen quia totam hanc poteſtatem acceperat a Deo, conuenienter volebat profiteri hanc ſubiectionem ad Deum, rogando Patrem: nolebat vti ſua poteſtate quam acceperat, ſed inuocabat Deũ, vt perficeret quæ ipſe Chriſtus cupiebat. Quod totum ordinabatur ad inſtructionem & exemplum noſtrum. Vt nempe Chriſtus inuocando Patrem ad facienda miracula, oſtenderet hoc diuino teſtimonio veram eſſe ſuam prædicationem, ſe verè eſſe filium Dei, ſicut docebat. Ad quod ſpectant illa verba Ioann. 11. *Propter populum qui circumſtat dixi*, ſcilicet præces & orationes, *vt credant quia tu me miſiſti.* Et ſimiliter vt exemplo ſuo nos prouocaret ad orandum & rogandum Deum pro impetrandis eius beneficijs. Atque hanc rationem indicarunt Hilar. & Ambroſ. quorum verba refert D. Thomas. Indicauit etiam Auguſt. ab eodem relatus, ſpecialiter ad explicandum, quare Chriſtus non ſolùm mente, ſed etiam voce orauerit.

Altera ratio eſt, quòd verè humana Chriſti voluntas, non poterat niſi hoc orationis medio proficere & impetrare aliquid quod cupiebat. Nec enim inconueniens eſt dicere, Chriſtum vt hominem in aliqua re debuiſſe ſimpliciter vti tali medio. Etenim ſicut opus redemptionis perficere non poterat niſi mediante ſatisfactione & merito ſuæ paſſionis & mortis: quid mirum ſi deberet etiã præces fundere: vt ad obtinendam perſeuerantiam Petri, cui dixit: *Ego pro te rogaui vt non deficiat fides tua:* ad obtinendam ſuammet glorificationem & exaltationem, ſicut dixit, *Pater clarifica filium tuum.* Et benè poteſt eſſe, vt hoc ipſum orationis medium eſſet voluntate diuina ordinatum ad talem effectum & finem. Et vt hoc ipſo modo humana Chriſti voluntas dicatur habuiſſe & accepiſſe à Deo poteſtatem faciendi quæ vellet, nimirum vt aliqua facere deberet petendo & rogando, interpoſita ſcilicet promiſſione diuina de adimplendis quæcunque Chriſtus peteret: ſicut habuit Chriſtus poteſtatem redimendi ac de facto redemit

demit

Digitized by Google

demit genus humanum patiendo & ſatisfaciendo. Quinimo etiam quoad ea miracula & opera ſupernaturalia quæ Chriſtus faciebat per modum imperij, abſque apparentia orationis, non oportet dicere habuiſſe potentiam phyſicã ad tales effectus, ſed ſatis eſt habuiſſe potentiam moralem, ideſt, quia Deus ſtatuerat & promiſerat, ad nutum voluntatis Chriſti, & imperium erga ipſas res, perficere ea quæ Chriſtus iubebat aut cupiebat, vt tractauimus antea q. 13.

Orauit tantùm ſecundùm partem rationalem, & non ſenſitiuam.

Tertiò. Quia in humana natura conſiderantur duæ veluti partes, per diſtinctionem ſcilicet potentiarum, & nominantur pars rationalis & pars ſenſitiua. Ideo D. Thom. art. 2. explicat, Chriſtum proprie & ſimpliciter oraſſe ſecundùm partem rationalem, & non ſecundùm partem ſenſualem: quia hęc pars non poteſt Deum attingere, nec res ordinare, quod inuenitur in actu orationis. Sed ad ſummum Chriſtum potuiſſe per actum rationis repræſentare Patri affectum partis ſenſualis, & hoc modo improprie dici poſſe oraſſe ſecundùm partem ſenſualem. Hoc autem totum explicare voluit S. Thomas propter orationem illam in horto, vt tráſiret calix paſſionis: vbi ſcilicet pars rationalis repræſentabat Patri horrorẽ & fugam mortis exortam in parte ſenſuali. Et licet commune ſit naturæ humanæ, non poſſe per partem ſenſitiuam ad Deum tendere & res ordinare: tamen voluit S. Thomas ſpecialiter id adnotare de Chriſto, vt confirmaret Chriſtum habuiſſe eandem ſpecie naturam humanam cum nobis: & ne quis putaret, ob vnionem ad perſonam Verbi potuiſſe partem ſenſualem eleuari ad talem actum: ideoque in ſolut. ad 3 recte aduertit, potuiſſe quidem aſſumi ad vnionem in perſona, non autem eleuari ad actum orationis. Sed Vaſquez in comment. eius art. 2. indicat; principaliter quidem non exerceri actum orationis in parte ſenſitiua, poſſe tamen in illa inueniri actum orationis quaſi imperatum & directum ad Deum ex parte ipſius voluntatis, ſicut & in lingua conſtituitur opus orationis. Sed certè putandum non eſt, fieri vllo modo poſſe, vt pars ſenſitiua Deum attingat & exerceat vllum actum erga Deum, cum ſit virtus corporea & materialis, ſitque determinata circa obiectum ſenſibile, nec poteſt potentia vitalis tráſire extra obiectum ſuum: ſicut nec vllo modo poteſt eleuari oculus corporeus ad videndum Deum, nec etiam ad videndum ſonum vel aliud quid præter lucem & colores quæ ſunt qualitates viſibiles. In lingua autem inueniuntur omnes voces ſignificantes quæcunq; obiecta ſpiritualia ac ſupernaturalia: quia ſolummodo ſonus realis articulatus formatur per linguam, ſignificatio veró eſt merum opus rationis, & conſiſtit in mente; ita quod poſſet eſſe totus idem ſonus vocalis abſque tali ſignificatione: nullatenus ergo inde poteſt inferri, reperiri etiam actum orationis in parte ſenſitiua.

Satisfit dubitationi partis negatiuæ.

Iam ex his difficile non erit ſatisfacere ad ea quæ probare videbantur, non verè Chriſtum oraſſe. Damaſcenus enim ſolùm voluit, Chriſtum interdum oraſſe ex perſona noſtra, ſiue ad vtilitatem noſtram: ſed non per hoc negauit, alias oraſſe etiam ex perſona propria, & pro ſe ipſo. Et ſimiliter voluit, interdum oraſſe quodam ſimulationis modo; ideſt occultando & non oſtendendo ſuam poteſtatem qua res perficere poterat: ſicut aliàs occultabat ſuam ſcientiam, aut ſuam intentionem, & ſic videbatur quandam ſimulationem facere aut dicere. Sed non per hoc negauit Damaſc., verè Chriſtum oraſſe, & pleraque orando perfeciſſe: Quamuis enim non indigeret tali orationis medio, tamen benè potuit illo vti, & interdum etiam illa indigebat. Nec fruſtrà rogabit quis alium de ijs quę ipſe habet in ſua poteſtate, ſed mauult petere à Superiore fieri, ad profitendam illius excellentiam & ſuam ſubiectionem. Neque humanitas Chriſti habebat in ſua poteſtate phyſica opera ſupernaturalia & miraculoſa, ſed tantùm in poteſtate morali: & vnus modus quo perficere poterat, erat orãdo & rogando Patrem, ſicut aliàs imperando rebus. Nec etiam fruſtra petebat fieri ea quæ ſciebat eſſe futura: quinimò, vt notat D. Tho. art. 2. ad 2.;

hoc

Digitized by Google

hoc ipſum ſciebat, ſcilicet eſſe futura per ſuam orationem. Hilarius demum, vt rectè explicat D. Tho. art. 3. ad 1., intellexit ſpecialiter de oratione vocali: ſic enim illa exterior & vocalis præcum prolatio, non proficiebat pro ipſo Chriſto, ſed pro nobis. Et licet Chriſtus haberet plenitudinem gratiæ interioris, tamen adhuc obtinere debebat gloriam corporis & exaltationem nominis.

Satisfit dubitationi partis affirmatiuæ

Ad illos verò Patres, qui docere videbantur, etiam ſecundùm diuinam naturam Chriſtum oraſſe. Illi quidem non intellexerunt, Chriſtum ſic verè & propriè oraſſe, ſed orationem acceperunt pro omnimoda conformitate, imò vnitate ſuæ voluntatis cum Patre, vt ſuiſmet verbis ſatis indicarunt. Et hoc non dixerunt pro omni caſu, ſed ſolùm pro illo, in reſurrectione Lazari, ſic exponentes illa verba, *Ego ſciebam quia ſemper me audis*. At etiam in illo caſu, & pro ijs verbis approbandus potiùs eſt alius ſenſus, qui communiter ab alijs Expoſitoribus & Patribus recipitur, vt verba illa Chriſti, & oratio, & gratiarum actio, intelligantur ſecundùm humanam naturam, cui verè & propriè tales actus conueniebant. In alio autem loco Apoſtoli, in quo videbatur attribui actus orationis Spiritui ſancto, per ſe ſatis manifeſtè apparet, non poſſe intelligi, quòd ipſa perſona Spiritus ſancti oret & poſtulet, ſicut nō poteſt intelligi quòd gemat, & gemēdo poſtulet. Sed, vt exponit Auguſt. Epiſt. 121., & alij frequenter circa eum locū, dicitur ſpiritus poſtulare, quia facit nos poſtulare & gemere. Qui loquendi modus aliàs etiam vſitatus eſt in Sacra Script., vt Geneſ. 22. *Nūc cognoui quòd timeas Deum*, ideſt nunc cognoſcere feci. At Vaſq. diſp. 81. cap. 2. contendit, id ipſum non debere intelligi de perſona diuina Spiritus ſancti, vt Auguſt. accepit: quia pro ly *poſtulat*, proprietas verbi græci denotat *intercedit*, non rectè autem diceretur quòd Spiritus ſanctus facit nos intercedere. Ideo ipſe ait, debere id intelligi de ſpiritu gratiæ qui confertur nobis. Sed certè pariter de hoc ſpiritu gratiæ poteſt retorqueri, quòd non rectè dicatur, intercedit, facit nos intercedere. Potiùs ergo fatendum eſt, vt non oporteat idē verbum intercedendi ad nos conuertere. ſed ipſe ſpiritus, ſiue accipiatur ſpiritus gratiæ, ſiue perſona Spiritus ſancti, dicitur intercedere pro nobis, dum facit vt nos ipſi poſtulemus & oremus pro nobis, atque exaudiamur à Deo.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Omnis Chriſti oratio ſemper exaudita fuerit.

Ratio dubitandi pro vtraq; parte.

EX ijs ipſis quæ dicta ſunt oritur ratio dubitandi pro vtraq; parte. Nam ex vna parte, debet ſaltem hoc modo verificari poteſtas Chriſti ad facienda vel obtinenda quæcunq; vellet, ſaltem inquam mediante oratione. Et per ſe apparet magnum inconueniens, ſi Chriſtus orans & petens non fuiſſet exauditus, non potuiſſet impetrare quæcunque vellet. Et Chriſtus ipſe Ioann. 11. dixit, *Ego ſciebam quia ſemper me audis*. Et ſupra idipſum agnoſcens Martha dixerat, *Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo dabit tibi Deus*. Ideo etiam Apoſtolus ad Hebr. 5. dicebat, Chriſtum exauditum fuiſſe pro ſua reuerentia, ſemper ſcilicet quandocunque orauerat. At ex alia parte videtur interdum Chriſtus non impetraſſe quod petebat. Nempe in horto rogauit, vt tranſiret calix ſuæ paſſionis, non tamen obtinuit. In cruce rogauit, vt dimitteretur peccatum ſuis crucifixoribus, qui tamen potiùs in extremam perniciem ſpiritualem & temporalem corruerunt. Et Ioann. 17. rogauit pro ſuis diſcipulis, inter quos erat Iudas, qui tamen miſerabiliter perijt. Ac demum Pſal. 21., qui totus ex perſona Chriſti prolatus eſt, inter alia dicebatur, *Deus meus clamabo per diem & non exaudies, & nocte & non ad inſipientiam mihi*, ideſt non debet mihi ad inſipientiam deputari, dum non exaudior.

Diſtinguitur duplex Chriſti voluntas & oratio.

Propter hæc S. Thomas art. 4., præmittens, quòd oratio eſt voluntatis interpretatiua, atque adeo quòd tunc petentis oratio exauditur, quando eius volun-

Digitized by Google

voluntas adimpletur, diſtinguit in nobis voluntatem ſimpliciter, & voluntatem ſecundùm quid: nempe ſimpliciter, qua per rationem aliquid efficaciter & abſolutè appetimus: ſecundùm quid, qua per affectum partis ſenſitiuæ appetimus, vel per quandam ſolùm complacentiam ipſius quoque partis rationalis, quæ magis dicitur velleitas quàm voluntas. Docet ergo, voluntatem ſimpliciter Chriſti ſemper fuiſſe adimpletam, atque adeo orationem eius ex tali voluntate proficiſcentem ſemper fuiſſe exauditam. Vbi Caiet., Medina, & alij magis explicant, diſtinguentes pariter duplicem orationem, vnam ſimpliciter, & aliam ſecundùm quid, hanc videlicet proficiſcentem ex voluntate dicta ſecundùm quid: & hãc non fuiſſe ſemper exauditam. Eodemquè modo ſub hac diſtinctione rem explicarunt alij antiquiores Scholaſtici, Altiſiodorenſ. lib.3. Summ. tract.1. cap. 6. q. 3., Albert., Bonauent., Ricard., Durand., Gabr. & alij in 3. diſp. 17.

Sed Vaſqu. hoc loco diſp. 82. cap. 5. contendit, nullam talem orationem ſecundùm quid & imperfectam fuiſſe in Chriſto, quæ non fuerit exaudita: ſed admittens quidem voluntatem ſecundùm quid, ait ex illa nullam fuiſſe exortam orationem; ſed ad ſummum Chriſtum expoſuiſſe ſe Patri & veluti narraſſe affectum illum ſuæ humanitatis, conſiſtentem in motu partis ſenſitiuæ, & in ſimplici complacentia ſeu deſiderio voluntatis. Et in hunc ſenſum affert concluſionem D. Thomæ, qui non diſtinxit duplicem orationem, ſicut duplicem voluntatem, quinimò vniuerſaliter dixit, *Omnis abſoluta voluntas Chriſti fuit impleta, & per conſequens omnis eius oratio fuit exaudita*, quaſi ſcilicet nulla fuerit oratio niſi ex abſoluta voluntate profecta. Affert etiam pro eadem ſententia Alenſem & Paludanum. Ratione verò probat: quia dum quis orat & petit fieri quod deſiderat, iam adhibet media ad id conſequendum; ſiquidem oratio ex vi ſua eſt impetratoria, eſt medium aptum ad obtinendum quod intenditur: ſed voluntas ex qua adhibentur media ad finem, non eſt ſola velleitas & ſimplex complacẽtia, ſed eſt abſoluta & efficax volũtas: Ergo nullam orationem adhibuit Chriſtus circa ea quę non efficaciter intendebat, & quæ non erat conſequuturus. Addit: Chriſtus ſciebat, eſſe impoſſibile, ſuppoſito decreto Dei, vt à ſe tranſiret calix paſſionis: non poteſt autem admitti oratio pro re quæ ſcitur impoſſibilis, & abſque vlla prorſus ſpe & cõfidentia, imò cum deſperatione & diffidentia impetrandi. Aut ſaltem talis petitio eſſet prorſus inutilis & fruſtratoria.

Defenditur hæc diſtinctio.

Hæc tamen non obſtant, quominus retineatur ac defendatur communis loquendi modus, quo conceditur & nominatur aliqualis oratio in Chriſto, ex ſolo ſimplici affectu profecta, quæ exaudita non fuerit. Et quidem S.Thomas ipſe ſic loquutus eſt. Etenim in ſolut. ad 1., inter plures expoſitiones quas refert de oratione Chriſti in horto, vna eſt, quòd Chriſtus petierit, non bibere calicem mortis & paſſionis, vel non bibere à Iudæis, & factum non eſſe quod petijt. Itaque planè admittit aliquem actum orationis & petitionis in Chriſto, & recipit hunc loquendi modum, quòd aliqua petitio Chriſti nõ fuerit impleta. Paludanus etiam apertè conceſſit, præter orationem ſimpliciter dictam, Chriſtum petiſſe aliquid pro parte ſenſitiua, in quo ipſemet noluerit exaudiri. Et Alenſis quoque fatetur, Chriſtum non fuiſſe ſemper exauditum quoad materiam orationis: quare admittit, talem materiam interceſſiſſe in oratione Chriſti, in qua non fuerit exauditus. Et expreſsè in Comment. ſuper Pſalmos, in illa verba Pſalm. 21. *Clamabo & non exaudies*, inquit, *exauditus eſt in omnibus quæ petijt ex ratione, non ex ſenſualitate*. Et hoc ſane eſt magis conforme verbis Euangelij. Narrat enim Euangeliſta, Chriſtum oraſſe & dixiſſe, *Tranſeat à me calix iſte*: quæ ſunt prorſus verba orationis & petitionis.

Omnis Chriſti oratio efficax fuit exaudita, nõ autem inefficax.

Ratione verò explicatur, & ſimul ſatisfit ad rationem oppoſitam: quia ſicut duplex eſt voluntas finis, ſcilicet efficax & inefficax, ita etiam duo ſunt genera mediorum, nempe efficacia & inefficacia; & media quidem efficacia

Digitized by Google

non adhibentur niſi ex voluntate efficaci finis, ſed benè ex voluntate inefficaci adhibentur media inefficacia. Et patet hoc in ipſamet voluntate diuina: adhibet enim media ad ſalutem omniū, etiam ſcilicet eorum qui ſaluandi non ſunt, & ſunt reprobi: ſed media quidē efficacia non adhibet niſi reſpectu electorum quos abſolutè ſaluare decreuit, reſpectu autem aliorum adhibet media communia & ſufficientia, licèt non inefficacia. Patet quoque in eadem humana voluntate Chriſti, q. ando dictū eſt, Chriſtum voluiſſe latere & non potuiſſe Marci 7., & præcepiſſe ne quædam miracula vulgarentur, ibidem & Matth. 9., quæ tamen ſtatim diuulgata fuere. Itaque habuit Chriſtus talem voluntatem, ex qua adhiberet media, tamen non habebat voluntatem ſimpliciter efficacem, quæ perficeret opus intentum. Iuxta hoc ergo poterit optimè diſtingui duplex modus orationis, iuxta duplicem modum voluntatis; nēpe vnus modus orationis validæ & efficacis, quæ re ipſa impetraret effectum; & alius modus orationis ſimplicis & inefficacis, quæ oratio adhiberi potuerit ex vi ſimilis voluntatis, & quæ proinde non impetrauerit effectum, non fuerit exaudita. Sicut & inter ipſos homines exploratum eſt, diuerſos inueniri modos præcum, iuxta diuerſam appetentiam & vehementiam voluntatis eorum qui petunt, & cum diuerſo valore ad impetrandum.

Explicatur adhuc magis ſub alijs terminis. Nam diſtinguitur voluntas abſoluta & voluntas conditionata: & ſolent ſimul coniungi voluntas efficax & abſoluta, ac voluntas inefficax & conditionata, quæ quidem voluntas conditionata deficiente conditione non adimpletur. Sic ergo debet pariter diſtingui oratio abſoluta qua ſimpliciter petitur aliquid, & oratio conditionata qua petitur ſolùm ſub conditione, & quę proinde deficiente conditione non adimpletur. Et talis quidem fuit illa oratio Chriſti in horto, cum expreſſione conditionis, *Si poſſibile eſt*, Matth. 26. & Marci 14. *Orabat vt ſi fieri poſſet tranſiret ab eo hora*, & Lucæ 22. *Poſitis genibus orabat dicens Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me.*

Poterat Chriſtus habere orationem aliquam inefficacem

Nec demum impoſſibile aut inconueniens eſt, quòd Chriſtus hoc pacto inefficaciter & conditionatè peteret, id quod ſciebat ſimpliciter & abſolutè non eſſe futurum, non poſſe fieri ſuppoſito decreto Dei in contrarium, atq; adeo ſine ſpe obtinendi. Sicut non eſt inconueniens, quòd Deus ipſe præcipiat ea quæ ſcit non eſſe futura, & incitet atque adhortetur ad ea quæ non ſolùm ſcit, ſed ipſemet decreuit non eſſe futura, & de quibus conſequenter dicere valebit; ſuppoſita tali ſcientia & decreto non poſſe fieri. Non tamen dici debebit, Chriſtum quicquam petiſſe cum deſperatione & diffidentia: quia talis loquendi modus non benè ſonat: & quia non debet dici, Chriſtū habuiſſe actum poſitiuum deſperationis & diffidentiæ circa id quod petebat. ſed ſatis eſt quòd non haberet actum oppoſitum vel repugnantem ſuæ ſcientiæ de euentu rei. Quamuis autē tali petitio non ſit vtilis & proficua ad obtinendum quod petitur, ſiquidē non impetrabit: tamen non per hoc oratio illa Chriſti dicenda eſt prorſus inutilis & fruſtratoria. Sed ad alios fines & effectus fuit ſine dubio vtiliſſima & prudentiſſimè inſtituta. Et ad hoc ſpectat quod S. Thomas art. 2. tres rationes vtilitatis aſſignat, quare Chriſtus ſecūdùm ſenſualitatem orauerit, modo nempe explicato. Videlicet, *Vt oſtenderet ſe veram humanam naturam ſuſcepiſſe cum omnibus naturalibus affectibus: vt oſtenderet quòd homini licet ſecundùm naturalem affectum aliquid velle quod Deus non vult: vt oſtenderet quòd proprium affectum debet homo diuinæ voluntati ſubijcere.* Et alias huiuſmodi rationes ſolent Sacri Doctores aſſignare ad conſolationem & inſtructionem noſtrā; vt pote ne nobis dùrum videatur, quādo noſtræ præces non exaudiuntur à Deo, ne per hoc deſiſtamus ab iterandis præcibus & diuinis obſequijs: & ſimiles. Quo pacto diuina etiam prouidentia, in illis ipſis caſibus in quibus adhibet media inefficacia, & non conſequitur finem illorum; tamen ſimul conſequitur alium finem & effectum, quem per illammet inefficaciorem eorum.

Digitized by Google

rum mediorum efficaciter intendit, vt ſuo loco notauimus 1. par. q. 22. ſect. 12.

Satisfit rationi dubitandi

Et ex his ſatis patet ad vtramque partem dubitationis: initio propoſitæ. Ad priorem enim partem ſatis eſt: quod in omni ſua efficaci & abſoluta oratione Chriſtus ſemper exaudiretur, & quæcunque efficaciter poſceret à Deo daret illi Deus, & hoc modo Chriſtus haberet poteſtatem faciendi ſeu obtinendi quæcunque efficaciter & abſolutè vellet. Ad poſteriorem verò partem fatendum eſt, Chriſtum potuiſſe aliqua petere, ſicut etiam velle, modo ſolùm inefficaci & ſimplici ſeu conditionato, in quibus proinde non fuerit exauditus, nec exaudiri debuerit. Simul tamen poterat Chriſtus habere voluntatem efficacem de parte oppoſita, & efficaciter etiam petere partem oppoſitam, atque adeo ſic efficaciter volebat & petebat non exaudiri in priori voluntate & petitione. Satis enim notum eſt, vt nunc ſupponimus, poſſe optimè & ſolere ſimul ſtare vnum actū per modum ſimplicis complacentiæ ſeu deſiderij de vna parte, & alium actum efficacem de parte oppoſita. Sic in horto, ſimul cum illa voluntate & petitione, *Tranſeat à me calix iſte*, adiungebat Chriſtus aliam voluntatem & petitionem, *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Et hæc erat efficax voluntas & petitio Chriſti, conformis voluntati & ordinationi diuinæ: vbi Chriſtus ipſe rogabat, vt nō fieret quod ſimplici affectu petebat, ſed quod Deus decreuerat: & in hoc fuit exauditus.

Et explicantur magis loca Scripturæ.

Ac rurſus in illis ipſis verbis, quibus viſus eſt poſtulare aliquid in quo non fuit exauditus, poſſunt conſiderari alij ſenſus, vel aliquæ partes in quibus fuerit exauditus. Poſſunt enim in vno eodemque Scripturæ loco, iiſdemquè verbis, contineri & obſeruari plures ſenſus. Nempe in illis ipſis verbis, *Tranſeat à me calix, Transfer calicem hunc à me*, Hilarius Canone 31. in Matth. conſiderauit hunc alium ſenſum, quòd Chriſtus petierit, vt calix ſuæ paſſionis trāſiret & transferretur etiam ad alios, ideſt vt ſui quoque ſequaces fortiter & conſtanter martyria tolerarent. *Qui*, inquit, *vt à ſe tranſeat rogat, non vt ipſe prætereatur orat, ſed vt in alterum id quod à ſe tranſit accedat*. Et in hoc ſenſu illa petitio Chriſti fuit vtique exaudita. Alium ſenſum conſiderauit quoque Dionyſ. Alexandr., quòd Chriſtus petierit, vt perſecutio illa finem haberet: & obſeruat, Chriſtum non dixiſſe, Non adueniat mihi calix, ſed transfer calicem à me: & ſic verè Chriſtus obtinuit ſuam celerem reſurrectionem, & eximiam corporis glorificationem, ac ſummam ſui nominis celebritatem & exaltationem. Item dum in cruce pro crucifixoribus rogauit, poteſt eſſe vnus ſenſus, quod petierit, vt daretur venia omnibus illis qui ex eorum numero cōuerterentur, non obſtante tanta illius peccati grauitate. Poteſt eſſe alius ſenſus quòd petierit quoque gratiam efficacem conuerſionis pro quibuſdam ex illis, qui poſtea reuera conuerſi fuerint. Et alius ſenſus, quòd petierit gratiam ſaltem ſufficientem omnibus illis, quæ & reuera illis data fuerit. Et ſimiliter quando Ioann. 7. orauit pro ſuis diſcipulis, vnus ſenſus eſt, vt petierit gratiā ſaltem ſufficientem pro omnibus, etiam pro Iuda, vni deinceps data quoque fuit. Alius ſenſus eſt, vt petierit gratiā efficacem ac finalem perſeuerantiam pro illis ſuis diſcipulis qui tunc in ſua vocatione permanebant: & ita excipiebatur Iudas, qui iam cap. 12. ante ſex dies ſcandalum ſumpſerat de vnguento pretioſo effuſo ad pedes Chriſti: & cap. 13. ante illum vltimum Chriſti ſermonem dictum erat, *Cùm Diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas*. Vnde ibi cap. 17. in eadem ſua oratione ad Patrem Chriſtus dixit, *Quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis*. Et ita Iuſtinus Martyr q. 28. ad Ortodoxos, notauit, in oratione illa fuſa à Chriſto pro ſuis diſcipulis, non fuiſſe comprehenſum Iudam: inquantum ſcilicet illa oratio ex voluntate ipſa humana Chriſti, in conformitate cum voluntate diuina, erat abſoluta & efficax. Semper ergo omnis huiuſmodi oratio Chriſti fuit exaudita.

Et conciliantur

Et ſic demum conciliantur illa duo loca Apoſtoli & Pſalmiſtæ. Nam ſem-

Digitized by Google

Verba Apoſtoli & Pſalmiſtæ.

per quidem & in omni ſua oratione, exauditus eſt Chriſtus, ſaltem in aliqua parte & ſenſu ſuæ orationis, eo ſcilicet modo quo ipſe efficaciter voluit exaudiri, etiam ſi inquam verba Apoſtoli referantur ad orationem fuſam in cruce, & in horto, etiam ſi referantur ad liberationem ipſius Chriſti à morte, nam maximè ſaluus fuit factus à morte, dum reſurrexit ad immortalem & glorioſam vitam. Exauditus autem fuit pro ſua reuerentia. Vel intelligendo quam ipſe gerebat erga Patrem, hoc eſt pro merito ſuæ humilitatis & obedientiæ, vt dixit idem Apoſtolus ad Philippenſ. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens, propter quod & Deus exaltauit illum &c.* Vel pro reuerentia quam Pater gerebat erga Chriſtum, hoc eſt pro eximia æſtimatione & beneuolentia Dei erga humanitatem illam. Ex alia parte rectè etiam dicere potuit Pſalmiſta, Chriſtum clamaſſe & non fuiſſe exauditum: vel in perſona ſui corporis myſtici, quando noſtræ orationes non exaudiuntur: quia in aliqua parte & ſenſu alicuius ſuæ orationis non fuit exauditus. Et verè id non debebat illi ad imprudentiam deputari, quia nec efficaciter & abſolutè petebat id in quo non debebat exaudiri, & ſciebat ſe non eſſe exaudiendum, ſed propter alias rationes noſtræ inſtructionis & vtilitatis talem quoque orationem prudentiſſimè fudit. Et alioqui in eodem Pſalmo infra ſubiungitur, *Cùm clamarem ad eum exaudiuit me*, in quo ſcilicet efficaciter orauit, vtpote in eo quod ibidem petijt, *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis animam meam, ſalua me ex ore leonis*, ideſt vt eum eriperet à morte, educeret è ſepulchro. Ideoque ille Pſalmus in Titulo inſcribitur, *Pro ſuſceptione matutina*, ideſt pro reſurrectione, quæ facta fuit ſub aurora.

SECTIO TERTIA.

Vtrum etiam deinceps Chriſtus oret in cælis.

Auctoritates pro parte affirmatiua.

NON ſolùm oraſſe Chriſtum, *In diebus carnis ſuæ*; vt loquebatur Apoſtolus, ideſt dum in carne mortali viuebat in terris: ſed etiam deinceps poſt reſurrectionem, dum glorioſus regnat in cælis, oraturum ſe eſſe pro hominibus, promiſiſſe videtur Chriſtus ipſe Ioann. 14., cùm dixit, *Et ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis*: intellexiſſe enim videtur, ſe id præſtaturum poſt aſcenſionem ſuam, & per hoc ſuos diſcipulos conſolabatur ne ægre ferrent ſuum diſceſſum. Et quando deinde cap. 16. dixit, *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis quia ego rogabo Patrem, ipſe enim Pater amat vos*: dicere voluit, non hoc ſolùm vobis promitto, quòd ego rogabo Patrem vobis, ſed quòd etiam immediatè ipſæmet veſtræ præces exaudientur à Patre: quare confirmaſſe etiam videtur, ſe in cælis oraturum pro ſuis fidelibus. Et idem Apoſtolus atque Euangeliſta Ioannes Epiſt. 1. cap. 2., omnes conſolatur dicens, *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*: aduocatum dixit, ideſt oratorem & interceſſorem. Similiter Apoſtolus Paulus ad Roman. 8. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et ad Hebr. 7. *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Clare etiam plerique Patres docuerunt, Chriſtum in cælis ſẽper orare pro nobis, & exaudiri à Patre. Iuſtinus Martyr q. 105. ad Ortodoxos, Origenes homil. 4. in Leuiticum, Theophilact. ſuper ad Roman. 8, Ambroſ. in eũdem locum, Cyprian. Epiſt. 52., Auguſt. Epiſt. 59. ad q. 5. & Enarrat. 2. in Pſal. 29. & in Pſal. 85., Gregor. in Pſal. 5. pœnitent., Bernard. in Sermone de Natiuit. Virginis, Dydimus lib. 2. de Spiritu ſancto, Vigilius lib. 1. cont. Eutich., & alij frequenter.

Vnde

Vnde ita affirmantiò defendũt, S. Thomas lect. 7. ſuper ad Roman. 8. & lect. 4. ſuper ad Hebr. 7. & in 4. d. 15. q. 4. art. 6. quæſtiunc. 2. ad 1. & 2. 2. q. 83. art. 11. Bonauent. in Opuſculo Meditation. vitæ Chriſti cap. 98. Abulenſ. ſuper cap. 14. Matth. q. 142. Toletus ſuper cap. 14. Ioann. 19. Cornelius à Lapide ſuper illa verba ad Roman. 8. qui & atteſtatur hanc eſſe ſententiam Sanctorum Patrum. Item Suarez hoc loco diſp. 43. ſect. 2. Raguſa diſp. 18. Kelliſonus & Vuigers hac quæſt. & Medina diſp. 2. q. 15. puncto 2. Abra diſp. 2. cap. 2. q. de Oratione Chriſti, & alij plures ex Recentioribus.

Authoritates & rationes pro parte negatiua.

Sed ex aduerſo Medina hac quæſt. art. 1. Vaſq. diſp. 82. Adamus ſuper ad Roman. 8. Spencæus lib. de Chriſto Mediatore cap. 8. omnino negant Chriſtum nunc in cælis pro nobis orare, aut vnquam poſt reſurrectionem ſuam amplius oraſſe ad Patrem: ſed dicunt Chriſtum repræſentare ſolùm Patri ſuam humanitatem, ſuam paſſionem, ſua priora merita. Et ſic intelligunt Chriſtum interpellare pro nobis, aduocare pro nobis; & ita interpretantur verba Scripturæ. Hoc totum præcipuè probant authoritate quorundam Patrum, à quibus ſic docuiſſe videntur Paulin. Aquileienſ. in lib. Sacroſyllabo approbato in Concil. Francfordienſi, Chriſoſt. homil. 15. ad Roman., & 13. ad Hebr., Nazianz. Orat. 36., Gregor. lib. 22. Moral. cap. 19. Nicolaus Cabaſilas in expoſit. Liturgiæ cap. 44., & Simeon Theſſalonicen. lib. de Myſterijs Eccleſiæ cap. 44., & alij circa loca allegata Scripturæ. Et expreſſè ſic docuit Rupert. lib. 9. de Diuin. Officijs cap. 3. Vrget etiam Vaſquez duas rationes. Vna eſt, quia Chriſtus iam in ſua vita mortali meruit & impetrauit apud Patrem quæcunque dona eſſent deinceps hominibus concedenda, & de ſingulis accepit certam promiſſionem, & veluti poſſeſſionem, ac de omnibus pertinentibus ad noſtram ſalutem plenè tranſegit cum Deo Patre: ergo non eſt ad quid amplius oret in cælo, & alioqui fallaciter ac perfunctoriè deinceps oraret. Altera ratio eſt: quia ſi modò Chriſtus oraret & impetraret in cælo, hæc oratio haberet rationem meriti, & ex gratitudine illi retribueretur neceſſariò: at dici non debet Chriſtus in cælo amplius quicquam mereri: ergo nec dici debet orare & impetrare. Hinc tandem infert Vaſq., ideo Eccleſiam non rogare Chriſtum, vt pro nobis oret in cælis, nec priuatim nos ſic Chriſtum rogare, quia peracto iam negotio noſtræ redemptionis, non competit amplius Chriſto in cælis orare.

Defenditur pars affirmatiua.

His tamen non obſtantibus, defendendũ adhuc eſt, Chriſtum ſecundùm humanitatem aliquo etiam pacto in cælis orare. Etenim negari non debet, animam Chriſti exercere etiam in cælo aliquem actum pro noſtra ſalute ex abundantia ſuæ charitatis. Certè enim Chriſtus ſemper deſiderat noſtram ſalutem, deſiderat vt adimpleatur fructus ſuæ paſſionis. Et cauſa quidem principalis, imò etiam proxima phyſica noſtræ cauſæ, ſemper eſſe debet diuina potentia: humanitas autem Chriſti ſemper retinet illam ſubiectionem ad Patrem, tanquam natura creata & ab illo dependens: atque adeo non eſt contra dignitatem eius, adiuuare homines apud Patrem, quod erit aliquo pacto orare pro hominibus. Atque dum dicitur repræſentare apud Patrem ſuam humanitatem & paſſionem, ſua priora merita, hoc debet ita intelligi, vt hæc repræſentatio ſit aliquis nouus actus, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, ſiue etiam vocis, quo exponat Patri quanta ipſe geſſit & paſſus fuit pro hominibus, & ita Chriſtus agat noſtrum aduocatum & interpellet pro nobis: quod vtique eſt aliquo pacto orare pro nobis. Neque illa repræſentatio debet intelligi & explicari ſolùm per ipſam exiſtentiam realem humanitatis Chriſti, & per æternam exiſtentiam obiectiuam paſſionis & meritorum Chriſti in mente Dei: planè enim aliquid plus denotare voluerunt Ioannes & Paulus, quando dixerunt Chriſtum agere aduocatum noſtrum, interpellare pro nobis. Et Patres etiam allegati hoc ipſũ ſatis perſpicuè denotarunt: neque ſanè intelligi poſſunt de ſola exiſtentia humanitatis Chriſti vel præterita paſſione eius.

Satisfit auctoritatibus partis negatiuæ.

Alij verò Patres qui pro parte oppoſita allegati ſunt, partim loquuti ſunt de Chriſto ſecundùm naturam diuinã, & ideo ſic expoſuerunt, interpellare pro nobis, aduocare pro nobis: quia ſcilicet Filius Dei, ſemper retinens ſecum vnitam humanitatem illam, cuius merita ſunt acceptiſſima Deo, affert nobis hanc vtilitatem, vt Deus ſit nobis propitius & promptus ad ignoſcendum ac beneficiendum. Atque ita ſicut exponitur, quòd Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis, quia facit nos poſtulare: ſic pariter explicare voluerunt, Verbum diuinum interpellare pro nobis, quia retinet ſecum vnitam humanitatem, cuius merito Deus placatur nobis: & ſua beneficia impertitur. Sic planè Nazianz. ait, non eſſe opus humilitatis ſeu inferioritatis, quòd Chriſtus interpellet pro nobis, ſed eſſe ſicut dictum eſt de Spiritu ſancto intercedere pro nobis. Et Gregorius quoque ſic inquit: *Vnigenitum filium pro homine interpellare, eſt apud coæternum Patrem ſe ipſum hominem demonſtrare: eumque pro humana natura rogaſſe eſt, eandem naturam in diuinitatis ſuæ celſitudine ſuſcepiſſe.* Et alij ex Patribus idem intellexerunt. Per quod non negarunt, alio proprio modo Chriſtum per humanam naturam nouis actibus apud Deum interpellare & aduocare pro nobis. Partim verò aliqui Patres, loquendo de Chriſto etiam vt homine voluerunt, non orare denuò in cælis, quaſi ſatisfaciendo & merẽdo pro nobis, ſicut fecerat in terris; ſed quoad hoc commonſtrare potiùs & allegare Patri ſuam copioſiſſimam ſatisfactionem & merita iam exhibita: hoc ipſum autem non ſit niſi per nouos actus Chriſti vt hominis loquentis ad Patrem pro nobis, quod eſt propriè interpellare & aduocare pro nobis. Siue non orare ex indigentia, ſed ex abundantia charitatis. Quo pacto Chriſoſt. ſic de Chriſto in cælis expreſsè fatetur: *Noſtri curam nõ depoſuit, ſed & pro nobis intercedit, & adhuc eandem charitatem conſtanter ſeruat, neque enim contentum eſt ea actione ſolum, & officijs ijs quæ ad ipſum pertinent fungi, ſed & alium quoque obſecrare; quod quidem maximi eſt amoris argumentum.* Et in lib. illo ſacroſyllabo, non ſolùm dictum eſt, Chriſtum inceſſabiliter naturam noſtram oſtendere Deo Patri & ſic interpellare pro nobis: ſed expreſsè etiam dicitur, *Aduocatus ille mihi eſt, qui pro me iudicem interpellat, & cauſam neceſſitatis meæ propria traditione defendit.*

Satisfit etiam rationibus.

Et ſic demum ad rationes quoque quas Vaſquez affert, dicendum eſt, non indigere quidem Chriſtum nouis in cælo præcibus, quaſi tunc mereri aut impetrare debeat aliquid quod antea non meruiſſet: ſed potiùs petere & exigere, vt ſibi ſiue ſuo intuitu hominibus concedatur id quod iampridem pro illis meruerat, atque adimpleantur promiſſiones ſibi factæ. Et quamuis in virtute ſui meriti & diuinæ promiſſionis, eſſent hæc dona gratiæ hominibus concedenda, abſque alijs nouis Chriſti precibus: tamen adhuc poſſint cogitari & admitti tales actus in humanitate Chriſti; tum ad exercitium ſuæ perpetuæ dilectionis & charitatis erga homines, vt indicauit Chryſoſtomus, *Vt feruorem ac vigorem illius erga nos charitatis declares*: tum ad recognoſcendam diuinã potentiam & liberalitatem: tum ad profitendum quantum ſibi placeat vt diuina beneficia hominibus concedantur: ſicut etiam Chriſtus ſecundùm humanitatem hac ratione perpetuas gratias agit Deo pro tot ac tantis donis, quæ hominibus collata ſunt & in dies conferuntur. Rurſus poteſt etiam eſſe, vt ad aliqua dona requiratur noua oratio Chriſti in cælo: quia licèt Chriſtus iam in terris copioſiſſimè meruerit, adhuc poteſt eſſe, vt quoad aliquem effectum ſic acceptatum ſit eius meritum, vt mediante alia eius oratione ſit conferendus talis effectus. Sicut certè plurima Dei dona non conceduntur hominibus, niſi mediante certa diſpoſitione & oratione, vel eiuſdem pro ſe ipſo, vel vnius pro alio: ac etiam mediante oratione & impetratione Beatorum in cælo. Sic v. g. poteſt eſſe, vt ad inſignem illam miſſionem Spiritus ſancti, requireretur peculiaris oratio Chriſti poſt eius aſcenſionem, & vt ipſa conditio contineretur in promiſſione diuina, & in voluntate ipſius Chriſti viuentis in terra. Et ideo ipſe tunc dixerit,

Digitized by Google

xerit, *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis :* rogabo ſcilicet quando in cælis aderó, vt ſatis claré habetur ex ipſo textu : quamuis Rupertus id ipſum referre tentauerit ad idem tempus paſſionis tunc imminentis. Eodemque modo poteſt eſſe, vt ad alios quoque effectus requiratur noua oratio Chriſti in cælis ſiue noua repræſentatio & commemoratio ſuorum meritorum : & idipſum Chriſtus dum viuebat in terris tranſegerit cum Deo Patre in ſtabiliendo negotio humanæ ſalutis.

Non per hoc tamen dici debet Chriſtus de nouo mereri in cælo, aut ob meritum nouæ orationis Chriſti in cælo, concedi hominibus dona gratiæ : ſed ſolùm dici poterit Chriſtus impetrare, & nobis diuina dona concedi ob eius impetrationem, Etenim diſtinctæ ſunt rationes meriti & impetrationis. Patetq; in ipſa noſtra oratione, per quam meremur quidem de condigno gloriam, impetramus autem alia dona, vel temporalia vel ſpiritualia, quæ à Deo petimus, & quæ non per hoc cadunt ſub meritum. Neque dici debet, quod Deus ex gratitudine retribuat id quod petimus, ſed quod tribuat ex liberalitate, quantum eſt ex hoc capite. Sicut & inter homines, non per hoc quod vnus petit ab alio beneficium, hic debebit ex gratitudine tribuere tale beneficium, ſed tribuet ſolùm ex liberalitate : niſi inquam adſint & repræſenentur alia merita. Quia autem Chriſtus in cælo repræſentat ſua maxima merita, & exigit id quod iam illorū intuitu ſibi ex diuina promiſſione debetur, ideo abſque titulo noui meriti, per reſpectum tamen ad priora merita, dicē debebant dona gratiæ hominibus concedi, non quidem ſolùm ex gratitudine vt loquitur Vaſquez, ſed potiùs ex iuſtitia, vt iam ſuis locis de merito noſtro & de merito Chriſti tractauimus.

Et hinc demum fatentur Suarez & Cornelius à Lapide, non eſſe inconueniens, ſi quis cum debita diſtinctione & reuerentia oret Chriſtum tanquam hominem, vt repræſentet & offerat Deo Patri, ac ſibimet Chriſto tanquam Deo, ſua merita & vulnera paſſionis, ad impetranda alia beneficia & Dei dona. Præcipuè autem omnes rogare debemus Chriſtum, & Eccleſia rogat vt miſereatur noſtri : quia hoc poteſt referri ad ipſum coniunctim tanquam Deum & hominem. Rogamus etiam Deum Patrem, & ſic Eccleſia paſſim rogat, vt per Chriſtum, ideſt propter merita Chriſti, nobis dona ſuæ gratiæ largiatur.

Digitized by Google

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

De Sacerdotio Chriſti.

RATIO Sacerdotij eſt etiam relatiua ad Deum, quia munus Sacerdotis eſt, offerre & ſacrificare Deo: ideo conſequenter S. Thomas, inter comparationes Chriſti ad Patrem, agit hac quæſtione de Sacerdotio Chriſti: quamuis quoad effectus referatur etiam ad homines, vt in progreſſu videbimus. Et aliqui hoc loco adiungunt etiam de Chriſti Pontificatu & Regno, & de Officio Mediatoris. Sed quia hæc magis referuntur ad homines, conuenientiùs poſt omnem comparationem Chriſti ad Patrem, agemus de his & alijs Chriſti titulis in comparatione ad homines. Et S. Thomas hic per ſex articulos de ſolo ſacerdotio loquitur.

Et primò ſtatuit, Chriſtum verè fuiſſe Sacerdotem: quia cùm Sacerdos ſit mediator inter Deum & populum, eius officium eſt tradere diuina populo, & offerre preces ſatisfactionem & ſacrificia Deo pro populo: & vtranque partem Chriſtus perfectiſſimè adimpleuit, nam ipſe diuina dona hominibus detulit, & ipſe reconciliauit humanum genus Deo. Secundò docet, ipſum Chriſtum fuiſſe ſimul hoſtiam ſeu victimam Deo oblatam pro noſtra ſalute. Nam triplex hoſtia inuenitur; prima pro remiſſione peccatorum, quę olim dicebatur hoſtia pro peccato; ſecunda pro conſeruatione gratiæ ſiue pro hominis pace & ſalute, quæ olim dicebatur hoſtia pacifica; tertia pro perfecta vnione hominis ad Deum, ſiue pro conſequutione gloriæ, quod olim dicebatur holocauſtum: omnes autem hi effectus nobis per humanitatem Chriſti collati ſunt, nempe remiſſio peccatorum, gratia pacificans & ſoluens, & vnio cum Deo ac perfectio æternæ gloriæ, quare Chriſtus vt homo fuit ſimul hoſtia pro peccato, hoſtia pacifica, & holocauſtum. Tertiò ſpecialiter docet, effectum ſacerdotij Chriſti fuiſſe penitus expiare peccata: quia cùm in peccato ſint macula culpæ & reatus pœnæ, Chriſtus obtinuit nobis gratiam quæ delet culpam & maculam, & ſatisfecit pro pœna & ſupplicio nobis debito. Quartò explicat, non potuiſſe ad ipſum Chriſtum peruenire effectum ſui ſacerdotij: quoniam ille participat effectum ſacerdotij, inter quem & Deum conſtituitur ſacerdos tanquam mediator, ſed Chriſtus per ſemetipſum accedebat ad Deum: & rurſus quia primum agens in quolibet genere, non recipit effectum in illo genere, ſic Sol eſt primum illuminans & non illuminatur, ignis eſt primum calefaciens & non calefit: Chriſtus autem eſt primus ſacerdos, eſt fons totius ſacerdotij: vnde illi non competit recipere effectũ ſacerdotij. Quintò explicat, ſacerdotium Chriſti permanere in æternum quantum ad effectum & finem: quia ſcilicet finis huius ſacerdotij non fuit conferre bona temporalia, ſed bona æterna, quæ quidem nobis per Chriſtum conferuntur. Sextò tandem explicat, ſacerdotium Chriſti dici ſecundùm ordinem Melchiſedech: quia cùm ſacerdotium Leuiticum ſcriptæ legis figuraret ſacerdotium Chriſti, multùm tamen ab eo deficiebat; hæc autem præcellentia ſacerdotij Chriſti ſupra ſacerdotium Leuiticum, deſignata fuit in ſacerdotio Melchiſedech, qui nempe decimas accepit ab Abraham ex quo deſcenſurus erat ordo Leuitici ſacerdotij.

SECTIO PRIMA.

An & qualiter Chriſtus fuerit Sacerdos.

QVamuis ad Sacerdotis officium plures actus pertineant, quos attingit D. Thomas art. 1., vtpotè docere populum de rebus diuinis, miniſtrare res diuinas populo, rogare Deum pro populo, & offerre pro populo: tamen præcipuus & veluti eſſentialis actus, ſine quo non conſiſtit ratio ſacerdotij, & cum quo ſolo, etiam ſeclusis alijs omnibus actibus, verè conſiſtit, & qui non poteſt legitimè exerceri niſi a ſacerdote, eſt offerre ſacrificium Deo, eſt ſacrificare Deo. Et hoc ſumitur ex illis verbis Apoſtoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex conſtituitur vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Sacrificium autem, vt docuit S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 3., eſt cultus quidam latriæ qui ſoli Deo offertur, profitetur etiam ſupremum dominium Dei erga homines, & omnes res creatas ſupremamque poteſtatem remittendi peccata, & perducendi ad gloriam. Atque conſiſtit in oblatione & conuenienti immutatione alicuius rei creatæ in honorem Dei, & in hoc differt ſacrificiũ à ſimplici oblatione; quia importat immutationem rei quæ offertur, vt cùm olim occidebantur animalia ſuper altare ad diuinum obſequium. Interdum tamen ſumitur ſacrificiũ pro quocunq; actu virtutis, aut pro ſola ipſa internâ eleuatione mentis ad Deum, quatenus cedit in honorẽ Dei: quomodo dictum eſt Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino*. & Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Et ſimiliter interdum nomen ſacerdotis amplè ſumitur, vt conueniat omnibus hominibus, qui huiuſmodi virtutum actus Deo offerunt: vt dictum eſt 1. Petri 2. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo*. At propriè & rigorosè ſacrificium dicitur ſolùm illo modo, & ſacerdos qui habet legitimam poteſtatem offerendi tale ſacrificium. Dico legitimam, quia ſacerdos debet eſſe conſtitutus publica auctoritate, vt pro communitate & populo poſſit offerre, tanquam mediator inter Deum & populum, vt conſtat ex eodem illo loco Apoſtoli: vbi ſubditur, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*.

Sacerdotis officium præcipuè eſt ſacrificare.

Hoc ergo pacto fuerunt in omni ſtatu & lege conſtituti ſacerdotes apud populum, ad quos ſpectabat ſacrificare Deo. Sic non ſolùm in lege noua euangelica extant ſacerdotes, & in lege veteri Moſayca erant ſacerdotes de ordine leuitico: ſed etiam antea in ſtatu legis naturalis inuenitur Geneſ. 14. *Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi benedixit ei*. Et rurſus autem Geneſ. 8. *Ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare*. Et iam ab initio Caim & Abel offerebãt de fructibus terræ & de animalibus gregis munera Domino. Neque contradicere voluit Anacletus Papa Epiſt. 2. dicens, Aaron fuiſſe primum ſacerdotem, ſed alios antiquiores qui leguntur ſacrificia obtuliſſe, id non feciſſe ſacerdotali auctoritate. Solùm enim loquutus eſt de ſacerdotio per ſcriptam legem & certum ritum inſtituto à Deo: ſic enim primus in hoc ordine fuit Aaron, nec apud antiquiores fuerat huiuſmodi ſacerdotalis inſtitutio & auctoritas.

In omni ſtatu & lege fuerũt Sacerdotes.

His ſuppoſitis, conſtat quidem in ſacris litteris, Chriſtum fuiſſe ſacerdotẽ, vt præſertim docuit & inculcauit Apoſtolus ad Hebr. 5. 6. & 7. Sed ad explicandum qualiter fuerit ſacerdos, videri poteſt ex eadem Apoſtoli doctrina, fuiſſe ſacerdotem de ordine & ritu legis naturæ. De Chriſto enim aſſerit & repetit, fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, iuxta illud Pſalmi 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*: ſed hic erat ſacerdos de ſtatu legis naturæ: ergo videtur tale quoque fuiſſe ſacerdotium Chriſti. Rurſus videri poteſt, Chriſtum fuiſſe ſacerdotem de ordine & ritu legis Moſaycæ. Etenim Chriſtus deſcendebat quoque ex ſtirpe leui, ex progenie ſacerdotum, vt colligitur ex

Chriſtus fuit verè ſacerdos.

eo

eo quod Eliſabeth de filiabus Aaron, vxor Zachariæ ſacerdotis erat cognata Mariæ Lucæ 1. Vnde D. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. dixit, *Firmiſſimè tenendum eſt, carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam, & Regum ſcilicet & Sacerdotum*. Sed in populo Iſrael ſacerdotes erant qui naturali origine ex Leuitica ſtirpe & ſacerdotali progenie deſcendebant: ergo Chriſtus erat ſacerdos de ordine Leuitico. Ideo etiam Chriſtus videtur curaſſe de cultu Iſraelitici templi eijciendo ementes & vendentes, quia hoc ſibi tanquam ſacerdoti illius templi competebat. Solebat quoq; die ſabbati ingredi in ſynagogã, & legere libros ſacros ad populum, vt narratur Lucæ 4., quod pariter videtur fuiſſe officium ſacerdotum.

Non de lege naturæ aut lege Moſaycæ.

Attamen ſatis certum & exploratum eſt, longe diuerſæ & altioris rationis fuiſſe ſacerdotium Chriſti quàm ſacerdotium legis naturæ aut legis Moſaycæ: & ſimpliciter neutro illo modo Chriſtũ fuiſſe ſacerdotem, ſed alio nouo & ſingulari modo proprio legis gratiæ, proprio ipſi Chriſto. In primis enim, in illo antiquo tempore, ſacerdotiũ quod antea in lege naturæ erat veluti rugũ, abſque certa perſonarum determinatione de iure diuino, & abſque certo conſecrationis ritu, ac etiam abſque certa ſacrificiorum præſcriptione; fuit poſtea apud Iſraeliticum populum ſcripta lege determinatum, ad certas perſonas, ad certum ritum conſecrationis, & ad certa ſacrificia: vnde in illo populo non erant ampliùs vagè ſacerdotes, ſicut in pura lege naturæ, ſed erant ſolùm iuxta inſtitutum illius legis ſcriptæ. Non ergo Chriſtus, qui erat de populo Iſrael, dici poteſt fuiſſe ſacerdos de pura lege naturæ, vel in Chriſto fuiſſe denuo reſtauratum & renouatum illud vetuſtiſſimum ſacerdotij genus. Neque Chriſtus fuit ſacerdos de ordine illo Leuitico legis ſcriptæ. Hoc enim ex profeſſo docere & perſuadere intendit Apoſtolus in illo ſuo diſcurſu de ſacerdotio Chriſti, ſcribẽs ad Hebræos: imò oſtendere voluit, in Chriſto extinctum fuiſſe leuiticum ſacerdotium, & commutatum fuiſſe in aliud valde perfectius. Vnde dicebat cap. 7. *Si ergo conſummatio*, id eſt redemptio ſeu perfectio, *per ſacerdotium leuiticum erat, quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Translatò enim ſacerdotio neceſſe eſt vt legis translatio fiat*. Addit que aliam probationem dicens de Chriſto: *De alio tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit, manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes loquutus eſt*. Itaque non ſolùm patet, ſacerdotium quod celebratur in Chriſto, non fuiſſe de illo antiquiori ritu ſacerdotij, ſed prorſus Chriſtum non fuiſſe de illo genere ſacerdotem.

Sed ſingularis & excellentiſſimo mod.

Fuit ergo Chriſtus ſacerdos alio modo longe diuerſo, modo inquam nouo, modo quodam excellentiſſimo ſupra omnem antiquiorem ordinem ſacerdotij. Et quia præcipuum atque eſſentiale ſacerdotis officium eſt, offerre Deo ſacrificium, explicabitur ſingularitas & excellentia ſacerdotis Chriſti, penes ſacrificium quod Deo Patri obtulit. Fuit hoc ſacrificium ipſamet Chriſti mors, fuit hoſtia & victima in hoc ſacrificio ipſemet Chriſtus, obtulit & ſacrificauit Chriſtus ſe ipſum. Hac ratione D. Thomas art. 2. explicat, eundem Chriſtum fuiſſe ſimul ſacerdotem & hoſtiam: & infra q. 48. art. 3., Chriſti paſſionem fuiſſe verum ſacrificium ab ipſo oblatum. Sic Apoſtolus eodem cap. 7. ad Hebr. concludit de Chriſto: *Qui nõ habet neceſſitatem quotidie hoſtias offerre, hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo*. Et cap 9. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, non per ſanguinẽ hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*. Et cap. 10. *Omnis quidem ſacerdos præſto eſt, quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*. Et alia plura commemorat Apoſtolus in ea Epiſtola de huiuſmodi ſacrificio & ſacerdotio Chriſti. Et ad Epheſ. 5. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odo-

Digitized by Google

rem ſuauitatis. Ideo tandem Chriſtus vocatus eſt agnus & ouis, tanquam hoſtia & victima oblata & ſacrificium Deo. Vnde patet, quàm ſingulare fuerit hoc ſacerdotium Chriſti, inſtitutum ad huiuſmodi ſacrificium: & quàm diuerſum ab omni alio ſacerdotio: & quàm altioris & excellentioris rationis, tum quoad dignitatem, tum etiam vt dicemus poſtea quoad valorem & vtilitatem penes ſuos effectus.

Obtulit ſacrificium ſui ipſius in cruce.

Verè autem ipſe Chriſtus tanquam ſacerdos obtulit ſe ipſum in ſacrificiū; quamuis non ipſemet ſe mactauerit: ſatis enim eſt, quod ipſemet non ſolùm libenter acceptauit & ſuſtinuit mortē, ſed ſuamet voluntate & promptitudine ſe obtulit ad mortem, non impediēs cùm alioqui ab hominibus vim pati nō poſſet: & quòd ſic erat conſtitutus à Deo vt ſubeundo, non autem inferendo ſibi mortem, ſeſe immolaret. In quo valde differt mors Chriſti à morte aliorum Martyrum, qui vtique non dicuntur tanquam ſacerdotes obtuliſſe ſe ipſos propriè in ſacrificium. Differt etiam mors vt tolerata à Chriſto, atque vt illata ab inimicis, qui vtique non per officium ſacerdotis obtulerunt ſacrificiū occidendo Chriſtum. Vnde rectè notauit S. Thomas ibi q. 48. art. 3. ad 3. *Quòd paſſio Chriſti ex parte occidentium fuit maleficium, ſed ex parte ipſius ex charitate patientis fuit ſacrificium*: & hic art. 4. ad 2. idem explicat.

Obtulit & inſtituit in Euchariſtia.

Ac demum Chriſtus tanquam ſacerdos in nocte cœnæ obtulit in ſacrificiū Deo Patri corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, dum Euchariſtiam inſtituit. Et hoc quidem dicitur ſacrificium incruentum, ad differentiam illius quod cum reali effuſione ſanguinis cruentè obtulit in cruce. Et quia oblatio illa cruēta ſemel tātùm perficienda erat, inſtituit vt alia oblatio incruenta deinceps in Eccleſia cōtinuaretur: & propterea in eadem illa nocte cœnæ ſuos Apoſtolos inſtituit ſacerdotes, dum illis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, deditquè eis poteſtatem hoc ſacramentum conficiendi, & ſacrificium offerendi. Reliquit etiam in ſua Eccleſia poteſtatem, qua ſucceſſiuè ordinari & conſtitui poſſent alij & alij ſacerdotes, quorum miniſterio hoc ſacrificium continuari deberet. Sic præclarè expreſſit Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi inter alia inquit: *Semel ſe ipſum in ara crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat: Quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouiſſima corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac Apoſtolis eorumquè in ſacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent præcepit*. Itaque quoad ſacrificium illud cruentum, ſacerdotium Chriſti, in ipſo ſolo, per vnicam oblationem conſummandum erat: ſed quoad ſacrificium incruentum, communicandum erat, & communicatum fuit tot alijs ſacerdotibus, pro omni tempore in Eccleſia. Sed etiam in hoc ipſo ſacerdotio, Chriſtus fuit ſingulari modo ſacerdos, nempe non per certum ritum ordinationis, nec per externam inſtitutionem, ſed per intimam vnionem ſuæ humanitatis cum Verbo diuino, & per inſtitutionem eiuſdem diuinæ voluntatis quæ erat in Chriſto. Plura autem de ſacrificio Euchariſtiæ, ſuo loco in tractatu de eodem ſacramento dicemus.

Qualiter Chriſtus dictus ſit ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Cæterùm, vt ſatisfaciamus ad ea quibus videri poterat Chriſtus fuiſſe ſacerdos de ordine legis naturæ aut legis Moſaycæ. Dictus quidem Chriſtus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, non propter ſacerdotium legis naturæ, ſed quia ſpeciali modo in illo ſingulari viro figuratū, & adumbratum fuit ſacerdotium Chriſti. Dico, ſpeciali modo: quia alioqui etiam ſacerdotium leuiticum quod incæpit in Aaron, fuit ſuo modo figura ſacerdotij Chriſti, ſiquidem omnia in figura contingebant illis: ſed tamen Apoſtolus intendit docere, Chriſtum fuiſſe ſacerdotem ſecundū ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm ordinem Aaron. Quodam ergo ſpeciali modo, differenti à ſacerdotio leuitico, ac etiam à communi ſacerdotio legis naturæ intelligi debet, ſingularem illum ſacerdotem vocatum Melchiſedech, repræſentaſſe ſacerdotem Chriſtum. Et quidem plures rationes huius ſpecialis figurationis ac ſimilitudinis obſeruat idem Apoſtolus

lus

Digitized by Google

lus cap. 7. dicens de Melchiſedech: *Primum quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ, deinde autem & rex Salem quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei*. Dicit autem, fuiſſe ſine patre, &c. non quaſi non fuerit verus homo progenitus ex Adamo, ſicut putarunt aliqui, fuiſſe perſonam aliquam diuinam, aut angelicam in humana effigie apparentem. Quinimò quidam ex Patribus docuerunt, illum fuiſſe Sem primogenitum Noe. Sed ita dixit Apoſtolus, quia vbi inductus fuit Melchiſedech in illo occurſu & congreſſu cum Abrahamo, nulla fit mentio de eius patre vel matre: nec de genealogia, ſiue hæc ſumatur pro linea aliorum progenitorum, ſiue pro ſucceſſione & poſteritate: nec memoratur eius initium aut finis, ortus vel interitus.

Quia per plures conditiones Melchiſedech repræſentauit Chriſtum.

In ijs ergo tribus conditionibus, ille vir ſingulari modo figurauit Chriſtum, non ſolum veluti materialiter in perſona, ſed etiam formaliter in ſacerdotio. Nam Chriſtus per ſuum ſacerdotium fuit vnicus rex iuſtitiæ, ſuo ſacrificio ſatisfaciens ex iuſtitia Deo Patri & iuſtificans homines. Fuit rex pacis, per ſuam mortem & ſanguinem reconcilians nos Deo, & pacificans quæ in terris & quæ in cœlis ſunt, vt loquitur idem Apoſtolus ad Coloſs. 1. Rurſus Chriſtus vt homo eſt ſine patre, vt Deus ſine matre: & vt ſacerdos non accepit hoc munus per deſcendētiam & ſucceſſionem ex patre vel matre: & ita ſine genealogia, ideſt ſine dependentia ſui ſacerdotij ex ſua progenie: ac etiam ſine poſteritate ac ſucceſſione in quam per ſuam ceſſationem transferet ſacerdotiū, ſicut olim fiebat. Non habuit inquantum Deus initium dierum: & neque vt Deus neque vt homo habuit vel habebit finem. Quod iterum repetit & inculcat Apoſtolus ad finem capitis, aſſignans hanc ſacerdotij differentiam. *Alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*.

Et ſacerdotium

Alia præterea ratione deducit Apoſtolus ſimilitudinem inter ſacerdotium Chriſti & Melchiſedech: quia Melchiſedech fuit maior Abrahamo, & conſequenter leuiticis ſacerdotibus: ſic & ſacerdotium Chriſti eſt maius & excellentius ſacerdotio leuitico. Duobus autem capitibus probat præcellentiam Melchiſedech ſuper Abraham. Vnum eſt, quia Abraham dedit decimas ipſi Melchiſedech, & in Abraham etiam Leui quodammodo obtulit decimas: *Intuemini*, inquit Apoſtolus, *quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha: Et per Abraham, & Leui decimatus eſt, adhuc enim in lumbis patris erat*. Pluribus autem explicat D. Thomas infra q. 31. art. 8. qualiter is qui decimas alteri ſoluit, per hoc profitetur ſe inferiorem & imperfectum: & qualiter Chriſtus non fuit decimatus in Abraham, quamuis eſſet ex illo deſcenſurus, quia nimirum non erit gignendus per ſeminalem propagationē, nec erat obnoxius originali peccato. Alterum caput eſt, quia Melchiſedech dedit benedictionem ipſi Abraham: *Sine vlla autem contradictione*, inquit Apoſtolus, *quod minus eſt à meliore benedicitur*. Sic ergo ſacerdos Melchiſedech præfigurauit præcellentiam ſacerdotij Chriſti ſupra ſacerdotium Leuiticum. Et hoc ſpecialiter modo S. Thomas hîc art. 6. explicat, ſacerdotium Chriſti fuiſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Melchiſedech ſacerdotium Chriſti.

Et ſacrificium Melchiſedech ſacrificiū Chriſti.

Aliam tandem præcipuam conformitatem inter ſacrificium Chriſti & Melchiſedech obſeruant cōmuniter Theologi & Patres, & quam ex profeſſo contra Recentiores Hæreticos defendunt Bellarm. lib. 1. de Sacrif. Miſſæ cap. 6. Becanus lib. 1. de Triplici ſacrificio cap. 4. & Vaſq. hîc diſp. 86. Quòd Melchiſedech perfecit ſacrificium in pane & vino, & in hoc præfigurauit ſacrificium oblatum & inſtitutum à Chriſto ſub ſpeciebus panis & vini. De hoc ſacrificio dicit Eccleſia in Canone Miſſæ, *Quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech*. Et in Officio Corporis Chriſti, *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundùm ordinem Melchiſedech panem & vinum obtulit*: & Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans corpus & ſanguinem*

ſuum

ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulit. Sed de hac re ex profeſſo agendum erit proprio loco de Sacramento Euchariſtiæ. Nunc autem aduerti ſolet, ideo Apoſtolum non expreſſiſſe hanc inſignem rationem conformitatis, quia non multùm ſpectabat ad eius intentum, quod erat oſtendere præcellentiam ſacerdotij Melchiſedech ad ſacerdotium Leuiticum. Et quia non iudicabat opportunum, tunc exprimere in ea Epiſtola ad Hebræos arcanum Euchariſtiæ myſterium, ne multis fieret occaſio ſcandali in illo populo. Sed hoc fortaſſe indicare voluiſſe cap. 5. dum dixit, *Appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech, de quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo, perfectorum autem eſt ſolidus cibus*.

Qua ratione Chriſtus zelabat in Tēplo, & legebat in Synagoga.

Deinde quod attinet ad ſacerdotium legis Moſaycæ, attingebat quidem Chriſtus propinquitate aliqua tribum Leui & ſtirpem ſacerdotum: tamen id ad ſummum eſſe poterat per lineam aliquam maternam, non autem paternam B Virginis: & potiùs conſtat, Chriſtum Dominum deſcendiſſe ex tribu Iuda & ex familia Dauid: ſacerdotes autem in illa lege debebant per lineam paternam deſcendere ex tribu Leui & ex familia Aaron. Vnde hoc ipſo medio Apoſtolus vſus eſt ad demonſtrandum, non fuiſſe Chriſti ſacerdotium de ordine leuitico. Neque Chriſtus ex officio ſacerdotali eiecit negotiatores de templo, & legebat ſacros libros in ſynagoga, ſed ex zelo diuini cultus, & ex ſcientia diuinæ legis. Et pro fabula reputanda eſt, quam ex quodam Rabyno narrat Suidas verbo Ieſus, ſcilicet Chriſtum ex electione aliorum ſacerdotum fuiſſe inter illos relatum: & quod admittit Vualdenſ. tom. 1. de Sacrament. cap. 116. num. 6., Chriſtum relatum fuiſſe in ordinem lectorum. Neutrum enim ex his fieri poterat, cùm Chriſtus non eſſet de numero Leuitarum: neque decet dignitatem Chriſti vt humana electione adſciſceretur inter miniſtros Synagogæ, qui diuina perceptione erat ſummus ſacerdos & pontifex Eccleſiæ. Conſtat autem, alios ex prioribus Prophetis, qui non erant ſacerdotes aut Leuitæ, zelatos fuiſſe pro diuino cultu: & Rabynos qui erant legis doctores & legebant ac docebant in ſynagogis, fuiſſe ex quacunque tribu, abſque alio officio ſacerdotali vel leuitico. Non ergo aliud ſacerdotium tribuẽdum eſt Chriſto, niſi illud ſingulare & euangelicum, quod conueniebat redemptioni hominum, & inſtitutioni Eccleſiæ.

SECTIO SECVNDA.

Quo pacto Chriſtus ſit Sacerdos inquantum homo, & in æternum.

Dubitatio, quòd Chriſtus ſit ſacerdos vt Deus.

DAmaſcenus in Oratione 2. de Natiuit. B. Mariæ, indicaſſe videtur, Chriſtum, non ſecundùm humanam naturam, ſed potiùs ſecundùm diuinam virtutem, eſſe ſacerdotem, ſicut & regem. Ait enim: *Vtranquè dignitatem nactus eſt, ſic tamen vt non humanitatis ratione, quemadmodum quiſpiam loqui poſſet, hoc eſt qua parte in aſpectum cadébat, ſacerdos ac rex cenſeatur, verùm iuxta indelebilis vitæ potentiam, dignitatem vtranque, hoc eſt tum ſacerdotij tum regni, ſuapte natura habere declararetur*. Et Cyrill. Hieroſolimitan. Catecheſ. 10. dixit, *Chriſtus immutabile habet ſacerdotium, quod non à tempore capit*: vnde videtur ſupponere, quòd habeat ratione Deitatis. Imò inter errores Franciſci Stancari lutherani refertur quod dixerit: *Sacerdos & ſacrificium eſt homo Chriſtus, non Deus Chriſtus, hoc eſt Chriſtus ſecundùm hominem, non ſecundùm Deum*: & ſimiliter quod dixerit, Chriſtum ratione etiam ſuæ humanitatis complectentis corpus & animam fuiſſe victimam: vt videre eſt apud Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 2.

Sacerdotij exercitium erat à Xſo vt homine non vt Deo.

Abſolute tamen dicendum eſt, Chriſtum inquantum hominem eſſe ſacerdotem, & exercuiſſe officium ſacerdotij: ita tamen quod infinitus valor & dignitas huius exercitij & ſacrificij habeatur ex diuina perſona & natura. Ita ſentiunt & loquuntur communiter hoc loco Theologi, & in omni alia communi denominatione Chriſti, ſeposi-

te

Digitized by Google

re Redemptoris, Mediatoris, Reconcilia-latoris, Aduocati, &c. Et expreſse D. Tho. art. 3. ad 1. Eſtque id prorſus certum, non ſolùm de re, ſed etiam de modo loquendi. Et quidem patet manifeſte ex eo ipſo quod ſuperiori quæſt. ſtatuimus, Chriſtum ſecundùm humanam naturam, & non ſecundùm diuinam oraſſe ad Patrem. Nam pariter exercere ſacerdotalia munera erga Deum, & ſpecialiter offerre ſacrificium, eſt opus inferioris erga ſuperiorem, eſt religioſus cultus, erat actus proprius ipſi Chriſto, non communis Patri & Spiritui ſancto: igitur non niſi ſecundum humanam naturam conueniebat Chriſto. Atque ſecluſa humanitate, non poſſet vtique cogitari, Filium Dei eſſe ſacerdotem reſpectu Patris, offerre ſacrificium Patri, ſicut nec Patrem reſpectu Filij aut Spiritus ſancti. Sacrificium autem & omne opus Chriſti, habebat infinitum valorem & dignitatem: habebat autem ex ipſa diuina perſona & natura, quia erant opera illius hominis, qui erat Filius Dei, erat verus Deus. Et iterum de hac re loquemur ſub titulo mediatoris cum D. Thom. q. 26. Ac ſimiliter Chriſtus ſecundùm humanam naturam fuit hoſtia & victima oblata in ſacrificio, vita humana Chriſti fuit impenſa in illa oblatione, dum peractum fuit ſacrificium per ſeparationem corporis & animæ Chriſti. Sed hæc ipſa res oblata, ipſa victima, erat infinitè digna ratione Verbi diuini, quia illa humana natura & vita, erat facta natura & vita Verbi diuini, non vtique per confuſionem vel conuerſionem in naturam & vitam diuinam, ſed per intimam coniunctionem in vnitate perſonę, integra & impermiſta permanente natura diuina & humana, vita diuina & humana, vt iam ſatis explicatum fuit circa ſubſtantiam huius myſterij.

Diluitur dubitatio.

Damaſcenus autem illo loco, ſolùm voluit, Chriſtum non fuiſſe ſacerdotem & regem, ratione vllius humanæ conſecrationis & deputationis, quæ viſibiliter fit apud homines; ſed fuiſſe ſacerdotem & regem per indiſſolubilem & ſubſtantialem vnionem illius naturæ humanæ cum perſona diuina. Et ita ait, *Filius Dei, mundo per carnem apparens, nouo atque inuſitato modo, ac non iuxta carnalis mandati legem, vt Apoſtoli verbis vtar, munere ſuo functus eſt, vtrãque dignitatem nactus.* Cyrill. verò ſolum voluit, formam ex qua ſumebatur inſita dignitas illius ſacerdotij, non cæpiſſe ex tempore. Alioqui ipſemet explicat, Chriſtum iuiſſe ſacerdotem ex iureiurando ac volũtate Patris, quod planè cadit ſuper Chriſtum vt hominem. Stancarus autem ille in eo erraſſe cenſebitur: vel quòd non rectè ſenſerit de hypoſtatica vnione & vnitate perſonæ in Chriſto, ſed veluti diſtinxerit hominem Chriſtum à Deo, & in hoc ſenſu dixerit, fuiſſe ſolùm ſecundùm hominem ſacerdotem & victimã. Vel quòd non reputauit, dignitatem ſacerdotij in Chriſto, & valorem ſacrificij & victimæ ab eo oblatæ, deſumi ex diuina perſona, vt obſeruat ibi Bellarminus. Et talis error tanquam de ſecta Neſtorij, iam pridem damnatus fuit in Concil. Epheſ. can. 10. *Si quis Pontificem noſtrum factum dicit, non ipſum Verbum quando factum eſt caro, & ſecundùm nos homo; ſed tanquam alterum præter eum ſeorſum hominem ex muliere, anathema ſit.* Quòd ſi non hæc voluerit, in hoc non errauit. Sed reſolutio iam tradita, eſt vera doctrina theologica & catholica.

Sacerdotiũ Chriſti vocatur æternum.

Iam verò, Chriſtum non ſolùm fuiſſe ſacerdotem, dum hic in terris obtulit ſacrificium, ſed deinceps quoque & in æternum eſſe ſacerdotem, eiuſquè ſacerdotium eſſe durabile & perpetuum, habetur ex illis verbis Pſalmi, *Tu es ſacerdos in æternum*. Et ex profeſſo idem docet & probat Apoſtolus ad Hebr. 6., *Secundùm ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum*. Et cap. 7. *Hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et hoc eſt præcipuũ quoddam diſcrimen inter alia, quod Paulus aſſignat inter ſacerdotium Chriſti, & ſacerdotium leuiticum, quia illud non erat durabile & perpetuum, ſed continuabatur ſolùm per ſucceſſionem vnius ſacerdotis ad alium.

Eſt æternũ in ſuo effectu.

Explicat S. Thomas hic art. 5., quo pacto ſacerdotiũ Chriſti dicatur æternum:

Digitized by Google

num: non quia exercitium ſacerdotij, ideſt oblatio & ſacrificium, maneat in æternum: ſed quia finis & conſummatio ſacrificij, ſiue effectus & fructus eius manet in æternum: *Finis enim ſacrificij quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona temporalia, ſed æterna, vnde dicitur Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum*. Hanc tamen expoſitionem non approbant Bellarm. lib. 1. de Sacrific. Miſſæ cap. 6. §. *Secunda cauſa*. Vaſq. hîc diſp. 85. cap. 1. Quia, inquit Bellarm., non poteſt proprie dici ſacerdotium eſſe æternum, ex eo quòd eius effectus eſt æternus: alioqui pariter ſacrificium ipsū ratione ſui effectus diceretur æternum: & ſacerdotium quoque ac ſacrificium Noe dici poſſent perpetua, quatenus effectus eius, ſcilicet incolumitas orbis poſt diluuium ſemper manet & manebit: & ipſa quoque Chriſti natiuitas, paſſio & mors, dicerentur æterna, & Chriſtus ſemper naſci, pati, & mori, quatenus effectus inde parti manent in æternum. Addit Vaſqu., etiam ſacrificia leuitica impetrabant à Deo dona gratiæ permanentia in æternum, & tamen ſacerdotium leuiticum non dicitur æternum aut perpetuum, quinimò Apoſtolus in hoc ipſo contradiſtinguit ſacerdotium Chriſti à ſacerdotio leuitico. Et rurſus ſacerdotium euangelicum operatur effectum gratiæ ſempiternum, ſed tamen ſacerdotes euangelici non dicuntur permanere in æternum; ſed id dicitur ſingulariter de ipſo Chriſto.

Corroboratur hic modus explicandi.

Sed prorſus negandum non eſt, Apoſtolum vno modo ſic intellexiſſe ſingularem hanc prærogatiuam ſacerdotij Chriſti; quia per ſacrificium ipſum mortis ſemel peractum, contulit effectum pro toto tempore: & pro omnibus hominibus: non enim aliter cogitari poteſt perpetuitas in illo vnico ſacrificio, & planè Apoſtolus vno modo illi ſacrificio ſingulari tribuit perpetuitatem, ideo dicens non debuiſſe ſæpiùs offerri, ſicut offeruntur alia ſacrificia. Sic ibi cap 7. dicebat, *Vndè & ſaluare in perpetuum poteſt*. Et vlteriùs poſt illa verba proſequitur, *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, offerre, hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo, lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes, ſermo autem iuriurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternū perfectum*: ſermonem iuſiurandi vocat, alludens ad illa verba, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum*. Deinde cap. 9., cùm dixiſſet, Chriſtum eſſe pontificem futurorum bonorum, ſubdit, *Per proprium ſanguinē introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*: vbi in illa vnica oblatione & effuſione ſāguinis Chriſti aſſignat æternitatem redemptionis, ſic intelligens ſacerdotium & ſacrificium Chriſti eſſe æternum. Et iterum ad finem capitis, & continuando in cap. 10. explicat & inculcat, qualiter Chriſtus vnica oblatione perfecit totum opus noſtræ ſalutis, ad differentiam aliorum ſacerdotum, qui ſemper hoſtias repetebant. Quod tandem concludamus illis perſpicuis verbis, *Hic autem vnum pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*. Fatendum ergo prorſus eſt, Apoſtolum vno modo ſic ratione effectus intellexiſſe prærogatiuam æternitatis in ſacerdotio Chriſti, ideſt in illo vnico ſacrificio ſemel oblato.

Et per hoc præfertur ſacerdotiū & ſacrificium Chriſti alijs ſacerdotibus & ſacrificijs.

Fatendum autem etiam eſt, hoc modo per translationem dici ſacerdotium, ac pariter ſacrificium ipſum, æternum, ſumpta ſcilicet denominatione ab effectu; qui loquendi modus non eſt nouus aut inuſitatus in ſacris litteris. Neque verò perinde ſacerdotium & ſacrificiū Noe dicentur æterna: tum quia incolumitas ipſa orbis finem habebit in die extremi iudicij: tum quia illam ipſam non per ſe cauſabat ex opere operato: tum quia qualemcunque vim habebat, non habebat niſi ex ipſo Chriſto: vt etiam de ſequentibus mox dicemus. Nec etiam natiuitas, paſſio, & mors Chriſti dicentur æterna, & multò minùs Chriſtus ſemper naſci, pati, & mori: quia talis loquendi modus non eſt vſitatus, ſicut ſub nomine ſacerdotij & ſacrificij, ſed hæc nomina plus ſonant effectum, à quo participare potuerint denominationem æterni. Neque ſacerdotium & ſacrificia leuitica dicentur ſimiliter ratione effectus æterna:

qui-

quinimò Apoſtolus in omnibus ijs capitibus, non minùs expreſſit, imò ex profeſſo docuit, vetera ſacrificia non habuiſſe vim iuſtificandi offerentes, aut remittendi peccata, hoc eſt conferendi dona gratiæ, ſed tantùm valuiſſe ad emundationem carnis, quæ & dicitur ſanctificatio legalis, vt poſtea tractabimus circa ſacramẽta: qui effectus erat omnino temporaneus. Et hoc quidem loquẽdo ex opere operato. At ex opere operantis, verum eſt habuiſſe vim promerendi gloriam & gratiam, & impetrandi alia dona: ſed id totum eſt commune omnibus bonis operibus.

Quod non tollit, quominùs interſit maximum diſcrimen inter ſacrificium Chriſti & vetera ſacrificia, quantum ad æternitatem effectus ex opere operato, ſicut ex hac etiam parte differũt ſacramenta nouæ & veteris legis, ita vt vetera ſacramenta dicantur elementa vacua & egena, & nihil ad perfectum adduxiſſe. Verè tamen ſacrificium euangelicum, ideſt Euchariſtiæ, quod à noſtris ſacerdotibus offertur, habet ſuũ effectum ſpiritualem ex opere operato, qui valeat & permaneat in æternum: tamen hanc totam vim habet ex illo ipſo ſacrificio Chriſti, vt notiſſimum eſt. Et ſimiliter tota vis merendi & impetrandi ex opere operantis in quibuſcunque bonis operibus, dependet eodem illo ſacrificio Chriſti, quia nulla datur vel vnquam data eſt diuina gratia hominibus poſt lapſum Adami, niſi per Chriſtum, hoc eſt per illud ſacrificium a Chriſto oblatum in cruce.

Quare in his omnibus poterit concedi quædam participatio illius æternitatis quæ primariò dicebatur in ſacerdotio & ſacrificio Chriſti, ſcilicet vis quædã obtinendi fructum æternum, participata & deriuata ex ſacerdotio & merito Chriſti. Ac præſertim in ſacrificio & ſacramentis nouæ legis, quæ & dicuntur fluxiſſe è latere Chriſti, quæ inde acceperunt vim ex opere operato conferendi dona gratiæ permanſura in æternum.

Et etiam perpetuam in exercitio. His ſic ſtatutis, non videtur adhuc hic ſolus modus ſufficere ad explicandum de mente Apoſtoli perpetuitatem ſacerdotij Chriſti; ſed præter hunc modum, videtur etiam Apoſtolus aliquem alium intellexiſſe: optimè enim ſtare poteſt, vt pluribus modis tribuatur hæc denominatio ipſi ſacerdotio Chriſti, fuerintque ab Apoſtolo intenti. Etenim Apoſtolus illam quoque rationem reddidit, quare Chriſtus ſempiternum habeat ſacerdotium, *Eo quòd maneat in æternum*; & adiecit, *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*: & hanc conſtituit differentiam ab alijs ſacerdotibus, de quibus ait, *Plures facti ſunt ſacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere*. Hoc toto inquam, non refertur ſolùm ad æternitatem effectus obtenti per illam vnicam oblationem Chriſti in cruce: quia ad hoc non refert, quòd Chriſtus ipſe maneat in æternum, & ſemper viuat. Sed videtur Apoſtolus intelligere, ſacerdotiũ Chriſti etiam in ipſo Chriſto eſſe æternum.

Alius ergo modus perpetuitatis eſt, quem contra Caluinum & Kemnitium vrget ac defendit Bellarm. lib. 1. de Sacrific. Miſſæ cap. 6. Quòd Chriſtus etiã deinceps poſt mortem ſuam, in cælo exiſtens, exerceat actum & officium ſacerdotis, offerendo & ſacrificando. *Nempe in ſacrificio Euchariſtiæ.* Sed quia certè non offertur nec vnquã oblatum eſt vllum ſacrificium in ipſo cælo, bene autem inceſſanter offertur hic in terra ſacrificium Euchariſtiæ, & offeretur vſque ad mundi finem; ſic optimè verificatur, Chriſtum adhuc deinceps fungi munere ſacerdotis & offerre ſacrificium: non ſolùm quia ipſe tanquam ſummus ſacerdos inſtituit hoc ſacrificium, & iuſſit vt in Eccleſia offerretur, & ordinauit ſacerdotes qui offerrent, & dedit illis poteſtatem alios ordinandi: ſed etiam ipſemet Chriſtus in omni miſſa eſt principalis offerens illummet ſingulare ſacrificiũ, & omnis alius ſacerdos agit vt miniſter Chriſti, & ſacrificat nomine Chriſti, profert verba in perſona Chriſti, & profert verba ipſa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*: de qua re proprio loco tractabimus. Sic igitur Chriſtus exiſtens in cælo, adhuc exercet officium ſacerdotis, ex eo quòd ipſe ſemper manet. Officium etiam ſacerdotis eſt, intercedere & rogare pro

populo, præſertim quando id fit ex proprio munere ad quod legitime deputatus eſt, & non ex ſola priuata deuotione. Sic etiam Chriſtus ſemper interpellat pro nobis, ex eo quod ſemper viuat in cælis: iam enim quæſt. ſuperiori ſtatuimus, Chriſtum etiam in cælis orare pro hominibus. Sed quia tandem ſacrificium Euchariſtiæ, & hoc officium rogandi, non durabit niſi vſque ad mundi finem: ideo iuxta hunc modum, ly in æternum; & ſempiternum, debent accipi ſpecialiter pro tota ſæculi duratione, ſicut aliàs inueniuntur accipi in ſacris litteris. Siue, Chriſtus eſt ſacerdos in æternum, & eius ſacerdotium eſt ſempiternum; & ſemper interpellat pro nobis: id eſt quandò futurus ſit ſacerdos in mundo, quandiù exercendum ſit officium ſacerdotis, quandiù ſit tēpus protectionis & iuuaminis, Chriſtus ſemper eſt ſacerdos ſemper exercet officium ſacerdotis, ſemper interpellat pro nobis. Siue in æternum & in ſempiternum, id eſt quod non commutabitur vel transferetur in aliud ſacerdotium, aut in alios miniſtros independentes à Chriſto.

Comprobatur hic explicandi modus ex Concilio Tridentino & Patribus.

Atque hunc ſanè modum æternitatis in ſacerdotio Chriſti, hunc ſenſum in verbis Pſalmiſtæ & Apoſtoli, diſertis verbis expreſſit Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. dicens: *Quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cæna nouiſſima qua nocte tradebatur, ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & Apoſtolis quos tunc noui teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent precepit.* Vbi Concil. non vocauit alios ſacerdotes ſucceſſores ipſius Chriſti, vt malè refert Vaſq. diſp. 85. num. 30., atque adeo fruſtra laborat in hoc verbo explicando: ſed vocauit ſucceſſores Apoſtolorum, quia reuera Apoſtoli per mortem deſinebant, & ſic propriè relinquebant in ſacerdotio ſucceſſores. Hoc pacto explicatur etiam, quàm aptè dictum ſit, Chriſtum eſſe ſacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, quia ſcilicet erat in toto ſæculo oblaturus & continuaturus ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini, præfiguratum in ſacerdotio & ſacrificio Melchiſedech. Expreſſerunt quoque hunc ſenſum in verbis Scripturæ, pleriquè ex Patribus. Anſelmus, Ambroſ., Occumenius, Theophylactus, Primaſius in cap. 5. ad Hebr., Theodoret., Arnob., Remig., Euthim., Caſſiodor. in Pſal. 109., Auguſt. quoq; in enarrat. eiuſdem Pſalmi, & lib. 1. contra aduerſar. legis & Prophetar. cap. 20., & Epiſt. 95., Cyprian. in ſerm. de Cæna Domini, Leo Papa in ſerm. 2. de Anniuerſar. aſſumpt. ſuæ, Epiphan. lib. de Hæreſib. num. 55., & alij plures, explicantes hoc pacto æternum ſacerdotium Chriſti ſecundū ordinem Melchiſedech, per continuationem Euchariſtici ſacrificij vſque ad conſummationem ſæculi.

Eſt tādem ſacerdotij dignitas æterna in Chriſto.

Sed adhuc Vaſqu. ea diſp. 85. cap. 1. reijcit & impugnat hunc explicandi modum: quia contendit, debere intelligi ſacerdotium æternum ſimpliciter, non ſolùm pro toto ſæculo, ſed prorſus ſine vllo fine. Et pro hoc ſenſu affert quaſdam Patrum auctoritates, & ponderat illud verbum, *In æternum*, & alia verba Apoſtoli cap. 7. ad Hebr. dicentis, Chriſtum factum eſſe ſacerdotem, *Secundùm virtutem vitæ inſolubilis*. Probat autem & explicat, ſacerdotium Chriſti eſſe hoc modo æternum: quia Chriſtus eſt ſacerdos ratione ipſius vnionis hypoſtaticæ, quæ eſt ſimpliciter æterna: vnde valde differt ab alijs omnibus ſacerdotibus: & erit ſine vllo fine ſacerdos, quamuis non erit ampliùs oblaturus ſacrificium, nec adminiſtraturus vllum ſacerdotis officium.

Sed debebat præcipuè explicari ſacerdotium æternū quātum ad actum.

Vbi fatendum quidem vltrò eſt, Chriſtum eſſe hoc alio modo ſacerdotem in æternum ſine fine, nempe quoad dignitatem ſacerdotij, quamuis ſine actuali exercitio. Imò addi poteſt, exercere etiam aliquem actum ex officio ſacerdotij, non quidem ſacrificando, aut interpellando, ſed laudando & gratias agendo, atque in gratiarum actionem repræſentando ſua vulnera & præteritam paſſionem: eo enim modo quo ſpectat ad officium ſacerdotis, intercedere ex munere publico legitimè inſtituto; ita pariter ſpectat gratiarum actio, & modò

Digitized by Google

modo ſacerdotes offerunt ſacrificium etiam in laudem & gratiarum actionẽ. Verùm, non oportebat hoc modo laborare ad verificandum Chriſtum eſſe ſacerdotem æternum quoad dignitatẽ in ſe ipſo. Sed etiam alij omnes ſacerdotes, cùm anima ſit immortalis, & omnes poſt diem iudicij victuri rurſus ſint in corpore & anima, pariter in æternũ habebunt hanc dignitatem. Ac præſertim ſacerdotes euangelici ſemper retinebunt charácterem ordinis, qui eſt indelebilis, vt omnes Theologi affirmãt. Vnde, quantum attinet ad æternitatem durationis, non erit differentia inter Chriſtum & alios ſacerdotes. Sed benè quidem alia maxima differentia eſt, quòd alij ſunt conſtituti ſacerdotes per externam conſecrationem, & ad ſummum per qualitatem quandam accidentalem in anima impreſſam: Chriſtus autem ab initio conceptionis fuit inſtitutus ſacerdos per ipſam intimam & ſubſtantialem vnionem hypoſtaticam. Oportebat verò vlteriùs explicare & verificare, ſacerdotium Chriſti eſſe æternum quantum ad actum eius. Et hoc præcipuè intendebat Apoſtolus cũ Pſalmiſta, vt ſatis ex ipſo eius diſcurſu apparet. Vnde & dixit cap. 8. *Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat.* Ideo illis duobus præcedentibus modis, ſcilicet quoad effectum ex ſacrificio cruẽto Chriſti, & quoad exercitium & continuationem ſacrificij incruenti per totam durationem ſæculi, explicata eſt hæc æternitas ſacerdotij Chriſti: Quæ non ſolùm non excluditur per æternam vitam & dignitatem Chriſti in ſe; ſed in illa fundatur, ſaltem quoad ſecundũ modum dictum de continuatione ſacrificij incruenti. Nam ex eo quod Chriſtus manet & viuit in æternum, poteſt ſemper continuare exercitium offerendi quandiù durabit tale exercitium. Et illi Patres qui obſeruarunt, Chriſti ſacerdotium fuiſſe indelebile & æternum ratione hypoſtaticæ vnionis, non per hoc excluſerunt alios modos & ſenſus ex verbis Scripturæ; Sed ſpecialiter ad agnoſcendum ſecundum modum & ſenſum, ſatis ſuperquè eſſe debebant tot alij Patres, & ipſum Concilium Tridentinum.

SECTIO TERTIA.

Quis ſit effectus ſacerdotij & ſacrificij Chriſti, & an collatus fuerit etiam ipſi Chriſto.

SVB vnico nomine expiationis peccatorum, S. Thomas art. 3. proponit effectum ſacerdotij Chriſti: explicans & diſtinguens, maculam culpæ deleri per gratiam quæ datur nobis ex redemptione & ſacrificio Chriſti, ac reatum pœnæ etiam tolli per ſatisfactionem & ſacrificium Chriſti. In hoc autem effectu, intelligi debent omnia dona gratiæ, & conſequenter ipſamet gloria, quæ hominibus conferuntur poſt lapſum Adami. Nam quia per originale peccatum hæc omnia amiſimus, & facti eramus digni illis carere, ſed per mortem Chriſti nobis conceduntur, benè poſſunt intelligi ſub nomine expiationis, & hic poteſt aſſignari tanquam adæquatus effectus paſſionis Chriſti in nobis, dummodo inquam in tali amplitudine ſumatur. Et prouenit talis effectus in nobis ex paſſione Chriſti, tanquam ex vero ſacrificio, atque adeo ab ipſo Chriſto tanquam à vero ſacerdote. Et hoc expreſſit Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos, dum coniunxit ſacerdotium Chriſti & remiſſionem peccatorum. Et ideo etiam vocatum eſt ſacrificium propitiatorium & ſatisfactorium. Et re ipſa inſtitutum fuit ſacrificium ad placandum Deum, & ſatisfaciendum pro peccatis. Dubitari tamen poteſt, num ſi etiam ex meritis Chriſti data ſint dona gratiæ Angelis & hominibus ante peccatum, quæ proinde non veniunt ſub nomine expiationis peccatorum, num inquam dici adhuc debeant data fuiſſe ex vi paſſionis Chriſti tanquam ſacrificij, atque adeo à Chriſto tanquam ſacerdote. Sed quid ſit de hoc dicendum, colligemus ex eo quod dicetur de effectu ſacerdotij & ſacrificio in ipſo Chriſto.

Effectus pro hominibus fuit expiatio peccatorum, complectens omnia dona gratiæ.

Quod verò ſacrificium cruentum Chriſti in cruce ſit cauſa adęquata omnium

Sacrificiũ Chriſti

Digitized by Google

cruentum fuit cauſa vniuerſalis, ſacrificiũ incruentum & ſacramenta ſunt cauſa particulares.

nium prorſus donorum gratiæ in nobis, non vtique tollit, quominus etiam ſacrificium incruentum Euchariſtiæ dum in Eccleſia deinceps continuatur, ſit etiam cauſa multorum donorum gratiæ: ſicut & ſacramenta cauſant gratiã ex opere operato, & merita noſtra ex opere operantis. Sed res hæc ita accipienda eſt, quod ſacrificium quidem illud cruentum ſe habeat tanquam cauſa vniuerſalis, cuius tamen vis & influxus habeat applicari per alias cauſas particulares: & ita ſacrificium Euchariſtiæ & ſacramenta ſunt cauſę particulares per quas applicatur nobis valor & meritum paſſionis Chriſti. Hoc enim pacto inſtitutum fuit, vt per vſum ſacramentorum & ſacrificij incruenti darentur nobis dona gratiæ quæ Chriſtus ſua paſſione promeruit. Neque enim in hoc vſu interuenit nouum meritum aut ſatisfactio Chriſti, ſed datur ſolùm fructus antiqui meriti & ſatisfactionis exhibitæ in illa vnica oblatione ſacrificij cruenti in cruce. Sic ergo illa eſt tanquam cauſa vniuerſalis, quæ non tollit, ſed potiùs aſſiſtit alijs cauſis particularibus, per quas operatur ſuum effectum. Quæcunque etiam alia gratia quæ datur nobis ad benè operandum, datur ſemper ex meritis Chriſti: & ita quicquid conſequimur per noſtra bona opera & merita, vere eſt effectus paſſionis Chriſti. Omnino ergo illud ſacrificium eſt cauſa vniuerſalis totius noſtræ ſalutis. Non oportet autem hoc intelligere de cauſalitate phyſica, vt hic circa art. 3. Caiet. attingit: ſed debet ſolùm intelligi de cauſalitate morali in ratione meriti & impetrationis, eo modo quo iam quæſt. 19. ſtatuimus, Chriſtum meruiſſe nobis omnia dona gratiæ, & omnes gratias quæ nobis dantur, ſemper dari ex meritis Chriſti.

Ab ijs omnibus differebant ac deficiebant vetera ſacrificia.

Quod etiam dicit Apoſtolus ad Hebr. 10., vetera ſacrificia legis non habuiſſe vim expiandi peccata, & ideo per ſingulos annos & dies repetita fuiſſe; ſed ſacrificium Chriſti habuiſſe hanc vim, & ideo vnicam hoſtiam ab eo fuiſſe oblatam, & vnica oblatione peractam fuiſſe noſtram ſanctificationem: hoc inquam ſic accipiendum eſt, vt nullum ex veteribus ſacrificijs habuerit vim quaſi remediũ vniuerſale & cauſa adæquata ad expianda omnia peccata, & ideo tot ſacrificia & toties fuiſſe oblata, *Alioquin ceſſaſſent offerri*: ſed vnica Chriſti hoſtia & oblatio in cruce habet vniuerſalem & plenariam vim tanquam remedium contra omnia peccata, non ſolùm præterita, ſed etiam futura. Hoc autem non tollit, quominùs etiam nunc debeat ſæpiùs offerri & repeti ſacrificiũ Euchariſtiæ non quidem tanquam aliud diſtinctum & vniuerſale remedium, quaſi illa vnica oblatio Chriſti non fuiſſet hoc modo ſufficiens; ſed tãquam cauſa particularis, & applicatio illius eiuſdem remedij vniuerſalis. Adeſt verò & illud aliud diſcrimen inter ſacrificia veteris legis & ſacrificium ac ſacramenta nouæ legis: quod illa nec etiam per modum cauſæ particularis ſeu applicationis valebant ex opere operato, *Impoſſibile enim eſt ſanguine hircorum & taurorum auferri peccata*: ſed ad ſummũ valebant ſicut alia quæuis bona opera ex parte operantis. At ſacrificium & ſacramenta nouæ legis applicando meritum Chriſti valent ex opere operato, vt ſuo loco tractabimus.

Chriſto ipſi non poterat conferri expiatio peccatorum, ſed alia quædam dona gratiæ.

Iam verò ſatis certum & exploratum eſt, talem effectum ſacerdotij, qui eſt expiatio peccatorum, non fuiſſe collatum nec potuiſſe conferri ipſi Chriſto, *Qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius*. Sicut enim Chriſtus fuit prorſus expers omnis peccati, ita nõ potuit eſſe particeps huius effectus. Et in hoc longe excedebat omnes alios ſacerdotes: vt expreſſit Apoſtolus cap. 7. *Talis enim decebat, vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus; qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo*. Quod verò ſubdit, *Hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo*, vtique non refertur ad delicta propria, ſed ſolùm ad delicta populi, ſemel enim hoc fecit ſe ipſum offerendo pro delictis populi, ita vt non habeat neceſſitatem denuo ſe pro ijs per mortem offerre. Attamen, quia adhuc Chriſtus percepit aliquem effectum ſuorum meritorum, vtpote gloriam corporis & claritatem nomi-

nis, vt iam q. 19. probauimus: & orauit etiam Chriſtus pro ſe ipſo, vt quæſt. præcedenti vidimus: & dictum effectū percepit ex ipſa morte ſua, *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum &c,* ad Philippenſ. 2. Ideo dubitatur & quæritur, num talis effectus collatus fuerit Chriſto propriè ex vi ſui ſacerdotij & ſacrificij.

An illi collata fuerint ex vi ſacerdotij & ſacrificij.

S. Thomas art. 4., in argumento *Sed contra* affert pro parte negatiua canonē quendam Concilij Epheſini in hæc verba: *Si quis dicit, Chriſtum pro ſe obtuliſſe oblationem, & non magis pro nobis ſolùm (non enim indiguit ſacrificio qui peccatū neſcit) anathema ſit*. Et conſequenter in corpore articuli abſolutè ait, non conueniſſe Chriſto effectum ſui ſacerdotij: eo quod Chriſtus non indigebat medio apud Deum, dicente Apoſtolo, *Accedens per ſemetipſum ad Deum*. (Quanquam in textu correcto legitur, *Accedentes per ſemetipſum ad Deum*, ſcilicet, *ſaluare in perpetuum poteſt*.) Et eo quod Chriſtus erat tanquam primū agens in genere ſacerdotij, cui proinde tantùm conueniebat operari, non autem recipere effectum. Sed in ſolut. ad primum, propter locum Apoſtoli dicentis ad Hebr. 5: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſq; ad Deum qui poſſit illum saluū facere à morte obtulit*; concedit, Chriſtum participaſſe effectum ſui ſacerdotij ſecundùm quid, ſcilicet ſecundùm paſſibilitatem carnis. Et in ſolut. ad 2., ait, Chriſtum conſequutum fuiſſe gloriam reſurrectionis per ſuam paſſionem, non quaſi ex vi ſacrificij, ſed ex ipſa deuotione qua ſecundùm charitatem humiliter paſſionem ſuſtinuit.

Ex alijs tamen Theologis, aliqui non dubitarunt concedere, Chriſtum participare effectum ſui ſacerdotij non ſolùm per orationem, ſed etiam per ſacrificium, id eſt per mortem ſuam tāquam ſacrificium; non quidem effectum primarium, qui erat expiatio peccatorum, ſed effectum ſecundarium, qui fuit reſurrectio & gloria ſui corporis, & exaltatio nominis. Eo quòd eadem videtur ratio de effectu ſacerdotij per ſacrificiū ac per orationem: vnde ſi admittitur per orationem, debet etiam admitti per ſacrificium. Ex aduerſo aliqui ob eandem rationem negare maluerunt, Chriſtum participaſſe effectum ſacerdotij, tam per orationem quàm per ſacrificiū: dicentes, Chriſtum percepiſſe quidem effectum ſuæ orationis, non tamen quatenus oratio erat actus ſacerdotij, ſed quatenus erat actus deuotionis qui poteſt eſſe omnibus communis: ſicut nempe S. Thomas dicebat, Chriſtum percepiſſe fructum ſuæ paſſionis, non in vi ſacrificij, ſed in vi ſuæ deuotionis. Locum autem illum Apoſtoli ad Hebr. 5. vbi coniungebatur ſacerdotium & oratio Chriſti, exponunt Iuſtinianus ibi & Lugus hoc loco diſp. 29. ſect. 2, de oratione facta à Chriſto non pro ſe ipſo, ſed pro nobis, ad quos verè referebatur ſacerdotale officium.

Fuerunt collata ex vi ſacerdotij per orationē, non autem per ſacrificium.

Sed magis conformiter ad mentem & doctrinam D. Thomæ dicendum eſt, Chriſtum percepiſſe effectum ſui ſacerdotij per orationem, non tamen per ſacrificium. Et ita defendit Vaſqu. diſp. 84., quamuis in modo probandi ſe cuiuſdam partem videtur excedere. Planè ergo diuerſo modo loquitur S. Thomas in illis duabus ſolutionibus, de oratione ac de ſacrificio. Et de oratione quidem rectè ponderat ipſe S. Thomas, quòd dum Apoſtolus eodem contextu ſermonis cum ſacerdotio Chriſti coniunxit orationem, prorſus denotauit, illam orationem fuiſſe actum ſacerdotij; & non fuiſſe ſolùm tanquam actum communem qui ab omnibus fieri poteſt. Et ſenſum eſſe de oratione facta pro ipſomet Chriſto, colligitur planè ex illis verbis, *Ad Deum qui poſſit illum ſaluum facere à morte*: & ita communiter ſacri Doctores intelligunt. De ſacrificio verò procedit dictum illud Concilij: vbi præcipuum quidem intentum fuit, quod Chriſtus non indigebat ſacrificio, nec illud pro ſe offerebat, ad expiationem peccati, cùm eſſet prorſus immunis omnis peccati: ſed tamen per generalem illum modum dicendi, Chriſtum non obtuliſſe pro ſe ipſo, denotatur abſolutè non participaſſe effectum ſuæ paſſionis ſub ratione oblationis & ſacrificij.

Nam Chriſtus orauit pro ſe, ſed non ſacrificauit pro ſe.

Et hinc non eſt difficilis diſparitas inter Chriſti orationem & ſacrificium. Nam Chriſtus verè orauit pro ſe ipſo,& obtulit talem orationem pro ſe ipſo, vt conſtat ex pluribus Scripturæ locis, vt iam antea vidimus. Sed nunquam dicitur paſſus & mortuus eſſe pro ſe ipſo: obtuliſſe ſe ipſum ſuamquè vitam pro ſe ipſo, ſed ſolùm pro nobis, pro expiatione noſtrorum peccatorum, pro noſtra ſalute. Et ſic ipſe dixit, Ioann. 17. *Et pro eis ego ſanctifico me ipſum*: ideſt, ego ſacrifico offero me ipſum. Tunc autem dicitur quis recipere effectum ſacrificij vt ſacrificium eſt, quando pro ipſo offertur ſacrificium. Et alioqui dum vnus offert ſacrificium pro alio, habebit quidem ipſe fructum ſuæ deuotionis & charitatis, tamen habebit ex merito ſuo, & ex illo actu vt opus bonum ac meritorium eſt, non autem quaſi ex ſacrificio pro ſe oblato. Et ita quidem intelligitur optimè, Chriſtum ex intentione ſua pertuliſſe & obtuliſſe mortem, ad ſatisfaciendum diuinæ offenſæ, ad redemptionem & iuſtificationem hominum à peccatis: & conſequenter hac ſua deuotione & charitate meruiſſe quoque ſibi gloriam corporis & nominis claritatem. Sicut in ipſa quoque ordinatione & intentione diuina, miſſus fuit Chriſtus in mundum, vt Deo ſatisfaceret pro peccato, & homines redimeret, non autem vt ſibi mereretur gloriam corporis, ſed ſolùm ex conſequenti opera Chriſti habuerũt hunc quoque valorem & effectum apud Deum. Et conuenienter quidem non debebat Chriſtus pro ſe offerre paſſionem & mortem ſuam pro ſe ipſo, pro obtinenda ſua gloria & exaltatione. Nam talis modus oblationis, talis modus paſſionis & necis, erat per ſe proportionatus ad vindictam & vltionem iniuriæ contra Deum ad ſatisfaciendum pro offenſa contra Deum, ad placandam iram Dei: non autem debebat hoc genus medij ordinari ad impetranda diuina beneficia pro innocẽte. Vnde apud omnes indubitatum eſt, quòd ſi peccatum non fuiſſet, Chriſtus non ſubijſſet paſſionem & mortem, imò ſimpliciter non veniſſet in carne paſſibili. Non ergo debebat Chriſtus offerre ipſam ſuam paſſionem & mortem pro ſe ipſo, pro impetranda ſibi gloria corporis; quamuis conuenienter potuit aliquas orationes & præces fundere ad talem effectum.

Sic participauit ſectum ſacerdo ſecundũ quid.

Hoc planè eſt quod voluit S.Thom. dum dixit, Chriſtum conſequutum fuiſſe gloriam reſurrectionis per ſuam paſſionem, non quaſi ex vi ſacrificij quod offertur per modum ſatisfactionis, ſed ex ipſa deuotione: & dum dixit, conſequutum fuiſſe effectum ſui ſacerdotij per orationem, quia nempe vt ſacerdos benè potuit orare pro ſe ipſo, licèt non ſacrificare & mortem ſubire pro ſe ipſo. Rectè etiam dixit, participaſſe effectum ſui ſacerdotij ſecundùm quid. Id enim verificatur duplici ratione. Vna ratio eſt penes actũ & exercitium ſacerdotij: quia ſacrificare eſt actus ſimpliciter ſacerdotis, orare verò veluti ſecundùm quid. Alia ratio eſt penes effectum: quia expiatio peccatorum, erat effectus ſimpliciter, per ſe & primariò intentus à Deo, & ab ipſo Chriſto per humanam quoque voluntatem; gloria autem corporis & exaltatio nominis ipſius Chriſti, addebatur ex conſequenti. Gloria eſſentialis & gratia ſanctificans quæ acquirebatur hominibus peccatoribus, erat bonum principale & ſimpliciter: gloria autẽ corporis & claritas nominis quæ acquirebatur Chriſto, erat ſecundùm quid, ſcilicet ſecundùm paſſibilitatem carnis, vt notat S. Doctor; & propterea Apoſtolum ſignanter dixiſſe illa verba veluti determinantia talem effectũ, *Qui poſſit illum ſaluum facere à morte*.

Iuxta hoc etiam debet intelligi & limitari diſcurſus D.Thomæ in corp. articuli, ne videatur nimis probare: Chriſto ergo non conueniebat effectus primarius ſui ſacerdotij, ſcilicet expiatio peccatorum, de quo nempe egerat art. 3. præcedenti: quia ad expiationem peccatorum requiritur mediator apud Deum: vnde dum ipſimet ſacerdotes offerunt etiam pro ſuis peccatis, id faciunt virtute Chriſti mediatoris, & ſic conſequuntur etiam pro ſe ipſis expiationis effectum. Nec etiam conueniebat Chriſto effectus in actu primario ſui ſacerdotij, ſcilicet ſacrificio, quaſi

Digitized by Google

pro ſe oblato: quia cùm eſſet primum agens in hoc genere, cùm eſſet fons totius ſacerdotij, non conueniebat offerri ſacrificium pro ſe ipſo. Vere tamen hoc non obſtat, quominus potuiſſet etiam pro ſe offerre ad impetrandum, qua ſcilicet ratione vocatur ſacrificium impetratorium; abſque reſpectu ad Deum placandum, qua ratione vocatur ſacrificium propitiatorium. Nec obſtat, quominus de facto etiam dici poſſit obtuliſſe in laudem & gratiarum actionem pro beneficijs ipſi collatis. Quod potius videtur valde cõueniens, vt Chriſtus qui totũ acceperat à Deo, profunderet ſuam vitam in recompenſationem tanti beneficij & in gratiarũ actionem. Et præſertim ſacrificium Euchariſtiæ per ſe dicitur ſacrificium laudis & gratiarum actionis. Quamuis Chriſtus non acceperat præceptum ex illo motiuo recompenſationis offerendi ſe in ſacrificium, nec fuiſſet conueniens vt ex hoc ſolo motiuo id faceret, ſi non adfuiſſet aliud primarium motiuum diuinæ ſatisfactionis pro peccatis & noſtræ redemptionis. Atque ita ceſſant ea quæ Vaſquez contra hanc partem opponit.

Sic etiam dona Angelis, et hominibus ante peccatum non fuerunt data ex vi ſacrificij Christi.

Hinc tandem colligendum eſt, ea dona gratiæ quæ data fuerunt Angelis, & quæ data fuerunt primis hominibus ante peccatum, etiam ſi dicantur data ex meritis Chriſti, non propterea dici debere data ex vi oblationis & ſacrificij Chriſti tanquam ſacerdotis. Valet enim eadem ratio, quod talis modus ſacrificij non debebat offerri niſi pro peccatoribus, aduerſus quos Deus erat iratus, & ideo conuenienter debebat tali modo placari, vt ſuas iniurias remitteret, & dona ſuæ gratiæ largiretur: ita vt tale ſacrificium veluti per prius eſſet propitiatorium, & conſequenter eſſet impetratorium: vnde non debeat dici per modum ſacrificij impetraſſe, niſi reſpectu earum perſonarum & eorum effectuum pro quibus reddebat Deum ex irato propitium & placatum. Atque in vniuerſum prorſus conformetur ſacrificium Chriſti cũ redemptione: illaq; dona dicantur data in vi ſacrificij, quæ dicentur data in vi redemptionis: ſicut ergo non dicitur Chriſtus fuiſſe redemptor Angelorum, & ſimiliter primorum parentum ante peccatum; ita dona gratiæ illis collata, dici non debent data ex ſacrificio Chriſti ſacerdotis. Et ita in omnibus adimpletur illud Apoſtoli ad Hebr. 5. *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.*

QVÆ.

QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

De Adoptione Chriſti.

QVIA in comparatione ad Deum datur etiam hæc *denominatio adoptionis*, S. Thomas hac quæſtione *per tres priores articulos* generaliter agit de hac adoptionis *denominatione*, *in quinto* autem articulo ſpecialiter determinat quomodo ſentiendum & loquendum ſit de Chriſto. Et primò quidem docet, rectè dici de Deo, filios adoptare: dicitur enim apud homines vnus adoptare alium in filium, dum eum admittit ad participationem ſuæ hæreditatis: ſed Deus admittit creaturas rationales ad participationem beatitudinis, quę eſt eius hæreditas: ergo rectè dicitur filios adoptare. Secundò docet, hoc dici & intelligi de tota Trinitate: quia Filius quidem Dei naturalis gignitur per operationem perſonalem ad intra, & ſic à ſolo Patre: ſed filius adoptiuus Dei conſtituitur per effectum & operationem ad extra, atque adeo communem toti Trinitati. Tertiò confirmat, adoptari conuenire ſolis rationalibus creaturis, & adhuc ſolis ijs quæ habent charitatem: quia filiatio adoptiua dicitur per ſimilitudinem filiationis naturalis: ſed ſolæ rationales creaturæ aſſimilantur Verbo diuino in ratione naturæ intellectualis, & ſolæ illæ quæ habent charitatem aſſimilantur vlteriùs in ratione vnitatis & coniunctionis, ob quam eis debeatur hæreditas. Quartò tandem concludit, non debere Chriſtum dici filium Dei adoptiuum: quia filiatio propriè conuenit perſonæ, non autem naturæ: ſed in Chriſto eſt vna ſola perſona, ſcilicet diuina; vnde ipſe eſt verus filius Dei naturalis. Non debet autem id quod eſt per ſe tale, dici etiam participatiuè tale: ſed filiatio adoptiua eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis: ergo nullo modo poteſt Chriſtus dici filius Dei adoptiuus.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit diuina Adoptio, & quibus conueniat.

REperitur in ſacris litteris hæc diuina adoptio, qua homines dicũtur adoptari à Deo: vt ad Roman. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis*: ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem*: & alibi. Vnde pariter nominatur filiatio, qua homines dicuntur filij Dei: vt in ijſdem locis dicitur adoptio filiorum: & Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: & alibi dum Deus dicitur Pater talium filiorum, ſcilicet adoptiuorum. Similiter dicuntur naſci ex Deo: vt Ioann. 1. *Ex Deo nati ſunt*: & cap 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*. Dicuntur geniti à Deo: vt 1. Petri 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam*. Tranſlata autem & extenſa erant hæc nomina ex humanis ad diuina. Et ipſum quidem nomen adoptionis dicitur propriè tàm de diuina quàm humana. Alia autem connexa nomina dicuntur metaphoricè tam in humanis quàm in diuinis: ſumpta ſcilicet metaphora è filiatione natiuitate & generatione naturali. Qui enim adoptantur, non ſunt verè & propriè filij, & nati, & geniti, reſpectu adoptantis, ſed per meram ſimilitudinem ſic dicuntur, quoniã ſe habent ad inſtar filiorum, qui nati & geniti ſunt à parentibus. Ideo dixit Concil. Franciord. in lib. ſacroſyllabo col. 4., *Abuſiuè namque, & non eſſentialiter, adoptiuus eſt filius dictus*. Debet ergo diuina adoptio, eiuſque explicari per conuenientiam cum humana in ratione communi, & per differentiam in rationibus proprijs.

Communis adoptionis ratio in quã con- *Ratio in* [illegible]

Digitized by Google

Quo conuenit diuina adoptio cum humano.

conuenit diuina cum humana eſt, quòd ſit aſſumptio alicuius extranei ad hæreditatem, facta ex gratia aſſumentis. Sic notum eſt dici adoptionem inter homines, & expreſſum habetur in Iure ciuili, in Inſtitutionibus, Digeſtis, & Codice, titulo *De Adoptionibus*. Dicitur aſſumptio alicuius extranei, ideſt qui non ſit filius & hæres per naturam: quamuis fortaſſe ſit aliter propinquus vt ſanguine & origine coniunctus. Dicitur aſſumptio ad hæreditatem ſiue diuitias; quia alioqui non ſufficit quæcunque aſſumptio ad aliquem gradum: vel honorem, vel fructum, vel beneficium. Dicitur facta ex gratia aſſumentis, ideſt non ex debito, quo is qui aſſumitur haberet ius ad illa bona. Hæc inquam ratio communis planè eſt ad diuinam adoptionem. Aſſumit enim Deus ex mera ſua gratia illos qui alioqui erant extranei, ad ſuam gloriam, in qua conſiſtunt diuinæ diuitiæ, & quæ eſt diuina hæreditas.

Rationes in quibus differunt.

Differt autem in multis diuina adoptio ab humana. Primò, vt aſſert D. Thomas art. 1. in corp., homo adoptat & eligit eum quem ſupponit idoneum, ſed Deus adoptando facit idoneum per ſuam gratiam. Secundò, vt ait in ſolut. ad 1., vnus homo erat extraneus ab alio etiam quantum ad naturalem deſcendentiam, ſed omnis homo iam erat creatura Dei quantum ad eſſe & bona naturalia, ſed erat extraneus quantum ad dona gratiæ & gloriæ. Et in hoc ſenſu dixit Auguſtin. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 46., *Adoptantur in regnum Dei, non tanquam ab illo alieni, ſed tanquam ab illo facti & creati*. Tertiò, vt ait in ſolut. ad 2., humana adoptio introducta eſt ex indigentia ad ſupplendum defectum filij naturalis, ſed diuina adoptio fit ex abundantia, & ad communicandam ſimilitudinem cum Filio Dei naturali, iuxta illud ad Roman. 8. *Conformes fieri imagini filij ſui*. Quartò, vt ait in ſoluti ad 3., in humanis ſuccedit filius ad hæreditatem decedente patre, quia bona corporalia non poſſunt ſimul à pluribus poſſideri, ſed hæreditatem ſpiritualem ſimul omnes ex integro accipiunt ſine detrimento patris ſemper viuentis. Quintò præcipuè adoptio in humanis non fit per formam vllam intrinſecam impreſſam adoptato, ſed per ſolam denominationem extrinſecam: at adoptio diuina fit per formam intrinſecam ſanctificantem.

Diuina adoptio nõ requirit antecedentem excluſionem, nec conſequentem aſſecutionem gloriæ.

Requirunt præterea ad diuinam adoptionem, Magiſter in 3. diſt. 10. & Bonau. ibidem dub. 2., vt is qui adoptatur, fuerit antea in ſtatu culpæ, atque adeo hoc etiam pacto extraneus ideſt excluſus ab hæreditate gloriæ. Vere tamen non debet per ſe exigi ad ipſam denominationem adoptionis: quamuis re ipſa quidem homines qui adoptantur poſt lapſum Adami, ſupponãtur in ſtatu culpæ. Sed non inquam per ſe requiritur: quia ſatis prorſus eſt, quòd qui adoptatur, ſupponeretur extraneus, negatiuè, ideſt non habens ius ad gloriam. Sicut & inter homines adoptio non ſupponit inimicitiam aut poſitiuam indignitatem in eo qui eſt adoptandus, ſed ſufficit quod non præinueniat poſitiuum ius ad hæreditatem adoptantis. Requirit rurſus Gabriel in 3. d. 10. q. 1. art. 1., & ex parte Almain. ibidem, ad diuinam adoptionem requiri, vt qui adoptatur ſit re ipſa conſecuturus gloriam, fueritque diuina prædeſtinatione electus ad gloriam. Et fauet Auguſt. lib. de Corrept. & grat. cap. 9. dicens de reprobis, *Illi cùm piè viuunt, dicuntur filij Dei, ſed quoniam victuri ſunt impiè & in eadem impietate morituri, non eos dici filios Dei præſcientia Dei*. Sed nec etiam hoc debet requiri. Nam etiam illi qui non ſunt prædeſtinati in mente Dei, & qui re ipſa non ſunt conſequuturi gloriam, poſſunt habere & interdum habent gratiam iuſtificantem, vt notauimus circa prædeſtinatos & reprobos 1. par. q. 23. ſect. 33., atque adeo pro tunc verè habeat ius ad hæreditatem gloriæ: igitur dici debent filij adoptiui Dei. Sicut etiam inter homines contingere poteſt, vt qui adoptatus erat in filium, talia crimina committat in patrem, quibus mereatur adoptione priuari, exhæredari, & è domo patris expelli: nec tamen propterea fit, vt illa non fuerit vera adoptio, vt ille non fuerit antea verus filius adoptiuus. Auguſt. autem ibi tan-

tantùm voluit, reprobos non eſſe Dei filios in mente Dei pro eo tempore quo non erant in gratia, ideſt Deum videre, eos pro tunc non fore ſuos filios. Quod non tollit, vt alio tempore quo erant in gratia fuerint verè Dei filij, vt idem Auguſt. affirmat.

Adoptare conuenit Deo & omnibus perſonis diuinis.

Ex his iam determinandum eſt, quibus conueniat hæc diuina adoptio. Et actiue quidem adoptare, eſſeque patrē adoptiuum in hoc genere, conuenit ſoli Deo, non tamen ſoli perſonæ Patris, ſed indiuiſim omnibus perſonis diuinis. Conuenit ſoli Deo, quia eius proprium eſt; dare gratiam & gloriam, quæ eſt ſublimis quædam participatio diuinæ naturæ, & gloria eſt diuina hæreditas. Vnde nec ipſe Chriſtus, loquendo vt homo, dicitur adoptare alios ſibi in filios, nec alij dicuntur hæredes Chriſti: ſed potiùs dicuntur fratres Chriſti, cohæredes Chriſti; adoptati ſcilicet à Deo vt ſint ſibi filij & hæredes, Chriſti fratres & cohæredes. Ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Item *Sumus filij Dei, ſi autem filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Benè autem cōuenit omnibus perſonis diuinis: quia hæc adoptio eſt quædam operatio ad extra erga creaturas, adoptantur enim creaturæ rationales: omnis autem operatio ad extra erga creaturas, eſt indiuiſim communis omnibus diuinis perſonis. Per appropriationem tamen, vt aſſert D. Thomas art. 2. ad 3., attribuitur Patri vt auctori, Filio vt exemplari, & Spiritui ſancto vt imprimenti in nobis ſimilitudinem huius exemplaris. Et non niſi etiam reſpectu Patris dicuntur alij homines fratres Chriſti, quia Chriſtus non eſt filius aliarum perſonarum, ſed tantùm Patris.

Adoptari conuenit ſolis iuſtis.

Adoptari verò, eſſeque Dei filios adoptiuos, conuenit in primis ſolis naturalibus creaturis, vt oſtendit S. Thomas art. 3. Quamuis alio modo nimis amplo & improprio Deus dicatur pater omnium creaturarum. Quo ſenſu dictum eſt Iob 38. *Quis eſt pluuiæ pater, & ſtellas roris quis genuit?* Et D. Tho. in ſolut. ad 1. explicat, hoc non dici per adoptionem, ſed per creationem, quæ ſcilicet eſt naturalis dependentia omnium rerum à Deo. Rurſus inter rationales creaturas, conuenit ſolis iuſtis. Quamuis alio etiam modo Deus dicatur pater omnium, & non ſolùm iuſtorum: vnde etiam illi qui non ſunt in ſtatu gratiæ, ſed in ſtatu peccati, poſſunt ſine mendacio proferre illam orationem qua dicimus, *Pater noſter qui es in cælis.* Et ad impios dictum eſt Malach. 1. *Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus?* Et Deuteron. 32. *Haccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens, nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* Sic autem dicitur per ſimilitudinem naturæ intellectualis, & per ſpecialem prouidentiam & gubernationem diuinam erga rationales creaturas. At adoptari & eſſe filios adoptiuos, non dicitur niſi de ſolis iuſtis: hi enim ſoli aſſumuntur ad hæreditatem gloriæ, ij ſoli dicuntur hæredes gloriæ. Et de ijs dixit Apoſtolus ad Roman. 8. *Quicunque ſpiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei: Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater: Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei.*

Tàm Angelis quā hominibus

Vlteriùs verò inter ipſos iuſtos, hoc nomen adoptionis & aliorum conuenire ſolis hominibus & non Angelis, indicauit Chriſoſt. homil. 22. in Geneſ. dicens: *Oſtendant, vbi Angeli filij Dei appellati ſint: ſed non poterunt vſquam monſtrare: homines quidem filij Dei dicti ſūt, Angeli autem nunquam.* Sed ſine dubio tam Angeli ſancti quàm homines dici debent participes diuinæ adoptionis, dici debent filij adoptiui Dei. Etenim ratio adoptionis, ſcilicet gratuita aſſumptio ad hæreditatem gloriæ, eſt ijs omnibus communis. Et dum dixit Apoſtolus, Quicunque ſpiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei, pariter ſpectat ad Angelos. Imo & in ſpecie ipſi Angeli ſancti vocati ſunt filij Dei Iob 1. & 2., vbi cùm dicuntur filij Dei aſtitiſſe coram Domino, & acceſſiſſe etiam Satan, per filios Dei non poſſunt intelligi niſi Angeli ſancti. Et ſimiliter cap. 38. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Chriſoſt. autem ibi loquutus non eſt de hac adoptione

per

Digitized by Google

per gratiam, ſed ſolùm intendebat, non oportere, in illo loco Geneſ. 6. quem explanabat, *Videntes filij Dei filias hominum*, non oportere inquam intelligi Angelos. Et vel non aduertit ad ea loca Iobi. Vel quicquid de hoc ſit, nequiquam negauit, conuenire Angelis ſanctis per gratiam nomen adoptionis & filiorum, eo ipſo modo quo conuenit hominibus. Et Apoſtolus plane loquutus eſt de filiatione naturali, quæ vtiq; conuenit ſoli Chriſto, & de qua dictum fuerat ipſi Chriſto, *Filius meus es tu ego hodie genui te*. Et ideo ait. *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*.

Hominibus tàm veteris quàm noui teſtamenti. Denique adhuc inter ipſos homines, Alenſis 3. par. q. 10. memb. 6. art. 5. dixit, aliquidem ſolos iuſtos noui teſtamenti eſſe filios Dei adoptiuos, alios autem qui præceſſerunt ante aduentú Chriſti, fuiſſe potiùs in potentia, expectantes actualiter adoptari per aduentum Chriſti. Item Sotus in 4. d. 2. q. 1. art. 2. dixit, antiquos iuſtos non fuiſſe plene & perfecte adoptatos donec veniret Chriſtus. Fauent etiam aliqui Patres, idem Chryſoſt. homil. 14. ſuper Epiſt. ad Roman., Ambroſ. ſuper ad Galat. 4. Cyrill. lib. 1. in Ioann. cap. 14. & quidam alij dicentes, filiationem Dei in veteri teſtamento, dictam eſſe tanquam figuram & vmbram veræ filiationis futuræ in nouo teſtamento. Fundaturq; hic dicendi modus in Sacra Script. Etenim Ioannis 1. ſpecialiter dicitur Chriſtus attuliſſe hominibus poteſtatem vt filij Dei fierent. Et Apoſtol. ad Roman. 8. videtur contraponere iuſtos veteris ac noui teſtamenti, & illis quidem tribuere ſpiritum ſeruitutis, his autem ſpiritum filiationis, dicens: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*. Et ad Galat. 4. *Ita & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes: at vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum vt adoptionem filiorum reciperemus: itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres per Deum*. Suadetur etiam ratione: quia ante aduentum Chriſti nullus admittebatur ad capeſcendam hæreditatem gloriæ: ergo tunc homines quantumuis iuſti, non habebant actualiter & perfecte denominationem adoptionis.

Vere tamen non debet induci hæc diuerſitas in nomine adoptionis & filiorum, inter iuſtos qui præceſſerunt & qui ſequuti ſunt aduentum Chriſti. Siquidem gratia ſanctificans olim & ſemper erat eiuſdem prorſus rationis, atque adeo præbebat idem ius ad gloriam, in quo adæquate conſiſtit hæc denominatio adoptionis. Et in ſpecie de Iſraelitis pronunciauit Apoſt. ad Roman. 9. *Quorum adoptio eſt filiorum*. Sed illi ipſi hanc adoptionem habebāt per Chriſtum venturum: vnde etiam reſpectu illorum intelligitur ipſe Chriſtus primogenitus in multis fratribus. Ac etiam illis qui præceſſerunt Chriſtus ipſe dedit poteſtatem vt filij Dei fierēt, quia ex meritis Chriſti præuiſis acceperunt gratiam. Neque Apoſtolus contraponit iuſtos veteris ac noui teſtamenti in ipſa ratione iuſtitiæ: ſed potius ſtatum veteris teſtamenti, quatenus ſpectabat ad omnes Iſraelitas ſecundùm vim legis, quia ſcilicet ipſa vetus lex afferebat tantùm ſeruitutem & timorem, nón autem conferebat gratiam: & ex alia parte conſtituit ſtatum gratiæ collatæ per Chriſtum, quæ eſt gratia adoptionis & filiationis. Atque adeo etiam ad antiquos illos ſanctos ſpectat, *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*: non quidem in virtute illius illius legis quæ per ſe non inducebat niſi ſeruitutem & timorem: ſed in virtute Chriſti redemptoris. Et intuitu quidem illius legis erant paruuli, ſub elementis mundi ſeruientes, ſub elementis vacuis & egenis: ſed intuitu Chriſti venturi in plenitudine temporis, etiam illi receperant ſpiritum adoptionis filiorum. Quo pacto iam 1. 2. q. 98. explicauimus differentiam inter legem veterem & nouam: vbi etiam ipſi veteres ſancti, quatenus habuerūt gratiam per Chriſtum, dicebantur contineri ſub noua lege, ſub nouo teſtamēto, id eſt ſub redemptione Chriſti qui inſtituit nouum teſtamentum. Itaque Apoſtolus in illis locis non reſpexit ad ſolam dilationem gloriæ illius antiqui temporis, & præſentem collationem glo-

Digitized by Google

gloriæ: ſed ſimpliciter ad imbecillitatē illius legis, quæ non conferebat gratiā & ius ad gloriā, & ex alia parte ad valorem redemptionis Chriſti, quæ & nobis & illis confert gratiam, quæ eſt gratia adoptionis & filiationis. Illaque dilatio eius antiqui temporis, non diminuebat ius ad gloriā, ac proinde nec quicquam detrahebat huic denominationi adoptionis & filiationis.

Sed quadā filiatio olim dicta eſt per figuram.

Inuenitur autem in ſacris litteris quædam alia acceptio filiationis, ſpecialiter attributa populo Iſrael, non quidem intuitu gratiæ & gloriæ de qua modò loquuti ſumus, ſed ſolùm intuitu peculiaris vocationis, ſiue curæ & protectionis diuinæ erga illum populum. In hoc ſenſu dictum eſt Iſaiæ 1., *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me*: & Oſeæ 11. *Puer Iſrael & dilexi eū, & ex Ægipto vocaui filium meum*: & alibi ſimilia habentur. Et in hac quidem acceptione, Chryſoſt. & alij Patres ſupra allegati dixerunt, illam non fuiſſe veram & propriam filiationem, ſed fuiſſe potiùs figuram & vmbram veræ & propriæ filiationis quæ futura erat in populo chriſtiano per gratiam Chriſti. Et hæc quidem reperiebatur etiam in prioribus iuſtis, qui pariter non niſi per fidem & gratiam Chriſti iuſtificari erāt. Vnde illa ipſa filiatio quę dicebatur in populo Iſrael penes externam protectionem Dei, figurabat in ipſiſmet verā filiationem quam modò dicimus per gratiam & adoptionem internam. Sicut & ſanctitas externa legalis quæ tunc nominabatur, figurabat veram ſanctitatem internam, quæ non ſolùm nunc eſt, ſed & tunc etiam erat in omnibus iuſtis.

Et quadā dicitur de Beatis.

Alia tandem perfectiſſima filiationis & adoptionis acceptio eſt, quam aſſignauit Auguſt. lib. 3. contr. duas Epiſt. Pelagianor. cap. 3., nempe filiatio & adoptio Beatorum in Patria, quæ ſcilicet erit ipſa actualis poſſeſſio diuinæ hæreditatis. Et de hac adoptione intelligit dictum Apoſtoli ad Roman. 8., *Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri*: expectamus enim realem conſequutionem gloriæ, non ſolum in anima, ſed etiam in corpore. Et ſimiliter pro hac filiatione intelligit dictum eſſe, Matth. 19, *In regeneratione cùm ſederit Filius hominis in maieſtate ſua*: generatione ſcilicet qua naſcentur & cōſtituentur filij Dei in gloria. Et Chryſoſt. homil. 14. ſuper Epiſt. ad Roman. circa eadem verba inquit: *Quid ais obſecro? ſurſum ac deorſum aſſiduè verſaſti, atq; acclamaſti; cùm diceres, filios nos iam eſſe effectos, nunc verò bonum hoc in ſpe reponis. Hoc igitur adiectione corrigens ait, redemptionem corporis noſtri, hoc eſt numeris omnibus abſolutam gloriam*. Quæ proinde adoptio & filiatio conuenit ſolis Beatis.

SECTIO SECVNDA.

Quæ fuerit ſententia quorundam Hæreticorum, & quorundam Theologorum, de Adoptione Christi.

Elipandus & Felix Hæretici fecerunt Chriſtum filium adoptiuum.

PRæter illos antiquiores Hæreticos qui non rectè ſenſerunt de filiatione Verbi diuini, aut de diuinitate Chriſti, dicebantque, Chriſtum appellatum fuiſſe filium Dei, ad ſummum per ſingularem effectum & excellentem gratiā, inſurrexit tempore Caroli Magni Elipandus Archiepiſcopus Toletanus, cuius iam meminimus q. 20. circa denominationem ſeruitutis in Chriſto, qui vnà cum Felice Vrgelitano Epiſcopo acriter contendebat, Chriſtum verè eſſe & dici debere filium adoptiuum Dei, loquunturquè de Chriſto inquantum homine. Hac præcipuè de cauſa collectum fuit anno Domini 794. Concilium Francfordienſe, inſtante Carolo magno, & iubente Adriano Papa, quod quamuis in vigore fuerit ſolùm prouinciale, tamen nominatum & reputatum inuenitur tanquam generale. Et licet etiam retroactis ſæculis nulla huius Concilij extarent Acta, ſed ſolùm ex relatione Hiſtoricorum eius notitia haberetur: tamen ſuperiori ſæculo, opera & induſtria Laurentij Surij inuenta & in lucem prodita ſunt, & ſimul cum alijs Concilijs modò impreſſa, in tertio Conciliorum tomo continentur, & tanquam ſufficienter authenthica communiter.

Digitized by Google

muniter apud Catholicos recepta ſunt. Sed Raguſa hoc loco diſp. 30. §. 1. cenſet, non obtinere tantam auctoritatē, vt certa catholica fide accipienda ſint quæcunque ibi definiuntur, ſed ſaltem temerarium ſit ijs contradicere. In hoc Concilio per Epiſtolam ſynodalem ipſius Concilij ad Elipandum, & per Epiſtolam Adriani Papæ ad idem Concilium, damnata eſt tanquam hæretica ſententia Eliprandi. Refert etiam Annonius lib. 4. de Geſtis Francorum cap. 83. paulo priùs damnatam fuiſſe in alio Concilio habito Ratiſponæ, indeque miſſum fuiſſe Felicem illum ad Adrianum Pontificem, & coram eo publicè abiuraſſe, ſed poſtea relapſum fuiſſe, & in eundem errorem conſpiraſſe cum Elipando; contra quem tandem celebratum fuit aliud Concilium Francofurti, quod iam extat. Sed & rurſus antea refert Tudenſis apud Baron. Tom. 8. Annal. ſub Anno Domini 636., tempore Cinthilani Regis celebratum fuiſſe quintum Concil. Toletanum, & ob eundem errorem inter alios damnatum fuiſſe Theodiſcum Antiſtitem Hiſpalenſem ſucceſſorem Sancti Iſidori: *Per Synodum*, inquit, *ob Archiepiſcopali dignitate degradatus eſt, aſſerebat enim, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum Patre & Spiritu ſancto nō eſſe vnum Deū, ſed potius adoptiuum, hic priuatus ſacerdotio ad Arabes tranſijt, & ſectæ Pſeudoprophetæ Mahometi adhæſit, & tunc temporis dignitas primatus tranſlata eſt ad Eccleſiam Toletanam.*

Aliqui etiā Theologi ſic appellarunt.

Sed adhuc inter noſtros quoque Theologos, non dubitarunt aliqui adoptionem Chriſto tribuere. Scotus in 3. diſt. 20. q. 1. & in Reportatis ibidem, Baſſolis ead. diſt. & qu. art. 2., Ricard. ead. d. q. 1. Durandus in 3. d. 4. q. 1., concedunt, dici poſſe Chriſtum filium Dei adoptiuum, ſaltem cum expreſſa limitatione, inquantum homo. Item Gabriel, Maior, & Almain. in 3. d. 11., concedunt, dici poſſe humanitatem Chriſti adoptatam, non tamen Chriſtū ipſum. Nec defuerunt etiam Recentiores, qui admitterent, dici poſſe humanitatem Chriſti adoptatam, ac etiam Chriſtum vt hominem adoptiuum.

Vtile diſfert vtrorumq; ſententia.

Valde tamen differt ſententia horum Theologorum à ſentētia Elipandi priùs damnata. Elipandus enim errabat in re, diſtinguens in Chriſto filium adoptiuum à filio naturali, & in hoc ſenſu dicebat Chriſtum eſſe filium adoptiuū, ideſt eſſe diſtinctum filium à Verbo diuino, filio naturali Dei, vero Deo: atq; ita realiter diſtinguebat duas perſonas in Chriſto, vnam diuinam quæ erat filius naturalis Dei, & alteram humanam cui tribuebat ſolam adoptiuam filiationem. In qua re planè conueniebat cum Neſtorio antiquo Hæretico, condemnato in Concilio Epheſino, qui circa myſterium ipſum incarnationis peſſime errauerat, diſtinguens perſonā diuinam & humanam in Chriſto. Sed Theologi allegati, vltrò ſupponentes, eundem Chriſtum in vnitate perſonæ eſſe Deum & hominem, voluerunt ſolùm quoad modos loquendi poſſe ſimul appellari filium adoptiuum Dei quoad humanam naturam, vel poſſe dici humanam naturam fuiſſe adoptatam, cùm idē ipſe eſſet filius naturalis Dei iuxta doctrinam fidei.

Vaſquez contendit eſſe eandē, extenuans errorem Elipandi.

At nuper Vaſquez diſp. 89. præſertim cap. 8., cui nouiſſimè multum adhæret Lugus diſp. 28. ſect. 3. magno conatu ſtudet attenuare errorem Elipandi, vt nō aliud voluerit quàm quod poſtea illi Theologi opinati ſunt; & ita horum Theologorum ſententiam cum errore Elipandi inuoluere, & damnationi factæ ab Adriano & Concilio ſubijcere. Atque ad id perſuadendum his medijs vtitur. Primo: Elipandus ipſe fuit, qui inſtanter apud Carolum poſtulauit, vt Concilium ſuper eam controuerſiam cogeretur, adeo nempe de ſua ſententia confidebat: quod vtique nō feciſſet, ſi planè Neſtorianus eſſet, duas in Chriſto perſonas, duos filios diſtinguendo. Secundo: Patres Concilij, & Carolus ipſe, non reputarunt ſententiam Elipandi adeò abſurdam & antiquam, ſicut hæreſim iam olim damnatam in Neſtorio, ſed ſolùm tanquam nouam loquutionem reprobarunt. Sic enim loquitur Concil. in ſua Epiſt. col. 15. *Dices, cur times adoptiuum Chriſtum nominare? dico tibi quia nec Apoſtoli eum ſic nominarunt, nec ſancta Dei Eccleſia conſuetudinem habuit ſic*

nomi-

Digitized by Google

nominandi. Et infra: *Nolite fratres noua & incognita nomina fingere, nolite per humanas inuentiones fluctuare.* Et rurſus, *Nolite nouas verſare quaſtiunculas.* Ac ſimiliter Carolus in Epiſtola ſua vocauit nouam & antiquis temporibus inauditam aſſertionem de adoptione carnis Chriſti.

Tertio. Nunquam Adrianus & Concil. aſſerunt contra Elipandum teſtimonia Scripturæ & Patrum ad probandam vnitatem perſonæ in Chriſto: ergo non in hoc errabat Elipandus, ſicut errauerat Neſtorius. Sed potiùs per illationes & argumentationes conabantur deducere tanquam abſurdum, quod ex adoptione ſequeretur diſtinctio perſonæ: non ergo Elipandus ipſe conſtituebat in ſuo dogmate talem diſtinctioné perſonæ, ſed tanquam abſurdam refugiebat.

Quartò. Elipandus eodem modo aſſerebat, Chriſtum eſſe ſeruum Dei quo filium adoptiuum, illudque probare conabatur multis Scripturæ locis: Adrianus autem explicat, Chriſtum vocatum fuiſſe ſeruum per figuram & in aliena perſona. Sed ſi Elipandus intellexiſſet, eſſe diſtinctam à Verbo perſonam Chriſti, cui ſeruitus & adoptio cōueniret: debuiſſet Pontifex reſpondere, Chriſtum vocatum eſſe ſeruum, non ob diſtinctam perſonam, ſed ob diſtinctam naturam; ſicut antea Patres reſpondebant ad argumenta Neſtorij. Signum ergo eſt, quod Elipandus non plus vellet, quàm tribuere Chriſto ſeruitutem & adoptionem ſecundùm humanam naturam, ſalua ſemper vnitate perſonæ: & hoc ipſum refutatum ac damnatum fuiſſe ab Adriano.

Quintò. Aluinus illorum temporum ſcriptor, lib. 3. de Trinit. cap. 9., alludens ad errorem Elipandi ſic loquitur: *Chriſtus cum Patre & Spiritu ſancto vnus eſt Deus, non nuncupatiuus, ſicut Hiſpanica hæreſis impia temeritate affirmare præſumpſit, aſſerens, Dei filium in diuina natura Deum eſſe verum, in humana nuncupatiuum, ſimiliter & in diuina natura proprium filium Dei, & humana adoptiuum.* Vbi aperte conſtare videtur, quod Elipandus non diuidebat duas perſonas in Chriſto, ſed ſolùm dicebat, eundem Chriſtum qui ſecundùm diuinam naturam erat Dei filius naturalis, fuiſſe ſimul adoptiuum ſecundùm humanam.

Sextò demum perſpicue ipſemet Elipandus in ſuamet confeſſione, quam ex antiquo originali Gothico, & in libro quodam Beati & Heterij aduerſus eundem Elipandum ſcripto inſertam, ad verbum recitat Vaſqu. cap. 2., fatebatur: *ipſum Dei filium fuiſſe factum hominem*, circumciſum, flagellatum, crucifixum, mortuum, & ſimilia: quæ plane ſupponunt vnitatem perſonæ in qua fundatur talis communicatio idiomatum. Ac tandem inquit: *Homo interior in vna eademque Dei & hominis perſona adglomeratus*: vbi prorſus conſtituit vnam perſonam Chriſti Dei & hominis. Ruſus idem Elipandus in alia Epiſtola quam ſcripſit ad Fidelem Abbatem, ex æquo damnauit Bonoſum qui dixerat Chriſtum eſſe tantùm adoptiuum, & Beatum qui dicebat eſſe tantùm filium naturalem: ex Bonoſo autem ortus fuit error Neſtorij: non ergo Elipandus fuit Neſtorianus, ſed ſolùm voluit, Chriſtum ſecundùm duas naturas eſſe ſimul Dei filium naturalem & adoptiuum. Ac ipſimet Beatus & Heterius ita referunt ſententiam Elipandi: *Dicit, Chriſtus adoptiuus eſt humanitate, & nequaquam adoptiuus diuinitate*: ipſi autem ex aduerſo contendebant, nulla ex parte ſeu natura Chriſtum eſſe filium adoptiuum, ſed ſolummodò eſſe proprium, ideſt naturalem.

His tamen non obſtantibus, conſtat potiùs ex Actis & Epiſtolis Concilij, Caroli, & Adriani, & ex illarum rerum narratione, Elipandum omnino de re ipſa errare, & cum Neſtorio conſentiſſe, diſtinguendo humanam perſonam in Chriſto, & hoc pacto damnatum fuiſſe. Et ita quidem Theologi hoc loco, & antea in referendo errore Neſtorij cum ſequacibus, communiter ſentiunt vel ſupponunt. Ita de Felice & Elipando conſtanter narrant atque teſtantur Eccleſiaſticarum rerum ſcriptores & hiſtorici. Ionas Aurelianenſis lib. de Imaginib. aduerſus Claudium Taurinenſem, referens acta Concilij Ratiſponenſ. ait: *Euſdem Principis iuſſu*

Elipandus diſtinguebat in Chriſto duos filios duas perſonas cum Neſtorio.

in vnum coacti, adhibita etiam S. Romanæ Eccleſiæ auctoritate, eundem Felicem damnauerunt, imò cum auctore ſui erroris Neſtorio quem imitatus eſt, perpetuo anathemati manciparunt. Refert etiam ſe vidiſſe apud Aſtures diſcipulos Elipandi, de quibus ait, *Certiſſimos Antechriſtos eſſe, liquidò deprehendi.* Item Sigebertus in Chronico ſub anno Domini 793. ſic refert: *Hæc hæreſis aſſerebat, Filium Dei in diuina natura verum Deum eſſe, in humana verò adoptiuum, vnam perſonam Dei & hominis diuidens in duas perſonas, ſcilicet veri filij & adoptiui.* Idem referunt & atteſtantur, Galliſandus Arelatenſ. in Cronographia ſub anno 816., D. Antoninus 2. par. tit. 14. cap. 1. §. 6. Paulus Æmil. lib. 2. prope finem, Sabellius lib. 8. in geſtis Adriani & Caroli, Nauclerus in Chronologia Generat. 27., Prateol. in lib. aduerſus Hæreſes, verbo *Felix* 2., Baronius Tomo 9. Annalium ſub anno 794., Franciſcus Feuardenſius lib. 3. aduerſus Hæreſes, verbo *Chriſtus*, hæreſi 3., Auctor Notarum ad idem Concil. Francfordienſe, Ioannes Mariana lib. 7. de Rebus Hiſp. cap. 8., & nouiſſimè Fauſtus Verdellius ſuo libro 11. ſub anno Domini 974.

Oſtenditur ex actis & verbis Concilij Francfordienſ. & Pontificis Adriani.

Et ſatis clarè ex facto ipſo videtur oſtendi. Nam tanta ſolicitudo, quæ plura Concilia in ea cauſa celebrata fuere, qua Carolus magnus & Adrianus Pontifex conſpirarunt, tantuſquè zelus & ardor quo de hac re tractarunt, planè demonſtrant, Felicem & Elipandum multò plus quàm in nomine & modo quodam loquendi aberraſſe, & longè aliter quàm poſtea Scotus & Durandus de filiatione Chriſti ſenſiſſe. Aut ſi hi Theologi denuò in eundem errorem Elipandi relapſi fuere: cur non tota Eccleſia reclamauit? cur non denuò coacta Concilia? cur non eodem zelo Catholici Reges & Imperatores ac Sũmi Pontifices aduerſus eos inſurrexerunt? cur horum Auctorum ſcripta tolerata, & ipſi pro adeò doctis & pijs habiti ſunt? Nunquid temporis ſucceſſu tæpuerat in Eccleſia ardor fidei? aut fidei dogmata obſcurata fuere? Omnino ergo fatendum eſt, valde admodum intereſſe inter ſententiam Elipandi; & horum Theologorum: ſed Elipandum peſſimè circa rem ipſam erraſſe, diſtinguendo filium adoptiuum à filio naturali, ſeparando duas perſonas in Chriſto.

Clariſſimè autem ex verbis & toto diſcurſu Concilij Francford. & Adriani Pontificis hæc res perſpicietur. Nam paſſim dicunt, Elipandum & ſocios negaſſe, Chriſtum eſſe verum & proprium filium Dei, & conſtituiſſe duos diſtinctos filios, vnum proprium, & alterum adoptiuum; & ſimilia ad eundem ſenſum. Atque in hoc maximè incumbunt, vt doceant & confirment, Chriſtum eſſe ipſum verum & proprium Dei filium, non alium à Verbo diuino: & pro hac re aſſerunt teſtimonia Scripturæ & Sanctorum: & ſæpiùs repetunt ac profitentur vnitatem perſonæ, vnionem duarum naturarum in vna perſona Chriſti, vt legenti conſtabit. Et inter alia, ſic expreſſe inquit Concil. in ſua Epiſt. columna 3. *Quia hominem Chriſtum verum Dei Patris filium eſſe negaſtis, vobis defenſor eſſe noluit; ſed tradidit vos in manus inimicorum ſuorũ.* Vbi etiam obſeruandum eſt, Concilium huic impietati adſcripſiſſe oppreſſionẽ Hiſpaniæ à Mauris, qua tunc affligebatur. Et expreſſe col. 10. *Nonne olim eadem hæreſis veſtra in Neſtorio ab vniuerſali ſancta Eccleſia refutata eſt etiam ac damnata? Quapropter fortè illum anathemathizare noluiſtis, dum alios, Bonoſum ſcilicet, Arium, & Sabellium, Manichæumquè, quia praua de Dei filio ſenſerunt, in Epiſtola veſtra anathemathizaſtis.* Et col. 11. *Elipandus cum ſua legione negat adhuc, Chriſtum verè filium Dei eſſe.* Et in libello Sacroſyllabo col. 6. *Non duo filij, alius Dei, alius hominis, vt (ſicut illi errando æſtimant.) adoptiuus ſit hominis filius, & ſine adoptione Dei filius, ſed in vna perſona vnus idemquè Dei & hominis filius.* Et ſimilia paſſim habet in ſua Epiſtola Adrianus. Vnde fatetur tandem Vaſq. in fine cap. 8., quod Felix & Elipandus conſtituebant in Chriſto duos filios ratione duarum naturarum, ſed non duas perſonas, quamuis id etiam ſuis verbis ſignificarent; & quòd verbis Neſtoriani erant, ſed re ipſa non erant. Quam totam tergiuerſationem Vaſq. viſus ſibi eſt ſufficienter ſun-

fundare in confeſſione illa Elipandi quã ipſe refert. Quare tandem ſtabilietur hæc res, refutando hoc cum alijs argumentis ab illo allatis: quæ & magna ex parte aduerſus ipſum retorquenda erunt.

Et ex ijſdẽ locis quibus in cõtrarium vtitur Vaſq.

Ad primum ergo: Mos eſt ſanè Hæreticorum, non ſolùm magnam ſecuritatem & confidentiam oſtentare, ſed magnam etiam arrogantiam & imprudentiam, Et ita quidem ſe geſſit Elipandus: nam illum errorem iam in Felice à Concil. Ratiſponenſ. damnatum, & ab ipſo Felice coram Adriano Pontifice abiuratum, pertinaciter retinere præſumpſit: imo & Felicem ipſum ad eundem errorem denuo reuocauit, & vt Hiſtorici narrant ad caſtra impietatis reduxit, & apud quoſcunque potuit diſſeminare ſtuduit. Mirum ergo non eſt, ſi nec prior damnatio Neſtorij, & auctoritas Epheſini Concilij, illum à ſua temeritate deterruit. Ad ſecundũ: Patres Concilij, & Carolus, & Adrianus, ſententiam Elipandi reputarunt adeo abſurdaſſe, & tanto rigore illam inſectati ſunt; vt vel inde liquidò appareat, non in ſolo quodam loquendi modo Elipandum erraſſe, ſed maximè de re ipſa aduerſus myſterium ipſum Incarnationis, & ſubſtantiam Chriſtianæ fidei. Nam Adrianus tanta verborum acrimonia inuehitur, vt inde aliqui ſuſpicionem cæperint de illius Epiſtola quaſi excedat ſtilum lenitatis à Pontificibus vſitatum in refutandis quibuſcunque Hæreticis. Et Patres etiam Concilij & Carolus Rex ſeuerè Elipandum reprehendunt, eiuſquè ſententiã vocant hæreſim, væcordiam, væſaniã, perfidiam, peruerſitatem, nequitiam, prauitatem, venenum, & ſimilia. Itemquè reputarunt antiquam & iam pridem damnatam in Neſtorio, vt vidimus. Sed vocarunt quoque nouam & inauditam. Vel quia nouiter tunc ſuſcitabantur: vt dicitur in lib. Sacroſyllabo eiuſdem Concil. col. 8. *Elipandum & Felicem, nouos Eccleſiæ hoſtes, ſeu veternoſa face perfidiæ polutos*. Vel quoad Eccleſiam ſcilicet catholicam, in qua nunquam recepta fuerat. Aut ſi vocarunt prorſus nouam quoad vocem adoptionis, quia ſcilicet nec ipſe Neſtorius eiuſque ſequaces eam habuerunt in vſu: non per hoc improbarunt ſolum nouitatem vocis; ſed multò magis acerbius prauitatem rei ob diſtinctionem filij adoptiui à vero & naturali.

Ad tertium: Imò potiùs Adrianus & Concil. illa teſtimonia Scripturæ & Patrum afferunt contra Elipandum, quæ directè probant vnitatem perſonæ in Chriſto, quæ ſcilicet probant, illum ipſum hominem Chriſtum verè eſſe proprium filium Dei Patris, Verbum Patris, ſecundam Trinitatis perſonam, quæ & directæ faciebant contra Neſtorium, qui diſtinguebat Chriſtum ab vnigenito filio Dei. Et inter alia ſic inquit Concil. in ſua Epiſt. col. 7. *Hoc loco neceſſarium videtur, vt in Chriſto Deo pariter & homine, vnam perſonam & duas ſubſtantias teſtimonijs aſſeramus*. Itaque verum non eſt, quod ſolùm arguendo inferebant diſtinctionem perſonæ, tanquam Elipandus haberet id pro àbſurdo: ſed verè conabantur oſtendere, id eſſe abſurdum, quoniam Elipandus in re adſtruebat, ſic diſtinguendo filium adoptiuum à filio proprio, quamuis fortaſſe non diceret duas perſonas ſub hoc ipſo vocabulo perſonæ: quod non alleuiat eius errorem, vt magis infra dicemus.

Ad quartum: Elipandus quidem eodem modo aſſerebat, Chriſtum eſſe ſeruum ac filium adoptiuum, ideſt tanquam purè ſeruum, cum excluſione naturalis filiationis. Adrianus autem illa loca quæ pro denominatione ſeruitutis offerebantur ab Elipando, ſufficienter explicauit illo modo, quia non plus requirebant, vt q. 20. tractauimus.

Ad quintum: Non ſolùm patet, quãto plures Hiſtorici & Scriptores, etiam ex illis temporibus, atteſtantur de Elipando ipſam hæreſim Neſtorij, & diſtinctionem perſonarum in Chriſto: ſed ipſemet Aluinus ita de Elipando ſubiũgit: *Diuidens vnam perſonam Filij Dei cum Neſtorio in duas perſonas, ideſt verè filij & adoptiui*. Quo nihil clarius dici potuit: & fruſtra Vaſq. hæc ipſa verba conatur eludere. Quare, in prioris verbis ſola voce nominatus erat ſub ſingulari

lari

lari numero Filius Dei, ſed in re adſtruebatur duplicitas.

Et ex eadem confeſſione Elipandi.

Ad ſextum denique, in quo tandem tota vis conſtituitur: Certe confeſſio illa Elipandi non eſt eadem quam miſit ad Concilium, ſed longè diuerſa, vt manifeſtum eſt ex varijs fragmentis quæ referuntur in Epiſtola reſponſiua Concilij: & hæc quidem Epiſtola authentica eſt, non autem liber ille in quo inuenta eſt illa alia confeſſio: credendũ eſt ergo Concilio & Pontifici, & non illi alteri ſcripturæ. Et ſi fortè Elipandus ipſe diuerſo modo ſenſerit: tantùm contendimus, quod in libello miſſo ad Concilium, quantum ex ipſo Concilio & Pontifice habetur, re ipſa diſtinxerit duas perſonas cum Neſtorio.

Sed quid ſi in ea quoque confeſſione eundem adhuc ſenſum expreſſerit? Etenim poſt illa verba ſubdit: *Quia non per illum qui natus eſt de Virgine viſibilia & inuiſibilia condidit, ſed per illũ qui non eſt adoptione ſed genere, neque gratia ſed natura*: vbi planè diſtinguit illum & illum, diſtinguit duos filios, & noſtro loquendi modo duo ſuppoſita, duas perſonas, licèt ipſe non ſub hoc nomine duplicitatem pronunciauerit. Dum verò dixit, *In vna eademquè Dei & hominis perſonâ adglomeratus*; videtur intellexiſſe, per vnitatem quãdam accidentalem: ſiue quaſi dixiſſet in vna collectione in vna combinatione, ſeu in vna dignitate: ad hanc vnitatem reducens incarnationem ipſam, & communicationem illam idiomatum. Nam & de Neſtorio ipſo ſic ex Cyrillo refertur in ead. Epiſt. Concilij Francofor. col. 10. *Neſtorius in ſuis expoſitionibus ſimulat ſe dicere vnum filium & vnum dominum*. Et Iuſtinianus Imperator in Edicto fidei ſic de Theodoro & Neſtorio refert: *Illi apertè dicentes duas naturas, Dei Verbi, & Chriſti quem purum hominem vocant; per affectualem coniunctionem, & per eandem dignitatem & honorem, vnam perſonam apparere dicunt*. Et rurſus repetit, *Neſtorius in multis quidem ſcriptis, & maximè in Epiſtola ſcripta ad Alexandrum Hierapolitanum Hæreticum, dicit, quòd duarum naturarũ vna eſt auctoritas, & vna virtus ſiue potentia, & vna perſona per dignitatem eundemquè honorem*. Atq; hunc ipſum modum vnitatis denotat quoque illud verbum quo vſus eſt Elipandus, ſcilicet *Adglomeratus*. Et Concil. Franciford. proſequitur: *Videtur enim Neſtorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem: Quid eſt enim adoptio niſi charitatis copulatio, qua pater adoptione ſibi copulat filium quem proprium non habet?* imò tandem in illuſmet confeſſionis initio hæc vnitatis exempla ponit ipſe Elipandus: *Sicut homo adhærendo vxori ſuæ; cùm ſint duæ perſonæ, iam non ſunt duo, ſed vna vocatur caro: & ſicut multorum animæ in dilectione Dei vnum eſt cor & vna efficitur anima*. Vbi ſanè manifeſtum eſt, huiuſmodi vnitatem non eſſe niſi per concordiam & affectum. Vnde quia Elipandus hæc exempla affert ad explicandam vnitatem trium perſonarum in Deitate, videtur talem vnitatem illis attribuire voluiſſe. Vnde ſubiungit: *Ita Pater & Filius & Spiritus ſanctus, opifex vnius totius condita creaturæ, vnius glomeratio charitatis, vnius ambitus dilectionis, coæterna ſubſtantia*. Quare Elipandus in illa confeſſione quam pro eius defenſione producit Vaſquez, non ſolùm ſe prodit diuiſiſſe perſonam in Chriſto, ſed etiam naturam in Deo, vt tam Trinitatis quàm Incarnationis myſterium peruertiſſe videatur. Ideoque fortaſſe in Actis & Epiſtolis Concilij Franciford. non ſemel repetitur etiam & inculcatur vnitas naturæ diuinæ in tribus perſonis.

Quando autem in alia Epiſtola Elipandus damnauit Neſtorium, nec erat idem error vtriuſque. Et valde plus nos mouere debet, quod in hoc ipſo Concil. taxauit Elipandum, quia inter alios damnauit Bonoſum, ſed non Neſtorium. Sic ergo Elipandus intellexit errorem Bonoſi, quod Chriſtus eſſet penitus filius adoptiuus, etiam inquantum Verbum Patris, ſiue quod nullam peculiarem coniunctionem haberet cũ ipſo Verbo. Et ſic quidem Iſidorus lib. 8. Ethimolog. cap. 2. refert errorem Bonoſi & ſequacium, *Qui Chriſtum, filium Dei adoptiuum, non proprium aſſerunt*. Putandum eſt etiam, Beatum & Heterium ita intellexiſſe ſententiam Elipandi, quòd vellet, Chriſtum ſecundum

dum

dum humanitatem eſſe purè adoptiuã cum diſtinctione perſonali à proprio & naturali filio Dei, & vt ſic hæreticam reputaſſe. Sic ergo differebat ſententia Elipandi, ab illa quam poſtea aliqui Theologi tradiderunt de adoptione Chriſti.

SECTIO TERTIA.

Quòd Chriſtus non ſit nec dici poſſit Dei filius adoptiuus.

Verè Chriſtus non eſt Dei filius adoptiuus.

IAM verò pro reſolutione ipſius quæſtionis, hinc ſatis de re conſtat ex fide eiuſdem myſterij incarnationis, Chriſtum vt hominem nequaquam eſſe filium Dei adoptiuum, quaſi diſtinctũ hypoſtaticè & perſonaliter à proprio & naturali filio Dei. Hoc inquam conſtat ex definitione Concilij Francfordienſis cum Ratiſponenſi; & Adriani Pontificis, ac damnatione Felicis & Elipandi. Item conſtabat ex auctoritate Concilij Epheſini, & damnatione Neſtorij cum alijs antiquioribus Hæreticis, qui diſtinguendo perſonas, faciebant Chriſtum in ſubſtantia purum hominẽ. Conſtat ex fidei Symbolis, in quibus Ieſus Chriſtus verus homo dicitur eſſe filius Dei, ille ſcilicet filius Dei, qui eſt ſecunda Trinitatis perſona; & hic filius Dei dicitur Incarnatus & factus homo. Originariè autem conſtat ex diuina Scriptura in qua hoc totum adeo clare expreſſum eſt, vt ſtultè prorſus & impiè vlli qui receperint Euangelium & Chriſtianam fidem in hoc errauerint. Vnde obſeruauit Baronius de Elipando; *Ex conſuetudine cum Mahometanis didiciſſe, ita humiliter ſentire de Chriſto ſecundum humanitatem*: eo enim tempore à Mauris Mahometanis occupabatur Hiſpania.

Nec vllo modo debet vocari adoptiuus.

Stante autem hac vnitate perſonæ, vt rectum etiam teneamus loquendi modum, nullatenus dici debet Chriſtus eſſe filius Dei adoptiuus, etiam cum expreſſa determinatione vt homo, ſiuè ſecundum humanam naturam. Hæc eſt iam communis Theologorum ſententia hoc loco cum D. Thoma art. 4. & rurſus q. 32. art. 3. & q. 43. art. 1. Erat etiam magis communis & recepta apud priores Scholaſticos cum Magiſtro in 3. d. 10. & ibi defenditur etiam à Scoto. Probatur autem auctoritate & ratione. Etenim talis appellatio adoptionis nuſquam tribuitur Chriſto in ſacris litteris, etiam loquendo de humanitate Chriſti, ſed potius illi attribuitur denominatio filiationis propriæ & naturalis, vt videbimus ſect. ſequenti. Item non habetur in vſu Sanctorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum; & ſi apud quoſdam inuenitur, in alio diuerſo ſenſu accepta eſt, vt infra ad obiectiones dicemus. Sed potius abſolute loquendo ſolet remoueri à Chriſto talis appellatio adoptionis. Et eo magis debet remoueri ne præbeatur ſuſpicio erroris. Sed Adrianus Pontifex & Concil. Francford., quamuis principaliter & ex intento definire voluerint contra Elipandum, non eſſe duos diſtinctos filios in Chriſto, vnum propriũ & alterum adoptiuum: tamen abſolute etiam & ſimpliciter reprobant nomen adoptionis. Et inter alia Concil. in Epiſt. col. 8. ſic extendit ſuam doctrinam etiam ad nomen, introducens petitionem quam quis facere poterat; *Dices cur times Chriſtum adoptiuum nominare?* Et reſpondet: *Dico tibi, quia nec Apoſtoli ſic eum nominarunt, nec ſancta Dei catholica Eccleſia conſuetudinem habuit ſic eum appellare.* Et notat Chriſtum in Scripturis appellatum eſſe per metaphoram & ſub allegoricis ſignificationibus, leonem, agnum & ſimilia; ſed nec etiam tali modo appellatum eſſe adoptiuum. Et reddit quoq; rationem cur non debeat ſic appellari dicens: *Adoptiuus ſiquidem non habet aliam ſignificationem, niſi vt Ieſus Chriſtus non ſit proprius filius Dei.* Et in lib. Sacroſyllabo col. 4., *Eum dici adoptatũ, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. vnde in Dei filium non cadit nomen adoptionis.*

Atque hæc ratio habetur iam ex ipſa nominis ſignificatione, quam ſect. præced. expoſuimus; quia nomen adoptionis excludit propriam ac naturalem filiationem; & adoptiuus dicitur, is qui cum eſſet extraneus & alienus, aſſumitur ad hereditatem. Et ita di-

Digitized by Google

citur in eodem Sacroſyllabo : *Sicut Moyſes in filium adoptatus eſt filia Pharaonis, alienus ab ea, & generatione & ſanguinis affinitate*. Cum ergo Chriſtus ſit verè ac propriè filius Dei naturalis, nō cadit in ipſū nomen adoptionis & filij adoptiui. Et ſic debet etiam accipi ratio D. Thomæ in art., *Non recipitur aliquid dici participatiuè, quod per ſe dicitur. & ideo Chriſtus qui eſt filius Dei naturalis, nullo modo dici poteſt filius adoptiuus*. Quod ſi quis diceret, ſe accipere nomen adoptionis, non cum excluſione filiationis naturalis, ſed vt poſſit ſtare ſimul cum illā : ſic quidem acceperunt illi Theologi qui hoc nomen admiſerunt in Chriſto : & ideo in re quidem neutiquam errarunt, ſicut Felix & Elipandus. Attamen, in explicandis myſterijs fidei, non debent noua nomina aut nouæ nominum ſignificationes excogitari, præter vſum Scripturæ & Patrum. Et ſic prudenter admonet Concil. ipſum Francoford. in Epiſt. col. 9., *Sufficiunt vobis dicere in confeſſione catholicæ fidei, quod Sancti Patres dixerunt, longè ſiquidem inferiores ſumus illis ad excogitanda verba conuenientia fidei apoſtolicæ*. Vnde eo magis nunc reprehenſione dignus eſſet, qui cum quacunque explicatione aut vera ſignificatione vti vellet nomine adoptionis in Chriſto, poſt cognitam talem prohibitionem Concilij Francfordienſ. Excuſari tamen poſſunt illi antiquiores Scholaſtici, qui non in fonte viderant acta Concilij, ſed tantùm per famam & relationem ſcire potuerunt ſolùm, ibi damnatam fuiſſe hæreſim Elipandi de adoptione Chriſti.

Non obſtans dicta Patrum quæ Elipandus peruersè aſſerebat.

Sed in contrarium obijciebat primò pro ſuo errore Elipandus quædam teſtimonia Patrum, nempe Auguſtini, Hieronimi, & Hilarij, quaſi dixiſſent; Chriſtum eſſe Dei filium adoptiuum, fuiſſe à Deo adoptatum : & hæc teſtimonia perſcripſit in ſua Epiſtola ad Concilium. Sed iuſto & ſancto zelo Patres Concilij in ſua reſponſione, tantam peruerſitatem & impudentiam inſectati ſunt : quoniam Elipandus & ſocij talia teſtimonia confinxerant, adulterando dicta Sanctorum, & prauè interponēdo adoptionem vbi non erat, eamque referendo ad Chriſtum vbi referebatur ſolum ad alios. Vnde meritò ſtatim in principio dixerunt : *In libello veſtro Sanctorum Patrum teſtimonia inuenimus poſita, ſed malè perfidiæ veneno corrupta, & inter flores pulcherrimos fidei catholicæ, anguinos erroris veſtri dentes inſertos. Et ex hoc ſolo perſpicuum eſt, erraſſe vos voluntariè; Et miramur, vel magis lugemus, quare hoc facere velitis*.

Obijciebat ſecundò auctoritatem præcedentium Archiepiſcoporum his verbis : *Item præceſſores veſtri, Eugenius, Ildefonſus, Iulianus, Toletanæ ſedis Antiſtites, ita dixerunt in Miſſa de Cœna Domini, Qui per adoptiui hominis paſſionem dum ſuo non indulſit corpori, Item in Miſſa de Aſcenſione Domini, Hodie Saluator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetiuit Deitatis*. Ad hoc Patres Concilij reſponderunt, taxando etiam tales prædeceſſores, & dicendo, credendum eſt teſtimonijs ipſius Chriſti & Dei Patris in Euangelio, non autem illis præcibus, & opponendo alias orationes Romanæ Eccleſiæ & Gregorij Pontificis, in quibus ſemper Chriſtus vocatur vnigenitus Dei Patris. Attamen ex alia parte conſtat, viros illos fuiſſe in ſanctitate & doctrina inſignes, ac præſertim S. Ildefonſum eſſe magna gloria celebrem. Potiùs ergo putandum eſt, Elipandum vel penitus confinxiſſe illa verba præeum, vel ſi extabant in aliquo Miſſarum libro, nequaquam fuiſſe compoſitas nec vſitatas ab illis ſanctis viris. Sed quia officia Eccleſiaſtica in Hiſpania habebantur compoſita ab Iſidoro Hiſpalenſi Antiſtite, fortaſſe aliquis liber additus aut vitiatus fuerat ab illo Theodiſco, qui Iſidoro ſucceſſit, & primus in Hiſpania Chriſti adoptionem inuexit, & inde ad Toletanam Eccleſiā peruenerat. Et potuiſſent etiam Patres Concilij fraudem in illa Elipandi allegatione præſumere : quando videbant illum tanta malignitate peruertiſſe loca & verba illorum Sanctorum qui in omnium manibus verſabantur. Et ad abſtergendam omnem ab Ildefonſo calumniam, extat eius liber de Virginit. S. Mariæ, vbi docet & explicat, vnum eundemque eſſe Dei & Virginis filium, non duos, non alterum & alterum.

Nuper

Digitized by Google

Nuper etiam opera Feuardenſij inuentus & in lucem proditus eſt alius eius liber de Perpetua Virginit. S. Mariæ & eius parturit., in quo non ſolùm idem affirmat, ſed expreſsè pluries repetit, Chriſtum non eſſe adoptiuum Dei filiũ, ſed proprium, non adoptione ſed natura eſſe Dei filium: vbi non ſolùm rectã de ipſa re doctrinam, ſed rectum etiam loquendi modum protulit.

Non obſtant alia quæ inueniuntur apud quoſdam Patres.

Obijcies deinde tertio quædam alia Patrum dicta, non fraude Elipandi, ſed proprijs eorum verbis tribuentia adoptionem Chriſto. Hilar. lib. 2. de Trinit., vt affert D.Tho. ipſe hìc art.4. argum. 1., ſic de Chriſto dixit, *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Et Irenæus lib. 3. aduerſus Hæreſes cap. 21. *Qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt, commixtus Verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Ad dictum Hilarij reſpondet D. Thomas, illam loquutionem fuiſſe impropriam, ſumptamque fuiſſe adoptationem pro vnione humanitatis ad perſonam Filij. Addi poteſt, loquutionem illam fuiſſe æquiuocam, & non fuiſſe ſumptam adoptationem in hoc ſignificato quo nos ſumimus, quo dicitur conſtitui filius adoptiuus: ſed dictum eſt, *Carnis humilita adoptatur*, ideſt cooptatur, ſiue aſſumitur, ſcilicet per incarnationem. Addit quoque Vaſqu. cap. 15., lectionem illam eſſe mendoſam, & debere legi, vt in alijs codicibus habetur, *Carnis humilitas adoratur*: idque deducit eſſe magis conforme contextui. Ad teſtimonium Irenæi, Vaſq. cap. 6. ait nulla ratione explicari poſſe. Feuardent. in Scholio ſuper eundem locum, explicat eodem modo quo D. Thom. Hilarium, ſcilicet locutionem fuiſſe impropriam, ſumendo adoptionem pro ipſa vnione. Sed addi etiam poteſt, fuiſſe potiùs locutionem æquiuocam, non ſumendo adoptionem pro filiatione adoptiua, ſed pro cooptatione & aſſumptione, ſcilicet vt cooptationem ſiue aſſumptionem percipiens fiat filius Dei. Aliter Suarez diſp.49. ſect.2. obſeruat, ibi adoptionẽ non referri ad ipſum Chriſtum, ſed ad hominem abſolutè: nempe Filius Dei factus eſt filius hominis, vt homo adoptionem percipiens fiat filius Dei. Idq; deducit quoque ex eodem contextu in quo ſubditur: *Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, niſi adunati fuiſſemus incorruptelæ & immortalitati, vt adoptionem filiorum perciperemus*.

Gratia habitnali tribuit Chriſto denominationem adoption[is]

Obijcies præterea quartò. Chriſtus præter hypoſtaticam vnionem, qua conſtituebatur filius naturalis Dei, verè habuit etiam gratiam habitualem ſanctificantem: ſed hæc eſt ipſa forma quæ conſtituit filium Dei adoptiuum, & nõ poteſt eſſe forma in ſubiecto quæ non det ei ſuum effectum formalem: ergo ſimul poteſt & debet Chriſtus denominari filius Dei adoptiuus ratione huius gratiæ, abſque vllo præiuditio hypoſtaticæ vnionis. Reſpondetur: Gratia ſanctificans tunc conſtituit filiũ Dei adoptiuum, quando ineſt ei qui nõ ſit filius naturalis: quia nimirum ille ſolùm dicitur adoptari in filium, qui cùm eſſet extraneus aſſumitur ad hereditatem. Forma autem non poteſt eſſe in ſubiecto capaci cui non det ſuum effectum formalem. Siue forma quæ dat effectum formalem adoptionis, non eſt ſola illa poſitiua, ſed connotando carentiam filiationis naturalis. Et ſic vtique etiam in humanis, dum pater gubernat inſtituit ſuum filium naturalem in heredem, hæc inſtitutio nequaquam hunc ſimul conſtituit ac denominat filium adoptiuum, quæ tamen conſtitueret ac denominaret alium extraneum: quia nempe tale eſt ſignificatum huius nominis.

Quare ueniat Chriſto denominatio ſeruitutis non adoptionis

Obijcies quintò. Non minùs videtur abeſſe à filio naturali nomen ſerui, quàm nomen adoptiui: ſed iam quæſt. 20. concedebamus Chriſto vt homini denominationem ſerui: ergo debet illi etiam concedi denominatio adoptiui. Et ſicut propterea ibi diſtinximus duplicem acceptionem ſerui, vnam quæ excludebat, & alteram quæ non excludebat rationem filij: ita deberet hìc diſtingui & aſſignari quædam adoptionis acceptio, quæ non excluderet rationem filiationis naturalis. Et confirmatur: quia dum Elipandus ſimul dicebat, Chriſtum eſſe adoptiuum & ſeruum: Pontifex & Concilium pariter

vtrunque negabant: ergo vel etiam debebamus nos negare denominationem ſerui, vel debemus nunc concedere adoptiui.

Reſpondet D. Thomas art. 4. ad 3. ſeruitutem & ſubiectionem ſpectare etiam ad naturam, ſed filiationem ſpectare ſolum ad perſonam: & ideo bene dici poſſe de Chriſto ſeruitutem, non autem adoptionem. Sed clarius, non abeſt à filio nomen ſerui, quando filiatio non tollit ſubiectionem, quæ denotatur nomine ſerui: ſemper autem abeſt à filio naturali nomen adoptiui, quia ſemper adoptio excludit filiationem naturalem. Recte autem diſtinguebamus & concedebamus ſecundam illam acceptionem ſerui; quia nempe habetur & de Chriſto dicitur, in Scriptura, apud Patres, & apud Theologos: ſed non debemus ſimilem acceptionem concedere adoptionis; quia non habetur in Scriptura, nec apud Patres aut Theologos, qui potius communiter tale nomen in Chriſto prorſus reſpuunt. Nec in nominibus debet aliud diſcrimen inquiri præter huiuſmodi ſignificationem, quamuis ex puro arbitrio imponentium. Et hoc potius confirmatur ex progreſſu Concilij & Pontificis contra Elipandum. Nam concedunt ſaltem per figuram nomen ſerui in Chriſto, vt fatetur ipſe Vaſqu.: ſed nomen adoptiui ne per figuram quidem aut metaphoram admittunt. Item concedunt cum Apoſtolo formam ſerui, vt dicūt ratione humilitatis, ideſt ſubiectionis: ſed neutiquam nominant formam adoptiui. Atque, vt omnis ambiguitas auferatur, Concilium ipſum ſtatim ab initio ſuæ Epiſtolæ, ſic expreſſe loquitur: *Quod autem exempli gratia poſuiſtis, Pater maior me eſt, non propter adoptionem, ſed propter formam ſerui dixit, in qua minor eſt Patre: Simili modo & propter formã ſerui illud dictum eſt, Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu.* Ecce quomodo Concil. vltro nominat formam ſerui, ſed prorſus repellit omnem denominationem adoptiui.

Obijcies demum ſexto. Chriſtus, non ſolum ſimpliciter, ſed etiam cum expreſſa reduplicatione vt homo debet dici & vocari filius Dei: ſed non videtur dici poſſe, Chriſtus vt homo, ſiue ſecundum humanam naturam, eſt filius Dei naturalis: ergo intelligi & dici debet, quod ſit filius adoptiuus. Sed ad hoc ſatisfaciendum eſt ſect. ſequenti, explicando qualiter Chriſtus vt homo dicatur filius Dei abſolute, & filius Dei naturalis.

SECTIO QVARTA.

An & quo pacto Chriſtus inquantum homo ſit & dici debeat filius Dei naturalis.

Ex ipſa quidem fide myſterij conſtat, abſolute loquendo, Chriſtum eſſe ac dici debere filium Dei: hoc enim tota Scriptura noui teſtamenti proclamat; & hæc eſt fides de incarnationis myſterio. Conſtat etiam dici debere, hic homo eſt filius Dei, ſicut dicitur hic homo eſt verus Deus, & ſicut dicuntur alia huiuſmodi per communicationem idiomatum. Sed præter hoc, Adrianus Pontifex & Concil. Francfordienſe docuiſſe videntur, debere etiam ſub forma reduplicatiua dici Chriſtus inquantum homo eſt filius Dei, ſecundum humanitatem ſuam eſt filius Dei; filius nõ adoptiuus, ſed proprius, ideſt naturalis. Et inter alia ſic inquit Pontifex col. 6. *Animaduertite quia nihil vobis reſtat, vt ſecundum diuinitatem tantummodo credatis dixiſſe Patrem Hic eſt Filius meus. ſed potius ſecundum humanitatem, ſuper quem Spiritus ſanctus dicitur deſcendiſſe.* Et Concil. in lib. Sacroſyllabo col. 4. ex ipſo nomine Chriſti probat, Petrum confeſſum fuiſſe, illum eſſe filiũ Dei, non ſolùm ſecundum diuinitatem, ſed etiam ſecundum humanitatem. Et in Epiſt. col. 4. idem probat ex alijs Script. locis, & ſic infert: Hæc teſtimonia ideo poſuimus, vt cognoſcatis, Deũ & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in vtraque natura eſſe & vnigenitum & primogenitum, non adoptiuum, ſed magnum Deum. Ratione etiam ſuadetur: quia Chriſtus eſt homo, ea in ipſa ſua humanitate, eſt iuſtus & ſanctus, eſt hæres gloriæ, & eſt re ipſa beatus: ergo vere eſt & dici debet vt ſic filius Dei:

Dubitatio pro vtraq; parte.

Digitized by Google

Dei n cùmq; non poſſit dici filius adoptiuus, debebit dici filius naturalis. At ex alia parte hoc apparet difficile: quia ſic non deberet fieri & admitti communicatio idiomatum & prædicatorum ſub reduplicatione, quia ſic confunderentur naturæ: vnde non dicimus Chriſtus vt homo eſt æqualis Patri, eſt æternus, & ſimilia; ſicut nec dicimus, Chriſtus vt Deus eſt paſſus & mortuus: quamuis tutò ſine tali reduplicatione dicamus, Chriſtus eſt æqualis Patri, & alia.

Quidam affirmandi & explicandi modus.

Propter hæc Suarez hoc loco diſp. 49 & Vaſquez diſp. 89 cap. 14., Becanus cap. 18. q. 5., Tanner. q. 7. dub. 5., Bonacina q. 16. puncto 3., Vuigers hac q. art. 4., explicant, Chriſtum vt hominẽ eſſe ac dici debere filium Dei naturalẽ; non quidem ſumendo hanc denominationem ex ipſa filiatione diuina Verbi, ſed ex vnione hypoſtatica humanitatis ad Verbum; ita vt ſicut per hoc Chriſtus in ſuamet humanitate conſtituitur ac veriſſime denominatur iuſtus & ſanctus, ſic pariter ſit & dicatur Dei filius: dicique debeat filius naturalis; quia eſt filius per vnionem ſubſtantialem qua conſtituitur in ratione talis perſonæ. Vnde vlterius dicunt, quòd talis denominatio non referatur ad ſolam perſonã Patris, ſicut ipſa relatio Verbi diuini; ſed communiter referatur ad omnes perſonas diuinas, ad totam Trinitatem: & ita Chriſtus vt homo ſit & dici debeat filius naturalis etiam Spiritus ſancti, & Verbi, & Trinitatis. Similiter dicunt, quod ſi alia ex perſonis diuinis, videlicet Spiritus ſanctus, aut Pater, aſſumpſiſſet humanam naturam, eodem modo talis homo ſubſiſtens per hypoſtaſim Patris aut Spiritus ſancti, diceretur filius Dei, & ſingularum etiam perſonarum. Sicut nempe ſe habet filiatio per gratiam ſanctificantem, quam vocamus adoptiuam.

Chriſtus non eſt nec poteſt dici naturalis filius Trinitatis.

Dico tamen primò. Chriſtus vt homo, nec eſt nec dici debet filius Dei naturalis, aut ſimpliciter filius Dei, relatiuè ad omnes tres perſonas diuinas, ſiue ad totam Trinitatem: nec vnio hypoſtatica per ſe dicet talem denominationem, pro omni perſona diuina quæ hypoſtaticè aſſumeret naturam humanam. Hæc reſolutio eſt de mente D. Thomæ infra q. 32. art. 3., vbi in fine corporis concludit; *Nullo modo debet dici Chriſtus filius Spiritus ſancti, nec etiam totius Trinitatis*. Et ſimiliter aliorum Theologorum in 3. d. 10., tàm eorum qui concedebant, quam qui negabant, dici poſſe Chriſtum filium adoptiuum: omnes enim ſupponebant non poſſe dici filium naturalem niſi ſolius Patris, & niſi in ſola incarnatione Filij. Et ita etiam defendunt hoc loco Lorca diſp. 84., Lugus diſp. 31., item Alphonſus Curiel in ſui. Controuerſijs lib. 2. controu. 2., Baſilius Legionenſis tomo 1. Variar. diſputationum relect. 4., & alij vt plurimum.

Probatur ex Sacra Scriptura.

Probatur præcipue primò ex Sacra Scriptura. Quandocunque dicitur Chriſtus filius Dei, ſemper intelligitur relatiuè ad ſolam perſonam Patris, & dicitur ſpecialiter ratione perſonæ filij incarnati: de qua re non poteſt dubitari: ergo nullo modo poteſt admitti alia denominatio filiationis, ratione vnionis hypoſtaticæ, in quacunque perſona fieret, per reſpectum ad omnes perſonas diuinas. Sequela probatur: non ſolùm quidem in vi auctoritatis negatiuæ, quæ in hac re ſuum etiam momentum habet; non enim debent in tanto myſterio noua nomina aut nouæ ſignificationes nominum priuato arbitrio introduci. Sed maximè quia ex ijs Scripturæ locis habemus, perſonam filij ſpecialiter eſſe incarnatam, eſſeque realiter diſtinctam à perſona Patris. At ſi Chriſtus dici poteſt filius Dei naturalis reſpectu omnium perſonarum, atque adeo etiam reſpectu Verbi: & pariter ſi perſona Spiritus ſancti, aut Patris incarnata fuiſſet, dici deberet hic homo in quacunque diuina hypoſtaſi ſubſiſtens eſſe filius Dei naturalis: iam planè tolleretur vis illorum locorum Scripturæ ad probandam realem diſtinctionem Filij à Patre, & incarnationem ſpecialiter factam in perſona Filij.

Explicatur & confirmatur magis. Si illa confeſſio Petri, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, & illa annunciatio Angeli, *Quod enim ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, poſſet in rigore ſermonis referri ad omnem perſonam diuinam,

Digitized by Google

ita vt Chriſtus dici poſſet filius etiam Verbi, & pariter Spiritus ſanctus aut Pater ſi eſſet incarnatus dici poſſet filius Dei: plane ex illis teſtimonijs non conſtaret, ſpecialiter perſonam filij eſſe incarnatam in Chriſto, eſſeq; diſtinctam à Patre. Item ſi illa verba Dei Patris, *Hic eſt filius meus dilectus*, & *Filius meus es tu*, poſſent dici à quacunq; perſona diuina, & de quacunque perſona incarnata: iam inde non conſtaret, Chriſtum de facto eſſe Filium ſecundam Trinitatis perſonam, diſtinctā à Patre. Et rurſus, ſi dum Chriſtus ſemper vocabat & nominabat Patrem, id poſſet referri non ad ſolam perſonam Patris, ſed etiam perſonam Verbi, & ſimiliter ſic vocare potuiſſet ſibi Patrem, ſi perſona ipſa Patris incarnata fuiſſet: ergo inde non conſtaret, Chriſtum eſſe perſonam diſtinctam à Patre, & eſſe propriè perſonam Verbi. Et ſic in omnibus alijs locis, in quibus aſſeritur Chriſtus eſſe filius Dei, & Deus eſſe Pater Chriſti: vnde tollitur vis omnium horum locorum ad hoc myſterium fidei demonſtrandum.

Et ab in- cennomen ſi.

Vnde vlterius patens ianua aperiretur Sabellio & alijs Hæreticis qui dicti ſunt Patripaſſiani, negantibus veram ac realem diſtinctionem diuinarum perſonarum, ac dicentibus ſolùm penes diuerſas operationes aut denominationes diſtincta eſſe illa nomina Patris & Filij, ac ſpecialiter nomen Filij dictum eſſe ab ipſa incarnatione. Iam inquam rediret Sabellius & diceret, quando in Scripturis nominantur Deus Pater & Deus Filius, intelligi vnam realiter perſonam diuinam, quæ dum incarnata eſt in Chriſto accepit denominationem Filij, & in ſe ſpectata retinuit denominationem Patris. Et vrgetur magis cogitando caſum, ſi Pater incarnaretur: tunc ſi homo ſic ſubſiſtens, dici poſſet filius naturalis Dei; & per correlationem ipſe Deus in ſe diceretur Pater naturalis eius: iam inquam diceret Sabellius ſic eſſe de facto, & cum ſuis Patripaſſionis repelli nō poſſet per ea Scripturę loca in quibus Chriſtus dicitur filius Dei, & Filius Dei dicitur paſſus pro nobis: & adimeretur nobis fundamentum quod deſumimus ex vi & natura relationis ac relatiuorum, ad demonſtrandam realem diſtinctionē Patris & Filij in diuinis, quia hæc mutua oppoſitio relatiua omnino conuincit diſtinctionem relatiuorum. Concludendum ergo eſt, non poſſe per ſolam hypoſtaticam vnionem induci denominatio filij naturalis reſpectu cuiuſcunque perſonæ diuinæ, & in quacunque perſona diuina.

Probatur ex Concilijs Adriano & Auguſt.

Probatur etiam ſecundò ex eodem Concilio Francford. & Adriano Papa. Nam in toto ſuo diſcurſu planè ſupponunt, non dari alium modum filiationis reſpectu Dei, quam vel adoptiuæ per gratiam, vel propriæ vt loquuntur per ipſam perſonam Filij Dei: & ſic dicunt Filium Dei proprium, hoc eſt naturalē eſſe vnigenitum, quia non poteſt dari alius filius naturalis. Sic etiam probant, Chriſtum non eſſe alium à perſona Verbi diuini, non eſſe alium filium hominis à filio proprio Dei. Sic intelligunt doctrinam Scripturæ & Sanctorum, quod Chriſtus ſit filius Dei. Nullatenus ergo inducendus eſt alius filiationis modus, quo etiam ſi Pater ipſe aut Spiritus ſanctus incarnaretur, dici deberet in humanitate aſſumpta filius naturalis Dei. Affert etiam contra ſe Vaſquez definitionem Concilij Toletani 11. in confeſs. fidei, & auctoritatem Auguſt. in Enchirid. cap. 38. & 39. & lib. 2. de Trinit. cap. 10., negantium, poſſe Chriſtum dici filium Spiritus ſancti aut ſui ipſius. Et reſpondet, Concil. eſſe loquutum de filiatione Verbi diuini ſecundum æternam generationem, & non ratione ſanctificationis Chriſti. Auguſt. verò eſſe loquutum de generatione Chriſti ſecundùm naturam tantùm humanitatis, & non dictæ ſanctificationis. Verùm Concil., ſicut Auguſt., loquebatur quoque de generatione Chriſti ſecundùm humanitatem: atque, *Nec tamen Spiritus ſanctus pater eſſe credendus eſt filij, pro quod Maria eodem Spiritu ſancto obumbrante concepit*: tamen ſatis indicauit, nullam talem acceptionem filiationis debere induci, qua Chriſtus dicatur filius Spiritus ſancti, nec etiam inquam ratione ſanctificationis. Et ita abſolutè Auguſt. eo loco de Trinit., *Cogimur*

non.

Digitized by Google

nem niſi Patris accipere vbi dictum eſt. Hic eſt filius meus dilectus, neque enim Ieſus etiam Spiritus ſancti filius, aut etiam ſuus filius, credi aut intelligi poteſt. Vbi plane Auguſt. ſupponit, nullum eſſe modum aut ſenſum, quo Chriſtus vocari potuiſſet filius à tota Trinitate, ſiue à Spiritu Sancto, & à Verbo diuino.

Probatur ratione.

Probatur tertiò ratione: quia filius naturalis dicitur ille qui naſcitur & gignitur per generationem vitalem, & ſic filius dicitur quoque natus & genitus, ſcilicet vitaliter, ac reuera actio per quam gignitur eſt actio vitalis; atque adeo eſt actio immanens, ſicut eſt de ratione omnis actus vitalis: ſed dum aſſumitur natura creata ab aliqua perſona diuina, hæc aſſumptio eſt ſimpliciter operatio Dei ad extra, non eſt immanens & vitalis, ſed in genere cauſæ effectiuæ prodit à Deo ſicut aliæ operationes ad extra, & ſic prouenit indiuiſim à tota Trinitate: ergo per hanc formaliter actionem non conſtituitur filius naturalis Dei & totius Trinitatis: hæc actio non eſt natiuitas & generatio vitalis per quam producatur quidā filius naturalis omnium diuinarum perſonarum. Nullatenus ergo Chriſtus per vnionem hypoſtaticam habuit vt eſſet filius ipſius Trinitatis, etiam ſcilicet Spiritus ſancti & Verbi diuini. Vtque perſpiciatur magis vis huius rationis, augeri debet caſus, ſi perſona Patris aut Spiritus ſancti incarnata fuiſſet: ſic enim manifeſtè apparebit, quòd ille homo qui ſubſiſteret in tali perſona, dici non poſſet vitaliter natus ex Deo, genitus à Deo, filius naturalis Dei. Et confirmatur adhuc: quia generatio vitalis in ſua definitione dicitur eſſe in ſimilitudinem naturæ, & filius naturalis debet in vi ſuæ proceſſionis produci ſimilis in natura cum generante, & hæc ſimilitudo debet eſſe naturalis & ſubſtantialis: ſed hic homo ſubſiſtens per diuinam hypoſtaſim, non eſſet inquantum homo ſimilis Deo in natura, quinimò haberet naturam humanam eiuſdem ſpeciei cum reliquis hominibus de facto creatis à Deo: neque per illam aſſumptionem produceretur terminus ſimilis Deo in natura: ergo ille homo non eſſet Dei filius naturalis, & hæc aſſumptio non eſſet natiuitas & generatio vitalis.

Proba- exemp- parita-

Quartò. De facto ipſe Spiritus ſanctus qui procedit ad intra, & realiter eſt eiuſdem naturæ cum Patre & Filio, tamen adhuc non dicitur filius, nec eius proceſſio generatio: vbi ſubtiliter cōſiderant Theologi, quia talis ſimilitudo non eſt in vi talis proceſſionis: quāto minùs ergo ille homo qui conſtitueretur per hypoſtaticam aſſumptionem dici poteſt filius, & talis aſſumptio generatio. Si enim cum tanto rigore ſumuntur hæc nomina filij naturalis & generationis vitalis, vt nec ipſi Spiritui ſancto eiuſquè proceſſioni tribuantur, quomodo poterunt nunc extendi ad aſſumptionem ad extra naturæ adeo diſtantis. Et in caſu quo ipſa perſona Spiritus ſancti eſſet incarnata, ſi ipſe Spiritus ſanctus in ſe non dicitur filius Dei, quonam pacto quatenus incarnatus poſſet dici filius, ſiue ille homo qui eſſet Spiritus ſanctus poſſet dici Dei filius naturalis?

Quintò demum. Si dicant filiationem naturalem nunc ſumi, non iuxta definitionem illam generationis vitalis, ſed pro ſanctificatione quæ habetur formaliter per ipſam diuinam naturam, ad differētiam eius ſanctificationis quæ habetur per gratiam habitualem accidentalem, ſecundùm quam aſſignatur filiatio adoptiua. Hoc inquam permittendum non eſt. Tum quia cùm non inueniatur talis acceptio & ſignificatio filiationis naturalis in Scriptura & Eccleſia, non debet nouiter introduci; nec recedendum eſt ab illa ſignificatione tam conſtanter hactenus retenta. Tum quia ſicut non licuit nouam acceptionem adoptionis inducere, quæ denotaret talem ſanctificationem, & non importaret perſonam extraneam; ita nec licet nouam acceptionem filiationis naturalis inuehere, quæ denotet talem ſanctificationem, & non importet vitalem originem in proceſſione, & ex vi proceſſionis ſimilitudinem in natura: Et cùm Vaſquez velit; non ſi in abuſu illius nominis Elipandum erraſſe, taliter accipiendo nomen adoptionis; non debebat ipſe in nomine filiationis naturalis excedere. Tum etiam:

etiam ſi poſſet alioqui dicere quis, in tali ſignificatione Spiritum ſanctum quoque debere dici naturalem Dei filium, quia eſt maxime ſanctus per naturam ipſam diuinam, & ſic a Patre & Filio producitur: ſicut ergo id nullatenus tolerandum eſſet, ita nec in caſu noſtro: ſed prorſus non debet nomen filiationis naturalis ad talem ſanctificationem naturæ creatæ per hypoſtaticam vnionem extendi, vltra ſolam perſonam ipſam Verbi diuini in relationem ad ſolam Patris perſonam.

Chriſtus vt homo poteſt cum explicatione dici Filius Dei Patris.

Dico ſecundò. Poteſt dici Chriſtus inquantum homo filius Dei naturalis, relatiuè ad ſolam perſonam Dei Patris, & ſumendo nomen filij naturalis in toto rigore ex parte prædicati, intelligẽdo tamen & explicando ſub ly inquantum homo ex parte ſubiecti ſuppoſitũ illud ſingulare, in quo verè & realiter humanitas ipſa Chriſti ſubſiſtit. Ita affirmant iidem Theologi pro concluſione præcedenti relati. Et præſertim S. Thomas ſupra q. 16. art. 11. ſic optimè cum diſtinctione docuit: *Quòd iſte terminus homo in reduplicatione poſitus poteſt dupliciter accipi: vno modo quantũ ad naturam; & ſic non eſt verum, quòd Chriſtus ſecundùm quòd homo ſit Deus, quia humana natura eſt diſtincta à diuina; alio modo poteſt accipi ratione ſuppoſiti, & ſic cùm ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto ſit perſona filij Dei, verum eſt quòd Chriſtus ſecundùm quòd homo ſit Deus*. Sic ergo de mente D. Thomæ rectè dici poteſt, Chriſtus vt homo eſt Filius Dei. Sed quia S. Doctor addit, illam reduplicationem magis ſe tenere ex parte naturæ: ideo nos etiam in concluſione explicationem adiecimus. Ideo etiam S. Thomas ipſe in ſolut. ad 5. adiungit, meliùs adhuc dici, *Chriſtus ſecundùm quòd iſte homo eſt Deus*: quia nimirum prænomen illud demonſtratiuum magis determinat ſuppoſitum. Et ita in vniuerſum de huiuſmodi modo loquendi & his propoſitionibus diximus iam eadem quæſt. 16. Vnde hęc aſſertio nunc alia probatione non indiget. Sed ſi placeat, confirmari poteſt auctoritate Pontificis & Concilij, iuxta ea quæ mox dicemus.

Satisfit dubitationi partis affirmatiuæ ex auctoritate

Ad fundamentum ergo dubitationis initio ex hac auctoritate præmiſſum, quod militat contra primam concluſionem, dicendum eſt, Pontificem & Concilium voluiſſe tantummodo docere contra Elipandum, non de ſolo Verbo diuino affirmari eſſe Filium Dei, ſed affirmari etiam de ipſo homine Chriſto, hoc eſt quod hic homo Ieſus Chriſtus ſit verè ipſe Filius Dei, & non ſit alius Chriſtus homo & alius Filius Dei, non ſint duo ſuppoſita, duæ perſonæ, ſed vnus & idem ſit homo filius Virginis & Deus filius Patris. Et hoc quidem patet ex toto ſuo diſcurſu & intento Pontificis & Concilij. Itaque acceperunt nomen Filij Dei præciſe pro ipſa perſona quæ in Trinitate vocatur Filius, pro ipſo inquam Verbo diuino, vt ſic docerent in Chriſto vnitatem perſonæ. Et neutiquam cogitarunt tradere aliam acceptionem filij proprij & naturalis ratione ſanctificationis quæ haberetur per quamcunque perſonam diuinam. Ideo Pontifex ponderauit, de eodem dictum fuiſſe à Patre *Hic eſt filius meus*; ſuper quem deſcendit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, qui vtique deſcendit ſuper hominem Chriſtum: atque ita id dictum fuiſſe etiam ſecundùm humanitatem, id eſt hic homo eſt filius meus. Et ſimiliter Concilium ponderauit, Petrum non dixiſſe ſolùm, Tu es filius Dei; ſed *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, quod Chriſti nomen eſt nomen hominis, quaſi dixiſſet, tu homo es filius Dei. Ideo rurſus in Epiſtola adduxit loca Scripturæ in quibus ipſe homo Chriſtus dictus eſt filius Dei: & dixit in vtraque natura; id eſt ſub nomine & appellatione vtriuſque naturæ debere dici, non tantùm Verbum eſt filius Dei, eſt magnus Deus, ſed etiã hic homo eſt filius Dei, eſt magnus Deus iuxta illud Apoſtoli ad Titum 2. *Magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti qui dedit ſemetipſum pro nobis.*

Explicantur quædã Adriani verba.

Solùm ſupereſt aliqua difficultas: quia Pontifex videtur attribuere toti Trinitati illud oraculum, *Hic eſt filius meus*: & probat ex ſequenti verbo, quia non adiunxit tantummodo. In quo mihi benè placuit: *Sed dum dicit complacuit, totam ſimul Trinitatem comprehendit, quia in homine Chriſto tota complacuit*

Tri-

Digitized by Google

Trinitas. Verùm ſatis clarè ipſemet Adrianus ibidem, profitetur à ſolo Patre illa verba dicta fuiſſe, & diſtinguit teſtimonium Dei Patris prolatum in illis verbis, & oſtenſionem Spiritus ſancti in ſpecie columbæ: *Patris teſtimonio de Filio perhibentis non credatis? Spiritus ſancti oſtenſionem in ſpecie columbæ nihili penditis?* Sic etiam totum Concil. aperte ſupponit. Sic indubitanter expreſſit Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 10. Et concordant alij omnes Patres & Expoſitores. Similiter S. Thomas q. 39. art. 8 in fine corpor. *In voce declaratur ſolus Pater vt loquens*. Et ſicut ergo in omni alio loco quo Chriſtus nominauit Patrem ſuum, & quo ipſe nominatus eſt Filius Dei, idem Pontifex Adrianus in illamet Epiſtola intellexit per Patrem ſolam primam Trinitatis perſonam, vt per Filium ſolam ſecundam: ita etiam ſine dubio in illo loco. Tantum ergo voluit, Patrem ipſum ſolum ita dixiſſe, *Hic eſt Filius meus, in quo mihi bene complacui*. Complacuit, ideſt mihi ſimul cum alijs diuinis perſonis placuit. Ita quod non in illo verbo, *Hic eſt Filius meus* comprehendatur tota Trinitas, ſed ſolùm in verbo *Complacuit*. Nec etiam in hoc quaſi tota Trinitas loquatur, ſed quia ſolus Pater loquens dicat, toti Trinitati placuiſſe, ideſt ſibi cum alijs perſonis. Hanc enim vim conſiderare tunc voluit Pontifex in illo verbo *Complacuit*: licet aliàs etiam vnus ſolus de ſe ſolo dicere poſſit & ſoleat, ſibi complacuiſſe, habere complacentiam. Et hoc retulit Pontifex ad humanitatem Chriſti, ſiue ad hominem Chriſtum: quia licèt etiam de eius diuinitate, ſiue de perſona Verbi in ſe ſpectata, tota Trinitas habeat reuera complacentiam: tamen talis loquendi modus magis vſitatus eſt circa terminũ ad extra, quàm merè ad intra. Et poteſt rurſus accipi ly *Complacuit*, vt correſpondens ad illud quod dixit Chriſtus. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper*, quod plane dixit de ſuis humanis operibus quæ vtique toti Trinitati indiuiſim placebant: ſic ergo toti Trinitati in humanitate Chriſti complacuit. Et ſic docere volebat Adrianus de Chriſto homine dictum fuiſſe, Hic eſt Filius meus, quia idem ipſe erat homo & Deus.

Ad aliud fundamentum ex ratione adiunctum. Si illa denominatio ſanctitatis & hæreditatis omnino per ſe probaret eſſe filium; probaret potiùs eſſe filium adoptiuum, & probaret quoque eſſe filium per gratiam habitualẽ: quia nempe filius naturalis per nullas tales denominationes conſtituitur, ſed per ſolam vitalem originem, & generationem. Negandum ergo eſt, inde ſemper ac neceſſariò oriri denominationem filij. Sed ſi quidem ſanctitas & hæreditas gloriæ ſit in perſona extranea, ideſt creata, ſiue in natura non vnita ſubſtantialiter vlli perſonæ diuinæ, conſtituit ac denominat filium adoptiuum. Si autem ſit in natura vnita hypoſtaticè alicui perſonæ diuinę, nequaquam conſtituit aut denominat filium naturalem Trinitatis. Itaque Chriſtus vt homo & in ſua humanitate vere eſt ac dici debet ſanctus per ipſammet hypoſtaticam vnionem: ſed non per hoc dici debet filius Trinitatis, nec inquam adoptiuus, nec naturalis, nec ſimpliciter. Sicut & ipſe Spiritus ſanctus in ſe, eſt vtique ſanctus, eſt per naturam ſanctus: ſed non per hoc dicitur filius Dei, filius naturalis Dei. Item Chriſtus vt homo verè eſt ac dici debet heres gloriæ, & poſſeſſor huius hereditatis: ſed non per hoc dici debet filius Trinitatis. Nam etiam in humanis non omnis heres eſt filius: ſed inuenitur & dicitur talis heres, qui nec ſit filius naturalis, nec dicatur filius adoptiuus, vt manifeſtum eſt: quinimò interdum relinquitur heres, pater aut mater a filio, vir ab vxore, & alij huiuſmodi, qui nullatenus per hoc denominantur filij. Et ita ſi Pater aut Spiritus ſanctus incarnaretur, talis homo inde conſtitutus pariter diceretur non ſolùm iuſtus & ſanctus, ſed etiam heres gloriæ, & deberet poſſidere gloriam; quia videlicet ratione eiuſdem hypoſtaticæ vnionis haberet ius ad gloriam, eſſet ei debita gloria: non tamen dici deberet filius Dei.

Satisfit [...]bitationi eiuſdem partis e ratione.

Denique ad fundamentum alterius partis oppoſitæ, quod militat contra ſecundam concluſionem, ſatis patet ex re-

Satisfit [...]bit. ti[...] partis [...]gat. [...]

regula & doctrina; relata D. Thomæ. Non enim poteſt fieri communicatio idiomatum ſub reduplicatione, ſi reduplicetur natura, quia ſic confunderentur naturæ: ſed bene poteſt fieri ſi reduplicetur ſuppoſitum & perſona, quia ſic idem eſt ſenſus ac ſimul dicatur, perſona quæ ſubſiſtit ſub hac humanitate eſt filius Dei, eſt Deus: Vnde ſimul valet dicere, Chriſtus vt homo eſt minor Patre, reduplicando ſcilicet humanam naturam: & eſt filius Patris, reduplicando perſonam quæ ſub tali natura ſubſiſtit. Non tamen poteſt dici e conuerſo. Chriſtus vt Deus eſt paſſus & mortuus, quia nec reduplicando naturam nec perſonam diuinam, talia prædicata illi conueniunt. Si autem Pater æternus incarnatus fuiſſet, pariter de hoc homine dici potuiſſet eſt Pater Dei, ſicut de facto affirmamus de homine Chriſto quod ſit filius Dei. Et fruſtra Vaſquez num. 83. id adduxit & vrget tanquam inconueniens. Semper tamen obſeruandum eſt, vt pro diuerſitate prædicatorum & propoſitionum caute loquamur, & præſertim retineatur vſus: & vbi poſſet aliquis prauus ſenſus, vel etiam ambiguus, ingeri, non ſine diſtinctione & explicatione quædam loquendi formæ vſurpentur.

QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA.

De Prædeſtinatione Chriſti.

CADIT etiam in Chriſtum denominatio diuinę prædeſtinationis: & ideo conſequenter S. Thomas inter comparationes & habitudines Chriſti ad Deum, hanc quoque conſiderat. Sed quia, quantum ad rem attinet, iam antecedenter vidimus, qualiter, & quo ſigno & ordine, Deus ab æterno decreuerit, vt fieret incarnatio per quam conſtitueretur & produceretur Chriſtus: & poſtea diximus etiam de gloria & gratia collata Chriſto, non ex virtute meritorum eius, ſed ex debito hypoſtaticæ vnionis: ſolum ſupererit inquirendum quoad modum loquendi ſub hoc prædeſtinationis vocabulo, & quoad reſpectum ad prædeſtinationem aliorum. Quod S. Thomas per quatuor articulos expedit. Primo docet, debere dici Chriſtum fuiſſe à Deo prędeſtinatum: quia prædeſtinatio denotat æternam præordinationem Dei de ijs quæ in tempore facienda ſunt per gratiam; ſed in tempore per gratiam vnionis factum eſt, vt Deus eſſet homo & homo eſſet Deus, qui Deus & homo eſt Chriſtus: ergo id fuit præordinatum ab æterno: ergo ſic dici debet Chriſtus fuiſſe prædeſtinatus. Secundo docet, debere dici, quod Chriſtus vt homo fuit prædeſtinatus filius Dei: quia nempe humanæ naturæ Chriſti fuit collatum donum vnionis in tempore, & fuit præordinatum ab æterno. Tertio docet, prædeſtinationem Chriſti fuiſſe exemplar noſtræ, non quidem quoad actum in Deo, ſed quoad effectum in nobis. Tum quia Chriſtus fuit prædeſtinatus vt eſſet filius Dei naturalis, & nos prædeſtinamur ad filiationem adoptiuam, quæ eſt quędam participatio & ſimilitudo illius: tum etiam quia natura humana Chriſti, non ex præcedentibus meritis, ſed ex mera gratia fuit aſſumpta, & ſic etiam nos, qui ex plenitudine gratiæ eius accepimus. Quarto demum ſimiliter docet, prædeſtinationem Chriſti eſſe cauſam noſtræ quoad effectum: quia ſic Deus ab æterno præordinauit ſalutem noſtram, vt compleretur per Chriſtum.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Qualiter Chriſtus dici poſſit prædeſtinatus ad dona gratiæ & gloriæ.

QVamuis abſolutè loquendo facilè concedunt Theologi, poſſe ac debere dici Chriſtus eſt prædeſtinatus: tamen quia prædeſtinatio eſt ad aliquem terminum, & qui prædeſtinatur, ad aliquid prædeſtinatur; ideo diſtinctè de triplici termino inquirendum eſt: primo num dici debeat Chriſtus prædeſtinatus ad dona gratiæ & gloriæ: ſecundò num Xpus vt homo ad hoc vt eſſet filius Dei: tertiò num Xpus vt Filius Dei ad hoc vt eſſet homo. Præmittimus autem illud quod commune eſt cum alijs prædeſtinatis, & deinde ponimus quod eſt proprium ipſi Chriſto. Rurſus, quia ex parte ſubiecti poteſt nominari non ſolum Chriſtus, ſed etiam hic homo, hæc humanitas, Filius Dei ſeu Verbum diuinum: ideo plures dubitandi & dicendi modi de omnibus ijs punctis exortiſunt.

Referũtur plures dicendi modi.

1. Quantum ad primum, aliqui omnino negarunt, poſſe dici Chriſtum prædeſtinatum ad dona gratiæ & gloriæ. Quia dicunt, prædeſtinatio refertur ad donum & beneficium indebitum illi cui conferendum eſt; imò ad ſupremum donum & beneficium ſupernaturale quod alicui conferatur: ſed gratia & gloria non eſt ſupremum donum & beneficium Chriſti collatum, nec erat illi indebitum, ſed potiùs debebatur ratione vnionis: ergo non debet dici Chriſtus prædeſtinatus ad dona gratiæ & gloriæ. Aliqui verò docent, non poſſe quidem dici abſolutè. Chriſtus eſt prædeſtinatus ad gloriam: ſed poſſe dici cum additamento, Chriſtus vt homo, itemque hic homo Chriſtus eſt prædeſtinatus ad gloriam. Ita indicant Alenſis 3. par. q. 3. memb. 2., Albert. in 3. d. 10. art. 4. & 8., & ſequitur Lugus hic diſp. 32. ſect. 3. Quia nempe, Chriſto ſimpliciter erant debita dona gratiæ & gloriæ, ſed Chriſto vt homini, ſiue huic homini, erant indebita. Rurſus aliqui, fatentes poſſe dici tàm ſub nomine Chriſti, quàm huius homini, fuiſſe prædeſtinatum, negant poſſe dici humanitatem Chriſti prædeſtinatam ad dona gratiæ & gloriæ, licet alioqui admittant dici poſſe ad vnionem hypoſtaticam. Quia dicunt prædeſtinatio ad gloriam refertur ad viſionem beatificam quæ eſt noſtra operatio, & inter dona gratiæ computantur etiam opera meritoria: at operationes ſunt ſuppoſitorum, & non ſolius naturæ: ergo dici non poteſt humanitas Chriſti prædeſtinata ad dona gratiæ & gloriæ, ſed tantùm ipſe Chriſtus. Et fauet S. Thomas art. 1. ad 2., dicens, *Prædeſtinari eſt dirigi in ſalutem, quod quidem eſt ſuppoſiti agentis propter beatitudinem.* Demum plures ſunt qui negant, dici poſſe abſolutè loquendo, Filius Dei eſt prædeſtinatus ad gloriam, ſed ad ſummum dici poſſe cum expreſſo additamento, inquantum homo, ſiue ſecundùm humanam naturam. Ita ſignificat Altiſiodor. lib. 3. Summæ tract. 1. q. 8. cap. 2., Bonauent. in 3. d. 7. art. 2. q. 1., & Riccard. ibidem, & Durand. q. 3., & ſequitur Suarez hic diſp. 50. ſect. 1. Quia dicunt, talis modus loquendi refertur ad Filium Dei ſecundùm perſonam & naturam diuinã, quod confirmat Suarez, quia cùm prædeſtinatio ſignificet actum animæ, applicat ſignificatum ſuum ſubiecto formaliter ſumpto.

Rectè poterit Chriſtu prædeſt. tus ad na gr & glori

Sed nihilominus hæc omnia poterunt in rigore concedi, & in recto ſenſu proferri, adhibendo tamen aliquam diſtinctionem vel explicationem vbi ſenſus poſſet eſſe ambiguus. Et quidem abſque vlla difficultate dici poterit Chriſtus prædeſtinatus ad dona gratiæ & gloriæ. Ita concedunt communiter Theologi. Et poteſt ſumi ex Apoſtolo ad Roman. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*: & quibuſdam Patribus ita exponentibus: vt ſenſus ſit, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ad habendam & exercendam virtutem ſupernaturalem, ad ſanctificandos homines: vnde ſic etiam dicatur prædeſtinatus ad alia dona gratiæ & gloriæ. Ratione verò patet: quia de Chriſto abſo-

abſolutè dicuntur illa quæ ei conueniunt ſecundùm humanam naturam: ita enim Chriſtus eſt nomen ſuppoſiti, quod per ſe denotet ſuppoſitum ſubſiſtens non ſolùm in diuina, ſed etiam in humana natura: ſed Chriſtus in ſua humanitate habuit vtique dona gratiæ & gloriæ, & habuit ex æterna ordinatione diuina: ergo omnino dici debet Chriſtus ad hæc dona præordinatus a Deo. Quòd autem ſit ad illa propriè prædeſtinatus, ſic explicauit Scotus in 3. d. 7. q. 3. §. *Reſpondeo*, dicens, priùs Deum decreuiſſe conferre humanitati Chriſti tantam gloriam, & conſequenter ad hunc finem decreuerit etiam illi conferre vnionem hypoſtaticam: vt ita tanquam ſupremum & vltimum donũ, atque in diuina ordinatione indebitum, fuerit ipſa gloria. Hoc tamen non rectè dicitur: ſed potius in mente ſua Deus ante decreuit illam naturam aſſumere, & conſequenter conferre etiam tantam gratiam & gloriam ex debito vnionis. Aliter ergo explicari debet: quia nempe prædeſtinatio ſumitur in ordine ad quæcunque dona ſupernaturalia, & non præcisè ad ſupremum donum: vnde dicebatur prædeſtinatio ad dona gratiæ & gloriæ, & non ſolùm ad gloriam. Item ſumitur ad omnia dona, etiam ſi ſint debita: aut indebita vel in ſe vel in ſua radice, quia ſaltem primum eorum non erat debitum: ſiue indebita reſpectu naturæ, quamuis vnum donum ſit debitum reſpectu alterius ſupernaturalis. Vnde dicitur prædeſtinatio ad gloriam, etiam in ſententia eorum qui ponunt electionẽ ad gloriam poſt præuiſa merita.

Rectè etiã humanitas Chriſti.

Deinde rectè etiam dici poteſt humanitas Chriſti prædeſtinata ad dona gratiæ & gloriæ. Ita vt plurimum Theologi concedunt. Nam vtique dicimus, Deum contuliſſe humanitati Chriſti dona gratiæ & gloriæ, dicimus humanitatem Chriſti fuiſſe ſanctificatam, eſſeque ſanctam, & ſimilia: ergo pariter dicendum eſt, humanitatem Chriſti fuiſſe ad hæc prædeſtinatam. Quamuis enim operationes ſint ſuppoſitorum, & principaliter denominent ſuppoſita: tamen poſſunt adhuc huiuſmodi formæ denominare naturam, dum præſertim non proferuntur per modum operationis, ſed ſolùm per modum formæ. Vnde ad ſummum fieret, quod non poſſet dici ſub hoc alio modo loquendi, humanitas Chriſti videt Deum, facit opera meritoria; & ſimiliter fuit prædeſtinata ad videndum Deum, ad facienda opera meritoria. Sed vlterius poſſunt interdum etiam per hunc modũ operationis enunciari, ſicut dicimus, anima Chriſti videt Deũ, amat Deum, & ſimilia. Et ſpecialiter in Chriſto recipiendus eſt hic loquendi modus, ad denotandum tales operationes ac denominationes illi conuenire ſecundùm humanam naturam. D. Thomas autem præcipuè loquutus eſt ſecundùm denominationem principalem, quæ quidem tribuitur ſuppoſito.

Et per communicationem idiomatum Filius Dei.

Rurſus adhibita ſufficienti explicatione, poterit quoque dici, Filius Dei prædeſtinatus ad gloriam, nempe intelligendo ſecundùm humanam naturam, & per communicationem idiomatum. Ita notauit Altiſiod. lib. 3. tract. 1. q. 8. cap. 2., & ſequitur Vaſqu. hic diſp. 82. cap. 2., & concedit Valent. q. 23. puncto 2. §. *Quanquam*. Et ſuadetur: quia ſicut hoc pacto rectè dicimus, Filius Dei fuit flagellatus, fuit crucifixus; ita etiam poterit dici fuit prædeſtinatus. Et quamuis prædeſtinatio ſignificet actum animæ, non per hoc applicat neceſſario ſuum ſignificatum ſubiecto formaliter ſumpto, ſiue Filio Dei vt Deus eſt, ſed optimè adhuc poteſt verificari de Filio Dei vt homo eſt. Quia tamen reuera Filius Dei vt Deus eſt; eſt per eſſentiam ſuam beatus, atque adeo vt ſic non poteſt dici ad beatitudinem prædeſtinatus: ideo ad tollendam omnem ambiguitatem, præſtabit loqui cum additamento, vt homo eſt, ſiue ſecundùm humanitatem aſſumptam.

SECTIO

SECVNDA.

ctio … Chriſtus homo
er dici poſſit prædeſtinatus vt eſſet
Filius Dei.

Ad ſecundum punctum quantum … magis difficile & … quod eſt occaſio huius dubij … Apoſtoli in initium: … ex verbis illis … Epiſt. ad Roman. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*. Hinc aliqui modo concedunt poſſe dici, … hic homo, hæc humanitas, & … communicationem idiomatum Filius … prædeſtinatus eſt: vt eſſet Dei … ad eſſe Filij Dei, ſiue ad vnionē hypoſtaticam cum Verbo diuino. Et … ſi locus Apoſtoli ad hanc rem … aliquam vim, id totum ſuadere … verba protulit de … ur. Nam illa, *De Filio ſuo qui* … Filio Dei, dicens, … *Dauid ſecundum* … *eſt ei ex ſemine* … *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*: … multo facilius ſub alijs terminis … loquendi formulæ … bunt illæ omnes. Et ita defendit Vaſqu. diſp 90. … ſolum aduertens, non debere … de Verbo aut de Filio Dei eſſe præ… natum vt ſit Filius Dei, niſi cum … additamento inquantum homo: & ſic … locum Apoſtoli. Aliqui vero … cipit … ſed negant e… concedunt quidem alia, … cum hoc additamento dici poſſe … Verbo ſeu Filio Dei eſſe ſic prædeſtinatum vt ſit Filius Dei. Et ita ſentit ac … tendit Suarez diſp. 50. ſect. 2. & 4. … aduertens tamen, nō debere dici Chriſtum prædeſtinatum ad eſſe Filij Dei, … cum additamento inquantum homo … S. Thomas autem hic art. 2. affir… mat dici poſſe de Chriſto vt homine, … atque adeo de hoc homine, prædeſtinatum Filium Dei: ſed art. 1. ad 2. negauit dici poſſe de humanitate ſeu de humana natura. Et ita defendunt Caiet. Medina & alij. Et fauet D. Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 15. & in Enchirid. cap. 40. At Scotus in 3. d. 7. q. 1. ad 1. argument., ſignificat, poſſe ſolum dici hunc hominem, ſiue abſolute hominem, non autem Chriſtum, prædeſtinatum eſſe vt ſit Filius Dei: admittens etiam humanitatem Chriſti dici poſſe prædeſtinatam ad hypoſtaticam vnionem. Durand vero ead. diſt. q. 3. num. 9. & Paludan. q. 3. art. 2. & 3. Becanus hic cap. 19. & Lorca hic diſp. 85. ſolum hoc concedunt de humanitate Chriſti, & negant tam ſub nomine huius hominis, quàm Chriſti dici poſſe prædeſtinatū vt ſit Filius Dei.

Aliqui demum abſolute hæc omnia negant: quoniam ille qui dicitur prædeſtinari ad aliquid, ſupponitur eſſe prius in ſe ipſo, & ſic dicitur ordinari ad aliquod beneficium ſuperadditum & indebitum: ſed non ſupponitur eſſe Chriſtus in ſe, ſiue hic homo Chriſtus, ſiue hæc humanitas Chriſti, ſiue Filius Dei vt homo, ante hypoſtaticam vnionem: ergo nullo ex his modis dici debet prædeſtinatus ad filiationem Dei. *Sententia negans.*

Ad locum vero Apoſtoli plures adhiberi poſſunt expoſitiones, ne probet oppoſitum. Sed tres ſunt præcipuæ, & quidem ſatis probabiles, atque apud Patres inuentæ. Prima eſt, vt non intelligatur Chriſtus, ſiue Filius Dei incarnatus, fuiſſe prædeſtinatus ſimpliciter vt eſſet Filius Dei, ſed cum addito pene ſequentia verba, *In virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis*: ideſt prædeſtinatus fuit, vt haberet virtutem & poteſtatem ſanctificandi; quod ſanè ſpectat ad dona gratiæ quæ Chriſtus accepit à Deo, reſpectu quorum dicebamus vere Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum. Sicut enim Apoſtolus cum addito dixit, *Factus eſt ſecundùm carnem*: ita etiam ſub alio addito videtur dicere voluiſſe, *Qui prædeſtinatus eſt ſecundùm Spiritum ſanctificationis*. Et ita exponit Auguſt. in Expoſit. inchoata Epiſt. ad Roman., Cyrill. lib. 1. de Fide ad Reginas, & alij. Secunda expoſitio eſt: *Qui prædeſtinatus eſt*, ideſt qui declaratus & manifeſtatus eſt Filius Dei. Nam & verbum ipſum græcum, quo Apoſtolus ibi vtitur, poteſt optime hunc ſenſum reddere. Et ita exponunt idem Cyrill. loco allegato, Chryſoſt. Theophil. & vt plurimum alij Græci in eundem locum, & Damaſc. lib. 4. Fidei cap. 19. Tertia demum expoſitio eſt ſimilis huic. Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, ideſt

vt

vt cognoſceretur, ſuſciperetur, & adoraretur, tanquam verus Filius Dei. Sicut & dicitur Apocal. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere aſsumitatem &c.* ideſt manifeſtari, cognoſci, & adorari tanquam verus Deus. Et ita exponunt Ambroſ., Gloſa ordinaria, & alij ſuper eundem locum Pauli. Ex alijs ergo principijs theologicis videndum, qui loquendi modus in hac re approbandus ſit.

Non debet dici Filius Dei prædeſtinatus vt ſit Filius Dei.

Et in primis dici non debet, Verbum diuinũ, aut Filius Dei prædeſtinatus, nec etiam cum expreſſo additamento inquantum homo, vt eſſet Filius Dei. Etenim per ſe ſatis apparet talis loquẽdi modus valde durus, & parum aptus ad rem explicandam. Et ſicut rectè quidem dicimus, Verbum diuinum ſiue Filius Dei factus eſt homo, inepte autem diceremus, Verbum diuinum ſiue Filius Dei inquantum homo factus eſt Filius Dei: ita etiam minùs apte diceretur prædeſtinatus eſt vt ſit Filius Dei: illud namquè prædeſtinatum eſt à Deo ab æterno, quod fit ad extra in tempore. Item ſicut non poteſt dici ſimpliciter, Filius Dei prædeſtinatus eſt vt ſit Deus, quia nempe hoc non habet per prædeſtinationem, ſed per naturam: ita etiam neque id dici debebit cum additamento inquantum homo. Vt enim quæſt. ſuperiori dicebamus, dici poterat Chriſtus vt homo eſt Deus, non reduplicando naturam humanam, ſed perſonam ſub illa ſubſiſtentem: quare idem eſt dicere, Filius Dei inquantum homo, atque inquantum ſuppoſitum ſub humanitate ſubſiſtens: ſed certè neque vt ſic dici poteſt factus aut prædeſtinatus Deus. Eſtquè hoc vniuerſaliter in communicatione idiomatum obſeruandum, vt non niſi ipſæ prędicationes & loquendi formulæ extirpentur. Sicut, cùm dicamus, Filius Dei aſſumpſit humanam naturam, non poſſumus dicere, hic homo aſſumpſit humanam naturam. Sic ergo etiam ſi admittatur dici poſſe, Chriſtus vel hic homo eſt prædeſtinatus Filius Dei, non per hoc dici debebit: Filius Dei inquantum homo eſt prædeſtinatus Filius Dei.

Poteſt dici humanitas

Secundo. Rectè dici poterit, hęc humanitas, ſiue Chriſti humana natura fuit prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam cum Filio Dei, ad vnitatem perſonæ cum Verbo diuino: non tamen ad hoc vt eſſet Filius Dei. Explicatur & probatur: quia vtique rectè dicetur prædeſtinatum ab æterno id quod fit in tempore: ſed optime dicitur humanitas Chriſti aſſumpta ad vnionem hypoſtaticam, ad vnitatem perſonalem: ergo optime etiam dicetur ad id prædeſtinata, hoc eſt in mente Dei præordinata. Fuitque hoc ſane excellentiſſimum donum gratuitum & ſupernaturale collatum humanitati Chriſti: ergo ex hac etiam parte dici debet ad illud prædeſtinata. Ac præſertim præintelligitur in ſe hæc humanitas, & ſupponitur in priori naturæ ad ſuam aſſumptionem, licet non priùs tempore: & ità optimè dici poterit ad hoc prædeſtinata. Nec obſtabit ratio dubitandi præmiſſa partis negatiuæ: ſufficit enim ſubiectum ſupponi ordine naturæ. Et ita quidem de humanitate apertè conceſſit D. Thomas in 3. d. 10. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 1. At verò nequaquàm dicimus, humanitas Chriſti eſt Filius Dei: quia in hoc myſterio non fiunt huiuſmodi prædicationes ſub terminis abſtractis: ſic ergo nec etiam dici poteſt, humanitas prædeſtinata vt eſſet Filius Dei. Itaque illa forma loquendi, quæ obſeruatur ſub verbo eſſendi, aut faciendi, aliove ſimili, obſeruanda etiam erit ſub verbo prædeſtinandi. Et hoc voluit S. Thomas hoc loco, dum negat, prędeſtinationem dici de humana natura, ſcilicet ad hoc vt ſit Filius Dei: ſic etiam ait, *Eſſe filium Dei non conuenit humanæ naturæ, eſt enim hæc falſa, Humana natura eſt filius Dei.*

Chriſti prædeſtinata ad vnionem, non autem vt ſit Filius Dei.

Dici poteſt hic homo ſumptus pro natura prædeſtinatus vt ſit Filius Dei.

Tertio vlteriùs. Si hic homo, ſiue abſolutè homo, ſumatur pręcisè pro hac humanitate ſiue pro humana natura nominata per modum concreti, abſtrahendo prorſus à ratione ſuppoſiti; ſic quidem dici poterit hic homo, ſiuè abſolutè homo, prędeſtinatus vt ſit Filius Dei. Hoc plane ſenſu loquutus videtur Auguſt. eo loco de Prędeſt. Sãctorum, vbi loquens de prędeſtinatione Chriſti inquit, *Homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus*, ideſt Filius Dei: & alio loco in Enchirid. *Homo ille in ipſo exordio*

[...]tura ſuæ quod eſſe cœpit, Verbo [...]tus eſt in [...] in perſonæ vni- [...]idem ipſe eſſet Filius Dei: ſic [...] prędeſtinatus vt- [...]tur ille homo [...]atur magis: quia [...] Dei. Et ex hic homo pro ſola hu- [...] ſumitur [...] natur per mo- [...]tura, & ſic nomen [...]to interdum [...]creti. Quo pacto Verbum Dei aſſũ- [...]cunt, quod Verbum [...] Atque dum [...]nem, & ſimilia [...]ti in propoſi- [...] ex parte prædicatus homo, Filius [...]delicet Deus factus accipitur pro [...]homo, ſic vt idque [...] concreto, quæ ſic [...] natura in concreto perſona diuina in- [...]ædicatur de perſona nomine ſignificata [...] Et res hoc nomine naturæ in ſuo [...]ponitur ordine aſſumptionem. [...]turali ante aſſumptionem prædicatio ſub hu- [...]ac rectè fiat prædicatio in concreto, ſicut [...]li nominibus in concreto Filius Dei, ita dici [...]e hic homo eſt Filius Dei prædeſtinatus eſt [...]licari poterit, prædeſtinatus ſub nomine [...] Filius Dei. Itaque dicetur natura hu- [...]n abſtracto dicetur ad aſſumptionem, & [...] prædeſtinata ad aſſumptionem perſonalem, [...]em, & vnitatem præcedentem: ſub [...] concluſionem concreto dicetur hic [...]ine autem concreto dicetur hic [...]o prædeſtinatus vt ſit Deus, vt ſit [...]s Dei, iuxta explicationem præ- [...]cem.

[...]uartò. Si hic homo ſiue homo ſu- [...]ur inuoluendo ſuppoſitum, & præ- [...]inatio referatur ad formam ſeu gra- [...]n diſtinctam ab illo qui prædeſtina- [...], eique ſuperadditam; ſic non ſatis [...]tè dici poteſt hic homo ſiue homo [...] Filius Dei. Proba- [...]edeſtinatus vt ſit Filius Dei. Proba- [...]r & explicatur: quia in Chriſto non [...] aliud ſuppoſitum quàm Verbi, nec [...]a perſonalitas quàm ipſa filiatio: ergo [...] ſumatur hic homo ſiue homo, inuol- [...]endo ſuppoſitum, non habemus ſubie- [...]tum diſtinctum à forma ad quam di- [...]eretur prædeſtinatus: non habemus [...]ormam ſuperadditam ad quam dicatur [...]rædeſtinatus ſiquidem ratio diuini [...]uppoſiti, ratio diuinæ filiationis iam [...]ncludebatur in ipſo ſubiecto de quo [...]enunciatur prædeſtinatio. Et ſi, vt an- [...]tea dicebatur, is qui prædeſtinatur præ- [...] intelligi & ſupponi debet, ſaltem ordine [...] naturæ, ante formam ad quam dicitur [...] prædeſtinari; iam ly homo inuoluens

ſuppoſitum non præintelligitur nec ſupponitur ante perſonalitatem diui- nam, ſed in illo ſuo ſignificato hanc in- cludit: ergo non poteſt amplius dici ad illam prædeſtinari.

Propter hoc Suarez ſect. 2. & Lugus diſp. 32. ſect. 2. etiam rem explicant ac defendunt: dicentes ſub illo nomine inuolui quidem ſuppoſitum, non tamen hoc ſingulare & determinatum quod eſt ſuppoſitum Verbi, ſed ſolùm in com- muni ſeu vage aliquod ſuppoſitum: ſo- lùm quidem denotari in ſingulari ac de- terminate hanc naturam humanam, ſed non hoc ſuppoſitum, ac ſi diceretur ſuppoſitum ſubſiſtens in hac ſingulari natura. Et ita dicunt ſic ſumptum di- ſtingui ab hoc determinato ſuppoſito Verbi, & ordine rationis præcedere & ſupponi ad hanc determinationem, & hanc poſtea illi ſuperaddi: & hoc pa- cto rectè dicatur hic homo prædeſti- natus vt ſit Filius Dei. Sed ſanè non video ad quid hæc ſubtilitas deſeruiat: non certè ad mentem D.Thomæ, qui art. 2. expreſse dixit: *Attribuitur prædeſtinatio Chriſto ratione ſolius humanæ naturæ, nam humana natura non ſemper fuit Verbo v- nita, & ei hoc per gratiam eſt collatum vt Filio Dei in perſona vniretur.* Item non ſatisfacit difficultati, nam quando dicitur debere diſtingui illum qui præ- deſtinatur & forma ad quam prædeſti- natur, & debere illam ordine naturæ præcedere, formamque ei ſuperaddi; intelligendum id eſt de diſtinctione reali, & de ordine cauſalitatis, & non de ſola diſtinctione rationis & ordine communitatis, quali eſt inter commu- ne, & ſingulare. Affirmamus enim nos & explicamus id quod Deus in mente ſua prædeſtinando gerit; ſed Deus non hoc modo prædeſtinat, quod conceptũ quẽdam genericum ordinet ad certam differentiam ſpecificam ſeu indiuidua- lem; ſed quod ſubiectum quoddam ſin- gulare ordinat ad aliam formam gratui- tam ei ſuperaddendam. Et ita, ſi ver- bum prædeſtinandi extendatur etiam ad ordinem rerum naturalium, ſiue accipiendo Verbum præordinãdi quod commune eſt, non inquam dicitur Deus prædeſtinaſſe hominem vt ſit Petrus,

præor-

præordinaſſe animal vt ſit homo; ſed tantùm prædeſtinaſſe ſeu præordinaſſe Petrum, vt ſit diues, vt ſit princeps, & ſimilia.

Nec etiam Chriſtus, referendo prædeſtinationem ad aliquod donum diſtinctum à ſubiecto.

Quintò loquendo ſub nomine Chriſti: cum hoc nomen non ſolùm denotet abſolutè ſuppoſitum, ſed determinatè tale ſuppoſitum, ſcilicet Verbi diuini, non poterit dici Chriſtus prædeſtinatus ad hoc vt ſit Filius Dei, tanquam ad aliquam formam diſtinctam & conſequentem: ſiquidem iam hoc ipſo quòd dicitur Chriſtus, intelligitur eſſe Filius Dei. Sicut & in ordine rerum naturalium, non rectè diceretur Petrus prædeſtinatus ad hoc vt ſit homo, vel ad hoc vt habeat animam rationalem: quoniam ſub ipſo nomine Petri iam denotabatur, quòd eſſet homo, & quòd haberet animam rationalem. Nec iuuabit dicere: Chriſtus vt homo prædeſtinatus eſt vt ſit Filius Dei: tum quia nec rectè dicebatur hic homo, ſiue abſolutè homo, ſic prædeſtinatus: tum quia nunc magis expreſſè Chriſtus denotat tale ſuppoſitum Verbi: tum quia nec etiam dici poterat, Chriſtus vt homo eſſe Filius Dei, niſi intelligendo ſub tali reduplicatione naturam humanam, quæ quidem diſtinguitur à perſona Verbi; ſed tantùm intelligendo ſuppoſitum in humanitate ſubſiſtens, quod vtique non diſtinguitur à Filio Dei: ergo nec ratione naturæ nec ratione ſuppoſiti dici poteſt Chriſtus vt homo prædeſtinatus vt ſit Filius Dei. Et ſanè hæc propoſitio redderet ſenſum, quòd Chriſtus vt homo ſaltem ordine naturæ ſupponeretur, & ſic deſtinatus fuiſſet ad filiationem Dei: ſed quamuis præintelligatur humana natura, certè tamen non præſupponitur Chriſtus vt homo, quia non præſupponitur ſimpliciter Chriſtus antequam intelligatur eſſe Filius Dei: ergo non poteſt dici ſic prædeſtinatus.

Nec prorſus audiendus eſt Caiet. hîc art. 1. §. *Secunda autem*, dicens, Chriſtum, ſeu Verbum incarnatum, poſſe ſumi ſecundum conceptum quendam communem ad illum modum incarnationi, quem nos ponimus per ſubſtantialem vnionem & vnitatem in perſona, atque ad alium modum quem Hæretici Neſtoriani ponebant per inhabitationem & affectum: & de huiuſmodi ſubiecto ſic ſumpto affirmat quod ſit prædeſtinatum ad talem modum ſpecialem ac determinatum per hypoſtaticam vnionem, vt reuera hoc myſterium factum eſt. Audiendus inquam non eſt in hoc Caietanus: tum quia admitti non debet talis conceptus communis ad eos duos modos vnionis, ſub nomine Chriſti ſeu Verbi incarnati: tum quia quandocunque nominatur Chriſtus aut Verbum incarnatum, debet omnino intelligi per modum ſubſtantialis vnionis, neque ſic nominari poſſet per ſolam vnionem affectus, & neque in hoc conuenire debemus cum Hæreticis: tum demum cogitari non poteſt, Deum ſic prædeſtinaſſe, vt repræſentaret ſibi conceptum illum communem, & de illo ſtatueret ac determinaret modum ſpecialem vnionis ſubſtantialis: ergo nullatenus ſic dicere & explicare debemus, Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe vt eſſet Filius Dei.

Sicut nec poteſt dici hic homo vel Chriſtus eſt factus Filius Dei.

Confirmatur adhuc hæc, & præcedens concluſio. Dici non poteſt, Chriſtus factus eſt Deus, vel hic homo aut abſolutè homo factus eſt Deus, factus eſt Filius Dei, quamuis optimè dicamus Deus factus eſt homo, *Verbum caro factum eſt*: & ita docuit S. Thomas ſupra q. 16. art. 7., & erat communis ſententia; & nos ibi tractauimus ſect. 3. Sic ergo nec etiam dici poteſt, Chriſtus vel hic homo prædeſtinatus eſt Filius Dei. Nam illud quod à Deo prædeſtinatur, verè fit; & idem eſſet ac dicere, prædeſtinatus eſt vt fieret Filius Dei: ſi ergo non eſt factus, nec prædeſtinatus fuit vt fieret. Rationes autem ſunt communes ſub vtroque verbo, tam prædeſtinandi quàm faciendi: quia non ſupponitur hic homo Chriſtus antequam ſit Filius Dei. Vnde non iuuat diſcrimen quod affert Suarez ſect. 2. citata: quia verbum faciendi denotat actionem realem & tranſeuntem prout eſt in re; in re autem non poteſt exiſtere hic homo niſi in determinato ſuppoſito; & nec ordine temporis nec naturæ ſupponitur aliquis homo qui fiat Deus: prædeſtinatio verò eſt actus mentis quæ poteſt præſcindere ea quæ

coniunctæ

Hoc inquam non prædeſtinatio re- id quod prædeſti- vt hic homo ſit eſtinatur vt fiat. reſpondet Lugus erificandum ver- vt ſubiectum an- ſine forma, abſque forma, verificandum Non inquam requiri anteceſ- verificandum verbum ſufficit anteceſſio ſubiectum potuiſſet Et ita patet in om- nam ſic rectè dici- fuiſſe lucidum, & ratio, & conformis loquendi, ſub verbo ſub verbo faciendi. S. Thomas art. 1. ad 3., *Magis hæc eſt vera, Christus eſt Dei, quàm iſta Chri- ſtus prædeſtinatus Filius Dei*, denotauit ſim- *eſt factus Filius Dei*, veram in aliquo eſſe exponit. Quo autē ſēſu conſ. ſequenti. explicabimus Alio pacto poteſt prædeſtinari, non quidem

a ſunt ua omnis faciendi ergo nomen etiam mutat que ſect. 2., iendi requiri ordine tem- tem id requiri a prædeſtinandi quia non debet poris ad verificandum di; ſed pariter e, ſiue quod abſque forma alijs rebus: Solem factum a. Par eſt ergo t eſſe modus deſtinandi ac a quidem S. Thomas ndo, *Magis hæc eſt* *eſtinatus Filius Dei* *eſt factus Filius Dei* iter vtranque ſu, vt Caiet. vera, explicabimus

ſexto demum ſi aliquis prędeſtinari, non quidem aliam formam diſtinctam & ſuper- additam, ſed vt ipſe ſimpliciter ſit ſe- cundùm ſe: ſic quidem dici poterit hic homo Chriſtus prędeſtinatus vt ſit, & ſit Filius Dei. Explicatur & proba- tur aſſertio: quia conſiderari poteſt o- biectum aliquod in puro ſtatu poſſibi- litatis, in quo ſcilicet poterat eſſe & poterat non eſſe: de hoc obiecto Deus pro ſua libertate & beneficentia deter- minat vt ſit, vt exiſtat, vt fiat: atque vt ſic rectè dicitur, prędefinitum ac præordinatum vt ſit: ſic inquam poteſt optimè dici prædeſtinatum vt ſit, vt fiat. Vbi non dicitur aliquis in ſe priùs exiſtens prędeſtinari ad aliquam gra- tiam ſeu formam diſtinctam & conſe- quentem, ſicut dum dicuntur homines prędeſtinari ad gloriam: ſed dicitur prædeſtinari, vt per ipſam prędeſtina- tionem ſimpliciter ſit & fiat exiſtens: & beneficium Dei cadit in hoc, vt tale o- biectum tranſeat de eſſe poſſibili ad eſ- ſe actuale, de non eſſe ad eſſe. Et qui-

dem ſi prędeſtinatio amplè ſumatur e- tiam pro rebus naturalibus, ſic omnes res quę ſunt, fuerunt prędeſtinatę, ideſt ab ęterno pręordinatę vt eſſent, & omnes in tempore accipiunt beneficiū exiſtendi. Sumendo autem prędeſti- nationem propriè pro rebus ſupernatu- ralibus & effectibus gratuitis in hoc genere, ſic de ijs tantum dicetur. Verè autem Chriſtus factus eſt in tempore, nempe quando miſit Deus Filium ſuum in mundum, & eſt ſupremum opus ſu- pernaturale Dei, & ſupra omnia gra- tuitum, nulli prorſus debitum: ſic ergo optimè dici poteſt & debet, Chriſtus fuit prædeſtinatus vt eſſet, intelligendo nomine Chriſti, hunc qui ſimul eſt Deus & homo, qui quidem vt ſic poterat ſim- pliciter non eſſe, & factus eſt, & præ- deſtinatus eſt vt eſſet.

Rurſus ſub hac ſignificatione affirma- tur etiam interdum de certo ſubiecto, prædicatum aliquod illi eſſentiale ſeu ſubſtantiale, non quaſi ad denotandam diſtinctionem vel conſequutionem, ſed potiùs conſtitutionem ſubſtantialem talis ſubiecti. Sic v. g. dicitur, Anima noſtra facta eſt à Deo Immortalis, homo factus eſt rationalis, Angelus factus eſt incorporeus, & ſimilia: vbi pariter idem dici poterit ſub verbo prædeſtinandi amplè ſumpto, & propriè ſub verbo præordinandi ac prædefiniendi. Et idē eſt ſenſus ac ſi dicatur, factus & præor- dinatus à Deo eſt Angelus incorporeus, ſiue qui eſt natura ſua incorporeus, & ſic de alijs. Hoc ergo pacto dici quo- que & explicari poterit, Chriſtus præ- deſtinatus eſt Filius Dei, ſiue ad hoc vt eſſet Filius Dei: ideſt prædeſtinatus fuit à Deo Chriſtus qui eſt Filius Dei: præ- deſtinatus fuit à Deo vt eſſet, vt exi- ſteret Chriſtus verus Filius Dei. Et meritò hoc dicetur ſub verbo prædeſti- nandi propriè ſumpto: quoniam cùm Chriſtus ſubſtantialiter ſit ſimul Deus & homo; opus & beneficium ſuperna- turale, non fuit in hoc vt eſſet homo; ſed vt eſſet Deus, non fuit in hoc vt exiſteret quidam homo, ſed vt talis homo eſſet verus Deus, Filius Dei: quoad hoc ergo propriè in illum cadit verbum prædeſtinandi. Et iuxta hoc pariter admitti debet ſub verbo faciendi, nem-

pè in hoc eodem ſenſu, Chriſtus factus eſt Filius Dei, idest factus eſt Chriſtus verus Filius Dei, factum eſt vt eſſet vt exiſteret Chriſtus qui eſt Filius Dei.

Sic intelligitur D. Auguſt. & D. Thomas

Atque hoc ſanè pacto loquutus eſt de hac re Auguſt. Quia ita dixit cap. 15. de Prædeſt. SS. *Homo ille factus eſt Chriſtus*: & infra, *Prædeſtinatus eſt Ieſus, vt qui futurus erat ſecundùm carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute Filius Dei. Ipſa eſt illa ſuſceptio ſingularis, vt filius Dei & filius hominis ſimul veraciter & propriè diceretur. Prædeſtinata eſt iſta natura humana tanta & tàm celſa & ſumma ſubuectio vt quo attolleretur altiùs non haberet*: quaſi planè dixiſſet, prædeſtinata fuit exiſtentia Chriſti, prædeſtinatus fuit vt fieret vt eſſet Chriſtus Filius Dei. Et idem prorſus voluit in Enchirid. Sic tandem debet etiam intelligi S. Thomas. Qui ita explicat artic. 1., Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, quia ab æterno præordinatũ erat hoc quod in tempore factum eſt per gratiam vnionis, vt homo eſſet Deus & Deus eſſet homo: & art. 2., Chriſtum vt hominem fuiſſe prædeſtinatum Filium Dei, quia hoc per gratiam factum eſt, vt humana natura Filio Dei in perſona vniretur. Et ſic pariter ſupra q. 16. art. 7. conceſſerat, verè dici, homo factus eſt Deus in hoc ſcilicet ſenſu, factum eſt vt homo ſit Deus. Ratione autem anteceſſionis, ait hic art. 1. ad 3., magis veram eſſe illam, Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei.

SECTIO TERTIA.

An dici poſſit Chriſtus Filius Dei prædeſtinatus vt eſſet homo.

QVantum ad tertium punctum, S. Thomas art. 2. ad 3. ſic inquit: *Vtrunque dici poteſt, ſcilicet quòd & Filius Dei prædeſtinatus ſit eſſe homo, & filius hominis prædeſtinatus ſit eſſe Filius Dei: ſed magis propriè poteſt dici, quòd Chriſtus ſecundùm quod homo eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei, quàm quod Chriſtus ſecundùm quod Filius Dei ſit prædeſtinatus eſſe homo.* Vnde aliqui aſſerunt S. Thomam pro parte negatiua, tanquã loquutum aduerſatiuè per illam particulam *magis propriè*: alij vero aſſerunt pro parte affirmatiua, tanquam loquutũm verè comparatiuè. Negarunt autem Albert. & Durand. in 3. diſt. 7., quamuis ipſi etiam aliquo modo impropriè admittant poſſe concedi. Hanc partem negatiuam reputat probabiliorem Becanus hîc cap. 19. quæſt. 1. Negat etiam Lugus hîc diſp. 32. ſect. 3. dub. 6., loquendo ſub nomine Chriſti, ſcilicet Chriſtum eſſe prædeſtinatum vt eſſet homo, quamuis concedat aliquo modo dici poſſe, Filium Dei prædeſtinatum vt eſſet homo. Abſolute autem concedunt Altiſiodoren. lib. 3. Summæ tract. 1. q. 8. cap. 2. memb. 1., Ricard. in 3. diſt. 7. art. 2. q. 1., Palud. q. 3. art. 3., Marſil. q. 7. art. 1., Suarez hîc diſp. 50. ſect. 1., Vaſq. diſp. 92. cap. 3., & alij.

Non poteſt Chriſtus dici prædeſtinatus vt ſit homo quaſi ad formam diſtinctam

Sed in conformitate ad doctrinam traditam, Primò quidem loquendo ſub nomine Chriſti, dici non debet Chriſtus prædeſtinatus vt ſit homo, referendo prædeſtinationem ad aliquam formam ſeu terminum diſtinctum à ſubiecto: dici tamen poterit ſi prædeſtinatio referatur ad exiſtentiam eiuſdem ſubiecti, & accipiatur amplè complectendo etiam naturales effectus. Patet facilè: quia ſub nomine Chriſti planè ſignificatur talis homo, & ita in ipſo ſubiecto verè includitur humana natura: ergo ſic dici non poteſt Chriſtus prędeſtinatus vt ſit homo, quaſi ad aliquem terminum diſtinctum: ſicut dici non poteſt de Petro, Paulo, & alijs ſingulis hominibus. Non enim ſufficit, quòd Chriſtus ſimul eſt verus Deus: nam dum eodem nomine importat quoque humanitatem, iam dici non poterit ad illam prædeſtinatus. In alio autem ſenſu, ſicut dicitur Chriſtus prędeſtinatus vt ſit, ſic etiam dici poterit vt ſit homo, ideſt vt ſic actualiter exiſtat ſecundùm humanam ſuam naturam. Sed quia humanitas ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſt effectus naturalis, debet ſumi prædeſtinatio amplè vt ad hos etiam effectus extendatur: ſicut diceretur de alijs hominibus, prædeſtinatus eſt vt ſit Petrus homo, Paulus homo, & ſic de ſingulis.

Secun

Digitized by Google

t. III. An

...ndo. Loquendo ſub nomine
...uini, ſi ... Filij Dei, & ſumendo
...tination... prout refertur ad
...tium ali... gratiam ſeu donū
...endum illi qui prædeſtinatur: ſic
...lici nō debit ... Filius Dei prede-
...s ad hoc vt ſi... ret & eſſet homo.
...præſertim in ... debant illi qui ne-
...t. Et in hoc ſenſu dictum D.
...æ poteſt accipi aduerſatiuè &
...iuè: ſicut ipſe inquit: Quia gra-
...n eſt facta Filio Dei vt eſſet homo,
...nis humanæ naturæ vt vniretur Fi-
...i. Et res eſt clara: quia non eſt
...tum beneficium gratia & donum
perſonæ diuinæ, per hoc quod illi
...fuit humana natura: ſed tota
...beneficij gratiæ, & doni, ſpectat
...pſam humanitatem, ad ipſum ge-
...humanum: ergo hoc pacto dici
...poteſt Filius Dei prædeſtinatus vt
...homo.

Tertiò. Sumi poterit prædeſtinatio
amplè, vt dicatur pro quacunque
...ordinatione & prædefinitione di-
...ta ad faciendum aliquid, & prædeſti-
...tio alicuius ad aliquid dicatur pro
...acunque diſpoſitione mentis diuinæ
...faciendum aliquem effectum circa
...um: ſic planè dici poterat Filius Dei
prædeſtinatus ad hoc vt fieret homo.
...oc intendunt Auctores partis affir-
...atiuæ. Et in hoc ſenſu dictū D. Tho.
...ebet accipi comparatiuè & affirmati-
...è, ita vt admittat poſſe hoc modo dici
prædeſtinationem, quamuis magis pro-
...ria ſit alia acceptio prædicta: & ita
...impliciter affirmabat dici poſſe, Quòd
Filius Dei prædeſtinatus ſit eſſe homo. Et
patet manifeſtè: quia Deus decreuit,
præordinauit, & prædefiniuit, vt Filius
Dei incarnaretur: & veriſſimè dicimus
Filius Dei factus eſt homo, idquè pror-
ſus ex diuina diſpoſitione ac determina-
tione: ergo ſic abſque vlla difficultate
dici poteſt, quod Deus id prædeſtinauit, & quod Filius Dei prædeſtinatus
fuit vt carnem aſſumeret, vt fieret homo. Et ita loquutum quoque eſt Con-
cil. Toletan. vndecimum, vt afferemus
in fine.

Atque in hoc exactè quidem ſeruatur illa prędeſtinationis conditio & acceptio, vt præintelligatur ac ſupponatur in ſe ille qui dicitur prædeſtinari, ab eoquè diſtinguatur terminus ad quē dicitur prædeſtinari, & ad illum ſe habeat conſequenter, illiquè ſuperaddatur, & quod ille potuiſſet eſſe abſque tali termino. Hoc inquam totum exactè verificatur, nominando Filium Dei, aut Verbum diuinum, aut Perſonam diuinam. Neque in hoc eſt illa difficultas, quæ occurrebat in dicendo è conuerſo, homo prędeſtinatus eſt vt ſit Filius Dei: non enim præcedebat in ſe ille homo antequam eſſet Filius Dei, nec poterat præintelligi in ratione ſuppoſiti: at quidem Filius Dei præcedebat & præexiſtebat, non ſolùm ordine naturæ & cauſalitatis, ſed ordine temporis, imo æternitatis, antequam fieret homo, & ita quoque concipiebatur in mente diuina. Vnde quoad hanc conditionem dicere valebit, potiùs Filium Dei prædeſtinatum fuiſſe vt fieret homo, quàm hominem vt fieret Filius Dei: ſicut & quoad operationem ipſam, potiùs dicitur, Filius Dei factus eſt homo, quàm homo factus eſt Deus.

Et rurſus, inquantum prædeſtinatio dicebatur peculiariter in operibus gratiæ & ſupernaturalibus ad diſtinctionē prouidentiæ communis & naturalis: ſic quamuis humanitas in ſe ſit effectus in ſubſtantia naturalis, & vnio quoque hypoſtatica nullatenus ſit ſupra virtutem Verbi diuini: tamen ſimpliciter Incarnatio eſt opus maximè ſupernaturale, & excedit omnem ordinem naturæ creatæ, nec cadit ſub prouidentiam communem Dei vt auctoris naturæ: circa illam ergo vocatur propriè prædeſtinatio, quæ eſt prouidentia ſupernaturalis, ſpectans ad Deum vt auctorem ſupernaturalem, & quatenus peculiariter complectens opera ſupernaturalia. Ac licèt demum Incarnatio non fuerit beneficium factum ſi Verbo: tamen reuera fuit maximum beneficium, tum reſpectu illius ſingularis humanitatis quæ aſſumpta eſt, tum reſpectu totius generis humani: & hoc etiam iuuat ad denominationem prædeſtinationis.

Et intra ... prouidentia ſupernaturalis.

Quartò demum. Alio modo nominatur interdum prædeſtinatio, dicendo; beneficium ipſum & donum Dei præ-

Poteſt dici Filius Dei præ...

...tinata Chriſto.

deſtinari illi cui conferendum eſt, videlicet gratiam & gloriam prædeſtinatam eſſe hominibus: ſicut dicimus, Deum prouidiſſe hominibus auxilia & dona gratiæ. Quo ſenſu dicitur prædeſtinari pro eo quod eſt præparari, prædeſtinari, decerni à Deo. Hoc ergo modo dici poterit, Filiatio Dei prædeſtinata Chriſto homini. Vbi non debet intelligi prædeſtinata tanquam forma diſtincta & ſuperaddita, ſicut dicitur gloria prædeſtinata Petro: ſed debet intelligi tanquam conſtitutiua Chriſti in eſſe ſubſtantiali perſonali, ſicut ſi diceretur anima rationalis prædeſtinata ſiue præfinita Petro. Reſpectu autem humanitatis benè poterit intelligi per modũ formæ diſtinctæ & ſuperadditæ. Sed quia denominatio filiationis non rectè tribueretur ipſi humanitati: ideo non debebit dici Filiatio Dei prædeſtinata humanitati Chriſti. Rectè tamen dici poterit, ſubſiſtentia diuina prædeſtinata humanitati Chriſti; quia nempe denominatur humanitas ſubſiſtens in perſona Verbi. Optimè autem dicetur, aſſumptio ad diuinam perſonam, vnio hypoſtatica cum Verbo diuino cum Filio Dei, prædeſtinata humanitati Chriſti; quia propriiſſimè humanitas fuit aſſumpta, fuit vnita. Et ita loquutus eſt Auguſtinus cap. 15. de Prædeſt. Sanctorum, *Prædeſtinata eſt ipſa natura humana tanta & tàm celſa & ſumma ſubiectio.*

Quædam argumenta ſoluuntur.

Sed in contrarium obijcit adhuc Becanus ad probandum, nullo modo dici poſſe Filium Dei prædeſtinatum vt eſſet homo. Tum quia Filius Dei non eſt ſubiectus gubernationi & prouidentiæ Dei. Tum quia alioqui prædeſtinaſſet ſe ipſum vt fieret homo. Tum demum quia ſic definitum eſt in Concil. Toletano 11. in Confeſs. fidei his verbis: *Filius Dei per hoc quòd de Patre ſine initio procedit, neque factus neque prædeſtinatus dici poteſt: per hoc tamen quòd de Maria Virgine natus eſt, factus & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.*

Reſpondetur ad primum. Filius Dei ſecundùm ſe quidem non ſubijcitur gubernationi & prouidentiæ. Ad ſecundùm, verè dici debet Filius Dei prædeſtinaſſe ſe ipſum vt fieret homo, ſicut vtique dicimus id definiſſe ac decreuiſſe: tota enim Trinitas indiuiſim operata eſt incarnationem in genere principij effectiui, quamuis ſola perſona Verbi incarnata ſit. Ad tertium, potiùs in illis verbis Concilium affirmauit, Filium Dei prædeſtinatum fuiſſe vt fieret & naſceretur homo ex Virgine Maria: negauit autem fuiſſe prædeſtinatũ ad hoc vt ab æterno naſceretur ex Patre.

SECTIO QVARTA.

Qualiter Prædeſtinatio Chriſti ſit exemplar & cauſa Prædeſtinationis noſtræ.

DOcet S. Thomas art. 3., prædeſtinationem Chriſti eſſe noſtræ prædeſtinationis exemplar. Et ità communiter alij quoque Theologi loquuntur. Sumitur ex Apoſt. ad Roman. 8., *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: & ad Philippenſ. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Item ex D. Auguſt. lib. de Prædeſt. SS. cap. 15., *Eſt præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe ſaluator*: & de Bono Perſeu. cap. vltimo, *Nullum eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum quàm ipſe Ieſus.* Et quamuis S. Thomas explicet, hoc non intelligi quoad actum diuinæ mentis, ſed tantùm quoad effectus ad extra, adhuc quoad effectus videtur difficile: quia Deus per ſe habebat notitiam perfectiſſimam omnium rerum, & per ſe poterat omnes ſuas operationes dirigere: ita quòd non indigebat nec ſimpliciter poterat vnã rem cognoſcere vel dirigere ad inſtar ſeu ad imitationem alterius. Sed exemplar eſt illud, ad cuius inſtar ſeu ad cuius imitationem cogitatur & dirigitu[r] ab artifice opus faciendum: ergo prædeſtinatio Chriſti, ſiuè Chriſtus præd[e]ſtinatus, non debet dici exemplar pr[æ]deſtinationis noſtræ, ſiue aliorum p[ræ]deſtinatorum. Et quidem hac vniſali ratione, non niſi ipſamet eſſent diuina dicebatur creaturarum Idæ

Digitized by Google

V. Quo ſæmet res vt obie-
...nimus ipſi antur Ideæ, ita vt
gnitæ dicere idæa reſpectu ſui
que res eſſet reſpecta alterius
nulla au tem
ez. hic in explica-
z. vaſqu ita rem declarat:
ter hoc Va tertij erit exemplar ipſi
articuli ter ſu alios prædeſtinaue-
od Chriſtus ar pr opoſuerit homi-
cuius inſtar Deus ad imitandum, ad
d quod Deus plar re debeant ſuam
hoc exemplar forma illud 2. Petri 2.
inſtar con iuxta nobis, vobis relin-
& mores: pro quamini veſtigia
ius paſſus eſt vt ſeq interpretatur illud
exemplum. in imagini Filij ſui,
Et ſic etiam fieri
conformes & ærumnis. Hoc ta-
in laboribus ſufficit: per hoc enim
planè non eſſe exemplar imita-
tur Chriſtus autem prædeſtina-
us noſtræ, non nos prædeſtinat.
is diuinæ qua dicitur in ordine ad
emplar nanque facturus eſt opus: ſed nul-
ſicem qui prædeſtinat imitãdo Chri-
ſe ipſum prædeſtinat qui prædeſtinauit:
m, ſed Deus eſt qui exemplar præ-
go vt Chriſtus dicatur exemplar præ-
eſtinationis noſtræ, id eſt qua nos præ-
eſtinamur à Deo, non qua nosmet ip-
os prædeſtinemus, non ſufficit dicere,
Chriſtum eſſe exemplar propoſitum
nobis ad imitandum; ſed explicare
oportet, aliquo modo fuiſſe exemplar
propoſitum Deo prædeſtinanti, ad cuius
ſimilitudinem alios prædeſtinaret. Ac-
cedit etiam, quòd Chriſtus intelligi de-
bet exemplar prædeſtinationis reſpe-
ctu omnium hominum: & inter homi-
nes prædeſtinatos inueniuntur paruuli
decedentes in ſtatu gratiæ, quibus pro-
inde non fuit propoſitus Chriſtus tan-
quam exemplar ad imitandum: niſi di-
catur ſub conditione ſi vixiſſent: quod
tamen non refert ad prædeſtinationem
abſolutam & præſentem qua de facto
electi fuere. Sed etiam inter ipſos adul-
tos, neceſſe non eſt ad ſalutem, operari
formaliter & expreſsè ex hoc motiuo
imitationis Chriſti: & apud antiquos
ſufficiebat fides cuiuſdam Mediatoris
cum obſeruatione præceptorum, etiam
ſi de reliquo neſcirent qualis futurus
eſſet, & quæ opera imitabilia facturus
eſſet hic Mediator.

Sic ergo debet hæc res explicari: quod licet Deus ex parte ſua non indigeret vllo medio vel exemplari creato ad cuius imitationem dirigere debeat opera ſua; tamen poteſt ex parte ipſorum operum per ſe intendere & approbare, vt cuidam operi aſſimilentur alia. Poteratque in ſua æterna prouidentia conſtituere ac prælinire certum quoddam & inſigne opus in aliquo genere, cui conſequenter decerneret efformare alia illi ſimilia & conformia, per ſe intendens hanc ſimilitudinem in illo genere. Hoc inquam de facto obſeruauit Deus in ordine prædeſtinationis: nam primo loco prædeſtinauit & conſtituit Chriſtum, deinde prædeſtinauit alios, per ſe attẽdens & intendens vt eſſent illi ſimiles & conformes. Hoc ſanè modo rem intelligunt Theologi. Et hoc eſt de mente Apoſtoli cùm dixit, *Quos prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui*: non ſolùm ſcilicet vt ipſi homines intendere deberent conformari Chriſto in tolerãdis laboribus & ærumnis; ſed quia ipſe Deus intendebat reddere homines conformes Chriſto in gratia & gloria. Et ita volebat, vt Chriſtus eſſet primogenitus in multis fratribus, vt ſcilicet illi aſſimilarentur alij. Hoc etiam planè intellexit iterum Apoſtolus, quando dixit, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*: vbi ſanè ſenſus eſt de conformitate in gloria, non in ærumnis; & de conformitate quam Deus ipſe ſolus facturus eſt conferendo gloriam, non de conformitate quam ipſi facturi ſimus imitando opera: ſupponendo tamen noſtra merita in tolerandis ærumnis, & in imitandis operibus Chriſti. Hoc ipſo quoque modo iam 1. par. in eodem tractatu de Diuinis idæis quæſt. 15. ſect. 3. notauimus benè potuiſſe vnam rem in mẽte diuina eſſe exemplar reſpectu alterius, & ſic Chriſtum eſſe exemplar aliorum prædeſtinatorum. Vndè ſatisfactum remanet ad difficultatem antea præmiſſam.

Fuit etiam quodammodo exemplar Deo in prædeſtinando.

Duplex autem eſt ſimilitudo & conformitas aliorum prædeſtinatorum ad Chriſtum: vna quæ dici poteſt analogica, & altera vniuoca. Vna eſt: quòd

Prædeſtinatio Xp̃i ad gloriam & ad ſ.

…ationem Dei fuit exemplar.

ſicut Chriſtus eſt Filius Dei naturalis, ita alij ſunt Dei filij adoptiui: quæ quidem filiatio adoptiua eſt longe diuerſa & inferior à filiatione naturali, attamen eſt quædam ſimilitudo, & veluti participatio illius. Altera eſt: quod ſicut Chriſtus habuit dona gratiæ & gloriæ, ita & alij habent: Chriſtus tamen habuit in maxima quadam plenitudine, nos autem in inferiori gradu: ſed eſſentialiter & ſpecificè eiuſdem rationis eſt gratia noſtra cum gratia Chriſti, loquendo ſcilicet de gratia ſanctificante & alijs habitibus & auxilijs illi annexis; ac ſimiliter gloria & beatitudo noſtra cum gloria & beatitudine Chriſti, loquendo tàm de beatitudine animæ conſiſtente in viſione & fruitione Dei, quàm de gloria corporis conſiſtente in certis dotibus glorioſis. Vnde, cùm duplex ſit prædeſtinatio Chriſti iam aſſignata; nempe vna ad dona gratiæ & gloriæ, & altera quoad filiationem Dei naturalem eo modo quo explicauimus; vtraque intelligitur eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis, iuxta duplicem ſimilitudinem nunc dictam.

Quoad modum etiã gratuitum fuit exemplar.

Penès aliam etiam conſiderationem explicat S. Thomas; prædeſtinationem Chriſti eſſe exemplar noſtræ quantum ad modum: quia ſicut natura humana in Chriſto nullis ſuis præcedentibus meritis fuit vnita Filio Dei, & electa à Deo ad hanc vnionem; ita alij homines abſque vllis ſuis præcedentibus meritis per meram Dei gratiam prædeſtinati ſunt. In hoc ſpecialiter ſenſu expreſſit D. Auguſt., Chriſtum eſſe lumen & exemplum noſtræ prædeſtinationis: *Sicut prædeſtinatus eſt ille vnus vt caput noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus vt membra eius eſſemus: Humana hic merita conticeſcant, & regnet Dei gratia.*

Fuit reſpectu omniũ hominum, non Angelorum.

Debet tandem hic ordo exemplaris extendi ad omnes prorſus homines prædeſtinatos; ſupponendo nullum fuiſſe prædeſtinatum niſi poſt Chriſtum, & poſt præuiſum originale peccatum, vt ſtatuimus 1. par. q. 23. ſect. 17. & 24. & ſupra q. 19. Et quamuis data fuerit gratia primis parentibus ante peccatũ, tamen etiam illi non fuerunt prædeſtinati niſi poſt præuiſum peccatum, & poſt prædeſtinatum Chriſtum. Quare ad ſummum reſpectu illius primæ gratiæ non ſe habuit Chriſtus vt exemplar, nempe ſupponendo quoque non fuiſſe prædeſtinatum Chriſtum niſi poſt præuiſum lapſum Adami. Quare illa gratia priùs data Adamo, non fuit effectus prædeſtinationis eius, quatenus ſuquam primò collata: ſed bene potuit poſtea quatenus per pœnitentiam reparata, cadere ſub prædeſtinationis ordinem; & ſic etiam ſub dictum ordinem exemplaris. Non debet verò hic ordo extendi etiam ad prædeſtinationem Angelorum, ad gratiam & gloriam datam Angelis: quia Angeli fuerant potiùs antecedenter prædeſtinati, vt nunc etiam ex ijſdem locis ſupponimus.

Prædeſtinatio Chriſti ad filiationem Dei, fuit cauſa quoque prædeſtinationis noſtræ, mediante merito.

Docet denique S. Thomas art. 4., prædeſtinationem Chriſti eſſe quoque cauſam prædeſtinationis noſtræ, non quoad diuinum actum, qui nimirum vnus ſimpliciſſimus eſt, quo Deus prædeſtinauit Chriſtum & alios: ſed quoad effectus ad extra. Intelligit autem in genere cauſalitatis moralis & meritoriæ: quia nempe tota noſtra ſalus perficitur ex meritis Chriſti. Intelligi autem debet, quòd non ſolum Deus in tempore & in exequutione conferat dona ſuæ gratiæ ex meritis Chriſti præuiſis, ſed etiã conſequenter ad ipſa merita, præordinarit ac decreuit dare nobis dona ſuæ gratiæ, & elegit ac prædeſtinauit quos voluit. Atque ita hoc pacto Chriſtus per ſua merita eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Neque in hoc aliquid noui occurrit, præter dicta in hac materia de merito Chriſti, & … parte de prædeſtinatione. Quia autem duplex erat prædeſtinatio Chriſti, ſcilicet quoad dona gratiæ & gloriæ, & … ad ſubſtantiam incarnationis: … ſed hæc Chriſti prædeſtinatio … intelligitur cauſa noſtræ prædeſtinationi … . Nam etiam ſi Chriſtus non habuiſſet … gloriam & gratiam ſanctificantem, … per ſolam hypoſtaticam vnione … opera eius fuiſſent eiuſdem valoris … meriti, ac Deus eorum intuitu co… tuliſſet ac decreuiſſet nobis dona ſuæ gratiæ. Itaque de facto hæc non dependet ex illa gratia & gloria Chriſti, … ſed propriè ex hypoſtatica vnione. Et … mum ex illis auxilijs ſupernaturalibus …

Digitized by Google

vi eiuſ... ivnionis dabantur: ... a opera meritoria: ... id exe... auxiliorum præpa- ... rum etiam ... ratio in Chriſto participat hunc ordinem cauſalitatis reſpectu prædeſtinationis noſtræ.

QVÆSTIO VIGESIMAQVINTA.

De Adoratione Chriſti.

PRÆFATVR S. Thomas in hac quæſtione, tractandum modò eſſe de ijs quæ pertinent ad Chriſtum in comparatione ad nos, poſtquam ſcilicet de ijs quæ ſpectabant ad Chriſtum in comparatione ad Patrem. Et ita proponit de adoratione Chriſti, id eſt qua nos adoramus Chriſtum, articulos. Primo docet, adorationem quæ exhibetur Chriſto, diſtinguit ex parte eius qui adoratur, quia vna eſt perſona Chriſti: eſſe vnam ex parte cauſæ ſiue excellentiæ ob quam adoratur, ita videlicet multiplicem ex parte excellentiæ: poſſe aliquo honore adoretur propter excellentiam increatam diuinitatis, & alio vt alio honore creatam humanitatis. Secundò docet, adorationem quæ defertur humanitati Chriſti tanquam rei adoratæ, eſſe eandem ad orationem latriæ quæ defertur Deo, quoniam idem eſt adorare Verbum incarnatum & humanatum: adorare carnem & humanitatem Chriſti, quod defertur Chriſto ratione humanitatis quatenus perfectæ gratiarum, eſſe adorationem duliæ. Tertiò docet, adorari etiam imaginem Chriſti, non quidem vtres quædam in ſe eſt, ſed vt imago Chriſti: & ideo adorari eadem adoratione latriæ qua adoratur Chriſtus. Quartò, liter eadem adoratione honorari debere crucem Chriſti, tum vt coniunctam Chriſto, cuius corpus ſuſtinuit, & ſanguine perfuſa fuit, tum vt imaginem. Quintò docet, Matrem Chriſti non debere adorari eadem adoratione latriæ, quia hæc nulli perſonæ creatæ poteſt exhiberi: ſed in genere duliæ adorari debere eminentiori quodam gradu, tanquam matrem Dei, quæ propterea adoratio dicitur hyperdulia. Sextò tandem docet, adorandas quoque eſſe Sanctorum reliquias: quia venerari debemus ipſos Sanctos, & ideo etiam eorum reliquias, ac præcipue corpora, quæ fuerunt habitaculum Spiritus ſancti, & per glorioſam reſurrectionem erunt configuranda corpori Chriſti.

Cæterum hac occaſione ſolent Recentiores hoc loco integrum & prolixum tractatum de adoratione intexere, etiam inquam de adoratione Sanctorum, & de adoratione imaginum ac reliquiarum. Sed certè hæc tam generalis tractatio ſpectabat ad ſecundam ſecundæ ſub virtute religionis & obſeruantiæ: vbi S. Thomas ita præſtitit, quæſt. 84. de adoratione & latria erga Deum, & quæſt. 103. de dulia erga alios. Hoc ergo loco ſatis erit addere ea quæ propria Chriſto ſunt, ſupponendo, adorationem in cõmuni eſſe reuerentiam & ſubmiſſionem quæ alicui exhibetur ob eius excellentiam. Et hinc in ſpeciali eſſe duplex adorationis genus: ſcilicet latriam quæ exhibetur ob infinitam & ſupremam excellentiam: atque duliam quæ exhibetur ob aliquam finitam & non ſupremam excellentiam. Intra quod genus conſideratur adhuc quidam ſublimis & ſingularis gradus excellentiæ, ob quem pariter aſſignatur quidam ſingularis modus duliæ, & vocatur hyperdulia.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus vt homo vt adorandus eadem adoratione latriæ qua adoratur vt Deus.

NON dubitatur, Chriſtum hominem, ſiue hunc hominem Chriſtum, dici debere adorari adoratione latriæ, qua adoratur Verbum diuinum, ſic loquendo per communicationem idiomatum. Nam hoc modo explicatũ iam eſt, de hoc homine verè dici eadem prædicata quæ dicuntur de ipſo Verbo: & ſicut verè dicimus, hic homo eſt Deus, eſt Filius Dei; ita vtique dici etiã debet, adoratur adoratione latriæ. Nec dubitatur, humanitatem formaliter, omnemquè humanam perfectionem, non eſſe ipſam rationem ſiue excellentiam, ob quam Chriſtus adoretur latria: hæc enim adoratio formaliter exhibetur ob ſolam excellentiam infinitam diuinam. Sed dubitatur & quæritur, num eadem adoratio latriæ quæ exhibetur Chriſto ratione naturæ & perſonæ diuinæ, contingat etiam humanitatem vnitam Verbo, tanquam rem adoratam ſiue coadoratam ſimul cum Verbo.

Sententia negans. Negare videntur Alenſis 3. par. q. 30. memb. 2. & 4. par. q. 2. memb. 3., Gabr. in 3. d. 9. q. 1. art. 2. & lect. 50. in Canõ. Miſſæ, Palud. item in 3. d. 9. q. 1. art. 3., Corduba lib. 1. q 1. dubit. 3., & quidam alij. Qui dicunt, perfectam adorationem latriæ terminari ſolùm ad diuinitatem Chriſti: reſpectu autem humanitatis aſſignant inferiorem adorationem, quam vocant hyperduliam, vel latriam quandam minùs perfectam, & latiori modo dictam. Et pro hac parte inter recentiores Hæreticos ſcripſit Lambertus quidam Danæus Caluiniſta in lib. de Adorat. Chriſti. Fauet Damaſcen. Orat. 1. de Imaginib., dicens: *Non materiam, ſed materiæ auctorem adoro*: quod magis explicat, *Materiam per quam mihi ſalus parta eſt, colere non deſinam, non tamen vt Deum, Abſit*: vbi materiam vocat carnem ſeu humanitatem Chriſti: aitquè non adorari eodem cultu quo adoratur Deus, ſed alio differenti.

Concluſio affirmans. Communis tamen & vera Theologorum ſententia eſt, Chriſtum vt hominem, ſiue humanitatem Chriſti verè ſimul adorari eadem adoratione latriæ, qua adoratur Verbum diuinum in Chriſto. Ita planè docet S. Thomas hîc art. 1. & 2. & Recentiores omnes hoc loco, Magiſter etiam in 3. diſt. 9., ibiquè Bonauent., Scotus, Albertus, Riccard., Durand., Capreol. alijquè Scholaſtici, Henricus Quodl. 10. q. 6., Vualdenſ. tomo 3. cap 111. Et cenſetur res certa: adeo quòd Vaſquez diſp. 95. cap. 2. exiſtimet eſſe ab Eccleſia definitam & à Patribus traditam.

Probatur ergo primò auctoritate, ex Sacra Scriptura, dum narrat Chriſtum hoc modo adoratum fuiſſe. *Probatur ex Scriptura.* Nempe à Magis Matth. 2., *Et procedentes adorauerunt eum, & obtulerunt ei munera*: à Thoma Ioann. 20., qui dixit *Dominus meus & Deus meus*: & ſimiliter ab alijs. Item dum docet, Chriſtũ eſſe hoc modo adorandũ, ad Philippenſ. 2., *Vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, caleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Dum teſtatur, hoc modo propoſitum fuiſſe Angelis adorandum, ad Hebr. 1., *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit adorent eum omnes Angeli eius.* Dum in viſione & reuelatione teſtatur ſic adorari à Sanctis, Apocal. 5. *Quatuor animalia & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno*: & in fine, *Adorauerunt viuentem in ſecula ſeculorum.* In his inquã locis intelligitur vera & perfecta adoratio latriæ, ſoli Deo debita: & intelligitur exhibita Chriſto etiam vt homini prout apparebat in carne.

Secundò probatur ex Patribus, qui ſatis clarè dixerunt, humanitatem & carnem Chriſti adorari à nobis vno eodemquè cultu latriæ quo ſimpliciter adoramus Chriſtum & Verbum incarnatum. Ita perſpicuè docuerunt, Athanaſ. lib. de Incarnat. Verbi & Orat. cont. Arianos, Cyrill. in Scholijs de Incarn. cap. 49. & lib. 1. de Fide ad Reginas, Chryſoſt. homil. 3. & 5. in Epi ad Hebr., Leo Papa ſermone 1. d Aſcenſ., Ambroſ. lib. 2. de Spiritu ſan cap. 12. & lib. 3. cap. 19. & lib. de carn. dominicæ ſacram. cap. 7., Aug ſerm. 58. de Verb. Domini & in Ena ſuper Pſal. 98., Caſſiodor. in eunde

Pr

…Epiphanius in Anchorato
a, Epiphanias Cretenſis ſuper
…edium, Elias, & apertè Dama-
…Nazianzeni de Fide cap.8. & lib.4
ipſe lib.3 de Orat. 1. pro Imagi.
& eadem illa verbis allegatis, ſo-
…quare in illas adorationis non
…luit, rationem, ſed eſſe Deita-
…ſam humanitatem non adorari la-
& humanitatem ſit Deus, ſiquidem
quaſi ipſa per ſe; ſed tamen ado-
…eſt natura creata coniunctam Deo, & ſic
tanquam coniuncta latriæ.
…ri eodem cultu ex Concilijs. Concil.
…obatur tertiò ad Neſtor., & Con-
…and. in Epiſt. approbans eandem Epi-
…Epheſinum decima apud Cyrillum;
…um, quæ eſt adoratione adorari Chri-
…niuit, vna diuinitate & humanita-
…n ſimul cum *Chriſtus Ieſus, filius*
Vnus intelligetur adoratione cum carne
genitus, qui vna Vbi licet præcipuè
pria adoratur. Neſtorium, qui diui-
…innare voluerit in Chriſto, & ſic
…bat duas perſonas ſeparabat: tamen
…iam adorationem ſicut eſt vna perſona
…uera docuit, quoque eſſe adoratio-
…hriſti, ita vnam totum ipſum Chri-
…em, attingentem humanitatem ſimul cũ
…um, ſecundùm expreſſit Concil. Con-
…iuinitate. Item collat. 8. cap.9. Ac de-
…tantinopolitan. Trident. ſeſſ. 13. cap.5. &
…num Concil. Euchariſtiæ ſacramen-
…can.6. declarat, adorari debere ob præ-
…tum vera latria ita ſupponens, hu-
ſentiam diuinitatis: prout in ſe exiſten-
manitatem Chriſti coli debere ratio-
tem, tali adoratione eſt coniuncta.
ne diuinitatis cui

Probatur quartò ratione, & explica-
tur: quia dum adoratur aliquis ob ex-
cellentiam in illo inuentam, non ado-
ratur ſolùm illa pars vel quaſi pars eius,
in qua talis excellentia reperitur; ſed
ſimpliciter & indiuiſim adoratur ipſe
totus ſecundùm omnes eius partes, ita
quod adoratio per modum vnius actus
terminetur ad totum & omnes partes,
quamuis motiuum & cauſa talis adora-
tionis ſit excellentia reperta in vna
certa parte: quia nimirum aliæ quoque
partes concomitanter participant quo-
que talem excellentiam, ſi non per
identitatem ſaltem per coniũctionem,
ideſt ſunt partes illius qui ſimpliciter in
ſe habet illam excellentiam, & ita red-
duntur etiam dignæ vt vno eodemque
actu colantur & adorentur. Sic vtique
adoramus Sanctum ob excellentia ſanctitatis & gratiæ ob quã
in anima: ſed tamen eodem cultu ado-
ramus totum Sanctum ſecundùm ani-
mam & corpus. Et dum in humanis
adoramus Pontificem vel Regem ob ſuã
dignitatem, tamen adoramus indiuiſim
ipſum totum abſque diſcretione par-
tium. Imo vt aſſert Epiphanius, dum
adoramus Regem indutum & ſedentẽ,
ſimul eodem actu coadoramus purpu-
ram & thronum regium. Ita ergo, dum
adoramus Chriſtum debito illi cultu la-
triæ, quamuis excellentia ſumma & in-
finita ob quam talis cultus illi debetur,
ei inſit ſpecialiter ratione perſonæ ac
naturæ diuinæ: tamen quia idem Chri-
ſtus ſimul eſt homo, & diuinitati con-
iuncta eſt humanitas; ideo ſimul & con-
iunctim idem adorationis actus termi-
natur quoque ad ipſam humanitatem,
ad ipſam carnem Chriſti, dignificatam
& ſublimatam per coniunctionem ad
Verbum. Coniunctionem inquam, non
accidentalem & localem, ſicut purpuræ
cum Rege, ſed ſubſtantialem & perſo-
nalem. Vnde magis aptum exemplum
eſt illud de coniunctione animæ & cor-
poris: *Nam ſicut anima rationalis & caro*
vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt
Chriſtus.

Quintò. Ad hoc magis explicandũ,
Durand. in 3. d. 9. q. 2. num. 7. dixit,
totum quidem Chriſtum adorari per ſe,
humanitatem vero per accidens, hoc
cultu latriæ. Idque approbat & de-
fendit Vaſquez diſp. 95. cap. 3. Repre-
hendit tamen & impugnat Suarez diſp.
53. ſect. 2. Sed poteſt quidem is loquẽ-
di modus aptum habere ſenſum: deno-
tando ſolùm, quòd non ipſa humanitas
cum ſuis perfectionibus, ſit ratio illa ex-
cellentiæ ob quam talis cultus Chriſto
defertur; ſed quòd ſolùm participat ta-
lem cultum ob excellentiam diuinitatis
cui coniungitur: quamuis in eſſendo,
nullatenus dici poſſit coniungi per ac-
cidens, ſed ſit maximè per ſe & ſubſtan-
tialiter coniuncta. Sicut & in re-
bus naturalibus, dicitur ſæpè pars mo-
ueri per accidens ad motum totius; ſiue

Diuerſo modo hæc adoratio attingit Chriſtum vt hominem ac vt Deum.

ad

Digitized by Google

ad motum alterius partis, quando motus ei conuenit ratione illius, & non æque primo omnibus ac ſingulis partibus: quamuis in eſſendo ipſa pars non ſe habeat per accidens, ſed per ſe & intrinſecè ad conſtitutionem totius. Attamen, quia modus ille loquendi poſſet aliquam ambiguitatem inducere, ac denotare, vnionem factam eſſe per accidens: ideo tutius & cautius erit ab illo abſtinere. Poteritque alijs conuenientioribus modis eadem res explicari, cum diſcrimine ſcilicet humanitatis a diuinitate: dicendo humanitatem adorari eodem cultu latriæ, ſecundario, ſiue per coniunctionem, per participationem: adorari conſequenter, ſiue ex conſequenti, vt loquutus eſt Bonau. ead. diſt. art. 1. q. 1. ad quintum: adorari concomitanter, ſiue per concomitantiam: vno demum verbo, coadorari, vt loquutus eſt Epiphanius, & eſt vſitatus in hac re loquendi modus: ſicut in phyſicis dicitur comproduci & concreari, illud quod non principaliter ſed concomitanter ſe habet in termino totali ad quem operatio tendit. Dum autem adoratur totus Chriſtus, aut etiā dum actus externus adorationis immediatè exercetur circa humanitatem & corpus Christi; non per hoc dici debebit adorari ſolùm per concomitantiam diuinitas, aut coadorari, nec Durand, dixiſſet adorari per accidens: quia nimirum ſemper adoratio primario tendit in illam partem quæ importat excellētiam inducētem & obligātem ad talem cultum. Vnde qui oſculabantur pedes Christi, & qui modò oſculantur pedes Pontificis, aut purpuram Regis, exercēt quidem huiuſmodi actum immediatè circa talem partē; ſed nō per hoc dicētur principaliter adorare pedes aut purpuram, & per concomitantiam coadorare perſonam; ſed adhuc dicētur principaliter adorare perſonam, & per concomitantiam coadorare pedes & purpuram: quia nimirum ille ipſe actus reuerentiæ & ſummiſſionis, licèt exerceatur circa pedes & purpuram, tamen exhibetur intuitu excellentiæ exiſtentis in perſona, & eſt principaliter ſubmiſſio ac reuerentia reſpectu perſonæ.

Sextò vlterius. Diſcrimen quoque eſt in modo quo adoratur humanitas in Christo, & quo adoratur imago Dei. Nam imago etiam Dei adoratur cultu latriæ, vt nunc ſupponimus, ſed diſcrimen eſt, quod adoratio imaginis dicitur reſpectiua, adoratio autem humanitatis Christi dici debet ſimpliciter abſoluta, ſicut dicitur adoratio Dei in ſe. Et differentia conſiſtit in hoc; quod imago adoratur ob excellentiam, non exiſtentem in ſe, ſed in prototypo, cuius tamen ipſa non eſt pars, nec illi ſubſtantialiter vnita, nec faciens vnum cum illo, ſed ſolùm extrinſece & repræſentatiue ad illud ſe habens. At humanitas Christi adoratur ob excellentiam intrinſecam Christi, cuius ipſa eſt pars, ſeu cuius eſt ſubſtantialis natura: adoratur ob excellentiam infinitam Verbi diuini, cui eſt ſubſtantialiter vnita, cum quo facit vnum per ſe, & ſic intrinſecè ac entitatiuè cum illo ſe habens. Et hæc diuerſitas ſemper inuenitur inter puram imaginem aliudue ſimile, & partem coniunctam conſtitutiuam illius qui per ſe adoratur. Ideo imago dicitur adorari adoratione reſpectiua, pars verò dicitur adorari ſiue coadorari eadem ipſa adoratione abſoluta qua adoratur totum. Sic humanitas Christi dici debet coadorari eadē: ipſa latria abſoluta qua adoratur Verbum diuinum. Et quæcunque alia differentia ſit in adoratione imaginis & adoratione prototypi in ſe, pariter dicetur eſſe in adoratione humanitatis Christi & imaginis Dei.

Diuerſo modo adoratur humanitas Christi & imago Dei

Septimò. Differt etiam aliquo pacto adoratio exhibita Verbo diuino in ſe ſpectato præciſa humanitate, ſicut alijs duabus perſonis diuinis, & ſicut illi deferebatur ante incarnationem, ac nunc etiam exhiberi poteſt per præciſionem intellectus; atque adoratio exhibita Christo Deo ſimul & homini, ſiue exhibita Verbo incarnato, Verbo humanato. Differt inquam ex parte termin[i] materialis cui defertur adoratio, no[n] autē ex parte motiui formalis ob quo[d] defertur. Etenim eadem quidem [e]xcellentia ſumma & infinita Verbi [di]uini in ſe, & Christi Dei & hominis, n[on] alia tali, excellentia illi per humani[ta]tem

reſcit. Attamen, ſecluſa hu-
ti adoratio defertur ſoli perſo-
næ: ſed addita humanitate, de-
inde per concomitantiam &
ationem ipſi humanitati. Et qui
Chriſtum, concipit Deum ſimul
inem, eique ſic concepto ſe
cit, & intendit ſe ſummittere,
lem tamen illam excellentiam.
at in Verbo diuino per ſe ſpecta-
communicatam modo & conid-
et incarnationem & hypoſtaticã
in humanitati. Vnde modo ſi-
um Verbo coadoratur quoque
itas; ſed ante incarnationem
atur Verbum ſimpliciter abſque
nſortio & coadoratione.
tauo. Diſcrimen quoque eſt inter
ationem & alios quoſdam actus
xercentur ergà Chriſtum vt Deũ,
icet actum dilectionis, orationis,
niles. Non enim eadem dilectio &
o quæ defertur Chriſto vt Deo, ſi-
defertur eius humanitati; nec ea-
dilectione & oratione ſimul coa-
ur & coarogatur humanitas. Ratio
riminis eſt. Tum quia adoratio per-
ur & conſummatur actu externo
nis & ſummiſſionis, qui proinde
rentiæ & ſummiſſionis conjunctim toti tribui-
us ſimul & coniunctim toti tribui-
, & ideo etiam in mente intendimus
i tribuere: at dilectio & oratio actu
erno perficitur, & ita optime alius
tus eſt quo diligimus & rogamus Chri
m vt Deum, & quo vt hominem.
um etiam: quia actus dilectionis ſu-
r omnia, fertur ſolum in illud obie-
um in quo eſt formaliter ſumma &
finita bonitas: & ſimilis actus oratio-
is dirigitur ſolum ad illum in quo eſt
ormaliter ſumma poteſtas: ſed non eſt
a humanitate Chriſti formaliter ſum-
ma bonitas & ſumma poteſtas. At actus
adorationis non ſolum fertur in illam
partem in qua eſt excellentia, ſed etiam
in omnem aliam illi coniunctam; & ita
eadem adoratio latriæ quæ defertur
Chriſto vt Deo, concomitanter defer-
tur etiam humanitati quæ diuinitati v-
nita eſt. Tum ſic: excellentia inuenta
in aliquo, reddit dignas eodem cultu &
participes eiuſdem reuerentiæ & vene-
rationis, omnes eius partes: at non ſic
bonitas reddit dignas & participes eiuſ-
dem amoris, poteſtas eiuſdem oratio-
nis. Tum etiam patet hoc exemplo:
imago Dei adoratur latria ob excellen-
tiam ipſius Dei, & veſtis quæ tetigit
Chriſtum ſic etiam adoratur: at non
ita charitate diligitur ipſa imago aut
veſtis, nec oratio illi defertur. Et ſimi-
liter in humanis coadoratur purpura &
thronus Regis, ſed non ſic coamatur &
corrogatur. Vnde patet, plus extendi
adorationem & venerationem intuitu
excellentiæ, quàm dilectionem & ora-
tionem intuitu bonitatis & poteſtatis,
aliosue actus intuitu aliarum perfectio-
num. Non ergo mirum, ſi humanitas
Chriſti adoratur eodem cultu latriæ cũ
Verbo diuino, non autem diligitur eo-
dem amore, nec rogatur eadem ora-
tione.

Nono demum. Differre etiam ſacri- *Cum adorationem conueniat sacrificium*
ficium ab adoratione contendit Vaſqu.
diſp 96. cap. 8., dicens non offerri nec
poſſe offerri ſacrificium Chriſto vt ho-
mini, ſiue humanitati Chriſti ſimul cum
Deo, ſicut illi communicatur adoratio.
Quia inquit, ſacrificium eſt proteſtatio
diuinæ poteſtatis & dominij qua ipſum
colimus vt vitæ & mortis auctorem, &
ita non poteſt reſpicere niſi Deum vt
Deum. Et confirmat ex Auguſt. lib. 10.
de Ciuit. cap. 20., vbi de Chriſto ait:
Cum in forma Dei ſacrificium cum Patre
ſumat, tamen in forma ſerui ſacrificium
maluit eſſe quàm ſumere, ne vel hac occa-
ſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrifi-
candum eſſe creaturæ. Suarez autem
diſp. 53. ſect. 2., ſignificat, ſacrificium
offerri quoque Chriſto vt homini, licet
non ratione humanitatis, ſed diuinita-
tis, ſicut diximus de adoratione latriæ:
& ſic intelligit dictum Auguſtini. Et
quidem S. Thomas 2.2. q. 84. & 85. ac-
tus latriæ aſſignat adorationem & ſa-
crificium. Sed dicendum videtur, ſacri-
ficium quidem Euchariſtiæ non offerri
Chriſto vt homini, ſed ſolum Deo, po-
tuiſſe tamen inſtitui alium modum ſa-
crificij qui referretur ad Chriſtum etiã
vt hominem, ſicut adoratio. Hoc ſane
docere voluit Auguſtinus, qui planè in-
dicat, potuiſſe quidem fieri vt offerre-
tur aliquod ſacrificium Chriſto vt ho-
mini: tamen de facto nõ inueniri aliud
ſacrificium, niſi in quo Chriſtus ipſe; of-
fertur.

fertur, & quod non ipſi offertur. Ratio ergo peculiaris de ſacrificio Euchariſtiæ eſt: quia eſt tanquam renouatio, & repetitio ſacrificij cruenti oblati a Chriſto in cruce, & ſemper ipſe idem Chriſtus vt homo, eſt victima quæ offertur, & eſt Sacerdos qui offert, nam etiam nunc ipſe eſt principalis offerens per noſtrum miniſterium. At certe ſacrificium illud cruentum non fuit oblatum nec offerri poterat à Chriſto ſibimet vt homini: & ſic etiam ſacrificium incruẽtum quod ab ipſo immediatè quoque oblatum fuit in nocte cœnæ, & quod deinceps mediatè offertur per alios Sacerdotes miniſtros. Sicut pariter Chriſtus non adorabat ſeipſum vt hominem, humanitas Chriſti non adorabat ſe ipſam.

Si autem inſtitutum fuiſſet alius modus ſacrificij, ſicut olim, in quo non ipſe Chriſtus eſſet victima & ſacerdos, dici potuiſſet tale ſacrificium offerri Chriſto non ſolùm vt Deo, ſed etiam vt homini, ſicut abſolutè dicebamus de cultu latriæ. Quia ſimiliter diceretur, primariò quidem & principaliter non poſſe ſacrificium offerri niſi Deo vt Deo, tanquam ſupremo domino, vitæ & mortis auctori: ſed per concomitantiam potuiſſe quoque referri ad Chriſtum vt hominem, ratione intimæ & ſubſtantialis coniunctionis talis naturæ humanæ cum Deo, ita vt conſequenter facta eſſet particeps talis honoris & cultus. Et in hoc, ſub nomine latriæ, pari modo ſe haberet ſacrificium atque adoratio.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Chriſti humanitas poſſit adhuc adorari alio diſtincto & inferiori cultu ob propriam excellentiam.

HÆC omnia quæ dicta ſunt; non tollunt quominus conſiderari & reſpici poſſit in humanitate Chriſti, alia excellentia propria, diſtincta ab infinita & ſumma excellentia Verbi diuini. Vnde adhuc inquirendum eſt, num ob talem excellentiam adorari per ſe poſſit alio diſtincto & inferiori cultu: quo quidem non diceretur coadorari cum Verbo, non adoraretur ſolùm ſecundario & per concomitantiam, ſed principaliter & per ſe adoraretur, ſicut adorantur alij ob propriam excellentiam. Et vna quidem excellentia Chriſti eſt, eſſentialiter communis cum alijs Sanctis & Beatis, altiori tamen & ſingulari gradu exiſtens in Chriſto, nempe tanta gratia & gloria, quanta ei collata fuit; quæ ſanè potuiſſet eſſe in humanitate, etiam per ſe ſubſiſtente & ſeparata à Verbo. Alia excellentia eſt eiuſdem vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, quę vtique diſtincta eſt ab excellentia increata & æterna Verbi in ſe.

Sententia negans. Vaſquez diſp. 96. mordicùs contendit, nullam aliam adorationem poſſe deferri humanitati Chriſti ob vllam propriam excellentiam, pręter perfectam latriam iam dictam, illi communẽ cum Verbo. Et vult nec eſſe poſſibilẽ, nec decentem aliam inferiorem adorationem, ſiue ob excellentiam vnionis hypoſtaticę, ſiue gratię & glorię. Raguſa verò diſp 42. & Lugus diſp. 33. ſect. 3. volunt, eſſe quidẽ poſſibilem, ſed nõ eſſe decentem & licitam. Affert Vaſq. cap. 4. pro ſua ſententia Vualdenſ., Catherin., Claudium Sainctes, Clictoueũ, & Bonauent. Refert quoque in ſui fauorẽ Maiorem, Ricard. & Albertum. Et putat eſſe rem definitam apud Concilia & Patres.

At ſatis communis Theologorũ, quam & nos veram cenſemus, ſententia eſt, verè poſſe abſque indecentia adorari per ſe humanitatem Chriſti ob propriã excellentiam, tum vnionis hypoſtaticę, tum aliorum donorum ſupernaturaliũ quodam inferiori cultu diſtincto à per ſecta latria, primariò & principalite attingente ipſam humanitatem. Ita apertè docet S. Tho. art. 1. & 2., & d fendunt Caiet., Medina, Vuigers, alij Expoſitores hoc loco, Suarez diſp. ſect. 2. & 3., & ex parte Valent. q. puncto 1., dicens, realiter poſſe, & raliter ex natura rei licere, ſic ado humanitatem Chriſti, ſed ex conſu dine Eccleſię non licere. Kellis art. 2. dub. 4. licerè priuatim, no blicè, Item Scot., Durand., Gab

Iud

lmain., & alij in 3. d. 9, Hendl. lo. q. 7., Lyran. in Pſal. 98. verba *Adorate ſcabellum pedū* rduba lib. 1. q. 5. dub. 3., Picus lan. in Apolog. q. 3., Caniſius B. Virgine cap. 15., & alij. Nam ij qui nec ſimul cum Verbo trit reſpectu humanitatis perfeatriam, adhuc preter illam quam unt ſimul cum Verbo, diſtinguūt e aliam rurſus inferiorem. Hanc vocant hyperduliam. Sed Suarez concl. 2. ait, adorationem exhihumanitati ratione vnionis, poſſe i latiori modo latriam, & reuera eadem virtute religionis.

ib primò quidem facile patet, poſſip realiter eſſe talem adorationem humanitatem Chriſti. Nam vtique ideramus in illa ſublimem gratiam loriam, quę dona ex virtute ſua iunt veneratione & cultu dignum nin quo reperiuntur: ergo realiter ibile eſt, vt exerceatur talis actus ationis formaliter ob huiuſmodi ellentiam. Qui ſanè eſſet longè diſas & inferior ab illo actu quo adour Chriſtus, ſeu Verbum incarnatū, excellentiam increatam. Eſſetq; eſntialiter eiuſdem rationis cum adoraone quę defertur alijs Sanctis & Beas ex virtute dulię: ſed propter ſubliem gradum talis excellentię in huanitate Chriſti vocabitur hyperdulia.

Item conſideramus humanitatem nitam Verbo, per ſe ac directè reſpiciendo ipſam humanitatem cum vnione: & certè humanitas per hanc eximiā excellētiā reddita eſt cultu & veneratione digna: realiter ergo illi exhiberi poteſt veneratio & cultus. Et hęc planè erit diſtincta & inferior adoratio ab illa latria quę exhibetur Deo in ſe & cuilibet perſonę diuinę, ſicut & diuerſa excellentia eſt Dei in ſe ac humanitatis vnitę Deo. Nam excellentia Dei in ſe, eſt increata, eſt ęterna, eſt naturalis & eſſentialis Deo: at excellentia humanitatis per vnionem, eſt creata & facta à Deo, incępit in tempore, eſt gratuita, ſupernaturalis, & ſuperaddita humanitati. Et ſatis per ſe patet, quātę maioris excellentiæ ſit, eſſe Deum per eſſentiam, quàm vniri Deo in vnitatem hypoſtaſis per gratuitā vnionē. Et ita differt hęc adoratio exhibita humanitati ratione vnionis, ab illa latria prius dicta cōcomitāter rattingente humanitatē: quia in illa adorabatur per ſe & directè perſona diuina ob excellētiā ſuam increatam, & per concomitantiā coadorabatur humanitas illi ſubſtantialiter coniuncta: ſed in hac alia adoratione per ſe ac directè adoratur ipſa humanitas ob excellentiam quam in ſe habet per vnionem. Vnde dici debet adoratio abſoluta, & non reſpectiua, ſicut dicitur adoratio imaginis: ſiquidem hæc excellentia verè eſt in ipſa humanitate. Dicetur hyperdulia, aut inferior quædam latria, ad differentiam perfectæ latriæ.

Secundò deinde probatur, poſſe licitè & decenter exerceri talem adorationē erga humanitatem Chriſti. Quia cùm reuera ſit talis excellentia in humanitate Chriſti, & ex natura ſua afferat dignitatem cultus ac venerationis, non erit incongruum, recognoſcere talem dignitatem, & exequi ac exercere illū cultum qui ratione eius proportionatus ac debitus erit: non erit iniurioſum Chriſto, tali quoque titulo illum honorare: Non enim excluditur alius maior cultus antea dictus, ſed præter illū & ſimul cum illo additur. Et ſicut Deus voluit & fecit, vt in Chriſto præter ſublimitatem perſonæ diuinæ, eſſēt etiam alia ornamenta donorum ſupernaturalium, nec Chriſtus de ijs dedignatur, quinimò ob illa etiam gratias agebat Deo: ita non erit indecens, ſi nos quoque recognoſcentes excellentiam talium donorum, ob eam quoque veneremur Chriſtum. Non erit indecorum, nec Chriſto ingratum qui ſe ipſum filiū hominis appellare ſolebat, per ſe ac directè exhibere cultum & adorationem propriam & conuenientem humanitati eius: cùm alioqui per ſuperiorem cultū latriæ priùs aſſignatum, adoretur humanitas ſolùm comitanter & conſequēter, & ita dicebatur coadorari. *Eſt licitè & decens.*

Tertiò explicatur magis. Si quis modò ita loquendo Chriſtum adoret. Adoro te Chriſte Deus & homo ob increatā excellentiam diuinitatis tuæ, adoro te etiam ob ſublimem tuam gratiam & glo- *Proponitur in praxi.*

gloriam, & ſic ob alia tua eximia dona, nullam plane irreuerentiam aut indecentiam committit. Ac dum Chriſtus viuebat in terris, illi qui eum agnoſcebant vt Filium Dei, poterant adhuc dicere, ſe eum venerari non ſolùm vt Filium Dei, ſed etiam vt hominem adeo ſanctum, in ſuis operibus & virtutibus, quæ apparebant, adeo beneficum & potentem in faciendis miraculis, adeo veracem in doctrina, & alios huiuſmodi titulos. Et quia Chriſtus habebat vt homo titulos etiam ſuperioritatis, erat enim ſupremus Pontifex, erat Rex & Dominus, vt tractabimus quæſt. ſequenti, poterant vtique homines dicere, ſe illum venerari, eiquè ſe ſubditos profiteri, non ſolùm quia erat Filius Dei, ſed etiam quia erat Meſſias, Redemptor, Pontifex, Rex, & Dominus: poterant dicere ſe illi obedire his etiam titulis. Et modo nos tenemur profiteri, verè ſubdi Chriſto vt Pontifici manenti in æternum, vt Regi & Domino. Plane autem hic eſt modus quidam adorationis. Imò titulus ordinarius quo Apoſtoli ipſi appellabant Chriſtum, erat nomen Magiſtri: & hæc ipſa appellatio, erat quædam honoratio & adoratio: igitur non erat indecens, adorare Chriſtum ob excellentiam magiſterij. Et in adoratione atque oblatione Magorum, obſeruant Patres, thus quidem oblatum fuiſſe illi tanquam Filio Dei; myrrham verò vt homini, aurum vt Regi: non eſt ergo indecens adorare Chriſtum alijs titulis, infra ſupremum illum Filij Dei.

Confirmatur exemplis.

Quartò probatur etiam exemplis. Inter ipſos homines non eſt iniuria aut irreuerentia, ſi quis honoret alterum, non ſolùm ob maximum titulum quem habet, ſed ſimul etiam ob alios titulos inferiores, dum inquam non denegat illi maiorem cultum debitum. Si nempe quis dicat alteri, Adoro ſiue honoro te tanquam Principem, ac etiam tanquam Comitem: honoro te ob ſapientiam, ob nobilitatem tuam, ac etiam ob ſplendorem diuitiarum. Atque Rex ipſe Hiſpaniarum in ſuis edictis, vocat ſe non ſolùm Regem, ſed etiam Comitem: non ergo eſſet indecentia, ſi quis ei dicat, ſe illum recognoſcere & honorare, & tanquam Regem, & tanquam Comitem. Et ſimiliter ſi ciuis aliquis Romanus diceret Pontifici, ſe illi profiteri reuerentiam & obedientiam, tanquam Pontifici totius orbis, & tanquam Epiſcopo Vrbis, & tanquam Domino temporali eiuſdem Vrbis. Vnde patet, humana exempla ex quibus Aduerſarij ſumunt pro ſe argumentum, facere potiùs pro noſtra ſententia, ſi conueniens modus obſeruetur. Inſuper erga ipſum Deum S. Thom. art. 2. hoc affert exemplum: *Deo Patri debetur honor latriæ propter Deitatem, & honor duliæ propter dominium quo gubernat creaturam*. Vbi tamen non debet ſumi dulia per illa quæ aſſignatur erga Sanctos, ſed communi quadam ratione communi ad Deum & Sanctos, vt notauit Caietanus. Et in factis externis quibus Deum colimus, non ſolùm offerimus illi ſacrificiũ, quod quidem illi ſoli poteſt offerri, & eſt ſummum latriæ opus: ſed piè etiam ac laudabiliter deferimus alias oblationes, accendimus luminaria, incendimus thura, genuflectimus, & alia ſimilia facimus, quæ erga Sanctos etiam agere ſolemus.

Imo ſiſtendo in ipſo Chriſto, optimè poſſumus dirigere preces, & laudes, & gratiarum actiones, peculiariter ad humanitatem Chriſti, diuerſas & inferiores ab illis quas exhibemus Verbo vt Deus eſt: ergo ſimiliter poſſumus illi deferre ſuam peculiarem adorationem, idquè decenter & conuenienter abſq; nota irreuerentiæ. Concedit aſſumptũ Vaſq. cap. 6. Quamuis Suarez ſect. 3. in poſteriori editione, neget de precibus & oratione, concedens de alijs actibus cum adoratione. Sed immeritò id negat: quia ſine dubio, dum Chriſtus viuebat in terris, & dum modò regnat in cęlis, poterat & poteſt rogari ſecũdũm humanam naturam & voluntatem, vt nos adiuuet. Negat autem Vaſq. conſequentiam, & conatur afferre diſparitatem inter adorationem & alios dictos actus. Sed non poteſt ſatisfacere, qu ſemper vrgebitur paritas: quòd ſic conſideramus in humanitate Chri ſuam poteſtatem, dignitatem, & beficentiam, & decenter illum roga & laudamus ob has rationes: ita p conſideramus propriam excellent & ob eam poterimus decenter ad

ipſ

ımanitatem. Quinimò, oratio
ſ, & gratiarum actio, eſt verus
qui exhibetur, & erga Deum
ad virtutem Religionis, erga
ad virtutem duliç. Atque ita
manitatem Chriſti ſpectat quo-
virtutem duliç, ſub nomine ta-
rperduliç. Prorſus ergo idem
i poteſt & debet de cultu ado-

ſ còtandem ipſe Vaſqu. num. 34.
a tuit effugere quin fateretur, verè
,t adorationem Chriſto eiuſque
,itati, ob excellentiam quoque
ni donorum: ſed vult, vnum eſſe
& nis actum, qui ſimul exercea-
tio excellentiam increatam Verbi &
,ex humanitati: & ſic eſſe ſimul
in latriç & hyperduliç. Sed certè
a lacto, quantum attinet ad rem
,a haberur intentum, quòd nō-
lem, nitati Chriſti deferatur adora-
unanitam excellentiam. & quòd
o creatio vt ſic ſit inferior latria. &
adoratio ere duliç, atque adeo formali-
ıgenere à latria. At de reliquo pa-
buerſa, an ſit actus phyſice diſtin-
refert, non: ſicut in alijs moralibus
vel per ſe attenditur ſpecies & di-
bus, moralis, ſiue phyſice ſint diſtin-
ctio ſiue vnus. Preterea, phyſicè
actus rem conſiderando, negari non
im eſt, poſſe diſtinctè & ſucceſſiuè con-
rari illas Chriſti excellentias, & ſic
am diſcretè exhiberi diſtinctus ado-
ionis actus. Idquè ſatis manifeſtum
lectur in illo modo exercendi adora-
nem per verba quem ſupra deſcripſi-
us: nam ſicut illa loquutio ſit ſucceſ-
ıe per diſtinctas propoſitiones, ita
orreſpondent plures actus in mente.
e per alios etiam actus externos pote-
s quis v. g. facere vnam genuflexionē
b excellentiam diuinam Chriſti, & aliā
b excellentiam gratiç, & gloriç. Et ſi
on eſt indecentia aut irreuerentia, vno
doratıonis actu complecti vtranque
Chriſti excellentiam, nec etiam erit di-
ſtinctis actibus. Imò apud nos qui ha-
bemus tam limitatum modum operan-
di, difficilius erit plura vno actu com-
plecti, quam diſtinctis actibus. Et in
genere ipſo moris penès virtutes, diffi-
cilius videtur, vnum actum elici ſimul
ab vna virtute latriç & altera virtute
duliç; quàm elici duos diſtinctos actus.
Et quamuis dari poſſit caſus, quo vnus
actus eliciatur ſimul à duabus virtuti-
bus: tamen dici non debet, id eſſe ita
neceſſarium, vt non poſſint ſingulæ
virtutes diſtinctim ſuos elicere actus.
Iam vero hæc tota res ex argumento-
rum ſolutione magis inclareſcet.

Obijcit primò Vaſq. ſatis prolixè quę-
dam teſtimonia Concilior. & Patrum. Nam Concil. Alexandrinum & Epheſi-
num in Epiſt. 10. Cyrilli, & Concil. Con-
ſtantinopolitanum collat. 8., & idem
Cyrill. in lib. Apologetico defenſ. 8.,
Chryſoſt. ſerm. de Aſcenſ., Leo Papa
ſerm. 1. de Aſcenſ., Damaſc. lib. 4. Fidei
cap. 2., Athanaſ. cont. Arianos, Ambroſ.
lib. de Incarnat. dominicæ ſacram. cap.
7., Theodoret. ſuper cap. 1. ad Epheſ.,
Auguſt. ſuper Pſal. 98., dixerunt, Chri-
ſtum debere vna adoratione & non
duplici adorari. Et verba quidem illo-
rum Concilior. recitat S. Thomas art. 1.
in argum. *Sed contra*, & in fine corpo-
ris. *Explicāntur Concilia & Patres.*

Reſpondentur cum eodem S. Tho-
ma, ſenſum & intentum Concilior. &
Patrum fuiſſe, docere contra Neſtoriū,
vnam & non duplicem adorationem
deferri Chriſto ex parte perſonæ adora-
tæ, ideſt vnam ſolam perſonam adorari
ſub nomine Chriſti & Verbi incarnati:
non autem negare, poſſe & debere du-
plicem adorationem deferri ex parte
cauſæ, ideſt excellentię, ob quam adora-
mus. Et talis ſenſus non obſcurè colli-
gitur ex diſcurſu, verbis, & intentione,
eorundem Conciliorum & Patrum.
Neque oportebit, in hac expoſitione
confirmanda prolixiùs laborare: quan-
do Vaſquez ipſe num. 34. fatetur, Patres
& Concilia non negaſſe, adorationem
qua colimus Chriſtum habere diuerſam
rationem, ſcilicet latriæ & hyperduliç,
ob diſtinctas dignitates & excellentias.
Nam ſi hoc non negabant, vt ſanè ne-
gari non poterat, de reliquo nō eſt quid
curarent, an eſſet vnus phyſice vel di-
ſtincti adorationis actus; neq; id quic-
quam referebat ad diſputationem &
doctrinam contra Hæreticos.

Obijcit ſecundò. Si conſideretur &
adoretur humanitas ratione vnionis *Adoratio humanitatis*
hypo-

Digitized by Google

tis vnita, differt ab adoratione Verbi humanati.

hypoſtaticæ ad Verbum, hoc ipſo adoratur etiam Verbum: nam Deitas Verbi, & non modus vnionis, eſt forma qua ſanctificatur humanitas: adoratio autem neceſſario attingit illam excellentiam ob quam defertur. Attingit autem tanquam rem adoratam, quando eſt in ſe capax adorationis, ſicut vtique eſt Deitas, valde differens a gratia creata quæ non eſt capax per ſe adorari. Ergo dari non poteſt adoratio humanitatis ratione hypoſtaticæ vnionis, quæ non ſit adoratio Verbi: & ſic non poteſt diſtingui hæc alia adoratio.

Reſpondetur primò. Quicquid ſit de forma ſanctificante humanitatem, an ſit vnio vel Deitas: certe vnio ipſa eſt maxima quædam dignitas & excellentia humanitatis, ob quam poterit omnino humanitas adorari. Secundò, conſiderando etiam ipſam Deitatem vt formam ſanctificantem, & ſi ſic dicere placeat, tanquam formalem dignitatem & excellentiam humanitatis: certe adoratio attingit excellentiam tanquam rationem adorandi, non tanquam rem adoratam, vt patet in omni alia excellentia. Quòd verò Deitas ſit per ſe capax adorationis, ad differentiam omnis alterius excellentiæ, tantùm efficit, vt poſſit quidem alio actu ipſa quoque adorari, non autem vt adoretur illo ſolo actu qua reſpicitur tanquam excellentia illius ſubiecti ſeu obiecti cui intendit quis adorationem deferre. Tertiò, etiam ſi illo actu dicatur adorari ipſa quoque Deitas, certè adhuc longè differt, adorare Deum & perſonam diuinam eo quòd eſſentialiter eſt Deus per naturam, atque adorare humanitatem eo quòd eſt per gratiam vnionis ſubſtantialis vnita Deo: longè alia excellentia eſt, eſſe Deum per eſſentiam & naturam, atque vniri Deo per donũ gratuitum vnionis, quod non niſi in tempore cœpit, & poſtea poſſet per Dei potentiam abſolutam auferri. Quantumuis ergo Vaſquez contendat, adorationem humanitatis vt vnitæ Verbo attingere ipſum quoque Verbum, non tollit, quod hæc adoratio ſit diuerſa & inferior ab illa qua adoratur directè ipſum Verbum vt Deus eſt.

Obijcit deinde tertiò. Non poteſt apprehendi humanitas Chriſti abſque vnione ad Verbum, cum alijs tantum donis ſupernaturalibus: ergo nec poterit adorari ob excellentiam horum donorum abſque alia ſuperiori excellentia. Aſſumptum probat: quia illi quidem qui Chriſtum in carne videbant, & Deum eſſe credebant, nunquam vt purum hominem cogitabant, aut humanitatem à Verbo in ſua cogitatione ſeparabant. Alij vero qui ſolùm ex auditu fidem Chriſti concipiunt, nunquam eius recordantur, nin cogitando eius humanitatem vt talem vnitam Verbo: ſicut qui intuetur imaginem Philippi Regis, ſtatim in eo apprehendit regiam dignitatem, per quam etiam illum ab alijs hominibus diſtinguit.

Magis differt adoratio humanitatis ob alia dona.

Reſpondetur primo circa aſſumptũ, ad ſummum probari, vt plurimum & regulariter ſic apprehendi & cogitari, non autem ſimpliciter non poſſe præſcindi: quinimo ſolemus has præciſiones facere, & cum ijs cogitare & loqui de rebus alioqui coniunctiſſimis, imo de rationibus realiter indiſtinctis: & ſic diſtinctè cogitamus & loquimur de attributis ipſis diuinis. Secundò circa conſequentiam, neceſſe non eſt, vt qui recognoſcit, & cogitat omnem obiecti excellentiam, adoret ob ſuperiorem excellentiam, ſed poterit adhuc præſcindere & adorare ob inferiorem, ſicut poteſt ob illam laudare & glorificare. Et eo magis neceſſe non eſt, vt adoret ob ſolam ſuperiorem excellentiam, ſed poterit ſaltem concomitanter aut conſequenter adorare etiam ob aliam inferiorem. Nec etiam neceſſe eſt, vt vi ſingulari actu adoret ob vtranque excellentiam, ſed benè poterit diſtinguere & ordinare plures actus, vt ſupra tis oſtenſum eſt.

Obijcit quartò idem Vaſquez, & hoc illi ſe adiungit Lugus. Salter debito morali, decens non eſt hon aliquem alio quàm maximo honor ei conuenit, appellare alio quàm mo eius titulo: vnde offenderet qui eum aliter quàm cultu reg noraret, quamuis idem Rex eſſe Dux & Comes. Et ratio eſt, qui adorat alium, profitetur ſe mino inferiorem illo; & quo magis ſ

lum exaltat, eo magis teſtifica- diſtantiam ab illo; & ē contra ſe facere æqualem, aut minùs n ab illo: omnino ergo tenetur ere maximum honorem ei cō- em, & non minorem. Sed certè Chriſto cultum Latriæ ob di- n, & excellentiam diuinam: er- poſſumus decenter illi tribuere inferiorem cultum duliæ ob di- n & excellentiam aliorum do- Et alioqui poſſet dicere quis, cōſiderare humanitatem Chri- um ſecundum naturam, præſcin- à quibuſcunque donis ſuperna- s, & vt ſic eam contemnere, & contumelioſis inſectari: quod eſ- rilegum & blaſphemum.

ponderur. Indecens quidem & eſſe Superiori, deferre illi mi- cultum & honorem, denegando, trahendo, aut prætermittendo illi debitum: vt ſi quis nō tri- Regi titulum Maieſtatis, ſed aliū ſolitum dari Comiti: ſi quis nō flecteret & oſcularetur pedes Pon- ſed exhiberet ſolū reuerētiā ſolitā vel tēporali dnō. At nō eſſe in- & iniurioſū, ſi deferēdo maximū debitū, ꝓfitetur q. ſe honorare ob alias minores dignitates, ergo ſi quis denegaret Chriſto ſupre- cultū latriæ illi debitū ratione Dei- is, & hoc ſubtracto ac prætermiſſo de- tātū minorē cultū ob alias huma- atis dignitates, indecēter & iniurioſè ereret. At retento & delato illo ſu- mo cultu, indecens non eſt, honora- etiam Chriſtum eique ſe ſummittere alias dignitates humanitatis eius, aque, hoc non eſt facere ſe æqualem minus diſtantem ab illo; ſed potius ſe profiteri inferiorem illo pluribus varijs titulis, iuxta gradum & valorē ngulorum. Nec propterea licebit, hu- anitatem Chriſti conſideratam ſecun- m puram naturam contemnere & ontumelijs afficere: quia hoc eſſet fa- ul actum contrarium honori & cul- tu debito; quod prorſus eſſet ſacrilegū & blaſphemū. Rurſus inter homines ſer- uandum eſt, id quod iuxta humanam æſtimationem & conſuetam vrbanitatē exigitur; vnde in aliquo caſu decens & licitum eſt, id quod in alio caſu eſ- ſet in ciuile & iniurioſum. Erga Deū autem ſeruandum eſt, interiùs quidem id quod iuxta dictamen prudentiæ & religionis videtur æquum, exteriùs verò id quod ēt iuxta apparentiam conue- niens videatur. Vbi aduerti poteſt, quòd in humanis offenderetur Rex aut Pon- tifex, ſi quis illum alloqueretur alio quā Maieſtatis, aut Sanctitatis titulo, præſer- tim loquendo vulgari lingua, & maximè ſi illum alloqueretur ſub pronomine ſe- cundæ perſonæ; ſed tamen abſque vl- la irreuerentiæ nota Deum alloquimur ſub hoc pronomine. Item offenderetur Pontifex aut Epiſcopus, ſi quis eum ap- pellaret Domine Doctor, & Magiſter: ſed tamen Chriſtus hoc titulo Magiſtri à ſuis diſcipulis appellabatur. Ita ergo nulla indecentia aut irreuerentia erit, ſi ſaluo ſemper ſupremo cultu latriæ, ado- retur etiam Chriſti humanitas ob alia ſupernaturalia dona & dignitates.

Quid ſeruandum ſit in publica adoratione.

Obijcit quinto Valentia. Vſus & cō- ſuetudo Eccleſiæ eſt, vt nō adoretur aut appelletur Chriſtus, niſi ſub ſupremo ti- tulo & dignitate Filij Dei: ergo ſaltem ex hoc capite illicita eſt alia minor ado- ratio & appellatio. Vnde Valentia ait, ſpectare ad genus Sacrilegij ſub illa ſpe- cie quæ vocatur cultus ſuperfluus, vt ſi quis vellet ieiunare die dominica.

Reſpondetur. Verè quidem in exter- nis functionibus, precibus, & appellatio- nibus, ſeruandum eſſe vſum Eccleſiæ, & cauendum etiam eſſe ſcandalum. At hoc non obſtat, quominùs poſſit vnuſquiſq; apud ſe ex priuata deuotione, ad multi- plicandos varios actus, adorare, & ap- pellare Chriſtum alijs quoque titulis. Sicut Valentia fatetur, licere priuatim rogare Chriſtum, vt interpellet pro no- bis; licet in precibus publicis non dici- mus Chriſte ora pro nobis, ſed Chriſte miſerere nobis. Atque etiam apud po- pulum poſſet cum debita circūſpectio- ne & reuerentia id proferri, non quidem immutādo preces Eccleſię, aut alias nū- quam publicas proponendo. Sed ſi quis in exhortatione diceret, laudemus & Adoremus Chriſtum ob infinitam excel- lentiam Diuinitatis eius, & præterea ob ardentiſſimam charitatem qua anima eius diligebat Deum, qua dilexit nos, ob

ſublimem gratiam & gloriam quam habet, ob miracula quæ fecit, & ſimilia.

Ad quem virtutē ſpectet dicta adoratio humanitatis.

Obijcies eandem ſextò. Non poteſt aſſignari ad quam propriè virtutem ſpectet talis adoratio Chriſti, diuerſa & inferior à latria prius dicta: ergo non debet admitti. Non enim ſpectat ad virtutem latrię, quia eſt illa inferior: nec ad virtutem duliæ, quia hæc aſſignatur erga ſanctos qui ſunt filij adoptiui Dei: ergo ad nullā ſpectat. Rurſus ſicut dicebamus per latriam debitam Chriſto ratione Deitatis coadorari ſimul humanitatem, ita ſequeretur per hanc aliam inferiorem adorationem ſiue duliam coadorari Deitatem & perſonam Verbi, quod videtur abſurdum.

Reſpondetur. Hanc difficultatem pariter eſſe communē ad actus orationis, & laudis, & ſimiles, an videlicet ſpectent ad virtutem Religionis vel Obſeruantię. Dicendum ergo eſt, adorationē Chriſti ob alia dona infra vnionem hypoſtaticam, ſpectare ad virtutem duliæ, & eſſentialiter conuenire cum ſimili cultu adhibito ſanctis, vt iam ſupra nottauimus. Vnde virtus duliæ dici debet extendi etiam ad Chriſtum Filium Dei naturalem, conſideratum tamen ſecundùm dona ſanctitatis communia. Adoratio verò humanitatis Chriſti ratione hypoſtaticę vnionis, moraliter quidem videtur ſpecie differre; tum ab adoratione dulię quæ defertur Sanctis ob alia dona gratię, tùm ab adoratione latriæ, quę defertur Deo ob eſſentialem excellentiam Deitatis. Realiter autem dici poterit contineri, vel ſub eodem habitu dulię, qui dicatur exercere omnem actū infra perfectam latriam: vel dici poterit contineri ſub eodem habitu latriæ, qui dicatur ſe extēdere etiā ad excellentiam per vnionem ad Deum. Nec nouum eſt, vnum habitum, prę ſertim infuſum, cōplecti varios actus moraliter differentes: vt conſtat de habitu ipſo Religionis, & de habitu Charitatis, & alijs. Vel diſtingui poterit tertius habitus, veluti medius inter duliam & perfectam latriam, ſicut ipſe actus.

Num per eam dici debeat adorari Ver

Demum Suarez. ſect. 2. non dubitat concedere, per adorationem hyperduliæ delatam humanitati Chriſti, ſimul coadorari diuinam naturam, ſicut per adorationem latrię exhibitam Verbo dicebatur coadorari humanitas.

Aſſignari tamen in hoc poteſt diſcrimen: quod humanitas quidem maximè ſublimata fuit & excelſa facta per conſortium Deitatis, & ita facta fuit particeps tantæ dignitatis, vt merito ſimul cum Verbo coadorari dicatur, ſed è conuerſo, perſona & natura diuina non eſt ſublimata, non eſt facta excelſior, non eſt dignificata per conſortium & aſſumptionem humanæ naturæ: non ergo dicetur coadorari per adorationē humanitatis, ſicut dicebatur coadorari humanitas in adoratione Verbi. Verè tamen per communicationem idiomatum denominabitur quoque adorari Verbum, ſicut denominatur alijs operationibus factis circa humanitatem. Et abſolutè per omnem & quamcunque huiuſmodi adorationem dicetur adorari idem Chriſtus, vna perſona Chriſti, quia vnus & idem Chriſtus eſt Deus & homo, habet excellentiam diuinam & humanam. Et ſic ſemper vna eſt adoratio ex parte perſonæ, hoc eſt vnus eſt qui adoratur.

SECTIO TERTIA.

An & qualiter adorari etiam debeant Chriſti Reliquiæ, Imagines, Crux, aliaq; paſſionis inſtrumenta, & eius Mater.

HÆC omnia ſimul iungimus, vt breuiter attingamus, quia ſanè res eſt communis cum adoratione ſpectante ad Deum & Sanctos, de qua in ſuo loco, vt ab initio quæſtionis pręfati ſumus.

Reliquias Chriſti, de quibus tamen non eſt hic diſtinctè loquutus S. Thomas, niſi communiter de Sanctorum Reliquijs art. 6., vocamus, particulas quæ excisæ fuerunt è corpore Chriſti, vt pręputiū in circuncisione, & ſanguis qui e fuſus eſt in paſſione. Et de præpu quidem, pia traditio eſt, remanſiſſe de ceps in terris, vt meminit Innocēt. tius lib. 4. de Myſterio Miſſæ. Et a uabatur Romæ apud Lateranenſem filicam: nunc autem apud Pagum q dam propinquum Romæ, nomine tam, in Eccleſia Sanctorum Corne

Cyj

Cypriani; cuius tranſlationis & inuentionis hiſtoriam, miraculis etiã illuſtratam, commemorat Toletus in cap. 2. Lucæ annotat. 31. De ſanguine etiam nõ eſt incredibile, aliquam modicam partem remanſiſſe in terris, vt refertur ex Pio ſecundo in quadam extrauaganti edita anno 1461. Quamuis D. Thomas 3. par. q. 54. art. 2. ad 3. dixerit, totum ſanguinem qui de Chriſti corpore fluxit, & omnes particulas ad veritatem & integritatem humani corporis pertinentes, pariter reſurrexiſſe in glorioſo corpore Chriſti; ſanguinem verò illum qui in quibuſdam Eccleſijs pro reliquijs cõſeruatur, non fluxiſſe de corpore Chriſti, ſed miraculosè de quadam Imagine Chriſti percuſſa. Itẽ reliquias Chriſti vocamus, veſtes eius & Sudariũ & Syndonẽ, & quæcũq; alia ab eo cõtacta fuere. Videri poteſt, has reliquias non eſſe adorandas, dum ſunt ſeparatæ à Chriſto. Sicut dixit Auguſtinus ſerm. 58. de verbis Domini: *Ego dominicam carnem propterea adoro, quod à diuinitate ſuſcepta, atque Deitati vnita eſt: ſed ſi hominem ſeparaueris à Deo, illi ego nunquam credo, nec ſeruio: velut ſi quis veſtem, aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid conabitur ea adorare? cum verò eam Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrerit, ſi ea quis ſimul cum Rege adorare contempſerit.* Atque inter errores Vuicleffi cenſetur ex Vualdenſi tom. 1. Doctrinalis fidei art. 3. cap. 99. quod dixerit, humanitatem Chriſti ſi dimitteretur à Verbo, adhuc adorandam fore eadem adoratione latriæ: vnde maior error videbitur, adorare reliquias ſeparatas penitùs ab ipſo Chriſto, etiam ſcilicet ab eius humanitate.

Debet adorari cultu latriæ.

Sed tamẽ, ſicut certum in fide catholica eſt, Sanctorum reliquias eſſe verè adorandas, & piè ac meritò ex dulia adorari, vt nunc ex ſuo communi loco ſupponimus: ita ſpecialiter certũ eſt, has Chriſti reliquias debere adorari, & laudabiliter ac religiosè ſolere adorari, vt notiſſimum eſt, apud Catholicos. Neque ad hoc probandum vel defendendum oportet nunc immorari. Sed ad explicandum qualiter debeant adorari, diſtinguendum eſt: vel enim reliquia aliqua Chriſti, quamuis ex illo reciſa, remanet adhuc vnita V[...] vt quidem affirmat Valen[...] carn. puncto 2. ad 3. ſicut[...] vnitus ſanguis etiam in illo[...] tis Chriſti, & vt manſit [...] corpus ipſum Chriſti, ſicu[...] quamuis inter ſe ſeparata [...] rari ſiue coadorari debet [...] latriæ quò adoratur Verbu[...] per ſe quidem & principal[...] reſpectu ipſius Verbi, per c[...] tiam verò cuicunque natur[...] bo: Vel non remanſit vn[...] quidem veſtes & ſimilia ex [...] quam fuerant per ſe vnita, [...] per contactum fuerunt ali[...] iuncta corpori Chriſti: & de[...] ne etiam ac præputio, ſi non [...] ſumpta à Chriſto in ſua reſu[...] ſolent docere Theologi non [...] vnita hypoſtaticè Verbo & i[...] Vaſquez ſup. diſp. 36. cap. 8., Su[...] 2. huius tertiæ partis diſp. 47[...] Franciſcus Collius lib. 5. de S[...] ſti diſp. 5. cap. 6. Et ſic debe[...] adoratione reſpectiua, ſlz. r[...] cellentiæ ipſius Chriſti, cui ali[...] runt cõiunctæ, ſicut nempe in [...] dicitur de Sanctorum reliqu[...] hoc tamen diſcrimine, & cum [...] ciali præminentia reliquiarum [...] quòd Sanctorũ reliquiæ adoran[...] reſpectiua, Chriſti verò latria re[...] ſicut nempe ſancti in ſe adorant[...] abſoluta, Chriſtus verò latria ab[...]

Similiter imagines Chriſti ſine[...] ſunt eodem modo adorandæ, ne[...] tria reſpectiua propter Chriſtum[...] docet & explicat S. Thomas art[...] quidem imagines Chriſti poſſunt [...] ta proprietate formari, ſicut alioru[...] minum: Dei autẽ imagines non n[...] metaphoram & analogiam quand[...] formari poſſunt, cũ Deus in ſe ſit p[...] ma ſpiritualis ſubſtãtia. Nec aliud p[...] liare occurrit circa imagines Chri[...] ter doctrinã cõmunem de cultu ima[...]

Sic etiam adorari debet & rectè [...] delibus adoratur crux Chriſti, in qu[...] ſcilicet Chriſtus pependit, & quæcu[...] particula eius. Ita confirmat S. Tho[...] art. 4. Et aſſignat duplicem rationem[...] huius adorationis in reſpectu ad Chri[...] ſtum: quia ſcilicet cum creaturæ inſen[...]

bili debeatur honor, non propter ſe, ſed propter rationalem naturam venerabilem ad quam refertur; duplex poteſt eſſe huiuſmodi reſpectus, nempe repræſentationis qui conuenit imagini, & contactus qui conuenit veſtimento alijſuè rebus: & vtrunque reſpectum habet crux illa ad Chriſtum, quia repræſentat figuram Chriſti in ea extenſi, & quia tetigit corpus Chriſti eiuſquè ſanguine perfuſa fuit.

Et ob hanc ſecundam rationem, in ſolut. ad 3. cum Damaſceno notat, debere ſimiliter adorari clauos, lanceam, ſicut & veſtimentum, & ſacra Chriſti tabernacula, præſepe, ſpeluncam, & ſimilia. Itaque ratione contactus, adorari debent omnia & quæcunq; inſtrumenta paſſionis Chriſti. Et res eſt etiã communis ad alia, inſtrumenta quibus cruciati & miſſi fuerũt Martyres. Iocco cũ veneratione etiam meritò aſſeruatur & adoratur vnus ex nummis quibus vẽditus fuit Chriſtus, nempe per reſpectũ ad eundem Chriſtum.

Ex ipſamet paſſione cõtraxerunt titulum adorationis.

Neque enim tollitur aut imminuitur hic titulus adorationis oriens ex cõtactu, per hoc quod crux fuit Chriſti patibulum, & alia fuerunt inſtrumenta doloris & opprobrij eius. nullus autẽ pius filius veneratur contumeliam patris ſui, puta flagellum quo flagellatus eſſet, vel lignum in quo fuiſſet ſuſpenſus. Hoc inquam non obſtat: quia vt optimè reſpondet S.Th. ad 2. *In cruce quantum ad intentionem vel opinionem infidelium conſideratur opprobrium Chriſti, ſed quantum ad effectũ noſtræ ſalutis conſideratur virtus diuina ipſius qua de hoſtibus triumphauit.* Itaq; ex hac conſideratione creſcit potiùs veneratio crucis cũ alijs inſtrumentis paſſionis: quia ceſſerunt in maiorem gloriam Chriſti, & fuerunt inſtrumenta pietatis ac victoriæ eius. Si autem quæratur, num eadẽ ratione adorari debuerunt manus miniſtrorum, qui comprehẽderunt affixerunt & crucifixerunt Chriſtũ, manus illius qui dedit alapam Chriſto, labia Iudæ quibus oſculatus fuit Chriſtum. Ad hoc obſeruare ſolent Theologi, non eſſe eandem rationem: quia cum eſſent partes hominum qui in ſe ipſis habent naturam capacem honoris & venerationis, videretur adoratio deferri illis hominibus quorum erant illæ partes, qui tamen erant impij & ſacrilegi, atque execratione digni: crux autem & aliæ huiuſmodi res inſenſibiles, manifeſtè præſeferunt ſolum reſpectum ad Chriſtum. Vnde aliqui notãt, hoc diſcrimen procedere quoad publicum cultum & honorem, & ſpectato periculo ſcandali: at ſi quis apud ſe aptè præſcinderet & conſideraret ſolam rationem contactus ad Chriſtum, potuiſſe ob illam tales quoque res adorare. Sicut etiam, quamuis eadem inſtrumenta quibus cruciati fuerunt Martyres, deſeruiſſent ad alios iniquos plectendos, tamen præſcindendo & conſiderando ſolum contactum Martyrum, illa adoramus.

Imag[...] quo[...] cis.

Rurſus, iuxtà primam rationẽ adorationis, nempe ob repræſentationem, aduertit S. Thomas in fine corporis, adorari effigiem crucis in quacunque alia materia, vel ligni, vel lapidis, vel metalli, vel picturæ: quia ſic inquit, veneramur crucem vt imaginem Chriſti. In ſolut. verò ad 3. non concedit adorari imaginem clauorum, vel aliorum huiuſmodi, quia nõ ſe habent vt imago ipſius Chriſti. Sed alij Theologi notant, adorari quamcunq; crucem, vt imaginem illius eiuſdem crucis in qua pependit Chriſtus: & ſic etiam adorari poſſe imagines clauorum, & lanceæ, & ſpineæ coronæ, & aliorum huiuſmodi, quando tamen exponuntur ad repræſentandum illa inſtrumenta paſſionis Chriſti, vt potè quando coniunguntur ſimul cum cruce, v[el] alio modo apto. Et diſcrimen cõſtitu[...] ſolũ in hoc: quia apud Fideles quæcũ[que] crux nõ habet aliũ vsũ, niſi vt repræſẽ[tet] crucẽ illã Chriſti, & ita liberè ador[an]t[ur]: at claui, lanceæ, & ſimilia, habent a[lios] ſuos humanos vſus, & ideo non pa[ſſim] adorantur, ſed benè quando accip[iun]tur ſecũdum ſuum repræſentationis [reſ]pectum ad illa inſtrumenta paſ[ſionis] Chriſti: & ità publicè etiam tuto [ado]rantur, quando ex adiunctis my[...] conſtat exponi ad talem repræſe[ntatio]nem. Quia autem tota hæc ac[...] dicitur reſpectiua: illa quidem i[n]ſtrumenta quæ tetigerunt Chriſ[tum] centur adorari ſub reſpectu iun[cto] ad Chriſtum; imagines verò &

horum inſtrumentorũ, dicentur adorari ſub reſpectu mediato ad Chriſtum: quia immediatè quidem repræſentăt illa quę tetigerunt Chriſtum, & ita illis mediantibus referuntur ad Chriſtum, atque ſic omnia tandem adorantur ob excellentiam ipſius Chriſti.

Chriſti ma- ... plurimis titulis ... adoran- ...

De matre Chriſti, ſupponendum vltrò eſt, adorari debere ob propriam & abſolutam excellentiam tam ſublimis gratiæ & gloriæ, & tam eximiæ ſanctitatis in omni virtutum genere, quantam habet, ſicut nempe ob huius generis excellentiam adorantur alij Sancti. Item ſtatuendum eſt cum S. Thoma art. 5. peculiariter adorari debere ob hanc ſingularem excellẽtiam ac dignitatem quòd eſt mater Chriſti, eſt mater Dei. Planè enim hæc eſt inſignis quædam excellẽtia & dignitas, quæ illam reddit cultu & veneratione dignam, ſicut alia ſupernaturalia dona. Et ideo iure optimo Eccleſia & omnes Fideles præcipuo in honore habent Beatiſſimam Virginem matrem Chriſti, & hoc ipſo titulo eam venerantur & colunt.

Præter hoc autem S. Thomas eodẽ art. 5. negare vid tur, B. Virginem poſſe adorari in ordine ad Chriſtum illo cultu reſpectiuo quo diximus adorari crucem Chriſti ob contactum ipſius Chriſti, quæ dicitur latria reſpectiua. Et reddit rationem: quia quamuis B. Virgo maximè contigerit Chriſtum, quẽ & in ſuo vtero per nouem mẽſes geſtauit, & natum in ſuis vlnis tenebat, ſuoq; lacte nutritiue: tamen creatura rationalis quæ in ſe eſt capax propriæ & abſolutæ venerationis ob ſuammet excellẽtiam, non debet adorari cultu reſpectiuo ob alterius excellentiam: ſed ſolæ creaturæ inſenſibiles, quæ non habent in ſe aliam propriam excellentiam, nec per ſe dignæ ſunt proprio & abſoluto cultu, debebũt tali modo reſpectiue adorari. Verùm, quia ſine dubio poteſt verè conſiderari talis reſpectus contactus, etiam in creatura rationali, & poteſt optimè ſtare ſimul cum excellentia propria & intrinſeca talis creaturæ; ideò Caietanus explicat, mentem & doctrinam D. Thomæ, de adoratione publica B. Virginis, & attento periculo ſcandali q eſſe poſſet in adoratione latriæ illi exhibita, ne fortè appareret illi propter ſe & abſolutè. Et ſic alij recenſiores Theologi explic

Solùm ſupereſt modo videre ſit adoratio quæ defertur ipſi V ſpeciali titulo maternitatis Ch videri poteſt eſſe latriæ: quia, i nor qui defertur Regi, debetur tri Regis: ergo idem honor latriæ fertur Chriſto, debebitur etiam Chriſti. Et de facto Eccleſia & ſolent conſimilibus titulis cum appellare & honorare B. Vergin cant enim ſpem noſtram, matr tiæ, Ianuam cœli, & portam Para terdum etiam Mediatricem noſt pud Deum, Reſtauratricem dam Eua intulit, & ſimilia. Satis tam tum & exploratum eſt, B. Virgi Chriſti non deberi, nec ab Eccle delibus illi deferri, adorationem ſed aliam inferiorem. Ita ſtatuit mas art. 5. Et hac ratione Epip Hæreſi 78. & 79. reprehendit vſu rundam mulierum in Syria, quæ Mariæ circumferentes, offerebant criticium & honorem latriæ. Et clara: quia longè aliud, & longè eſt, eſſe matrem Dei, quàm eſſe D alius ergo & inferior cultus de matri Dei, quàm ipſi Deo. Chriſt dem debetur cultus latriæ quia rus Deus: ſed non per hoc poteſt Mariæ quæ eſt mater Dei. Nec exemplum Regis & matris. Nam, pondet S. Thomas ad 1. nequaqua betur æqualis honor matri Regis ipſi Regi: vnde multo minus de idem honor matri Dei, ac ipſi D Neque hic honor & cultus defert Virgini in illis titulis, & appellation ſatis enim conſtat ſic inuocari, eo ſperamus per eius interceſſionem ſequi à Deo gratiam, & ingredi cœ ac paradiſum, reddi nobis Deum pitium & placatum ad ignoſcendu nobis; & quia ipſa peperit nobis Chr per quem hæc omnia bona conſe mut.

Hoc ſuppoſito, S. Thomas hic ar & 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. aſſerit, a rationem quæ debetur B. Virgini ti maternitatis, eſſe de genere duliæ, eſ tamen eminẽtiorem & potiſſimam

hoc genere, & ſic vocari hyperduliam. Suarez verò tomo 2. huius 3. partis diſp. 22. ſect. 3. vult, hanc adorationem ita eſſe diuerſæ ac præſtantioris rationis, quàm ſit illa dulia quæ reſpicit alios ſanctos ob dignitatem gratiæ & gloriæ. vt non procedat ab eodem habitu duliæ: ſed vel ab ipſomet habitu religionis & latriæ reſpiciente Deum, ità vt ſecundario extendatur ad cultum matris Dei, tanquam ob dignitatẽ ſpectantẽ ad ordinem vnioni hypoſtaticæ, & ita ad ordinem diuinum: vel procedere ab alio peculiari habitu, diſtincto à religione & à dulia, reſpiciente ſpecialiter hanc dignitatem matris Dei.

Sed ex oppoſito Vaſquez hic diſp. 100 cap. 2. non ſolum negat, hanc adorationem B. Virginis exhibitam titulo maternitatis, poſſe tribui eidem virtuti Religionis qua colimus Deum: ſed ait, eſſe inferiorẽ adoratione quæ per virtutem duliæ tribuitur eidem B. Virgini & alijs Sanctis titulo gratiæ & gloriæ: ſiquidem dignitas maternitatis præcisè ſumpta, eſt minor quàm dignitas gratiæ ſanctificantis. Vnde cùm mulier quædam Lucæ 11. dixiſſet, *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ ſuxiſti*, reſpondit Chriſtus *Quinimò beati qui audiũt verbũ Dei & cuſtodiunt illud*. Explicat verò vtrũque locum S. Thomæ: quod non dixerit, eminentiorem & potiſsimam eſſe adorationem delatam B. Virgini titulo maternitatis, in comparatione adorationis quæ exhibetur Sanctis titulo ſanctitatis; ſed ſolùm in comparatione honoris & cultus qui exhibetur alijs creaturis ob alias excellentias, accipiendo duliam communiter & amplè ſumptã, quatenus includit obſeruantiam & pietatem.

Et verè quidem ſi conſideretur dignitas ſola matris abſque ſanctificatione, vt realiter de potẽtia abſoluta Dei eſſe potuiſſet: quia nec per ſe formaliter hæc maternitas ſãctificat animã, nec neceſſario ſecũ fert aliã gratiã ſãctificãtẽ. ſic ſiquã minor ſanè cultus debebitur titulo ſolius maternitatis, quàm titulo ſanctitatis: & minor cultus deberetur mulieri, quæ corporaliter ſolùm genuiſſet Chriſtum, & non haberet gratiã ſanctitatis, quàm alteri Sancto vel Beato. Imò notauit ipſe Suarez illa diſp. ſect. 2., quod ſi cogitaretur talis mulier de poſſibili in ſtatu peccati, non eſſet ſimpliciter adorãda, quia indignitas peccati impediret cultũ debitũ ratione alterius dignitatis. Adhuc tamen videtur talis cultus ſpectare ad eãdem virtutem duliæ qua colimus Sanctos. Etenim ipſos Sanctos nõ ſolùm veneramur ob ſanctitatẽ gratiæ & gloriæ, ſed etiam ob alia ſupernaturalia dona, vt pote ob virtutem faciendi miracula, & alias gratias gratis datas. Et in ordine ad Chriſtum, veneratione digni ſunt Petrus & alij Apoſtoli, quia ſunt Apoſtoli Chriſti, & Ioannes Baptiſta quia fuit præcurſor Chriſti. Neque ob has omnes rationes diſtingui debent plures virtutes, ſaltem loquẽdo quoad habitũ infuſũ: ſed quãuis ſint diuerſi actus, optimè poſſunt ſub facultate vnius habitus infuſi contineri. Et obiectum ſiue motiuum adæquatum huius habitus dicetur dignitas & excellentia ſupernaturalis in natura rationali. Sic ergo ad hunc habitum ſpectabit cultus exhibitus titulo maternitatis, quamuis in ratione actus diſtinguatur ab adoratione exhibita ob alios titulos ſupernaturales.

Qualiter dicetur Hyperdulia.

Si autem conſideretur dignitas maternitatis, vt ſanè conſiderari debet, cõiuncta & adiuncta ſãctitati Virginis: ſic omnino dici debet illam reddere maiori cultu & veneratione dignam pręomnibus alijs Sanctis. Non ſolùm quidem quia ſanctitas ipſa Virginis, eiuſquè gratia & gloria, longè ſuperat omnes alios. Sed etiam ſi eſſet æqualis, ſanè maior excellentia & dignitas eſt maternitatis cum ſanctitate ſimul, quàm ſoliùs ſanctitatis. Ac etiam ſi præter ſãctitatem addantur alia quæcunque dona, adhuc reſpectu horum donorum ſuperexcellit dignitas maternitatis: præter quam quòd hæc ipſa dona eminent quoque in B. Virgine. Sic ergo ratione maternitatis ſuppoſita ſãctitate, omnino dici debet, matri Chriſti deberi maior & pręſtãtior cultus, quã cæteris omnibus Sãctis, deberi quędã pręexcelſa & ſingularis dulia, quæ meritò hyperdulia nominatur & dicitur. Imò ſumendo duliam in rigore nominis, prout denotat ſeruitutem, in omni proprietate debe-

Digitized by Google

irgini præ alijs ſanctis: quia . veram ſeruitutem: cùm ex nater Chriſti Regis & Do- conſtituta quoque ſit Regi- na noſtra; Regina & Domi- -um & hominum. Sic eam Eccleſia & paſſim ſacri Doctores appellant. Et præclarè Athanas in ſerm. de Sanctiſſima Deipara, *Quia Chriſtus Rex eſt & Dominus, mater quæ eum genuit & Regina & Domina verè cenſetur.*

QVÆSTIO VIGESIMASEXTA

De Officio Mediatoris, alijſquè Officijs ac Dignitatibus Chriſti.

ræ fa tione ſuperioris quæſtionis, duplicem Chriſti propietatem in compa- ione ad nos propoſuit S. Thomas: vnam; quòd Chriſtus adoretur à nobis; eram quòd ipſe eſt mediator noſter ad Deum: & de hac in præſenti quæ- one pertractat. Vbi dici etiam potuiſſet, officium mediatoris conſiſtere in ratione Chriſti ſimul ad Deum & ad nos: quia mediator eſt inter duos, & us fuit mediator inter Deum & hominem. At S. Thomas magis conſiderare quatenus hoc exercitiũ mediatoris refertur ad nos. Adſunt alia quoque officia itates Chriſti in ordine ad nos, quæ conſiderationem aliquam expoſcunt, ertim, quòd ſit Pontifex; Rex, & Dominus: ideo ad hæc etiam Chriſti officia anc quæſtionem extendimus, & ſingula breuiter expediemus. Et ad hunc n reduci etiam poſſet officium iudicis & iudiciaria Chriſti poteſtas. Sed de hac agit ex profeſſo S. Thomas poſtea quæſtione 59., ideo nos etiam in il- locum ſimul cum executione iudicij hoc reponimus, inter myſte- glorificationis Chriſti, ſuo ordine ibi diſponenda. De officio verò mediatoris duobus articulis hæc ſtatuit S. Thomas. Primò, ſolum Chriſtum fuiſſe perfectè ediatorem inter Deum & hominem: quia ad officiũ mediatoris propriè ſpectat ire & coniungere eos inter quos eſt mediator: ſolus autem Chriſtus hoc per- ctè præſtare poterat, qui per ſuam mortem reconciliauit hominem Deo. Secun- ò Chriſtum eſſe mediatorem inquantum eſt homo, & non inquantum eſt Deus: ræcipuè quia inquantum homo habebat coniungere nos Deo, præcepta & dona Dei hominibus exhibendo, & pro hominibus Deo ſatisfaciendo ac interpellando.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Qualiter Chriſtus fuerit inter Deum & homines mediator.

Chriſtus verè fuit mediator.

CHriſtum verè eſſe inter Deum & homines mediatorem expreſsit ſub hoc ipſo nomine Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Et ad Hebr. 9. *Noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionē earū præuaricationū quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hereditatis:* & cap. 12 *Teſtamenti noui mediatorem Ieſum*, Vnde & Sancti Patres ſic paſſim Chriſtum appellant. Poſſetq; hoc vno modo intelligi ſecūdùm ſubſtantiam: quia Chriſtus ſimul in ſe habet vtramquē ſubſtātiam, diuinam & humanam, ſimul eſt Deus & homo. Alio modo ſecundùm ſtatum: quia Chriſtus ſimul habuit ſtatum comprehenſoris & viatoris: & vt dixit Auguſt. lib. 9. de Ciuit. cap. 15., ſimul fuit Beatus & mortalis, Beatus ſicut eſt Deꝰ, mortalis ſicut nos ſumus. Sed magis propriè, & ad mentem Apoſtoli & Sanctorum, intelligitur ſecundùm officium: quia Chriſtus interceſſit & ſe interpoſuit inter Deum & homines. Et hoc eſt propriè officium mediatoris, interuenire inter duos, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 3. *Mediator autē vnius non eſt*: eoſq; inter ſe coniūgere & cōcordare, & præſertim ſi inimici erant eos reconciliare. Quod quidem inter homines fit rogando & ſuadendo, deferendo conditiones & pacta pacis. Sed Chriſtus perfectiſſime hoc officium adimpleuit, ſatisfaciendo etiam Deo pro hominibus, ſoluendo ipſemet debitum quo homines obſtricti erant apud Deum, & de ſuo non habebant vnde ſoluerent, Chriſtus autem obtulit pretium ſui ſanguinis. Adimpleuit etiam Chriſtus aliam partē mediatoris, reducēdo homines ad obedientiam & reuerentiam erga Deum, ad cultum & obſequium Dei. Vnde & Apoſtolus 2. Cor. 5 dicebat, *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Solus Chriſtus fuit perfectus mediator

Ex his conſtabit, qualiter eſſe mediatorem ſit proprium Chriſto, ſoluſquē Chriſtus fuerit inter Deum & homines mediator, vt explicat ac determinat S. Thomas art. primo. Etenim ſecundùm ſubſtantiam primo modo dicto, prorſus ſingularis fuit in Chriſto, ſubſtantialis illa coniunctio diuinæ & humanæ naturæ in vnitate perſonæ. Secundùm ſtatum etiam, ſoli Chriſto conceſſum fuit, vt ſimul eſſet viator & comprehenſor. At verò per quandam participationem ſubſtantiæ & ſtatus, dicuntur etiam Angeli mediare inter Deum & homines, vt dixit Dionyſ. cap. 4. de Diuinis nominibus: quia nempe ſecundùm naturæ gradum conſtituti ſunt infra Deum & ſupra homines. Auguſtin. vero eo loco de Ciuit. explicauit, magis Dæmones quam Angelos bonos mediare inter nos & Deum quantum ad ſtatum: quia nēpe Angeli boni, tàm quoad felicitatem, quàm quoad immortalitatē, aſsimilātur Deo; Dæmones verò, quoad immortalitatem quidem aſſimilantur Deo, quoad miſeriam hominibus mortalibus. Demum quantum ad mediatoris officium, quod hic præcipuè intenditur: ſolus quidem Chriſtus potuit hoc munus perfectè adimplere: quia ſolus ipſe poterat condignè ſatisfacere Deo pro hominibus, & ita reconciliare nos Deo. Sic Apoſtolus dicebat, *Vnus mediator Dei & hominum Chriſtus.* Et Patres etiam docere ſolent, nullum aliū præter Chriſtum eſſe mediatorē noſtrū apud Deū. Et conſtat hoc ex antea dictis de neceſſitate incarnationis & ſatisfactionis Chriſti ad redemptionē generis humani. At verò aliquo modo imperfectè & per modum miniſterij, poſſunt etiam Angeli Sancti & homines iuſti exercere partem aliquā mediatoris, vt docet & explicat S. Thomas. Sic Moyſes de ſe ipſo dicebat Deuter. 5. *Ego illo tēpore ſequeſter fui & medius inter Deum & vos.* Et Apoſtolus ad Galat. 3. de eodē Moyſe intellexit, quando loquens de veteri lege dixit ad Galat. 3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris,* Exercent autē hoc officiū, intercedēdo pro alijs apud Deum, & Sacerdotes etiam offerendo dona & ſacrificia pro populo: & rurſus an-

Digitized by Google

, hominibus verba & iuſſa ando & admonendo popu- diat & ſatisfaciat Deo, ſicut ulus de ſe & alijs Apoſto-

determinandum quod exa- 130. altero ſuo articulo, num ac dici debeat mediator in- omo vel inquantum Deus, m humanam vel diuinam Refert Bellarm. lib. 5. de diatore cap. 2. & 3. duos op res inter recentiores Hæ. um Franciſci Sancari, , Chriſtum ſolummodo vt ſecundùm ſolam humanã ſſe mediatorem. Alterum ni & ſequacium, quòd di- riſtum ſecundùm vtranque nam ſcilicet & humanã, exercuiſſe S. Thomas au- docet, officium & exerci- is non potuiſſe compete- ſecundum quod erat Deus, erat homo. Idemque loco alij Theologi. Sed hæc Patres, interdum dicunt, Chri- ſolam humanitatẽ fuiſ- & ita loquuntur Chry- Hebr. 9. Cyrill. lib. ij. ſuper ad & in Apolog. pro 12. ca- cap. 7. Hieron. in Pſal. 109. Ambroſ. de Fide cap. 5. Auguſt. lib. 10. cap. 43. lib. 1. de Trinit. cap. 7. de Ciuit. & alibi, & Fulgent. cap. 13. Interdũ dicunt, Chri- vt hominem ſimul ac Deum fuiſſe iatorem: & ita loquuntur ijdem yſoſt. & Ambroſ. ſuper 1. Timoth. 2. ill. lib 1. de Trinit. & lib. 12. The- ri cap. 10. Auguſt. homil. de Ouibus 12. & eod. lib. 9. de Ciuit. cap. 17. gent. de Fide cap. 2. itemquè Baſil. Pſal. 84. Hilar. lib. 9. de Trinit. Theo- ret. Theophilact. Oecumen. & alij ſu- r eundem locum ad Timoth.

Et quidem, quod ad rem attinet di- nguendum eſt de entitate reali, & e dignitate morali, in operibus Chri- i, per quæ exercebat officium media- oris. Entitas operum procedebat à Chriſto vt homine, exercebantur opera er naturam humanam Chriſti, e- rant ſimpliciter humana opera. Patet quia huiuſmodi opera erant illa, qui- bus Chriſtus merebatur & ſatisfacie- bat apud Deum, quæ vtique non erant niſi opera humana, facta per hu- manitatem Chriſti. Et alioqui opera quæ fiunt per diuinam naturam, ſunt opera cõmunia toti Trinitati, quę nen- tiquam habent talem rationem ſatiſ- factionis & meriti apud ipſum Deum. Dignitas vero horum operum, & va- lor qui dicitur infinitus, habebatur ex perſona diuina Verbi, ex Diuinitate eiuſdẽ Chriſti, quę dignificabat ipſa opera: & ideo neceſſaria fuit incarna- tio, quia nõ fuiſſet ſufficiẽs valor, qui in- eſſe poterat operibus factis à pu- ro homine, quantumuis iuſto & San- cto.

Hanc vtranque partem docere vo- luerunt Sancti Patres. Nam quando di- xerunt, Chriſtum fuiſſe mediatorem ſe- cundùm ſolam humanam naturam, in- tendebant ſecundùm opera humana, diſtincta ab operibus purè diuinis. Quando autem dixerunt, Chriſtum ſi- mul vt Deum fuiſſe mediatorem, inten- debant, dignitatem & valorem ſufficiẽ- tem & ſuperabundantem ad placandũ Deum, ad delenda noſtra delicta, deri- uaſſe ex ipſa diuinitate Chriſti, coniun- cta cum humanitate in vnitate perſo- næ. Ex aduerſo errarunt Hæretici. Alij intendentes, quòd tàm dignitas quàm entitas operum Chriſti prouenire- ret ſolum ab humanitate, & fortaſſe de- clinãdo ad Neſtorianiſmum, vt de erro- re Stancari notauimus etiam antea cir- ca ſacerdotium Chriſti q. 22 ſect. 2. Alij intendentes, quod etiam Diuinitas Chriſti exerceret opera meritoria ac ſa- tiſfactoria: quod erat declinare ad Eutychianiſmum, vel etiam ad Arianiſ- mum. Sed iuxta catholicam doctrinã, euitando hos omnes errores, dèbet res explicari eo modo quò diximus.

Et hinc quoad modum loquendi, dici quidem non debet Chriſtus inquãtum Deus fuit mediator & redemptor, ſed benè inquantum homo: quia nempe hic loquendi modus denotat illud prin- cipium, illã naturam, per quam fiebant opera mediationis & redemptionis. Ideoque ſic loquitur S. Thomas, & pa- riter omnes alij Theologi. Hos ſummer

Dici debet mediator vt homo, vel vt homo Deus

ex

ex iiſdem illis verbis Apoſtoli ad Timoth. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* nō enim ſine cauſa adiecit ly, homo, vtique quaſi diceretur, Chriſtus inquantum homo fuit mediator. Nec dictum eſt, mediator Patris & hominū, ſed Dei & hominum, nomine Dei intelligendo omnes tres perſonas: inter perſonam autem Verbi & homines, non intelligitur mediare eadem perſona Verbi, ſed Chriſtus vt homo digniſſimus, ſatisfaciens pro hominibus reis, etiam ipſi Verbo ſimul cum Patre. Et hoc notauit optimè Auguſtinus concione 1. in Pſal. 29. *Quid eſt mediatorem eſſe inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, ſed inter Deum & homines. Quid eſt Deus? Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Qui ſunt homines? Peccatores impij, mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem, mediator factus eſt.* Dici tandem optimè poterit, Chriſtus inquantum Deus homo fuit mediator: quia ſic ſimul & coniunctim exprimitur, principium dignitatis cum principio ipſorum operum. Et ita indicat S. Thomas in ſolut. ad 1. Et expreſsè Auguſt. homilia citata de Ouibus, vtens nominibus abſtractis pro cōcretis: *Mediatrix eſt humana diuinitas, & diuina humanitas,* i. homo Deus, Deus homo: quia vt ibi inquit, *Non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatē.* Atque per hæc facillimè ſolui poſſunt omnia Hæreticorum argumenta quę refert Bellarminus in ſequentibus capitibus eius libri, & alia quæcunque afferri poſſunt, ſiue ex auctoritate, ſiue ex ratione.

SECTIO SECVNDA.

Qualiter Chriſtus fuerit Pontifex & Fundator Eccleſiæ.

Chriſtus fuit Pontifex & Fundator Eccleſiæ.

Præter ea quæ tractauimus quæſt. 22. de Sacerdotio Chriſti in cōparatione ad Patrem, addendum hoc loco eſt in comparatione ad homines, Chriſtum, vt hominem, & ſecundùm humanam naturam, fuiſſe etiam ſummum Prælatum & Pontificem, fuiſſe Fundatorem & inſtitutorem Eccleſiæ, habuiſſeque pleniſſimam & ampliſſimam poteſtatē, ſuperioritatem, ac iuriſdictionē in omnibus rebus ſacris, ad diuinum cultum & animarum ſalutem ſpectantibus. Eſt autem hæc res notiſſima, ex ſacris litteris, & ex officio ipſo Chriſti. In hoc ſenſu Petrus Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 2. Chriſtum appellauit Paſtorem & Epiſcopum animarum. Et Paulus toties vocauit Pontificem, præſertim in Epiſtola ad Hebræos. Ex hac poteſtate non ſolùm habebat regere & gubernare ſpiritualiter animas: ſed ipſe fundauit & plantauit Eccleſiam, ideſt congregationē Fidelium noui teſtamenti, inſtituens Chriſtianam Rempublicam, extra quam deinceps nulli pateat aditus ſalutis.

Inſtituit ſacramenta, leges & miniſtros.

Ex hac poteſtate inſtituit Sacramenta, dans eis vim conferendi gratiam, ac determinans eorum ritum & ſubſtantiam quoad certam materiam & formā: de qua Sacramentorum inſtitutione, ſeparatim proprio tractatu in hac ipſa tertia parte agendum erit. Ex hac itē poteſtate leges & præcepta tulit, obligans omnes ad eorum obſeruantiam: & ita fuit propriè Legiſlator: condiditque legē, quæ proprio nomine appellatur lex noua, lex Euangelica; ad differentiam alterius præcedentis legis diuinæ poſitiuæ, quæ dicitur lex vetus, lex Moſayca. Et de hac Chriſti lege iā tractauimus 1. 2. in ſua materia de legibus. Rurſus ex hac ſuprema poteſtate Chriſtus aſſumpſit & ordinauit Apoſtolos: quibus dixit Ioann. 20., *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et ſingulariter inſtituit Petrum in paſtorem & Pontificem vniuerſalem totius Eccleſiæ, ſuiq; Vicariū in terris, dū ipſe receſſurus erat in cælos. Cui proinde dixit Matth. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* Ac poſtea Ioann 21. poſt reſurrectionem, hāc promiſſionem adimplens, ei tàm ſolemniter, cum trina repetitione commiſit, *Paſce oues meas.* Cōſtituit autem Chriſtus, vt perpetua ſucceſſione cōtinuaretur hæc Eccleſiæ gubernatio, vt adeſſet vnus ſummus Prælatus & Rector, ſui Vicarius, ſub quo eſ-

ſent

ient alij particulares Prælati & Paſtores. De qua re, contra recentiores Hæreticos, pro hoc primatu Petri, & ſucceſſione Romanorum Pontificum, agit inter alios præclarè Bellarminus Tomo primo ſuarum controuerſiarum, poſt libros de Chriſto, in libris de Romano Pontifice. Ac denique quidquid aliud ſpectat ad hoc ſpirituale regimen, & ad fundandam Eccleſiam, id totum Chriſtus potuit, ac de facto diſpoſuit. Idq; ipſemet atteſtatus fuit Matth. 26. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.*

Atque ſub hac ipſa ſpirituali poteſtate includitur etiam ſaltem indirectè poteſtas diſponendi de rebus quoque tēporalibus, ad finem inquam ſpiritualē, & quatenus expediat ad regimen animarum. Nam ſicut finis ſpiritualis, & ſalus animarum, eſt longe excellentius bonum quàm res temporales; oportet, vt ſub poteſtate ſpirituali cadant etiam res temporales, inquantum oportet ad prædictum finem. Quare Theologi ſcribentes de auctoritate Summi Pontificis, docent & explicant, Pontificem in ſuamet poteſtate ſpirituali habere hoc modo indirectè facultatem etiam ſuper res temporales: & ideo legitimè potuiſſe & poſſe pleraque diſponere de rebus temporalibus, & obligare quoſcunque Fideles, etiam Reges & Principes, quatenus opus fuerit ad ſpiritualem gubernationem & ſalutem animarum. Omnino ergo Chriſtus in ſua ampliſſima poteſtate ſpirituali regendi & fundandi Eccleſiam habebat etiam ſaltem indirectè facultatem ſuper omnia temporalia. An autem habuerit etiam per ſe ac directè temporalem poteſtatem, tanquam Rex & dominus, etiam ſcilicet præciſo ordine ad regimen ſpirituale, diſcutiemus duabus ſequentibus ſectionibus.

Habuit autem Chriſtus hanc totam poteſtatem, ab ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti: eaque per varias partes vſus fuit in progreſſu ſuæ vitæ, identidem inſtituens Sacramenta, ferens leges, conſtituens miniſtros. Et quamuis aliquos actus non exercuit niſi poſt reſurrectionem, vt præſertim inſtitutionē Petri in ſui Vicarium; tamen poteſtatē iam antea habebat. Et licèt ſimiliter poſt reſurrectionem dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas*: tamen non dixit, nec intellexit, data eſt mihi nunc, ſed potiùs dicebat id quod ab initio fuerat. Et dum Apoſtolus ad Roman. 14. dixit, *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur*: non per hoc dicere voluit, Chriſtum non obtinuis ſe hanc poteſtatem niſi poſt mortem & reſurrectionem. Sed vel intellexit, Chriſtum per meritum mortis ſuæ illam acquiſiſſe: cum quo optimè ſtat vt ab initio habuerit per meritum mortis futuræ. Vel intellexit quoad manifeſtationem & exequutionē: ideſt vt poteſtas eius agnoſceretur, eiquè homines ſe ſubijcerent & obedirent: quod quidem ex tunc poſt reſurrectionem ſucceſſiuè in toto ſæculo perenniter adimpletur.

Habuit ex debito vnionis, & ex officio ſaluatoris.

Habuitquè talem poteſtatem Chriſtus, tum ex titulo ac debito vnionis: nō quaſi per ipſam vnionem præciſè ac formaliter haberet, ita vt non potuiſſet illa poteſtate carere, ſtante ipſa vnione; ſicut alioqui per ipſam vnionē erat formaliter ſanctus, ita vt ſecus eſſe non poſſet: ſed quia ex vi vnionis ei debebatur omnis dicta poteſtas; ſicut etiam gloria animæ & corporis, vt iam antea diximus. Tum etiam habuit ex ipſo officio & munere ſuo, ad quod miſſus erat à Deo, nempe ad dirigendos homines in viam ſalutis: vt ſic enim illi competebat, non ſolum homines inſtruere & docere; ſed præcipuè regere & adiuuare, media ſalutis inſtituendo, præcepta ſalutaria imponendo, & aptum regimen poſt ſuum receſſum relinquendo. Dici quoque poteſt, habuiſſe ſimul titulo ſui meriti, ſicut habuit gloriam corporis: & poteſt includi ſub exaltatione nominis, ob quam dixit Apoſtolus, *Vt in nomine Ieſu omne genuflectatur*.

Habuit demū ſingulariter ſolus Chriſtus talem poteſtatem, quæ proinde dicitur poteſtas excellentiæ. Et potuit hoc ipſum quod erat inſtituere ſuum Vicarium, & quam volebat auctoritatem illi attribuere, Vnde dedit quidē Petro, ac deinceps dat omnibus eius ſucceſſoribus, vniuerſalem & plenariam poteſtatem regendi Eccleſiam; non tamen

Digitized by Google

men immutandi ea quæ ipſemet immediatè cōſtituit, vtpote vim aut ritum ſubſtantialem Sacramentorum, obligationem ſuorum præceptorum, formam regiminis & Monarchiæ; quæ quidem perpetua & immutabilia eſſe voluit; vt tractatur in ſuis locis, de lege euangelica, de Sacramentis, de Summo Pontifice, & regimine Eccleſiæ.

SECTIO TERTIA.

Qualiter Chriſtus fuerit etiam Rex & Monarcha.

Ratio dubitandi.

SAtis notum eſt, quàm ſæpe in ſacris litteris, & in Eccleſiaſticis precibus, atque apud Sanctos Patres & pios Doctores, Chriſtus appelletur Rex & Princeps, Rex Regum, & Princeps Regum. At ex aduerſo, Chriſtus ipſe potiùs recuſauit, & non acceptauit dignitatem & poteſtatem regiam in hoc mundo. Nam Ioann. 6. *Cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Et Ioann. 18. apertè dixit Pilato, *Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Et Lucæ 12., cùm quidam de turba rogaſſet eum, *Dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem,* reſpondit *Homo quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos.* Non videtur ergo Chriſtus fuiſſe Rex in hoc mundo.

Sententia negans.

Hinc dixerunt aliqui, Chriſtum nequaquam nullam habuiſſe regiam poteſtatem temporali modo, ſicut habent Reges & Principes terræ; ſed ſolùm fuiſſe Regem ſpirituali modo, habuiſſe poteſtatem regiam ſpiritualem, quæ & illi attribuitur ſub nomine Pontificis, & de qua loquuti ſumus ſect. præcedenti: ita vt non ſit aliud dicere, Chriſtus Rex, quàm Chriſtus Pontifex. Sic ſentiunt Medina hac 3. par. quæſt. 59. art. 4. Becanus cap. 24. num. 5. Tanner. quæſt. 7. dub. 2. Bonacina diſp. 2. q. 21. puncto ſecundo, Valent. qu. 22. puncto 6. Bellarm. lib. 5. de Romano Pontifice cap. 4. & 5. Tolet. in cap. 18. Ioan. annot. 25. Driedo lib. 3 de Dogmatib. ſacræ ſcript. tract. 3. cap. 10. par. 1. Victoria in Relect. de Poteſt. Eccleſ. q. 5. & alij quidam. Et præter allegata loca Scripturæ, aſſert Valent. alias plures auctoritates Script. & Patrum. Et confirmant etiam ratione. Tum à poſteriori: quia ſi Chriſtus fuiſſet Rex temporalis, eo ipſo in eius aduētu ceſſaſſent oēs Reges & Principes terræ, nec habuiſſent ampliùs legitimam poteſtatem & iuriſdictionem, ſed fuiſſent vſurpatores & Tyranni: atque debuiſſet ipſe Chriſtus gubernare & regere omnes populos: ſed certè nec ipſe Chriſtus de facto ſibi aſſūpſit tale regimen, nec ceſſarūt alij Reges, ſed adhuc vt veri Principes agnoſcuntur & agniti fuerunt ſemper apud ipſoſmet Fideles, qui receperunt legem Chriſti: ergo Chriſtus non fuit Rex temporalis. Tum etiam à priori: quia poteſtas regia ortū habuit ex inſtitutione populorum, & vel communiter proximè per electionem, vel per hæreditariam ſucceſſionem, iuxta diuerſas leges & conſuetudines nationum, vel acquiritur iure belli: ſed Chriſtus nec fuit electus Rex ab vllo populo, nec iure hæreditario ſucceſſit in vllum regnum, nec bello ſibi acquiſiuit: ergo nullo modo fuit temporalis Rex. Nec dici debet, accepiſſe extraordinario & ſingulari modo à Deo: nullum enim eſt fundamentum quo id dicatur: quinimò cùm tantam paupertatem & humilitatem profeſſus fuerit, depoſuiſſet potiùs & abieciſſet, ſi aliunde ipſi obueniſſent regij honores & opes.

Sententia affirmans.

Aliqui verò ex aduerſo dixerunt, Chriſtum fuiſſe verè temporalem Regem ſaltem Iudaici regni, habuiſſe que hæreditaria ſucceſſione ius ad illud regnū, eo quòd eſſet de ſtirpe Dauid, longa Regum ſerie ex illo deſcedens. Ita ſentiūt Burgenſis in cap. 1. Matth. in illa verba *Iacob autem genuit Ioſeph,* Bachonus q. 1. Prologi art. 2. & q. 11. art. 3. Armacanus lib. 4 de Quæſtionib. Armenor. cap. 16 Et fauet Abulens. q. 30. in cap. 21. Matth. Fauent etiam ex Patribus, Epiphanius Hæreſi 29. Athanas. ſerm. de Sanctiſsima Deipara & alij circa ſequentia loca Scripturæ. Probant hoc ergo præter generalia loca Scripturæ in

quibus

Digitized by Google

quibus Chriſtus vocatur Rex, alij locis in quibus ſpecialiter ei videtur attribui Iſraeliticum regnum. Sic enim intimauit Angelus B. Virgini, Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Sic inquiſierunt Magi Matth. 2. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Sic agnouerunt & acceptarunt ipſi Iudæi Marci 11. *Benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid.* & Ioann. 12. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.* Sic demũ approbauit ipſe Chriſtus Matth. 27. quando Pilato interroganti, *Tu es Rex Iudæorum*, reſpondit *Tu dicis*: vnde Pilatus conuerſus ad populum, dixit Ioann. 19. *Ecce Rex veſter, Regem veſtrum crucifigam?* Et ſic olim prædixerat Iſaias cap. 9. *Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit.* & Ieremias cap. 23. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum & regnabit Rex.*

Pro reſolutione, conſtat primo, Chriſtum de facto nullibi exercuiſſe poteſtatem et adminiſtrationem regiam, temporali modo, nec in toto vniuerſo, nec in regione Iudeæ, atque adeo non fuiſſe temporalem Regem, vt ita dicamus, in actu exercito. Ita inquam conſtat ex tota Euangelica narratione de vita & geſtis Chriſti: elegit enim Chriſtus & traduxit vitam adeo humilem & pauperem, adeo à regio faſtu & opulẽtia remotam, contemplationi & prædicationi deditam, ab omni temporali cura & ſolicitudine abſtractam. Hoc quoque plane expreſſit ipſe Chriſtus in verbis antea allegatis: in hoc enim ſenſu dixit, quòd regnum ſuum non erat de hoc mundo, ideſt quod non regnabat in hoc mundo, more aliorum Regum & Principum: & quod non erat conſtitutus iudex ad componendas lites & diuidendas hæreditates, ideſt quod non exercebat huiuſmodi functiones, ſicut ſunt inter homines varij Magiſtratus qui illas exercent.

Secundo. Nõ oportet dicere, Chriſtum habuiſſe ſpeciale aliquod ius per viam ſucceſſionis & hæreditatis in Iudaicum regnum. Ita communiter Theologi docent, Vualdenſis tom. 1. Doctrinal. fidei lib. 2. cap. 76. Sotus lib. 4. de Iuſt. & iure quæſt. 4. art. 1. Suarez hac 3. part. diſp. 48. ſect. 2. Vaſquez diſp. 67. cap. 3. Lugus diſp. 30. ſect. 2. Vigers & Kellizonus quæſt 22. art. 6. dub. 2. & alij. Et probatur tum quia iampridem ante aduentum Chriſti, nempe in tranſmigratione Babylonis extinctũ fuerat Iudæorum regnum in domo Dauid: & vltimus Rex fuerat Iechonias, de quo dictum fuit Ierem. 22. *Nec erit de ſemine eius qui ſedeat ſuper ſoliũ Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Poſt reditum autẽ illius populi ex captiuitate Babylonica, adminiſtrabatur regimen illius per Magiſtratus, & Duces qui ab ijs eligebantur: donec ſurrexerunt Principes & Pontifices Machabæi, & continuatum eſt regimẽ poſt Iudam, & Ionatham, & Simonem fratres, in Ioanne filio Simonis ſub titulo Pontificatus, & in Ariſtobulo filio Ioannis, qui aſſumpſit etiam titulum & diadema regium. Sed non multò poſt, Hircano Rege Nepote Ariſtobuli, fuit rurſus extinctum nomen regium, captis Hieroſolymis, & ſubiugata Iudæa à Pompeio Romanorum Duce: quamuis iterũ in proximis bellis ciuilibus Romanorum à Senatu electus, & à Marco Antonio conſtitutus, & ab Auguſto confirmatus fuerit, Iudeorum Rex, Herodes Aſcalonita, qui non erat de eorum genere, ſed de gente Idumeorũ, de ſtirpe Eſau. Et hoc tempore natus fuit Chriſtus, ſexcentis circiter annis poſt Iechoniã Regem. Quare dici non poteſt, poſt tàm diuturnam interruptionem, & tantam rerum ac Principum variationem, debuiſſe ipſo humano iure, & debito hæreditatis, redire regnum ad familiam Dauidis.

Tum etiam ſi redire deberet, tamen Chriſtus non deſcendebat ex ſtirpe Dauid, niſi ex parte matris Virginis, at non debebāt feminæ ſuccedere in hæreditate, & multo minus in regno, niſi deficientibus omnibus maſculis, vt habetur ex libro Numeri cap. 27. & 29. Certe autem non deficiebāt Maſculi ex numeroſa ſobole Dauidis: non ergo illud regnum deuolutum erat ad B. Virginem, & ad Chriſtum eius filium. Tũ præterea ipſa B. Virgo, deſcendebat quidem ex Dauid, ſed fortaſſe non per lineam Salomonis, qui cum ſua proge-

nie ſucceſſit in regno, ſed per lineam Nathan qui fuit alius filius Dauidis, vt ſumitur ex Genealogia, quam Lucas intexit, & eſt plurium Expoſitorum ſententia: ergo non pertinebat ad B. Virginem ſucceſſio illius regni. Tum demũ quamuis B. Ioſeph deſcendebat ex Dauid per lineam Salomonis, vt habetur ex Genealogia, quam Mattheus deduxit: non per hoc conſtat deſcendiſſe per lineam omnium primogenitorum, ad quos pertinuiſſet regnũ, vt illi tunc deberetur: ac etiam ſi illi deberetur, nec etiã per hoc debuiſſet deferri ad Chriſtum qui non erat eius filius naturalis, in præiudicium omnium aliorũ qui naturali origine paterna ex Salomone deſcendiſſent.

Explicãtur quadam Scriptura loca.

Illa verò loca ſcripturæ, quæ tribuebant Chriſto regnũ Dauidis & Iſraelis, debent ſine dubio ſpiritualiter intelligi: hoc eſt Chriſtum habiturum eſſe ſpirituale regimen, quod quidem præfiguratum & præparatum fuit in regno Dauidis: regnaturum eſſe ſpiritualiter ſuper omnes Fideles, qui ſpirituali modo dicuntur Iſraelitæ. Nam in ijs locis non dicitur ſolùm, Chriſtum habiturum ius ad regnum, ſed reuera regnaturum: quod tamen non eſt adimpletum de regno temporali, ſed tantùm ſpirituali. Et ſic rẽ intelligunt omnes Sacri Doctores & Patres, nec aliud voluerunt Athanaſius & Epiphan. & quicunque alij de hoc Chriſti regno loquuti ſunt. Atque vel hoc ipſo nomine reprehenduntur Iudæi, quòd expectent Meſſiam, tanquam Regem temporalem ex ſua natione, carnaliter intelligentes promiſſiones diuinas olim factas pro aduentu Meſſiæ, & de bonis ab illo conferendis. Sicut etiã rè & nõ niſi ſpiritualiter debet intelligi illud vaticiniũ Danielis cap. 2. de regno Chriſti, ſub illa viſione & ſimilitudine lapidis, qui cõtriuit ſtatuam figurantem quatuor temporalia regna & Monarchias: *Suſcitabit Deus cœli regnum quod in æternum non diſſipabitur.*

Fuit Rex totius orbis quoad dignitatẽ & poteſtatem.

Tertiò tamen dicendum, Chriſtum habuiſſe poteſtatem & auctoritatem regnandi etiam temporaliter, & exercendi temporale regimen, ſi voluiſſet, non inquam ſpeciali iure in ſola Iudæa, ſed generali & ampliſſimo iure in toto Orbe, atque adeo fuiſſe ampliſſimum & vniuerſalem Monarchã totius vniuerſi, abſque vlla reſtrictione; ex ſua autem voluntate noluiſſe vti hac poteſtate. Ita ſentiunt D. Antoninus 3. par. titulo 3. cap. 2. Durand. tract. de Iuriſdict. Eccleſiæ q. 5. Almain. tract. de Poteſt. Eccleſ. cap. 8. Hoſtienſ. in cap. *Quod ſuper his de voto.* Turrecremata lib. 2. ſummæ cap. 116. Nauarr. & Panorm. in cap. Nouit de Iudicijs notab. 3. nume. 8. & 130. Azorius tomo 2. Inſtit. moral. lib. 4. cap. 19. quæſt. 4. Molina tomo 1. de Iuſt. & iure tract. 2. diſp. 28. Triumphus lib. 1. de Poteſt. Eccl. q. 1. Aluarus Pelag. lib. 1. de Planctu Eccl. cap. 13. & ex profeſſo defendunt Suarez ſect. 1. Vaſq. cap. 2. Lugus ſect. 2. Vuigers & Kelliſonus, quos pro concl. præced. allegauimus. Et apertè indicat S. Tho. Opuſc. 20. quod eſt de Regimine Principum lib. 3. cap. 12. & ſequentibus.

Probari poſſe videtur hæc aſſertio auctoritate, ex illis Scripturæ locis, & varijs Patrum dictis, in quibus Chriſtus pronunciatur Rex & Princeps totius mundi, omnium regnorum, omnium Regum & Principum, omnium hominum ac etiam Angelorum. Quamuis enim Vaſq. cap. 9. contendat, hæc omnia intelligi tantùm de regno ſpirituali, de poteſtate ac ſublimitate regia ſpirituali, & de exercitio ipſo regnandi ſpiritualiter: tamen aliqua ſaltem loca, quæ nõ loquuntur de hoc actuali exercitio, ſed abſolutè de dignitate & poteſtate regia, poſſunt etiam non incongruè intelligi de huiuſmodi poteſtate ac dignitate etiam in ordine ad temporale regimen, ſi Chriſtus voluiſſet ea vti: & ſine dubio quædam loca magis propriè hunc ſenſum reddunt, quàm de ſola poteſtate ſpirituali, vt rurſus ſect. ſequenti de dominio dicemus. Vnde Valentia pro vno quodam certo pronunciato inter alia ſtatuit, quod Chriſtus potuiſſet quidem, ſi voluiſſet, hanc etiam temporalem Monarchiam aſſumere, ſed noluiſſe; & in hoc valde commendari virtutem & humilitatem Chriſti. At hanc ipsã poteſtatem aſſumendi Monarchiã, nos dicimus eſſe ipſam Chriſti Monarchiam ſcilicet quoad poteſtatem. Neque hanc poteſtatem poterat ipſe recuſare,

aut

Digitized by Google

aut abijcere, quia habebat illam à Deo immediate, ſed vſum quidem & exercitium huius poteſtatis & Monarchiæ, noluit Chriſtus aſſumere, quia hoc ſitum erat in eius voluntate, & in hoc commendatur ſumma eius virtus & humilitas.

Ratione probat Vaſquez cap. 4. ex vi hypoſtaticæ vnionis: & ſignificat, eo ipſo præciſe ratione vnionis, Chriſtum habuiſſe hanc regiam poteſtatem. Sed non oportet ſane hoc ita intelligere, quaſi fieri non potuiſſet, vt Chriſtus nō haberet in ſua humana natura hanc poteſtatem, ſtante hypoſtatica vnione: quinimò ſic potuiſſet ſane eſſe, vt humana natura Chriſti eſſet hypoſtatice vnita Verbo, & tamen non haberet poteſtatem in ſua humana voluntate præcipiēdi obligandi & imperandi: quod etiā de poteſtate ſpirituali & in ordine ad res ſacras intelligendū eſt, vt notauimus ſect. præcedenti. Sed ſic debet hæc res & hæc ratio intelligi: quod ratione vnionis erat maxime conueniens Chriſto huiuſmodi dignitas & poteſtas, erat illi debita. Et ſuadetur facilè: tum ex ſublimitate ipſa vnionis, quæ hunc hominem conſtituebat Filium Dei naturalē; tum quia à contrario parum conueniēs fuiſſet, ſi Chriſtus vt homo non habuiſſet talem poteſtatem, & ſi homines nō fuiſſent illi ſubditi, & obedire obligatimo pariter & Angeli debebant illi hoc modo ſubdi, vt ita Chriſtus in tota proprietate dicatur Rex cœli & terræ, Angelorum & hominum. Et ſicut Chriſto ratione vnionis debebantur & collata fuere tot ſupernaturalia dona, ac naturales quoque perfectiones; ita & hæ morales dignitates ac poteſtates. Meritum etiam Chriſti ad hoc totum poterat extendi, & ſub exaltatione hominis, vt in nomine eius omne genu flectatur, hæc ipſa regia dignitas & poteſtas poteſt optimè comprehendi.

Ad ea autem quę in contrarium præmittebantur, dicendum eſt, nuſquam negari in ſacra ſcriptura, vel à Patribus, huiuſmodi dignitatē & poteſtatem etiam in actu primo, ſed ſolummodo vſū & exercitium in actu ſecundo. Ideo etiam non ceſſaſſe alios Reges & Principes in aduentu Chriſti, quia Chriſtus noluit ſibi aſſumere & exercere adminiſtrationem temporalem, noluit depellere illos qui regimen exercebant, vt canit Eccleſia in Hymno Epiphaniæ, *Non eripit mortalia qui regna dat cæleſtia.* Quinimo cùm potuiſſet relinquendo etiam illos, exercere aliquam ſuperioritatem, reſeruare ſibi recurſum, iudicare ac decernere circa differentias & perſonas ipſorum Regum, ſicut humano ipſo iure factum quoque eſt, vt eſſet aliquis ſupremus Rex aut Imperator, habens ſub ſe alios Reges, & non illos excludens: hoc ipſum tamen noluit Chriſtus in actum deducere: ſed in omnibus reliquit humanas adminiſtrationes, ſicut erant. Neque verò tenebatur Chriſtus aſſumere temporalem rerum curā, ſicut alioqui tenentur ij ad quos de iure ſpectat, niſi hoc onere exoluantur. Nam poteſtas Chriſti erat ſuperioris ordinis: & hoc ipſum ſub eius poteſtate manebat, vel aſſumere vel relinquere temporale regimen. Meliuſque iudicauit, & vtilius ad finem redemptionis, & ad præbendum nobis exemplum, priuatam vitam gerere, & terrena regna contēnere. Vnde nō debuerunt humani Reges ex aduentu Chriſti cēſeri vel vocari Vicarij Chriſti in ſuis regnis, ſiue Vicarij permiſsi à Chriſto, vt minus rectè aliqui loquuti ſunt. Non enim deinceps regnarunt nomine Chriſti, ſiue poteſtate denuo accepta à Chriſto, ſed eodem prorſus modo quo regnabant antea. Et ſolùm accomodatione quadam dixit S. Tho. lib. citato de Regim. Princip. c. 13. & 16. Romanum Imperatorem & alios Principes geſsiſſe vices Chriſti. Patet demum, Chriſtum, nullo quidem humano iure, ſed ſublimiori modo ex debito vnionis, & ex merito ſuo, habuiſſe immediatè ex conceſsione diuina, regiam dignitatem ac poteſtatem: ex ſumma autem ſua virtute verè recuſaſſe regias opes & honores: non quaſi depoſuerit & abiecerit ipſam dignitatem & poteſtatem, quod facere non poterat, dum illi conferebatur à Deo: ſed per hoc potiùs magis commendatur ſublimitas virtutis eius, quia habens tantam poteſtatem, recuſauit eius vſum & exercitium, quod erat in arbitrio ſuo.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Qualiter Chriſtus fuerit etiam Dominus omnium.

Diſt. vt dominium à regimine.

DOminium addit aliquid plus ſupra ius & titulum regium. Nam Rex non per hoc eſt dominus ciuium quaſi ſeruorum & mancipiorum, vt poſſit eos ad quæcunque opera in ſui vtilitatem aſtringere abſq; alia mercede, ſicut poteſt verus dominus erga ſua mancipia; ſed tantùm poteſt in rebus iuſtis ob bonum publicum præcipiẽdo obligare, poteſt delinquentes punire, poteſt in controuerſijs iudicare; Item Rex non per hoc eſt dominus bonorum quæ ciues poſſident, vt poſſit ad libitum de ijs diſponere, ſicut poteſt quilibet verus dominus pro ſuo arbitrio donare, vendere, diſſipare, deſtruere bona ſua: ſed ad ſummum poteſt Rex ob publicas impenſas & indigentias, certas taxas & contributiones ſubditis ſuis imponere. Habet autem Rex propria bona ſua, vt domos, prædia, redditus, equos, veſtes, pecunias, & ſimilia, quorum eſt plenè dominus, ſicut & ſeruos atque mancipia. Ideo quærendum adhuc ſupereſt, ſi Chriſtus non ſolùm fuerit Rex, ſed etiam Dominus, referendo hoc dominium, tum ad perſonas, tum ad diuitias huius mundi.

Sententia negans Dominium, conceſſo regimine.

Negat Vaſquez eadem diſp. 86. cap. 6. contrario modo ſentiens de iure dominatiuo, ac de iure regio. Et fundamentum eius eſt: quia excepto iure dominij quod Deus habet rerum & perſonarum omnium, tanquam creator & conſeruator earum; potens ad libitum auferre, deſtruere, & annihilare quæ vellet, quod dicitur dominium excellẽtiæ; non poteſt de reliquo fieri, vt ſint plures domini in ſolidum vnius & eiuſdem rei, dominio quod dicitur vtilitatis, & ſolùm extat præter dictum diuinum dominium excellentiæ. Et quod non poſſint eſſe plures domini in ſolidum eiuſdem rei, probat ex l. *Si vt certo §. ſi duobus ff. cõmodatiuo vel contra*, quia non poteſt eadem res in vtilitatem plurium æque referri. Sed certè adhuc poſt aduẽtum Chriſti ſinguli homines retinuerunt ac deinceps retinent dominium rerum ſuarum, abſque vllo detrimento aut diminutione ſui iuris: ergo non poteſt ſimul dici Chriſtus fuiſſe dominus omnium rerum. Et confirmatur magis: quia alioqui nullus potuiſſet amplius accipere, aut diſtrahere vel deſtruere rẽ vllam abſque conſenſu & conceſſione Chriſti, tanquam domini omnis rei; & ſecus faciens eſſet reus furti & iniuſtitiæ, tanquam vſurpans rem alienam inuito domino: ſicut in Euangelio Iudas vocatur fur & latro, quia occultè ſurripiebat ex rebus Chriſti Domini. Accedit etiam, quod Ioannes Papa vigeſimus ſecundus in Extrauag. *Inter nonnullos*, & in alia *Quia quorundam*, de Religioſis Domib., definiuit, Chriſtum habuiſſe dominium aliquarum rerum, quas ſcilicet ipſe poſſidebat: quare videbatur ſupponere non habuiſſe dominium totius orbis & omnium rerum.

Concluſio concedes etiam dominium.

Sed ſimiliter aſſerendum eſt de dominio, ſicut de regno & monarchia: nempe Chriſtum habuiſſe talem poteſtatem dominij, qua potuiſſet ad libitum diſponere de quibuſcunque rebus tanquam proprijs, & de quibuſcunque perſonis tanquam ſeruis & mancipijs, non tamẽ vſum fuiſſe tali poteſtate, non habuiſſe exercitium talis dominij, niſi quoad res proprias quas poſſidebat, & fortaſſe etiam de rebus alienis in aliquo caſu. Ita vt plurimum videntur exiſtimaſſe ij qui affirmabant de regno Chriſti: nam pariter dominium ac monarchiam illi attribuebant. Et expreſsè docent ac defendunt Nauarr., Suarez, Azorius, & Lugus locis antea allegatis.

Suadetur auctoritate

Et probari poteſt auctoritate: quia in ſacra ſcriptura, Chriſtus appellatur non ſolũ Rex, ſed et Dominus, & Dñus dominantium: & ipſemet hoc de ſe expreſſit, quando dixit Ioann. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter*. Item Eccleſia in ſuis precibus ſemper Chriſtum appellat Dominum noſtrum. Quod poteſt optimè intelligi, non ſolùm ratione poteſtatis ſpiritualis, & ratione poteſtatis regiæ iam dictæ, ſed propriè etiam ratione veri dominij. Et ſic etiam poteſt intelligi quod dixit Apoſtolus 1. Cor. 3 *Omnia*

ſubiecta

ſubiecta ſunt ei preter eum qui ſubiecit ei omnia : & dum ad Hæbr. 2. de Chriſto affert illud Pſal. 8. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum , omnia ſubieciſtì ſub pedibus eius, in eo enim quod omnia ei ſubiecit nihil dimiſit non ſubiectum ei* . Hoc inquam optimè poteſt intelligi, de ſubiectione ratione veri dominij . Et rurſus 2. Cor. 8. , *Propter nos egenus factus eſt cum eſſet diues vt illius inopia vos diuites eſſetis* . Quod debet etiam intelligi de Chriſto vt homine : & Chriſtus erat diues per dominium omnium rerũ erat voluntarie egenus , nolens vti ſuo dominio . Patres etiam ſemper Chriſtũ appellant dominum . Et omnes qui in Chriſtum credunt, illum reputãt & venerantur vt dominum vniuerſorum, nõ ſolùm inquam inquantum Deus eſt, ſed etiam inquantum homo eſt .

Et ratione Ex ratione verò probatur , ſicut de poteſtate ac dignitate regia: quia ſine dubio facit ad maiorem Chriſti excellẽtiam, ſi putemus & dicamus, illum habuiſſe huiuſmodi dominium , & omnes res fuiſſe hoc modo ſub eius poteſtate , & omnes homines illi ſeruos . Et alióqui parum conueniens videtur exiſtimare, quòd Chriſtus non potuiſſet accipere vllam rem alterius , non potuiſſet de illa diſponere, illa vti, illam deſtruere, & quod indiguiſſet donatione vel licentia alterius, & non ex voluntate, ſed ex neceſſitate debuiſſet alienas res emendicare : & ſecus faciens fuiſſet reus furti & iniuſtitiæ; ſed quia non poterat peccare, ideo non potuiſſe in talem culpam incidere , ſicut non poterat v. g. blaſphemare aliaue peccata facere . Potiùs ergo fatendum erit, Chriſtum habuiſſe per ſe lentiſſimum rerum dominium. Et ſic etiam perſonarum . Idque totum erat ſanè illi conueniens ac debitum ob hypoſtaticam vnionem , quia hic homo Chriſtus erat verus Dei Filius naturalis . Poterat id totum cadere ſub eius meritum infinitum, quod ad multo plus ſe extendebat . Ac ſpecialiter titulo redemptionis, dum nos liberauit ex duriſſima captiuitate ac ſeruitute Diaboli, omnes homines vindicauit & acquiſiuit in ſeruos ſibi deuinctiſſimos . Et eo magis hoc totum vrget ad hominem contra Vaſquez , qui iuxta hæc tribuebat Chriſto ius regium : vt inde pariter illi tribuere debuiſſet hoc ſtrictius ius dominatiuum .

In actu autem Chriſtus noluit vti tali ac tanto dominio, noluit exercere huiuſmodi poteſtatem ; niſi quidem quoad paucas res proprias quas actualiter poſſidebat, ad inſtar aliorum hominum. Videtur etiam in aliquo caſu exercuiſſe talem poteſtatem, & dominium in res quaſdam alienas . Vt pote quando iuſſit diſcipulis Matth. 21. *Ite in caſtellum, & inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquis dixerit, dicite quia Dominus his opus habet:* quia nempe ipſe Chriſtus erat verus dominus omnium rerum, & poterat vti quandocunq; volebat. Item Matth. 12. *Abijt Ieſus per ſata Sabbato, diſcipuli autem eius eſurientes ceperunt vellere ſpicas & manducare* : quod vtiq; fecerunt Apoſtoli ex conceſſione Chriſti; qui tanquam auctor legis diſpenſauit in obſeruantia Sabbati , ſiue declarauit non obligare, ſed tãquam dominus omnium rerum conceſſit diſcipulis vt ſumerent ſpicas de aliena ſegete . Et rurſus, quando Matth. 21. *Videns fici arborem vnam ſecus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantùm , & ait illi nũquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum, & areſacta eſt continue ficulnea* Similiter cap. 8. rogatus à Dæmonibus , *Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregẽ porcorum, ait illis ite , & illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abijt totus grex per praeceps in mare, & mortui ſunt in aquis*: Sic ergo Chriſtus vtebatur interdum poteſtate & dominio quod habebat in omnes, res , vt poſſet etiam illas perdere. Ad hoc Vaſq. ait, Chriſtum non id feciſſe quia eſſet dominus illarum rerum, ſed quia cognoſcebat diuinam volũtatem , vt ad patrandum miraculum id faceret, & ex conceſsione Dei ſupremi domini accipere potuit talem poteſtatem . Sed certè non oportet limitare poteſtatem Chriſti ad illos tantùm caſus in quibus ea vſus eſt : ſed fatendum erit, Chriſtum habuiſſe ſemper ampliſſimam poteſtatẽ in omnes res, ſed noluiſſe aliàs illa vti . Et hanc poteſtatẽ; dicimus Dominium quod Chriſtus habebat ex debito vnionis & meriti.

Non tamen Chriſtus exercuit hoc dominium niſi in aliquo caſu.

Dd Et

Et hinc ad fundamentum oppoſitum facile dicitur. Sicut eſſe non poſſunt plures Reges & Principes in ſolidum eiuſdem Regni, vt non ſolùm humano iure, ſed morali etiam Philoſophorum & Politicorum doctrina notiſſimum eſt; & tamen Vaſquez conceſſit & affirmauit, Chriſtum fuiſſe verum Regem & Monarcham omnium regnorum, quantùm ſcilicet ad poteſtatem, licèt non quantum ad vſum & exercitium: ita prorſus Chriſtum potuiſſe eſſe verum dominum omnium rerum & perſonarum, quamuis ſinguli alij homines ſint domini ſuarum rerum. Et regula pro vtraque parte communis eſt: Quod non poſsint quidem eſſe plures Reges aut domini eiuſdem regni aut prædij, in eodem ordine regiminis aut dominij, & cum equali poteſtate, & abſque ſubiectione inter ſe; ſic enim ſi diuerſa & contraria iuberent ſiue diſponerent, inſociabilis pugna & confuſio oriretur. At optimè poſsint eſſe plures Reges aut Domini in diuerſo ordine, & cum inæquali poteſtate, quorum vnus prorſus ſubdatur alteri, & debeat illi cedere, quãdocũque ille iubere aut diſponere voluerit. Sic vtique optimè ſtat, Deum eſſe Monarcham & dominum vniuerſalem, & ſub illo eſſe tot particulares Reges ac dominos: ſimilis autem eſt monarchia & dominium Chriſti, ſuper omnes alios particulares Reges ac dominos. Eſt enim dominium Chriſti proxima quædam participatio diuini dominij: quia nempe Deus communicauit & contulit humanæ voluntati Chriſti poteſtatem iubendi ac diſponendi, ſuper quaſcunq; perſonas & res, quicquid ipſi placeret. Vnde ſinguli tenerentur abſque contradictione & reſiſtentia cedere diſpoſitionibus Chriſti, imò & ipſimet eas exequi quantum ad ipſos ſpectaret. Itaque hoc Chriſti dominium dicetur dominium excellentiæ participatæ, medium inter dominium diuinum excellentiæ imparticipatæ, & humanum dominium vtilitatis, quo particulares homines potiuntur. Atque poſt aduentum Chriſti, ſinguli homines retinuerũt, ac retinent idem dominium quod habebant antea; niſi quòd cum hac ſubiectione, vt debeant cedere Chriſto, quandocunque ipſe aliquid diſponat. Et ſic non potuiſſet repugnare dominus illius agri, vel illorum animalium, quominùs Chriſtus acciperet aut diſponeret vt vellet.

Dum autem Chriſtus per ſe nihil diſponit, poteſt vnuſquiſque pleno iure diſtrahere aut deſtruere res ſuas, abſque alio conſenſu & conceſsione Chriſti, abſque vllo reatu furti & iniuſtitię: quia nempe ſatis eſt, quòd Chriſtus non exerceat ſuum dominium, aliter diſponendo de rebus, aut impediendo particulares dominos. Exceptis tamen illis rebus quas Chriſtus etiam particulari dominio vt proprias poſſidebeat ad inſtar aliorum hominum. Et ideo Iudas meritò latrocinij damnabatur. Et de hoc particulari dominio, ſiue de vſu & exercitio dominij, definiuit Ioannes Papa, Chriſtum habuiſſe dominium aliquarum rerum; contra quoſdam qui negabãt, Chriſtum vllius rei dominium habuiſſe. Sed nunquam negauit Pontifex, Chriſtum habuiſſe ſimul vniuerſale dominium omnium rerum & totius orbis, nec prorſus de hoc altiori dominio loquebatur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIGESIMA SEPTIMA,

Et ſequentes vſque ad Trigeſimamſextam. De Origine Chriſti ex Maria Virgine: deque ipſa Beata Virgine.

DIVISERAT S. Thomas ab initio huius tertiæ partis tractationē de Chriſto Saluatore in duas veluti claſſes. Vna erat de ipſo Incarnationis Myſterio, quo conſtitutus fuit Chriſtus Deus & homo, ſimul cum proprietatibus ipſius Chriſti, vt hactenus proſequuti ſumus. Secunda eſt de ijs quæ Chriſtus Filius Dei incarnatus, geſſit vel paſſus eſt in humana natura: ſiue de Myſterijs vitæ Chriſti, complectendo aduentum eius in hunc mundum, opera quæ deinceps fecit paſſionem & mortem, ac deinde reſurrectionem & exaltationem: & hæc omnia vſque ad quæſtionem quinquageſimamnonam copioſè deducit. Vnde in hac quæſtione incipiens, hæc omnia myſteria ſub quatuor capitibus diſtribuit: nempe de Chriſti ingreſſu in hunc mundum, de progreſſu vitæ eius in hoc mundo, de exitu eius ab hoc mundo, & de exaltatione eius poſt huiuſmodi vitam. Ad primum autem caput de ingreſſu in hunc mundum, reducit non ſolùm conceptionem & natiuitatem, ſed circuncisionem etiam ac baptiſmum: Et rurſus circa conceptionem, quia ſupponit fuiſſe Chriſtum conceptum ex B. Maria, primo loco de illa pertractat.

Nos ergo ijſdem veſtigijs inhærentes, hæc omnia quidem colligere & complecti decreuimus: Tamen quia hæc tota res concernit euangelicam hiſtoriam de vita Chriſti, atque adeo plurimùm pertinet ad interpretes Sacræ Scripturæ, & nobis in animo eſt ea quæ magis theologicam diſputationem ſapiunt ſeligere; ideò hæc breuiùs perſtringemus: & ſub parciori quæſtionum numero rem tranſigentes, commodiori qua poterimus diſtributione, plures ex quæſtionibus D. Thomæ in vnam colligentes, hunc tractatum proſequi cogitamus. Et iam in præſenti proponimus de origine Chriſti ex Maria Virgine, quod ſpectat ad eius ingreſſum in hunc mundum. Quia enim circa ſubſtantiam ipſam Incarnationis ſtabilitum ſimpliciter eſt, Chriſtum veniſſe in mundum, dum oſtenſum eſt, Verbum aſſumpſiſſe humanam carnem in Chriſto: modo ſolùm ſupereſt videre, qualiter formata fuerit humana caro Chriſti, ſcilicet ex Maria Virgine. Et conſequenter tractandum eſt de ipſa B. Virgine ex qua ortus eſt Chriſtus. Quare in hoc priùs obſtruandum eſt, verè Chriſtum conceptum & natum eſſe ex B. Virgine, & quidquid aliud ſpectat ad huiuſmodi humanam Chriſti originem, & deinde inquirendum erit de excellentia & præſertim de ſanctificatione ipſius Virginis: quamuis S. Thomas ſtatim incipiat de ſanctificatione Virginis, & inde progrediatur ad conceptionem Chriſti.

Coniungimus autem nunc & in vnum comprehendimus decem priores quæſtiones Sancti Doctoris: quarum ſeriem & materiam ſic breuiſsimè adunamus. Quæſtione 27. probat, B. Virginem fuiſſe quidem ſanctificatam ante natiuitatem ex vtero matris: non tamen ante animationem in vtero matris: & per talem ſanctificationem fuiſſe in ea ligatum fomitem peccati ex abundantia diuinæ gratiæ: & fuiſſe deinceps præſeruatam ab omni peccato, tàm veniali quam mortali: habuiſſeque maiorem præ cæteris gratiæ plenitudinem: non tamen illam ſolam fuiſſe ſanctificatam in vtero matris.

Quæſtione 28. de Virginitate B. Mariæ probat, B. Mariam fuiſſe prorſus Virginem in concipiendo abſque vlla opera viri: fuiſſe etiam Virginem in partu abſque vlla læſione clauſtri virginalis, ac permanſiſſe ſemper virginem poſt partum: & ad maiorem perfectionem habuiſſe etiam virginitatis votum. Quæſtione autem 29. a. 1. di-

dit, conuenienter B. Virginem fuiſſe deſponſatam Ioſepho, vt Chriſtus ex deponſata Virgine naſceretur: fuiſſeque verum matrimonium inter B. Virginem & Ioſephum abſque nuptiali concubitu. Quæſtione 30. explicat, quam conueniens fuerit, B. Virgini nunciari conceptionem Chriſti: nunciarique per Angelum: & Angelum in corporali ſpecie ei apparere: totumque annunciationis ordinem fuiſſe perfectum.

Quæſtione deinde 31. de Chriſti conceptione oſtendit, conuenienter eius carnem fuiſſe ex Adamo deſumptam: fuiſſe ex progenie Dauid: & fuiſſe recto ordine Chriſti Genealogiam ab Euangeliſtis deſcriptam: fuiſſe conueniens, vt ex femina oriretur Chriſtus, & Verbum carnem ſumeret: ac reuera carnē Chriſti fuiſſe ſupernaturali virtute formatam ex puriſsimo ſanguine B. Virginis. & fuiſſe ſecundùm originem in antiquis patribus progenitoribus B. Mariæ: non tamen fuiſſe in illis aliquam partem corporis exemptam à peccato, ex qua poſtea formaretur corpus Chriſti: nec Chriſtum fuiſſe decimatum in lumbis Abrahę, quando hic obtulit decimas Sacerdoti Melchiſedech, id eſt non fuiſſe decimas oblatas pro ipſo Chriſto, non fuiſſe præfiguratam indigentiam vllam Chriſti, ſicut aliorum qui cōtinebantur in lumbis Abrahæ.

Quæſtione 32. de principio effectiuo conceptionis Chriſti docet, reuera totam Trinitatem perfeciſſe hoc opus, ſed conuenienter attribui Spirituiſancto: & rectè dici Chriſtum conceptum de Spirituſancto: non tamen dici poſſe ſecundùm carnem filium Spirituſancti aut Trinitatis: neque B. Virginem ex officio matris operatam fuiſſe actiue in conceptione Chriſti, ſed tantùm ſubminiſtraſſe materiam.

Quęſtione 33. hunc modū & ordinem conceptionis Chriſti deſcribit: vt in vno inſtanti formatum fuerit totum Chriſti corpus: & in eodem primo inſtanti fuerit animatum anima rationali: in eodemquè fuerit aſſumptum à Verbo: & Chriſti cōceptio dicatur ſimpliciter miraculoſa & ſupernaturalis ratione principij externi, ſecundùm aliquid naturalis ratione materiæ.

Quæſtione 34. talem perfectionem Chriſto in eius conceptione aſsignat: vt in eodem primo inſtanti habuerit Chriſtus plenitudinem gratiæ: habuerit vſum liberi arbitrij: & ex tunc meruerit: fueritquè perfectus comprehenſor, videns clarè Deum vltra omnes alios Beatos.

Quæſtione 35. de Chriſti natiuitate docet, natiuitatem attribui perſonæ tanquam ſubiecto, & naturæ tanquam termino: & ita Chriſto conuenire duplicem natiuitatem, vnam æternam ex Patre ſecundùm diuinam naturam, & alteram tēporalem ex matre ſecundùm humanam: atque adeo B. Virginem verè eſſe ac dici matrem Chriſti penes humanam natiuitatem. & omnino debere quoque dici matrem Dei: in Chriſto autem eſſe duas filiationes ratione duplicis natiuitatis, ſed vnam ratione vnius ſubiecti, nempe perſonæ; natumquè fuiſſe Chriſtum abſque dolore matris: & conuenienter voluiſſe naſci in illo loco, ſcilicet Bethleem: illoque etiam tempore quo de facto natus fuit. Quæſtione demum 36. de manifeſtatione huius natiuitatis docet, non debuiſſe ſtatim natiuitatem Chriſti fieri omnibus manifeſtam: ſed benè aliquibus: & conuenienter fuiſſe electos illos quibus manifeſtata fuit: non tamen debuiſſe manifeſtari inmediatè per ipſum Chriſtum: ſed conuenienter manifeſtatam fuiſſe Simeoni quidem & Annę per interiorem Inſtinctum Spiritusſancti, Paſtoribus Iudæis per Angelum, & Magis Gentilibus per ſtellā: fuiſſequè cōuenienti ordine manifeſtatam, priùs Paſtoribus, deinde Magis, poſtea Simeoni & Annæ: ſtellam verò quæ apparuit Magis, non fuiſſe de cæleſtibus aſtris; ſed fuiſſe de nouo formatam in aere propinquo terræ: ipſoſquè Magos ſapienter veniſſe ad adorandum Chriſtum.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

An & quo pacto Chriſtus conceptus fuerit ex Maria Virgine abſque opera viri.

Error negãs Chriſtum cõceptũ ex Maria.

NON ſolùm Valentinus antiquus Hæreticus dixerat, vt refert inter alios D. Auguſt. lib. de Hæreſib. ad Quod vult Deum cap. ij. *Chriſtum à Patre miſſum ſpiritale vel cæleſte corpus ſecum attuliſſe, nihilquè aſſumpſiſſe de Virgine Maria, ſed per illam tanquam per riuũ aut per fiſtulam, ſine vlla de illa aſſumpta carne tranſiſſe*. Sed Apelles etiam alius antiquus Hæreticus dicebat, vt refert idem Auguſt. cap. 23. *Chriſtum non quidem carnem duxiſſe de cœlo, ſed ex elementis mundi accepiſſe, quam mundo reddidit, cùm ſine carne reſurgens in cœlum aſcendit*. In eodemquè errore fuit Baſilides, vt refert Epiphan. lib. 1. Aduerſus Hereſes cap. 24. fundari poterat hic error, quatenus negabat, Chriſtum fuiſſe verè conceptum ex B. Maria: quia ipſe Chriſtus nuſquam inuenitur eam appellaſſe matrem, quin potiùs appellabat communi nomine mulierem. Ioann. 2. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Et cap. 19. *mulier ecce filius tuus*, vbi deputauit ei Ioannem in filium, & Matth. 12., cum quidam ei dixiſſet, *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te*, reſpondit *Quæ eſt mater mea & qui ſunt fratres mei?*

Veritas Catholica affirmans ex Euangelio.

Notiſſima tamen & celeberrima eſt in Eccleſia, apud omnes Patres, & Fideles, veritas catholica: non ſolùm quod Chriſtus habuit verum corpus humanũ & veram carnem, non cæleſtis ſubſtantiæ, ſed eiuſdem prorſus rationis cum alijs hominibus, vt iam ſtatuimus antea quæſt. quinta. ſed quòd verè etiam hoc corpus habuit per veram conceptionẽ ex B. Maria, & non aliunde acepiſſe, ita vt prorſus Chriſtus vt homo fuerit in toto rigore naturalis filius B. Mariæ. Ita clariſſimè exp̃ſſũ eſt in Euang. ſic Matth incohauit *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abrahã*. & poſt enarratos oẽs intermedios p̃genitores, ſubdit; *Chriſti autẽ generatio ſic erat, cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto*. Per veram ergo generationem & conceptionem Chriſtus habuit humanam carnem ex B. Maria. Sic etiam narrat Lucas cap. 1. verba Angeli ad Mariam: *Ecce concipies in vtero & paries filium*. Sic deinceps Sacri Euãgeliſtæ Mariam vocabant matrem Chriſti. Et Ioannes in illis iiſdem locis ſic eam vocauit: cap. 2. *erat mater Ieſu ibi*: & cap. 19. *cùm vidiſſet Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem, dicit matri ſuæ*. Sic item eam vocauit Angelus Matth. 2. *Accipe puerum & matrem eius*. Sic eam vocauit Eliſabeth Lucæ 1. *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Atq; è cõuerſo Chriſtus vocabatur filius Mariæ. Neque quoad hoc dictum eſt, ſicut de Ioſeph Lucæ 3. *Vt putabatur filius Ioſeph*. Eodem modo hunc fidei articulũ prædicarunt omnes Sancti Apoſtoli: ſicut incæpit Paulus ad Roman, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*: & ſicut dixit ad Galat. 4., *Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere*. Hoc idẽ promiſſũ quoq; fuerat in veteri teſtamẽto ad Abraam Geneſ. 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*: & ad Dauid Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Ideo demũ ſemper ipſe Chriſtus ſe appellabat *Filium hominis*, ſumendo quippe hoc nomen vt commune etiam ad mulierẽ.

Eſt etiam cõſona rationi.

Ratio autem huius rei, abſoluta quidem & propria eſt, voluntas ipſius Dei. Potuiſſet enim vnique Deus alio modo formare corpus Chriſti, & adhuc eodẽ modo conſtituere Chriſtum in redemptorem hominum: ſed ex ſua voluntate decreuit, ita Verbùm incarnari, vt carnẽ ſumeret ex muliere, &, ſic Chriſtus conciperetur ex B. Maria. Conſiderandæ tamen & addendæ ſunt aliæ rationes conuenientiæ pro hac re. Nempe conueniẽs erat, vt Verbum carnem humanam ſumeret ex ipſa humana progenie, ex ipſo Adamo in ſua ſtirpe; vt adnotauit D. Thomas q. 31. art. 1. Siquidem mittebatur Chriſtus ad redemptionem & ſalutem generis humani, ad delendũ peccatum & reatum contractum ex Adamo. Hinc conueniens rurſus erat, vt Verbum carnem ſumeret ex quadã

femina generis humani, & Chriſtus ex illa cōciperetur ac ſuo tempore naſceretur, vt explicat idem D. Tho. ea q. art. 4. Tum ad adſtruendam veritatem incarnationis in humana natura & corpore paſsibili: tum ad honorandum vtrunque ſexum, quia cùm Chriſtus deberet eſſe vir, conciperetur ſaltem ex muliere: tum quia cùm homines communiter fiant ex viro & femina, ſed primus homo factus fuiſſet nec ex viro nec ex femina, Eua ex viro & non ex femina; remanebat hic alius ſingularis modus, quo Chriſtus conciperetur ex femina, ſed abſque opera viri, vt mox ſubiungemus. Quare autem inter omnes feminas electa fuerit Maria, & ad tàm altum miniſterium electa, vt ex illa conciperetur Chriſtus, nō cadit ſub aliam rationem, quàm diuinæ libertatis & prædeſtinationis, non præuiſis vllis meritis ante ipſam electionem, licèt conſequenter fuerit à Deo diſpoſitum, vt B. Maria excellentiſsimis donis gratiæ & virtutum ad hoc genitricis officiū prępararetur.

Explicātur quadam alia Euangelij loca.

Iam vero in illis locis pro errore oppoſito allegatis, plura myſteria & pias ſignificationes Sancti Patres & Expoſitores obſeruant, abſq; vllo præiudicio maternitatis B. Mariæ. Nempe Chriſtum eo modo loquutum fuiſſe, ex quadam modeſtia & grauitate. Appellaſſe mulierem, non tanquam communi nomine, ſed tanquam ſingulari per antonomoſiā & excellentiam, ſcilicet ſummam & excellentiſsimam mulierem, benedictam inter mulieres, eo vtiq; quod erat mater ipſius Chriſti, ſicut & ſe ipſum Chriſtus vocabat per excellentiam Filium hominis. Rurſus in priori loco Ioannis, voluiſſe oſtendere, non debere ab ipſo fieri miracula ex affectu cognationis & carnis, ſed tantùm virtute & inſtinctu diuino. Et in altero loco voluiſſe cauere ne illam denuò ſuo verbo transfigeret, ſi vocaſſet matrem. In alio demum loco Matthæi voluiſſe oſtendere, non debere interrumpi opus diuinæ prædicationis vllo propinquorum aduentu vel impedimento, debreque pręferri obſequium Dei & lucrum animarū omni naturali coniunctioni & ſolatio.

Stante hac veritate conceptionis Chriſti ex B. Maria eius matre, nō ſolùm Ethnici & Iudæi, ſed etiam inter Chriſtianos, Ebion, Carpocrates, & Cherintus, antiqui Hæretici, vt refert Epiphan. lib. 1. Aduerſus Hæreſes cap. 27., putarunt, Chriſtum fuiſſe cōceptum ex Maria & Ioſeph, per carnalem copulam, ad inſtar aliorum hominum. Fundarique poterat hic error in eodem Euangelio, vbi ita Ioſeph nominatur pater Chriſti, ſicut Maria mater. Lucæ 2. *Et erat pater eius & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo:* & infra ambo vocantur parentes eius: & in fine ipſamet B. Maria dixit ad Chriſtum, *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Item vbi B. Maria vocata eſt mulier: videtur enim vocari mulier quæ cognita eſt à viro, ſicut antea vocatur virgo. Ac tandem quia Matthæus cap. 1. & Lucas cap. 3., vt narrarent totam Chriſti originem, contexuerunt Genealogiam Sancti Ioſeph.

Error negans Chriſtum cōceptū ex Virg. abſq; opera viri.

At pariter notiſsima & celeberrima veritas in Eccleſia eſt, apud omnes Sacros Doctores & Chriſti fideles, Chriſtū conceptum fuiſſe ex ſola B. Maria, exiſtente prorſus virgine, abſque vlla opera viri, fuiſſeque hoc modo ſupra naturę ordinem diuina virtute conceptum. Eſt hoc clariſſimè expreſſum in Euangelio. Matth. 1. *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Et ita Angelus hoc reuelauit Sancto Ioſeph, *Quod enim in ea natū eſt, de Spiritu ſancto eſt* Et in fine dicitur, *Et non cognoſcebat eā donec peperit Filiū ſuū.* Ideo etiā Lucæ 1. B. Maria interrogauit Angelum, *Quomodò fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* & Angelus ei reſpondit, *Spiritusſanctus ſuperueniet in te & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Hoc idem prænunciatum quoque antea fuerat in veteri Teſtamento: præſertim Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet et pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quem locum ad hanc ipſam rem affert Matthæus vbi ſupra: & addit interpretationem nominis, *Quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* Et quidem nulli ex ijs qui agnouerunt Diuinitatem Chriſti, dubitarunt de virginitate Mariæ matris eius: vnde illi Hæretici pariter dicebāt, Chriſtum,

Veritas catholica affirmans ex Euangelio.

ſum fuiſſe purum hominem, & ſic modo purè humano fuiſſe conceptum. At etiam inter veteres Iudæos, doctiores Rabyni agnouerunt, Meſsiam naſciturũ ex Virgine, vt refert Galatin. lib. 7. de Arcanis cap. 14. & 15. & Michael Carranza lib. de Virginit. B. Mariæ cap. 13. Et impius quoque Mahomettus idem confeſſus eſt, cuius hæc verba refert noſter Philippus Guadagnolus in Apolog. pro Chriſtiana Relig. tract. 2. cap. 8. *Maria conſeruauit virginitatem ſuam, & inſufflauimus in vterum eius ſpiritu noſtro.*

Eſt etiam conſona rationi. Rationem autem huius rei aliqui ita reducere voluerunt ad vim intrinſecã hypoſtaticæ vnionis, vt dixerint, quod nec de potentia abſoluta Dei potuiſſet fieri, vt naturali modo concurreret vir vbi fieret incarnatio: eò quòd actio viri habeat terminari ad gignendam perſonam, & hæc actio non poteſt vtique terminari ad perſonam diuinam quando hæc incarnatur. Aliqui etiam reducere voluerunt ad ſummam puritatem humanitatis aſſumptæ, quæ nec de potentia abſoluta Dei potuiſſet relinqui ſubiecta peccato: at ſi fieret conceptio naturali modo ex viro & femina, deſcẽdentibus ſcilicet ex Adamo; hæc natura eſſet obnoxia originali peccato. Et hanc rationem indicat S. Tho. q. 28. art. 1. ex Auguſt. lib. de Nupt. & cõcupiſc. cap. 12. Attamen hæ rationes, nec neceſſariæ ſunt, nec ſolidæ. Quinimo potuiſſet ſine dubio Deus aſſumere humanitatẽ, quæ naturali modo conciperetur ex viro & femina: ſicut vtique poſſet nunc aſſumere naturam alicuius hominis, iam naturali modo progeniti. Etenim actio viri modò terminatur ad efformandum ac diſponendum corpus organicum, vel etiam ad efficiendam vnionem inter corpus & animam: eodemquè modo poſſet concurrere in caſu incarnationis: idquè ſufficit vt denominetur attingere perſonam. Et fortaſſe etiam femina hoc modo actiuè concurrit: & ſic B. Virgo de facto adhibuit talem actionem in conceptione Chriſti, ſicut aliæ matres in concipiendis filijs. Rurſus non potuiſſet quidem fieri, vt aliqua natura, ſimul maneret inquinata peccato, & aſſumeretur à Deo, ſiquidem per ipſam met aſſumptionem ſanctificaretur: at ſimpliciter non repugnaret aſſumi naturam, quæ non ſolum fuiſſet obnoxia, ſed etiam de facto infecta peccato.

Vera ergo & propria ratio huius rei reducenda eſt in voluntatem & potentiam Dei. Sic indicauit Angelus quando ad interrogationem Mariæ reſpondit: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Poterat ergo Deus facere, vt conciperetur quædam humana natura ex femina abſque opera viri, ſupplente ipſo Deo, altiori modo, actionem & productionem in hoc opere requiſitam. Et ita dum voluit quandam humanam naturam aſſumere, voluit & fecit vt hoc ſingulari modo conciperetur. Adduci autem poſſunt plures aliæ rationes, quare conuenientiſſimum fuerit ſic fieri, quas affert S. Thomas quæſt. 28. art. 1. Tum ob dignitatem Dei Patris, ne alius eſſet Pater Filij ſui, Tum ob dignitatem ipſius Filij qui aſſumebat carnem; Tum ob dignitatem humanitatis Chriſti quæ eſſe debebat immunis à peccato, & ideo nec etiam debebat concipi per concupiſcentiam & cõmiſtionem carnalem qua in nobis traducitur peccatum: ſic enim accipienda eſt hæc ratio D. Thomæ & D. Auguſtini, per modum congruentiæ, & non per modũ neceſſitatis. Tum demum ob finem ipſum incarnationis Verbi & conceptionis Chriſti, qui fuit vt renaſcerentur homines in filios Dei, non ex voluntate carnis & viri, ſed ex virtute Dei: cuius rei exemplar apparere debuit in ipſa conceptione Chriſti.

Ad ea verò quæ ex aduerſo præmittabantur, plene ſatisfacit S. Thomas eodem art. cit. in ſolut. ad argumenta. Et quidem patet clariſſimè ex Euangelio, qualiter Ioſeph vocabatur pater Chriſti, longè ſcilicet alio modo quàm Maria mater: nempe quia putabatur pater, vt expreſſit idem Lucas cap. 3., & quia erat Filius coniugis ſuæ. Vnde ſi ſola adoptione denominantur quoque filius & pater: multò magis, vbi Chriſtus verè erat filius Mariæ deſponſatæ ipſi Ioſeph. Vocata eſt etiam Maria mulier, quatenus hoc nomen commune eſt ad omnem feminam humanæ ſpeciei, *Explicātur quædã alia Euangelij loca.*

Digitized by Google

tiei, etiam ſcilicet virginem. Idquè non ſolùm apud Hebræos, ſed etiã apud Latinos: Et ad ſummum denotat feminam in ætate nubili. Vnde Eua ipſa ab initio fuit vocata mulier, quando adhuc erat virgo. Quare demum Genealogia Chriſti deducta fuerit per Ioſeph, dicemus ſect. quinta.

Maria virgo præſtitit totum id quod ſolēt aliæ matres.

Vlterius ad explicandum magis quo pacto Chriſtus conceptus fuerit, & ad perfectam maternitatem B. Mariæ in concipiendo, ſpectat vt dicamus, illam præſtitiſſe ex parte ſuæ totum id quod neceſſarium eſt ad veram rationem cõceptionis & generationis vitalis. Dici etiam poteſt ſimpliciter præſtitiſſe totũ id quod ſolent naturaliter aliæ matres, ſecluſa ſolùm omni voluptate carnali & violatione virginitatis. Etenim quod præſtiterit totum quod neceſſarium eſt, ſequitur ex ipſa fide myſterij, dum Chriſtus verè conceptus ex illa fuit, & ipſa verè fuit mater Chriſti. Quod autem præſtiterit totum quod ſolent aliæ matres, reuocatur in dubium à quibuſdam. Quia ſcilicet poteſt eſſe, vt aliæ feminæ aliquid præſtent ad vitalem cõceptionem, non tanquam neceſſarium; ſed tanquam vtile: & id poterit dici nõ fuiſſe præſtitum à B. Virgine, ſi aliquam indecentiam importet, vtpote miniſtrationem etiam ſeminis, & hoc mediante concurſum quoque actiuum ad formationem prolis. De qua re apud Philoſophos ac Medicos diſputatur, nũ ſcilicet naturali modo femina etiam miniſtret ſemen, eoq; mediante concurrat actiuè ad generationem prolis. Negatquè Ariſt. lib. 1. de Generat. animal. cap. 20., & ſequitur S. Tho. hic q. 31. art. 5. & q. 32. art. 4. Affirmat verò Galenus lib. de Vſu Partium cap. 14. Sed quicquid ſit de philoſophica quæſtione, ad quam non oportet nunc diuertere, poteſt abſolutè dici B. Virginem præſtitiſſe id quod naturaliter ſolent aliæ feminæ, etiam inquam concurſum actiuum mediante inſtrumento apto. Tum quia hoc ſpectat ad perfectam maternitatem, ne B. Virgo aliquid minus quàm aliæ matres præſtitiſſe dicatur. Tum quia id non tantùm videbatur vtile, ſed neceſſarium naturaliter ad omni generationis vitalis: nec dici debet, ſupletum à Deo fuiſſe quod requirebatur ex parte matris, ſed tantũ quod ex parte patris. Tum quia id totum optimè fieri potuit virtute diuina, excluſo omni ſenſu libidinis & voluptate carnali: & ita ſublata omni indecentia, & abſque vlla macula virginitatis. Et ita affirmauit Riccard. in 3. d. 4. art. 2. q. 1., & probabile reputat Suarez hic tomo 2. diſp. 10. ſect. 1., & explicat etiam Bonacina de Incarn. diſp. 1. q. 4. puncto 3.

Pro concurſu viri ſupplevit Deus, qui non per hoc dicitur pater Chriſti ſecundũ carnem.

Pro illo verò concurſu actiuo qui naturaliter eſt neceſſarius & interuenire ſolet ex parte viri, Deus ipſe tanquam principium effectiuum operatus eſt, tũ inducendo debitas diſpoſitiones in materia, tum producendo vnionem inter animam & corpus organicum. Et tota quidem Trinitas indiuiſim hoc totum operata eſt, ſed per appropriationem attribuitur hęc operatio ſpecialiter Spirituiſancto, vnde & in Symbulo confitemur, Chriſtum conceptum de Spiritu ſancto. Ita tractat S. Thomas q. 32. art. 1. & 2. Eſtq; res clara: quia omnia quidem opera Dei ad extra, ſunt indiuiſa reſpectu Trinitatis, ſed opera humanæ ſalutis per accomodationem appropriantur Spirituiſancto. Non per hanc autem efficientiam dici poteſt Spiritus sãctus, ſiue Sancta Trinitas, pater Chriſti ſecundum carnem. Ita aduertit S. Thomas art. 3. Et ratio eſt manifeſta: quia nomina patris & filij non dicuntur penes quemcunque modum efficientiæ, ſed ſolùm penes modum generationis vitalis in ſimilitudinẽ naturæ: & ideo vir quidẽ vitali modo gignens alium, dicitur pater illius; non tamen Deus ſuperiori modo operans & producens quendam hominem, dicetur hoc pacto pater talis hominis, non dicebatur tali modo pater Adami, pater Eue: non ergo dicitur pater Chriſti ſecundùm humanitatem, ſed ſolùm abſolutè dicitur cauſa efficens, principium effectiuum & productiuum.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

An & qualiter conceptio Chriſti peracta ſit in inſtanti.

Conceptio Chriſti facta fuit in inſtanti.

VErè hæc tota conceptio Chriſti peracta fuit ſimul & in inſtanti, & non ſucceſſiuè per tempus: hoc eſt ſimul fuit formatum & organizatum totum Chriſti corpus, cum ea diſpoſitione quæ requiritur ad ſuſceptionem animę, & ſimul à Deo creata atque infuſa fuit anima, ac ſimul etiam in eodem formationis inſtanti, tàm corpus quàm anima, ideſt tota hæc humana natura Chriſti, aſſumpta fuit à Verbo. Ità docet & probat S. Thomas q. 33. per tres articulos, Abulenſ. q. 53. in cap. 1. Matthęi, & communiter alij Theologi hoc loco, & in 3. d. 3. In quo apparet ſingularis quidam modus huius conceptionis, ad differentiam aliorum hominum: quia in alijs aſſignatur tẽpus quadraginta dierũ & ampliùs ad formationem & organizationem corporis, quoad membra præcipuá, donec informetur anima, & rurſus aliud adhuc tempus ad perfectá formationem aliorum membrorum minus principalium: at corpus Chriſti fuit ſtatim totum perfectè formatum in inſtanti. Aduertit autem S. Thomas art. 1., ſucceſſiuè quidem priùs factam fuiſſe collectionem ſanguinis, quæ eſſe debebat materia corporis, ad locum conceptionis, ideſt in vtero B. Virginis: quia nẽpe motus localis non poteſt fieri in inſtanti. Per quod non negauit S. Thomas, potuiſſe quoque per Dei potentiã fieri hanc collectionem in inſtãti, nẽpe abſq; motu locali, ſed per ſimplicẽ trãſlationẽ de loco ad locũ. Sed id non erat neceſſarium nec conueniens. Quinimò conueniebat, talem collectionem fieri per motum localem: & ſic omnino fieri debebat ſucceſſiue per aliquod ſpatium temporis. Et hoc pacto poterat etiam ad talem operationem concurrere actiuè virtus vitalis generatiua in B. Virgine, ſicut in alijs feminis hæc virtus in vtero attrahit ſanguinem ex venis, requiſitum ad formationem fœtus. Addendo, quòd eadem virtus natiua B. Virginis roborata & ordinata fuit à Deo, vt multò citiùs & velocius totã portionem sãguinis requiſitã, in breuiſſima mora cõgregaret: cũ alioquin in alijs feminis lõgior per plures dies mora temporis intercedat, iuxta id quod dictum eſt de tempore conceptionis. Rectè etiam aduertit S. Thomas, ſucceſſiuè deinceps factum fuiſſe augmẽtum corporis Chriſti, donec nimirum perductum fuerit ad partus maturitatem. Sed ſimpliciter ipſa conceptio dicetur facta in inſtanti: quia huiuſmodi ſucceſſio ſe habet conſequenter ad conceptionem, ſicut collectio sãguinis ſe habebat antecedẽter.

Poterat & debebat ſic fieri.

Ratio autem qua probat S. Thomas, conceptionem Chriſti factam fuiſſe in inſtanti, eſt: quia virtus diuina eſt infinita, qua virtute formatum eſt corpus Chriſti, atque adeo non indegebat mora temporis. Et non conueniebat, vt Verbũ diuinũ aſſumeret corpus niſi plene formatũ vel vt Beata Virgo cõciperet niſi Deũ hominẽ Itaq; oportebit fateri, in vno primo conceptionis inſtanti fuiſſe ſtatim plenè formatum, & animatum, & à Verbo aſſumptum, corpus illud Chriſti. Vbi prior pars huius rationis demonſtrat poſſibilitatem, poſterior oſtendit conuenientiam huius inſtantaneæ conceptionis, abſque ſucceſſione & mora temporis. Ad cuius rei maiorem confirmationem accedit communis conſenſus Patrum, qui idem aſſerũt. Et conforme eſt id ad doctrinam antea traditam quæſt. 5., quòd ſimul tempore aſſumpta fuit à Verbo caro & anima Chriſti, & ipſa caro fuit animata. Colligitur etiã id totũ ex Euangelio: ſtatim enim in annunciatione Angelica peracta fuit tota incarnatio & aſſumptio, & Filius Dei factus eſt homo: ergo tunc abſque mora temporis fuit formatum corpus Chriſti & animatum, vt ſimul cum anima fuerit aſſumptum. Et ſic intelliguntur verba Angeli ad B. Virginẽ, iuxta communem interpretationẽ Doctorum: ſcilicet concipies in vtero filiũ, qui erit magnus & Filius Altiſſimi, ideſt in ipſa ſua conceptione concipies Filiũ Dei: non ergo priùs B. Virgo concepit aliud quàm Deum hominem: igitur cõceptio & formatio corporis Chriſti, non fuit facta ſucceſſiuè ante aſſumptionem à Ver-

Digitized by Google

à Verbo, ſed ſimul hæc omnia peracta ſunt. Quare fatendum etiam erit, virtutem generatiuam vitalem B. Virginis fuiſſe quoque diuina virtute roboratam & adiutam, vt ſimul eodem inſtãti induceret omnes diſpoſitiones requiſitas in illa materia, & perficeret ea omnia, quæ ſolent aliæ feminæ in formando fœtu, ſolent inquam cum prædicta ſucceſſione & mora temporis. Neque hoc eſt difficile: quia non per hoc eleuabatur virtus natiua Virginis ad faciendum aliquem effectum extra ſuam actiuitatem, ſed ſolùm iuuabatur quoad modum, vt ſtatim abſque ſucceſſione & mora compleret, id quod alioqui modo naturaliter conſueto, non niſi certo quodam temporis ſpatio perficere potuiſſet: iuxta ea quæ diximus 1. par. q. 48. ſect. 2. de eleuandis cauſis naturalibus ad ſupernaturales effectus.

Difficultas quædam affertur.

Adhuc tamen obuiat quædam difficultas, quæ oboritur ex dictis: Motus enim localis non poteſt fieri in inſtanti, nec debebat fieri localis translatio abſque vero motu ſola virtute diuina, & iã in hoc admittebatur potiùs aliqua breuis mora & ſucceſſio. Sed adhuc poſt collectionem ſanguinis in vtero, ſupererat quoque aliqua localis mutatio ad formationem & organizationem corporis: debebãt enim formari tot varia membra ſub diuerſis & varijs figuris, nec poteſt accommodari & variari figura abſque mutatione locali partium: debebant præſertim fieri aliquę partes denſiores & duriores, vt pote oſſa, quæ addenſatio fieri debebat per hoc quod materia quæ occupat ampliorem locũ, reſtringebatur in anguſtiorem locum, quod etiam non poterat fieri abſque mutatione locali. Quare ſi in ipſo actu formationis, poſt collectionem ſanguinis in locum conceptionis, requirebatur adhuc aliquis motus localis, non poterat fieri ipſum opus formationis penitus in inſtanti abſque omni ſucceſſione.

Examinatur.

Huic difficultati, Tannerus tomo & diſp. 2. q. 2. dub. 3. Bonacina de Incarn. diſp. 1. q. 4. puncto 4. admittunt, non oportere dicere, formationem corporis Chriſti factam fuiſſe in inſtanti mathematico, ſed poſſe dici factã fuiſſe in inſtãti phyſico ſeu morali, ideſt breuiſſimo temporis ſpatio. At Suarez diſp. 11 ſect. 1. ingenue fatetur, ſe neſcire ſatisfacere: niſi prout ait ſect. 2. debere neceſſario admitti, huiuſmodi localem mutationem factam fuiſſe ſola virtute diuina in inſtanti, abſque motu, ſed per ſimplicem translationem de extremo ad extremum, ſiue de vna ad aliam partem loci, abſque tranſitu per medium: ita vt circa formationem corporis quoad hoc B. Virgo non habuerit efficientiam connaturalem, & ita dicẽdo ſeminalem. Idem affirmãt Ioſephus Raguſa tract. 1. de Incarn. diſp. 69. & Kelliſonus q. 33. art. 1. Verùm facilè dici poſſe videtur, in illamet collectione sãguinis facta antecedenter ad conceptionem, diſpoſitam & collocatam fuiſſe totam materiam neceſſariam in tali ſitu & ordine figuræ in quo debebant membra formari: aut ad ſummum ſuperfuiſſe aliquid ſanguinis vltra illum ſitum in quo debebat totum corpus cum ſuis membris completè figurari: & ita ex hoc capite non ſequitur debuiſſe fieri aliam mutationem vel translationem localem materiæ in ipſo actu conceptionis quo formabatur corpus. Item in eadẽ antecedẽti collectione, fuiſſe adunatam & reſtrictam maiorem ſanguinis copiam in quibuſdam partibus quam in alijs, videlicet vbi formanda erant oſſa quàm vbi carnes, & ita tunc addenſatam fuiſſe per ſingulas partes & loca, iuxta debitam proportionem & exigentiam membrorum humani corporis. Et hoc quidem totum ſpectat ad illam cõgregationem materiæ, quam S. Thomas vocauit præuiam & præambulam ad conceptionem, & quam fatetur factam fuiſſe ſucceſſiuè per motum localem: hæc enim materiæ congregatio debet intelligi cum diſtributione & partitione requiſita, non tantùm in confuſo quoad totum locum, ſed diſtinctè quoque & ordinate quoad ſingulas partes, ſecundũ debitam diſtributionem. Ita tamen quòd toto tempore antecedenti ad inſtans conceptionis, ſemper permanſerit eadem forma ſanguinis in illa materia, & abſque alia forma ſubſtantiali intermedia, tranſierit illa materia ad ipſam formam Chriſti quæ fuit anima rationalis.

Digitized by Google

ſis. Hoc enim eſt, quod falſare oportet, ſcilicet B. Virginem non concepiſſe priùs aliam diſtinctam ſubſtantiam, aliud diſtinctum ſuppoſitum, præter Deum hominem; licet præparauerit materiam per aliquas præuias diſpoſitiones.

Difficile autem non videtur, quod toto eo tempore antecedenti permanſerit eadem forma ſubſtantialis ſanguinis, quamuis ſub diuerſa & inæquali denſitate. Nam nec videtur intercedere tã magna diuerſitas & inæqualitas inter carnes & oſſa tunc tenera in corpuſculo infantis, cùm primò formatur & animatur. Sicut etiam tunc valde exiguũ eſt tale corpuſculum, quantum ſcilicet corpus vnius ex maioribus formicis, vt ex Philoſ. notata Abulenſ. q. 53. in cap. 1. Matth. Quare in hoc etiam fine cauſa laborat Suarez, vt explicet quomodo tunc colligi potuerit ſimul tota copia ſanguinis requiſita pro noua formatione integri humani corporis, abſq; detrimẽto corporis matris. Nec rurſus illa diuerſitas denſitatis & duritiei, ſtatim afferre debebat diuerſitatem ſubſtantialis formæ: quinimo videmus ſanguinẽ eductum è venis congulari & dureſcere, nec putamus per hoc mutare formam. Videmus etiam maximam huiuſmodi diuerſitatẽ, inter aquam & glaciẽ, & vaporem, inter terram & exhalationem, conſeruata adhuc eadem forma ſubſtantiali. Sic ergo optimè fieri potuit, vt per eandem virtutem vitalem B. Virginis adiutam virtute diuina, in exigua mora temporis, fuerit antecedenter congregata tota materia ſanguinis tunc neceſſaria; & fuerit diſpoſita cum debita partitione & differentia maioris aut minoris copiæ, maioris aut minoris denſitatis pro ſingulis partibus, & in vltimo inſtanti terminatiuo huiuſmodi collectionis & motus localis, fuerit ſimul inducta omnis alia diſpoſitio requiſita, quæ iam non indigebat ampliùs alio motu locali & alia ſucceſſione temporis: in eoque inſtanti dicatur formatũ corpus Chriſti, & pariter animatum, ac ſimul cum anima aſſumptum à Verbo: ſicque in ipſo inſtanti peracta ſit tota conceptio Chriſti.

SECTIO TERTIA.

Qualiter Maria Virgo deſponſata fuerat Ioſepho per verum matrimonium.

Qvamuis Chriſtus ſecũdùm carnem ex ſola matre Virgine, & non ex viro patre conceptus ſit: tamen quia B. Maria eius mater fuit deſponſata viro, & Chriſtus putabatur filius Ioſephi, & ab eo tanquam patre fuit cũſtoditus & enutritus; ac etiam per Ioſephum deducta eſt genealogia & ſeries progenitorum Chriſti ad hunc eundem locum ſpectat de hac deſponſatione videre. Mariam ergo deſponſatam fuiſſe Ioſepho, vterque Euangeliſta, ſcilicet Mattheus & Lucas, apertiſsimè narrant, eamque vocant coniugem & vxorem Ioſephi. Afferuntur autem à Sacris Doctoribus plures rationes, ob quas conueniens fuerit, Chriſtum de deſponſata concipi, quamuis concipiẽdus eſſet abſque opera viri. Duodecim rationes prgclarè congerit S. Thomas q. 29. art. 1. Quatuor ex parte Chriſti. Ne ab infidelibus tanquam illegitimus ſperneretur? Vt conſueto ſcripturarum modo per virum eius genealogia contexeretur. Vt à Ioſepho nutriretur. Et vt virgineus partus Diabolo cœlaretur, ne vehementiùs ab initio contra Chriſtum inſurgeret. In hoc tamen oportet addere, vt aduertit D. Thomas ad 3. quod Diabolus impeditus etiam à Deo fuerit, ne cognoſceret aut aduerteret, B. Mariam permanſiſſe ſemper virginem, non ſolùm in conceptione, ſed etiam in partu: quia alioqui, cùm hæc virginitas ſit quædam conditio naturalis & corporalis, potuiſſet facilè à Dæmone non impedito cognoſci. Tres alias rationes adducit ex parte B. Mariæ. Ne lapidaretur à Iudæis vt adultera, id eſt pœna ſolita adulterij: quia in veteri lege pariter iuſtum erat, vt lapidibus obrueretur puella quæ fornicata eſſet & virginitatem amiſiſſet, Deuter. 22., vt notat D. Tho. ad 4. Vel nomine adulterij intelligendo omnem illicitam copulam, vt interdum hoc nomen ſumitur. Item

Conueniens fuit, Chriſtum concipi ex Virgine deſpõſata.

Digitized by Google

& Scholaſtici in 4. d. 29. & 30. & Sacri Expoſitores in Euangel. inter quos latè Abulenſ. q. 32. in cap. 1. Matthæi. Ita planè habetur ex ipſa Scriptura, quæ Mariam appellat coniugem & vxorem Ioſephi, ac Ioſephum virum Mariæ. Idemque ſine dubio eſt de mente Patrum. Et quidẽ ſatis cõſtat, nõ eſſe per ſe de ratione matrimonij ipſam copulam, quinimò modo inter Fideles, vbi matrimonium eſt ſacramentum, perficitur hæc ipſa ratio ſacramenti in ipſo mutuo conſenſu viri & feminæ per verba de præſenti, etiam ſi nunquam poſtea ſequatur copula. Et in ipſo iure hoc vocatur matrimonium ratum, ac diſtinguitur à matrimonio conſummato quod fit per copulam. Verè autem inter B. Virginem & Ioſephũ contractum fuiſſe matrimonium per verba de præſenti, præter auctoritatem Scripturæ & Doctorum, non debet alia ratione conuinci: ſed poteſt iiſdem rationibus ſuaderi, quibus iã oſtendebatur conuenientia huius rei. Nam ad illos fines & effectus vtique conueniens erat, iniri verum matrimonium per deſponſationem de præſenti, & non ſolùm per promiſſionem de futuro: ſic enim conſulebatur famæ B. Mariæ, & ſic de aliis motiuis inductis. Atque ex ipſamet promiſſione de futuro, inferri debet, contraxiſſe poſtea de præſenti, quia ſuppoſita promiſſione ad hoc tenebantur, & apud populum hoc apparere debebat. Eoque magis id confirmabitur, vt omnino ſic aſſeri debeat, quia id totum optimè fieri poterat abſque vlla macula virginitatis B. Mariæ, etiam inquam in ipſo conſenſu & intentione, vt mox apparebit. Imò eadem ferè difficultas trahi poterat ad pura ſponſalia ſiue promiſſionem futuri matrimonij: ad quam proinde eodem modo ſatisfacere oportebit.

Potuit eſſe ſimul cum propoſito et voto perpetuæ virginitatis.

Patres ergo qui videbantur ſub illis nominibus negare matrimonium, negare ſolùm voluerunt matrimonium conſummatum, & copulam coniugalem, & in hoc ſenſu accipiebant illa nomina coniugis & ſimilia, quatenus denotant mulierem à viro cognitam. Sic exponit D. Tho. q. 29. art. 2. ad argum. & colligitur ex eadem doctrina Patrum. Vel aliqui voluerunt B. Mariam non fuiſſe adhuc deſponſatam de præſenti, ſiue quoad ſolemnitatem, quando concepit Chriſtũ, ſed ſic deſponſandam eſſe poſt conceptionem: de qua re infra dicemus.

Ad rationem verò fundamentalem oppoſitam aliqui concedunt, B. Virginẽ tunc habuiſſe illum conſenſus, tamen cum remiſſione ad diuinam volũtatem, nec tunc habuiſſe propoſitum aut votũ contrarium. Et quidem Diuus Thomas hoc art. 2. inquit: *Omnino verum fuit matrimonium Virginis matris Dei & Ioſeph, quia vterque conſenſit in copulam coniugalem, non autem expreſſe in copulam carnalem, niſi ſub conditione ſi Deo placeret.* Vbi S. Doctor non reputat indecentem virginitati B. Mariæ hunc modum conſenſus, cum quo nulla remanet difficultas de validitate & iuſtitia matrimonij. In hoc tamen non acquieſcunt alij Theologi, qui ſupponebant, B. Mariam habuiſſe conſtantiſſimum propoſitum, & fortaſſe etiam votum perpetuæ virginitatis. Ideo alij cum Vgone de S. Victore lib. de Mariæ virginitate addunt, illã habuiſſe firmam fiduciam in Deo, qua indubitáter crederet quòd ita Deus diſponeret, vt poſſet adhuc in ſtatu matrimonij inuiolatam ſeruare virginitatem. Sed quia adhuc parum videbatur tantam rem committere ſoli huiuſmodi fiduciæ, addunt ampliùs plerique Scholaſtici cum Magiſtro in 4. d. 30. B. Mariam ex diuina reuelatione & inſpiratione certò nouiſſe, quòd ſeruatura eſſet intactam virginitatem, & ſimiliter de ipſo Ioſeph. Idemq; approbat D. Tho. ipſe ea dist. q. 1. ar. 2. ad 1.

Addũt inſuper aliqui Theologi, & eſt ſatis probabile, B. Mariam ſub hac expreſſa conditione contraxiſſe cum Ioſeph, ſponte etiam conſentiẽte, vt perpetuam virginitatem ſeruarent, & nunquam ſe carnaliter tangerent, nec debitum coniugale peterent. Dubitatur quidem inter Doctores, num hæc conditio ſit contra ſubſtantiam matrimonij, num valeat matrimonium cum hac conditione contractum. Et eſſe contra ſubſtantiam, ac matrimonium non valere,

Potuit eſſe cum expreſſa conditione & conuentione ſeruandæ caſtitatis.

lere,

ſere, defendit Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 28. & lib. 5. diſp. 10. cum pluribus quos refert. Attamen non eſſe contra ſubſtantiam, & matrimonium valere, indicauit Gerſon in Sermone de Natiuit. B. Mariæ, qui habetur Alphab. 59. littera V. & expreſſè defendunt Paludan. in 4. d. 30. q. 2. art. 1. concluſ. 2., Supplement. Gabriel. d. 28. q. 1. art. 3. dub. 1. Maior diſt. 30. q. 1. §. 1. Almain. ead. diſt q. 2. Abulenſis in cap. 30. Numeri q. 32. Carthuſ. par. 1. de vita Chriſti cap. 3. Vaſq; hoc loco diſp. 125. cap 6. & 7. ac probabile reputat Suar. tomo 3. de Relig. lib. 9. cap. 12. num. 13. ConinK diſp. 24. de matrim. dub. 4. Rebell. de Iuſt. par. 2. lib. 2. q. 10. Baſilius Pontius lib. 1. de matrim. cap. 28. & 19. & ex Iuriſtis tenent Imola in l. *Vbi ita donatur* ff. de donationibus cauſa mortis, Barbat. in cap. finale de Præcarijs, & alij. Atque explicatur ſic: quia de ratione matrimonij eſt quidem mutua corporum traditio, & veluti translatio dominij, vt vterque coniugum habeat ius petendi ab alio debitũ coniugale: tamen cum hoc optimè ſtare poteſt, vt coniuges nolint vti tali dominio & tali iure, imò vt apponant impedimentum ne vtantur, per promiſſionem ſcilicet inter ſe, aut etiam per votum apud Deum. Non poteſt ergo ſubſiſtere & valere matrimonium cum tali conditione, vt non tribuatur tale dominium & tale ius, quia talis conditio eſſet prorſus contra ſubſtantiam matrimonij: & hoc ſolùm voluiſſe videntur plerique ex Auctoribus qui allegantur pro priori ſententia. Sed benè poterit ſubſiſtere matrimoniũ cũ tali cõditione, vt coniuges non vtantur tali iure & dominio, nõ petant coniugale debitũ, imò vt emittant votum nõ petendi, ſed ſeruandi perpetuam caſtitatem & hoc adhuc eſſet verum matrimonium. Sunt ſi poſt illud contractum, cõiuges ſibi promitterent, aut etiam voto ſe adſtringerent, nunquam petere debitum: ſicut inquam hoc poteſt conſequi poſt matrimonium, ita poteſt præcedere, ſiue interuenire in ipſo contractu matrimonij.

Haberetque adhuc hoc matrimoniũ ſuos certos effectus: nempe conſtitueret coniuges in tali ſtatu, vt ſi poſtea ſe carnaliter cognoſcerent, non per hoc peccarent peccato fornicationis, ſiquidem verè habent poteſtatem in ſua corpora ad inuicem; ſed ſolùm peccarent contra promiſſionem & votum. Item facit, ſi quis eorum accederet ad aliam perſonam extraneam, non delinqueret ſolùm ſimplici peccato fornicationis, ſed verè & propriè peccato adulterij contra fidem matrimonij, quia non habet poteſtatem ſui corporis, quam reuera tradidit alteri coniugi. Demum facit, vt neuter eorum poſſit altero ſuperſtite tranſire ad alias nuptias, & contrahere aliud matrimonium cum altera perſona; ſiquidem iam non eſt liber & ſolutus, ſed verè eſt ligatus priori vinculo matrimonij, nec poteſt vnus vir habere ſimul plures vxores, aut vna mulier plures maritos. Sic ergo poteſt eſſe verum matrimonium cum illa conditione, promiſſione, & voto inter coniuges, nunquã ſe carnaliter cognoſcendi, nunquam petendi debitum coniugale, nunquam vtendi illa poteſtate dominio & iure quod ſibi alterutrum in ſua corpora tradiderunt.

Habebat adhuc ſuos effectus.

Sed etiam ſi hoc admittatur, adhuc Suarez hac diſp. 7. ſect. 1. non approbat interceſsiſſe hanc veluti conuentionem & conditionem inter B. Virginẽ & Ioſeph. Tum quia S. Thomas in hac re ſentit, præſertim q. 28. art. 4. nihil inter S. Mariam & Ioſeph tractatum eſſe de ſeruanda virginitate, niſi poſt initum matrimoniũ. Tum quia, eſto hæc conditio non ſit contra ſubſtantiã matrimonij, ſaltem non eſt illi conſentanea. Tum quia is qui abſolutum votũ virginitatis emiſit, non poſſet ſua auctoritate contrahere matrimonium ſub tali conditione & intentione, præſertim cum animo perſeuerandi in tali ſtatu: Tum etiam addi poteſt, quia inutiliter & fruſtra B. Virgo voluiſſet ſic cõtrahere matrimonium, nec habuiſſet prudentem rationem id faciendi: ſiquidem ipſa non ſciebat arcanum diuini cõſilij, quòd ex ea concipiẽdus eſſet Chriſtus, quem expediebat concipi ex deſponſata, ſicut conueniebat concipi ex virgine.

Atque ita cõtr actum fuit cũ iac conuentione.

Verùm, ſtante quòd talis conuentio & conditio non erat contra ſubſtantiã

ma-

matrimonij, dici debet explicitè & ſciēter intercenſſe. Nam id magis commendat integerrimum animum virginalem B. Mariæ, & excludit omnem conſenſum, & omnem apparentiam conſenſus apud Ioſeph ſponſum ſuum, in quēcunque actum carnalem. Et magis etiā commendat ſinceritatem & claritatem B. Virginis in tractando, ne videretur veluti decipere ſuum ſponſum. Dum enim habebat animum ſeruandi ſuam virginitatem, & ſupponamus etiam habuiſſe de hoc reuelationem: ſi non ſciebat hoc eſſe notum Ioſepho, debebat pro ſua ſinceritate & fidelitate id ei manifeſtare. Si autem ex eadem diuina reuelatione ſciebat, id eſſe manifeſtū & immediatè ab ipſo Deo reuelatum Ioſepho; iam hoc ita ſe habet, ac ſi immediatè inter ſe talem conuentionem habuiſſent, quā mediante diuina reuelatione firmabant; & veriſimile eſt, immediatè etiam inter ſe hanc rem ſibi inuicem communicaſſe. Vel fortaſſe, hæc ipſa fuerat diuina reuelatio quam acceperant, quod placeret Deo, vt matrimonium inter ſe contraherent, promittendo ſibi ad inuicem, & per votum Deo, ſeruare perpetuam continentiam, & conſequenter ex diuino inſtinctu ſic contraxerunt & promiſerunt.

Et cōſequenter ſic contractum fuit ſpecialiter à B. Maria.

Nec obſtant quæ Suarez opponebat. Nam D.Tho. quidem hoc loco non ſupponit B. Mariam ante deſponſationem habuiſſe votum virginitatis: quod ſi ſuppoſuiſſet, vtiq; ét putaſſet, antea quoque tractaſſe cum ſuo ſponſo de virginitate ſeruanda: Suarez autem exiſtimat habuiſſe antea tale votum, quare debuiſſet etiam hanc manifeſtationem & conuentionem approbare. Quæ quidē non ſolū non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ſed nec eſt illi diſſentanea aut indecēs, licèt dici poſſit nō eſſe poſitiuè conſentanea, quia nō oritur ex ipſo matrimonio. Non per hoc autē excludebatur. Quinimo magis, ipſum matrimonium videretur non fuiſſe conſentaneum cum propoſito & voto virginitatis, tamen B. Virgo contraxit matrimonium: quia ſcilicet ob alias ſuperiores rationes factum id fuit conſentaneum. Verò autem inter ordinarias perſonas non poteſt; quæ habet votum caſtitatis contrahere matrimonium: non ſolùm nunq; ex iure Eccleſiaſtico, cap. *Voventibus 27. q. 1. Voventibus virginitatem, non ſolùm nubere, ſed etiam velle nubere, damnabile eſt:* quinimo ſemper ex iure ipſo naturali; quia nempe contrahens matrimonium, ſubdit ſe obligationi reddēdi debitum, & ſic non poterit adimplere votum; & ob alias rationes quæ in hoc communiter occurrunt. At B. Maria optimè potuit contrahere matrimoniū, dum ex diuina reuelatione, & ex conuentione cum ſuo ſponſo, certa erat de conſeruatione ſuæ virginitatis, nullaquè alia ratio periculi vel incōmodi occurrebat. Nec etiam dicetur id propria auctoritate, ſed potiùs diuina diſpoſitione feciſſe. Habuitquè prudentem rationem ſic contrahendi: nimirum vt obediret parentibus ſiuè Sacerdotibus à quibus nuptuj tradebatur: & quia licèt adhuc non eſſet conſcia tanti myſterij in indiuiduo, ſaltem diuino inſtinctu cognoſcebat in genere, id eſſe gratū & placitū Deo, cui in omnibus ſummopere inſeruire & placere ſtudebat.

SECTIO QVARTA.

An hoc matrimonium verè contractum fuerat ante conceptionem Chriſti.

Aliqui ex Patribus putaſſe videntur, B. Mariam ante conceptionem Chriſti fuiſſe ſolùm deſponſatam per promiſſionem & per verba vt dicitur de futuro, & de hoc intelligi illud Lucæ *Miſſus eſt Angelus ad virginem deſponſatam viro.* & illud Matthæi *Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph*: deinde verò poſt conceptionem Chriſti fuiſſe deſponſatam & coniugatam per verba de præſenti, & dictam eſſe coniugem & vxorem. Ita indicant Origen. homil. 1. in Diuerſos, & Hieronim. in cap. 1. Matth., explicantes, Mariam inuentam fuiſſe à Ioſeph habere in vtero, *Quia licentia pene maritali futuræ vxoris omnia nouerat*: vbi Mariam vocāt futuram vxorem, & Ioſephum dicunt

Aliqui in-dicarunt contract[…] fuiſſe po[…] conceptionem Chri[…]ſti.

habuiſſe

habuiſſe licentiam quaſi maritalem. Item Epiphan. Hæreſ. 78. dicens, Mariã tunc fuiſſe deſponſatam, nõ autem nuptam. Et Tertullian. lib. de Veland. virginib. cap. 6. dicens, Mariam in illa deſponſatione fuiſſe quodammodo nuptã. Ambroſ. etiam lib. de Inſtitut. virgin. cap. 6. dicens; in illa deſponſatione inchoatum fuiſſe coniugium. Imò Hilar. Canone 1. in Matth. ait, B. Mariam fuiſſe quidem antea ſponſam, ſed poſt partum vocatam eſſe coniugem. Videturq; hic dicendi modus colligi ex ipſo Euangel.; dum Angelus dixit ad Ioſeph, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*: igitur Ioſeph nondum tunc acceperat & coniugauerat ſibi Mariam per matrimonium de præſenti.

Et aliqui ſaltē quo ad ſolemnitatem.

Aliqui verò opinati ſunt, ſaltem celebritatem nuptiarum cum ſolemnitate & pompa, & deductionem in domum ſponſi, non fuiſſe peractam ante conceptionem Chriſti, ſed non niſi poſt reditum à viſitatione Eliſabeth: atque adeo annunciationem Angeli & cõceptionem Chriſti peractam fuiſſe in propria domo paterna B. Virginis, non in domo Ioſeph ſponſi. Ita Abulenſ. ſuper cap. 1. Matth. in Comment. litteræ & q. 36. Caiet. hic q. 29. art. 2. qui tamen addit, Ioſephum comitatum fuiſſe B. Virginem in illo itinere ad Eliſabeth, & ſimul cum ea manſiſſe illis tribus menſibus in domo Zaccariæ, & poſtea rediſſe ad eandem domum paternam B. Virginis, donec tandem illam ſolemniter deduceret in domum ſuam. Et fauet Anſelm. in eundem locũ Matthæi. S. Tho. verò hac q. 29. art. 2. ad 3. ait, B. Mariam fuiſſe quidem ab initio cùm deſponſata fuit deductam in domum Ioſephi ſponſi ſui, nondum tamen interueniſſe ſolemnem celebrationem nuptiarum. Colligunt ex illis verbis, *Noli timere accipere*, ideſt in domum tuã deducere, & cum conſueta ſolemnitate nuptias celebrare. Et ex antecedentibus verbis, *Cùm eſſet iuſtus & nollet eam traducere*, ideſt in domum ſuam deducere. Et ex eo quod narrat Lucas poſt viſitationem Eliſabeth: *Reuerſa eſt Maria in domum ſuam*; non in domum Ioſeph viri ſui, quia nimirum nondum à Ioſeph fuerat ad ſe ſolemniter deducta.

Sed ſimpliciter cõtractum fuit ante cõceptionem Chriſti.

Aſſerendum tamen eſt, B. Mariam iam fuiſſe ante conceptionem Chriſti deſponſatam per verba de præſenti, ac vero matrimonio cõiugatam Ioſepho, fuiſſe etiam ab illo in domum ſuam deductam, atque adeo ſolemnitatem etiam nuptiarum fuiſſe celebratam. Hæc eſt communior Theologorum & Expoſitorum ſententia. Et quoad priorem quidem partem magis certa. Ac plane de mente SS. Patrum, & ex vi illarum rationum, quibus oſtendebatur conuenientia huius rei, vt Chriſtus ex deſpõſata conciperetur, concludi debet, B. Virginem iam anteà fuiſſe matrimonio iunctam Ioſepho per contractum de præſenti, & ſic intelligi in Euangelio deſponſatam. Sic enim illæſa ſeruabatur fama B. Mariæ, & occultabatur Diabolo myſterium virgineæ conceptionis, vt Sancti diſcurrunt. Hinc etiam inferendum eſt, B. Virginem anteà quoq; cœpiſſe cohabitare cum S. Ioſeph, atq; adeo deductam fuiſſe in domum illius, cùm tota celebritate ſolita nuptiarum. Imò cùm ex antiqua hiſtoria habeatur, B. Mariam ab infantia præſentatam fuiſſe in templo vt ibi educaretur, & eo tempore obiiſſe eius parentes, ideoq; è à Sacerdotibus fuiſſe nuptui traditam: cõſequitur, vt inde immediate ad domũ Ioſeph ſponſi ſui deducta ſit, nihilque reliquum defuerit ad externam ac publicam celebritatem nuptiarum; & ita in domo Ioſephi fuerit inuenta ab Angelo annunciante, & ibi cõceperit Chriſtum. Sic etiam expreſsè teſtatum reliquit Euodius Epiſcopus Antiochenus, Apoſtolorum ſucceſſor, apud Niceph. lib. 2. Hiſtor. cap. 3. dicens de B. Virgine: *Cùm apud Ioſephum menſes peregiſſet quatuor, lætum illud accipit nuncium*.

Sic explicatur et intelligitur textus Euangelij.

Atque hoc totum poteſt colligi ex Euangelio, & ſimul ſatisfieri ad oppoſitã illationem quæ inde ſumebatur. Dixit Angelus ad Ioſeph, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: vbi iam vocat illã cõiugẽ, ideſt verè matrimonio iũctã: nõ dixit accipe in cõiugem, ſed accipe illã quæ iam eſt tibi cõiux. Quare accipere ibi nõ ſumitur ꝓ cõtrahere matrimoniũ vel ꝓ deducere in domũ: ſed ve optime expreſsit Chryſoſt. homil. 4. in Matth.

Matth. *Quid autem eſt accipere? Domi profecto retinere*. Sic etiam dum dicitur, *Ioſeph autem cùm eſſet iuſtus voluit occultè dimittere eã*: plane ſupponitur, quod eã iam habebat in coniugem, & ſignificatur etiã quod haberet apud ſe in ſua domo. Sic expreſſit Ambroſ. lib. 2. in Lucã, *Quam non accepit nemo dimittit. & ideo qui volebat dimittere fatebatur acceptam*. Vnde quod dicitur, *Et nollet eam traducere*, non debuit ſumi pro deductione in domum, ſed pro traductione in publicum, id eſt per accuſationem & diffamationem: vt aduertit S. Thomas q. 29. art. 2. ad. 2. Et quidẽ verbum græcũ proprie hoc ſignificat: & verbum etiam latinum propriè in hoc ſenſu ſæpe ſumitur. Demum quando dictum eſt B. Mariam rediiſſe in domum ſuam, debet intelligi non de domo patris ſui, ſed de domo viri ſui. Quia hæc efficitur domus ipſius feminæ coniugatæ. Illi vero Patres qui dicebant, quod B. Maria in illa deſponſatione præcedenti ad cõceptionem Chriſti, nondum erat vxor, aut nupta, aut coniugata, ſed talis futura eſſet poſtea: Vel dicere ſolùm voluerunt, quod non erat à viro cognita: iuxta illa verba Euangeliſtæ, *Antequã conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto*. Sed quia nec poſtea nec vnquam cognoſcenda erat, intellexerunt quòd futura erat in opinione hominum, vt Origenes expreſſit, *Futurã vt putabatur vxoris*. Vel etiam loquebantur quoad ſolemnitatem aliquam nuptiarũ, ſeu quoad deductionem in domum ſponſi. Sed adhuc iuxta mentem aliorum Patrum putandum potius eſt, hæc etiam præceſſiſſe ante conceptionem Chriſti, & comprehendi ſub verbo deſponſationis, quando dictum eſt, Angelum miſſum fuiſſe ad Virginem deſponſatam viro.

SECTIO QVINTA

Qualiter ex progenie Dauid deſcenderint Chriſtus, Maria, Ioſeph.

Chriſtus & Maria deſcendit ex ſtirpe Dauid.

PRoximè ſequitur vt videamus de antecedentibus progenitoribus; tũ Chriſti & Mariæ, tum Ioſephi. Et ſane quidem notum ac exploratum eſt, non ſolùm ex nouo, ſed etiam ex veteri teſtamento, non ſolùm apud Eccleſiam ſed etiam apud Synagogam, Chriſtum deſcendiſſe, ac olim promiſſum fuiſſe, ex genere Abraham, ex populo Iſrael, ex tribu Iuda, ex ſtirpe Dauid. Et ita cõfirmat S. Thomas hic q. 31. art. 2. Atq; adeo, quia Chriſtus non habet aliam humanam originem, quàm maternam ex B Maria; planè ſequitur, Mariam fuiſſe ex hac progenie, & ita per Mariã Chriſtum. Sic ab initio Deus promiſit Abrahamo Genes. 12. *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ*. Vnde Apoſt. ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones. & ſemini eius, qui eſt Chriſtus*. Et quia Abraham habuit duos filios, determinauit hanc promiſſionem ad Iſaac, cap. 17. *Conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum. Et ſemini eius poſt eum*. Vnde idem Apoſtolus ad Roman. 7. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Et quia rurſus Iſaac habuit duos filios, determinata quoque fuit promiſſio ad Iacob, qui vocatus fuit Iſrael, cuius populo dictum eſt Deuter. 18. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*. Et de Iſraelitis ait Apoſt. ad Roman. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem*. Et vlterius cùm Iſrael habuerit duodecim filios, ex quibus conſtitutæ fuere totidem tribus, electus fuit Iudas eiuſquè tribus. Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt*. Vnde & Apoſt. ad Hebr. 7. *Manifeſtum eſt quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter*. Demum ex hac tribu fuit Dauid Rex: & ex Dauid ſine dubio ortus eſt Chriſtus. Sic promiſit Deus ipſi Dauid Pſal. 138. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã*. Et expreſſit Apoſt. ad Roman. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*. Et Angelus ad B. Virginem Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*, & Matthæus ſic inchoauit ſuum Euangelium, *liber generationis Ieſu Chriſti, Filij Dauid, filij Abrahã*. Et hoc vt notiſſimũ agnoſcebant Iudæi: vnde interrogati à Chriſto Matth. 22. *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius Filius eſt? dicunt ei, Dauid*. Et Ioann. 7. dicebant, *Nonne ſcriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem*

caſtello vbi erat Dauid, venit Chriſtus.
Hæc autem omnia intelligi prorſus debent per veram & realem generationē, ac non per ſolam illam exiſtimationem qua Chriſtus putabatur Filius Ioſeph. Quare omnino fatendum eſt, B. Mariam fuiſſe de hac progenie dicta, & per illā Chriſtum. Sic de Maria ſimul & Chriſto vaticinatus eſt Iſaias cap. 11. *Egredietur virga*, id eſt Maria, *de radice Ieſſe*, qui fuit Pater Dauidis; *& flos de radice eius aſcendet*, id eſt Chriſtus. Vnde rectè de ipſa B. Maria canit Eccleſia, *Ex ſemine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid.*

Ioſeph et ex ſtirpe Dauid.

Item notū & exploratum eſt ex Euangelio, Ioſephum quoque fuiſſe ex eadem progenie, id eſt ex ſtirpe Dauid. Matth. 1. *Ioſeph Fili Dauid.* Lucæ 1. *Ioſeph de domo Dauid.* Et cap. 2. *Aſcendit Ioſeph in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid.*

Chriſtus & Mariam participabat etiam de tribu Leui.

Docent etiam aliqui Patres, & conſentit S. Tho. eadem q. 31. art. 2. ad 2. B. Mariam & Chriſtum deſcendiſſe ſimul ex tribu Leui quæ erat tribus ſacerdotalis in populo Iſrael, vt ſic Chriſtus Rex & Sacerdos, ex ſtirpe ſimul regali & ſacerdotali progenitus ſit. Et præſertim August. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 1. indicans etiam huius rei probationem, *Chriſti ſemen*, inquit, *quoniam nec ſacerdotale genus tacetur, inſinuante Luca quod cognata eius eſſet Eliſabeth, quā dicit de filiabus Aaron, firmiſſimè tenendum eſt carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam, & regum ſcilicet & ſacerdotum, in quibus perſonis apud illum populum Hebræorum etiam myſtica vnctio figurabatur, id eſt chriſma, vnde Chriſti nomen elucet.* Verùm ex Scriptura quidem hoc non certò conſtat: quia, vt aduertit S. Tho. ipſe, dupliciter poterat intercedere cognatio inter B. Mariam & Eliſabeth: vel quòd Eliſabeth orta fuerit ex patre quidem de ſtirpe Aaron, ex matre verò de tribu Iuda & ſtirpe Dauid, ſicut & ipſemet Aaron habuit vxorē Eliſabeth filiam Aminadab de tribu Iuda: vel quod ipſa B. Maria orta fuerit ex aliquo coniugio inter perſonas harum duarum tribuum, & ita participauerit de ſanguine Aaron. Et hoc ſanè fuit valde facile, quia inter illas duas tribus fieri ſolebant connubia. Et eſt admodum veriſimile ac probabile, ſaltem ob auctoritatem Patrum, & ob quandam congruitatem indicatum in ipſa dignitate & nomine Chriſti.

Omnino tamen per lineam paternā Maria deſcendebat ex ſtirpe Dauid.

Quia autem dupliciter fieri poterat, vt B. Maria ex vtraque tribu deſcenderet; nempe vel per lineam paternam ex tribu Iuda & maternam ex tribu Leui, vel è conuerſo: D. Auguſt. lib. 23. contra Fauſtum indicauit poſſe dici vtrumlibet, & approbat D. Thomas eadē illa ſolut. ad 2. Pro certo tamen tenendum eſt, B. Mariam per lineam paternā deſcendiſſe ex tribu Iuda, & ad ſummum per lineam maternam ex tribu Leui. Hic enim eſt communis ſenſus Patrum ac Theologorum, ac ipſius D. Auguſt. & D. Thomæ. Auguſtinus enim non affirmando, ſed reſpondendo dixit, quòd ſi pater B. Mariæ fuiſſet ſacerdos de tribu Leui, vt contendebat Fauſtus Manichæus, ſaltem mater potuiſſet ac debuiſſet dici de tribu Iuda: & hoc dictum Auguſtini refert S. Thomas. Et ſatis clarè colligitur ex Scriptura paternā lineam B. Mariæ fuiſſe de tribu Iuda & ſtirpe Dauid: quia certè tribus & familiæ diſtinguebantur in illo populo, ſicut & in omni alia natione per lineam maſculinam, & non femininam, alioqui paſſim confunderentur familiæ: dum ergo abſolutè dicitur quis de tali ſtirpe & familia, intelligi debet pro lineam maſculinam: ſed abſolutè & ſimpliciter Chriſtus & B. Maria dicitur eſſe de tribu Iuda & ſtirpe Dauid: ergo hoc intelligitur per lineam paternam ipſius B. Mariæ. Et expreſsè Apoſtolus ad Hebr. 7. vt oſtenderet Chriſtum non fuiſſe ſacerdotem de ordine Aaron dixit: *De alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit, manifeſtū eſt enim quod ex Iuda ortus eſt Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes loquutus eſt.* Quod totū vtiq; intelligitur ſecundùm lineam paternā, quæ reſpectu Chriſti pertinet ad ſolam B. Virginem.

Proximi genitores Mariæ fuerunt Ioachim et Anna.

Rurſus, ſi non ex Scriptura, tamen ex Eccleſiaſtica hiſtoria, & Patrum traditione, habetur, quinam fuerint proximi parentes B. Mariæ, nempe Ioachim pater, & Anna mater. Quod quidem Eccleſia ita recipit, vt iam olim de Sancta An-

na

Digitized by Google

na, & nuper de Sancto Ioachim, tanquã veris parentibus B. Mariæ, feſta & officia celebret. Solus D. Auguſtinus lib. 23. contra Fauſtum cap. 9. viſus eſt de Ioachimo dubitare, vocans apochrypham ſcripturam, in qua hoc narrabatur: *Sed illius, inquit, apocryphæ ſcripturæ vbi Ioachim pater Mariæ legitur auctoritate detinerer.* Verum vocauit apochrypham ſcripturam, quæ non erat canonica & authentica de numero ſacrorum librorum: quod non tollit auctoritatem ſaltem humanæ hiſtoriæ. Sed præſertim agebat Auguſtinus contra Fauſtum, qui aſſerebat, Ioachimum fuiſſe de tribu Leui ſacerdotem: quod merito improbandum eſt, & nec etiam ex humana hiſtoria habet teſtimonium. Atque ex dictis concludendum eſt, Ioachimum patrem B. Mariæ, fuiſſe vere de tribu Iuda, & de ſtirpe Dauid, vt ita B. Maria, per lineam paternam de hac progenie fuiſſe dicatur. De Ioſeph autem, habemus proximum patrem nominatum in Euangelio. Sed hoc communicat in difficultate de tota genealogia deſcripta apud Matthæum & Lucam, quã mox examinare debemus.

Genealogiam totã deſcribunt Matthæus, & Lucas.

Totam Chriſti genealogiam duo Euãgeliſtæ, Matthæus cap. 1. & Lucas cap. 3. exacte deſcribunt, ſed diuerſo ordine: nempe Matthæus incipiendo ab Abraham, & deſcendendo a Dauid ad Chriſtum: Lucas vero aſcendendo à Chriſto ad Dauid, & vlteriù non ſolùm vſque ad Abraham, ſed etiam vſque ad Adam. In qua tamen re notabilis ſtatim difficultas obuiat: quia vterq; Euãgeliſta videtur deſcribere progeniem & genealogiam ſolius Ioſephi, non autem Mariæ: atque adeo non attigiſſe progeniem Chriſti, qui non ex Ioſepho, ſed ex matre virgine genitus eſt. Ad hoc frequens ſacrorum Doctorum reſpõſio eſt, Euangeliſtas voluiſſe conſuetum morem ſeruare ſcripturarum, quo non mulierum ſed virorum genealogia ſolet intexi, ne ſcilicet ſtatim in principio noui teſtamenti viderentur ſtilum veteris immutare: & interim per eandem Ioſephi progeniem indirecte & per cõſequentiam oſtendere etiam B. Mariæ, quia notum erat in illo populo, coniugia fieri intra eandem tribum, & non ex vna ad aliam, & ſic deſcribendo genealogiam Ioſephi à Dauid, ſimul manifeſtari deſcendentiam B. Mariæ à Dauid, quæ coniugata fuit ipſi Ioſeph.

An per Ioſephum de Maria ſcripta ſit genealogia Mariæ, & Chriſti.

Hæc tamen reſponſio non ſatis difficultatem tollit. Tum quia aderat hic ſingularis ratio, vt deſcriberetur progenies B. Mariæ, vbi non aliter poterat deſignari progenies Chriſti, qui ex matre virgine ortus erat. Tum quia etiam in ipſo veteri teſtamento non erat inſuetum contexere genealogiam, aut ſaltem indicare progeniem quarundam illuſtrium feminarum. Vtpote in lib. Iudith. cap. 8. exacte deſcribitur illius feminę genealogia vſque ad Ruben primogenitum Iſrael. Et in lib. Heſter cap. 2. indicatur eius progenies, dum dicitur fuiſſe neptis Mardochæi de ſtirpe Iemini. Et in Geneſi expreſſa fuit progenies Saræ vxoris Abraham, Rebeccæ vxoris Iſaac, Liæ, & Rachelis vxorum Iſrael, dum nominati fuerunt earum patres, quorum progenies in eadem Scriptura manifeſtata erat. Tum deinde, per legem illam de coniugijs ineundis intra eandem tribum, ad ſummum demonſtrari poterat, B. Mariam fuiſſe de tribu Iuda, non autem fuiſſe de ſtirpe Dauid: quia ſimul cum Dauid erat maximus numerus aliorum virorum de tribu Iuda, ex quibus potuiſſet naſci puella quę iuxta Legem iungeretur Ioſepho. Tum etiam illa ipſa lex non includebat tribũ Leui, quominus inter hãc tribum & aliã quãcunque poſſent iniri connubia: quia nempe illa lex lata erat ad finẽ ne cõfunderentur poſſeſſiones cum ſuis terminis, ab initio iuſſu Dei distributæ; tribus autem Leui non habebat poſſeſſiones, & ideò nõ includebatur in illa lege; quinimo præſertim inter ſtirpem regiam Dauidis & ſacerdotalem Aaronis ſolebant facile iniri coniugia. Vnde jam ſupra dictum eſt, potuiſſe optime intercedere cognationem inter B. Mariam de ſtirpe Dauid & Eliſabeth de ſtirpe Aaron. Quare ſic etiam potuiſſet Ioſeph de ſtirpe Dauid ducere vxorem de tribu Leui. Tum demum quoad alias quoque tribus, illa lex non erat abſoluta & vniuerſalis: quinimò ipſe Dauid ſibi coniugauit Michol filiam Saul de tribu Beniamin, vtique licite, & non ex vlla ſpeciali

diſpenſatione. Sed lex illa erat particularis pro illis feminis quæ hæreditarent paternas poſſeſſiones in aliqua tribu, vt deberent nubere intra eãdem ſuã tribum. Et ſic quidem patet in lib. Numeri, vbi id iuſſum à Deo fuit occaſione filiarum Salphad: quæ vt narratur cap. 27. expoſuerunt Moyſi, dictum patrem earum non habuiſſe mares filios, & ideo petebant dari illis poſſeſſionem & hereditatem; quod ita factum fuit: & poſtea cap. 36 *Hæc lex ſuper filiabus Salphad à Domino promulgata eſt; nubant quibus volunt, tantum vt ſuæ tribus hominibus, ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum*. Et ſic etiam in lib. Tobiæ cap 6. & 7. ideo dicitur quod Sara filia Raguelis debebatur Tobiæ iuniori; quoniam erant propinqui, & Raguel non habebat alios filios: Vnde aduertentes hoc aliqui ex illis Doctoribus, dixerunt; B. Mariam fuiſſe heredem ſuorum parentum; & ideo dum nupſit Ioſepho, ſignum eſſe quod erat eiuſdem cum illo tribus; ac etiam eiuſdem propinquæ cognationis & familiæ, vt hæreditas quoad fieri poſſet non diſtraheretur. Verùm hoc iam non habetur ex textu Euangelij, ſed per nouum diſcurſum additur, vt patet.

Vel tantũ ipſius Ioſephi.

Itaque ſtando in ſola hiſtoria euangelica, ſi non per ſe narrata ſit genealogia B. Mariæ per patrem eius, non videtur dicendum quod Euangeliſta per genealogiam ſolius Ioſephi docere ac demonſtrare voluerit, Chriſtum & Mariam eſſe quoque de ſtirpe Dauid: ſed potiùs quod ſimpliciter per talem narrationẽ oſtendere voluerit, Ioſephum eſſe de genere Abraham & de ſtirpe Dauid. Quod autem Chriſtus ipſe & B. Maria fuerit de hoc genere & hac ſtirpe, contentus fuit Matthæus exprimere, illis primis verbis, *Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham*: ex quo omnino conſequebatur; B. Mariam eſſe de hoc genere & hac ſtirpe; cum ſubiungat Mariam concepiſſe, non ex Ioſepho, ſed de Spiritu ſancto. Et ita quidem D. Auguſt. lib. 23. contra Fauſtum & lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 1. aduertit, ex eo quod Euangeliſta ait, Chriſtum eſſe filium Dauid, & conceptum eſſe ex Maria Virgine, euidenter effici vt B. Maria fuerit de ſtirpe Dauid. Non autem dicit, demõſtrari Chriſtum fuiſſe de ſtirpe Dauid, eo quod Maria fuerit de tali ſtirpe, & Mariam eo quod fuerit coniugata Ioſepho. Et ſic etiam alij ex Patribus loquuti ſunt. At verò num in Euangelio per ſe deſcripta ſit genealogia ipſius B. Mariæ per proprium eius patrem, & quænam ea ſit, quo huic difficultati penitus ſatisfiat, mox in ſequẽti videbimus.

SECTIO SEXTA.

Qui fuerint Progenitores intermedij à Dauid vſque ad Chriſtum.

Quomodo concilientur Matth. & Lucas.

IN hoc eſt alia maxima difficultas, quam Iulianus Apoſtata aduerſus Chriſtianos olim vehementer vrgebat, & quam nuper oppoſuit Ahmed Perſa Mahometanus in libro inſcripto *Politor ſpeculi*. Quia duo Euangeliſtæ, Matthæus & Lucas, penitus diuerſam progeniem à Dauide & infra deducunt, cùm de reliquo in Dauide & ſupra concordent. Nã diuerſos ſumunt filios Dauidis, Matthæus Salomonem; & Lucas Nathan: diuerſos faciunt vltimos parentes, Matthæus Iacob, & Lucas Heli: ſic etiam faciunt valde diuerſos alios intermedios. Apparet ergo maxima diſcrepantia & oppoſitio inter has duas narrationes. Propter quam difficultatem plures dicendi modi excogitati ſunt:

D. Auguſt. ſiue alius Auctor lib. Quæſtionũ veter. & noui teſtam. q. 56. vult ab Euangeliſta Matthæo deſcribi genealogiam Ioſephi, à Luca vero non propriè ipſius Ioſeph, ſed immediate potiùs Chriſti. Inquit enim Lucas, *Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli*. Vult autem dictus Auctor, relatiuum *qui*, non referri ad Ioſeph, ſed referri immediatè ad Ieſum, videlicet Ieſus putabatur filius Ioſeph, qui Ieſus fuit Heli. Et ſic etiam de reliquis de quibus Euangeliſta proſequitur. *Qui fuit Mathat, qui fuit Leui*, ſemper ſenſum eſſe, qui Ieſus fuit Mathat, fuit Leui, & ſic de reliquis. Quod præcipuè probat, quia Lucas vlterius tendens ſupra Dauid, & ſupra Abrahã, peruenit

An vnus deſcribat genealogiã Ioſephi, & alter Chriſti.

peruenit

Digitized by Google

peruenit vſque ad Adam, & concludit, *Qui fuit Dei*: potius autem immediatè de ipſo Chriſto debet intelligi, qui fuit Dei, ideſt per æternam generationem. Illum verò Heli ait fuiſſe Fratrem Ioſephi: ſed hoc explicat, quia ambo deſcendebant ex duobus fratribus, Salomone, & Nathan, filijs Dauid. Faterturque illos, qui enumerantur à Luca, fuiſſe inter ſe deſcendentes, ideſt Heli à Mathat, Mathat à Leui, & ſic de reliquis. Atque ita per coniunctionem dictorum fratrum, Chriſtum dictum eſſe filium horum quoque progenitorum.

Sed hic dicendi modus, eſt prorſus inutilis & inueriſimilis. Nam ſi Heli nõ aliter attinebat ad Chriſtum, niſi quia erat frater Ioſephi, frater inquam adeo à longe, quatenus ambo deſcendebant à Salomone & Nathan fratribus, perinde potuiſſent nominari quicunque eo tempore inueniebatur deſcendentes ex quibuſcunque filijs Dauid, eorumquè progenies enarrari, & eorum omnium Chriſtus dici filius, ſicut illius Heli: quod planè eſt paradoxum. Imò idem ipſe Auctor aduerſus alium dicendi modum infra referendum, quod Ioſeph fuerit filius legalis Heli, obijcit inutilem fuiſſe narrationem progenitorum Heli ob ſolam paternitatem legalem erga Ioſeph. At multò magis redditur inutilis hęc narratio, ſi nec legalem quidem aut aliã propinquiorem cõiunctionem habebat Heli cum Ioſeph, niſi ſolam communicationem in tam remota radice Dauid. Rurſus non debet relatiuum qui immediatè ſemper referri ad ipſum Chriſtum, ſed debet rèferri ad eum qui proximè præcedit, nempe qui Heli fuit filius Mathat, & ſic de ſingulis. Itaque etiam in illa ſuprema clauſula intelligitur, qui Adam fuit Dei: fuit enim per creationẽ, dum Adam nõ fuit ab alio homine progenitus, ſed proximè conditus à Deo. Et ita quidem communiter Doctores intelligũt, vt in omnibus & ſingulis relatiuum qui referatur ad illum qui proximè prænominatur. Et ſic etiam eſt magis conſonum textui græco, in quo non ponitur relatiuũ qui, ſed ſub caſu & articulo genitiui ſinguli ordinãtur, *Ioſeph ipſius Heli, ipſius Mathat &c.* Ac ſimiliter eſt magis cõgruum verſioni textus Arabici & Syriaci, vbi pro ſingulis repetitur apellatio filij videlicet, *Ioſeph filij Heli, filij Mathat*, & ſic deinceps.

Secundus dicendi modus ſit, quem refert Auguſt. lib. 2 Quæſtionum Euangelicarum cap. 5, & ex Gregor. Nazianzeno D. Tho. hic q. 31. art. 3. ad 2. quod ſolùm nomina diuerſa ſint apud Matthæum & Lucam, ſed vna & eadem ſit perſona duobus nominibus nuncupata, vnus & idem homo pater Ioſephi, vocetur Iacob à Matthæo, & Heli à Luca. Et confirmari poteſt, quia reuera aliqua nomina coincidunt. Nam Matthæus inter alios recenſet, *Salathiel autem genuit Zorobabel*: & Lucas ſimiliter è conuerſo, *Zorobabel qui fuit Salathiel*. Et proxime ad Ioſeph, Matthæus Patrem Iacob vocat Mathan, & Lucas patrem Heli vocat Mathat. Sed hoc manifeſtè ab eodem Auguſtino refellitur: *Quid enim, inquit, de auis, atauis, proauis, cæteriſquè maioribus dictarus eſt, quorum diuerſa nomina ſinguli Euangeliſtæ in ſua quiſque narratione contexunt? Quid poſtremò de ipſo numero? quandoquidem Lucas à Domino vſque ad Dauid quadragintatres generationes enumerat, Matthæus autem à Dauid vſque ad Dominum vigintiocto vel viginti ſeptem.* Et præterea ſatis ex Scriptura conſtat, Salomonem & Nathan fuiſſe duos filios Dauid prorſus diuerſos, ex quibus proinde enumerantur alij omnes diuerſi deſcendentes. Itaque etiam illi qui coincidebant in nomine Salathiel & Zorobabel erant pariter diuerſi, vt ſtatim apparet ex eorum patribus ac filijs. Nec mirum vt in ea multitudine aliqui in nomine conuenerint; quandoquidem inter ipſos met quos Lucas enumerat pluries repetuntur aliqua nomina, etiam nomen ipſum Ioſephi, & ſemel etiam nomen Ieſu. Illa autem duo nomina Mathat & Mathan, ſunt vtique diuerſa in vltima littera, ſicut Nathan differt in prima littera. Ipſum verò Nathan filium Dauid, ad quem Lucas deducit ſuam genealogiam, D. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 4. videbatur feciſſe ſacerdotem, & eundem cum Nathan Propheta qui corripuit Dauidem de adulterio & homicidio 2. Reg. 12. Inquit enim Auguſt., *Lucas ad ipſum Dauid per*

An ſit eadẽ genealogia, apud vtrumque mutatis ſolum nominibus.

per Nathan aſcendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiauit: & idem indicauit lib. 83. qq. q. 61. Quod propterea admirantur & impugnant Suarez hîc diſp. 3. ſect. 3. & Vaſq. diſp. 127. cap. 7. Quoniam Nathan filius Dauid, natus ei fuit poſt aliquod tempus ex eadem Berſabee cum qua adulterium cõmiſerat, vt patet 1. Paral. 3. Ideoque dicunt, Auguſtinum poſtea re benè perſpecta id retractaſſe. Verùm Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 26. & lib. 2. cap. 16. explicauit, ſe dicere debuiſſe ac voluiſſe, per eiuſdem nominis Prophetam fuiſſe Dauid correptũ, & myſterium intelligi in eodem nomine, nõ in eodẽ homine: quare correxit solùm priorẽ loquendi modum, non quòd in re erraſſet. Quod autẽ ad nos ſpectat, verè diuerſi ſunt omnes progenitores inter Dauid & noſtrũ Ioſephum, quos duo Euangeliſtæ recenſent, idq; omnes Sacri Doctores agnoſcunt.

An vnus deſcribat genealogiã naturalem & alter legalem Ioſephi.

Tertius ergo dicendi modus, valde communis & receptus eſt: ſupponendo morem illum & inſtitutum antiquæ legis, vt interdũ Infans natus ac naturaliter genitus ex vno patre, veluti adoptaretur ac traheretur ad nomen alterius patris, ideſt reputaretur tanquam filius illius: & ita haberet duos patres, vnum quidem verum & naturalem, alterum veluti adoptiuum, qui denominatione ſumpta à lege dictus eſt pater legalis. Et præſertim hoc ita cautum erat inter fratres, Deuterom. 25. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitũ ex ea filium nomine illius appellabit,* ideſt reputabit ſub nomine & proſapia illius. Ac etiam ante ſcriptam legem, hoc in more poſitum fuit apud filios Iſrael: vt patet Geneſ. 38. Iuxta hoc ergo dicitur Ioſeph habuiſſe duos patres, Iacob & Heli, & Iacob quidem fuiſſe patrem eius naturalem, Heli verò legalem, Ioſephum genitum quidem fuiſſe a Iacob, ſed deputatum fuiſſe ipſi Heli. Ideoque Matthæum loquutum fuiſſe per verbum gignendi, *Iacob genuit Ioſeph:* Lucam verò per modum deputationis, *Ioſeph qui fuit Heli.* Atque hac ratione, Matthæum deſcripſiſſe progenitores Iacobi qui erat pater naturalis, Lucam vero Heli qui erat pater legalis. Sed quia huiuſmodi mos & inſtitutum legis erat inter fratres, vt ſcilicet vnus frater ſumeret vxorem alterius fratris defuncti, & gigneret filium nomine illius: ex his vero genealogijs conſtat, Iacob & Heli habuiſſe diuerſos patres & progenitores vſque ad Dauid, atque adeo ex hac parte nõ fuiſſe fratres inter ſe: ideo dicunt fuiſſe fratres vterinos, ſcilicet ex parte ſolius matris, quòd nempe Mathan qui nominatur à Matthæo, & Mathat qui nominatur à Luca, habuerint diuerſo tempore eandem vxorem, cuius etiam memoratur nomẽ Heſcha, uel Ieſcha: ex eaq; cum viro Mathan natus ſit Iacob apud Matthæum; cum viro Mathat natus ſit Heli apud Lucam. Deinde ipſe Heli ducta vxore defunctum fuiſſe abſque liberis: ideo ex lege, ipſe Iacob frater vterinus Heli, duxerit eandem vxorem, & genuerit Ioſephũ ad nomen Heli defuncti.

Ita hanc rem explicant Iuſtinus Martyr in lib. Quæſtionum ex Gentib. q. 131., Iulius Aphricanus in Epiſt. ad Ariſtidem, apud Auguſt. lib. 2. Retract. cap. 7., Euſebium lib. 1. Hiſtor. cap. 6., & Nicephorũ lib. 1. cap. 11., qui idem approbant. Item Nazianzenus in Carmine de Chriſti genealogia; Theophil, Euthim. Beda ſuper Lucæ 3., Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 15., Hieron. ſuper Matth. 1., Ambroſ. lib. 3. in Lucam, qui tamen ait, Iacob fuiſſe patrem legalem, Heli autem naturalem Ioſephi. Auguſtin. verò lib. 3. cõt. Fauſt. cap. 3. & lib. 2. de Cõſẽſu Euangeliſt. cap. 4. & lib. Quæſtion. Euãgelic. q. 5. abſolute dicebat, Ioſephũ fuiſſe filium adoptiuũ Heli, & minùs approbare videbatur ꝙ eſſet filius legalis modo dicto. Sed lib. 2. Retract. cap. 7. & c. 16. explicat, nõ debere intelligi adoptatum ab Heli viuente, ſed fuiſſe adoptatũ, ideſt deputatũ ipſi Heli defuncto, & ſic verè fuiſſe filiũ legalẽ. Teſtaturq; Iulius ille Aphricanus, hanc hiſtoriam dimanaſſe à propinquis Chriſti & alijs qui illo tẽpore conuixerant. Atque hũc ipſum dicendi modũ magis approbat D. Thomas hîc q. 31. art. 3. ad 3., & prolixè defendit Vaſq. diſp. 127. Et noſter Guadagnolus, reſpondens ad Ahmed Mahometanum, in Apolog. pro Chriſtiana

Relig.

Relig. tract. 2. cap. 7. ſect. 1. Item Abulenſ. q. 27. in cap. 1. Matth., Maldonat. & alij Expoſitores in cap. 1. Matth., Tolet. & alij in cap. 3. Lucæ. Variant tamen aliquatenus dicti Patres in aſſignãdis proximis progenitoribus Heli quem Lucas facit patrem Ioſephi. Nam Lucas ait, *Heli qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne.* Plures vero ex dictis Patribus, ac S. Thomas ipſe, Heli dicunt filium Melchi, & hunc Melchi Damaſc. dicit filium Leui. Sed hæc variatio vel proceſſit ex inaduertentia in nominibus, vel ex varietate alicuius codicis: & non officit quominus ſtandum ſit illi ordini quem in textu ipſo deſcriptum habemus.

Alios tamen ſcrupulos patitur hic dicendi modus. Tum nēpe quod nō habemus in veteri lege & conſuetudine, vt frater vterinus ex ſola matre deberet ſuſcitare ſemen alterius, id eſt gignere & deputare filium ſub nomine alterius, vt ita prætermitteretur & velut extingueretur nomen & ſeries ſuæ familiæ paternæ, & ordo ac proſapia omnium patrum ſuorum, atque conſeruaretur & continuaretur nomen ac ſeries alterius familiæ atque proſapiæ, quæ poterat eſſe valde remota ac diſparata. Tum etiam, quod hoc non debuiſſet inducere Euangeliſtam, vt tàm diligenter & exquiſite proſequeretur genealogiam ipſius Heli, perducens eam vſque ad protoplaſtum, ſi hæc proſapia reuera non aliter attinebat ad Ioſephum, niſi ob deputationem legalem factam à Iacob patre naturali in gratiam Heli fratris ſui vterini: prætermittens interim ordinem naturalis generationis, attinentis ſiue ad Mariam & Chriſtum, ſiue ad Ioſephum. Tum inſuper inter progenitores quos Lucas recenſet habetur Obed filius Booz, genitus ex matre Ruth. Sed tamen vt habetur in libro Ruth, hæc mulier relicta fuerat vidua ab vno ex filijs Elimelech & Noemi, qui vocabatur Mahalon & Chelion: ideoquè eam rurſus accepit Booz iure propinquitatis; vt ſuſcitaret ſemen prioris viri defuncti, & ex hoc coniugio natus fuit Obed. Attamen Euangeliſta, nulla habita ratione huius deputationis legalis, proſequitur potiùs naturalem generationē: nec Obed appellat Filium Mahalon vel Chelion, non progreditur ad Elimelech; ſed continuat narrationem per Booz & veros progenitores eius naturales. Si ergo ipſemet hūc ſtilū ſeruabat in vno, non videtur veriſimile, vt ob ſolā deputationem legalē inter fratres purè vterinos, proximè ad ipſū Ioſeph & Chriſtū, tàm exactè deſcribendā aſſumpſiſſet totā progeniē ſolius Heli. Tum præterea Auctores illius hiſtoriæ dicunt, mulierē illam nomine Heſcam priùs nuptā fuiſſe Mathan quem Matthæus nominat, & ſuſcepto filio Iacob, remanſiſſe viduam, ac ſecundo loco nupſiſſe Mathat quem Lucas nominat, quem ipſi vocant Melchi, & ex eo ſuſcepiſſe Heli. At hoc pacto Iacob fuit primogenitus. Sed certè non debebat primogenitus ſuſcitare ſemen fratris ſecundogeniti, ſed potiùs è conuerſo. Vnde non videtur rectè dici, quod Iacob deputauerit filium ſuum Ioſeph ſub nomine Heli. Video quidē, facilè poſſe hunc ordinem corrigi, dicēdo, Heſcā priùs nuptam fuiſſe cum Mathat. & ex eo genuiſſe Heli, vt ita hic eſſet primogenitus. Verùm hoc iam diceretur ex noua cogitatione, non ex veteri narratione, & ita receditur à fundamento illius hiſtoriæ. Tum demum, non videtur veriſimile, vtrunque ex duobus Euangeliſtis narraſſe ſolùm genealogiam Sancti Ioſephi, vnum quidem naturalem, & alterum legalem; neutrum verò propriam ac naturalem B. Mariæ, ex qua tamen ſola ortus eſt Chriſtus. Nec etiam cogit auctoritas eorum qui hunc dicēdi modum amplexi ſunt. Nam communiter inducti ſūt ex narratione Iulij Aphricani: ſed ipſemet non eā propoſuit tanquā certam, vel aliqua authentica ſcriptura aut certo teſtimonio roboratā, ſed tanquam probabilem, & tanquam ſufficientem ad concordiam vtriuſque Euangelij non excludēdo ſi alia occurrat via qua hæc res conſiſtere poſſit.

An vnus paternum, & alter maternum ipſius Ioſephi.

Quartus alius dicendi modus eſt, quem propoſuit S. Auguſtinus lib. 2. Quæſtionum Euangelicarum q. 5. his verbis; *Aut vnus Euangeliſta patrem eius à quo genitus eſt nominauit, alter verò vel auū maternum, vel aliquem de cognatis maioribus poſuit; cui propter conſanguinitatis vinculum in filij loco Ioſeph non abſurde*

urde conſtitueretur. Sic ergo poteſt cogitari, quod Iacob quidem nominatus à Matthæo, fuerit proximus pater, & genitor Ioſephi, & alij præcedẽtes fuerint aui paterni: Heli autem nominatus à Luca fuerit auus maternus Ioſephi, & ita Lucas per alios prædeceſſores enarrauerit lineam maternam Ioſephi, cùm Matthæus narraſſet paternam, & vtraque linea confluxerit in vno Dauid, à quo per Salomonẽ deſcẽderit pater, & per Nathan mater Ioſephi. Recteque dici poterat Ioſeph filius Heli tanquam aui materni. Et eo melius ſi fortaſſe Heli non habuit alios liberos niſi vnam filiam quæ fuerit mater Ioſephi: ſic enim multò meliùs Ioſeph deputari poterat vt filius Heli.

Et hic ſane modus præſefert maiorem congruentiam, ob quam Lucas vtiliter narrauerit totam progeniem Heli, intuitu ſcilicet ipſius Ioſeph: quia ad perfectam genealogiam cuiuſque facit linea materna ſimul cum paterna. Ille tamẽ ſcrupulus pariter remanet in hoc modo dicendi: quòd ſic vterque Euangeliſta narrauit ſolùm naturalem progeniem ſolius Ioſephi, neuter verò B. Mariæ & Chriſti, ſed ad ſummum putatiuam Chriſti.

An Matthæus genealogiam Ioſephi, & Lucas Mariæ.

Ideo quintus dicendi modus fit, qui plurimum apud recentiores Doctores inualuit, illum Heli quem Lucas nominat, eſſe verum patrem naturalem B. Mariæ, eumdem ipſum quem nos Ioachimum vocamus. Eumquè habuiſſe ambo hæc duo nomina. vel pro eodem reputari vtrumque nomen: eo quod pro eodem habentur Eliachim & Ioachim, & per abbreuiationem Eliachim contrahatur in Heli. Pro eodem autem haberi illa duo nomina: quia vt dicitur 4. Reg. 23. & 2. Paralip. 36., cùm Pharao Rex Ægypti conſtituit in regno ſemel quẽdam filium Regis Ioſiæ, qui vocabatur Eliachim, vertit nomen eius in Ioachim: & in lib. Iudith, idem ſummus Sacerdos qui cap. 4 vocatur Eliachim, poſtea cap. 15. vocatur Ioachim. Hinc Ioſeph à Luca dictus ſit filius Heli, ideſt filius Ioachimi, ratione B. Mariæ filiæ Ioachimi quam ſibi deſponſauerat. Nã gener ſolet etiã vocari filius, vt & nurus filia. Et præſertim ſi B. Maria erat, vt creditur vnica filia & heres Ioachimi, & hac lege fuerit deſponſata Ioſepho, vt hic tranſiret in nomen & familiam Ioachimi, ſicut in ſimilibus caſibus fieri ſolet. Quo pacto Ioſeph factus eſt filius pluſquam adoptiuus, & legalis ipſius Ioachimi. Vel cum Lucas inquit, *Ioſeph qui fuit Heli*, ſubintelligatur, qui fuit gener Heli, heres Heli, adoptatus Heli, adſcitus Heli per filiæ coniugium: licet in cõſequentibus vox intelligatur filius alterius: quia ly fuit illius, poteſt pluribus modis verificari: ſicut in præcedenti dicendi modo explicabatur Ioſeph filius legalis Heli, licet in conſequentibus intelligeretur vnus filius naturalis alterius.

Ita hanc rem explicant, Ianſenius in Concord. Euang. cap. 14. Arias Montanus, Palatius, Gagneius ſuper Lucæ 3., vbi etiam adhæret Caiet., & fauent alij ex Expoſitoribus. Item Galatin. lib. 7. de Arcanis cap. 12., Driedo lib. 3. de Dogmatib. cap. 5., Canus lib. 11. de Locis cap. 5, Caniſius lib. 1. de Deipara capite 3., Ioannes Lucidus lib. 7. de Emendat. tempor. cap. 10., Genebrard. lib. 2. Cronograph. ſub anno Mundi 4054., Ioannes Annius in Cronograph. Philonis, dicens ſe hanc doctrinam accepiſſe ex Hieronimo lib. de Ortu Virginis, & inter Theologos hoc loco præcipue Suarez diſp. 3. ſect. 3. Atque Canus & Suarez volunt, poſſe eẽ primum relatiuũ qui, referri immediatè ad Ieſum, intra parenteſim legendo, *vt putabatur filius Ioſeph*, ſed continuãdo, qui Ieſus fuit filius Heli: quia cum Chriſtus non haberet hominem patrẽ, ſed ſolum auum maternum, immediatè dixerit Chriſtum filium Heli, ideſt Ioachimi. Quamuis in conſequentibus relatiuum qui, ſemper referatur ad proximum prænominatum, & referat proximum parentem genitorem. Ad hunc etiam dicendi modum trahi poſſet Auguſt. lib. 2 Quæſtionum Euangel. q. 5., dum dixit, poſſe intelligi filium per adoptionem, vtique enim nulla melior adoptio eſſe poterat quã per coniugiũ filiæ. Refert etiam Galatinus quædã teſtimonia Rabynorum, Accados in lib. Reuelat., & Accauas in quadam Epiſtola de Generat. Meſſiæ, qui prædixerant,

Digitized by Google

rint, patrem matris Meſſiæ habiturum duplex nomen, Ioachim & Eli. Et refert Genebrard. ex Elia in Tisbi, à tempore captiuitatis Babylonicæ cæpiſſe nomen Eliachim dici per apocopen Eli,

Hic dicendi modus eſt ſanè valde accomodatus; & præcedenti præferendus: quia hoc pacto explicatur, quod Euangeliſta Lucas contexuerit veram ac naturalem Chriſti genealogiam per progenitores B. Mariæ: & ita Matthæus enarrauerit genealogiam, vt ita dicamus, putatiuam Chriſti, veram autẽ & naturalem Sancti Ioſeph; Lucas autem veluti adoptiuam Sancti Ioſeph, & veram ac naturalem B. Mariæ & Chriſti eius filij. Vaſquez tamen diſp. 117. cap. 4. hunc dicendi modũ refellit, eo quod careat fundamento: & præcipuè conatur oſtendere, nomen Heli non eſſe idem cum nomine Eliachim ac Ioachim: quia nomen Eliachim ſcribitur abſque aſpiratione H, nomen vero Heli cum illa ſcribitur. Verùm ſufficiens fundamentum haberi poteſt ex dictis. Si quidem etiam præcedens dicendi modus non habet maius fundamẽtum quàm auctoritatẽ Aphricani, ex quo alij eum deſumpſerunt: at ille met non tanquam rem certam tradidit: & alij Patres præcipuè voluerũt, poſſe illo modò conciliari duos Euangeliſtas, ſed vel illo vel alio modo rei veritatem ſe habere. Neque tota etiã vis facienda eſt in identitate nominis Heli cum Eliachim & Ioachim: ſed vel hæc erant tamquam vnum nomen, vel ille vir erat binomius, & vtroque nomine appellabatur. Et ſanè differentia illius aſpirationis eſt valde tenuis, quæ in græco idiomate in quo ſcripſit Lucas, non eſt peculiaris littera, ſed quidam accentus. At inſtat Vaſquez, in ipſo textu græco ſcriptum inueniri apud Lucam illud nomẽ cum aſpiratione craſſa, cui in Hebræo correſpondet littera He, vel Heth, vel Ngain, in latino autem littera H: ſed nomen Eliachim in Hebræo ſcribitur cum littera Aleph, cui in Græco correſpondet aſpiratio lenis, & in latino nulla littera conſonans, ſed ſola vocalis. Sed ego quidẽ in textu græco Bibliæ Regiæ, & in alijs græcis exemplaribus quæ videre potui, inuenio nomen illud apud Lucam ſcriptum cum aſpiratione leni, & non craſſa: itaque potius debet inferri, in Hebræo correſpondere litteram Aleph, & in latino poſſe ſcribi Eli ſine H. Et ſanè alia plurima nomina ſunt in illa Genealogia Lucæ, quæ in textu græco incipiunt per vocalem, & omnia ſcribuntur cum aſpiratione leni & non craſſa: & ex iis quædam in textu latino ſcribuntur cum littera H, plura vero ſine illa. Poteſt ergo illud nomen Heli ſcribi Eli, & eſſe idem cum nomine Eliachim & Ioachim, ac denotare patrem B. Virginis.

An Maria deſcẽderit à Dauid per Salomonem vel per Nathan.

Illud ſolum incommodi in hoc dicẽdi modo occurrit: quod hoc pacto, B. Maria & Chriſtus non deducitur per lineam & proſapiam regiam Dauidis, ſcilicet per Salomonem & conſequentes alios Reges ac Principes, ſed per alias priuatas perſonas, & ex alio filio Dauidis, qui cum tota ſua ſucceſſione non exceſſit ſtatum vitæ priuatæ. At ad maiorem nobilitatem B. Mariæ, & Chriſti ipſius ſecundùm carnem, faciebat ſi deſcendiſſet per regalem proſapiam. Et hoc interdum Sancti indicant: & videtur etiam ſupponere Eccleſia, dum canit, Regali ex progenie Maria exorta refulget. Et ipſa etiam Scriptura, dum abſolutè Chriſtũ vocat filium Dauid, & dicebat ſeſſurum ſuper ſolium Dauid, & ſimilia.

At reuera hoc non eſt incommodum: quia non plus habetur ex S. Scriptura, quam Chriſtum atque adeo B. Mariam deſcendiſſe ex ipſo Dauid: & per quamcumque lineam deſcenderit, rectè dictus eſt Chriſtus filius Dauid, & ſeſſurus ſuper ſolium Dauid patris ſui, ſpiritualiter nempe, & non temporaliter, vt tractauimus iam q. 26. ſect. 3. Rectè etiam dicitur Maria orta ex regali progenie, dum orta eſt ex Dauid Rege. Si qui autem Sancti dixerunt, deſcendiſſe per lineam Salomonis, loquuti ſũt iuxta aliquem alium dicendi modum. At vt plurimum Sancti non hoc determinant: Quin potiùs Damaſcen. ipſe, qui alioqui fuit vnus ex præcipuis aſſertoribus pro tertio dicendi modo relato, adhuc facit, B. Mariam & Ioachim patrem eius deſcendiſſe ex Nathan filio

Dauid,

Digitized by Google

Dauid, & non ex Salomone. Atque illã Leui qui nominatur in Luca, genuiſſe duos filios, ſcilicet Pantherem, & Maahat quem ipſe vocat Melchi: & Pantherem fuiſſe auum Ioachimi. Mathat verò genuiſſe Heli, quem dicebat fuiſſe patrem legalem Heli modo ſupra relato. Quod totum approbat etiam Toilet in cap. 3. Lucæ Annot. 58. & 59. Sed etiam dici poterit, quòd B. Virgo ſaltem ex parte alicuius feminæ de ſtirpe Salomonis in ſua progenie participauerit de proſapia Regum. Et ita D. Thom. q. 31. art. 3. ad 2. referens eam ſententiam Damaſceni, addit, *Credendum eſſe, quod B. Maria etiam ex Salomone originem duxerit ſecundum aliquem modũ per illos Patres quos Matthæus enumerat, præſertim cũ Ambroſ. dicat Chriſtum de ſemine Iechoniæ deſcendiſſe.* Vel ſi quis conuenientius putauerit dicere, B. Mariã per rectam lineam paternam deſcendiſſe ex proſapia Salomonis per conſequẽtes Reges & principes, tranſire poterit ad ſequentem qui ſupereſt dicendi modum.

An Maria deſcenderit à Dauid per Salomonem vel per Nathan.

Sextus tandem dicendi modus ſit Lucæ Brugenſis in cap. 1. Matth. & 3. Lucæ: qui ait ambos Euangeliſtas contexiſſe naturalem ac propriam genealogiam B. Mariæ: priùs quidem Matthæum per lineam paternam, poſtea Lucam per lineam maternam: ideſt Matthæũ narraſſe progenitores Ioachimi patris B. Mariæ, Lucam verò progenitores Annę matris B. Mariæ. Quod ita deducit, vt Mathan apud Matthæum duos intelligatur habuiſſe filios, vnum Iacob, & alterum Ioachim, quorum Iacob genuit Ioſephum, Ioachim verò genuit Mariam: Sicque Ioſeph & Maria, cùm eſſent tam arcto conſanguinitatis vinculo iuncti, nempe patrueles inter ſe, filij duorum germanorum fratrum, matrimonium inter ſe contraxerint. Hoc autem totum ait Brugenſis, quod Matthæus indicauerit, & voluerit à cunctis intelligi, dum in principio propoſuit ſe velle narrare generationem Ieſu Chriſti, & in fine concludit, *Mathan genuit Iacob, Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ*; pro eo quod diceret Mathan genuit Ioachim, & Ioachim genuit Mariam: quia Euangeliſta voluit hunc honorem deferre viro, ad illum diuertens; ſed volẽs ſimul intelligi, ſe quàm minimum receſſiſſe à generatione Chriſti quam ſuſceperat enarrandam: quia autem Ioſeph & Maria non poterant eſſe fratres germani, inter quos non poterat iniri coniugium, relinqui vt eſſent in proximo gradu, ſcilicet patrueles, filij duorum fratrum: & ſic Matthæum ſimul deſcripſiſſe paternam originem, tam B. Mariæ quàm Ioſephi, de ſtirpe Salomonis, & tot Regum ac principum. Vel etiam addi poteſt cum Abulenſi q. 28. in cap. 1. Matth., tempore quo Matthæus ſcripſit, & apud Iudæos tunc viuentes, notam fuiſſe proximam conſanguinitatem Mariæ & Ioſephi, & ideo cum Ioſepho potuiſſe cointelligi eamdem fuiſſe progeniem paternam B. Mariæ. Deinde, quia congruum erat, vt etiam materna B. Mariæ origo monſtraretur, ſcilicet Sanctæ Annæ, alium Euangeliſtam Lucam hoc fuiſſe exequutum: & Heli quidem fuiſſe patrem Annæ, deſcendentem per aliam lineã à Dauid, nempe per ſtirpẽ Nathan alterius filij Dauidis. Sed ne Lucas nominaret ab initio feminã Annam, loco eius nominaſſe Ioſephũ virum, qui ſibi deſponſauerat Mariam filiam Annæ, atque adeo neptem Heli ſui aui materni: & ideò immediatè dixiſſe de Ioſepho. *Qui fuit Heli*, ideſt fuit tamquam filius, dum fuit gener ſiue progener, per deſponſationem Mariæ neptis eius. Hic dicendi modus, ſi aliquod maius fundamentũ haberet, eſſet ſanè valde accomodatus, nunc autẽ dici poteſt ingenioſè excogitatus. Neq; ſuppetit vnde ampliùs hęc res determinari queat.

An vnus deſcripſit genealogiã paternam & alter maternam ipſius Mariæ.

SECTIO SEPTIMA.

Quot fuerint progenitores intermedij à Dauid vſque ad Chriſtum.

PRima difficultas in hoc numero eſt circa textum Matthæi: quia in ſerie Regum ait, *Ioram genuit Oziam*: at in hiſtoria illorum Regum, lib. 4. Regum & lib. 2. Paralip. Ioram genuit Ochoziã, Ochozias Ioam, Ioas Amaſiã, & Amaſias tandem Oziam: prætermiſit ergo Euangeliſta tres Reges intermedios inter Iorã & Oziam. Ad hoc, conſueta & adæquata reſponſio eſt, verè quidem Ioram

Quare Matthæus prætcrijt tres Reges in ſua narratione.

genuiſſe

genuiſſe Oziam, non immediate, ſed mediatè: conſultò autem Euangeliſtã prætermiſiſſe alios tres Reges intermedios, quia fuerunt impij & idololatræ, & in ſua impietate occubuerint, iuſto Dei iudicio interfecti. Fuerunt de ſemine Achab iniquiſſimi regis Iſraël, ſiquidem Ioram in vxorem habuit Athaliam filiã Achabi, ex qua genuit Ochoziam: cõminatus autem fuerat Deus, ſe extincturum ſanguinem & nomen Achabi vſque ad tertiam & quartam generationem; quare computando Athaliam filiam Achab, cum tribus Regibus prætermiſſis, completa eſt cõminatio, ac deinceps alij ſucceſſores nominati ſunt. Itaque illi tres fuerunt velute faſtis expuncti, & ex albo Regum deleti, ideoque ab Euangeliſta prætermiſſi. Ad quod facit etiam, quia Matthæus deſignauerat tert quatuordenarios in ſua narratione conſtituere, vt infra conſtabit, & vnum quidem quatuordenarium ex Regibus, ad quem numerum cõficiendum, oportebat prętermitere tres ex illis qui inter decem & ſeptem ſucceſſiuè regnauerãt.

Secunda difficultas eſt: quia Matthæus deueniens ad tranſmigrationem Babylonis ait, Ioſiam genuiſſe Iechoniam, & Iechoniam genuiſſe Salathiel; at in hiſtoria eorumdem Regum lib. 4. Reg. cap. 23. & 24. & 2. Paral. cap. 36. conſtat, filium Ioſiæ fuiſſe IoaKim, qui antea vocabatur EliaKim; & rurſus huius filium fuiſſe alium dictũ Ioachin, cũ aliquali vt patet nominum differentia, & ex hoc Ioachin ortus deinde eſt Salathiel: igitur Euangeliſta prætermiſit etiam in hoc vnam generationem, & immutauit nomen vocans Iechoniam. Verùm, quod attinet ad mutationem nominis, habetur in eadem veteri ſcriptura: nam vnus ex his Regibus vocatur Iechonias, 1. Paral. 3. Heſter. 2. Ierem. 22. Vbi intelligitur Ioachinus filius IoaKimi, nepos Ioſiæ. Quoad ſubtractionem autẽ vnius generationis ſeu perſonæ, aliqui volunt, Scriptorum vitio deeſſe in textu: ſupponentes debere legi, Ioſias genuit IoaKim, & IoaKim genuit Iechoniam, & Iechonias genuit Salathiel, ſed à ſcriptoribus prætermiſſam fuiſſe illam clauſulam, IoaKim genuit Iechoniam. Pro quo dicendi modo Maldonatus in cap. 1. Matth. refert ex Fabro Napulenſi, ita inuentum eſſe in quodam antiquo exemplari græco. Aliqui autem volunt, Euangeliſtam ipſum ex induſtria prętermiſiſſe IoaKim filium Ioſiæ, ſicut ſupra prætermiſerat alios tres, eo quod hic IoaKim fuerat etiam valde prauus. Et ita contendit Valq. diſput. 127. cap. 9. Vterque tamen dicendi modus, præter proprias difficultates, hanc etiam cõmunem patitur: quod Matthæus ait, *Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius*. Quod quidem debebit intelligi de proximo filio Ioſiæ non autem de Ioachino eius nepote; nam ipſe Ioſias habuit quatuor filios, & ſic prior ille IoaKimus habuit fratres; poſterior verò Ioachinus ad ſummum habuit vnum fratrem, vt habetur 1. Paral. 3. Meritò etiam Euangeliſta nominabat fratres prioris IoaKimi, quia duo ex eis etiam regnarũt: at alius frater poſterioris Ioachini, nec regnauit, nec ob aliam rationem nominari debuit. Quinimo quando Nabuchodonoſor amouit & tranſtulit hunc Ioachinũ, ſubſtituit in Regno Sedeciam fratrem prioris IoaKimi, & non fratrem poſterioris Ioachini.

Communior ergo dicendi modus eſt, Matthæũ poſt Ioſiam ſub nomine Iechoniæ intellexiſſe priorem IoaKimũ proximũ filium Ioſiæ: quia ſicut poſterior Ioachinus vocatus fuit Iechonias, ita Euãgeliſta appellauit priorẽ ipsũ IoaKimũ. Et ſic Abulenſ. q. 20. in cap. 1. Matth. ex Hiſtoria ſcholaſt. & cõmuni sẽſu Doctorũ affirmat, IoaKimũ filiũ Ioſiæ, appellatũ quoq; fuiſſe Iechoniã. Et de reliquo vel Euãgeliſtã cõſulto prætermiſiſſe poſteriorẽ Ioachinũ, & tranſiſſe immediatè ad Salathiel: eo quod non ſolùm poſterior hic Ioachinus fuerit quoque valde prauus: ſed quia valde parũ regnauit, nẽpe tribus mẽſibus & decẽ diebus, & fuit ſpoliatus regno ac ductus in captiuitatem. Vel quando Matthæus iterũ nominauit Iechoniã poſt captiuitatẽ, *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel*, intellexiſſe alterum poſteriorem Ioachinum, qui etiam in veteri ſcriptura vocatus erat Iechonias: & ita diſtinctè intellexerit duos Iechonias, vnum proximum filium Ioſiæ ante tranſ-

migratione, & alterum filium ipſius patrem Salathiel poſt transmigrationem. Sic ſentit Ambroſ. lib. 3. in Lucam, & alij ex Patribus & Expoſitoribus.

omodo ... ctores ... genito- ... recen- ... e Mat- ... us, quā ... us.

Tertia difficultas eſt: quia à Dauid ad Chriſtū ſub notabili diſparitate pauciores progenitores Matthæus quàm Lucas recenſet. Nam includendo Dauid & Chriſtum, Matthæus viginti octo, vel viginti nouem perſonas enumerat; Lucas verò quadraginta tres. Et licet diſtum ſit, diuerſas eſſe lineas & perſonas: tamen adhuc difficile apparet, pro eodem tempore tam inæqualem numerum generationum profluxiſſe à Salomone, atque à Nathan altero filio Dauidis. Atque etiam ſi ad illum numerum adductum ex Matthæo addantur quatuor vel tres generationes prætermiſſæ, adhuc remanet notabilis inæqualitas. Ad hoc aliqui ex illis qui dicebant, Lucam expoſuiſſe genealogiam legalem Ioſephi, addunt, potuiſſe facile fieri, vt per ſimilem deputationem legalem, plures perſonæ congeſtæ ſint, & breuiori tempore plures inter ſe ſucceſſerint, quàm per veram ac naturalem generationem fieret. At magis communiter Auctores ipſi illius ſententiæ videntur ſupponere, ſolummodo Heli fuiſſe patrem legalem Ioſephi; ſed de reliquis alios omnes fuiſſe naturales progenitores. Ideò Ambroſ. lib. 3. in Lucam hic reſpondet: *Nec mireris, ſi plures ſecundùm Lucam ſucceſſiones vſque ad Christum ſunt, pauciores ſecundùm Matthæum, poteſt enim fieri, vt alij longæuam tranſegerint vitam, alterius verò generationis viri immatura ætate deceſſerint.* Voluit dicere, viros enumeratos à Matthæo, diutiùs vixiſſe antequam gignerent filios, & tardiùs generaſſe: viros autem enumeratos à Luca, iuniori ætate & citiùs generaſſe: ac ita pauciores fuiſſe generationes in ſtirpe Salomonis, quàm in ſtirpe Nathan. Verùm licet hæc diuerſitas poſſit facilè contingere in vno & altero: tamen difficilè apparet, vt in tam longa ſerie & tanto tempore conſtanter durauerit huiuſmodi diuerſitas, & in tantam inæqualitatem exceſſerit. Accedit etiam, quòd in eadem generationum ſerie quæ contexitur à Matthæo, à Dauid vſque ad poſteriorem Ioachimum, includendo quoque tres alios reges prætermiſſos, ſunt decem & octo generationes: ac deinde incipiendo à Salathiele vſque ad Chriſtum ſunt tantùm tredecim. Sed tamen tempus quod fluxit à Dauid vſque ad totalem transmigrationem Babylonis, fuit quadringentorum ſeptuaginta annorum, vt clarè colligitur ex hiſtoria Regum: ab hac autem transmigratione vſque ad Chriſtum, fluxerunt anni circiter ſexcenti, vt deducebat Suarez tomo 1. huius 3. partis diſp. 6. ſect. prima. Vnde minùs adhuc veriſimile redditur, tanto tempore fuiſſe tam paucas generationes, ita vt oporteret, ſingulos viros non niſi quinquagenarios genuiſſe. Itaque fortaſſe dici debebit, vel illos qui à Matthæo recenſentur nō fuiſſe primogenitos; ſed fortaſſe vltimo genitos; & ita procreatos fuiſſe ex patribus pluſquam etiam quinquagenarijs, poſt procreationem aliorum filiorum: ſicut & Dauid fuit vltimus filius Ieſſe; ac ſimiliter ipſummet Ieſſe, & Obed, & Booz, non fuiſſe primogenitos, ſed potius genitos in ſenectute ſuorum patrum diſcurrit Abulenſis, quæſt. 14. in cap. 1. Matth., eo quod hi ſoli interceſſerunt ab exitu filiorum Iſrael de Ægypto vſque ad Dauid. Vel dicetur prætermiſſas fuiſſe à Matthæo pro eo quoque tempore plures alias generationes & perſonas, vel propter virorum impietatem; vel quia celebriores tantùm viros recenſere voluerit, vel quia eorum tantùm notitia in memoria populi ſiue in ſcripturis extabat, vel propter aliam rationem: idque vt ſeruaret myſterium in tribus quatuordenarijs, vt mox tractabimus.

Quarta tandem difficultas eſt: quia Matthæus concludit: *Omnes itaque generationes ab Abraham vſq; ad Dauid quatuordecim; à Dauid vſque ad tranſmigrationē Babylonis quatuordecim, & à trāſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtū quatuordecim.* At ſi diligenter enumerentur, videntur plures aut vna ſaltem deeſſe. Nā vt eſſet tres integri quatuordenarij, deberent eſſe in vniuerſum quadraginta duæ generationes ſed ſi generationes ſumantur paſſiuè, ideſt pro ijs qui geniti ſunt, non includetur Abraham,

Quomodo Matthæus cōpleuerit tres quatuordenarios.

ſed

ed Chriſtus ; & erant tantùm quadraginta. Si ſumantur actiue pro iis qui genuerunt, non includetur Chriſtus, ſed Abraham, & pariter erunt quadraginta. Si ſumantur vtroque modo, ideſt accipiendo abſolute perſonas, & ſic includitur ſimul Abraham & Chriſtus ; erunt ad ſummum quadraginta & vna. Propter hoc, conati ſunt Patres & Interpretes aliquo pacto illum numerum ſupplere. Et aliqui, excipiendo Abrahã, aut Chriſtum, dixerunt, Dauidem & Iechoniam debere bis computari, ideſt ſemel in fine prioris quatuordenarij, & iterum in principio poſterioris. Aliqui includendo ſimul Abrahamum, & Chriſtum, dixerunt, debere bis numerari Dauidem, idque ob inſignem eius dignitatem. Aliqui, debere tranſmigrationem ipsã Babylonicam, tanquam generationem quandam computari. Aliqui debere vnam Iechoniam bis numerari. In quo Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 4. myſterium obſeruat: quia in illo facta eſt traſmigratio à Hieruſalem in Babylonem: *Et hoc ipſum*: inquit, *præfigurabat Chriſtum, à circumciſione ad præputium, & ab Hieruſalem ad Babyloniam quodammodò migraturum, & hinc atque hinc vtriſque in ſe credentibus tanquam lapidem angularem futurum*.

At nouiſſimè Vaſquez diſp. 127. cap. 10. inuenit & vidit quod hactenus tot oculatiſſimi viri non viderant, & vehementer admiratur, tot viros doctos in hac ſupputatione difficultatem vllã paſſos eſſe, cum nullam prorſus res habeat. Sed includendo Abrahã & Chriſtum, & ſemel tantùm computando Dauidem, ſemel Iechoniam, tres integros ac diſcretos quatuordenarios adimplet. Et primum quidem conficit non includendo Dauidem, quem pro ſolo ſecundo reſeruat. Et reprehendit Ianſenium, quod in eo primo Dauidem includat, incluſo etiam Abrahamo: quia ſic inquit, eſſent ibi quindecim perſonę. Eia videamus, qui ſint illi quatuordecim quos in prima claſſe ipſe inuenit. Poſt Abrahã, Iſaac, & Iacob, dixit Euangeliſta, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, Phares autem genuit Eſron &c.* Hinc recenſet Vaſquez quarto loco Iudam, quinto Phares, ſexto Zaram, ſeptimo Eſron. Neſcio, an ioco vel ſerio, an dolo vel lapſu, hoc protulerit. Mira ſanè res. E tot ſolicitis exploratoribus tandiù ſe occultauerat & aufugerat Zara: Húc Vaſquez, an fortaſſe indicio coccini quo eum inſpexit à natiuitate ſignatũ, aſſequutus eſt & comprehendit, ac in ordinem cum reliquis redegit. Sed hac via poterat molto plures capere, & numerum non ſolum explere ſed excedere: nam & Iacob genuit Iudam & fratres eius. Ioſias genuit Iechoniam & fratres eius, ſi Vaſq. non tantùm patres, ſed etiam fratres volebat arripere.

Alius ergo modus ſupereſt, conſequẽter ad ſupra dicta, quo Ambroſius lib. 3. in Lucam, & alij ex Patribus, Abulenſ. in cap. 1. Matth. in illa verba *& poſt tranſmigrationem*, & alij ex Expoſitoribus dicunt, Matthæum iuxta tranſmigrationem Babylonis intellexiſſe duos Iechonias, & neutrum prætermiſiſſe ex illis duobus, quorum alter fuit filius, & alter nepos Ioſiæ, qui verè dato diſtincti fuere. Atque ita efficiuntur tres diſcreti atque integri quatuordenarij. In primo comprehenditur Abraham primo loco, ac Dauid vltimo loco. In ſecundo Salo non primo loco, ac prior Iechonias vltimo loco. In Tertio poſterior Iechonias primo loco, & Chriſtus tandem vltimo ac ſupremo loco. Sed quid iterum in hoc dicam? Vbi Vaſq. eodem illo cap. 10. loquens de tertio quatuordenario, ait. *Ambroſius fatetur ingenuè in expreſſis generationibus ad numerum teſſaradecada vnam deeſſe generationem, nihil tamen referre vtrum in duabus an in vna mendacium ſit*. Equidem nihil aliud dicam. Sed ipſe Ambroſius de ſe loquatur. Ibi lib. 3. in Lucam col. penultima ſic inquit: *Quòd verò poſt Iechoniam duodecim generationes enumeraſſe videtur Euangeliſta; ſi diligenter aduertas hic quoq; quatuordecim generationum poteris inuenire rationem: duodecim enim vſque ad Ioſeph numerãtur, tertius decimus eſt Chriſtus: ſed nihil refert vtrum in duabus generationibus an vna mendacium ſit*: (voluit dicere, tàm eſſe præiudiciale Euangelicæ veritati mendaciũ in vna q̃ à in duo-

in duo

Digitized by Google

in duabus) *Tamen ne hic quidem cæcum aliquem ſcopulum aut naufragium inuenias veritatis: duos Ioachim, hoc eſt duos Iechonias fuiſſe hiſtoria indicat, vnum ante tranſmigrationem, alterum in ipſa trãſmigratione generatum, ideſt patrem & filium: ergo pater inter generationes ſuperiores eſt computatus qui ſucceſſit Ioſiæ; filius inter poſteriores qui ſucceſſit patri, ideſt nepos Ioſiæ.* Et diligenter ex veteri Regum hiſtoria demonſtrare ſatagit hos duos Iechonias, & concludit: *Non igitur ſuppreſſit alterum Euangeliſta, ſed vtrunque ſignauit, quod vterque Iechonias dictus eſt; ita addito iuniore Iechonia, generationes quatuordecim computantur.*

SECTIO OCTAVA.

Quàm conuenienter per Angelum annunciata fuerit B. Mariæ conceptio Chriſti.

Conueniebat B. Mariæ annũciari conceptionem Chriſti.

NArrat Lucas cap. 1. miſſum à Deo fuiſſe Angelum, qui B. Mariæ annunciaret Chriſti conceptionem. Eratquè ſine dubio conuenientiſſimũ, vt diuina reuelatione notificaretur B. Mariæ tantum myſterium in ea peragendum. Cuius conuenientiæ quatuor rationes reddit optimè S. Tho. q. 30. art. 2. Tum vt prius eius mens inſtrueretur & præpararetur, ſicut dignum erat. Tũ vt ipſa fieret teſtis eiuſdem myſterij, alioſquè ſubinde inſtrueret & edoceret. Tum vt voluntarium obſequium & alacrem promptitudinem Deo exhiberet. Tum vt interueniret conſenſus ipſius virginis, non ſolùm nomine proprio, ſed veluti totius etiam humanæ naturæ, in hac ſpirituali deſponſatione & coniunctione, qua Verbum diuinum copulabat ſibi noſtram humanitatem. Quas rationes ſimiliter Sãcti Patres circa hoc myſterium obſeruãt. Dici etiam debet, fuiſſe neceſſaria annunciatio ſiue reuelatio diuina, ad hoc vt B. Virgo diſceret, quòd incarnatio Verbi eſſet in eius vtero peragenda. Et ideo non inutiliter in titulo & principio articuli quæritur & dubitatur de neceſſitate annunciationis: Nam licet B. Maria iam ante per fidem nouerat abſolutè, futurum eſſe vt Verbum diuinum humanam carnem aſſumeret, & veniret Chriſtus Meſſias olim promiſſus quia doctiores in illa lege, explicita fide credebat, Meſſiam futurum eſſe verum Dei filium: Tamen B. Maria ſine huiuſmodi ſpeciali reuelatione nunquam cogitaſſet, ſe eſſe illam feliciſſimam fœminam quæ electa erat in matrẽ Chriſti, ſed potiùs de ſe valde humiliter ſentiebat. Et ita patet, Angelum tanquã rem nouam & hactenus ei ignotam ei manifeſtaſſe, & ipſam tanquam ad rem nouam expauiſſe. Atque hoc ipſum expreſſit S. Thom. in ſolut. ad. 2., & communiter Sancti Patres aduertunt.

Conueniebat annũciari per quendam celeſtem Spiritum.

Hoc ſuppoſito, fuit etiam valde conueniens, hanc annunciationem & reuelationem fieri per miniſterium Angeli. Cuius conuenientiæ tres rationes profert S. Thom. art. 2. Tum quia talis eſt ordo diuinæ prouidentiæ & gubernationis, vt diuina ad homines deferantur mediantibus Angelis, qui non ſolùm ratione naturæ mediant inter Deum & homines: ſed etiam ratione ſtatus, cùm ſint Beati per gratiam, mediant inter Deum Beatum per eſſentiã & homines viatores tendentes ad beatitudinem. Tum etiam, ſicut initium humanæ perditionis fuit ex loquutione Diaboli ad mulierem: ita conueniebat, vt initium humanæ reparationis ſumeretur ex loquutione Angeli ad alteram mulierem. Vnde pulchre Bernard. ſerm. 5. inter paruos: *Dies diei eructat verbum; Angelus Virgini, dies Angelus propter beatitudinem, Virgo dies propter integritatis virtutem: & nox nocti indicat ſcientiam, ſerpens nox propter maliciam, mulier nox propter ignorantiam.* Tum demum virginitati B. Mariæ congruebat, vt ab Angelo ſalutaretur & inſtrueretur, & non ab vllo viro. Vt ob dignitatem quoque huius myſterij notauit Ambroſ. lib. 2. in Lucam, *Tanti mandati myſterium non hominis fuit ſed Angeli ore promendum.*

Per primarium Archangelum Gabrielem

3. Conuenienter vlterius ad hoc miniſteriũ aſſumptus fuit primarius Archangelus, nominatus Gabriel: vt aduertit S. Thom. eod. art. 2. ad 4. & alij Patres indicant, Licet enim Gregor. homil.

34. in

34. In Euang. videbatur dixiſſe, fuiſſe ſupremum inter Angelos, rectè S. Thomas id explicat, ſummum inter Angelos qui mittuntur ad nunciandas res diuinas hominibus, qui ſcilicet non excedunt ordinem Archangelorum. Et explicatur hæc conuenientia: quia cùm deputati à Deo fuerint duo nobis proximi Ordines ſupernorum ſpirituum ad cuſtodiam & inſtructionem hominũ; & ad res quidem ordinarias ille Ordo qui appropriato ſibi communi nomine dicitur Angelorum, ad res verò ſublimiores alius ſuperior qui dicitur Archangelorum: non oportebat hanc diſpoſitionem immutari, & ad hoc Officium mitti aliũ ex ſuperioribus adhuc Hierarchijs & ordinibus: ſed benè conueniebat ad nunciandũm hoc myſteriũ quod erat ſupremum in ordine ſupernaturali; mitti ſupremum nuncium, ideſt ſupremum ex ordine Archangelorum: Qui quidem ab eodem Euangeliſtà vocatus eſt Gabriel. Sed quia idẽ Lucas narrat, apparuiſſe etiam Zachariæ Gabrielem, & nunciaſſe conceptionem & ſanctitatem Ioannis Præcurſoris; & olim Daniel cap. 8. & 9. ſuæ Prophetiæ narrauit, apparuiſſe ſibi Gabrielem: ideo Abulenſ. q. 35. in cap. 13. Iudicum dixit, non oportere eundem ſemper eſſe qui hoc nomine vocatus ſit, quia potuerũt plures Angeli ſortiri hoc idem nomen ex officio quod gerebant Putandum tamen eſt. fuiſſe ſemper eundem: dum non habetur indicium diſtinguendi plures ſub hoc eodẽ nomine. Et eo magis quia aliæ etiam eius apparitiones ordinabantur ad idem Incarnationis myſterium. Nam Zacariæ Gabriel nunciauit ortum Præcurſoris qui præparabat viam ante Chriſtum: Et Danieli nunciauit tempus ſub numero hebdomadarũ quo venturus erat Chriſtus. Vnde videtur etiã, quòd idem quoque fuerit Angelus qui apparuit Ioſepho, vt eum inſtrueret de conceptione Chriſti, ſicut aduertit D. Bernard. homil. 1. ſuper *Miſſus eſt*; & rurſus vt admoneret de fuga in Ægyptum, & reditu in patriam. Et fortaſſe etiam qui apparuit Chriſto in horto, confortans eum. Valde etiam congruebat huic Angelo nomen Gabriel: non ſolùm per interpretationem Hieronimi lib. de Nominib. hebraicis, ſcilicet *Fortitudo Dei*, ſiue *Robuſtus*. Sed etiam poteſt optimè adhiberi alia interpretatio Procli Ciziceni in homil. de Natiuit. Domini quæ habetur in homil. Epheſ. tomo 6. cap. 7., nempe *Homo Deus, Vir Deus*. Et accedit Theophil. ſuper Lucæ 1., interpretans *Homo Dei Vir Dei*. Etenim hoc nomen Gabriel Hebræo more cõponitur ex radice GBR, quæ paſſim in ſcriptura ſumitur pro viro ſiue homine adulto; & inter alia loca, Ierem. 31. vbi dicitur femina circundabit virum, in textu hebræo pro ly virum dicitur *gaber* El autem eſt nomen Dei, & per ſe ſonat in caſu recto Deus: itaque optimè poteſt Gabriel exponi, *Homo Deus, Vir Deus*. Quæ interpretatio ſatis patet, quàm aptè congruat Incarnationis myſterio.

Conueniebat, hunc Angelum corporaliter apparere & loqui

Apparuit autem Angelus B. Virgini, ſub corporali humana ſpecie; corpore ſcilicet aſſumpto ad inſtar humani; loquutuſque fuit ſenſibili voce: idque erat prorſus ità conueniens. Sic explicat S. Thomas art. 3., & eſt communis ſententia Patrum, & eſt magis conſonum textui Euangelico. Et ratio conuenientiæ erat, vt aſſignat S. Thomas. Tum ex parte myſterij quod nunciabatur, quo inuiſibilis Deus aſſumpturus erat viſibilem carnem, humanam naturam. Tum ex parte B. Virginis, quæ non ſolà mente & ſpiritu, ſed corpore & ventre conceptura erat Chriſtum. Tum ex parte cognitionis, quæ certiori modo habetur per externos ſenſus, quàm per ſolam imaginationem. Et hinc Chryſoſt. hom. 4. in Matth. obſeruat, perfectiorem modum apparitionis fuiſſe hunc, quàm alium quo Angelus in ſomnis apparuit Ioſepho. Deſcribit etiam Auguſt. ſerm. 14. de Natali Domini, aſpectum Angeli in hac apparitione, inducens B. Virginem ſic dicentem: *Venit ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, inceſſu mirabilis*.

Rationabiliter B. Maria turbata fuit.

Ad hanc apparitionem Angeli & ſalutationem, turbata eſt B. Maria, vt narrat Euangeliſta. Duplex autem modus & cauſa huius turbationis attingitur à D. Thom. eod. art. 3. in fine; & reddi-

redditur à ſanctis Patribus. Vno quidem modo & cauſa turbata fuit ex verbis ipſius Angeli, qui tam magnificis laudibus eam appellauit ac ſalutauit, vocans gratia plena, benedicta in mulieribus. Et hic ſanè modus & cauſa turbationis exprimitur in textu Euangelico, *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſt iſta ſalutatio*. Potuitque habere locum, etiam ſi B. Maria ſtatim ab initio cognouerit, illum qui ſibi loquebatur eſſe Angelum, vel quia aſſueta erat huiuſmodi, non ſolum internis, ſed etiam externis apparitionibus Angelorum, vel quia tunc primùm diuina illuſtratione perceperit illum eſſe Angelum. Adhuc inquam merito turbabatur ſingulari illa forma verborum, quæ ſine dubio fuit illi inſueta, nec prius audita. Alio modo & cauſa turbari potuit ex aſpectu ipſo Angeli, præſertim ſi non adhuc viderat Angelos corporali ſpecie, & ſi non ab initio cognouit illum eſſe Angelum, ſed ſolum viri ſpeciem percepit: ſic enim pro ſua modeſtia & verecundia meritò turbaretur. Hunc modum & cauſam expreſſè tradiderunt Hieronim. Epiſt. 7. ad Lætam & 22. ad Euſtochium, Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. de Salut. Mariæ, & lib 1. de Officijs cap. 18. & lib. 2. de Virginib. paulò poſt initium, Damaſcen. Orat. 1. de Natiuitat. Mariæ paulò ante finem, & alij ex Patribus. Facet etiam textus græcus, vbi legitur, *Quæ cùm vidiſſet*: quamuis verbum videndi ſumi adhuc poſſit prout communè ad omnē cognitionem, & ad quemcumque corporis ſenſum: vt ita dicatur textus latinus determinaſſe per verbum audiendi, iuxta verba ſequentia, generalitatem verbi videndi in textu græco.

Cognouit Angelum, eiuſque dictis credidit.

Omnino autem vel ſtatim ab initio, vel ſaltem in progreſſu, & ſaltem in eo quod ſtatim ſubiunxit Angelus, *Ne timeas Maria, &c.* cognouit B. Virgo illum eſſe verum Angelum Beatum, & eſſe talem, nempe Gabrielem: & conſequenter ductus eius fidem præſtitit, ſibi annũciantis Incarnationẽ filij Dei, conceptionem Chriſti. Vnde Eliſabeth poſtea ei dixit, *Beata quæ credidiſti*. Quare illa Reſponſio B. Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud?* non fuit dubitatio de re, ſed interrogatio de modo, vt Sancti aduertunt, & ex Ambroſ. affert S. Thom. art. 4. ad 2., qui obſeruat diſcrimen inter reſponſionem Mariæ & Zaccariæ. Athanaſi verò, vel alius Auctor, in lib. Quæſtionum ad Antiochũ q. 12. affirmauit, & Suarez hoc loco diſp. 9 ſect. 2. defendit, B. Virginem cognouiſſe Angelum perfecta & intuitiua viſione, quæ dicitur per eſſentiam, eo modo ſcilicet quo ipſi Angeli inter ſe, ſe ipſos cognoſcunt & intuentur. At S. Thomas art 3. ad 1. planè ſentit, quod B. Virg intellectuali quidem illuminatione cognouit Angelum, non tamen intuitiua viſione in ſua ſubſtantia: quia licet hic modus cognitionis fuiſſet nobilior, non tamen conueniebat ſtatui viatoris. Poteſt tamen admitti, B. Virginem habuiſſe aliquam euidentiam & euidentem notitiam, quod ille Angelus eſſet vere miſſus à Deo, & quod illa erat diuina reuelatio, atque ita ſciret non poſſe illi reuelationi ſubeſſe falſum, ſed verũ prorſus eſſe quod ſibi reuelabatur: quæ quidem dicitur euidentia in atteſtante, & ſanè non tranſgreditur ſtatũ viatoris, & poteſt reperiri in ipſa fide: vt ſuo loco in generali de fide tractauimus. Addit Suarez ead. ſect. 2. in fine, piè & probabiliter credi poſſe, ſtatim poſt peractum Incarnationis myſteriũ in vtero Virginis, eleuatam fuiſſe mentẽ eius ad clarè & intuitiuè videndum per modum tranſeuntis, Dei filium incarnatum, atque adeo Deum ipſum in ſe: quam rem ſuo communi loco nos attigimus 1. par. q. 12. ſect. 7.

SECTIO NONA.

De Conceptione Chriſti & geſtatione in vtero Matris.

Non ante cõſenſum B. Mariæ fuit peracta conceptio Chriſti.

IAm per colloquium Angeli certiorata B. Maria de voluntate diuina, & electione ſuæ perſonæ ad tam ſublime myſterium, inſtructa etiam de modo quod id fieri deberet virtute Spiritus ſãcti abſque læſione ſuæ virginitatis, ſumma humilitate & alacritate ſimul acceptauit diuinum opus, præbuit ſuum conſen-

conſenſum illis verbis, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Et tunc ſtatim peracta fuit Incarnatio Verbi, Conceptio Christi. Dico tunc, ideſt non priùs. Vbi quidem aliqui Patres indicarunt, factam fuiſſe incarnationem ab initio Angelicæ ſalutationis, & ſignanter quando dixit Angelus, *Dominus tecum*: quaſi ſcilicet dixiſſet, nunc Dominus Deus eſt in te per aſſumptionem carnis ex tuis viſceribus. Ita ſignificant D. Auguſt. ſerm. 2. de Annunciat. & ſerm. 14. de Natiuit. Domini, Chryſoſt. in ſua Liturgia, Bernard. homil. 3. ſuper *Miſſus eſt*, Petrus Alexandr. in lib. de Deitate, vt recitatur in Concil. Epheſino tom. 2. cap. 7. & in Concil. Calced. art. 1. in relatione Nicenæ Synodi, Petr. Damian. ſerm. 1. de Natiuit. Virginis, Laurent. Iuſtinian. ſerm. de Annunciat., & Nicephor. lib. 1. Hiſtor. cap. 8. Sed tamen ex ipſo textu Euangelico, & colloquio Angelico, apertiſſimè conſtat, non ab initio in aduentu & primis illis verbis Angeli, fuiſſe peractum hoc myſterium, ſed non niſi poſt conſenſum B. Mariæ: ſi quidem Angelus in verbis conſequentibus dixit adhuc de futuro, *Ecce concipies in vtero*: & Maria etiam de futuro interrogauit, *Quomodo fiet iſtud*: & iterum Angelus de futuro reſpondit, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: ac tandem Maria tanquam de re facienda conclußit, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Planè ergo non ab initio ſalutationis, ſed non niſi exhibito hoc Mariæ conſenſu, facta fuit incarnatio Verbi, Conceptio Christi. Et rurſus expreſſe cap. 2. loquens Lucas de nomine Ieſus, ait, *Quod vocatum eſt ab Angelo priùſquam in vtero conciperetur*: vocauit autem Angelus, quando in diſcurſu annunciationis dixit Mariæ, *Vocabis nomen eius Ieſum*: nondum ergo tunc erat conceptus, ſed erat concipiendus Christus. Atquè hic planè eſt communis Expoſitorum & Patrum ſenſus. Et ratio etiam conuenientiæ ob quam dicebatur, decuiſſe hoc myſterium notificari prius B. Mariæ, obtinerique eius conſenſum, hoc idem oſtendit. Patres vero prælegati, præcipuè intendebant, illo tempore annunciationis Angelicæ factam fuiſſe incarnationem, reputantes illud exiguum tempus velut vnum momentum, & pro eo accipientes illa verba *Dominus tecum*, referendo illa ad ipſam incarnationem: quæ tamen antecedẽter referri poterant ad diuinam aſſiſtentiam & protectionem.

Sed expreſſe conſenſu ſtatim peracta fuit.

Itaque dixi etiam, tunc ſtatim, ideſt non tardius, non ampliùs dilatam fuiſſe Christi Conceptionem: Et ita quidem communiter Sancti ſupponunt. Et in hoc ſenſu accipiunt illa verba Lucæ, *Et diſceſſit ab illa Angelus*, ſcilicet tanquam peracto iam opere ad quod venerat. Sic etiam cum verbis Mariæ apud Lucam, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, coniungunt alia verba Ioannis, *Et Verbum caro factum eſt*. Eſtquè id rationi conſonum, quia non erat quid aliud expectaretur, ſed virtus diuina paratiſſima erat, nec indigebat alia mora temporis, nec vlla conuenientia occurrebat vt plus differretur hoc opus. Fuiſſe autem totam Conceptionem ſimul in inſtanti perfectam, & nõ ſucceſſiuè per tempus in alijs hominibus conſuetum ac naturaliter neceſſarium, tractauimus iam ſect. 1. Sed quia ibi dicebamus cum D. Thoma, interceſſiſſe ſolùm modicam quandam ſucceſſionem temporis ad congregandum ſanguinem pro materia corporis requiſitum, vt pote ratione motus localis: hinc optimè quadrabit dicere, ex quo B. Virgo præſtitit in mente conſenſum, & cæpit voce proferre, vſque dum verba compleret, congregatum fuiſſe totum ſanguinem in ea prima formatione corporis neceſſarium, ac ſtatim in vltimo inſtanti verborum Mariæ fuiſſe ſimul vltimò diſpoſitum & organizatum Christi corpus, infuſam animam, & incarnatum Verbum.

Statim etiã Christus habuit ſcientiam & libertatem, gratiam, & gloriam.

In eodemque inſtanti, quod fuit primum vitæ Christi, habuit anima Christi perfectum vſum rationis & liberi arbitrij, ita vt ex tunc cæperit operari, & mereri. Habuit plenitudinem gratiæ ſanctificantis cum alijs donis infuſis eam comitantibus; & cum ſcientia infuſa rerum. Imò habuit claram, & perfectam Viſionem Dei, quæ eſt beatitudo & gloria eſſentialis animæ. Iuxta illud

illud Ioann. 1., *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis:* ab initio ſcilicet habentem talem gloriam, & plenitudinē gratiæ ac ſcientiæ. Hæc autem colligit S. Thom. ſua q. 34., conſiderans perfectionem prolis conceptæ, id eſt perfectum ſtatum Chriſti, ab ipſo primo eius vitæ & conceptionis inſtanti. Nos vero hæc ipſa iam attigimus antea, conſiderando ipſum Chriſtū ſecundum perfectiones eius animi quas ſub tantis nempe q. 19. de tempore quo meruit, & merere incepit, q. 7 de gratia quam ab initio habuit, & q. 9. de ſcientia beata & infuſa quam actualiter ab initio habuit.

Nouem menſibus fuit geſtatus in vtero matris.

Poſt hoc Conceptionis inſtans, manſit Chriſtus nouem integris mēſibus in vtero matris. Ita quidem ſupponit Eccleſia, putarique debet ſic ab exordio notum fuiſſe. Et ideo integris nouem menſibus poſt feſtum Annūciationis, celebrat feſtum Natiuitatis Domini, ſcilicet à vigeſimaquinta die Martij ad vigeſimamquintam Decembris. Et aliqui Patres indicant, iſtam eandem fuiſſe diem, qua olim homo fuerat conditus, ſcilicet paulo poſt æquinoctium vernum, quo ſupponitur creatus mundus. Item indicant, fuiſſe ſextam diē hæbdomadæ: quia ſexta die Deus formauit hominem. Quamuis autem D. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 5. & lib. 83. Quæſtionum q. 56. dixerit, Chriſtum manſiſſe in vtero matris per nouē menſes & ſex dies: tamen conſiderauit mēſes ſingulos ex triginta diebus. At ſi conſiderantur cū ijs diebus qui addantur in menſibus conſtātibus ex triginta & vno diebus, ſic alij ſex dies includūtur in ijſdem mēſibus, eo prorſus modo quo apud nos computantur. Et aliqui apud Epiphaniū Hæreſi quinquageſimaprima dixerūt, Chriſtū manſiſſe in vtero matris nouem menſibus & ſexdecim diebus: nēpe ſumentes menſes lunares, qui quidem ſolent in geſtatione vteri obſeruari, & conficiuntur per circulos Lunæ, & conſtant ſinguli ex vigintinouem diebus. Conuenienter autem ſic Deus diſpoſuit, & Chriſtus voluit, Vt appareret congrua diſtantia temporis à deſponſatione ad partum, & ſeruare-tur communis naturæ curſus; & Chriſtus in omnibus ijs quæ ſtatum ac dignitatem eius non dedecebant, aſſimilaretur alijs hominibus.

Eo autem ſpatio nouem menſium, Chriſti corpuſculum paulatim excreuit donec ad iuſtam maturitatem partus naturali modo deduceretur. Eoque tēpore factum etiam eſt, quod narrat Lucas de itinere & viſitatione B. Mariæ ad Eliſabeth. Et poſt regreſſum accidit, quod narrat Matthæus de turbatione ſancti Ioſeph aduertentis Mariam Sponſam ſuam vterum gerere: & de inſtructione Angelica qua ei reuelatum fuit hoc myſterium. Nec aliud habetur in Euangelio de reſiduo huius temporis vſque ad profectionem in Bethlehem.

Quomodo fuerit tanto ſpatio dilata natiuitas Chriſti.

Sed ex dictis oritur aliqua difficultas: quia in alijs hominibus, excurrere quidem ſolet tempus nouem menſium, ſed ab initio conceptionis eorum, à quo tamen vſque ad plenam formationem corporis & infuſionem animæ, dicuntur mediare in infantibus maſculis circa quadraginta dies. Cùm ergo dictum ſit, totam Chriſti Conceptionem peractam fuiſſe in illo primo inſtanti, & tunc ſine ſucceſſione corpus eius fuiſſe plene formatum, & animam infuſā, iam ex tunc habuit illum ſtatum, quem ſolent alij infantes poſt quadrageſimum diem: igitur debebant imminui hi quadraginta dies ex ſpatio nouem menſiū.

Ad hanc difficultatem expeditior dicendi modus, ne multiplicentur alia miracula abſque neceſſitate, eſt quem tradit S. Thom. q. 33. art. 2. ad 2., & proſequitur Abulenſ. q. 53. in cap. 1. Matth., ſcilicet corpus Chriſti in illo primo inſtanti fuiſſe formatum minoris quantitatis quàm ſoleant eſſe corpora aliorum infantium in eo inſtanti quo animantur; ita vt deinceps ſpatio quadraginta dierum excreſcere deberet corpus Chriſti ad eam molem, quanta ſolet eſſe aliorum corporum in inſtanti quo animantur: atque hoc pacto compleretur ſpatium nouem menſium, donec corpus Chriſti attingeret illum ſtatum augmenti in quo ſolent naſci alij homines. Quod quidem abſque nouo miraculo erat ſatis facilè. Nam certè magni-

Digitized by Google

magnitudo ſub qua poteſt ab initio animari humanum corpus, habet latitudinem, ac poteſt eſſe maior aut minor: & accretio qua ex tunc augetur, eſt ita lenta, vt non multum grandeſcat ſpatio quadraginta dierum: ſic ergo facilè fieri poterat, vt Corpus Chriſti ab initio formaretur in gradu minoris magnitudinis, & ſpatio quadraginta dierum perduceretur ad illum gradum maioris menſuræ, quo ſolent aliorum corpora animari.

Vel etiam dici poteſt, naturaliter interdum contingere, vt partus citiùs vel tardiùs in lucem veniat: citiùs nẽpe ſpatio ſeptem menſiũ à conceptione: tardiùs verò ſpatio decem aut etiã vndecim menſium; vt docent Medici cum Hipocrate lib. 2. de Morb s popularib. ſect. 5., & experientia obſeruatum eſt. Vnde & leges concedunt ſpatium, etiam decem & vndecim menſium poſt mortem viri, quo poſsit mulier prolem ex illo conceptam parere. Iuxta hunc ergo naturalẽ curſum potuit Deus diſponere, vt per nouem illos integros menſes poſt peractam conceptionem, Chriſtus in matris vtero geſtaretur vſq; ad natiuitatem.

SECTIO DECIMA.

De Natiuitate Chriſti ex Maria Virgine.

NArrat Lucas cap. 2., B. Mariam, cùm occaſione deſcriptionis quæ fiebat mãdato Cæſaris, perrexiſſet vſq; Bethlehem, ibi peperiſſe filium: ſic ergo verè natus fuit Chriſtus ex B. Maria. Et ideò rectè attribuitur eidem Chriſto duplex natiuitas, prima æterna ſecundùm Diuinitatem, & altera temporalis ſecundùm humanitatem. Ac verè dici poſſe bis natum, affirmat S. Thom. q. 35. art. 2. ad 4. Et tunc B. Virginem fuiſſe annorum quindecim, refert Nicephor. lib. 2. Hiſtor. cap. 3. ex Euodio Epiſcopo Antiocheno Apoſtolorum ſucceſſore: *Peperit autem illius mundi lucem, annum agens quintumdecimum.*

Conuenienter electum fuit oppidum Bethlehem in quo Chriſtus naſceretur: vt prædixerat Micheas Propheta cap. 5., & expectabant ipſi Iudæi, vt refert Matthæus cap. 2. De quo vaticinio latius pertractant expoſitores Euangelij. Duplicem rationem huius conuenientiæ reddit S. Thomas art. 7. Quia nempe Bethlehem erat Ciuitas Dauid, in qua natus fuerat Dauid, de cuius progenie oriebatur Chriſtus. Et quia Bethlehem interpretatur domus panis, & Chriſtus erat panis viuus de Cœlo deſcendens. Reddunt etiam Sancti rationem: quòd Chriſtus pro ſua humilitate naſci voluit in Bethlehem oppido exiguo & humili, ſed voluit pati in Hieruſalem Ciuitate maxima & nobiliſſima. Imò apud ipſam bethlehem naſci voluit in quodã diuerſorio, ideſt communi hoſpitio. Et intra hoc hoſpitium noluit habere alium locum quàm Præſepium, in quo reclinaretur.

Conuenienti loco natus eſt Chriſtus.

Explicat etiam S. Thom. art. 8. congruẽtiam temporis quo natus eſt Chriſtus: nempe dum Orbis terrarum ſub vno Principe, Cæſare Auguſto, Romano Monarcha, regebatur: & dum erat in pace compoſitus: & dum vniuerſali cenſu deſcribebatur. Itemquè dum Iudæa ſub alienigena Rege, ſcilicet Herode ſeruire cæperat. Rurſus ea anni parte, qua incipiunt creſcere dies, & magis viget aſperitas hiemis. Superiori autem sect. indicauimus, natum fuiſſe Chriſtum die vigeſimaquinta Decẽbris, vt celebrat Eccleſia. Et hoc ipſũ teſtatur Euodius apud Nicephor. vbi ſupra. Quare ſupponendo, conceptionem factam eſſe ſexta hebdomadæ die, ſequitur, natiuitatem incidiſſe Dominica die. Et ita aſſerit Nicephor. lib. 1. cap. 12. Et confirmat ſexta Synodus cap. 8. Habetur etiam ex Euangelio, natum fuiſſe hora nocturna, cùm dicat Lucas, *Paſtores erant in regione eadem vigilãtes & cuſtodientes vigilias noctis.* Ideoquè Eccleſia tàm ſolemniter celebrat illam noctem. Quare dici debet Chriſtus natus à media nocte, quãdo nempe incipit numerari dies vigeſimaquinta. Sed creditur natus proximè ad ipſam mediam noctem. Vnde ad Chriſti Natiuitatẽm applicatur illud Sapient. 18. *Cùm quietum ſilentium tenerent*

Conuenienti etiam tempore.

Digitized by Google

rent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de Cælo à regalibus ſedibus venit.

Quo precisè anno natus ſit Christus.

Sed adhuc non ſatis liquet, quo præciſe anno inciderit Chriſti natiuitas, atque adeo quot anni nunc ab illa fluxerint Et dubitatio præcipue cadit inter duos annos. Nam loquendo iuxta ſupputationem Græcorum per Olympiadas, alij dicunt Dominum natum anno ſecundo, alij anno tertio Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ. Et ſimiliter loquendo iuxta ſupputationem Romanorum, alij dicunt natum anno quadrageſimo primo, alij quadrageſimo ſecũdo Imperij Cæſaris Auguſti. Natum anno quadrageſimo primo dicunt, Irenæus lib. 3. cap. 25. Tertullian. lib. cont. Iudæos cap. 8. Hieron. Super Iſaiæ 2. & Danielis 9 Caſſiodor in Chronico. Natum anno quadrageſimo ſecundo volunt, Euſebius lib. 1. Hiſtoriæ cap 5., Epiphan. in Ancorato & de Hæreſ. lib Hæreſi 51. & 78. Beda lib. de Sex ætatib., Oroſius lib. 1. cap. 1. Alcuinus lib. de Diuinis officijs cap de Natiuit. Domini. Et in Martyrologio Romano ſignatur Natiuitas Chriſti eodem anno. Priorem partem acriter defendit Baronius in Apparatu ſuorum Annalium & Annotat. ad Martyrol. die 25. Decemb. Poſteriorem verò partem Panuinus lib. 2. Faſtorum, Suarez hic diſp. 12. ſect. 1. & ſuperiori tomo diſp. 6. ſect. 1. Videturquè magis receptus dicendi modus.

At Baronius pro ſe interpretatur Auctores etiam poſterioris partis: dicens illos inchoaſſe computare imperium Auguſti à morte Iulij Cæſaris, vel ex quo ipſe paulò poſt cõſtitutus fuit Dux à Senatu contra Marcum Antonium: quod fuit per annum ante initum ab eo Conſulatum & Triumuiratum: ideoquè illum ipſum annum qui erat quadrageſimus primus à Conſulatu, & Triumuiratu, fuiſſe quadrageſimum ſecundum poſt necem Iulij & Ducatum illum Auguſti. Suarez verò, numerans annos imperij ab inito Conſulatu & Triumuiratu, & ex tunc deducens quadragintaduos annos ad Natiuitatem Chriſti, interpretatur quoque pro ſe Auctores prioris partis: dicens, intellexiſſe quòd Chriſtus natus ſit anno quadrageſimo primo completo iam imperij Auguſti, atque ita currente anno quadrageſimo ſecundo.

Deducitur ex Euangelio Lucæ.

Sed ad determinandam hanc rem, nulla certior aut commodior ratio iniri poteſt, quàm ex ipſa hiſtoria Euangelica: dum Lucas cap. 3. ſignat annum quo Ioannes Baptiſta cæpit prædicare & baptizare, nempe annum decimumquintum Tiberij, qui proximè ſucceſſit Auguſto: ſignat etiam annum quem agebat Chriſtus quando baptizatus fuit a Ioanne, nempe annum trigeſimum. Vbi ſupponendum ſine dubio eſt, Chriſtum eodem anno decimoquinto Tiberij fuiſſe baptizatum: quia vtique acceſſit ad Ioannem paulo poſt quàm is cæperat baptizare; & ideo ita ſtudiosè Euangeliſta ſignauit annum illum quo Ioannes cæpit baptizare, quia eo anno conſequenter baptizatus, & manifeſtatus eſt Chriſtus. Cùm ergo Chriſtus in ætate triginta annorum fuerit baptizatus anno decimoquinto Tiberij. inde ſtatim determinabitur quot annos de imperio Auguſti tranſegerat, ſiue quo anno ante obitum Auguſti natus ſit. Vnde demum quocumque modo ſignetur initium eius imperij. deducetur quo imperij anno natus ſit Chriſtus.

Adhuc tamen remanet difficultas: quia Baronius cenſet, quòd Chriſtus iã expleſſet triginta annos, & inchoaſſet trigeſimumprimum, quando baptizatus eſt. Attamen multò magis textui conſonat dicere, quòd Chriſtus inchoauerat ſolùm trigeſimum annum: ait enim Lucas, *Et ipſe Ieſus erat incipiens annorum quaſi triginta*. Et hoc magis confirmabimus tract. ſequenti in propria ſect. de Baptiſmo & manifeſtatione Chriſti. Itaque iuxta hanc ſupputationem, in promptu iam erit reſolutio anni quo natus fuerit Chriſtus: ſupponendo etiam quod Chriſtus Baptizatus fuerit ſexta die Ianuarij, ſicut Eccleſia celebrat: & quòd Tiberius cæpit imperare mẽſe ſextili quo obijt ipſe Auguſtus. Hinc enim fit, vt Chriſtus fuerit baptizatus circa quintum menſem anni decimiquinti Tiberij; atque adeo quod tranſegerat quatuordecim

annos

nos & ſeptem menſes de imperio Auguſti: quibus complentur viginti anni. Et addendi ſunt pro initio quadrageſimi anni, tredecim dies, videlicet à vigeſimaquinta Decembris ad primam Ianuarij. Rurſus communiter dicitur Auguſtus imperaſſe quinquaginta ſex annos integros ab inito Conſulatu, quem ſimiliter eo menſe Sextili iniit, immo teſtatur Tacitus lib. 1. Annalium, *Quod idem dies accepti quondam imperij princeps, & vitæ ſupremus.* Dicitur ergo, vt Chriſtus natus ſit currente anno quadrageſimo ſecundo imperij ita computati. Si autem Auguſti imperium inchoetur à nece Iulij, qui occiſus fuerat anno antecedenti, Chriſtus dicetur natus anno quadrageſimo tertio Auguſti.

Quo autem vt plurimū Eccleſiæ Patres dixerunt, Chriſtum natum eſſe anno quadrageſimoſecundo, quia computarunt Auguſti imperiū ab inito Conſulatu. Et quidem ita computabatur in Hiſtorijs Romanorum, vt conſtat ex illarum ſcriptores. Nec enim Auguſtus imperare ſeu Rempublicam regere cæpit à nece Iulij, vt compertum eſt. Et licèt quibuſdam menſibus poſt necem Iulij, ipſe priuato conſilio cæperit exercitum congregare, ac deinde fuerit ab ipſo Senatu miſſus cum eo exercitu vnito aduerſus Marcum Antonium, non per hoc cæpit imperium Reipublicæ: ſed non niſi quādo altero anno mortuis in bello Hirtio & Panſa Conſulibus, ipſe inijt Conſulatum, & paulò poſt inſtituit Triumuiratum, in quo cōtinuauit per duodecim annos, ac tandem ſolus regnauit vſque ad obitum.

Neque obſtant quæ Baronius affert, vt probet apud quoſdam Romanos ſcriptores, computari cæpiſſe imperium Auguſti à morte Iulij. Horatius lib. 4. Ode 14. ait, Auguſtum luſtro tertio ſui imperij debellaſſe Antonium & occupaſſe Alexandriam: at non inueniuntur quindecim anni, niſi numerentur à nece Iulij. Tacitus lib. de Oratorib. ait, Auguſtum imperaſſe quinquagintaocto annis, qui proinde ſumi debebunt à nece Iulij. Et Ioſephus Hebræus lib. 18. Antiquit. cap. 3. ait; Auguſtum imperaſſe annis quinquaginta ſeptem & menſibus ſex & diebus duobus. Hæc inquam nullatenus obſtant. Horatius enim ibi ſic ait: *Fortuna luſtro proſpera tertio, belli ſecundos reddidit exitus, &c.* Quare non intellexit, completo luſtro tertio, vel in fine eius, ſed tantùm currente luſtro tertio. Et ita Lambinus ibi explicat, *Luſtro tertio nondum finito, id eſt anno decimotertio nondum exacto.* Imo hunc annum decimumtertium numerat à bello Mutinenſi, quod Auguſtus geſſit contra Marcum Antonium, ex quo tēpore Baronius ipſe contendit computari imperium. Sed rurſus nec Horatius vocat luſtrum tertium ab initio imperij, ſed ſolùm à proſperitate Fortunæ: & ſic quidem dici poteſt, Fortunam ei affulgere cæpiſſe à nece Iulij, quando per adoptionem remanſit eius heres, non quidem heres imperij, ſed priuatarum opum: & ipſe id audiens Apolloniæ, vbi ſtudiorum cauſa morabatur, Romam redijt.

Tacitus vero, non ſolùm lib. 1. Annalium dixerat, eundem diem fuiſſe Auguſto imperij primum & vitæ vltimum, intelligens omnino de die quo Conſulatum inijt, qui fuit decimoquarto Kalendas Septembris, in quem poſtea coincidit obitus eius. Sed in illo ipſo loco de Oratoribus ait: Vt de Cicerone ipſo loquar, occiſus eſt, quo anno D. Auguſtus in locum Panſæ & Hirtij ſe & Q. Pedium Conſules ſuffecit; ſtatue octo & quinquaginta annos quibus mox D. Auguſtus Rempublicam rexit. Vbi clariſſimè imperium Auguſti computat ex quo factus eſt Conſul, & ex eo anno quo occiſus fuit Cicero, qui quidem proſcriptus & necatus fuit, nō ſolùm inito Conſulatu, ſed etiā Triumuiratu Auguſti. Et exinde per ſequentes Principes colligit cētum viginti annos à morte Ciceronis ad ſextum annū Veſpaſiani, quo tunc Auctor ſcribebat. Vel ergo irrepſit lapſus ipſius Auctoris, vel mendum potiùs impreſſoris in annis Auguſti, quo poſitum ſit octo pro ſex. Et quidem ex illis octo cum alijs annis quos recenſet vſque ad ſextum Veſpaſiani, fiunt anni cētum viginti & vnus: ſi autem ponantur ſex, fiunt centum decem & nouem. Et fortaſſe hoc volebat

ſcibat Auctor, ſed vt numerum quendam completum proferret, dixit centum viginti. Quicquid tamen de hoc ſit, hic ipſe locus, non ſolùm non confirmat, quinimo potiùs deſtruit intentum Baronij. Sed quid plura? quando iam in Codicibus emendatis, non legitur octo, ſed ſex. Nec ille liber creditur Taciti, ſed vel Quintiliani, vel alterius ignoti.

Ioſephus tamen attribuit quidem totum illud tempus Auguſto, & computauit a nece Iulij. Quamuis ſic etiã dicere debuiſſet, menſes quinque, non ſex: quoniam Iulius necatus fuit Idibus Martij. Sed certe, homo extraneæ nationis & ſub regibus aſſuetæ, loquutus eſt ſuo more, quo ſucceſſio vnius Regis inchoatur ab obitu alterius. Et ita vocat Auguſtum Imperatorem ſecũdum, ſcilicet poſt Iulium. Sed apud Romanos aliter res ſe habuit, quia Auguſtus non per ſucceſſionem accepit imperium, imò primus habuit nomen Principis, quia Iulius retinuit nomen tantùm Dictatoris. Et reuera interceſſit ſpatium vnius anni & quinque menſium à nece Iulij, antequam Auguſtus per Conſulatum capeſſeret adminiſtrationem Reipublicæ. Neque verò alij deinceps ex homine Hebræo ſumpſerunt computationem annorum Romani Imperij. Et hæc de anno quo natus eſt Chriſtus.

Qualiter natus fuerit Chriſtus ex matre permanente Virgine.

Iam verò natum fuiſſe Chriſtum ex Maria, permanente etiam in partu Virgine, ideſt abſque vlla Virginitatis & clauſuræ fractura, negauit olim Iouinianus Hæreticus, vt refert D. Auguſt. lib. de Hæreſib. num. 82. Et poſtea quidam Gualterus in Germania, vt refert Tritemius in Chronico ſub anno Domini 1315. Et nuper Eraſmus in Annotat. ad Lucam cap. 2., circa illa verba, *Omne maſculinum adaperiens vuluam.* Et ſimiliter alij ex recentioribus Sectarijs, vt refert Sanderus lib. 7. de Viſibili Monarchia Hæreſi 87. & 219. Idem indicarunt etiam olim quidam antiqui Patres, Origenes homil. 14. in Lucam, Tertullian. lib. de Carne Chriſti cap. 4., Epiphan. Hæreſi 78. Niſſenus in libro inſcripto, *Ex veteri teſtamento teſtimonia* cap. de Natiuit. Chriſti, Iſidor. Peluſiota lib. 1. Epiſt. 23., Hieronim. etiã lib. 2. aduerſus Pelagian. num. 8 & Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. de Circunciſ. Qui Patres dixerunt, in Chriſto propriè adimpletum fuiſſe illud, *Maſculinum adaperiens vuluam:* imò in illo ſpecialiter & magis quàm in alijs qui naſcuntur: quia nempe per eius natiuitatem facta ſit talis apertio, quæ alioquin in aliorum natiuitate ſupponitur facta per congreſſum viri in conceptione. Et hoc erat fundamentum huius exiſtimationis: quia certè corpus Chriſti eius iuſtæ magnitudinis qua naſcuntur infantes, non poterat egredi per anguſtias clauſtri virginalis: atque ita oportebat fieri ſciſſionem aliquam & ruptionem, non permanente corpore Virginali cũ eadem integritate & clauſura natiua. Beza tamen inter recentiores Hæreticos addidiſſe refertur, poſtea iterum partes antea diuulſas, ita in priorem cõtinuationem coaluiſſe, vt non remaneret deinceps illa ſciſſio. Durandus verò in 4. diſt. 44. q. 6. & Paludan. ead. diſt. q. 3. art. 3. admittunt dici poſſe, Chriſtum natum fuiſſe per dilatationẽ & ampliationem partium, abſque ſciſſione & ruptione, & ita corpus Virginis etiam in ipſo partu ſemper integrum permanſiſſe. Et fundamentum Durandi fuit: quia non putauit fieri poſſe vt vnum corpus penetratiuè tranſiret per aliud, & ſimul in vno eodemque loco ingererentur.

Verè B. Maria etiã in partu permanſit Virgo.

Omnino tamen iuxta fidem aſſerendum eſt, Chriſtum natum fuiſſe ex Maria permanente in ipſo quoque partu prorſus Virgine, & egreſſum fuiſſe illæſa penitus integritate & clauſura corporis Virginalis: non ſolùm inquam abſque vlla ſciſſione & veluti dilaceratione, ſed etiam abſque dilatatione aut ampliatione partium. Hæc quidem eſt communis & certa Theologorum doctrina, ac Fidelium firma perſuaſio. Ita confirmat S. Thomas q. 28. art. 2., & alij omnes hoc loco, & ſacri Expoſitores, & alij quicunque ſcriptores, loquentes de perpetua Virginitate B. Mariæ. Et indicatur in ipſo Symbolo fidei, *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine:* quia ſcilicet B. Maria non ſolũ fuit virgo in Conceptione facta

... virent spiritus ſancti, ſed perm... etiam virgo in Natiuitate Chri... icet non ſubeundo vllum detri... in corporalis integritatis, quod i per natiuitatem filij naturaliter ſet inferri.

... itur quoque ex Sacra Scriptura, ... Iſaiæ oraculo cap. 7. *Ecce virgo ... et & pariet filium & vocabitur no... ius Emmanuel*: quem locum pro ... myſterio aſſert Matthæus cap. 1. & ... interpretationem illius nominis, ... e *Nobiſcum Deus*. Vbi non ſolùm ... m eſt, virgo concipiet, ſed etiam pariet, ideſt etiam in ipſo partu ... permanens: hæc eſt enim com... is intelligentia ſacrorum Doctorum ... trum, & communis ſenſus Eccle...

Et ita expreſsè hæc veritas habe... ... tiam ex Patribus. Sic enim aper... docuerunt, Iuſtinus Martyr in Dia... cum Thriphone, Ignatius Martyr ... 9. ad Antiochenſ., Athanaſ. in ... ſt. ad Epiſtetum, Baſil. homil. 25. de ... nana Chriſti generat. Cyrill. Hieroſol. ... echeſi 12., & Cyrill. Alexand. lib. ... ont. Iulian. Chryſoſt. homil. 2. in ... nbolum, Hieronim. lib. 1. contra Io... ... ian. Ambroſ. Epiſt. 81., Auguſt. ferm. ... & 8. & 11. de tempore, & in lib. de ... ncta Virginit., Damaſcen. lib. 4. Fidei ... p. 142., Cyprian. lib. 2. Epiſt. 6. & lib. ... ad Quirin. cap. 9., Gregor. homil. 26. ... Euang., Petr. Chryſolog. ſerm. 142., ... Ildefonſus pluribus Opuſculis pro Vir... ... nitate B. Mariæ quæ habentur tom. 9. ... bliothecæ Patrum, Theodoret ſerm. ... 5. de Prouid., Euſeb. lib. 7. Demon... ... rat. Euangelicæ cap. 2., Lactant. lib. ... Diuinar. inſtit. cap. 12., Tertullian. ... uoq; eodem lib. de Carne Chriſti cap. ... 3., & lib. aduerſus Iudæos cap. 9., Epi... ... han. Hæreſi 30., Nyſſenus in Vita ... Moyſi, & alij paſſim. Item habetur ... ex Concilijs & ſummis Pontificibus, ... Concil. Epheſ. tomo 5. cap. 22., Con... ... ſtantinopol. quinto conſult. 8. can. 6., ... Lateranen. ſub Martino quinto conſule. ... 5. cap. 3. Ex Leone Papa ſerm. 4. & 5. ... de Natiuit. & Epiſt. 10. cap. 21. Hor... ... miſda in Epiſt. 1. ad Iuſtinian. cap. 3., Agapito in Epiſt. ad Antimum. Ex of... ficijs demum Eccleſiaſticis, in quibus hoc ſenſu dicitur, *Poſt partum virgo in-violata permanſiſti*: ac ſimiliter *Pariet quidem filium & Virginitatis non patietur detrimentum*: ac rurſus *De Virgine naſci dignatus eſt*. Et ſub antiquis etiam figuris, *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem*. Et de porta clauſa apud Ezechiel. 44. ſic dicitur in quadam lectione ſumpta ex Hieron., *Maria virgo intelligitur, quæ & ante partum & poſt partum virgo permanſit: Tempore quo Angelus loquebatur, & quando Dominus natus eſt, virgo permanſit æterna*. Vt etiam præclarè dixit Ambroſ. lib. de Inſtitut. Virginis cap. 7. *Porta eſt Maria, per quam Chriſtus intrauit in hunc mundum, quando Virginali fuſus eſt partu, & genitalia Virginitatis clauſtra non ſoluit, manſit intemeratum ſeptum pudoris, & inuiolata integritatis durauere ſignacula, dùm exiret ex Virgine*.

Ratione autem hæc veritas ſuadetur: quia poterat ſine dubio Deus ſic facere, vt Chriſti corpus ederetur in lucem ex vtero Matris, abſque vlla prorſus læſione virginalis clauſuræ, abſque vlla ſciſſione vel dilatatione: & erat prorſus conueniens, vt ita fieret: ergo, ſtantibus auctoritatibus allegatis, firmiter tenendum eſt, ita factum eſſe. *Suadetur etiam ratione.* Tres verò rationes huius conuenientiæ adducit D. Thomas eo art. 2. Nempe ex parte Verbi diuini, quod non ſolùm debebat ſine corruptione concipi, ſed etiā naſci. Ex parte effectus incarnationis, quia Chriſtus veniebat ad tollendam noſtram corruptionem, vnde non debebat matris integritatem naſcendo corrumpere. Et ex parte ipſius ſuæ matris, cuius honorem non debuit naſcendo minue[re] ...

Iam verò ad explicandum quonam modo Chriſtus reuera natus ſit ex matre permanēte Virgine, quonam modo egreſſus ſit ex vtero matris ſalua prorſus eius integritate: poterat ſane Deus id facere pluribus modis. *Pluribus modis id fieri poterat.* Vnus modus fuiſſet, transferendo immediatè corpus Chriſti ex vtero Virginis ad locum externum, abſque tranſitu per medium ... ſicut de facto corpus Chriſti exiſtens in Cælo fit immediatè præſens in Euchariſtia. Hoc modo de facto Chriſtum natum fuiſſe, explicauit Godefred. ... d lib. 7.

Digitized by Google

dlib. 7. q. 6., & refert ac non reprobat Durandus eod. loco citato. Alius modus fuiſſet, reſtringendo ipſum corpus Chriſti, vel compenetrãdo partes eius inter ſe, ita vt capi poſſet intra anguſtam naturalẽ viam per quam funderetur in lucem. Hunc modum refert & non reijcit Suarez diſp. 5. ſect. 2. Accomodatior tamen modus eſt, vt corpus Chriſti inmutatum in ſua extenſione educeretur tranſeundo per ipſum corpus Virginis, compenetrando ſe cũ aliqua parte illius, quanta ſcilicet opus erat pro magnitudine & mole ipſius corporis Chriſti naſcentis.

Determinatur modus quo id factum eſt.

Atque hic quidem modus ſolet magis communiter approbari. Et indicatur à Patribus. Sic enim D. Auguſtin, tract. 121. in Ioann. Gregor. homil. 26. in Euang., & alij, comparant egreſſum Chriſti e ſepulchro atque ex vtero Virginis; & ingreſſum in cænaculum ianuis clauſis, ſcilicet compenetrando ſe cum huiuſmodi corporibus intermedijs, & ſic tranſeundo per illa. Hunc etiam modum ſupponit S. Thom. hic q. 27. art. 2., vbi propterea in ſolut. ad 3. explicat, non debere dici, Chriſtum in natiuitate vſum fuiſſe dote ſubtilitatis, quæ quidem ad hunc effectum tranſeundi per alia corpora competit omnibus corporibus glorioſis; ſed potius id tunc factum fuiſſe ſimpliciter virtute diuina: quia nempe Chriſtus nondum aſſumpſerat ſtatum & dotes corporis glorioſi. Hoc item modo Chriſti natiuitatem explicauit Abulenſ. in Opuſculis Paradoxo 1. cap. 68. & in cap. 2. Matth. q. 49., & approbat Suarez vbi ſupra, & ſupponit Valent. q. 2. de Myſterijs vitæ Chriſti puncto 1. Sed Vaſquez diſput. 121. num. 89. aliter refert & reprehendit ſententiam Abulenſ. nempe Chriſtum exiſſe per vmbilicum & ilia matris. Sed certè Abulenſis non aliter hoc dixit, niſi quod corpus Chriſti debebat compenetrari cum tanta parte corporis Virginis iuxta naturalem viam, quantam aptum erat occupare pro ſua magnitudine: quo ipſo prorſus modo rem explicat ipſe Vaſquez.

Saluatur ratio natiuitatis & partus.

Quare hoc modo ſaluatur etiã optimè, Chriſtum verè & propriè natum fuiſſe ex Maria, & Mariam verè & propriè pepeiſſe Chriſtum. Nã verè Chriſti corpus egreſſum fuit per naturalem viam natiuitatis, quamuis ſecundum illas partes quibus excedebat anguſtiam naturalis viæ, tranſierit penetratiuè per alias partes circumpoſitas corporis virginalis. Et verè etiam ipſa mater Chriſti per facultatem ſuam vitalem expulſiuam vel ſimilem, exercuit illam efficientiam, adhibendo impulſum, & exoluendo prolem ex ſuis viſceribus, quam ſolent aliæ matres in parturitione: ſed ſolum quantum ad compenetrationem dictam, ſuppleuit miraculoſo modo virtus diuina. Et ita hic modus eſt multo magis accomodatus & conueniens, quàm alij duo relati. Nã primo modo non ſaluaretur vera natiuitas & parturitio: Secundo modo irrationabiliter immutaretur ipſum corpus Chriſti. Hoc autem tertio modo omnia ritè ſaluantur.

Explicantur aliqui Patres.

Ex his autem explicari etiam poterunt illi Patres, qui videbantur oppoſitum docuiſſe. Nam ſolùm docere voluerunt, ſolum Chriſti corpus tranſiſſe per vterum Virginis, dum exijt in lucem: & in hoc ſenſu dixerunt aperuiſſe, id eſt per illum egreſſum eſſe, & ſoli Chriſto hunc tranſitum conueniſſe, cùm alioqui vterus Virginis intactus prorſus fuiſſet. Hic autem tranſitus optimè fieri potuit & factus eſt modo dicto, ſcilicet per compenetrationem abſque vlla penitus ſciſſione aut dilatatione. Et hunc quidem ſenſum ipſimet Patres perſpicuè demonſtrarunt; qui ſimul propriè dixerunt, vterum Virginis manſiſſe ſemper clauſum & integrum, etiam in ipſo partu: quare vocabulum illum aperitionis planè ſumpſerunt pro ſolo trãſitu, qui ſingulariter adimpletus fuit de ſolo Chriſto per integerrimum vterum ſuæ matris. Solutum quoque manet fundamentum erroris oppoſiti: quia licet non poſſet fieri naturali virtute, poterat tamen facillime fieri virtute diuina, & ita conueniebat fieri, & ita factum eſt, vt corpus Chriſti egrederetur ex clauſo vtero matris. Et ad fundamentum Durandi, ſatis conſtat, non repugnare reſpectu diuinæ potentiæ, compenetrari ſimul plura corpora in eodem loco: quia nec apparet talis re-

pugnantia; & nonſolùm in hoc alijs etiam quibuſdam myſterijs atendum eſt id factum eſſe. Et ita c in generali tractauimus quæſt. oſtræ Philoſoph. ſect. 5.
rſus, ex hoc modo quo Christus ; eſt, ſequitur natum fuiſſe abſque e matris; alioqui conſueto in fe- ; parturientibus. Ita ſtatuit D. nas quæſt. 35. art. 6., cum Auguſt. 14. de Natiuit. loquẽte ad B. Vir- m, & dicente, *Nec in Conceptione ta es ſine pudore, nec in partu inuen- eris dolore*. Eademque eſt com- nis doctrina aliorum Patrum. Et ha- r in Officio Eccleſiæ de Circunciſ. mini, *Neſciens mater virgo virum, pe- t ſine dolore Saluatorem ſæculorum*. ad hanc etiam rem Damaſc. lib. 4. ei cap. 15. adducit vaticinium quod- n Iſaiæ cap. 66., iuxta lectionem ſep- ginta interpretum: vbi enim nos le- mus, *Antequam parturiret peperit, an- uam veniret partus eius peperit maſcu- m*, ſeptuaginta legunt, *Antequam ve- et dolor parturientis effugit & peperit ſculum*. Ratione vero hoc oſtendi- t ex dictis: quia cùm corpus Christi n fuerit egreſſum ex vtero matris per ulſionem aut dilatationem partium, n debebat talis partus inferre matri lorem. Aderat etiam conuenien- huius rei: quia vbi conceptio facta erat abſque voluptate, natiuitas fieri ebebat abſque dolore: & ſicut conue- ebat vt Christus naſceretur abſque ſione integritatis virginalis, ita etiam t naſceretur abſque dolore matris. Quare recte demum infert S. Thomas ſolut. ad 3. cum Hieronimo in libro ontra Heluidium, nullius obſtetricis pera in illo partu opus fuiſſe. Vnde tiam colligitur, ſine fluxu ſanguinis & ordibus puerperij extitiſſe: vt indicant D. Auguſt. lib. de Quinque Hæreſib. cap. 5., Epiphan. lib. 3. cont. Hæreſ. & So- phron. in Epiſt. quæ habetur in 6. Sy- nodo Actione ij, & Patres Cõcilij Trul- lani can. 79., & alij ex Patribus. Et ſic intelligi poſſunt verba Euangelij, *Peperit filium ſuum & pannis eum inuo- luit*: vt nempe nec ablutione nec alia cura ibi opus fuerit, quam pannis in- fantem obuoluere. Et ita de omni alia re & circunſtantia illius partus ſentiẽ- dum eſt, ſicut decet puritatem & di- gnitatem talis matris & talis filij, talis natiuitatis.

Fuit conſequenter Christi natiuitas conuenientiſſimo modo & ordine ma- nifeſtata: de qua manifeſtatione agit S. Thomas tota quæſt. 36. Conſiderans triplicem manifeſtationem: primam fa- ctam paſtoribus eadem ipſa nocte Na- tiuitatis, ſecundam factam Magis indi- cio ſtellæ ab oriente vocatis: tertiam factam Simeoni & Annæ in templo eo- dem die purificationis B. Mariæ. In qua tota re non occurit aliud præter hiſtoriam Euangelicam, per ſe quidem ſatis claram, & vberius adhuc ab Ex- poſitoribus elucidatam. Rationes au- tem conuenientiæ per ſigulas partes omnis huius manifeſtationis, ſatis pro- ponit & explicat S. Thomas in textu.

Conuenitiſſimo modo & ordine fuit manifeſtata.

SECTIO VNDECIMA.

Quæ Denominationes & Relationes filiationis & maternitatis inter Christum & Mariam intercesserint.

QVamuis hæ denominationes & re- lationes cõſiderari poſſint ex ſola Conceptione, vt reuera ex il- la habentur: tamen quia quoad noti- tiam aliorum magis ex natiuitate appa- rent, & quia S. Thomas eadem quæ- ſtione 35. ſub nomine natiuitatis, de his relationibus inter Chriſtum filium & Mariam matrem pertractat; ideo & nos conſequenter ad natiuitatem has relationes proponimus. Et quidem ſatis iam conſtat, quod ſtatuit S. Thom. art. 3., verè & propriè B. Mariam eſſe ac de- nominari matrem Chriſti, matrem hu- ius hominis: & è conuerſo Chriſtum filium Mariæ, hunc hominem filium Mariæ. Sed D. Bonau. in 3. d. 4. art. vlt. q. 2. ſignificauit, B. Virginem de- bere dici matrem miraculoſam & ſu- pernaturalem Chriſti, & ſic Chriſtum filium miraculoſum & ſupernaturalem Mariæ; quoniam Conceptio & natiui- tas fuit miraculoſa, & ſupernaturalis, vt hactenus explicatum eſt, & de Cõ- ceptio-

Verè denominatur B. Maria mater naturalis Christi.

ceptione docuit S. Thom. quæſtione 33. art. 4. Abſolutè tamen dici debet B. Virgo naturalis mater Chriſti, & Chriſtus naturalis filius eius. Ita affirmat S. Thomas hic q. 35. art. 3. ad 2., & ibi etiam q. 33. art. 4. ad 1. Quia nempe B. Virgo, contulit Chriſto, & Chriſtus ab illa habuit veram naturam humanam: & in hoc B. Virgo præſtitit ex parte ſua quicquid naturaliter ſolent aliæ matres. Sed tantùm quoad concurſum alioqui debitum ex parte viri, ſuppleuit Deus virtute ſupernaturali & per miraculum: & ideo quoad hoc dicitur Conceptio Chriſti miraculoſa & ſupernaturalis. Et in natiuitate, quoad egreſſum per compenetrationē ex vtero matris, interceſſit virtus ſupernaturalis & miraculum: & ideo hic modus natiuitatis fuit miraculoſus & ſupernaturalis. Sed hæc non tollunt, quominùs B. Virgo dicatur prorſus naturalis mater, & Chriſtus naturalis filius.

An propriè etiam dicatur mater Dei.

Deinde, Neſtorius & alij Hæretici, qui negabant, Chriſtum eſſe verè & ſubſtantialiter Deum, negabant vnionem hypoſtaticam in vnitate perſonæ; hoc etiam ſpecialiter & expreſsè contendebat, quòd B. Maria non deberet dici mater Dei & Deipara. Si qui etiā Hæretici voluerunt, Chriſtum progreſſu temporis, vt pote quando apud Iordanem deſcēdit ſuper eum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, factum eſſe Deum; ſic quoque negabant B. Mariā fuiſſe matrem Dei & Deiparam, quia quando ipſa Chriſtum genuit & peperit, tunc dicebant Chriſtum non adhuc fuiſſe Deum. Rurſus ſi qui putarunt, incarnationem non fuiſſe factam in primo Conceptionis inſtanti, & non ſtatim Chriſtum fuiſſe Deum, ſed tamen dum geſtabatur in vtero; inde fiebat, B. Mariam non concepiſſe Deum, ſed benè poſtea peperiſſe Deum; non fuiſſe ab initio Dei genitricem, ſed in partu Deiparam; non fuiſſe matrem Dei in conceptione, ſed in natiuitate Chriſti. Inter Scholaſticos etiam Durandus in 3. diſt. 4. q. 2., de re quidem Catholicè ſentiens, quòd verè facta fuerit incarnatio in vnitate perſonæ ab ipſo primo conceptionis inſtanti, & affirmans etiam verè & abſolutè dici debere B. Mariam matrem Dei, dubitauit tamen, num id propriè & in rigore dicatur.

Dicitur verè & propriè mater Dei.

Omnino tamen non ſolùm de re, ſed etiam de modo loquendi fatendum eſt, B. Mariam verè & propriè eſſe ac dici debere, matrem Dei, Deiparam ac Dei genitricem: & ſic è conuerſo Deum filium ac natum ipſius Mariæ. Quod quidem totum ſatis manifeſtum remanet ex hactenus dictis de fide huius myſterij: nempe quòd Chriſtus ſit verè & ſubſtantialiter Deus, quod incarnatio facta fuerit in vnitate perſonæ, & quòd facta fuerit in ipſo primo conceptionis inſtanti, & quòd verè & propriè communicētur idiomata, ideſt prædicata in concreto, inter Deum & hominem in Chriſto, ita vt verè & propriè de ipſo Deo dicantur ea quæ per ſe conueniūt huic homini Chriſto. Vnde ſicut B. Maria eſt & dicitur mater Chriſti, mater huius hominis, ita etiam verè & propriè eſt ac dici debet, mater Dei, Dei genitrix, Deipara. Et ita ſatis clarè ſumitur ex ipſis Scripturæ verbis: dū Angelus dixit B. Virgini, *Quod enim ex te, naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, vbi naſcetur ſumitur pro concipietur, ac ſi dixiſſet ex te cōcipietur Filius Dei, eris mater Filij Dei, Filius Dei erit Filius tuus. Item iam olim contra Neſtorium in Concil. Alexand., & in Concil. Epheſino, ac rurſus in quinto Conſtantinopolit., & paſſim ab antiquis Patribus, definitum ac declaratum fuit, B. Mariam eſſe ac dici debere matrem Dei ac Deiparam. Et tandem in Concil. Lateran. ſub Martino quinto conſultat. 5. Canone 3. *Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem Dei genitricem Mariam, damnatus ſit.* Atque in ipſa communiſſima oratione Eccleſiæ, qua ſalutamus & inuocamus B. Mariam, illam appellamus matrem Dei. Non ſolùm ergo ex veritate rei, ſed in tota etiam proprietate ſermonis, B. Maria eſt ac dici debet mater Dei. Et ità omnes Theologi ſentiunt. Vnde S. Thomas hac q. 35. in ipſo primo articulo, confirmat, natiuitatem, intelligens etiam conceptionē, ſimpliciter attribui perſonæ tanquam ſubiecto, ſubiecto ſcilicet denominationis, vt rectè explicat Caiet., quod

nempe

Digitized by Google

e denominatur naſci, concipi-ari. Et art. 4. ex profeſſo ſtatuit, e dici B. Virginem matrem Dei, ns in argum. *Sed contra* definiin Concilij Epheſini.

o aliqui Theologi addiderunt, etiam ſi non fuiſſet facta incarna-primo inſtanti, vel dum Chriſtus n vtero matris, ſed quocunque re poſt Chriſtus factus eſſet Deus, iſſet adhuc dici B. Virgo mater Dei, ſatis eſſet quòd aliquando Chri-eſſet Deus. Verùm non oportet expedit hoc admittere. Quin imo-as ſic in ſenſu Scripturę & Eccleſię aria dicitur mater Dei, & Deus fi-B. Virginis, quod ex B. Maria na-& conceptus eſt Deus, quia ex tunc ndo natus & conceptus eſt Chri-, erat verus Deus, nec B. Virgo pe-t aut cōcepit alium filium niſi Deū. uidem in rigore loquendi, ſi non c Chriſtus fuiſſet Deus, licet poſtea us eſſet Deus, non potuiſſet dici od B. Virgo fuiſſet mater Dei, quod uiſſet & peperiſſet Deum: ſed tunc ſet mater cuiuſdam perſonæ creatæ, entis tàm perſonalitatem quàm na-am humanam. Standum ergo eſt in ſignificatione, quod ob incarnatio-m ſactam in eodem primo cōceptio-inſtāti, quo incepit hic homo Chri-s, B. Virgo ſit & dicatur ſimul mater i. Vnde vlteriùs, ſi alio tempore, humanitas Chriſti dimitteretur à rbo, & aſſumeretur a Patre vel Spi-uſancto, aut relinqueretur in pro-io ſuppoſito, B. Virgo non diceretur ater alterius diuinæ perſonæ, vel eati ſuppoſiti: ſed tantùm diceretur ater huius hominis, & eiuſdem ho-inis qui antea erat: quia nempe ly c homo per ſe quidem determinat anc ſingularem humanitatem, vagè utem denotat aliquod ſuppoſitum, uodcunque illud ſit, ſub hac huma-itate ſubſiſtens. Ideoque ſi plures per-onæ diuinæ, vel ſimul, vel ſucceſſiuè ſſumerent eandèm naturam humanā, icerentur vnus homo, idem homo, ſicut de facto dicuntur vnus & idem Deus: vt iam notauimus antea quæſt. 3. ſect. 4. Sic etiam ſub hac mutatione ſuppoſiti, ſtante eadem humanitate, ſemper diceretur idem filius Virginis.

Ex aduerſo autem quidam alij Theologi ad rigorem huius denominationis, qua B. Virgo dicatur mater Dei, requirebant, vt incarnatio & vnio hypoſtatica non ſolum ſimul tempore facta fuerit, ſed etiam ordine ſaltem naturæ præceſſerit ad formationem totalem humanitatis Chriſti, vt ita nempe operatio B. Virginis formatiua humanitatis Chriſti denominari poſſet verſari circa Deum: quia alioqui ſi priùs natura intelligatur formari humanitas Chriſti quàm aſſumi à Verbo, ſic B. Virgo in illo priori eſſet mater huius hominis, & non eſſet mater Dei. Potuit autem incarnatio & vnio hypoſtatica fieri priùs naturâ circa ipſas partes, nempe corpus & animam, & conſequenter totalis formatio humanitatis conſiſtebat in coniunctione harum partium inter ſe. Inſuper requirebant, vt non ſolùm ad formationem ipſius humanitatis, ſed etiam ad eandem hypoſtaticam vnionem operaretur B. Virgo, vt ita nempe non eſſet ſolùm cauſa productiua huius hominis ſecundùm humanitatē, ſed etiam eſſet cauſa effectiua quòd hic homo eſſet Deus. Quod dicunt potuiſſe fieri per modum inſtrumenti eleuati à Deo ad hanc ſupernaturalem operationem.

Verè tamen hæc non ſunt neceſſaria. Sed ſimpliciter & in omni proprietate, ad hoc vt B. Virgo denominetur mater Dei, ſatis eſt quòd in eodem inſtanti temporis quo formabatur hic homo Chriſtus, & B. Virgo concurrebat ad formationem huius hominis, & exercebat officium matris, & acquirebat denominationem matris reſpectu huius hominis, tunc ſimul realiter hic homo eſſet Deus, quia ſic eo ipſo conſtituebatur mater Dei. Neque propterea diceretur priùs naturâ mater huius hominis quàm Dei, ſumendo inquam hūc hominem pro perſona: quoniam in illo priori intelligeretur ſolùm natura humana, non autē perſona: atqui adeo non niſi in conſequenti ſigno diceretur mater huius hominis, ideſt huius perſonæ quæ eſt homo: & ita quia hæc perſona erat reuera Deus, ſimul nempe Deus & homo, non priùs B. Virgo dici potuiſſet *Sufficit enim cōcomitantia temporis.*

cui

tuiſſet mater huius hominis quàm Dei, ſed ſimul proſus mater hominis, & Dei. Nec etiam pro illo priori dici debuiſſet mater huius humanitatis, ſicut nec humanitas filia eius: quoniam huiuſmodi denominatio ſpectat ad perſonam, & non ad ſolam naturam, vt præmiſimus cum D. Thoma q. 35. art. 1. In controuerſia autem eſt apud Theologos, qui naturæ ordo ſeruatus ſit in incarnatione, & an prius naturâ formata & aſſumpta fuerit tota humanitas, quàm aſſumptæ partes, vel potiùs priùs natura fuerint aſſumptæ partes. Sed in hoc myſterio ſeruari debet idem ordo qui alioqui in omni alio naturali cópoſito & ſuppoſito ſeruatur. Vbi nos iá antea quæſt. 5. approbauimus, priùs quidē natura aſſumptas fuiſſe partes. Hoc tamen non per ſe requirebatur ad proprietatem & rigorem huius denominationis de qua modo agimus, vt B. Virgo dicatur mater Dei.

Nec requirebatur efficientia B. Virginis erga hypoſtaticam vnionem.

Multò minus ad hoc requiritur vlla efficientia B. Virginis erga ipſam hypoſtaticam vnionem. Quinimò de facto non interceſſit talis efficientia, & ſimpliciter non videtur poſſibilis, vt etiam tractauimus antea quæſt. 6. Et certè ad hoc vt B. Virgo dicatur propriſſimè mater Dei, non requiritur vt ipſa efficiat quòd hic homo ſit Deus, efficiendo ſcilicet hypoſtaticam vnionem: ſed nihil plus ea denominatione ſignificatur, niſi quod B. Virgo eſt mater huius hominis qui ſimul realiter erat Deus. Nec oportet plus illi tribuere, quàm quòd exercent aliæ matres erga ſuos filios: aliæ autem matres ſiue patres, nō vtique efficiunt ſubſiſtentiam humanitatis, ſiue animæ & corporis, in ſuis filijs, ſi quidem tàm anima quàm materia cum ſua ſubſiſtentia fit per creationem à Deo: nec ergo B. Virgo debebat efficere vnionem hypoſtaticam in humanitate in corpore & anima Chriſti cum Verbo, quæ quidem vnio in Chriſto ſucceſſit loco humanæ ſubſiſtentiæ. Vnde rurſus, ſi aliæ matres non dicantur habere concurſum actiuum, ſed tantùm paſſiuum ſubminiſtrando materiam in generatione & conceptione ſuorum filiorum: ſic nec etiam erga ipſam Chriſti humanitatem deberet B. Virgini attribui alia operatio in genere cauſæ effectiuæ. Si vero quis diceret, alias matres concurrere efficiendo peculiarem modum vnionis inter ſubſiſtētiam animæ & ſubſiſtentiam corporis, præter ſcilicet vnionem naturæ harum partium inter ſe: ſic ad ſummum dicere deberet, B. Virginem effeciſſe quoque modum quendam vnionis inter vnionem hypoſtaticam animæ ad Verbum, & corporis ad Verbum, quo videlicet connecteret has duas partiales hypoſtaticas vniones inter ſe. Sed quia iam eadem illa quæſt. 5. diximus, non debere diſtingui talem alium vnionis modum, præter illum qui ſimpliciter intercedit inter corpus & animam ſecundùm ſe, & qui eo ipſo in ſuppoſitis naturalibus intelligitur ſimul connectere inter ſe ſubſiſtentias partiales materiæ & formæ, atq; in Chriſto vniones hypoſtaticas partiales corporis & animæ cum Verbo: ideo neq; etiam quoad hoc debet diſtingui alia peculiaris operatio B. Virginis, præter concurſū debitū ad vnionem corporis & animæ inter ſe; qua vnione conſtituitur & cōpletur humanitas in ratione naturæ totalis.

An in Chriſto eſſet relatio filiationis ad matrē.

Sic ergo ſe habentibus denominationibus maternitatis & filiationis inter B. Virginem & Chriſtum, loquendo nunc de relationibus, alia inſurgit inter Theologos controuerſia. Nam Henric. Quodlib. 4. q. 3. & Alenſis 3. part. q. 10. memb. 3. negarunt in Chriſto inueniri vllam humanam relationem filiationis ad Matrem, diſtinctā à diuina relatione filiationis ad Patrē: ſed dixerunt, per hanc eandem diuinam relationē referri quoque ad matrē, & denominari filium B. Mariæ. S. Thomas vero hic quæſt. 35. art. 5. & in 3. d. 8. q. 1. art. 5. ſimiliter negat in Chriſto relationem realem filiationis ad matrem, conſtituit tamen relationem rationis, & per illam ait referri ad matrem, ac denominari eius filium, ſiue per eandem relationem quā ſupponit eſſe realem, matris ad Chriſtum. Quam ſententiam defendunt Caiet. aliique Thomiſtæ hoc eodem loco, & Valent. q. 2. de Myſterijs vitæ Chriſti puncto 4. Capreol. & alij ex Scholaſticis ibi in 3. Fundamentum vtriuſque modi dicendi eſt; quia relatio

Digitized by Google

itionis per ſe conuenit ſuppoſito;
: naturæ, tanquam ſubiecto; &
nominat ſuppoſitũ & non naturã:
Chriſto eſt ſolum diuinum ſuppo-
, ergo in i lo eſſe nõ poteſt alia hu-
realis relatio filiationis. Et alioqui
etur relatio filiationis in natura,
etur ipſa natura, ipſa humanitas,
3. Virginis: quod eſt inauditum.
oncedenda tamen in Chriſto eſt
: relatio filiationis humanæ ad B.
nem, ſicut in ipſa B. Virgine rea-
latio maternitatis ad Chriſtum: eo-
inquam pacto, quo in alijs homi-
s inueniuntur huiuſmodi relatio-
nter filium & matrem. Ita docét
. in 3. d. 8. q. vnica, Durand. q. 3.
rd. art. 2. q. 2., Gabr. q. 3., Mar-
l. 7., & alij ead. diſt. Defenduntquè
ez hic diſp. 12. ſect. 2. Kelliſonus
9. art. 2. dub. vlt. appendicis, alij-
hoc loco. Et hæc aſſertio nullam
cultatem habet in noſtra ſententia.
ſupponimus ex quæſt. 25. Philoſo-
, non dari alias huiuſmodi relatio
in rebus, præter ipſam concomi-
tiam extremorum, vel præter cer
ı formam abſolutam, ex qua deno-
ıationes relatiuæ ſumantur: vt po-
ſpecialiter inter patrem & filium,
trem & filium, non aliam relinq i
ationem, poſt actum ipſum genera-
nis, quo filius ex patre ſiue ex ma-
: prodijt, Sic enim iam ſtatutum eſt,
Virginem verè exercuiſſe erga Chri-
ım, illum actum generationis vitalis
ıem ſolent aliæ matres, ſiue hic actus
catur conſiſtere in vera actione &
oncurſu actiuo, ſiuè ſolùm paſſiuè in
bminiſtratione materiæ: & hic actus
ıique diſtinctus eſt ab actu & rela-
one generationis ac natiuitatis æter-
æ, quo Dei Filius à Patre proceſſit:
ſt prorſus realis & phyſicus vt per ſe
ıatet. Per hunc actum dicimus de-
ıominari matrem & filium: has deno-
minationes dicimus eſſe relationes ma-
ternitatis & filiationis: igitur verè in
Chriſto concedẽda eſt talis relatio rea-
ſis filiationis humanæ, ſicut in B. Ma-
ria relatio maternitatis; eodem inquã
prorſus modo, quo in alijs hominibus
intercedunt huiuſmodi relationes. Et
confirmatur magis: quia in omni alia
humana generatione, neque mater ne-
que pater per ſe producit ſubſiſtentiã
filij qua conſtituitur in eſſe ſuppoſiti;
ſed ad ſummum producit diſpoſitiones
in materia, vel etiam vnionem inter
corpus & animã; & D. Tho. ac Thomi-
ſtæ volunt, matrem concurrere ſolum
paſſiuè ſubminiſtrando materiam:
quamuis ergo B. Virgo non fuerit cauſa
effectiua ſubſiſtentiæ ſiue vnionis hy-
poſtaticæ in Chriſto, adhuc exercuit
totum id quod aliæ matres in gignen-
dis filijs, & nihil minus: ergo eodem
pacto inter ipſam & Chriſtum inue-
niuntur dicto modo relationes.

Etiam ſi diſtinguantur relationes à rebus.

Deinde loquendo etiam in alia ſen-
tentia, quæ diſtinguit relationes ab
alijs rebus & formis, dicitque ex gene-
ratione humana reſultare huiuſmodi
diſtinctas relationes, pariter concedẽ-
da eſt huiuſmodi creata & realis rela-
tio filiationis in Chriſto erga B. Virgi-
nem, ſicu in B. Virgine relatio mater-
nitatis ad ipſum Chriſtum, & ſicut in
alijs hominibus relatio filiationis ad
ſuos parentes Nam pariter in Chriſto
inuenitur totum quod requiritur ad
huiuſmodi relationem: nempe funda-
mentum proximum talis relationis, ſci-
licet natiuitas & generatio ex B. Virgi-
ne, quia veriſſime fuit ex illa natus &
genitus, & verè in hoc interceſſit ille
generationis actus qui in alijs homini-
bus ex parte matris: item ſubiectum
cui inhæreat talis relatio, ſcilicet ipſa
Chriſti humanitas: ſiquidem in alijs
quoque hominibus ſua relatio filiatio-
nis inhæret ipſi naturæ, non autem
ſubſiſtentiæ diſtinctæ à natura, & for-
maliter conſtitutiuæ ſuppoſiti. Sic vti-
que aliæ quæcunque formæ, ſiue ab-
ſolutæ ſiue relatiuæ, inhærent ipſi na-
turę, & operationes atque actiones
exercentur per ipſam naturam: & hoc,
eodem modo in Chriſto ac in alijs ho-
minibus; & ſic in illo inuenitur relatio
v. g. ſimilitudinis ad alios homines, &
aliæ quæcunque relationes, ſiue formæ
abſolutæ & proportionatæ Per has
tamen denominatur adæquatè & ſim-
pliciter ipſum ſuppoſitum conſtitutum
ex natura & ſubſiſtentia Et hoc qui-
dem pacto Caietanus ipſe art. 1. quæ-
ſtionis 35. explicauit mentẽ S. Thomæ
dicen-

Digitized by Google

dicentis, natiuitatem conuenire perſonæ, & non naturæ, tanquam ſubiecto: explicauit inquam debere intelligi de ſubiecto denominationis, non de ſubiecto inhæſionis.

Et ſic Chriſtus denominabatur filius B. Virginis.

Rurſus, ita verè & propriè Chriſtus denominatur filius B. Virginis, ſicut quicunque alius homo filius ſuæ matris: ergo debet in Chriſto concedi eadem forma denominans, eadem ſcilicet filiationis relatio, quæ in alijs hominibus reperitur. Non enim dici poterat Chriſtus denominari filius B. Virginis, per eãdem filiationem diuinam increatam: cũ hæc ſit diuerſiſſimæ rationis, vt per ſe patet: ac perinde potuiſſet Deus Pater incarnari & naſci ex Virgine, ita vt eſſet eodem modo filius eius: nec vtique per relationem parternitatis, aut aliã quamcunque perfectionem diuinam, diceretur formaliter conſtitui ac denominari filius Virginis. Nec dici poterat Chriſtus denominari filius per relationẽ rationis: quia eſt verè & realiter filius Virginis, ſecluſa omni fictione & cogitatione intellectus, quare oportet aſſignare ſignificatum reale eius denominationis, & non minùs reale quàm in alijs hominibus. Sicut etiam erat Chriſtus realiter ſimilis, æqualis, & ſic de alijs huiuſmodi denominationibus: vnde habebat realem ſimilitudinem, & ſic alias reales formas denominantes. Nec demum dici poterat denominari per eandem relationem maternitatis B. Virginis ad ipſum: quia ſic denominatio fuiſſet extrinſeca, & non intrinſeca qualis in alijs hominibus: & fuiſſet ſolùm denominatio terminantis relationem, & non relati per relationem. Ac præterea poteſt cogitari caſus, ſi quis homo ſubſiſtens in perſona diuina genuiſſet filium, & ſic referretur tanquam pater aut mater. Quod ſi tunc dicatur, quod è conuerſo eſſet relatio ſolùm in filio, & denominaret quoque patrem aut matrem: vrgeri poteſt caſus, vt etiam filius eſſet homo ſubſiſtens in perſona diuina: tunc enim neutra ex parte poſſet poni relatio: vel potiùs deberet poni ex vtraque parte, & hoc quidem fatendum eſt.

Qualiter intrinſeco-

Ad fundamentum verò partis oppoſitæ facilè dicitur, huiuſmodi relationẽ filiationis humanæ, per ſe quidem conueniat ſuppoſito, & non naturæ, tanquam ſubiecto denominationis, ſed per ſe conuenire naturæ, non ſuppoſito, tanquam ſubiecto inhæſionis: quia nempe inhæret naturæ, denominat ſuppoſitum. Et ideo in Chriſto non denominatur humanitas filia, ſed ipſe Chriſtus, ſiue hic homo, ſiue Deus in hac humanitate ſubſiſtens, dicitur filius B. Virginis. Neque nouum aut ſingulare hîc eſt, vt forma inſit naturæ, & denominet ſuppoſitum. Quinimo hoc eſt generale & commune: neque dicuntur operationes, & ſic etiam paſſiones, eſſe ſuppoſitorum, ideſt denominare ſuppoſita, quãuis reuera tam operationes quàm officium patiendi, exerceantur per naturam. Vnde ita ſe habent aliæ denominationes & prædicationes in Chriſto, vbi ſanè nil plus repugnat diuino ſuppoſito, quàm crucifigi & mori, ſolùm ratione humanæ naturæ potuit locum habere in Chriſto: ſed tamẽ propriè non dicitur humanitas crucifixa & mortua, ſed Chriſtus, ſiue hic homo, imo Deus, crucifixus & mortuus, ſcilicet ſecundùm humanam naturam. Et in hac ipſa re S. Thomas vltrò attribuit Chriſto humanam natiuitatem, à diuina diſtinctam, & concedit duas natiuitates in Chriſto: Et tamen adhuc ait, natiuitatem conuenire ſuppoſito, & nõ naturæ: ideſt non dici ac denominari humanitatem natam, ſed benè natum Chriſtum, hunc hominem, Deũ: ſic ergo idem prorſus valet de filiatione, vt denominet ſolùm ſuppoſitum, quamuis inhæreat in natura.

Et denominatio aut relatio conueniat, ſuppoſito?

Et Chriſtus dicatur vnus filius, & vnus natus.

Et hinc etiam fit, vt quamuis in Chriſto ſint duæ filiationes, nullatenus tamen dicantur duo filij, ſed ſolummodo vnus filius, idem filius: filius Dei, filius Virginis. Et fruſtra Valentia ex hoc capite inſiſtebat, ne tribueretur Chriſto humana filiationis relatio, ad hoc vt longius à Neſtorio recedamus, qui diſtinguebat in Chriſto duos filios, filium Dei & filium hominis. Intantum enim Neſtorius ſic diſtinguebat, inquantum ponebat duas in Chriſto perſonas. Sed de reliquo ſtante vnitate perſonæ, nullus negare poteſt in Chriſto diſtinctam denominationem filiationis hu-

nis hu-

umanæ, qua dicatur filius homi-
adhuc tamen dicatur vnus filius
nitatem perſonæ. Sic certe in
ſto eſt alia ſapiētia increata & alia
ta, ſed tamen dicitur vnus ſapiens,
duo ſapientes: erant in Chriſto tot
æ operationes, & adhuc non dice-
ur niſi vnus operans, vnus opifex,
s artifex: & in hac ipſa re omnes fa-
itur in Chriſto duas natiuitates, ſed
per hoc admittuntur duo nati ſed
tum dicitur vnus natus, qamuis idē
dicebatur bis natus.

SECTIO DVODECIMA.

ualiter B. Maria etiam poſt partum virginitatem ſeruauerit, eamque in animo & voto ſemper habuerit.

Expeditis his quæ ſpectabant ad originem Chriſti ex B. Maria, què Virginem vt erat mater Chri modo tractandum ſequitur abſoluté in ſe de eadem B. Maria, eiuſque per ectione & excellentia, tantæ dignita i adiuncta. Et proxime quidem ad præcedentia ſequitur vt videamus de eius perpetua virginitate, etiam poſt partum Chriſti, & de intentione quam ſemper habuit virginitatem ſeruandi.

Heluidius antiquus Hæreticus, contra quem ſcripſit D. Hieronimus, exiſtimauit, B. Mariam in ſtatu quidem virginali concepiſſe & peperiſſe Chriſtum, ſed tamen poſtea non permanſiſſe Virginem, ſed cognitam fuiſſe à Ioſepho viro ſuo, ex eoque alios filios ſuſcepiſſe. Idemque putarunt alij Hæretici de ſecta Apollinaris, propterea dicti Antidicomarianitæ, quaſi Mariæ contrarij; apud Epiphan. Hæreſi 77. Et ante hos omnes in hoc errore fuit Tertullian. lib. de Monogamia cap. 8. & lib. de Carne Chriſti cap. 23. & alibi. Eumque renouarunt alij ex recentioribus Hereticis, vt refert Caniſius lib. 2 de B. Maria cap. 10. Fundabaturque hic error in quibuſdam Euangelij locis Nam Matthæus cap. 1. dicebat, *Antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto*: Et infra rurſus, *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum*: quaſi ſcilicet conuenerint & ſe cognouerint per copulam maritalem. Lucas etiam cap. 2. dicebat, *Peperit filium ſuum primogenitum*, ſicut & Matthæus vocauit primogenitum: quaſi ſcilicet poſtea B. Maria habuerit etiam alios filios. In alijs quoque locis nominantur fratres ſimul cū matre Chriſti. Matth. 12. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.* Et cap. 13. adduntur etiam ſorores. Et exprimuntur per ſua nomina quatuor fratres Chriſti, & ſimul cum matre: *Nonne hic eſt filius fabri, nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius, Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas, & ſorores eius, nonne omnes apud nos ſunt?* Et ſpecialiter de Iacobo dixit Apoſtolus ad Galat. 1. *Iacobum fratrem Domini*. Hic autem Iacobus fuit auctor epiſtolæ catholicæ, & primus Hieroſolimæ Epiſcopus, & cognominabatur iuſtus. Et fuit idem ille qui inter Apoſtolos vocatur, Iacobus minor, & Iacobus Alphæi, ad differentiam alterius Iacobi maioris filij Zebedæi, quamuis aliqui putauerint fuiſſe diuerſū ab vtroque. Alius Chriſti frater dictus Ioſeph, videtur eſſe ille idem qui Act. 1. compoſitus fuit cum Mathia in ſortitione Apoſtolatus, qui etiam cognominabatur iuſtus: & ita affirmat Abulenſ. q. 85. in cap. 13. Matthæi. Simon verò non eſt Simon Apoſtolus, vt oſtēdit ibi Abulenſ. Atque non haberi de illo aliam notitiam. Sed videtur eſſe ille qui proxime poſt Iacobum in Epiſcopatu Hieroſolimitano ſucceſſit; qui in officio Eccleſiæ colitur ſub die decimaoctaua Februarij, & vocatur Simeon, & dicitur filius Cleophæ, & propinquus Chriſti. Iudas demum eſt ille qui inter duodecim Apoſtolos recenſetur, alio nomine vocatus Tadeus, Catholicæ Epiſtolæ ſcriptor, qui ſemet vocat fratrem Iacobi, & à Luca in Euang. cap. 6. & in Act. cap. 1. vocatur Iudas Iacobi. De ſororibus autem Chriſti non habetur alia notitia: niſi quod Hippolitus Portuenſis apud Niceph. lib. 2. cap. 3. dixit,

Digitized by Google

dixit, fuiſſe duas, vocatas Heſter & Thamar, nempe ſorores eorumdem qui dicti ſunt fratres Chriſti.

Concluſio de fide affirmans B. Mariam firmaſſe ſemper Virginitatem.

Certum tamen de fide eſt, B. Mariã permanſiſſe ſemper Virginem, etiam poſt partum Chriſti, nulloſque alios naturales filios habuiſſe. Ita ſtatuit S. Thomas q. 28. art. 3. Et omnes Theologi omneſque Catholici oppoſitum execrãtur vt hæreſim & blaſphemiam, de fide profitentes perpetuam & inuiolatam ſemper virginitatem B. Mariæ. Et licet hic articulus non ſit ita expreſſus in Euangelio: tamen ſufficienter colligitur ex illis verbis B. Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco*, & ex reſponſo Angeli, *Spiritusſanctus ſuperueniet in te &c.* Vbi ſatis apertè denotatur, quòd B. Maria nunquam deberet cognoſcere virum, & nunquam ex viro concipere. Item colligitur ex illis verbis Chriſti in Cruce, quando matrem ſuam Ioanni diſcipulo commendauit, conſtituens quendam velut adoptionis modum: quod eſt euidens ſignum, nullum alium B. Mariæ fuiſſe filium naturalem præter Chriſtum. Et hoc totum in ijs locis ſancti Patres obſeruant. Ex veteri etiã teſtamento, ſpecialiter hanc perpetuã virginitatem B. Mariæ poſt partũ Chriſti, expreſſit Ezechiel Propheta cap. 34. *Porta hæc clauſa erit, & vir non tranſibit per eam, quoniã Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritquè clauſa Principi*: quem locum ſic in ſenſu litterali ſacri Doctores intelligere ſolent. Expreſſiùs autem hæc veritas conſtat ex perpetua exiſtimatione & traditione Eccleſiæ. Ex doctrina omniũ Patrum: *Nam de Tertulliano*, inquit Hieron. cõt. Heluid., *nihil amplius dico quàm Eccleſiæ hominem nõ fuiſſe*. Ex pluribus Conciliorum & Pontificum definitionibus, quibus ſimul ſemper coniuncta eſt virginitas B. Mariæ poſt partum Chriſti, cũ antecedenti virginitate. Et ex ipſo demum Symbolo dum nominatur Maria virgo. Imo ex ipſo nomine, quia nomen Virginis apud Fideles factum eſt veluti nomen ſingulare & proprium B. Mariæ. Ratione etiam conuenientiæ commonſtratur: quia intactum prorſus & impollutum ſeruari debebat conceptaculum illud Chriſti, ſacrarium Spiritusſancti. Et vt ait S. Thomas, deteſtandus valde eſt error Heluidij, tanquam iniurioſus Chriſto, & Spiritui ſancto, & ipſi Beatæ Mariæ, & Sancto Ioſeph.

Explicantur quædam Euangelij loca.

Nec quicquam obſtant quæ ex aduerſo opponebantur. Nam plane Euãgeliſta eo loquendi modo excludere voluit id quod in opinione hominum alioqui fuiſſet de congreſſu maritali ante partum & conceptionem Chriſti; nullatenus autem indicare voluit, poſtea interueniſſe talem congreſſum: ſed ſicut aduertit S. Thomas art. cit. ad 3. *Vt multò magis intelligamus cognitam nõ fuiſſe poſt partum*. Et adducunt etiam Sãcti pro hoc loquẽdi modo plura alia exempla Scripturæ. Vocarunt etiam Euangeliſtæ Chriſtum primogenitum, non quidem per relationẽ ad alios poſtea genitos, ſed per negationem alterius antea geniti: vſitato ſanè more Scripturæ, vt affert S. Tho. ad 4. & ex Hieronimo ſumpſit. Sic enim iuſſerat Deus olim, vt ſibi omne primogenitum offerretur, nec ſanè expectari debebat donec alia proles ederetur in lucem, ſed omne etiam vnigenitum ſic appellabatur. Et iuxta hoc conſequenter in Euangelio narratur ſeruatum fuiſſe in Chriſto legem offerendi & redimendi primogenitum. Et ita illi qui vocati fuerunt fratres & ſorores Chriſti, nequaquam erant filij naturales B. Mariæ. Sed plerique ex Græcis Patribus, & aliqui etiam ex Latinis, putarunt, hos fuiſſe filios eiuſdem Ioſephi ſponſi B. Virginis, ex alia ſcilicet vxore quam antea habuerit progenitos: & ita vocatos ac putatos fuiſſe fratres Chriſti, ſicut ipſe Ioſeph putabatur pater Chriſti. Sed S. Thomas eodem art. ad 5. & alij Theologi communiter, cũ Hieronimo & alijs pluribus Patribus, merito negant, hos fuiſſe filios naturales Sancti Ioſeph: quinimò docent, Ioſephum fuiſſe quoque virginem, & ſemper in caſtitate vixiſſe, nec aliam vxorem habuiſſe. Vnde Petrus Damianus Epiſt. 11. cap. 4. dixit, *Eccleſiæ fidem in eo eſſe, vt non modo Deipara, verùm etiam putatiuus pater atque nutritius, virgo habeatur*. Et ſane ita conuenientiſſimum erat ob reue-

Digitized by Google

…tam B. Virginis, & ipſius etiam … ſicut & Ioanni Virgini, ſua B. … Chriſto in cruce commendata … nfirmatur etiam ex Euangelio, … nominatur quædam Maria mater … & Ioſeph, quæ ſimul cum B. … e aſſiſtebat iuxta crucem tem… paſſionis Chriſti, vt habetur Mat… & Marci 15., nec credibile eſ… Mariam fuiſſe deſponſatam ſan… Ioſeph ſimul cum alia coniuge: il… mulier, non ex ſancto Ioſeph; … x alio viro ſuſceperat illos filios, … um, & Ioſephum, qui dicti ſunt … Chriſti. Et ipſe Iacobus voca… Iacobus Alphæi, ſicut alius Zebe… vt ſupra notauimus: erat ergo fi… alterius viri, & non ſancti Ioſeph. … e, neque verè, neque putatiue, … erunt fratres germani Chriſti. Sed … mmunium alio latiori gradu poterant … propinqui aut coniuncti Chriſto, … a ſane latiori acceptione nomin… … ati fuerunt fratres Chriſti, vt qui… non raro ſumitur hoc nomen in … is litteris.

…deo dixerunt alij, hos fuiſſe filios … ſdam fratris germani ſancti Ioſeph, … vocatus fuerit Alphæus, & Cleo… s, cuius vxor vocabatur Maria, quæ … quando nominatur Maria Cleophæ, … 19. Et ita illi dicti ſint fratres … riſti, non germani, ſed patrueles, … non verè ſed putatiue, ſicut Ioſeph … tabatur pater Chriſti. Et ita etiam … tria Cleophæ dicta ſit ſoror B. Virgi… , ibi Ioann. 19., eo quod erat con… ges duorum fratrum. Et in hunc di… ndi modum inclinat Suarez diſp. 5. … ct. 4., in hunc ſenſum inducens alios … antiquis Patribus. Inclinat etiam … bra in Append. de B. Virgine cap. 4. … rt. 3.

Alij verò magis communiter cenſent, … los habuiſſe veram aliquam propin… quitatem & conſanguinitatem cum Chriſto, ex parte ſcilicet Matris Chri… ſti. Pro qua re, Gloſa ordinaria ſuper cap. 1. ad Galat., & Vgo de S. Victore q. 5 in eandem Epiſtolam, & quidam alij dixerunt, Annam quæ ex Ioachi… mo viro ſuo genuit B. Virginem, poſt mortem Ioachim nupſiſſe ſecundo vi… ro, nomine Cleophæ, & ex illo ſuſce… piſſe aliam filiam, dictam Mariam Cleophæ, quæ coniugata Alphæo genuerit Iacobum dictum minorem & fratres eius. Deinde poſt mortem Cleophæ, Annam nupſiſſe tertio viro nomine Salome, & ex illo genuiſſe aliam filiam dictam Mariam Salome, quæ coniugata Zebedæo genuerit Iacobum dictum maiorem & Ioannem fratrem eius. Atque ita hi omnes fuerint fratres conſobrini Chriſti Domini, vtpote filij ſororum B. Mariæ Virginis. Videntur autem illi Auctores id cogitaſſe, quia ſupponebant, B. Virginem fuiſſe filiam vnicam & heredem patris ſui Ioachimi. Sed tamen putandum non eſt, Annam habuiſſe plures viros, & ex ijs alias filias ſuſcepiſſe. D. Hieronim. in lib. cont. Heluid., & in cap. 12. Matth.; & in cap. 1. ad Galat., abſolutè ait, quamdam fuiſſe ſororem B. Virginis, vocatam etiam Mariam, atque adeo materteram Chriſti, & ita illos filios eius fuiſſe fratres conſobrinos Chriſti, & hoc approbat D. Tho. eo art. 3. ad 5. Et videntur ſupponere, hanc fuiſſe filiam eiuſdem quoque patris. Aut præſtabit dicere, hanc aliam Mariam non fuiſſe filiam eiuſdem ſanctæ Annæ, & Ioachim, & ſororem germanam B. Virginis: ſed potiùs fuiſſe filiam alterius feminæ ſororis Annæ vel Ioachim, ſiue alterius viri fratris Annæ vel Ioachim, & ita fuiſſe ſolùm conſobrinam ſeu patruelem cum B. Virgine: ac proinde illos qui dicti ſunt fratres Chriſti, fuiſſe ſolùm fratres in tertio gradu. Et hoc benè ſtare poteſt, ſiue omnes illi qui nominati ſunt Matth. 13. fuerint filij eiuſdem matris vocatæ Mariæ, & eiuſdem patris vocati Alphæi, & Cleophæ, vt eſt communior ſententia: ſiue fuerint filij eiuſdem matris, partim ex vno viro nomine Alphæo, & partim ex altero nomine Cleopha: ſiue etiam fuerint filij diuerſarum matrum, partim ſcilicet vnius Mariæ coniugis Alphæi, & partim alterius Mariæ coniugis Cleophæ, vt ex Egeſippo veteri Auctore refert & approbat Baronius tomo 1. in Apparatu Annalium §. Ex eo verò. Cum quo etiam ſtare poteſt, vt hic Alphæus ſiue Cleophas, fuerit frater ſancti Ioſeph. Et ruſus ſi placeat, etiam Iacobum

Digitized by Google

bum maiorem, & Ioannem, filios Zebedæi, fuiſſe quoque fratres Chriſti: eo quod mater eorum velut iure propinquitatis videtur ijs poſtulaſſe primas ſedes apud Chriſtum: & Chriſtus in cruce matrem ſuam Ioanni commendauit: dici inquam ſimiliter poterit, matrem eorum fuiſſe ſimili modo coniunctam B. Virgini: eamquè vocatam fuiſſe Salome proprio ſuo nomine, non enim in Euangelio dicitur vnquam Maria Salome, ſicut Maria Cleophę, ſed Salome dicitur ipſa mulier. Sed quocunque ex his modis res ſe habeat de his qui dicti ſunt fratres Chriſti, illud certiſſimum eſt, quòd neutiquam fuerunt filij naturales B. Marię, ſed omnino fatendum ſit B. Mariam ſemper deinceps poſt partum ſicut antea virginem permanſiſſe.

An & quando B. M. habuerit etiam votum virginitatis ſeruandi.

Num autem B. Maria ſemper in animo per firmum propoſitum, ac etiam in voto per promiſſionem Deo factam virginitatem habuerit. Recuſant de voto concedere Recentiores Hęretici cum Eraſmo, vt refert Caniſius lib. 2. de B. Maria cap. 8. inducti nempe contemptu & odio huiuſmodi voti, quòd nunc in Eccleſia Catholica tàm familiare & laudabile eſt. Inter Theologos verò noluerunt aliqui concedere, B. Mariam habuiſſe tale votum, aut etiam firmum & abſolutum propoſitũ, ante ſuam deſponſationem. Putantes nempe, quòd non potuiſſet prudenter & licitè deſponſationi cõſentire, ſi tale propoſitum & votum antea habuiſſet: ſed ad ſummum potuiſſe poſt contractum matrimonium, de conſenſu viri ſui tale propoſitum & votum habere. Putantes etiam, quòd in antiqua lege probroſum & vetitum eſſet tam mulieribus quam viris, ſeruare caſtitatem abſtinendo à coniugio: ideoquè B. Mariam ante deſponſationem habuiſſe quidem deſiderium virginitatis, & propoſitum aut votum conditionatum ſeruandi virginitatem, ſi eſſet licita; non autem votum aut propoſitum abſolutum, quia ſimpliciter illicitum putabat: ſed non niſi poſt deſponſationem peculiari conceſſione & reuelatione diuina potuiſſe tale votum profiteri. Ita docet S. Thomas hic quæſt. 28. art. 4. in corp. & ad argumenta, & in 4. d. 30. q. 2. art. 1 quæſtiuncula 1., quem ſequuntur Caiet. hoc loco, Capreol. & Sotus in 4. eadiſt. 30. q. 1. Idemquè docuerunt Albert. ead. d. art. 11. & Durand. q. 2., Nicolaus de Lyra ſuper Lucæ 1. & quidam alij.

Habuiſſe ne dubio hoc votum

Aſſerendum eſt, B. Mariam verè habuiſſe non ſolùm firmum propoſitum, ſed etiam votum ſeruãdi virginitatem, & habuiſſe ſemper, etiam ſcilicet ante deſponſationem. Ita magis communiter alij Theologi docent, Magiſter in 4. d. 30., Bonauent., Scotus, Riccard., Argentina, Supplementum Gabrielis, Maior, Almain, Paludan., & alij ead. diſt., Henric. Quodlib. 9. q. 11., Suarez hìc diſp. 6. ſect. 2., Vaſq. diſp. 124. cap. 4., Kelliſonus q. 28. art. 4. dub. 1., & alij hoc loco, Abulenſ. q. 32. in cap. 30. Numeri, Baronius in Apparatu ad Annales §. *Sed antequam*, & frequenter ſacri expoſitores in cap. 1. Lucæ. Et primò quidem, quod B. Maria aliquando habuerit tale votum, facilè ſuadetur ex ipſa rei perfectione. Nã cùm reipſa virginitatem ſemper illibatam ſeruauerit, maioris perfectionis & ſanctitatis eſt, et eam in voto habuerit. Et cùm aliquando cognouerit, placitam & acceptam eſſe Deo ſuam virginitatem, ſaltem ex tunc quando audiuit ab Angelo concipiendum eſſe ex ea filium virtute Spiritus ſancti abſque opera viri; cenſendum omnino eſt, perfectiſſimo modo obtuliſſe & conſecraſſe Deo virginitatem ſuam, ſcilicet per promiſſionem & votum.

Habebat iam ante annunciationem.

Secundò, quòd iam ante annunciationem angelicam habuerit tale votũ, conſentiunt omnes Theologi, etiam illi qui negabant habuiſſe ante deſponſationem. Et ſanè apertè colligitur ex illa reſponſione B. Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco*. Et ex his verbis idem docet & probat D. Auguſt. lib. de S. Virginit. cap. 4. & alij quoque Patres indicant. Non enim B. Maria dicere tantùm voluit, hactenus non cognoui virum: quia conceptio annunciabatur de futuro: *Ecce concipies*: ad quod ſatis erat cognoſcere in futurum. Nec etiam dicere tam

Digitized by Google

Non habeo animum & voluntatem co-
gnoſcendi virum: quia ſic
& libertate eius fuiſſet,
m & voluntatem. Sed
dicendi idem valet & ſonat,
cognoſcere virum, non
licitum & liberum cognoſcere
voto & promiſſione obligata
non cognoſcere virum. Vere ergo
hoc votum habebat.

[...]rtio quod habuerit quoque ante [deſp]onſationem, ſuadetur: quia ex [vna] parte non repugnabat deſponſa[tio] & verum matrimonium cum tali [ani]mo & voto, vt iam vidimus ſect. 2. [ob]ſtante, de ipſa deſponſatione: & ex [alia] parte ad maiorem perfectionem & [ſanc]titatem B. Mariæ ſpectat, vt non [diu] diſtulerit tale votum. Sed vlte[rius] alij Theologi qui volunt, B. Ma[riam] non niſi ex ſpeciali conceſſione & [reu]elatione Dei nuncupaſſe hoc votũ, [q]uę facile poſſunt hanc reuelationem [&] cõceſſionem admittere ante deſpõ[ſat]ionem. Et alioqui ſi deſponſatio re[pu]gnabat cum voto, pariter ſuo modo pugnabat cum propoſito virginitatis, [quod] potiùs importabat animum & con[ſen]ſum dandi operam gignendis liberis [p]er copulam maritale [...] obliga[ti]oné coniugalem: at non decet cogita[re], B. Mariam habuiſſe vnquam talem [a]nimum & conſenſum, aut caruiſſe [v]nquam firmo propoſito ſeruandi vir[g]initatem, quandocunque de hac re co[g]itauerit: eo ergo modo quo cum hoc [fi]rmo propoſito componitur deſponſa[ti]o, componi poteſt & debet etiam cũ [v]oto, ſicut nempe ſupra ſect. 2. iam [d]iximus. Quo autem tempore ante de[ſ]ponſationem B. Maria tale votum emi[ſ]erit, non habetur vnde definiri aut ſci[r]i poſſit: niſi quod putandum eſt, quã[ſ] primum hæc cogitatio & deliberatio ei obuenerit, ſtatim promptiſſimè ſe per huiuſmodi propoſitum & votum Deo obtuliſſe & conſecraſſe.

Quarto. Ad hoc vt B. Maria piè & laudabiliter haberet hoc propoſitum & voti, non indigebat ſpeciali conceſſione & reuelatione diuina, quaſi ſcilicet fuiſſet in antiqua lege vetitus ſtatus continentiæ, & ideo neceſſaria fuiſſet velut diſpenſatio. Etenim nullibi in illa lege extabat talis prohibitio, aut præceptum vacandi filiorum generationi. Non enim in illis verbis Geneſis 1. *Creſcite & multiplicamini*, continebatur tale præceptum ad omnes homines: ſed ſolùm explicabatur fecunditas & poteſtas naturalis attributa humano generi, ſicut & alijs animalibus. Nec etiam continebatur tale præceptũ ad populum Iſrael, in illis verbis Exod. 23. *Non erit infecunda nec ſterilis in terra tua*, & Deuter. 7. *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*: ſed ſolum à Deo ipſo promittebatur fecunditas & abundantia prolis, pro ſuo beneficio in illo populo, vt etiam in animalibus: & ita eſt manifeſtum in textu. Nec etiam continebatur vniuerſale & abſolutum præceptum in alijs verbis Deuteron. 25. de ſuſcitando ſemine fratris ſui; ſed ad ſummum erat preceptum particulare pro illo caſu, & conditionatum, ſi vidua volebat iterum nubere, & ſi frater defuncti volebat vxorem ducere. Et fortaſſe, nec etiam hoc modo erat præceptum ſub obligatione, ſed ſolùm admonitio ſecundùm conuenientiam.

Et de reliquo inueniuntur etiam exempla in illa veteri lege, & in populo Iſrael, eorum qui ſeruarunt continentiam. Nempe de Helia & Heliſæo, de Daniele & tribus pueris in Babylone, de Ioanne Baptiſta & Ioanne Euãgeliſta, vt affirmant Hieronym. lib. 1. cont. Iouinian. & Damaſc. lib. 4. Fidei cap. 24. Idem de Melchiſedech, & Ieſu Naue, & Ieremia, affirmauit Ignatius Martyr in Epiſt. ad Philadel. Et de Maria ſorore Moyſi, affirmauit Ambroſ. lib. 1. de Virginib. Et de filia Iephte, in hoc ſenſu fuiſſe immolatam Deo, id eſt per cuſtodiam virginitatis, explicauit Vatabus Iudicum 11. Imo de integra Eſſenorũ ſecta apud Hebræos, teſtatur Ioſephus lib. 18. Antiquitat. cap. 2. & lib. 2. de Bello Iudaico cap. 7. cælibem vitam ſine coniugio traducere ſolitos. Inueniuntur etiam loca in veteri teſtamento, quibus continentia & virginitas commendatur. Sapientiæ 3. *Felix eſt ſterilis* [illegible] *& coinquinata* [illegible] cap. 4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio* [illegible] *enim me*[illegible] *immortalis eſt* [illegible]

mētia illius, &c. & Iſaiæ 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus, &c.* Quæ loca de continentibus & virginibus plerique Patres & Expoſitores intelligunt. Incertum tamen eſt, num ante B. Mariā vllus fuerit qui per verum votum caſtitatis ſe adſtrinxerit Deoque conſecrauerit? quin potiùs illam in hoc fuiſſe primam, indicant Ambroſ. lib. de Inſtitut. virgin. cap. 5., Bernard. homil. 2. & 3. ſuper *Miſſus eſt*, Beda ſuper Lucæ 1., Rupert. lib. 3. in Cantica, & alij. Quod quidem ſi ita eſt, veriſimile redditur, B. Mariam non niſi ſpeciali reuelatione hoc votum initiaſſe: non quaſi indigeret diſpenſatione legis, ſed tanquam de re noua & tunc ſingulari.

Non indigebat licētia parentum.

Quintò tamen adnotarunt aliqui, B. Mariam eguiſſe licentia & confirmatione ſuorum parentum, ſiue Sacerdotum ſub quorum tutela viuebat, ad validitatem huiuſmodi voti. Et ita affirmat Baronius in Apparatu ad Annal. §. *Sed antequam* Eo quòd num. 8. de vouentis & iurantentis puellæ iuſſum erat, *Si ſtatim vt audierit contradixerit pater, vota & iuramenta eius irrita erunt.* Sed tamen eſſe poterat, vt B. Maria occultum teneret ſuum votum, quamuis potuiſſet hoc irritari quando deueniſſet in parentum notitiam. Et ita dicitur in cap. *B. Maria* 27. qu. 2. *Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore.* Vel etiam eſſe potuit, vt ſi ex ſpeciali reuelatione & approbatione Dei votum edidit, ſatis ſuperquè erat hæc diuina confirmatio, vt votum per ſe valeret, nec poſſet ampliùs à parentibus irritari.

Hoc votū fuit ab initio abſolutum.

Sextò, hoc votum B. Mariæ dici debet ab initio ſimpliciter abſolutum, & non merè conditionatum. Etenim S. Thom. art. 4. ad 2. admittit, B. Mariā voiſſe antea virginitatem ſub cōditione ſi Deo placeret: & ita quoque loquuntur alij ex Auctoribus prioris ſententiæ. Sed etiam aliqui ex Auctoribus noſtræ concluſionis admittunt talem conditionem. At magnum diſcrimen eſt inter vtroſque. Nam prior dicendi modus ſupponebat, ſtatum virginitatis in antiqua lege fuiſſe per ſe vetitum, & ideo B. Mariam ante deſponſationem habuiſſe ſolum propoſitum & votū ſub conditione ſi virginitas Deo placeret: quod idem fuiſſet ac dicere, ſi Deus mihi concederet hanc diſpenſationem ſeruandi virginitatem. Qui modus vouendi non fuiſſet ſati conueniens, ſtante illa ſuppoſitione: ſicut ſi quis voueret abſtinere ab omni cibo ſi Deus ei concederet talem diſpenſationem ab obligatione conſeruandi vitam. Alius verò dicendi modus ſupponit, nullatenus fuiſſe in illa lege vetitum ſtatum continentiæ, ſed potiùs pium & laudabilem: & ita B. Mariam abſolutè potuiſſe vouere virginitatem, ſicut nunc in Eccleſia conſuetum eſt tale votum. Sed adhuc aliqui admittebant in tali voto inuolui quandā conditionem, hoc tamen modo videlicet, niſi Deus nouo ac ſpeciali præcepto contrarium iuſſerit. Qui tamen conditionis modus, ſēper in omni voto implicitè includitur, ac etiam in voto caſtitatis quod de facto in Eccleſia nuncupatur. Vndè, quia hæc eſt conditio generalis, non denominat votum conditionatum, ſed remanet votum ſimpliciter abſolutum. Sic ergo votum B. Mariæ ab initio dici debet ſimpliciter abſolutum atque perfectum.

SECTIO DECIMATERTIA.

Vtrum B. Virgo Maria Sanctificata primùm fuerit in matris vtero, per propriam diſpoſitionem, ex redemptione Chriſti.

PRæter integritatem virginitatis, debebat quoq; B. Maria inſigni Sanctitate & gratia ex Dei prouidentia exornari, vt eſſet ita diſpoſita & præparata ad concipiēdum in ſe Chriſtum Deum. Et ſic ab Angelo ſalutata fuit, *Gratia plena.* Vt ergo initium huius ſanctitatis incipiamus inquirere, vidēdum in primis eſt, num ſanctificata fuerit adhuc in vtero matris, ita vt conſequenter nata ſit in ſtatu gratiæ & ſanctitatis,

ctitatis,

& non in ſtatu originalis pec-
ctis, & quo alij homines communiter
, in quo
ſcuntur. Quidem omniũ Theologo-
t concors eſt, B. Mariam fuiſſe ve-
ſententia ſanctificatam per gratiã in ipſo ma-
vtero, antequam naſceretur in lu-
. Ita ſtatuit D. Thomas hoc loco
17. art. 1., & cum eo alij Theologi.
mquè Scholaſtici in 3. d. 3., Alenſis
par. q. 9. memb. 2. art. 4., Henric.
odlib. 13. q. 15., Corduba lib. 1 q.
., Catherin. lib. 4. cont. Caietan;
niſius lib. 1. de B. Maria cap. 4., &
quicunque de hac re ſcripſerint,
e vlla controuerſia aut difficultate
c affirmantes. Et in vniuerſum om-
s Catholici ſic indubitãter exiſtimãt.
i recentiores Doctores notant, rem
e iam ita certam, vt oppoſitum eſ-
: nimis temerarium & erroneum.
fundatur, tum in auctoritate Eccle-
e, tum in exemplis quibuſdam S. Scrip
ræ. Eccleſia quidem ſolemniter ce-
brat Natiuitatem B. Mariæ: eſtquè
æc celebritas valde antiqua, inue-
itur enim excedere mille annos: &
pprobata eſt in Concil. vniuerſali Lug-
unenſi, vt refertur in Iure cap. 1. de
onſecr. diſt. 3 Itaquè Eccleſia planè
pponit, natiuitatem B. Virginis fuiſ-
: prorſus ſanctam & puram, & abſq;
abe originalis peccati: alioqui enim il-
a dies fuiſſet adhuc maledictione &
xecratione digna, ratione originalis
eccati, ſicut Iob maledixit diei Nati-
iitatis ſuæ: ergo omnino B. Virgo ſan-
ctificata fuit in vtero matris antequam
naſceretur in lucem. Et hoc funda-
nentum attingit S. Thomas in art. in
rgum. *Sed contra*. Et cum tanta aſſe-
eratione iam antea Bernard Epiſt.
174. dicens: *Ortum Virginis didici in Eccleſia & ab Eccleſia induuitanter haberi feſtiuum atque ſanctum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens, in vtero eam accepiſſe vt ſancta prodiret*. Et ſimiliter Ildephonſ. in lib. de Perpetua virginit. B. Mariæ, *Spirituſancto eam replente ſine peccato originali fuit, cuius natiuitas glorioſa in omni Catholica Eccleſia Chriſti ab omnibus felix & beata prædicatur*.

In Scriptura verò indicantur quædã exempla eorum qui ſanctificati fuerunt in vtero matris, nempe Ioannis Baptiſtæ & Ieremiæ Prophetæ: vnde ſine dubio credendum erit, hanc gratiam multo magis conceſſam fuiſſe B. Mariæ. Hoc etiam fundamentum attingit S. Thom. eod. art. in corpore. Et quidem de Ioanne, tam apertè id pronuntiauit Angelus Lucæ 1., vt nullum locum dubitandi reliquerit: *Spirituſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*: vbi ſane repleri Spirituſancto, non dicitur niſi per gratiam ſanctificantem. De Ieremia quoque ſatis clarè dixit ad illum Deus cap. 1. illius Prophetiæ, *Antequam exires de vulua ſanctificaui te*: vbi etiam ſanctificare dicitur, non pro ſola deputatione ad officium prædicandi, ſed propriè pro iuſtificatione per gratiam: & non ſolùm id dictum fuit ratione prædeſtinationis æternæ, ſed propriè ratione infuſionis temporalis, dum Ieremias adhuc in matris vtero claudebatur. Et ita quidem de vtroque affirmant Origen. homil. 1. in Ierem. & 4. in Lucam, Nazianz. Orat. 1., Athanaſ. ſerm. 4. cont. Arianos, Ambroſ. lib. 1. in Lucam circa verba allegata, & lib. 4. de Fide cap. 4., Cyrill. Hieroſolimitan. Cathecheſi 3., Benard. vbi ſupra. Et ſpecialiter de Ioanne affirmant etiam Cyprian. Epiſt. 37., Gregor. lib. 3. Moral. cap. 5., Chryſolog. ſerm. 88., Ildephonſ. vbi ſupra, & alij. & iterum de vtroque cõfirmat S. Thomas ead. q. 27. art. 6., rectè aduertens, non debere hoc priuilegium ad alios extendi de quibus expreſſum non eſt: & aliquam congruentiam affert, quare ijs duobus conceſſum ſit. Hoc autem ſatis eſt, vt omnino debeat B. Virgini concedi. Vnde, quamuis hæc aſſertio non ſit expreſſa in ſacra Scriptura de ipſa B. Virgine, tamen ex his Scripturæ exemplis, & ex celebritate Eccleſiæ, res ſit ita certa, vt Catherin. & Corduba abſolutè dicant eſſe de fide Sed ſatis erat dicere ad fidem accedere, de eaquè ſine temeritate & errore dubitari non poſſe; vt in concluſione notauimus.

An ſancti ficata fuerit per propriã diſpoſitionem.

Hac veritate ſtatuta, dubitari adhuc poteſt de modo quo B. Virgo tunc ſanctificata fuerit. Duplex eſt enim ſanctificationis modus. vnus per meram infu-

Digitized by Google

infuſionem gratiæ habitualis in anima mere paſſiue ſe habente, ſicut per ſacramentum iuſtificantur infantes: alius per diſpoſitionem liberam eiuſdem animæ quæ iuſtificatur, per actus fidei ſpei & charitatis, elicitos actiue ab ipſa anima, ex gratia tamen Dei auxiliante & eleuante ad tales actus ordinis ſupernaturalis, ſicut iuſtificantur adulti. Ad primum ſanctificationis modum, nihil plus requirebatur, quàm infuſio gratiæ habitualis. Sed ad ſecundum modum oportebat, vt Deus tunc miraculoſe concederet vſum rationis & libertatis, cuius alioqui non ſunt naturaliter capaces infantes in vtero matris; oportebat vt Deus tunc reuelaret & notificaret ſupernaturalia myſteria, quorum notitia & fides requiritur ad hunc modum iuſtificationis.

S. Thomas ergo q. 27. art. 6. occaſione ſumpta ex Auguſt. Epiſt. 57., negaſſe videtur, Ioannem & Ieremiam habuiſſe vſum rationis in vtero matris, ſignificans fuiſſe ſolùm iuſtificatos, ſicut ſolent alij pueri per baptiſmum: non tamen loquutus eſt de B. Virgine. Sed art. 3. expreſsè etiam de illa dixerat, *Quòd non habuit vſum liberi arbitrij adhuc in ventre matris exiſtens, hoc enim eſt ſpeciale priuilegium, proprium Chriſti*.

Habuit tũc vſum rationis, et ſic ſe diſpoſuit ad ſanctificationem.

Communis tamen Theologorum ſententia eſt, B. Mariam, ſicut & Ioannẽ ac etiam Ieremiam, habuiſſe in vtero matris vſum rationis, & ſupernaturalem notitiam in intellectu, & actus idoneos in voluntate, fuiſſequè ſic ſanctificatos ſecundo modo dicto. Et Caiet. exponit D. Tho., ſolùm dicere voluiſſe, quod etiam ſi Ioannes & Ieremias non habuiſſent vſum rationis, adhuc dici deberent ſanctificati in vtero matris ad inſtar aliorum infantium, ſed non per hoc illud abſolutè negaſſe. Fundamentum huius aſſertionis habetur ex Euangelio, Lucæ 1., vbi dictum eſt, *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius*: & rurſus *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Hinc enim patet, datã tunc à Deo fuiſſe Ioanni tanti myſterij notitiam, eumquè habuiſſe in voluntate gaudium, & inde exultaſſe. Et conſequenter putandum eſt, habuiſſe totam diſpoſitionem & omnes actus requiſitos ad iuſtificationem, atque adeo fuiſſe hoc modo ſanctificatum. Qui ſanè modus eſt longè perfectior, vt per ſe patet, & notauit ipſe S. Thomas q. 34. art. 3. Et ita quidem de Ioanne docent, & ſic verba Euangelij intelligunt Sancti Patres & ſacri expoſitores communiter, & ſupponit Eccleſia canens in Hymno, *Ventris abſtruſo recubans cubili, ſenſeras regem thalamo manentem*: quare faciunt rem ſatis certam. Vnde idem pariter de Ieremia cenſetur: cui etiam pro eodem tunc dictum fuit, *Et prophetam in gentibus dedi te*, quia ſcilicet ex tunc Deus ei contulit donum & ſpiritum Prophetiæ. Multò magis autem de B. Virgine inferendum eſt, iuxta regulam ſupra propoſitam, fuiſſe illi hoc donũ vſus rationis, cum exercitio fidei & actibus voluntatis, & hunc modum ſanctificationis per liberam diſpoſitionem & proprios actus ex diuina gratia collatum. Et inde demum veriſimile fit, hunc vſum rationis cum facultate exercendi dictos actus, non fuiſſe ijs conceſſum ſolùm pro illo tunc quo peracta eſt prima ſanctificatio: ſed fuiſſe perſeueranter conceſſum pro toto tempore ſequenti, vt continuaretur deinceps, pro quando iuxta naturæ curſum aſſequi debebant rationis vſum. In illo autem primo ſanctificationis initio, putandum eſt, dictam diſpoſitionem eodem modo & ordine ſe habuiſſe ad ſanctificationem ſiue ad infuſionem gratiæ ſanctificantis, quo ſe habet in iuſtificatione aliorum hominum, de quo ſatis ſuo loco de iuſtificatione in generali tractauimus: nec enim eſt cur hic modus & ordo in ſanctificatione B. Virginis, ſiue etiam aliorum qui ſanctificati ſunt in matris vtero ad inſtar adultorum, immutetur.

Non niſi ex redemptione Chriſti ſanctificata fuit.

Rurſus ex parte moralis cauſæ extrinſecæ, poteſt vno modo contingere ſãctificatio ex mera & immediata liberalitate Dei, alio verò modo ex merito à ſatisfactione & redemptione Chriſti Domini: quo quidem ſecundo modo datur quæcunq; gratia hominibus poſt lapſum Adami. Certum ergo eſt apud

omnes

...gos, & cenſetur de fide, ...nes Th... Mariam non niſi hoc ſecū-Virginem... ...ficatam fuiſſe. Sa...tur modo ſa... ...quæ vniuerſaliter & ſine Scriptura ... prædicat Chriſtum redēp-ceptione ... hominum, ita vt meri-rem omni... eius, omnis gratia cun-redemptionis ... obueniat, gratia ſcilicet ...is hominibus ...utaris habens ordinem ad vitam æternam, quæ gratia propterea appel-latur gratia Chriſti, gratia per Chriſtū. ...c ad Roman. 5. dicebat Apoſtolus, *...r vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Et 2. ad Cor. 5. *...ro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & ...ui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei ...ui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* ...it 1. ad Thimoth. 2. *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui de-dit redemptionem ſemetipſum pro omni-bus.* Et alibi paſſim ita loquitur. Sub qua vniuerſalitate ſine dubio compre-henditur etiam B. Virgo Maria. Nam & ipſa agnoſcere debet pro beneficio ſibi collato per Chriſtum filium ſuum, omnem ſuam ſanctificationem & gra-tiam: fateri debet ſe fuiſſe redemptam per ſanguinem Chriſti, & Chriſtum fuiſſe pro ipſa quoque paſſum & mor-tuum. Quod totum planè ſpectat ad officium & dignitatē Chriſti redempto-ris. Et ſequitur ex ijs quæ antea dixi-mus de merito & ſatisfactione Chriſti. Et conſtabit adhuc magis ex dicendis.

Sequitur vt videamus, quandonam B. Virgo exiſtens in vtero matris ſan-ctificari potuerit, ac reipſa ſanctificata fuerit. Refert Durand. in 3. d. 3. q. 2. aliquorum ſententiam, qui dixerunt, debuiſſe Virginem pro aliquo temporis ſpatio relinqui in peccato: & rurſus ſi non fuit ſanctificata in primo concep-tionis inſtanti, non potuiſſe iuſtificari immediatè poſt in tempore ſequenti. Quia nimirum ſanctificatio fit per for-mam permanētem, quæ proinde debet fieri & incipere in inſtanti per primum ſui eſſe: quare cùm non dentur duo inſtantia immediata, non poterat B. Virgo ſanctificari immediatè poſt pri-mum inſtās, ſed omnino relinqui debe-bat pro aliquo temporis ſpatio in ſtatu peccati.

Communis tamen aliorum ſententia eſt, benè potuiſſe ſanctificari, vel in primo inſtanti, vel immediatè poſt: & ita reuera ſi non fuit ſanctificata in pri-mo inſtanti, ſaltem fuiſſe immediatè poſt. Et ita quidem facilè defendi po-teſt, data hypoteſi de inſtantibus cum partibus diuiſibilibus in tempore. Quia nempe benè poteſt Deus, formam per-manentem & exiſtentem ac incipien-tem totam ſimul, producere immedia-tè poſt certum inſtans, in tempore ſci-licet immediatè ſequenti, ita vt faceret illam incipere per vltimum ſui nō eſſe. Ita iam in communi oſtendimus q. 30. Philoſ. ſect. 2.

Aliter tamen Vaſq. hîc diſp. 116. cap. 6. rem defendit. Quia ſcilicet gratia ſanctificans, quamuis ſit forma perma-nens, tamen eſt in intenſione diuiſibi-lis, & ſic poſſet à Deo infundi ſucceſſi-uè per partes, ſicut v. g. de facto pro-ducitur calor in ſubiecto. Et hoc pa-cto ait, poſſe produci immediatè poſt inſtans, in tempore proximè ſequenti. Sed tamen hoc non eſt neceſſarium: quia potius poteſt Deus talem formam producere totam ſimul, in quacunque parte temporis, immediatè poſt inſtās, ſicut ſi forma eſſet penitus indiuiſibilis. Et ſic poteſt creare Angelum, & ani-mam rationalem, vt eo loco ſatis ex-plicauimus.

At ſublata illa hypoteſi de inſtanti-bus indiuiſibilibus in tempore, & ſup-ponendo non dari niſi partes diuiſibi-les temporis, vt in vniuerſum de quan-titate probauimus ac defendimus q. 22 Philoſ. ſect. 4. & 5., ſic inquam planè ſequitur, quòd niſi B. Virgo ſanctifica-ta fuit ſtatim ab initio, debuiſſet per aliquam partem temporis diuiſibilem manere in peccato abſque gratia ſan-ctificante. Sed hæc pars temporis potuiſſet eſſe minor & minor quantum Deo placuiſſet: quia nulla erat neceſ-ſitas, vt eſſet tanta & non minor.

Sed præcipuè iam videndum eſt, num B. Virgo reuera ab initio ſanctificata fuerit, ita vt non ſit in peccato con-cepta: quæ quidem eſt celeberrima cō-trouerſia, de qua ſequentem ſectionem inſtituemus. Vtemurque iuxta com-munem loquendi morem eodem inſtā-tis nomine, vocando primum concep-tionis

Digitized by Google

tionis inſtans: tum quia loquendum eſt ſub illa hypoteſi de inſtantibus: tum quia initium ipſum, quodcunq; illud ſit, ante quod nõ extiterit res, intelligimus nos eodem nomine primi inſtantis.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum B. Virgo Maria ſanctificata fuerit in primo ſuæ conceptionis inſtanti, & ab originali peccato præſeruata.

Sententia negans.

PLerique Theologi docuerunt, B. Virginem ita fuiſſe in matris vtero ſanctificatam, vt ab initio quidem concepta fuerit in originali peccato, ſicut alij homines concipiuntur, & ſicut concepti fuerunt ipſimet Ioannes & Ieremias: ſed ſtatim poſt conceptionem & huiuſmodi originalẽ infectionẽ fuiſſe ſanctificatam, & à tali peccato purgatam. Atque hanc ad ſummum fuiſſe maiorem prærogatiuam B. Virginis præ dictis duobus ſanctis qui fuerunt quoque ſanctificati in vtero matris: quod B. Virgo non diu relicta ſit in illa originali labe: ſicut Ioannes in illa manſit per ſex menſes, vſque ſcilicet ad viſitationem B. Mariæ: ſed ſtatim poſt Conceptionem ſanctificata fuerit. Ita olim putarunt Alenſis 3. part. q. 9. membr. 2. art. 2., Albertus, Bonauent., Ricard., Durand. in 3. d. 3., Gregor. in 2. d. 30. q. 2. art. 1. ſed præcipuè D. Th. non ſolùm in 3 d. 3. q. 1. art. 1. quæſtiũc. 1., ſed hîc q. 27. art. 2. in corp. & ad argumenta: & cũ eo Caietan. hoc eodem art. & tomo 2. Opuſculor. tract. 1., Ferrar. 4. contr Gentes cap. 50., Capreol. & Palud. in 3. d. 3., Egid. in 2. d. 29. & 35. & Quodlib. 6. q. 20., D. Antonin. 1. part. tit. 8. cap. 2., Cardinalis de Turrecremata & Bartholom. Spina in tract. de Concept. Virginis, Vincentius Vandalius in alio ſuo tractatu de eadem re, alijquè Thomiſtæ. Ex Patribus etiam ſic aperte docuerunt, D. Bernard Epiſt. 174., & Rupert. Abbas lib. 1. in Cantica. Aliqui verò apud Durand. ea d. 3. q. 2. dixerunt, B. Virginem in primo inſtanti conceptam fuiſſe in originali peccato, & ſimul accepiſſe à Deo gratiam ſanctificantem, Idquè ſignificauit Henric. Quodlib. 15. quæſt. 13.

Fundatur in Sacra Scriptura.

Primum & præcipuum fundamentũ huius ſententiæ ſumptum eſt ex S. Scriptura, in qua vniuerſaliter & ſine exceptione originale peccatum tribui ſolet omnibus hominibus. Vt præſertim ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*: & rurſus *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*. Et ſimiliter 2. ad Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Cum quibus Scripturæ teſtimonijs adiunguntur definitiones Conciliorum & doctrina Patrum de eodem originali peccato, dum vniuerſaliter & abſque vlla exceptione omnibus hominibus attribuitur. Et alioqui ſi hæc exceptio de B. Virgine admittatur, poſſent induci quoque aliæ exceptiones de alijs ſanctis: vel ſaltem non erraret contra fidem, qui aliquẽ alium ſanctum exciperet, neque de fide conſtaret, omnes alios reuera contrahere originale peccatum.

Patribus.

Secundum fundamentum ſumitur ex auctoritate Patrum. Nam præter doctrinam generalem de peccato originali in omnibus hominibus, aliqui ità hãc vniuerſalem infectionẽ exprimunt, vt excipiant ſolum Chriſtum, qua proinde ſola exceptione videtur prorſus includere B. Virginem; & ſic loquuti ſunt Leo primus ſerm. 1. de Natiuitat. Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. de Circunciſ. & lib. de Pænit cap. 2. Auguſt. lib. 2. cont. Iulian. cap. 3. & lib. 4. cont. duas epiſt. Pelagian. cap. 4., Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap. 2., Gregor. lib. 11. Moral. cap. 26. & lib. 18. cap. 27. Rurſus aliqui ſpecialiter de ipſa B. Virgine dixerunt, fuiſſe purgatam vel mundatam vel redintegratam à peccato, quare ſupponebant fuiſſe priùs maculatam peccato. Et ſic loquuti ſunt Nazianzen. Orat. 38. & 42., Fulgent. ſerm. de Laudib. Virginis, Maximus in ſerm. de Aſſumpt., Remig. in Pſal. 22., Beda in homil. de Annunt., Riccardi de S. Victore lib. 2. de Emmanuele cap. 26. Inſuper aliqui expreſsè indicarunt, ipſam

Digitized by Google

... en fuiſſe ſubiectam pec-
... ſerm. 6. in Pſal. 118. di-
... habuiſſe carnem pecca-
... in matre: Auguſt. conc.
... Mariam ex Adamo mor-
... propter peccatum, & lib
de Peccator. merit. & remiſſ. cap. 24.
riſtum ſumpſiſſe carnem ex materna
ne peccati: Anſelm. lib. 2. *Cur Deus*
ho cap. 16, proponens dubitatio-
n quomodo Chriſtus fuerit ſine pec-
o, ſumens carnem ex matre con-
pta in peccato; reſpondet ben è po-
ſſet Chriſtum eſſe ſine peccato, non
gans matrem conceptam in pecca-
: Euſeb. Emiſſen. ſerm. 2 de Natali
mini, dixit genitricem Redempto-
non fuiſſe liberam ab originali nexu.
Tertium fundamentum ſumitur ex
tionibus. Quia B. Virgo fuit vere re-
mpta à Chriſto, & egebat redemp-
one Chriſti: ſed non redimitur niſi
uus & captiuus: ergo B. Virgo fue-
t ſaltem in coceptione captiua ſub
ccato. Spectatque ad dignitatem
riſti, vt nulla anima excipiatur à
neficio redemptionis eius: nec ex-
dit ita augere dignitatem matris, vt
inuatur dignitas Chriſti: ſed vt ar-
it S. Thomas eo art. 2. ad 2. *Si nun-*
am anima B. Virginis fuiſſet contagio
iginalis peccati inquinata, hoc deroga-
t dignitati Chriſti, ſecundum quam eſt
niuerſalis omnium ſaluator. Rurſus B.
irgo fuit genita naturali & conſueto
odo cum libidine carnis: ſed hic mo-
us conceptionis ſecum fert originale
eccatum: ergo fuit concepta in pec-
ato. Non fuit immunis à morte,
hiſque pœnalitatibus huius vitæ: ergo
ec fuit immunis ab originali ob quam
ncurruntur hæ pœnæ: ſiquidem ipſa
non debebat pati ob peccata aliorum,
ſicut paſſus eſt Chriſtus. Et, ſi fuiſſet
mortua ante Chriſtum, non potuiſſet
adhuc ingredi regnum cœlorum: ergo
excludebatur in pœnam originalis pec-
cati: igitur in ſua conceptione contra-
xerat originale peccatum. Demum vi-
detur id ſpecialiter neceſſarium in illa
ſententia & doctrina D. Thomæ, quod
incarnatio fuerit à Deo prædeſtinata in
remedium originalis peccati, atque
adeo poſt præuiſum tale peccatum hu-
mano generi commune: nam ſic in eo
ſigno quo Deus prædeſtinauit incarna-
tionem, iam præuidet omnes homi-
nes in originali peccato, atque adeo
inter illos etiam B. Virginem: vnde
etiam in tempore aliquando B. Virgo
fuit in hoc peccato.

Ex aduerſo multo plures Theologi,
& ex aliquo ſuperiori tempore omnes
fere ſcriptores, defendunt ac docent,
B. Virginem Mariam nunquam fuiſſe in-
fectam originali peccato, ſed in ipſo-
met primo ſuæ conceptionis inſtanti
fuiſſe præuentam a Deo per gratiam,
fuiſſe ex tunc ſanctificatam, atque ita
ab originali macula præſeruatam. Ita
ex Scholaſticis docuerunt, Scotus,
Aureol., Argent., Linconienſ., Maior,
Mayron., Liches, Baſſol., Orbellius,
Ouandus, Arretinus, Gabriel, Carthu-
ſian., Baconus, Almainus in 3. diſt 3.,
Marſil. in 2. q. 20. art. 3. & in 3. q. 4.
art. 1. Item ex Theologis hoc loco
Suarez diſp 3. ſect. 5., Vaſq. diſp. 117.,
Valent. q. 1. de Myſter. vitæ Chriſti pun-
cto 2., Peſant. q. 27. art. 2., Becanus
de Incarnat. cap. 28. quæſt. 1., Bona-
cina de Incarnat. diſp. 1. q. 2. puncto
1., Abra in Appendice de B. Virgine
cap. 1. Tannerus tomo 2. diſp. 4. q. 7.
dub. 2., ac nouiſſime Cardinalis Oregius
tract. de Incarnat. cap. 17. quæſito 1.
concl. 2. Deinde ex Iuriſtis, Anton. in
cap. vlt. de Ferijs, Nauarr. in ſumma
Prælud. 8. nu 9., Gouarr. in cap. *Al-*
ma mater part. 2. §. 5. nu. 2. Ex Sacræ
Scripturæ expoſitoribus, Abulenſ. in
Prologo Bibl. cap. 6. & in cap. 34.
Exodi q. 8. & Paradoxo 1. cap 21., Ia-
cobus de Valent. in Pſal. 13. & 47.,
Lippoman. in Catena ſuper Geneſ. 15.
Riccard. Victor. ſuper illa verba cant.
4. *Tota pulchra es*, Ludouicus de Ponte
lib. 7. in Cantica, Petrus Morales in
cap. 1. Matth. lib. 3. tract. 1., Pintus
in cap. 14. Ezechielis, Ghisler. in cap.
1. Cantic., Mandinus in cap. 1. Iere-
miæ, & nouiſſime noſter Laurentius
Aponte in cap. 1. Sapient. digreſſ. 2.
Ex alijs ſcriptoribus Gerſon in ſerm de
Concept. Virgin. Alphab. 87. littera L.
Cardinalis Cuſanus lib. 5. Exercitatio-
num cap. *Ex ſermone cælum & terra*
tranſibunt, Ludulphus Carthuſ. 1. part.
de vita

Sententia communis & concluſio affirmans.

tuiſſet mater huius hominis quàm Dei; ſed ſimul prorſus mater hominis, & Dei. Nec etiam pro illo priori dici debuiſſet mater huius humanitatis, ſicut nec humanitas filia eius: quoniam huiuſmodi denominatio ſpectat ad perſonam, & non ad ſolam naturam, vt præmiſimus cum D. Thoma q. 35. art. 1. In controuerſia autem eſt apud Theologos, qui naturæ ordo ſeruatus ſit in incarnatione, & an priùs naturâ formata & aſſumpta fuerit tota humanitas, quàm aſſumptæ partes, vel potiùs priùs natura fuerint aſſumptæ partes. Sed in hoc myſterio ſeruari debet idem ordo qui alioqui in omni alio naturali cõpoſito & ſuppoſito ſeruatur. Vbi nos iã antea quæſt. 5. approbauimus, priùs quidẽ natura aſſumptas fuiſſe partes. Hoc tamen non per ſe requirebatur ad proprietatem & rigorem huius denominationis de qua modo agimus, vt B. Virgo dicatur mater Dei.

Nec requirebatur efficientia B. Virginis erga hypoſtaticam vnionem.

Multò minus ad hoc requiritur vlla efficientia B. Virginis erga ipſam hypoſtaticam vnionem. Quinimò de facto non interceſſit talis efficientia, & ſimpliciter non videtur poſſibilis, vt etiam tractauimus antea quæſt. 6. Et certè ad hoc vt B. Virgo dicatur propriiſſimè mater Dei, non requiritur vt ipſa efficiat quòd hic homo ſit Deus, efficiendo ſcilicet hypoſtaticam vnionem: ſed nihil plus ea denominatione ſignificatur, niſi quod B. Virgo eſt mater huius hominis qui ſimul realiter erat Deus. Nec oportet plus illi tribuere, quàm quòd exercent aliæ matres erga ſuos filios: aliæ autem matres ſiue patres, nõ vtique efficiunt ſubſiſtentiam humanitatis, ſiue animæ & corporis, in ſuis filijs, ſi quidem tam anima quàm materia cum ſua ſubſiſtentia, fit per creationem à Deo: nec ergo B. Virgo debebat efficere vnionem hypoſtaticam in humanitate in corpore & anima Chriſti cum Verbo, quæ quidem vnio in Chriſto ſucceſſit loco humanæ ſubſiſtentiæ. Vnde rurſus, ſi aliæ matres non dicantur habere concurſum actiuum, ſed tantùm paſſiuum ſubminiſtrando materiam in generatione & conceptione ſuorum filiorum: ſic nec etiam erga ipſam Chriſti humanitatem deberet B. Virgini attribui alia operatio in genere cauſæ effectiuæ. Si verò quis diceret, alias matres concurrere efficiendo peculiarem modum vnionis inter ſubſiſtẽtiam animæ & ſubſiſtentiam corporis, præter ſcilicet vnionem naturæ harum partium inter ſe: ſic ad ſummum dicere deberet, B. Virginem effeciſſe quoque modum quendam vnionis inter vnionem hypoſtaſticam animæ ad Verbum, & corporis ad Verbum, quo videlicet connecteret has duas partiales hypoſtaticas vniones inter ſe. Sed quia iam eadem illa quæſt. 5. diximus, non debere diſtingui talem alium vnionis modum, præter illum qui ſimpliciter intercedit inter corpus & animam ſecundùm ſe, & qui eo ipſo in ſuppoſitis naturalibus intelligitur ſimul connectere inter ſe ſubſiſtentias partiales materiæ & formæ, atq; in Chriſto vniones hypoſtaticas partiales corporis & animæ cum Verbo: ideo neq; etiam quoad hoc debet diſtingui alia peculiaris operatio B. Virginis, præter concurſũ debitũ ad vnionem corporis & animæ inter ſe; qua vnione conſtituitur & cõpletur humanitas in ratione naturæ totalis.

An in Chriſto eſſet relatio filiationis ad matrẽ.

Sic ergo ſe habentibus denominationibus maternitatis & filiationis inter B. Virginem & Chriſtum, loquendo nunc de relationibus, alia inſurgit inter Theologos controuerſia. Nam Henric. Quodlib. 4. q. 3. & Alenſis 3. part. q. 10. memb. 3. negarunt in Chriſto inueniri vllam humanam relationem filiationis ad Matrem, diſtinctã à diuina relatione filiationis ad Patrẽ: ſed dixerunt, per hanc eandem diuinam relationẽ referri quoque ad matrẽ, & denominari filium B. Mariæ. S. Thomas verò hic quæſt. 35. art. 5. & in 3. d. 8. q. 1. art. 5. ſimiliter negat in Chriſto relationem realem filiationis ad matrem, conſtituit tamen relationem rationis, & per illam ait referri ad matrem, ac denominari eius filium, ſiue per eandem relationem quã ſupponit eſſe realem, matris ad Chriſtum. Quam ſententiam defendunt Caiet. alijque Thomiſtæ hoc eodem loco, & Valent. q. 2. de Myſterijs vitæ Chriſti puncto 4. Capreol. & alij ex Scholaſticis ibi in 3. Fundamentum vtriuſque modi dicendi eſt: quia rela-

tio

[illegible] ſe conuenit ſuppoſito; tanquam ſubiecto; & tio filiationis [illegible] ſuppoſitũ & non naturã: & non natu[illegible] ſolum diuinum ſuppo- ſita denomina[illegible] eſſe nõ poteſt alia hu- ſed in Chriſto [illegible] ſitum, ergo in [illegible] o filiationis. Et alioqui mana realis relatio filiationis in natura, ſi daretur relatio [illegible] ura, ipſa humanitas, diceretur ipſa natura [illegible] filia B. Virginis: quod eſt inauditum.

Erat prorſus ſicut in alijs hominibus.

Concedenda tamen in Chriſto eſt realis relatio filiationis humanæ ad B. Virginem, ſicut in ipſa B. Virgine realis relatio maternitatis ad Chriſtum: eodem inquam pacto, quo in alijs hominibus inueniuntur huiuſmodi relationes, inter filium & matrem. Ita docét Scot. in 3. d. 8. q. vnica, Durand. q. 3. Ricard. art. 2. q. 2., Gabr. q. 3., Marſil. q. 7., & alij ead. diſt. Defenduntquè Suarez hic diſp. 12. ſect. 2. Kelliſonus q. 29. art. 2. dub. vlt. appendicis, alijquè hoc loco. Et hæc aſſertio nullam difficultatem habet in noſtra ſententia. qua ſupponimus ex quæſt. 25. Philoſoph., non dari alias huiuſmodi relationes in rebus, præter ipſam concomitantiam extremorum, vel præter certam formam abſolutam, ex qua denominationes relatiuæ ſumantur: vt poſte ſpecialiter inter patrem & filium, matrem & filium, non aliam relinqui relationem, poſt actum ipſum generationis, quo filius ex patre ſiue ex matre prodijt. Sic enim iam ſtatutum eſt, B. Virginem verè exercuiſſe erga Chriſtum, illum actum generationis vitalis quem ſolent aliæ matres, ſiue hic actus dicatur conſiſtere in vera actione & concurſu actiuo, ſiuè ſolùm paſſiuè in ſubminiſtratione materiæ: & hic actus vtique diſtinctus eſt ab actu & relatione generationis ac natiuitatis æternæ, quo Dei Filius à Patre proceſſit: eſt prorſus realis & phyſicus vt per ſe patet. Per hunc actum dicimus denominari matrem & filium: has denominationes dicimus eſſe relationes maternitatis & filiationis: igitur verè in Chriſto concedẽda eſt talis relatio realis filiationis humanæ, ſicut in B. Mariâ relatio maternitatis; eodem inquã prorſus modo, quo in alijs hominibus intercedunt huiuſmodi relationes. Et confirmatur magis: quia in omni alia humana generatione, neque mater neque pater per ſe producit ſubſiſtentiã filij qua conſtituitur in eſſe ſuppoſiti; ſed ad ſummum producit diſpoſitiones in materia, vel etiam vnionem inter corpus & animã; & D. Tho. ac Thomiſtæ volunt, matrem concurrere ſolum paſſiuè ſubminiſtrando materiam: quamuis ergo B. Virgo non fuerit cauſa effectiua ſubſiſtentiæ ſiue vnionis hypoſtaticæ in Chriſto, adhuc exercuit totum id quod aliæ matres in gignendis filijs, & nihil minus: ergo eodem pacto inter ipſam & Chriſtum inueniuntur dicto modo relationes.

Etiam ſi diſtinguātur relationes à rebus.

Deinde loquendo etiam in alia ſententia, quæ diſtinguit relationes ab alijs rebus & formis, dicitque ex generatione humana reſultare huiuſmodi diſtinctas relationes, pariter concedẽda eſt huiuſmodi creata & realis relatio filiationis in Chriſto erga B. Virginem, ſicu in B. Virgine relatio maternitatis ad ipſum Chriſtum, & ſicut in alijs hominibus relatio filiationis ad ſuos parentes. Nam pariter in Chriſto inuenitur totum quod requiritur ad huiuſmodi relationem: nempe fundamentum proximum talis relationis, ſcilicet natiuitas & generatio ex B. Virgine, quia veriſſime fuit ex illa natus & genitus, & verè in hoc interceſſit ille generationis actus qui in alijs hominibus ex parte matris: item ſubiectum cui inhæreat talis relatio, ſcilicet ipſa Chriſti humanitas: ſiquidem in alijs quoque hominibus ſua relatio filiationis inhæret ipſi naturæ, non autem ſubſiſtentiæ diſtinctæ à natura, & formaliter conſtitutiuæ ſuppoſiti. Sic vtique aliæ quæcunque formæ, ſiue abſolutæ ſiue relatiuæ, inhærent ipſi naturę, & operationes atque actiones exercentur per ipſam naturam: & hoc, eodem modo in Chriſto ac in alijs hominibus; & ſic in illo inuenitur relatio v. g. ſimilitudinis ad alios homines, & aliæ quæcunque relationes, ſiue formæ abſolutæ & proportionatæ. Per has tamen denominatur adæquatè & ſimpliciter ipſum ſuppoſitum conſtitutum ex natura & ſubſiſtentia. Et hoc quidem pacto Caietanus ipſe art. 1. quæſtionis 35. explicauit mentẽ S. Thomæ dicen-

dicentis, natiuitatem conuenire perſonæ, & non naturæ, tanquam ſubiecto: explicauit inquam debere intelligi de ſubiecto denominationis, non de ſubiecto inhæſionis.

Et ſic Chriſtus denominabatur filius B. Virginis.

Rurſus, ita verè & propriè Chriſtus denominatur filius B. Virginis, ſicut quicunque alius homo filius ſuæ matris: ergo debet in Chriſto concedi eadem forma denominans, eadem ſcilicet filiationis relatio, quæ in alijs hominibus reperitur. Non enim dici poterat Chriſtus denominari filius B. Virginis, per eãdem filiationem diuinam increatam: cũ hæc ſit diuerſiſſimæ rationis, vt per ſe patet: ac perinde potuiſſet Deus Pater incarnari & naſci ex Virgine, ita vt eſſet eodem modo filius eius: nec vtique per relationem paternitatis, aut aliã quamcunque perfectionem diuinam, diceretur formaliter conſtitui ac denominari filius Virginis. Nec dici poterat Chriſtus denominari filius per relationẽ rationis: quia eſt verè & realiter filius Virginis, ſecluſa omni fictione & cogitatione intellectus, quare oportet aſſignare ſignificatum reale eius denominationis, & non minus reale quàm in alijs hominibus. Sicut etiam erat Chriſtus realiter ſimilis, æqualis, & ſic de alijs huiuſmodi denominationibus: vnde habebat realem ſimilitudinem, & ſic alias reales formas denominantes. Nec demum dici poterat denominari per eandem relationem maternitatis B. Virginis ad ipſum: quia ſic denominatio fuiſſet extrinſeca, & non intrinſeca qualis in alijs hominibus: & fuiſſet ſolùm denominatio terminantis relationem, & non relati per relationem. Ac præterea poteſt cogitari caſus, ſi quis homo ſubſiſtens in perſona diuina genuiſſet filium, & ſic referretur tanquam pater aut mater. Quod ſi tunc dicatur, quod è conuerſo eſſet relatio ſolùm in filio, & denominaret quoque patrem aut matrem: vrgeri poteſt caſus, vt etiam filius eſſet homo ſubſiſtens in perſona diuina: tunc enim neutra ex parte poſſet poni relatio: vel potiùs deberet poni ex vtraque parte, & hoc quidem fatendum eſt.

Qualiter intuſmo-

Ad fundamentum verò partis oppoſitæ facile dicitur, huiuſmodi relationẽ filiationis humanæ, per ſe quidem conuenire ſuppoſito, & non naturæ, tanquam ſubiecto denominationis, ſed per ſe conuenire naturæ, non ſuppoſito, tanquam ſubiecto inhæſionis: quia nẽpe inhæret naturæ, denominat ſuppoſitum. Et ideo in Chriſto non denominatur humanitas filia, ſed ipſe Chriſtus, ſiue hic homo, ſiue Deus in hac humanitate ſubſiſtens, dicitur filius B. Virginis. Neque nouum aut ſingulare hîc eſt, vt forma inſit naturæ, & denominet ſuppoſitum. Quinimo hoc eſt generale & commune: ſicque dicuntur operationes, & ſic etiam paſſiones, eſſe ſuppoſitorum, ideſt denominare ſuppoſita, quãuis reuera tam operationes quàm officium patiendi, exerceantur per naturam. Vnde ita ſe habent aliæ denominationes & prædicationes in Chriſto, vbi ſanè nil plus repugnat diuino ſuppoſito, quàm crucifigi & mori, & ſolùm ratione humanæ naturæ potuit locum habere in Chriſto: ſed tamẽ propriè non dicitur humanitas crucifixa & mortua, ſed Chriſtus, ſiue hic homo, imo Deus, crucifixus & mortuus, ſcilicet ſecundùm humanam naturam. Et in hac ipſa re S. Thomas vltro attribuit Chriſto humanam natiuitatem, à diuina diſtinctam, & concedit duas natiuitates in Chriſto: Et tamen adhuc ait, natiuitatem conuenire ſuppoſito, & nõ naturæ: ideſt non dici ac denominari humanitatem natam, ſed benè natum Chriſtum, hunc hominem, Deũ: ſic ergo idem prorſus valet de filiatione, vt denominet ſolùm ſuppoſitum, quamuis inhæreat in natura.

& denominatio ac relatio conueniat, ſuppoſito.

Et Chriſtus dicatur vnus filius, vnus natus.

Et hinc etiam fit, vt quamuis in Chriſto ſint duæ filiationes, nullatenus tamen dicantur duo filij, ſed ſolummodo vnus filius, idem filius: filius Deĩ, filius Virginis. Et fruſtra Valentia ex hoc capite inſiſtebat, ne tribueretur Chriſto humana filiationis relatio, ad hoc vt longius à Neſtorio recedamus, qui diſtinguebat in Chriſto duos filios, filium Dei & filium hominis. Intantum enim Neſtorius ſic diſtinguebat, inquantum ponebat duas in Chriſto perſonas. Sed de reliquo ſtante vnitatẽ perſonæ, nullus negare poteſt in Chriſto diſtinctam denominationem filiationis hu-

...ita dicatur filius hominis humanæ ..., tamen dicatur vnus filius ..., adhuc ... personæ. Sic certe in ... ob vnitatem ... sapientia increata & alia Christo est alia ... tamen dicitur vnus sapiens, creata, sed ... tamen ... : erant in Christo tot non duo sapientes, & adhuc non dicevariæ operationes ... operans, vnus opifex, batur nisi vnus ... vnus artifex & in hac ipsa re omnes fatebatur in Christo duas natiuitates, sed nō per hoc admittuntur duo nati sed tantum dicitur vnus natus, qāmuis idē ipse dicebatur bis natus.

SECTIO DVODECIMA.

Qualiter B. Maria etiam post partum virginitatem seruauerit, eamque in animo & voto semper habuerit.

EXpeditis his quæ spectabant ad originem Christi ex B. Maria, ipsa atque Virginem vt erat mater Christi: modo tractandum sequitur absolute & in se de eadem B. Maria, eiusque perfectione & excellentia, tantæ dignitati adiuncta. Et proxime quidem ad præcedentia sequitur vt videamus de eius perpetua virginitate, etiam post partum Christi, & de intentione quam semper habuit virginitatem seruandi.

Error negans. Heluidius antiquus Hæreticus, contra quem scripsit D. Hieronimus, existimauit, B. Mariam in statu quidem virginali concepisse & peperisse Christum, sed tamen postea non permansisse Virginem, sed cognitam fuisse à Iosepho viro suo, ex eoque alios filios suscepisse. Idemque putarunt alij Hæretici de secta Apollinaris, propterea dicti Antidicomarianitæ, quasi Mariæ contrarij; apud Epiphan. Hæresi 77. Et ante hos omnes in hoc errore fuit Tertullian. lib. de Monogamia cap. 8. & lib. de Carne Christi cap. 23., & alibi. Eumque renouarunt alij ex recentioribus Hæreticis, vt refert Canisius lib. 2 de B. Maria cap. 10. Fundabaturque hic error in quibusdam Euangelij locis Nam Matthæus cap. 1. dicebat, *Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritusancto*: Et infra rursus, *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*: quasi scilicet conuenerint & se cognouerint per copulam maritalem. Lucas etiam cap. 2. dicebat, *Peperit filium suum primogenitum*, sicut & Matthæus vocauit primogenitum: quasi scilicet postea B. Maria habuerit etiam alios filios. In alijs quoque locis nominantur fratres simul cū matre Christi. Matth. 12. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.* Et cap. 13. adduntur etiam sorores. Et exprimuntur per sua nomina quatuor fratres Christi, & simul cum matre: *Nonne hic est filius fabri, nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt?* Et specialiter de Iacobo dixit Apostolus ad Galat. 1. *Iacobum fratrem Domini*. Hic autem Iacobus fuit auctor epistolæ catholicæ, & primus Hierosolimæ Episcopus, & cognominabatur iustus. Et fuit idem ille qui inter Apostolos vocatur, Iacobus minor, & Iacobus Alphæi; ad differentiam alterius Iacobi maioris filij Zebedæi, quamuis aliqui putauerint fuisse diuersū ab vtroque. Alius Christi frater dictus Ioseph, videtur esse ille idem qui Actor. 1. compositus fuit cum Matthia in sortitione Apostolatus, qui etiam cognominabatur iustus: & ita affirmat Abulens. q. 85. in cap. 13. Matthæi. Simon verò non est Simon Apostolus, vt ostēdit ibi Abulens. Atque non haberi de illo aliam notitiam. Sed videtur esse ille qui proxime post Iacobum in Episcopatu Hierosolimitano successit, qui in officio Ecclesiæ colitur sub die decimaoctaua Februarij, & vocatur Simeon, & dicitur filius Cleophæ, & propinquus Christi. Iudas demum est ille qui inter duodecim Apostolos recensetur, alio nomine vocatus Tadæus, Catholicæ Epistolæ scriptor, qui semet vocat fratrem Iacobi, & à Luca in Euang. cap. 6. & in Actis cap. 1. vocatur Iudas Iacobi. De sororibus autem Christi non habetur alia notitia: nisi quod Hippolitus Portuensis apud Niceph. lib. 2. cap. 3. dixit,

dixit, fuiſſe duas, vocatas Heſter & Thamar, nempe ſorores eorumdem qui dicti ſunt fratres Chriſti.

Concluſio de fide affirmans B. Mariam ſeruaſſe ſemper Virginitatem.

Certum tamen de fide eſt, B. Mariã permanſiſſe ſemper Virginem, etiam poſt partum Chriſti, nulloſque alios naturales filios habuiſſe. Ita ſtatuit S. Thomas q. 28. art. 3. Et omnes Theologi omneſque Catholici oppoſitum execrãtur vt hæreſim & blaſphemiam, de fide profitentes perpetuam & inuiolatam ſemper virginitatem B. Mariæ. Et licet hic articulus non ſit ita expreſſus in Euangelio: tamen ſufficienter colligitur ex illis verbis B. Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco*, & ex reſponſo Angeli, *Spiritusſanctus ſuperueniet in te &c.* Vbi ſatis apertè denotatur: quòd B. Maria nunquam deberet cognoſcere virum. & nunquam ex viro concipere. Item colligitur ex illis verbis Chriſti in Cruce, quando matrem ſuam Ioanni diſcipulo commendauit, conſtituens quendam velut adoptionis modum: quod eſt euidens ſignum, nullum alium B. Mariæ fuiſſe filium naturalem præter Chriſtum. Et hoc totum in ijs locis ſancti Patres obſeruant. Ex veteri etiã teſtamento, ſpecialiter hanc perpetuã virginitatem B. Mariæ poſt partũ Chriſti, expreſſit Ezechiel Propheta cap. 34. *Porta hæc clauſa erit, & vir non tranſibit per eam, quoniã Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritquè clauſa Principi*: quem locum ſic in ſenſu litterali ſacri Doctores intelligere ſolent. Expreſſius autem hæc veritas conſtat ex perpetua exiſtimatione & traditione Eccleſiæ. Ex doctrina omniũ Patrum: *Nam de Tertulliano*, inquit Hieron. cõt. Heluid., *nihil amplius dico quàm Eccleſiæ hominem nõ fuiſſe*. Ex pluribus Conciliorum & Pontificum definitionibus, quibus ſimul ſemper coniuncta eſt virginitas B. Mariæ poſt partum Chriſti, cũ antecedenti virginitate. Et ex ipſo demum Symbolo dum nominatur Maria virgo. Imo ex ipſo nomine, quia nomen Virginis apud Fideles factum eſt veluti nomen ſingulare & proprium B. Mariæ. Ratione etiam conuenientiæ commonſtratur: quia intactum prorſus & impollutum ſeruari debebat conceptaculum illud Chriſti, ſacrarium Spiritusſancti. Et vt ait S. Thomas, deteſtandus valde eſt error Heluidij, tanquam iniurioſus Chriſto, & Spiritusſancto, & ipſi Beatæ Mariæ, & Sancto Ioſeph.

Explicantur quædam Euãgelij loca.

Nec quicquam obſtant quæ ex aduerſo opponebantur. Nam plane Euãgeliſta eo loquendi modo excludere voluit id quod in opinione hominum alioqui fuiſſet de congreſſu maritali ante partum & conceptionem Chriſti; nullatenus autem indicare voluit, poſtea interueniſſe talem congreſſum: ſed ſicut aduertit S. Thomas art. cit. ad 3. *Vt multò magis intelligamus cognitam nõ fuiſſe poſt partum*. Et adducunt etiam Sãcti pro hoc loquẽdi modo plura alia exempla Scripturæ. Vocarunt etiam Euangeliſtæ Chriſtum primogenitum, non quidem per relationẽ ad alios poſtea genitos, ſed per negationem alterius antea geniti: vſitato ſane more Scripturæ, vt affert S. Tho. ad 4. & ex Hieronimo ſumpſit. Sic enim iuſſerat Deus olim, vt ſibi omne primogenitum offerretur, nec ſanè expectari debebat donec alia proles ederetur in lucem, ſed omne etiam vnigenitum ſic appellabatur. Et iuxta hoc conſequenter in Euangelio narratur ſeruatum fuiſſe in Chriſto legem offerendi & redimendi primogenitum. Et ita illi qui vocati fuerunt fratres & ſorores Chriſti, nequaquam erant filij naturales B. Mariæ. Sed plerique ex Græcis Patribus, & aliqui etiam ex Latinis, putarunt, hos fuiſſe filios eiuſdem Ioſephi ſponſi B. Virginis, ex alia ſcilicet vxore quam antea habuerit progenitos: & ita vocatos ac putatos fuiſſe fratres Chriſti, ſicut ipſe Ioſeph putabatur pater Chriſti. Sed S. Thomas eodem art. ad 5. & alij Theologi communiter, cũ Hieronimo & alijs pluribus Patribus, merito negant, hos fuiſſe filios naturales Sancti Ioſeph; quinimò docent, Ioſephum fuiſſe quoque virginem, & ſemper in caſtitate vixiſſe, nec aliam vxorem habuiſſe. Vnde Petrus Damianus Epiſt. 11. cap. 4. dixit, *Eccleſiæ fidem in eo eſſe, vt non modo Deipara, verùm etiam putatiuus pater atque nutritius, virgo habeatur*. Et ſane ita conuenientiſſimum erat ob-

reue-

[illegible] Virginis, & ipſius etiam ſequerent aut [illegible] Ioanni Virgini fuit B. Chriſtum [illegible] cruce commendata. Virgo a Chriſto [illegible] etiam ex Euangelio, Et confirmatur [illegible] quædam Maria mater quia nominatur [illegible], quæ ſimul cum B. Iacobi & Ioſeph [illegible] iuxta crucem tem- Virgine aſſiſtebat [illegible] pore paſſionis Chriſti, vt habetur Mat- thæi 27. & Marci 15. nec credibile eſ- ſet, B. Mariam fuiſſe deſponſatam ſan- cto Ioſeph ſimul cum alia coniuge: il- la ergo mulier, non ex ſancto Ioſeph, ſed ex alio viro ſuſceperat illos filios, Iacobum, & Ioſephum, qui dicti ſunt fratres Chriſti. Et ipſe Iacobus voca- tur Iacobus Alphæi, ſicut alius Zebe- dæi, vt ſupra notauimus: erat ergo fi- lius alterius viri, & non ſancti Ioſeph. Itaque, neque vere, neque putatiue, hi fuerunt fratres germani Chriſti. Sed ad ſummum alio latiori gradu poterant eſſe propinqui aut coniuncti Chriſto. Et ita ſane latiori acceptione nominis, vocati fuerunt fratres Chriſti, vt qui- dem non raro ſumitur hoc nomen in ſacris litteris.

Qualiter nomina ſint fra- tres Chri- ſti.

Ideo dixerunt alij, hos fuiſſe filios cuiuſdam fratris germani ſancti Ioſeph, qui vocatus fuerit Alphæus, & Cleo- phas, cuius vxor vocabatur Maria, quę aliquando nominatur Maria Cleophæ, Ioann. 19. Et ita illi dicti ſint fratres Chriſti, non germani, ſed patrueles, non vere ſed putatiue, ſicut Ioſeph putabatur pater Chriſti. Et ita etiam Maria Cleophæ dicta ſit ſoror B. Virgi- nis, ibi Ioan. 19., eo quod erant con- iuges duorum fratrum. Et in hunc di- cendi modum inclinat Suarez diſp. 5. ſect. 4., in hunc ſenſum inducens alios ex antiquis Patribus. Inclinat etiam Abra in Append. de B. Virgine cap. 4. art. 3.

Alij verò magis cõmuniter cenſent, hos habuiſſe veram aliquam propin- quitatem & conſanguinitatem cum Chriſto, ex parte ſcilicet Matris Chri- ſti. Pro qua re, Gloſa ordinaria ſuper cap. 1. ad Galat., & Vgo de S. Victore q. 5 in eandem Epiſtolam, & quidam alij dixerunt, Annam quæ ex Ioachi- mo viro ſuo genuit B. Virginem, poſt mortem Ioachim nupſiſſe ſecundo vi- ro, nomine Cleophæ, & ex illo ſuſce- piſſe aliam filiam, dictam Mariam Cleo- phæ, quæ coniugata Alphæo genuerit Iacobum dictum minorem & fratres eius. Deinde poſt mortem Cleophæ, Annam nupſiſſe tertio viro nomine Sa- lome, & ex illo genuiſſe aliam filiam dictam Mariam Salome, quæ coniuga- ta Zebedæo genuerit Iacobum dictum maiorem & Ioannem fratrem eius. Atque ita hi omnes fuerint fratres con- ſobrini Chriſti Domini, vt pote filij ſo- rorum B. Mariæ Virginis. Videntur au- tem illi Auctores id cogitaſſe, quia ſup- ponebant, B. Virginem fuiſſe filiam vnicam & heredem patris ſui Ioachim. Sed tamen putandum non eſt, Annam habuiſſe plures viros, & ex ijs alias filias ſuſcepiſſe. D. Hieronim. in lib. cont. Heluid., & in cap. 12. Matth., & in cap. 1. ad Galat., abſolute ait, qui- dam fuiſſe ſororem B. Virginis, vo- catam etiam Mariam, atque adeo ma- terteram Chriſti, & ita illos filios eius, fuiſſe fratres conſobrinos Chriſti, & hoc approbat D. Tho. eo art. 3. ad 5. Et videntur ſupponere, hanc fuiſſe fi- liam eiuſdem quoque patris. Aut præ- ſtabit dicere, hanc aliam Mariam non fuiſſe filiam eiuſdem ſanctæ Annæ, & Ioachim, & ſororem germanam B. Vir- ginis: ſed potius fuiſſe filiam alterius feminæ ſororis Annæ vel Ioachim, ſiue alterius viri fratris Annæ vel Ioachim, & ita fuiſſe ſolùm conſobrinam ſeu pa- truelem cum B. Virgine: ac proinde il- los qui dicti ſunt fratres Chriſti, fuiſſe ſolùm fratres in tertio gradu. Et hoc bene ſtare poteſt, ſiue omnes illi qui nominati ſunt Matth. 13. fuerint filij eiuſdem matris vocatę Marię, & eiuſ- dem patris vocati Alphęi, & Cleophę, vt eſt communior ſententia: ſiue fue- rint filij eiuſdem matris, partim ex vno viro nomine Alphęo, & partim ex altero nomine Cleopha: ſiue etiam fue- rint filij diuerſarum matrum, partim ſcilicet vnius Marię coniugis Alphęi, & partim alterius Marię coniugis Cleo- phæ, vt ex Egeſippo veteri Auctore refert & approbat Baronius tomo 1 in Apparatu Annalium §. Ex eo vero. Cum quo etiam ſtare poteſt, vt hic Alphæus ſiue Cleophas, fuerit frater ſancti Io- ſeph. Et ſi placeat [illegible] etiam, Iaco- bum

bum maiorem, & Ioannem, filios Zebedæi, fuiſſe quoque fratres Chriſti: eo quod mater eorum velut iure propinquitatis videtur ijs poſtulaſſe primas ſedes apud Chriſtum: & Chriſtus in cruce matrem ſuam Ioanni commendauit: dici inquam ſimiliter poterit, matrem eorum fuiſſe ſimili modo coniunctam B. Virgini: eamquè vocatam fuiſſe Salome proprio ſuo nomine, non enim in Euangelio dicitur vnquam Maria Salome, ſicut Maria Cleophę, ſed Salome dicitur ipſa mulier. Sed quocunque ex his modis res ſe habeat de his qui dicti ſunt fratres Chriſti, illud certiſſimum eſt, quòd neutiquam fuerunt filij naturales B. Marię, ſed omnino fatendum ſit B. Mariam ſemper deinceps poſt partum ſicut antea virginem permanſiſſe.

An & quando B. M. habuerit etiam votum virginitatis ſeruandæ.

Num autem B. Maria ſemper in animo per firmum propoſitum, ac etiam in voto per promiſſionem Deo factam virginitatem habuerit. Recuſant de voto concedere Recentiores Hęretici cum Eraſmo, vt refert Caniſius lib. 2. de B. Maria cap. 8. inducti nempe contemptu & odio huiuſmodi voti, quod nunc in Eccleſia Catholica tàm familiare & laudabile eſt. Inter Theologos verò noluerunt aliqui concedere, B. Mariam habuiſſe tale votum, aut etiam firmum & abſolutum propoſitũ, ante ſuam deſponſationem. Putantes nempe, quod non potuiſſet prudenter & licitè deſponſationi conſentire, ſi tale propoſitum & votum antea habuiſſet: ſed ad ſummum potuiſſe poſt contractum matrimonium, de conſenſu viri ſui tale propoſitum & votum habere. Putantes etiam, quòd in antiqua lege probroſum & vetitum eſſet tam mulieribus quam viris, ſeruare caſtitatem abſtinendo à coniugio: ideoque B. Mariam ante deſponſationem habuiſſe quidem deſiderium virginitatis, & propoſitum aut votum conditionatum ſeruandi virginitatem, ſi eſſet licita: non autem votum aut propoſitum abſolutum, quia ſimpliciter illicitum putabat: ſed non niſi poſt deſponſationem peculiari conceſſione & reuelatione diuina potuiſſe tale votum proferre. Ita docet S. Thomas hic quæſt. 28. art. 4. in corp. & ad argumenta, & in 4. d. 30. q. 2. art. 1 quæſtiuncula 1., quem ſequuntur Caiet. hoc loco, Capreol. & Sotus in 4. eadiſt. 30. q. 1. Idemquè docuerunt Albert. ead. d. art. 11. & Durand. q. 2., Nicolaus de Lyra ſuper Lucæ 1. & quidam alij.

Habuit ſine dubio hoc votum

Aſſerendum eſt, B. Mariam verè habuiſſe non ſolùm firmum propoſitum, ſed etiam votum ſeruãdi virginitatem, & habuiſſe ſemper, etiam ſcilicet ante deſponſationem. Ita magis communiter alij Theologi docent, Magiſter in 4. d. 30., Bonauent., Scotus, Riccard., Argentina, Supplementum Gabrielis, Maior, Almain, Paludan., & alij ead. diſt., Henric. Quodlib. 9. q. 11., Suarez hîc diſp. 6. ſect. 2., Vaſq. diſp. 124. cap. 4., Kolliſonus q. 28. art. 4. dub. 1., & alij hoc loco, Abulenſ. q. 32. in cap. 30. Numeri, Baronius in Apparatu ad Annales 6. *Sed antequam*, & frequenter ſacri expoſitores in cap. 1. Lucæ. Et primò quidem, quod B. Maria aliquando habuerit tale votum, facilè ſuadetur ex ipſa rei perfectione. Nã cùm reipſa virginitatem ſemper illibatam ſeruauerit, maioris perfectionis & ſanctitatis eſt, vt eam in voto habuerit. Et cùm aliquando cognouerit, placitam & acceptam eſſe Deo ſuam virginitatem, ſaltem ex tunc quando audiuit ab Angelo concipiendum eſſe ex ea filium virtute Spiritus ſancti abſque opera viri; cenſendum omnino eſt, perfectiſſimo modo obtuliſſe & conſecraſſe Deo virginitatem ſuam, ſcilicet per promiſſionem & votum.

Habebat iam ante annunciationem.

Secundò, quòd iam ante annunciationem angelicam habuerit tale votũ, conſentiunt omnes Theologi, etiam illi qui negabant habuiſſe ante deſponſationem. Et ſanè apertè colligitur ex illa reſponſione B. Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco.* Et ex his verbis idem docet & probat D. Auguſt. lib. de S. Virginit. cap. 4. & alij quoque Patres indicant. Non enim B. Maria dicere tantùm voluit, hactenus non cognoui virum: quia conceptio annunciabatur de futuro: *Ecce concipies*: ad quod ſatis erat cognoſcere in futurum. Nec etiam dicere tan-

... habeo animum & voluntatem cognoſcendi virum: quia ſic tum voluit, & libertate eius fuiſſet, in poteſtate mutare animum & voluntatem. Sed modus ille dicendi idem valet, & ſonat, ac non poſſum cognoſcere virum, non eſt mihi licitum & liberum cognoſcere virum, voto & promiſſione obligata ſum non cognoſcere virum. Vere ergo tunc hoc votum habebat.

Habuit etiam ante deſponſationem.

Tertio quod habuerit quoque ante deſponſationem, ſuadetur: quia ex vna parte non repugnabat deſponſatio & verum matrimonium cum tali animo & voto, vt iam vidimus ſect. 2. tractante de ipſa deſponſatione: & ex alia parte ad maiorem perfectionem & ſanctitatem B. Mariæ ſpectat, vt non tandiu diſtulerit tale votum. Sed vlterius illi Theologi qui volunt, B. Mariam non niſi ex ſpeciali conceſſione & reuelatione Dei nuncupaſſe hoc votũ, æque facile poſſunt hanc reuelationem & cõceſſionem admittere ante deſpõſationem. Et alioqui ſi deſponſatio repugnabat cum voto, pariter ſuo modo repugnabat cum propoſito virginitatis, & potius importabat animum & conſenſum dandi operam gignendis liberis per copulam maritale & mutua, obligationẽ coniugalem: at non decet cogitare, B. Mariam habuiſſe vnquam talem animum & conſenſum, aut caruiſſe vnquam firmo propoſito ſeruandi virginitatem, quandocunque de hac re cogitauerit: eo ergo modo quo cum hoc firmo propoſito componitur deſponſatio, componi poteſt & debet etiam cũ voto, ſicut nempe ſupra ſect. 2. iam diximus. Quo autem tempore ante deſponſationem B. Maria tale votum emiſerit, non habetur vnde definiri aut ſciri poſſit: niſi quod putandum eſt, quã primum hæc cogitatio & deliberatio ei obuenerit, ſtatim promptiſſime ſe per huiuſmodi propoſitum & votum Deo obtuliſſe & conſecraſſe.

Non indigebat ſpeciali conceſſione Dei ad habendum hoc votũ.

Quarto. Ad hoc vt B. Maria piè & laudabiliter haberet hoc propoſitum & votũ, non indigebat ſpeciali conceſſione & reuelatione diuina, quaſi ſcilicet fuiſſet in antiqua lege vetitus ſtatus continentiæ, & ideo neceſſaria fuiſſet veluti diſpenſatio. Etenim nullibi in illa lege extabat talis prohibitio, aut præceptum vacandi filiorum generationi. Non enim in illis verbis Geneſis 1. *Creſcite & multiplicamini*, continebatur tale præceptum ad omnes homines: ſed ſolum explicabatur fecunditas & poteſtas naturalis attributa humano generi, ſicut & alijs animalibus. Nec etiam continebatur tale præceptũ ad populum Iſrael, in illis verbis Exodi 23. *Non erit infecunda nec ſterilis in terra tua*, & Deuter. 7. *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*: ſed ſolum à Deo ipſo promittebatur fecunditas & abundantia prolis, pro ſuo beneficio in illo populo, vt etiam in animalibus: & ita eſt manifeſtum in textu. Nec etiam continebatur vniuerſale & abſolutum præceptum in alijs verbis Deuteron. 25. de ſuſcitando ſemine fratris ſui; ſed ad ſummum erat præceptum particulare pro illo caſu, & conditionatum, ſi vidua volebat iterum nubere, & ſi frater defuncti volebat vxorem ducere: Et fortaſſe, nec etiam hoc modo erat præceptum ſub obligatione, ſed ſolùm admonitio ſecundùm conuenientiam.

Et de reliquo inueniuntur etiam exempla in illa veteri lege, & in populo Iſrael, eorum qui ſeruarunt continentiam. Nempe de Helia & Heliſæo, de Daniele & tribus pueris in Babylone, de Ioanne Baptiſta & Ioanne Euãgeliſta, vt affirmant Hieronim. lib. 1. cont. Iouinian. & Damaſc. lib. 4. Fidei cap. 24. Idem de Melchiſedech, & Ieſu Naue, & Ieremia, affirmauit Ignatius Martyr in Epiſt. ad Philadel. Et de Maria ſorore Moyſis affirmauit Ambroſ. lib. 1. de Virginib. Et de filia Iephte, in hoc ſenſu fuiſſe immolatam Deo, id eſt per cuſtodiam virginitatis, explicauit Vatabus Iudicum 11. Imo de integra Eſſenorũ ſecta apud Hebræos, teſtatur Ioſephus lib. 18. Antiquitat. cap. 2 & lib. 2. de Bello Iudaico cap. 7., cælibem vitam ſine coniugio traducere ſolitos. Inueniuntur etiam loca in veteri teſtamento, quibus continentia & virginitas commendatur. Sapientiæ 3. *Felix eſt ſterilis & incoinquinata ...* & cap. 4. *o quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis ... enim memoria*

Digitized by Google

mictia illius, &c. & Iſaiæ 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus, &c.* Quæ loca de continentibus & virginibus plerique Patres & Expoſitores intelligunt. Incertum tamen eſt; num ante B. Mariã vllus fuerit qui per verum votum caſtitatis ſe adſtrinxerit Deoque conſecrauerit: quin potiùs illam in hoc fuiſſe primam, indicant Ambroſ. lib. de Inſtitut. virgin. cap. 5., Bernard. homil. 2. & 3. ſuper *Miſſus eſt*, Beda ſuper Lucæ 1., Rupert. lib. 3. in Cantica, & alij. Quod quidem ſi ita eſt, veriſimile redditur, B. Mariam non niſi ſpeciali reuelatione hoc votum initiaſſe: non quaſi indigeret diſpenſatione legis, ſed tanquam de re noua & tunc ſingulari.

Non indigebat licẽtia parentum.

Quinto tamen adnotarunt aliqui, B. Mariam eguiſſe licentia & confirmatione ſuorum parentum, ſiue Sacerdotum ſub quorum tutela viuebat, ad validitatem huiuſmodi voti. Et ita affirmat Baronius in Apparatu ad Annal. §. *Sed antequam*. Eo quòd num. 8. de voti & iurantentis puellæ iuſſum erat, *Si ſtatim vt audierit contradixerit pater, vota & iuramenta eius irrita erunt*. Sed tamen eſſe poterat, vt B. Maria occultum teneret ſuum votum, quamuis potuiſſet hoc irritari quando deueniſſet in parentum notitiam. Et ita dicitur in cap. *B. Maria* 27. qu. 2. *Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore*. Vel etiam eſſe potuit, vt ſi ex ſpeciali reuelatione & approbatione Dei votum edidit, ſatis ſuperquè erat hæc diuina confirmatio, vt votum per ſe valeret, nec poſſet ampliùs à parentibus irritari.

Hoc votũ fuit ab initio abſolutum.

Sextò, hoc votum B. Mariæ, dici debet ab initio ſimpliciter abſolutum, & non merè conditionatum. Etenim S. Thom. art. 4. ad 2. admittit, B. Mariã voiſſe antea virginitatem ſub cõditione ſi Deo placeret: & ita quoque loquuntur alij ex Auctoribus prioris ſententiæ. Sed etiam aliqui ex Auctoribus noſtræ concluſionis admittunt talem conditionem. At magnum diſcrimen eſt inter vtroſque. Nam prior dicendi modus ſupponebat, ſtatum virginitatis in antiqua lege fuiſſe per ſe vetitum; & ideo B. Mariam ante deſponſationem habuiſſe ſolum propoſitum & votũ ſub conditione ſi virginitas Deo placeret: quod idem fuiſſet ac dicere, ſi Deus mihi concedet hanc diſpenſationem ſeruandi virginitatem. Qui modus vouendi non fuiſſet ſati conueniens, ſtante illa ſuppoſitione: ſicut ſi quis voueret abſtinere ab omni cibo ſi Deus ei concederet talem diſpenſationem ab obligatione conſeruandi vitam. Alius vero dicendi modus ſupponit, nullatenus fuiſſe in illa lege vetitum ſtatum continentiæ, ſed potiùs pium & laudabilem: & ita B. Mariam abſolutè potuiſſe vouere virginitatem, ſicut nunc in Eccleſia conſuetum eſt tale votum. Sed adhuc aliqui admittebant in tali voto inuolui quandã conditionem, hoc tamen modo videlicet, niſi Deus nouo ac ſpeciali præcepto contrarium iuſſerit. Qui tamen conditionis modus ſẽper in omni voto implicitè includitur, ac etiam in voto caſtitatis quod de facto in Eccleſia nuncupatur. Vnde, quia hæc eſt conditio generalis, non denominat votum conditionatum, ſed remanet votum ſimpliciter abſolutum. Sic ergo votum B. Mariæ ab initio dici debet ſimpliciter abſolutum atque perfectum.

SECTIO DECIMATERTIA.

Vtrum B. Virgo Maria Sanctificata primùm fuerit in matris vtero, per propriam diſpoſitionem, ex redemptione Chriſti.

PRæter integritatem virginitatis, debebat quoq; B. Maria inſigni Sanctitate & gratia ex Dei prouidentia exornari, vt eſſet ita diſpoſita & præparata ad concipiẽdum in ſe Chriſtum Deum. Et ſic ab Angelo ſalutata fuit, *Gratia plena*. Vt ergo initium huius ſanctitatis incipiamus inquirere, vidẽdum in primis eſt, num ſanctificata fuerit adhuc in vtero matris, ita vt conſequenter nata ſit in ſtatu gratiæ & ſan-

ctitatis,

Digitized by Google

ctitatis, & non in ſtatu originalis peccati, in quo alij homines communiter enaſcuntur.

Verè B. Virgo ſanctificata fuit in vtero matris.

Et concors quidem omniũ Theologorum ſententia eſt, B. Mariam fuiſſe vere ſanctificatam per gratiã in ipſo matris vtero, antequam naſceretur in lucem. Ità ſtatuit D. Thomas hoc loco q. 27. art. 1., & cum eo alij Theologi. Itemque Scholaſtici in 3. d. 3., Alenſis 3. par. q. 9. memb. 2. art. 4., Henric. Quodlib. 13. q. 15., Corduba lib. 1 q. 44., Catherin. lib. 4. cont. Caietan; Caniſius lib. 1. de B. Maria cap. 4., & alij quicunque de hac re ſcripſerint, ſine vlla controuerſia aut difficultate hoc affirmantes. Et in vniuerſum omnes Catholici ſic indubitáter exiſtimãt. Vbi recentiores Doctores notant, rem eſſe iam ita certam, vt oppoſitum eſſet nimis temerarium & erroneum.

Fundatur in auctoritate Eccleſiæ.

Et fundatur, tum in auctoritate Eccleſiæ, tum in exemplis quibuſdam S. Scripturæ. Eccleſia quidem ſolemniter celebrat Natiuitatem B. Mariæ: eſtquè hæc celebritas valde antiqua, inuenitur enim excedere mille annos: & approbata eſt in Concil. vniuerſali Lugdunenſi, vt refertur in Iure cap. 1. de Conſecr. diſt. 3 Itaque Eccleſia planè ſupponit, natiuitatem B. Virginis fuiſſe prorſus ſanctam & puram, & abſq; labe originalis peccati: alioqui enim illa dies fuiſſet adhuc maledictione & execratione digna, ratione originalis peccati, ſicut Iob maledixit diei Natiuitatis ſuæ: ergo omnino B. Virgo ſanctificata fuit in vtero matris antequam naſceretur in lucem Et hoc fundamentum attingit S. Thomas in art. in argum. *Sed contra*. Et cum tanta affeueratione iam antea Bernard Epiſt. 174. dicens: *Ortum Virginis didici in Eccleſia & ab Eccleſia induvitanter haberi feſtiuum atque ſanctum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens, in vtero eam accepiſſe vt ſancta prodiret*. Et ſimiliter Ildephonſ. in lib. de Perpetua virginit. B. Mariæ, *Spiritusſancto eam replente ſine peccato originali fuit, cuius natiuitas glorioſa in omni Catholica Eccleſia Chriſti ab omnibus felix & beata prædicatur*.

In ex͞plis Scripturæ.

In Scriptura vero indicantur quædã exempla eorum qui ſanctificati fuerunt in vtero matris, nempe *Ioannis Baptiſtæ & Ieremiæ Prophetæ*: vnde ſine dubio credendum erit, hanc gratiam multo magis conceſſam fuiſſe B. Mariæ. Hoc etiam fundamentum attingit S. Thom. eod. art. in corpore. Et quidem de Ioanne, tam apertè id pronuntiauit Angelus Lucæ 1., vt nullum locum dubitandi reliquerit: *Spiritusſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*: vbi ſane repleri Spiritusſancto, non dicitur niſi per gratiam ſanctificantem. De Ieremia quoque ſatis clare dixit ad illum Deus cap 1. illius Prophetiæ, *Antequam exires de vulua ſanctificaui te*: vbi etiam ſanctificare dicitur, non pro ſola deputatione ad officium prædicandi, ſed propriè pro iuſtificatione per gratiam: & non ſolùm id dictum fuit ratione prædeſtinationis æternæ, ſed proprie ratione infuſionis temporalis, dum Ieremias adhuc in matris vtero claudebatur. Et ita quidem de vtroque affirmant Origen. homil. 1. in Ierem. & 4. in Lucam, Nazianz. Orat. 2., Athanaſ. ſerm. 4. cont. Arianos, Ambroſ. lib. 1. in Lucam circa verba allegata, & lib. 4. de Fide cap. 4., Cyrill. Hieroſolimitan. Catheches. 3., Benard. vbi ſupra. Et ſpecialiter de Ioanne affirmant etiam Cyprian. Epiſt. 37., Gregor. lib. 3. Moral. cap. 5., Chryſolog. ſerm. 88., Ildephonſ. vbi ſupra, & alij. & iterum de vtroque cõfirmat S. Thomas ead. q. 27. art. 6., rectè aduertens, non debere hoc priuilegium ad alios extendi de quibus expreſſum non eſt: & aliquam congruentiam affert, quare ijs duobus conceſſum ſit. Hoc autem ſatis eſt, vt omnino debeat B. Virgini concedi. Vnde, quamuis hæc aſſertio non ſit expreſſa in ſacra Scriptura de ipſa B. Virgine, tamen ex his Scripturæ exemplis, & ex celebritate Eccleſiæ, res ſit ita certa, vt Catherin. & Corduba abſolutè dicant eſſe de fide Sed ſatis erat dicere ad fidem accedere, de eaquè ſine temeritate & errore dubitari non poſſe, vt in concluſione notauimus.

An ſanctificata fuerit per propriã diſpoſitionem, per meram infuſ.

Hac veritate ſtatuta, dubitari adhuc poteſt de modo quo B. Virgo tunc ſanctificata fuerit. Duplex eſt enim ſanctificationis

infuſionem gratiæ habitualis in anima mere paſſiue ſe habente, ſicut per ſacramentum iuſtificantur infantes: alius per diſpoſitionem liberam eiuſdem animæ quæ iuſtificatur, per actus fidei ſpei & charitatis, elicitos actiue ab ipſa anima, ex gratia tamen Dei auxiliante & eleuante ad tales actus ordinis ſupernaturalis, ſicut iuſtificantur adulti. Ad primum ſanctificationis modum, nihil plus requirebatur, quàm infuſio gratiæ habitualis. Sed ad ſecundum modum oportebat, vt Deus tunc miraculoſe concederet vſum rationis & libertatis, cuius alioqui non ſunt naturaliter capaces infantes in vtero matris, oportebat vt Deus tunc reuelaret & notificaret ſupernaturalia myſteria, quorum notitia & fides requiritur ad hunc modum iuſtificationis.

S. Thomas ergo q. 27. art. 6. occaſione ſumpta ex Auguſt. Epiſt. 57. negaſſe videtur, Ioannem & Ieremiam habuiſſe vſum rationis in vtero matris, ſignificans fuiſſe ſolùm iuſtificatos, ſicut ſolent alij pueri per baptiſmum: non tamen loquutus eſt de B. Virgine. Sed art. 3. expreſsè etiam de illa dixerat, *Quòd non habuit vſum liberi arbitrij adhuc in ventre matris exiſtens, hoc enim eſt ſpeciale priuilegium, proprium Chriſti*.

Communis tamen Theologorum ſententia eſt, B. Mariam, ſicut & Ioannē ac etiam Ieremiam, habuiſſe in vtero matris vſum rationis, & ſupernaturalem notitiam in intellectu, & actus idoneos in voluntate, fuiſſeque ſic ſanctificatos ſecundo modo dicto. Et Caiet. exponit D. Tho. ſolùm dicere voluiſſe, quod etiam ſi Ioannes & Ieremias non habuiſſent vſum rationis, adhuc dici deberent ſanctificati in vtero matris ad inſtar aliorum infantium, ſed non per hoc illud abſolutè negaſſe. Fundamentum huius aſſertionis habetur ex Euangelio, Lucæ 1. vbi dictum eſt, *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius*: & rurſus *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Hinc enim patet, datā tunc à Deo fuiſſe Ioanni tanti myſterij notitiam, eumquè habuiſſe in voluntate gaudium, & inde exultaſſe. Conſequenter putandum eſt, habuiſſe diſpoſitionem & omnes actus requiſitos ad iuſtificationem, atque ſe hoc modo ſanctificatum: qui modus eſt longe perfectior, vt per ſe patet, & notauit ipſe S. Thomas q. 34. art. 3. Et ita quidem de Ioanne docent, & ſic verba Euangelij intelligunt Sancti Patres & ſacri expoſitores communiter, & ſupponit Eccleſia canens in Hymno, *Ventris abſtruſo recubans cubili, ſenſeras regem thalamo manentem*: quare faciunt rem ſatis certam. Vnde idem pariter de Ieremia cenſetur: cui etiam pro eodem tunc dictum fuit, *Et prophetam in gentibus dedi te*, quia ſcilicet ex tunc Deus ei contulit donum & ſpiritum Prophetiæ. Multò magis autem de B. Virgine inferendum eſt, iuxta regulam ſupra propoſitam, fuiſſe illi hoc donū vſus rationis, cum exercitio fidei & actibus voluntatis, & hunc modum ſanctificationis per liberam diſpoſitionem & proprios actus ex diuina gratia collatum. Et inde demum veriſimile fit, hunc vſum rationis cum facultate exercendi dictos actus, non fuiſſe ijs conceſſum ſolùm pro illo tunc quo peracta eſt prima ſanctificatio: ſed fuiſſe perſeueranter conceſſum pro toto tempore ſequenti, vt continuaretur deinceps, pro quando iuxta naturæ curſum aſſequi debebant rationis vſum. In illo autem primo ſanctificationis initio, putandum eſt, dictam diſpoſitionem eodem modo & ordine ſe habuiſſe ad ſanctificationem ſiue ad infuſionem gratiæ ſanctificantis, quo ſe habet in iuſtificatione aliorum hominum, de quo ſatis ſuo loco de iuſtificatione in generali tractauimus: nec enim eſt cur hic modus & ordo in ſanctificatione B. Virginis, ſiue etiam aliorum qui ſanctificati ſunt in matris vtero ad inſtar adultorum, immutetur.

Habuit tūc vſum rationis, et ſic ſe diſpoſuit ad ſanctificationem.

Rurſus ex parte moralis cauſæ extrinſecæ, poteſt vno modo contingere ſāctificatio ex mera & immediata liberalitate Dei, alio verò modo ex merito à ſatisfactione & redemptione Chriſti Domini: quo quidem ſecundo modo datur quæcunq; gratia hominibus poſt lapſum Adami. Certum ergo eſt apud omnes

Non niſi ex redemptione Chriſti ſanctificata fuit.

omnes Theologos, & cenſetur de fide, B. Virginem Mariam non niſi hoc ſecũdo modo ſanctificatam fuiſſe. Suadetur ex Scriptura, quæ vniuerſaliter & ſine exceptione prædicat Chriſtum redẽptorem omnium hominum, ita vt merito redemptionis eius, omnis gratia cunctis hominibus obueniat, gratia ſcilicet ſalutaris habens ordinem ad vitam æternam, quæ gratia propterea appellatur gratia Chriſti, gratia per Chriſtũ. Sic ad Roman. 5. dicebat Apoſtolus, *Per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Et 2. ad Cor. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Et 1. ad Thimoth. 2. *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et alibi paſſim ita loquitur. Sub qua vniuerſalitate ſine dubio comprehenditur etiam B. Virgo Maria. Nam & ipſa agnoſcere debet pro beneficio ſibi collato per Chriſtum filium ſuum, omnem ſuam ſanctificationem & gratiam: fateri debet ſe fuiſſe redemptam per ſanguinem Chriſti, & Chriſtum fuiſſe pro ipſa quoque paſſum & mortuum. Quod totum planè ſpectat ad officium & dignitatẽ Chriſti redemptoris. Et ſequitur ex ijs quæ antea diximus de merito & ſatisfactione Chriſti. Et conſtabit adhuc magis ex dicendis.

Quandonam ſanctificari potuerit.

Sequitur vt videamus, quandonam B. Virgo exiſtens in vtero matris ſanctificari potuerit, ac reipſa ſanctificata fuerit. Refert Durand. in 3. d. 3. q. 2. aliquorum ſententiam, qui dixerunt, debuiſſe Virginem pro aliquo temporis ſpatio relinqui in peccato: & rurſus ſi non fuit ſanctificata in primo conceptionis inſtanti, non potuiſſe iuſtificari immediatè poſt in tempore ſequenti. Quia nimirum ſanctificatio fit per formam permanẽtem, quæ proinde debet fieri & incipere in inſtanti per primum ſui eſſe: quare cùm non dentur duo inſtantia immediata, non poterat B. Virgo ſanctificari immediatè poſt primum inſtãs, ſed omnino relinqui debebat pro aliquo temporis ſpatio in ſtatu peccati.

Communis tamen aliorum ſententia eſt, benè potuiſſe ſanctificari, vel in primo inſtanti, vel immediatè poſt: & ita reuera ſi non fuit ſanctificata in primo inſtanti, ſaltem fuiſſe immediatè poſt. Et ita quidem facile defendi poteſt, data hypoteſi de inſtantibus cum partibus diuiſibilibus in tempore. Quia nempe benè poteſt Deus, formam permanentem & exiſtentem ac incipientem totam ſimul, producere immediatè poſt certum inſtans, in tempore ſcilicet immediatè ſequenti, ita vt faceret illam incipere per vltimum ſui nõ eſſe. Ita iam in communi oſtendimus q. 30. Philoſ. ſect. 2.

Aliter tamen Vaſq. hîc diſp. 116. cap. 6. rem defendit. Quia ſcilicet gratia ſanctificans, quamuis ſit forma permanens, tamen eſt in intenſione diuiſibilis, & ſic poſſet à Deo infundi ſucceſſiue per partes, ſicut v. g. de facto producitur calor in ſubiecto. Et hoc pacto ait, poſſe produci immediatè poſt inſtans, in tempore proximè ſequenti. Sed tamen hoc non eſt neceſſarium: quia potius poteſt Deus talem formam producere totam ſimul, in quacunque parte temporis, immediatè poſt inſtãs, ſicut ſi forma eſſet penitus indiuiſibilis. Et ſic poteſt creare Angelum, & animam rationalem, vt eo loco ſatis explicauimus.

At ſublata illa hypoteſi de inſtantibus indiuiſibilibus in tempore, & ſupponendo non dari niſi partes diuiſibiles temporis, vt in vniuerſum de quantitate probauimus ac defendimus q. 22 Philoſ. ſect. 4. & 5., ſic inquam planè ſequitur, quòd niſi B. Virgo ſanctificata fuit ſtatim ab initio, debuiſſet per aliquam partem temporis diuiſibilem manere in peccato abſque gratia ſanctificante. Sed hæc pars temporis potuiſſet eſſe minor & minor quantum Deo placuiſſet; quia nulla erat neceſſitas, vt eſſet tanta & non minor.

Sed præcipuè iam videndum eſt; num B. Virgo reuera ab initio ſanctificata fuerit, ita vt non ſit in peccato concepta: quæ quidem eſt celeberrima cõtrouerſia, de qua ſequentem ſectionem inſtituemus. Vtemurque iuxta communem loquendi morem eodem inſtantis nomine, vocando primum conceptionis

tionis inſtans: tum quia loquendum eſt ſub illa hypoteſi de inſtantibus: tum quia initium ipſum, quodcunq; illud ſit, ante quod nō extiterit res, intelligimus nos eodem nomine primi inſtantis.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum B. Virgo Maria ſanctificata fuerit in primo ſuæ conceptionis inſtanti, & ab originali peccato præſeruata.

Sententia negans.

PLerique Theologi docuerunt, B. Virginem ita fuiſſe in matris vtero ſanctificatam, vt ab initio quidem concepta fuerit in originali peccato, ſicut alij homines concipiuntur, & ſicut concepti fuerunt ipſimet Ioannes & Ieremias: ſed ſtatim poſt conceptionem & huiuſmodi originalē infectionē fuiſſe ſanctificatam, & à tali peccato purgatam. Atque hanc ad ſummum fuiſſe maiorem prærogatiuam B. Virginis præ dictis duobus ſanctis qui fuerunt quoque ſanctificati in vtero matris: quod B. Virgo non diū relicta ſit in illa originali labe: ſicut Ioannes in illa manſit per ſex menſes, vſque ſcilicet ad viſitationem B. Mariæ: ſed ſtatim poſt Conceptionem ſanctificata fuerit. Ita olim putarunt Alenſis 3. part. q. 9. membr. 2. art. 2., Albertus, Bonauent., Ricard., Durand. in 3. d. 3.; Gregor. in 2. d. 30. q. 2. art. 1. ſed precipuè D. Th. non ſolùm in 3 d. 3. q. 1. art. 1. quæſtiūc. 1, ſed hīc q. 27. art. 2. in corp. & ad argumenta: & cū eo Caietan. hoc eodem art & tomo 2. Opuſculor. tract. 1., Ferrar. 4. contr Gentes cap. 50., Capreol. & Palud. in 3. d. 3.; Egid. in 2. d. 29. & 35. & Quodlib. 6. q. 20., D. Antonin. 1. part. tit. 8. cap. 2. Cardinalis de Turrecremata & Bartholom. Spina in tract. de Concept. Virginis, Vincentius Vandelius in alio ſuo tractatu de eadem re, alijque Thomiſtæ. Ex Patribus etiam ſic aperte docuerunt, D. Bernard Epiſt. 174., & Rupert. Abbas lib. 1. in Cantica. Aliqui verò apud Durand. in d. 3. q. 2. dixerunt, B. Virginem in primo inſtanti conceptam fuiſſe in originali peccato, & ſimul accepiſſe à Deo gratiam ſanctificantem, Idquè ſignificauit Henric. Quodlib. 15. quæſt. 13.

Fundatur in Sacra Scriptura.

Primum & præcipuum fundamentū huius ſententiæ ſumptum eſt ex S. Scriptura, in qua vniuerſaliter & ſine exceptione originale peccatum tribui ſolet omnibus hominibus. Vt præſertim ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*: & rurſus *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*. Et ſimiliter 2. ad Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Cum quibus Scripturæ teſtimonijs adiunguntur definitiones Conciliorum & doctrina Patrum de eodem originali peccato, dum vniuerſaliter & abſque vlla exceptione omnibus hominibus attribuitur. Et alioqui ſi hæc exceptio de B. Virgine admittatur, poſſent induci quoque aliæ exceptiones de alijs ſanctis: vel ſaltem non erraret contra fidem, qui aliquē alium ſanctum exciperet, neque de fide conſtaret, omnes alios reuera contrahere originale peccatum.

Patribus.

Secundum fundamentum ſumitur ex auctoritate Patrum. Nam præter doctrinam generalem de peccato originali in omnibus hominibus, aliqui ità hāc vniuerſalem infectionē exprimunt, vt excipiant ſolum Chriſtum, qua proinde ſola exceptione vidētur prorſus includere B. Virginem: & ſic loquuti ſunt Leo primus ſerm. 1. de Natiuitat. Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. de Circunciſ. & lib. de Pænit cap. 2. Auguſt. lib. 2. cont. Iulian. cap. 3. & lib. 4. cont. duas epiſt. Pelagian. cap. 4., Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap 2., Gregor. lib. 11. Moral. cap. 26. & lib. 18. cap. 27. Rurſus aliqui ſpecialiter de ipſa B. Virgine dixerunt, fuiſſe purgatam vel mundatam vel redintegratam à peccato, quare ſupponebant fuiſſe priùs maculatam peccato. Et ſic loquuti ſunt Nazianzen. Orat. 38. & 42., Fulgent. ſerm. de Laudib. Virginis, Maximus in ſerm. de Aſſumpt., Remig. in Pſal. 21., Beda in homil. de Annunt., Riccardi de S. Victore lib. 2. de Emmanuele cap. 26. Inſuper aliqui expreſsè indicarunt,

ipſam

... fuiſſe ſubiectam peccato ... 6. in Pſal. 118 ... habuiſſe carnem peccati ... matre: Auguſt. conc. ... Chriſtum ... Mariam ex Adamo ... Pſal. 34. propter peccatum, & lib ... fuiſſe ... merit. & remiſſ. cap 24. ... peccatoris ... ſumpſiſſe carnem ex materna ... Chriſtum ... peccati: Anſelm. lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 16, proponens dubitationem quomodo Chriſtus fuerit ſine peccato, ſumens carnem ex matre concepta in peccato: reſpondet bene potuiſſet Chriſtum eſſe ſine peccato, non negans matrem conceptam in peccato: Euſeb. Emiſsen. ſerm 2 de Natali Domini, dixit genitricem Redemptoris non fuiſſe liberam ab originali nexu.

Et rationibus. Tertium fundamentum ſumitur ex rationibus. Quia B. Virgo fuit vere redempta à Chriſto, & egebat redemptione Chriſti: ſed non redimitur niſi ſeruus & captiuus: ergo B. Virgo ſ. erat ſaltem in conceptione captiua ſub peccato. Spectatque ad dignitatem Chriſti, vt nulla anima excipiatur à beneficio redemptionis eius: nec expedit ita augere dignitatem matris, vt minuatur dignitas Chriſti: ſed vt arguit S. Thomas eo art 2. ad 2. *Si nunquam anima B. Virginis fuiſſet contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt vniuerſalis omnium ſaluator.* Rurſus B. Virgo fuit genita naturali & conſueto modo cum libidine carnis: ſed hic modus conceptionis ſecum fert originale peccatum: ergo fuit concepta in peccato. Non fuit immunis à morte, alijſquè pœnalitatibus huius vitæ: ergo nec fuit immunis ab originali ob quam incurruntur hæ pœnæ: ſiquidem ipſa non debebat pati ob peccata aliorum, ſicut paſſus eſt Chriſtus. Et, ſi fuiſſet mortua ante Chriſtum, non potuiſſet adhuc ingredi regnum cœlorum: ergo excludebatur in pœnam originalis peccati: igitur in ſua conceptione contraxerat originale peccatum. Demum videtur id ſpecialiter neceſſarium in illa ſententia & doctrina D. Thomæ, quòd incarnatio fuerit à Deo prædeſtinata in remedium originalis peccati, atque adeo poſt præuiſum tale peccatum humano generi ... commune: nam ſic in eo ſigno quo Deus ... incarnationem, iam præuidet omnes homines in originali peccato, atque adeo inter illos etiam B. Virginem: vnde etiam in tempore aliquando B. Virgo fuit in hoc peccato.

Sent. communis & certa ... affirmans. Ex aduerſo multo plures Theologi, & ex aliquo ſuperiori tempore omnes fere ſcriptores, defendunt ac docent, B. Virginem Mariam nunquam fuiſſe infectam originali peccato, ſed in ipſomet primo ſuæ conceptionis inſtanti fuiſſe præuentam a Deo per gratiam, fuiſſe ex tunc ſanctificatam, atque ita ab originali macula præſeruatam. Ita ex Scholaſticis docuerunt, Scotus, Aureol., Argent., Linconienſ., Maior, Miyron., Liches, Baſſol., Orbellius, Ouandus, Arretinus, Gabriel, Carthuſian., Baconus, Almainus in 3. diſt 3., Marſil. in 2. q. 20. art. 3. & in 3. q. 4. art. 1. Item ex Theologis hoc loco Suarez diſp 3. ſect. 5., Vaſq. diſp. 117. Valent. q. 1. de Myſter. vitæ Chriſti puncto 2., Peſant. q. 27. art. 2., Becanus de Incarnat. cap. 28. quæſt. 1., Bonacina de Incarnat. diſp. 1. q. 2. puncto 1., Abram Appendice de B. Virgine cap. 1. Tannerus tomo 2. diſp. 4. q. 7. dub. 2., ac nouiſſime Cardinalis Oregius tract. de Incarnat. cap. 17. quæſito 1. concl. 2. Deinde ex Iuriſtis, Anton. in cap. vlt. de Ferijs, Nauarr. in ſummæ Prælud. 8 nu 9., Couarr. in cap. *Alma mater* part. 2 §. 5. nu. 2. Ex Sacræ Scripturæ expoſitoribus, Abulenſ. in Prologo Bibl. cap. 6. & in cap. 34. Exodi q. 8. & Paradoxo 1. cap 21., Iacobus de Valent. in Pſal. 13. & 47., Lippoman. in Catena ſuper Geneſ. 15. Riccard. Victor. ſuper illa verba cant. 4. *Tota pulchra es*, Ludouicus de Ponte lib. 7. in Cantica, Petrus Morales in cap. 1. Matth. lib. 3. tract. 1., Pintus in cap. 14 Ezechielis, Ghisler. in cap. 1. Cantic., Mandinus in cap. 1. Ieremiæ, & nouiſſimè noſter Laurentius Aponte in cap. 1. Sapient. digreſſ. 2. Ex alijs ſcriptoribus Gerſon in ſerm de Concept. Virgin. Alphab. 47. littera L. Cardinalis Cuſanus lib. 5. Exercitationum cap. *Ex ſermone cælum & terra tranſibunt*, Ludulphus Carthuſ. 1. part. de vita

Digitized by Google

de Vita Chriſti cap. 2., Viguer. in Inſtitut. cap. 18. §. 6., Clictou. in lib. 3. Damaſc. cap. 2., Corduba lib. 1. q. 44., Galatin. lib. 7. de Arcanis à cap. 5., Driedo lib. 3 de Regul. S. Script. tract. 2. cap. 4., Vega lib. 2. ſuper Concil. cap. 6., Caſtro lib. 1. de Iuſta Hæreticor. punit. cap. 8. & contra Hæreſes verbo *Peccatum* Hæreſi 9., Roſſenſ. diſp. 2. cont. Luther., Bellarm. lib. 4. de Amiſſione grat. cap. 15. & ſeq., Turnan. in Epiſt. ad Iacob Amiotum, Peltanus in diſceptat de Peccato originis, Ioann. Medina Cod. de Orat. q. 7. & de Pœnit. q. 6., Henriquez lib. 3. cap. 11. §. 3., Pighius lib. 18. de Lib. arbitr. cap. 1. art. 1. art. 2., Claudius Taurinenſis de Prouident. q. 1. art. 2. Nouatus de Eminent. Virg. tom. 1. cap. 3. q. 3. Demum qui ex profeſſo integros libros ſcripſerũt de hac re, Clictou. lib. de Purit. concept. B. Virg., Catherin. Opuſc. de Cõcept. Salazar in Defenſ pro immacul. cõcept., Granad. lib. de concept. Virgin. Lezana lib. apologet. pro immacul. concept., Caniſius lib. 1. de B. Virg. per plura capita. Ægidius tract. de cõcept., Soſa epiſt. de concept. ad Philipp. tertium, Sobrinus tract. de concept., Oieda Informat. pro concept., Loayſa tract. de Pura concept., Ioann. Pineda tract. de Immaculata concept., & alij.

Probatur ex Scriptura. His nos etiam ſubſcribimus, & hanc ſententiam vltro profitemur. Probari poteſt primò ex S. Scriptura, cuius plura loca & verba ſatis commode & probabiliter poſſunt in hoc ſenſu intelligi, & ſolent à ſacris Doctoribus pro huiuſmodi ſanctitate & puritate Virginis adduci. Geneſis 3. dixit Deus ſerpenti, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Vbi ſub nomine ſerpentis intelligitur Diabolus, & ſub nomine mulieris B. Virgo Maria, & per caput Diaboli peccatum originale quod eſt principium humanæ perditionis, & B. Maria contriuit hoc caput, euadens & non incurrens originale peccatum, quamuis Diabolus præſumeret illam etiam mordere & proſternere, ſicut alios homines. Canticor 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quæ verba optimè poſſunt ad B. Virginem referri, quę tota fuit pulchra, id eſt in omni puncto ſuæ vitæ, & nunquam deformis ac fœda per peccatum: fuit abſque omni macula, ſcilicet tam originali quam perſonali. Et paulo infra, *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus:* in quem ſcilicet nunquam ingreſſus fuit Diabolus per peccatum, nunquam ſuum venenum infudit. Et cap. 2. *Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias:* quæ ſcilicet ſemper fuit lilium, & ſurrexit vt lilium, florida & ſancta per gratiam. Et cap. 6. *Progreditur quaſi aurora conſurgens:* ſcilicet ſemper lucida, etiam in ipſo primo ſuæ vitæ exordio, nunquam tenebroſa per culpàm, per carentiam gratiæ. Sicut etiam dictum erat Iob. 3., *Expectet lucem & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* Quod ſic explicat S. Tho. ipſe hic q. 27. art. 2. ad 2., *De nocte originalis peccati dicitur, expectet lucem idest Christum, & nõ videat, quia nihil inquinatum incurrit in illam, nec ortum ſurgentis auroræ, ideſt B. Virginis, quæ in ſuo ortu à peccato originali fuit immunis.* Sed ſatis commodè intelligi poteſt, non ſolùm de ortu & natiuitate ex vtero matris, ſed de primo quoque ortu & conceptione in vtero matris. In alijs quoque pluribus locis cogitari poteſt huiuſmodi ſenſus, & ab allegatis Doctoribus obſeruatur; vt pote in ipſis Euangelij verbis, dum B. Virgo fuit ab Angelo ſalutata, *Gratia plena; benedicta inter mulieres.* & dum ipſa de ſe dixit, *Fecit in me magna qui potens eſt.* Nam ad totalem gratiæ plenitudinem, & perfectam vndequaque benedictionem, & ad magnos effectus diuinæ potentiæ ſpectat, vt nũquam fuerit vacua gratia, nunquam maledicta, ſed ſingulariter ab originali macula præſeruata. Inducuntur etiam plurimæ figuræ ex veteri teſtamento, quæ B. Virginam præſiguarunt, & optimè poſſunt ad hoc myſterium accomodari. Nam figuræ B. Virginis fuerunt, terra ex qua formatus fuit Adamus, quæ in principio non fuit maledicta, Heua quæ ab initio creata fuit innocens abſque peccato in ſtatu gratiæ, Paradiſus terreſtris in quo nulla planta noxia ab initio fuit, & aliæ huiuſmodi.

Proba-

Secundò auctoritate Patrum probatur. Et quidem etiam ex ipſis Rabybinis ante aduentum Chriſti, refert Galatin. quòd dixerint, Meſſiæ matrem futuram fuiſſe immunem ab omni macula peccati. Ac etiam ex ipſis Apoſtolis aliqui referuntur. De Andrea memoriæ prodiderunt Presbiteri Achaia in eius vita, & nominatim Abdias lib. 4. Hiſtor. ſic dixiſſe, *Sicut ex terra immaculata primus homo factus fuerat, ita naſci debuit Chriſtus ex Virgine immaculata.* De Iacobo in ſua liturgia aſſeritur, quòd B. Virginem vocauit ſemper immaculatam. Et Ioannes Patriarcha Hieroſolimitan., qui floruit circa annum Domini 400, lib. de Inſtit. Monachor. Carmelitar. cap. 31. teſtatur, iam olim Eliam Prophetam manifeſtaſſe diſcipulis ſuis, quod illa nebecula, quam viderat aſcẽdentẽ de mari, ſignificabat infantulam quandam mundam ab omni peccato, ex qua Deus ſumpturus erat naturam humanam. Sophronius etiam Patriarcha Hieroſolimitan. in epiſt. ad Sergium Conſtantinopolitan., quæ habetur in 6. Synodo act. 11. dixit, B. Virginem fuiſſe ab omni contagione liberatam, ideſt cuſtoditam & præſeruatam: vel vt alij codices legũt, fuiſſe liberam, ideſt immunem & exẽptam. Athanaſ. in ſermone de Sancta Deipara dixit, B. Virginem fuiſſe ſemper & omni tempore plenam gratia. Baſil. concione in S. Chriſti natiuitatem dixit, nihil fuiſſe cum puritate B Mariæ comparãdum. Nazianzen. in epiſt. ad Nemeſium dixit, B. Virginem fuiſſe templum ſanctum extructum, ideſt in ipſa ſua extructione ſanctum. Cyprian. tract. de Chriſti operib. cardinal. ſerm. de Chriſti natiuit. ait, B. Virginem communicaſſe cum alijs natura, non culpa. Hieronim. in Pſal. 77. circa illa verba *Deduxit eos in nube diei*, dixit, rectè B. Virginem vocatam eſſe nubem diei, quia nunquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce. Ambroſ. ſerm. 22. in Pſal. 118. dixit, Virginem per gratiã fuiſſe integram ab omni labe peccati. Auguſtin. lib. de Natur. & grat. cap. 36 dixit, B. Virginem Mariam fuiſſe ſine peccato, de eaque cùm de peccatis agitur non eſſe habendam quæſtionem, & loquebatur de omni peccato includendo etiam originale. Damaſc. Orat. 1. de Natiuitat. B. Mariæ dixit, in illius conceptione naturam non præueniſſe gratiam, fuiſſeque illam conſeruatam immaculatam in Dei ſponſam: & Orat. 2. de Aſſumpt., in illum terreſtrẽ paradiſum non patuiſſe aditum ſerpenti, eiuſque animam ſeruatam fuiſſe puram à labe peccati, fuiſſe ſemper Sanctam. Ildephonſ. in lib. de Perpetua virginit. B. Mariæ dixit, illius ortũ fuiſſe ab originali peccato immunem, & videtur loquutus non tãtum de natiuitate ex vtero, ſed etiam de conceptione quæ dicitur natiuitas in vtero. S. Bruno Carthuſienſis ordinis fundator, ſuper Pſal. 101. dixit, B. Virginem fuiſſe terram à Domino benedictam, atque adeo ab omni peccati maledictione liberã. Petrus Damian. ſerm. 3. de Natiuit. B. Mariæ & ſerm. de Aſſumpt. dixit, carnem Virginis propagatam quidem fuiſſe ex Adamo, ſed non admiſiſſe maculas Adami. Idiota in lib. Contemplat. de B. Virgine dixit, illam fuiſſe purã ab omni labe peccati, loquens non ſolùm de peccato actuali, ſed etiam originali. Sedulius lib. 2. Operis paſchalis dixit, B. Virginem fuiſſe veluti roſam ſurgentem abſque vlla læſione. Et B. Laurent. Iuſtinian. lib. de Caſto connubio Verbi & animæ cap. 7. & lib. de Gradib. perfect. cap. 1. dixit, B. Mariam fuiſſe exceptã à lege peccati, ab originali delicto. Ac Bernard. ipſe ſerm. 2. de Natiuit. Domini, & ſerm. de B. Maria, & in ſermonib. ſuper Salue Regina, apertè idem ſenſit & docuit. Et alij plures ex Patribus pro hac parte referuntur.

Probatur præcipuè tertiò auctoritate Eccleſiæ in celebrando feſto Conceptionis. Iam enim hoc feſtum in tota Eccleſia celebratur. Et Sixtus quartus Pontifex Maximus in Extrauag. *Cum præexcelſa* de Reliquijs & venerat. Sanctorum, inuitauit & indulgentiarum largitione illexit fideles ad hanc ſolemnitatem celebrandam. Creditur etiam in Eccleſia græca incepiſſe ante mille annos, vt refert Galatin., & inuenitur ſignata in Kalendario græco ſub die nona Decembris. In Eccleſia verò La- *Ex auctoritate Eccleſiæ.*

tina

tina conſtat incepiſſe, ſaltem ante ſexcentos annos, conſtat inquam ex eadem Epiſtola D. Bernardi ad Canonicos Lugdunenſ., quæ eſt in ordine 174. Vbi quamuis Bernardus illos Canonicos de hac introductione reprehẽdat: id fecit, quia cupiebat expectari iuſſioné Eccleſiæ vniuerſalis & Sedis Apoſtolicæ, cui hanc rem vltro reſeruabat: quare ſi vidiſſet poſtea hanc celebritatem vbique receptam, & à ſummo Pontiſice approbatam, ſine dubio pro Conceptione ſenſiſſet & ſcripſiſſet. Hinc autem inferri debet, vere B. Virginem fuiſſe ab ipſo primo inſtanti conceptam in ſtatu gratiæ, & non in originali peccato. Quia non ſufficit quod dicunt D. Antonin. Capreol. & alij, celebrari ſolum conceptionem Virginis ob memoriã noſtræ redemptionis, quæ veluti tunc inchoabatur. Neque quod dicunt D. Thom. hic q. 27. art. 2. ad 3. & Caiet. in Opuſc. de concept. & alij, celebrari conceptionem Virginis ſolùm ob ſanctificationem eius in vtero matris; eo quod neſcitur quando præciſè contigerit, & eo magis ſi cõtigit ſtatim poſt ipſum punctum conceptionis. Neutrum inquam ſufficit: tum quia non conueniebat celebrare niſi quod ſanctum eſt, ſicut antea de natiuitate Virginis dicebatur: tum quia vere celebratur ipſa conceptio, & ita ſub nomine conceptionis feſtum agitur, atque adeo non ſola ſanctificatio Virginis, aut memoria noſtræ redemptionis: tum quia ſpecialiter hoc titulo tolerata prius fuit, & poſtea approbata in Eccleſia, hæc celebritas, quod ipſa Virginis conceptio fuerit ſancta & immaculata; ſic enim eam vocauit ipſe Sixtus Pontifex; & hæc erat Fidelium perſuaſio, vt idem Bernard. in ea Epiſtola conteſtatur. Accedit ad hanc Eccleſiæ auctoritatẽ: quod conſtitutus fuit, & ab Apoſtolica Sede approbatus, quidam Religioſus ordo ſub titulo Immaculatæ conceptionis, qui confirmatus fuit & priuilegijs decoratus à ſummis Pontificibus, Alexandro ſexto, Iulio ſecundo, & Leone Decimo: in cuius Ordinis profeſſione & regula & confirmatione, ſemper nominatur Immaculata conceptio. Facit etiam, quod nuper Paulus quintus Pontifex Maximus iuſſit, *Vt nulli audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcunque actibus publicis, aſſerere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali*. Et iterum Gregorius decimusquintus Pontifex Maximus Conſt. 29. non ſolum hoc decretum confirmauit, ſed ampliauit, & mandauit, *Vt neque etiam in ſermonibus & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere ſeu tractare*. Mandauit etiam omnibus & ſingulis, *Vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ac diuino officio celebrandis, tàm publicè quàm priuatim, non alio quàm conceptionis nomine vti debeant*.

Ex quibuſdam reuelationibus & miraculis.

Probatur quarto quibuſdam priuatis reuelationibus, ac etiam quibuſdam miraculis, quæ in confirmationem huius rei afferuntur. Et quidem præter reuelationem cuius mẽtionem facit D. ipſe Bernard. eadem epiſt. 174. & D. Bonauent. in 3. d. 3. part. 1. art. 1. q. 1. ad 3, cui reuelationi tanquam apochryphæ hi Sancti non multum deferebant: habentur aliæ expreſſæ reuelationes factæ D. Brigittæ, quæ narrãtur lib. 1. Reuelationum eius cap. 9. & lib. 6. cap. 49. & 55. & in ſermone angelico cap. 20. Fuerunt autem reuelationes huius ſanctæ, examinatæ & approbatæ tanquam piæ & receptibiles, in Concil. Baſilienſi à Gregorio vndecimo, & ab Vrbano ſexto, & in Bullis canonizationis à Bonifacio nono & Martino quinto, vt refert Turrecremata in Prologo earumdem reuelationum. Ac nunc in officio huius Sanctæ pro tota Eccleſia inſtituto commendantur. Quare non rectè Antonin. & Caiet. has reuelationes ſpreuerunt. Et quamuis dicant, alias oppoſitas reuelationes de conceptione B. Virginis factas fuiſſe D. Catherinæ Senenſi: hoc potius conſictum creditur, quia nec vſquam tales reuelationes apparent, nec ab illis qui vitam huius Sãctæ ſcripſerunt cõmemoratæ fuerant. Narrantur itẽ varia miracula & ſupernaturalia ſigna, quibus feſtum cõceptionis diuinitùs commendatum & approbatum fuerit, velut in teſtimonium huius priuilegij ſin-

gularis

de præſeruatione B. Virginis ab originali peccato. Tria diuina miracula commemorauit D. Anſel. Archiep. Cantuarienſ. in Epiſt. ad Epiſcopos Angliæ, circa annum Domini 1080.

Probatur quinto & ſuadetur etiam rationibus. Et quidem à priori ex ipſa poſſibilitate & conuenientia huius rei. Nam poſſibile & facillimum Deo erat, creare animam B. Virginis in ſtatu gratiæ, & ſic eam ab originali macula præſeruare: poſſibile inquam hoc erat, abſque vllo præiudicio vel detrimento aliorum myſteriorum fidei, de lapſu humani generis in Adamo, & de vniuerſali redemptione Chriſti; vt magis conſtabit in fundamentis oppoſitis diluendis. Qua poſſibilitate ſuppoſita, conuenientiſſimum plane erat ita fieri; vt nempe illa quæ electa erat mater Verbi, ſponſa Spiritus ſancti, regina cæli & terræ, domina Angelorum & hominum, nunquam fuiſſet maculata peccato, inimica & inuiſa Deo, excluſa à cæleſti gloria, filia iræ, ſerua & ſubdita Dæmoni.

Ratione à priori.

Sexto à poſteriori ex effectib⁹ peccati originalis, quorũ B. Virgo fuit immunis. Nẽpe huiuſmodi effectus ſunt, deordinatio ſẽſualitatis ſiue fomes peccati in hac vita: corruptio & reſolutio corporis poſt mortẽ, *Puluis es & in puluerem reuerteris*: dolor partus in mulieribus, *In dolore paries filios.* At B. Virgo caruit peccati fomite in vita, aſſumpta fuit glorioſa etiam in corpore ſtatim poſt mortem, peperit filium abſque dolore, vt nunc pro certo ſupponimus. Ergo ſignum eſt, fuiſſe antea prorſus expertẽ originalis culpæ, & ideo non ſubijſſe huiuſmodi defectus & effectus. Eoque magis, quod longè maius malum erat ipſa originalis culpa, & plus dedecebat ac deturpabat, quam omnes hi alij defectus pœnales: ſi ergo B. Virgo ab ijs cuſtodita & exempta fuit, dici etiam debet fuiſſe antea ab originali labe præſeruata.

Ratione à poſteriori.

Septimò à pari B. Virgo expers omnino fuit qualiſcunq; peccati actualis, non ſolùm mortalis, ſed etiam venialis, vt pro certo ſtatuit S. Thomas ipſe art. 4. eiuſdem quæſtionis 27. dicens, *Quod non fuiſſet idonea mater Dei ſi peccaſſet aliquando*: quia ignominia matris redũdaſſet ad filium & quia nulla eſt conuentio Chriſti ad Belial, & quia Diuina ſapientia non debebat intrare in maleuolam animam, nec habitare in corpore ſubdito peccatis: pariter ergo B. Virgo debuerat ſemper conſeruari immunis ab originali peccato, quod quidem longe excedebat omnia & quæcunque venialia. Fuit item B. Virgo immunis ab omni violatione corporis, vt pote ſemper virgo: ergo ſic etiam debebat eſſe immunis ab omni violatione animæ, & ſpecialiter à peccato originali, quæ eſt prima violatio, ac veluti auferens ſpiritualem virginitatem animæ. Fuit immunis ab omni immunditia corporali in partu Chriſti, & à conſuetis ſordibus puerperij: quare debuerat etiam eſſe immunis ab immunditia & ſordibus originalis culpæ. Rurſus Ioannes Baptiſta, eo quod electus erat præcurſor Chriſti, ſanctificatus fuit in vtero matris, vt naſceretur ſine peccato: ergo multo plus concedi debuit B. Virgini quæ electa erat mater Chriſti, nempe vt conciperetur ſine peccato, & ab initio crearetur ſancta. Ac de facto non ſolum Angeli, ſed etiam Heua cum Adamo creati fuerunt in gratia; ergo ſic etiam poterat ac debebat B. Virgo Maria.

Ratione à pari.

Octauo deinde cogitari non poteſt, B. Virginem fuiſſe ſimul conceptam in gratia & in peccato. Nam vel gratia formaliter & intrinſece per ſe ipſam, abſque alia diſtincta acceptatione Dei extrinſeca delet peccati maculam, vt nos putauimus, & ſuo loco de gratia oſtendimus: & ſic repugnat prorſus eſſe ſimul gratiam & peccatum. Vel ſi ad delendum peccatum, præter habitum gratiæ intrinſecè inhærentem animæ, dicatur requiri alia diſtincta acceptatio vel condonatio Dei extrinſeca: hæc quidem de facto nunquam deeſt quando infunditur gratia: & ſpecialiter de B. Virgine argumenta adducta probant, illam, in primo ſuæ conceptionis inſtanti fuiſſe vere ſanctificatã, qualiſcunque tandem ſit forma & conditio ſanctificans; probant fuiſſe ab ipſo originali peccato, præſeruatam & exem-

Dum B. Virgo fuit ſanctificata, fuit à peccato præſeruata.

exemptam. Itaque inutiliter promiſſa & inepte diceretur illi collata gratia, niſi diceretur fuiſſe vere ſanctificata & à peccato cuſtodita.

Res nō eſt certa, ſed poteſt ab Eccleſia certo defi- niri.

Nono demum. Hæc omnia faciunt quidem concluſionem hanc probabiliſſimā, & valde piam, ac dignam vt ab omnibus ſuſcipiatur: non tamen faciūt rem certam de fide, nec vllam cenſuram ingerunt oppoſitæ ſententiæ: Quod quidem conſulto admonemus: non ſolum quia hactenus hæc res ab Eccleſia & Sede Apoſtolica definita non eſt. Sed quia expreſſe potius Sixtus quartus in Extrauag. *Graue nimis* de Reliquijs & veneratione Sanctorū, declarauit, neutram partem eſſe vlla cenſura dignam, & excommunicauit qui ſecùs dicerent: & rurſus Pius quintus Conſt. ſua 45. quæ incipit *Super ſpeculā*, idem confirmauit: & Concil. quoq; Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali in fine innouauit. Atque etiā Paulus quintus & Gregorius decimusquintus in illis ſuis decretis expreſſe declararunt, *Se non intendere reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium facere, eam relinquendo in eiſdem ſtatu & terminis in quibus de præſenti reperiebatur, præterquàm quoad ibi diſpoſita*: ſed ad euitanda ſcandala iurgia & diſſenſiones, quæ in populo Chriſtiano oriebantur occaſione illius opinionis, iuſſerunt vt ab illius aſſertione abſtineretur. Poſſet tamen quandocunque Sedi Apoſtolicæ Deo inſpirāte placeret, deueniri ad definitionem huius articuli: & tunc non poſſet vtique aliud definiri, quàm ſimplex & ſincera veritas, nunc Deo ipſi & B. Virgini bene nota.

Soluitur fundamentum oppoſitum ex ſcriptura.

Iam verò ad primum fundamentum oppoſitum ex Scriptura depromptum, additis quoque definitionibus Conciliorum & Patrum, de vniuerſalitate originalis peccati, dicendum eſt, huiuſmodi vniuerſalem loquendi modum pati & admittere hanc exceptionem de B. Virgine. Quæ quidem ſingularis exceptio, prudenter & rationabiliter inducitur ob alia ſcripturæ loca, & alia fundamenta, quæ pro hac re adducta ſunt. Et ita permiſſa eſt ab Eccleſia. Vnde Sixtus quartus grauiter & ſub excommunicatione interdixit, *ne quis alterutram partem huius Controuerſiæ erroris damnaret*: quod *ipſum alij* quoque Pontifices confirmarunt. Et expreſſe Concilium Tridentinum *in ſuo decreto de originali peccato, poſt traditam* vniuerſalem definitionem ſubdit, *Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto vbi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem*. Quare hoc ipſo videtur etiam declaraſſe, vel ſaltem permiſiſſe declarari poſſe alias Conciliorum definitiones, & loca quoque ſcripturæ, vt B. Virginem non comprehendant. Neque vero per hoc cuipiam licebit vllam aliam exceptionem inuehere: quia nec ſuppetit fundamētum ad alium vllum Sanctum excipiendum: & dum Eccleſia ſolùm de B. Virgine id permittit: & præſertim Concil. Trident. expreſſit ſingulariter non eſſe ſuæ intentionis comprehendere B. Virginem, eo ipſo determinauit omnes alios abſque vlla alia exceptione comprehendi. Caietan. tamen 1. 2. q. 81. art. 3. aliter explicauit, quòd vniuerſalis ſcripturæ loquutio faciat ſolum de fide certum, omnes naturali propagatione ex Adamo deſcendentes, eſſe quidem obnoxios & debitores incurrēdi originale peccatum, non autem re ipſa incurrere. Sed præſtat potiùs dicere, quod faciat etiam de fide certū, omnes re ipſa incurrere, admittendo tamen hanc ſolam exceptionem de B. Virgine, vt iam nos eodem loco ſect. noſtra 4. notauimus.

Aliud ex Patribus.

Ad ſecundum fundamentum ex Patrum auctoritate deductum, facile cōſtare poteſt, illos nihil aduerſus hanc concluſionem re ipſa docuiſſe. Nam non ſolùm dum generaliter de omnibus loquuti ſunt, non per hoc excludebant hanc exceptionem de B. Virgine. Sed etiam dum ſolum Chriſtum excipere viſi ſunt, voluerunt ſolum Chriſtum eſſe immunem à peccato, eſſe ſanctum, per naturam ſuam, cùm eſſet verus Deus: ſolum Chriſtum fuiſſe exemptum & liberum à lege ipſa ac debito originalis peccati, per modum ipſum ſuæ conceptionis, nempe virtute Spi-

ſancti abſque opera viri; ſi- non niſi ijs qui naturali propa- gatione ab Adamo deſcenderent, ſub- iacere ex lege originalis peccati: ſolum Christum viciſſe ac deſtruxiſſe redimendo ſcilicet humanū genus de captiuitate peccati. B. Vir- go autem, non per naturam ſed per gratiam, non ex lege ſed ex priuilegio, non tanquam redimens ſed tanquam redempta excipitur a contractione originalis peccati. Et facilè hic ſenſus apparet in ipſis verbis & diſcurſu illo- rū Patrum. Quinimo aliqui loquuntur etiam de natiuitate abſque peccato, & de immunitate ab actualibus quoque peccatis: quando iam ſatis conſtabat, B. Virginem fuiſſe ſaltem natam abſque peccato, & fuiſſe ſemper expertem omnis actualis peccati: igitur ſolùm in dicto ſenſu ſingularem illam exceptio- nem Chriſti faciebant. Dum vero di- xerunt, B. Virginem fuiſſe purgatam, mundatam, redintegratam, intellexe- runt potiùs fuiſſe puram & mundam & integram conſeruatam: nam docere volebant, non fuiſſe ſordidam & im- mundam & vitiatam. Et poterat etiā hic loquendi modus referri ad pecca- tum cui B. Virgo erat quidem obnoxia ex communi lege: ſed quia diuina præ- uentione cuſtodita fuit ne communi la- be inquinaretur, dicta eſt purgata & redintegrata, ſicut & propriiſſime dici- tur redempta; ſcilicet non à ſorde vel captiuitate quam reipſa & de facto in- curriſſet, ſed quam communi lege de- bebat incurrere, & quam humanum genus communiter incurrebat. Qui- nimò illi Patres ſic loquebantur abſo- lutè de omni labe peccati, & de inor- dinatione etiam concupiſcentiæ: certè autem B. Virgo nullo actuali peccato vnquam inquinata fuit, nec vllo inor- dinato motu concupiſcentiæ pertur- bata, ſed per anticipatam præſerua- tionem dicta eſt mundata & reparata; id eſt cuſtodita, ſiue educta ab illo cō- muni periculo & ruinæ, cui humana progenies ſubdebatur. Quando demū ſpecialiter de B. Virgine dixiſſe viden- tur fuiſſe ſubiectam peccato, ſolùm di- cere voluerunt, naturam eius quan- tum erat de ſe, & inquantum de- ſcendebat ex Adamo, fuiſſe obnoxiam peccato, fuiſſe obnoxiam morti pro- pter peccatum Adami, & de humano- rum carne matris ortum fuiſſe Chriſtum: qui tamen per ſe & per modum ipſum ſuæ originis non erat obnoxius pecca- to, & nec reuera fuiſſet obnoxius etiā in caſu quo ex matre peccatrice ortus fuiſſet: ſed vere ipſa genitrix Redem- ptoris, non fuit per ſe & per ſuam origi- nem libera ab originali nexu, ſed be- nè potuit eſſe libera per gratiam eiuſdē Redemptoris.

Ad tertium denique fundamentum ex rationibus fabricatum, ſic per ſin- gulas ſatisfiet. Vere B. Virgo indige- bat redemptione Chriſti, & fuit re- dempta per Chriſtum, non quia reipſa & actualiter fuiſſet ſub captiuitate Dæ- monis per peccatum, ſed quia erat ob- noxia peccato, debebat ex communi lege incurrere peccatum, per merita autem Chriſti accepit ab initio gratiam ſanctificationis, & ſic fuit præſeruata a peccato. Qui fuit perfectior ac di- gnior redemptionis modus, qualis ſa- ne decebat illam quæ electa erat ma- ter ipſius Chriſti. Quare hæc præſer- uatio B. Virginis, non ſolùm nihil de- rogat dignitati redemptoris quæ con- uenit Chriſto, ſed potiùs extollit ſin- gulari & excellentiſſimo modo hoc be- neficium redemptionis collatum B. Vir- gini. Verè etiam B. Virgo genita fuit illo naturali & conſueto modo qui ſe- cum ferebat originale peccatum, fere- bat inquam non ex natura ipſius con- cubitus, ſed ex communi lege Dei, in qua proinde potuit facillimè Deus ſin- gulari priuilegio diſpenſare, vt B. Virgo quāuis tali modo conciperetur, non ta- men traheret commune peccatum. Non fuit autem B. Virgo exempta à morte alijſquè laboribus & ærumnis hu- ius vitæ, quia licèt non deberet hæc pati ratione peccati, tamen conueniēs erat ve in hoc conformaretur Chriſto. Vaſq. tamen diſp. 115. cap. 3. & diſp. 119. cap. 10. contendit, mortem in B. Virginem habuiſſe etiam rationem pœ- næ propter peccatum, quatenus ipſa participauit ſaltem debitum incurren- di peccatum, & continebatur in Ada- mo tanquam in capite quādo Adamus pec-

Vltimum ex rationibus.

peccauit. Verùm non ſatis videtur ſolùm debitum incurrendi peccatum, & illa continentia in Adamo, vt communicetur pœna peccati ſub ratione pœnæ: quia propria pœna non videtur communicari, niſi communicatur culpa: nec B. Virgo dici debebit fuiſſe rea pœnæ, dum in ſe non contraxit culpã. Fuit autem B. Virgo prorſus immunis aliorum defectuum qui in nobis ſunt effectus originalis peccati, vt iam adduximus. Si autem mortua fuiſſet ante Chriſtum, congruentius eſt dicere, quod non niſi poſtea per ipſum Chriſtum introducta fuiſſet in Regnum Cælorum, quia licet non excluderetur per peccati reatum, tamen detineretur in honorem Chriſti, à quo vere redempta fuit ſaltem ex debito communis reatus. Demum, vt hæc præſeruatio B. Virginis conſtet cum doctrina D. Thomæ de ordine incarnationis, imo cum communi omnium ſententia de ordine redemptionis, dici debebit, Deum præordinaſſe hominis redemptionem, ac ipſam Verbi incarnationem, ſtatim poſt præuiſum lapſum Adami, in quo pro eo ligno vere obligati erant omnes poſteri per naturalem propagationem naſcituri, atque adeo adſtricti erant debito incurrendi in ſe ipſis originale peccatum, & vt dici ſolet peccauerant in Adamo. Nec oportet, vt Deus ante decretum redemptionis & incarnationis præuidiſſet omnes & ſingulos homines cum originali peccato realiter contracto: ſed ſatis eſt, quod præuidiſſet cum debito incurrendi. Et ita determinans carnem ſumere ex tali muliere de ſtirpe Adami, optimè iuxta hunc ordinem potuit ex merito redemptionis Chriſti decernere præſeruare talem mulierem à communi peccato quod debuiſſet contrahere, infundendo illi gratiam ſanctificantem in primo eius conceptionis inſtanti. Verùm quia aliqui Theologi eximere vlterius voluerunt B. Virginem etiam à debito incurrendi originale peccatum, de hoc iam ſequitur inquirendum.

SECTIO DECIMA QVINTA.

Vtrum B. Virgo ſanctificata aliquo modo fuerit etiam ante ſuam conceptionem.

ID quod quæritur à S. Thoma hîc q. 27. art. 2., eſt, num B. Virgo ſanctificata fuerit ante animationem: & ſimiliter quæſiuit in 3. d. 3. q. 1. art. 1., num ſanctificata fuiſſet ante completam eius conceptionem. Idem quæſiuit Alenſis 3. par. q. 9., & ſic alij ex Scholaſticis. Quia olim talis inſurgebat dicendi modus, quod B. Virgo ante ſuam conceptionem ſanctificata quodammodo fuiſſet, nempe veluti radicaliter, ſcilicet in ipſis ſuis parentibus, vel in ipſo ſemine ex quo formabatur eius corpus ante infuſionem animæ, qua propriè & formaliter perficitur conceptio. Et ita quidem affirmant ac defendunt Holkot in librum Sapient. lect. 160. litt. C., & Catherinus in ſuo Opuſc. de Concept. cap. 7., dicentes, ſemen ipſum ex quo concepta fuit B. Virgo, fuiſſe ſtatim in ſua deciſione purificatum & ſanctificatum, vt poſtea quando infundebatur anima in corpore, non contraheret vllam peccati maculam, ſed pura & ſancta conſeruaretur. Aitque Catherinus, Angelos quoque miniſtraſſe & aliquid geſſiſſe ad purificationem & ſanctificationem illius ſeminis. Fundarique poteſt hic dicendi modus, in eo quòd Eccleſia celebrat feſtum conceptionis die octaua Decembris, integris nouem menſibus ante feſtum Natiuitatis incidens die octaua Septembris: at illa die ad ſummum peracta fuit conceptio ſeminis, & non niſi poſt conſuetum curſum dierum fuit in corpore infuſa anima, quia non ſtatim ab initio completa fuit tota conceptio B. Virginis, ſicut antea dixeramus de conceptione Chriſti fuiſſe in vno inſtanti peractam & completam.

Sententia affirmans fuiſſe ſanctificatam ante animationem

Abſolutè tamen certum eſt, B. Virginem non fuiſſe vllo modo ſanctificatã ante ſuam conceptionem & animationem, quando ſcilicet infuſa fuit anima in cor-

Non fuit B. Virgo ſanctificata ante animationem.

eius. Ita docent non ſolùm qui cum eo ſentiunt ſed omnes qui B. Virginem priorem ab originali peccato. Et probatur evidenter: quia anima quidē B. Virginis non fuit prius creata quam infuſa corpori, vt de omnibus animabus nunc ſupponimus: ergo non potuit prius ſuſcipere gratiam, non potuit ante infuſionem in corpore ſanctificari. Et loquendo etiam de ordine cauſalitatis & naturæ, non prius debet intelligi anima recipere vllam formam accidentalem & ſupernaturalem, quàm intelligatur completè exiſtere & ſubſiſtere ſecundùm naturam & ſubſtantiam ſuam, ſed potiùs e converſo debet prius intelligi ſic exiſtere, ad quod ſpectat infundi & vniri corpori in ſua productione: itaque etiam hoc ordine cauſalitatis & naturæ, prius fuit anima B. Virginis vnita corpori, quàm ſanctificata per gratiam.

Nec in corpore.

Corpus verò eius fuit quidem ante animationem formatum, & ſucceſſiuè per illud temporis ſpatium quod in aliarum feminarum conceptione intercurrere ſolet. Verùm corpus non eſt in ſe capax huiuſmodi ſanctificationis per gratiam: gratia enim eſt forma ſpiritualis, quæ non poteſt infundi niſi ſpirituali ſubiecto: & ſimiliter peccatum originale, per ſe eſt in anima. Itaque nec in nobis incipere poteſt peccatum originale ante animationem corporis, nec in B. Virgine poterat incipere ſanctificatio. Rurſus nec in ſemine poterat precedere aliqua talis ſanctificatio, vel vlla qualitas diſponens aut præparans ad ſanctificationem: nihil enim tale cogitari poteſt, & quidquid in luceretur, eſſet inutile & inintelligibile. Neque verò in conceptione aliorum hominum ineſt ſemini vlla moralis fœditas aut immunditia, deriuata ex peccato primi parentis, præter naturales qualitates & proprietates quæ naturaliter ei conueniunt: ſed tantùm ex lege Dei extrinſeca, & non per vllam vim intrinſecam ipſius ſeminis, trāſfunditur per ſingulas generationes originale peccatum, vt nunc ſupponimus ex propria materia 1. 2. q. 81. Itaque nihil erat, quo moraliter purificari & emundari deberet aut poſſet, ſemen ex quo concipienda erat B. Virgo, in ordine ad eius ſanctificationem. Nec vllum miniſterium poterant in hoc Angeli adhibere: ſed ſolùm in cuſtodiendo & protegendo illum conceptum, vt ad naturalem perfectionem produceretur, nec a Dæmonibus vel aliis cauſis corporalibus læderetur.

Nec in parentibus.

Similiter nec poterat B. Virgo in ſuis parentibus prius ſanctificari. Potuerunt quidem ipſi parentes B. Virginis eſſe prius ſancti & iuſti, putandumque omnino eſt verè tales fuiſſe, tum tunc quando talem filiam genuerunt. Attamen, vt rectè notauit S. Thomas eod. art. 2. quæſtionis 27. ad 4., talis ſanctificatio non tranſit in prolem. Et ita paſſim cōtingit in generatione aliorum hominum, parentes inueniri in ſtatu gratiæ & iuſtitiæ, emundatos autem ab originali peccato, quando filios gignunt, & tamen ipſi filij gignūtur infecti originali contagio: quia nimirum nō immediatè ex peccato parentum deriuatur peccatum in filios, nec ex gratia ſanctificāte collata parentibus deriuatur gratia in filios: ſed immediate in omnes & ſingulos ex pacto Dei cum Adamo diffunditur originalis lues, & ex merito Chriſti infunditur gratia ſāctificationis. Nec poterit eſſe alia ſpecialis ſāctificatio vel preparatio in parentibus B. Virginis, ex cuius vi deberet per ſe ſanctificari eorum filia. Nullo itaque modo dici poteſt B. Virgo ante ſuam conceptionem, nec radicaliter, nec in ſemine, nec à parentibus, ſanctificata.

Sed conuenienter celebratur feſtum conceptionis.

Ideo autem Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis illa die quæ nouem menſibus antecedit diem Natiuitatis: quoniam, cùm non poſſit præciſe conſtare dies animationis, imò nec ipſa dies qua inchoata fuit conceptio, ſiquidem poteſt & ſolet eſſe per dies aliquot inæqualis curſus temporis vſque ad diem Natiuitatis, congruenter ſumpta eſt illa dies, quæ per nouem menſes integros iuxta communem computationem menſium antecedit, imò ſuperſunt etiā quatuor dies, ſi numerentur ſinguli mēſes adæquatè ex triginta diebus. Refertur tamen ex intentione Eccleſiæ hoc feſtum ad illum diem, quo com-

 pleta

plera & conſummata fuit conceptio B. Virginis per veram animationem: & conſtitutionem in ratione indiuidui viuentis humani. In quo animationis puncto, & non antea, dicimus B. Virginem potuiſſe ſanctificari & fuiſſe ſanctificatam.

SECTIO DECIMASEXTA.

An B. Virgo fuerit etiam à debito contrahendi peccatum exempta.

Alia ſententia affirmans fuiſſe exẽptam etiã à debito cõtrahendi peccatum.

PRæterea aliqui Theologi conati sũt, B. Virginem eximere etiam à debito contrahendi originale peccatum, explicare & defendere tentantes, illam non fuiſſe ſubiectam & obnoxiam legi, non fuiſſe incluſam in pacto inito cũ Adamo, vt ipſo præuaricante poſteri amitterent originalem iuſtitiam, & ita peccatum incurrerent: ſic dicentes, B. Virginem non ſolùm non habuiſſe peccatum originale in ſe ipſa, ſed nec etiam in Adamo peccaſſe, quo facta fuiſſet debitrix contrahendi peccatum in ſe: fuiſſeque à Deo ipſo exceptam quando iniit pactum illud cum Adamo, vt non comprehenderetur ſub communi regula poſterorum. Ita opinatus eſt Catherin. in Opuſc. de peccato origin. cap. vltim. & in Opuſc. pro Immaculata concept. part. 1. cap. 1., ac poſt eum ex profeſſo defendunt, Salazar, Granado, Loayſa, & Lezana, in ſuis libris pro Immacul. Concept., Ioann. Suarez Concione 23. in Apocal., Mendezius in Mariali lib. 2. cap. 34. §. 2., & ex parte Lugus de Incarnat. diſp. 7. ſect. 3., & ſequit. Pallauicinus in Theologicis aſſertis lib. 7. num. 57. Allegantur etiam quidam alij ex prioribus ſcriptoribus, qui tamen parum aut nihil fauent. Adhærent tamen Galatin lib. 7. de Arcanis, Clictou. lib. de Purit. concept. cap. 8. & 9., Turrianus in Epiſt. de peccato originali, Cornel. Muſſus in caput 5. ad Roman. Et alij ex recentioribus admittunt hanc ſententiam vt probabilem nullaq; cenſura dignam. Et pro hac libertate huius ſententiæ, Salazar cap. 8. §. 3. refert iudicium Sanctæ Inquiſitionis & Vniuerſitatis Complutenſis in Hiſpaniis.

Fundatur in poſſibilitate.

Fundamentum autem huius ſententiæ eſt: quia poſſibile, & conueniens, & ex hypoteſi neceſſarium erat, B. Virginem ſic excipi ex illa lege & pacto inito cum Adamo, & præſeruari etiam ex debito contrahendi originale peccatum. Erat poſſibile: quia poterat ſine dubio Deus pro ſua voluntate excipere vnum aut plures ex illa lege & debito: nam ſicut voluntarie & libere illam legem conſtituit, cùm alioqui potuiſſet non obſtante quocumque peccato Adami velle transfundere iuſtitiã originalem in omnes poſteros, ita potuiſſet abſque vlla difficultate id velle pro aliquibus vel aliquo poſterorum. Licet enim fieri non potuiſſet, vt vllus ex poſteris non contineretur originaliter in Adamo tanquam in capite naturali: bene tamen fieri poterat, vt aliquis non includeretur in illa lege morali de amiſſione iuſtitiæ, non contineretur in illo tãquam capite morali quoad hunc effectum amittendi iuſtitiam. Poteratque id fieri ex meritis Chriſti, quia ad id totum poterant extendi & à Deo ordinari atque acceptari merita Chriſti, & ita poterat componi cum vniuerſali redemptione Chriſti: quia ſic B. Virgo fuiſſet per Chriſtum excepta, atque adeo redempta, non ſolùm ex peccato, ſed etiam ex debito peccati.

Et conuenientia.

Hinc erat id conueniens iiſdem ferè motiuis quibus fiebat immunis ab ipſo peccato. Nam hoc pacto B. Virgo fit ab initio magis aliena non ſolùm à peccato, ſed etiam à lege peccati: & non ſolùm dicetur non contraxiſſe peccatum in ſe ipſa, ſed nec in Adamo peccaſſe, nec in voluntate Adami conſenſiſſe in peccatum. Sic magis extollitur puritas & dignitas B. Virginis. Plus etiam magnificatur beneficium ipſius redemptionis, ſi præſeruata & exempta per Chriſti merita fuit etiam à debito incurrendi captiuitatem peccati.

Et neceſſitate.

Videtur quoque neceſſarium ex hypoteſi qua ſupponimus fuiſſe immunem ab ipſo peccato. Nam ſi Deus non excepiſſet B. Virginem in illa lege & pacto inito cum Adamo, iam habuiſſet voluntatem & decretum vt omnes eius

poſteri

Digitized by Google

ferent originalem iuſtitiam, omnes inquam abſque exceptione: ergo ſequuto lapſu Adami non potuiſſet Deus decernere conferre alicui ex poſteris iuſtitiam originalem, quia hæc particularis voluntas fuiſſet plane contraria priori voluntati vniuerſali: ſi ergo in noſtra ſententia Deus voluit conferre & de facto contulit B. Virgini ſtatim in primo inſtanti originalem iuſtitiam; neceſſe erit dicere, quod illam iam antecedenter exceperat ex illa voluntate & lege communi circa poſteritatem Adami.

Alij tamen Doctores qui aſſerunt B. Virginem fuiſſe ab initio conceptam in gratia, & ab originali macula præſeruatam, communiter aſſerunt vel ſupponunt, fuiſſe quidem ſubditam debito & legi de contrahendo peccato, & vere fuiſſe ſimul cum alijs poſteris comprehenſam in pacto inito cum Adamo, nec ex illa vniuerſali lege antecedēter ſubtractam & exceptam, atque adeo dici debere peccaſſe in Adamo. Et videtur quidem res ſatis conſtans: adeo vt Corduba lib. 1. q. 44. §. *Igitur prædicta* cum Caiet. in Opuſc. de Concept., dicat eſſe de fide, & oppoſitam Catherini ſententiam eſſe hæreticam: ſed quidam alij vocant erroneam, vel a doctrina Scripturæ & Sanctorum alienam. Quia nimirum in hoc ſenſu intelligunt vniuerſalem modum loquendi Scripturæ & Sanctorum, vt ſaltem quoad debitum contrahendi peccatum, & quoad incluſionem & præuaricationem omnium poſterorum in Adamo, nullam patiatur exceptionem; intelligendo inquam nomine poſterorum omnes & ſolos illos qui naturali modo propagantur. Atque ita, dum Apoſtolus ſimul iungit vniuerſalem redemptionem Chriſti & perditionem hominum, ſicut nullus poteſt excipi à redemptione Chriſti, ita nec etiam à communi perditione, ſaltem quatenus cōſiderata in Adamo & quatenus importat debitum carendi gratia in ſingulis. Sic Apoſtolus coniunctim dixit ad Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & Per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*: & 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*: & Epiſt. 2. cap. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Similiter illi Patres qui videbantur ſub communi reatu etiam B. Virginem includere, ſaltem de peccati debito in ſingulis, ſiue de reatu omnium in Adamo, debebant intelligi.

Verò tamen B. Virgo habebat debitum contrahendi peccatum.

Expreſſius autem probatur aſſertio oppoſito fundamento & gradatione aduerſus priorem ſententiam, quo ſimul diruatur totum fundamētum illius ſententiæ. Quia videlicet, nec erat neceſſarium, nec conueniens, & ex hypoteſi nec poſſibile, eximi B. Virginem a debito contrahendi peccatum, & a pacto includente omnes poſteros inito cum Adamo: ſed e conuerſo erat poſſibile, erat conueniens, & ex hypoteſi neceſſarium, vt B. Virgo incluſa fuiſſet in illo pacto, & ex illo participaſſet debitum incurrendi peccatū. Primo enim neceſſe non eſt, vt Deus in priori ſigno habuiſſet voluntatem & decretum prorſus abſolutum priuandi omnes poſteros Adami iuſtitia originali illo peccante: ſed optime poteſt ac debet intelligi, habuiſſe voluntatem, & tuliſſe legem, vt omnes deberent priuari, & vt omnes reipſa priuarentur, niſi quatenus ipſe poſtea per ſuam gratiam ignoſceret, aut alicui priuilegium exemptionis concederet, & velut in illa lege diſpenſaret. Nam ex vi illius legis, & ex merito peccati, debuiſſent omnes poſteri Adæ in perpetuū carere gratia, ſed tamen Deus ex ſua miſericordia ordinauit remedium redemptionis, & decreuit tot hominibus conferre gratiam iuſtificationis. Sic ergo illa voluntas non impediebat, quominùs Deus ſingulari priuilegio & diſpenſatione aliquem eximeret prorſus ab incurſione peccati: & optime ſimul conſtat voluntas, vt talis debuiſſet quidem carere gratia, ſed nunquam reipſa careret gratia.

Poterat ſtante hoc debito præſeruari ab ipſo peccato.

Secundò, non procedit eadem conuenientia, vt B. Virgo debuiſſet eximi à debito ac lege peccati, & à communi obligatione omnium poſterorum in voluntate Adami, ſicut vt debuiſſet præſeruari ab actuali incurſione peccati. Neque derogat puritati ac dignitati Vir-

Et ita conueniebat.

ti Virginis illud debitum, ſicut ipſum peccatum. Neque debet amplificari beneficium Chriſti per ſubtractionem Virginis ab illo communi debito, ſicut per ſubductionem ab ipſo peccato. Quinimo potius conueniebat, vt in illo priori ſigno quo Deus inſtituit pactũ cum Adamo, nullam exceptionem faceret, nullum poſterorum excluderet, ſiquidem tunc nulla adhuc extabat ratio vt quemquam exciperet, ſupponendo quod non adhuc in eo ſigno decreuerat humanam naturam aſſumere. Magis etiam quodammodo elucet puritas & dignitas collata B. Virgini, & beneficium præſeruationis illi exhibitũ à Chriſto, per hoc quod non obſtante debito incurrendi peccatum, & non obſtante communi Dei lege, fuerit illi relaxatum debitum, fuerit pro illa derogatum legi, fuerit illi collata iuſtificationis gratia, fuerit cuſtodita ab incurſione peccati.

Tertio. Non ſolùm conuenit, ſed ex hypoteſi de vniuerſali redemptione generis humani, oportet verificare, B. Virginem fuiſſe proprie redemptam. Sed redemptio non eſt quæcunque præſeruatio aut exemptio, ſed proprie eſt relatiua ad ſeruitutem ſeu captiuitatẽ: & dicitur quis emere id quod alienum eſt; dicitur redimere, quaſi re emere quod ſuum erat, ſed alteri venditum aut traditum eſt. Et in re præſenti, vt dixit Zoſimus Papa apud Auguſt. Epiſt. 157. *Nullus redimitur niſi is qui ſub peccato ſeruit*. Propter quod D. Thomas & alij eiuſdem ſententiæ, neceſſarium putabant, B. Virginem fuiſſe aliquando ſub iugo peccati, vt poſſet dici proprie redempta. Ergo ſaltem neceſſe eſt fateri, B. Virginem fuiſſe ſaltem illigatam debito incurrendi peccatum, vt ſic dicatur redempta ex debito ſeruitutis, ſiue ex ſeruitute & captiuitate cui erat obnoxia ex lege communi. Et ſic exponatur dictum Zoſimi, nullũ rediui niſi qui ſub peccato ſeruit, vel habebat debitum ſeruiendi. Patet magis exemplo: non dicetur quis redimere perſonam, vel rem aliquam, ex eo præciſe quod poterat illam vendere, ſed non vendit: ſed ſolum dicetur redimere, quando erat in poteſtate & dominio alterius, vel ſaltem erat addicta & obligata vt deberet eſſe ſub poteſtate & dominio alterius. Tunc enim dicitur quis redemiſſe, quando ſoluit pretium ſeu præbet compenſationem pro eo quam redimit: ſed non ſoluitur pretium aut præbetur compenſatio, niſi quando res aut perſona erat iam ſub iure & poteſtate alterius, vel ſaltem eſſe debebat, erat illi addicta & debita. Non ergo B. Virgo dici poteſt proprie redempta, non poteſt dici exempta de manu ſcilicet Dæmonis, de ſeruitute & captiuitate peccati, niſi fuiſſet obligata ſaltem debito ſuæ captiuitatis: ſed ad ſummum potuiſſet dici cuſtodita & conſeruata. Neque obſtat quoddã exemplum, quod pro alia parte ſolet afferri. Si quis venderet ſeruam, excipiendo tamen vt aliquis filius ex ea naſciturus, non remaneret ſeruus ſed liber, per hoc ipſum diceretur redimere à ſeruitute talem filium naſciturum: quare ſic etiam Deus excipiendo quandam filiam naſcituram ex Adamo, dici poſſet illam redemiſſe. Non inquam obſtat, quinimo potiùs confirmat quod dictum eſt. Nam intantum dici poſſet redimi ille filius naſciturus ex ſerua, inquantum ſupponitur communis lex, quod omnes filij qui naſcuntur ex ſerua ſint etiam ſerui, ideoque in iure dicitur quòd partus ſequitur ventrem. Sic ergo pariter vt B. Virgo dicatur redempta oportet ſupponere communem legem, quod omnes filij qui naſcituri ex Adamo, inter quos ipſa etiam includebatur, eſſent obnoxij ſeruituti.

Neceſſariũ erat hoc debitũ vt B. Virgo eſſet particeps redemptionis.

Quarto. Ne videatur vis fieri ſolùm in nomine redemptionis, inſiſtendum magis eſt in re ipſa & ordine diuinæ prouidentiæ. Et ſub quocunque nomine certum eſt, B. Virginem fuiſſe redemptam ſiue conſeruatam ex meritis Chriſti, certum eſt primam gratiam fuiſſe illi collatam ac prædeſtinatam ex meritis Chriſti, ſicut omnibus a ijs hominibus poſt lapſum Adami. Sed ſic eſt quod modo ſupponimus, incarnationem fuiſſe à Deo prædefinitam poſt præuiſum lapſum Adami, & ruinam in illo generis humani: ergo ſub hac hypoteſi dici non poteſt, quod Deus ante lapſum Adami, in ipſo pacto inito

Vt perciperet gratiã ex meritis Chriſti.

Adamo, excepit B. Virginem, ſi decreuit ſimpliciter illi conferre iuſtificantem gratiam, idque ex meritis Chriſti in illo ſigno nondum erat prædeſtinatus Chri- Potuit quidem Catherinus dicere, B. Virginem præſeruatam fuiſſe ex meritis Chriſti ante lapſum Adami, quia ipſe cum Scoto putauit, Incarnationem fuiſſe prædefinitam ante lapſum Adami. Sed tamen alij Theologi qui cum D. Thoma conſentiunt in conſtituendo illo ordine diuinæ prouidentiæ, vt Incarnatio fuerit prædefinita poſt lapſum Adami, non poterant antecedenter eximere B. Virginem ex meritis Chriſti.

Præſertim ex merito paſſionis Chriſti.

Quintò. Etiam in ſententia Scoti & aliorum qui volunt, Incarnationem fuiſſe prædefinitam ante lapſum Adami, tamen adhuc quoad conditionem ſaltem carnis paſſibilis dicitur prædefinita poſt: quare merita Chriſti vt paſſibilis, ſiue merita paſſionis, & mortis Chriſti non fuerunt ordinata niſi poſt præuiſum lapſum Adami. Sed omnis gratia quę data fuit B. Virgini, dici debet illi data & prædeſtinata ex meritis Chriſti paſſibilis, ex meritis paſſionis & mortis Chriſti. nam ſine dubio B. Virgo includitur inter illos de quibus dicitur, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*: ergo non fuit B. Virgini conceſſa gratia exemptionis & præſeruationis ante lapſum Adami. Explicatur magis: B. Virgo verè indigebat remedio paſſionis Chriſti, ad ſuam iuſtificationem & ſalutē, & verè ſanguis Chriſti fuit pro illa fuſus: & proportionatum atque aptū medium pro illius iuſtificatione & ſalute, fuit paſſio Chriſti. At etiam ſi Chriſtus fuiſſet ſimpliciter prędeſtinatus ante lapſum Adami, & tunc etiā ex illius meritis fuiſſent à Deo præordinata aliquibus aliqua dona gratiæ, vt potè Angelis & primis parentibus ante peccatum: non per hoc dici deberet, eguiſſe quoad hoc remedio paſſionis Chriſti, vel ſanguis Chriſti fuſus pro illis, nec aptum & proportionatum medium erat paſſio Chriſti, ſed hæc proportio orta eſt ex ſatisfactione debita diuinæ iuſtitiæ ob offenſam irrogatam Deo. Ergo non fuit ... prædefinita B. Virgini gratia exemptionis & præſeruationis ante lapſum. Sed ad ſummum, poſt hunc lapſum, & poſt ordinatum remedium paſſionis Chriſti, potuit illi concedi gratia iuſtificationis & præſeruationis, ne re ipſa incurreret originale peccatum, quod tamen communi lege cũ alijs poſteris Adæ debebat incurrere. Vt ita ad illam etiam pertineat illa cōſequentia Apoſtoli. *Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt ergo omnes mortui ſunt*: quia ſcilicet ipſa etiam fuerat mortua in Adamo, id eſt ſubiecta & obnoxia morti, niſi per remedium mortis Chriſti viuificaretur. Et ita de facto communiter ſentiūt, etiam ij qui in via Scoti conſtituunt decretum incarnationis ſimpliciter in carne humana ante præuiſum lapſum Adami.

Verè B. Virgo fuit ex illa poſteritate Adami quæ obligata erat in voluntate eius.

Sexto. Excogitarunt aliqui modum, quo conciliarent hæc duo, Incarnationem fuiſſe prædefinitam poſt præuiſum lapſum Adami, & B. Virginem fuiſſe ex meritis Chriſti præſeruatam ex debito etiam incurrendi peccatum. Et modus eſt quem proponit Salazar lib. cit. de Concept. cap. 24. Inquit, Deū antecedenter decreuiſſe creare Adamum & diſtinctè ſingulos eius poſteros, & pro ijs pactum condidiſſe, deinde præuiſo lapſu ordinaſſe Incarnationis remedium, ac hinc decreuiſſe creare quandam feminam ex qua Verbum diuinum carnem ſumeret, quæ femina non fuerit vna ex illis in priori ſigno incluſis & præuiſis, ſed alia de nouo non incluſa in illo pacto, & decreuiſſe illam creare in ſtatu gratiæ, idquè ex meritis Chriſti.

Sed nullatenus acceptandus eſt hic dicendi modus. Tum quia ſupponendum non eſt, Deum iam antea determinaſſe & præuidiſſe omnes poſteros naſcituros ex Adamo; quinimo incertum eſt, num futuri fuiſſent ijdem homines in ſtatu innocentiæ, qui de facto ſunt in ſtatu naturæ lapſæ, vt tractauimus 1. par. q. 75. ſect. 5. Et facile eſt, vt de facto Deus determinauerit varios homines naſcituros, in progreſſu ſuæ prouidentiæ poſt præuiſum lapſum Adami, & ordinatum remedium redemptionis, atque ex meritis & precibus ipſius Chriſti & aliorum Sanctorum

rum, vt in eorum hiſtorijs pleraque narrantur, & indicatur Eccleſiaſt. 7. Et adhuc hi omnes incluſi vtique fuerunt in pacto & lapſu Adami. Tum etiam iuxta communem ſenſum Theologorum & Patrum non eſt facienda tam ample exceptio in illo primo ſigno, vt extra illud pactum remanerent alij infiniti homines poſſibiles, in illo non incluſi, ſed omnino pactum fuit vniuerſale & adæquatum pro poſteris Adami, qui ex eo per ſeminalem propagationé naſcerentur. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 4., & ſic etiam alij Theologi, dignum exiſtimarunt explicare, quod ſi aliquis ex humana carne miraculoſe formaretur, non contraheret originale peccatum. Tum deinde hoc pacto B. Virgo, ſicut & alij homines poſſibiles, nec quoad iuſtitiam originalem accipiendam incluſa fuiſſet in illo pacto, atque adeo, pari modo, Adamo non peccante, expers quoque fuiſſet iuſtitiæ originalis ex vi illius pacti. Tum præterea, dato quod Deus pactum illud condidiſſet cum ea diuiſione ac determinatione pro illa ſola poſteritate Adami iam præuiſa; putandum potiùs eſt, præuiſo lapſu Adami, decreuiſſe in eius remedium carnem ſumere ex illa ipſa poſteritate, cuius ſaluti prouidere volebat. Et in hoc plane ſenſu S. Thomas antea q. 4. art. 6. & rurſus q. 31. art. 1., alijque Theologi explicarunt, conueniens fuiſſe, vt Verbum carnem ſumeret ex ſtirpe Adæ, id eſt ex illa poſteritate quam Deus ab initio creare decreuerat, & pro qua priùs illum modum prouidentiæ inſtituerat, condens pactum illud in Adamo, & cui tunc originalem iuſtitiá promiſerat, & quæ tunc in Adamo a Diabolo victa perierat: idque totum congruentiæ quæ afferuntur oſtendunt.

Et ſic paruit redemi & accipere gratiā exēptionis à Christō.

Tum præcipue, hoc pacto B. Virgo prorſus non poſſet dici redempta. Non enim ſic poſſet dici per hoc quod in priori ſigno non fuiſſet determinata & præuiſa inter homines naſcituros: ſi quidem id erat commune alijs omnibus merè poſſibilibus non futuris, qui vtique non per hoc dici poterant redempti à ſeruitute, ſed exempti ab exiſtentia. Nec etiam poſſet dici redempta per hoc quod in alio ſigno Deus decreuiſſet creare B. Virginem in ſtatu gratiæ: & quidem dum non erat comprehenſa inter poſteros Adami ligatos illo diuino pacto, non habebat in illo loco redemptio, ſed ſolum noua conceſſio exiſtentiæ naturalis & gratiæ ſupernaturalis: ſicut vtique prima creatio primorum parentum in ſtatu gratiæ, non fuerat redemptio. Tum demum planè hæc exemptio à peccato, non fuiſſet ab initio effectus meritorum Chriſti. ſi quidem in illo ſigno quo Deus determinauit creare illos Adami poſteros, & quo inſtituit pactum cum Adamo, non erat adhuc prædeſtinatus Chriſtus: & illa excluſio B. Virginis erat illi communis cum alijs infinitis hominibus. Nec dicendo in illo priori ſigno non fuiſſe poſitiuè excluſa B. Virginem, ſed tantum negatiuè nó incluſam; in alio autem poſteriori ſigno præuiſis iam meritis Chriſti, fuiſſe poſitiuè excluſá. Ná vel poterat adhuc Deus in poſteriori ſigno includere illos qui non fuerant incluſi in priori ſigno. Et hoc dici non poteſt: quia certe fieri non poterat, vt poſt initum pactum cum Adamo pro certa multitudine poſterorum, & poſt præuiſum eius lapſum, tunc Deus adderet alios, & illigaret ſub priori pacto, atque adeo Deus ipſe reos faceret præuaricationis Adami, & originali peccato grauaret, cùm tamen eorum voluntates non fuiſſent ab initio conſtitutæ in voluntate Adami. Vel non poterat tunc includere, & ſic neceſſariò debebat excludere: ergo hæc excluſio non erat noua gratia quæ ex meritis Chriſti concederetur. Et reuera iuxta illum modum, eo ipſo in priori ſigno erant poſitiuè excluſi ex pacto Adami, quicunque non erant incluſi.

Septimo. Alium modum addit idem Salazar eodem cap. 24. §. 19. Nempe admittendo pactum initum cum Adamo includens omnes poſteros qui ex illo naſcerentur, atque adeo etiá ipſam B. Virginem. Sed ita limitando hoc pactum, vt ex vi illius, ſicut Adamo obediente transfuſa fuiſſet in poſteros certa menſura gratiæ & iuſtitiæ originalis; ita illo præuaricante intelligeretur amitti tantum eadem menſura gratiæ & non tota gratia quæ alijs titulis po-

Et obligata erat debito carendi omni gratia.

tuiſſet

Deo concedi: debitum vero [illegible] peccatum originale, eſt de- [illegible] neceſſitas carendi omni prorſus [illegible] ſicut ipſum peccatum eſt [illegible] priuatio totius ſimpliciter [illegible] in tantum alij homines con- [illegible] originale peccatum & illius [illegible] deſtituuntur om- [illegible] gratia. Dum ergo B. Virgo in primo conceptionis inſtanti accepit a Deo iuſtificantem gratiam, non quidem eandem illam quam ex ui communis pacti acceptura fuiſſet Ada- mo non peccante, ſed aliam diuerſam & ampliorem, vt pote titulo materni- tatis Dei ad quam electa erat; & ex applicatione meritorum Chriſti ad hunc effectum, erat illi debita talis gratia; ſic conſequenter præſeruata fuit non ſolùm a peccato ipſo originali, ſed etiam a debito illud incurrendi. Et quia hanc gratiam accepit ex meri- tis paſſionis Chriſti, vere quoque fuit redempta per ſanguinem Chriſti.

Huic tamen modo minus acquieſcit ipſe Salazar; eo quod iuxta hunc mo- dum ſupponitur, paſſionem Chriſti fuiſ- ſe prædeſtinatam ſtatim poſt præuiſum lapſum Adami, & ante præuiſa pecca- ta originalia ſingulorum hominum. Ve- rùm ex hac parte non eſſet reijciendus hic modus: quia vere talis ordo debet ſupponi in diuina prouidentia & diſpo- ſitione, ad hoc vt defendatur præſer- uatio B. Virginis ab actuali incurſu ipſius peccati originalis.

Sed ex alia potiùs parte hic modus eſt ineptus ad eximendam B. Virginem à debito originalis peccati. Tum quia in illo ſigno in quo intelligitur lapſus Adami ſuppoſito pacto Dei, plane eo- dem modo & abſque diſcrimine con- ſtituebatur hoc debitum pro omnibus Adæ poſteris; cùm nulla tunc interpo- natur exceptio B. Virginis: ſed tunc vere & proprie intelliguntur alij poſte- ri Adæ adſtringi hoc debito: ergo ſic etiam B. Virgo. Tum quia in illo ipſo ſigno ex pacto Dei intelligere oportet poſteros Adæ fieri debitores carendi to- ta gratia. Nam pactum Dei ſine dubio ita ſe habebat, vt Adamo obediente Deus conferret poſteris originalem iu- ſtitiam & gratiam, & vtique in certa quadam menſura: Adamo autem præuaricante, ſimpliciter non confer- ret gratiam, ſiue nullam conferret gra- tiā: ſic enim digna erat illa præuarica- tio. Tum quia alioqui ſi ex pacto Dei & lapſu Adami deriuatur in poſteros tan- tùm priuatio eius gratiæ quæ infunden- da fuiſſet, & debitum carendi illa tantū gratia: peccatum autem originale dicit priuationē totius gratiæ, & debitū pec- cati dicit debitū carēdi tota gratia, ſe- quitur non deriuari peccatū & debitū peccati præcisè ex illo pacto Dei & la- pſu Adami: q̃ ſane tolerari non poteſt.

Tum demum ipſe Salazar fatetur, de facto poſteros Adæ incurrere debitū carendi omni prorſus gratia: ait tamen non antecedenter, ſed conſequenter ad ipſum originale peccatum: quia per peccatum mortiferum, quale eſt origi- nale, fit homo dignus carere omni gra- tia. Verum fateri potiùs debet, no- minem incurrere hoc debitum antece- denter ad ſuum originale peccatum: quia alioqui, cùm non intelligatur ho- mo actu contrahere originale peccatū, niſi dum intelligitur carere omni gratia; ſequitur, prius hominem contrahere peccatum, quam eſſe debitorem con- trahendi, priùs carere omni gratia, quam eſſe debitorem carendi, & per carentiam ipſam iam contractam con- ſtitui debitorem carendi: quod planè eſt peruertere ordinem, & inuoluere quandam repugnantiam. Et bene qui- dem per peccatum mortiferum actuale redditur homo dignus carere omni gra tia: ſed peccatum habituale eſt ipſa ca- rentia, & tale eſt originale in nobis: Quare ſicut etiam fatetur, Adamum delicto ſuo actuali factum fuiſſe dignū ac debitorem carendi omni gratia; ita fateri debet, eodem delicto reddidiſſe omnes poſteros ſuos pariter dignos ac debitores carendi omni gratia, & ita contrahendi originale peccatum, an- tecedenter inquam ad realem ipſam carentiam & peccati contractionem. Et inter hos comprehenſa fuit B. Vir- go. Potuit tamen optimè Deus, non obſtante hoc præuio debito & digni- te, conferre B. Virgini gratiam in pri- mo conceptionis inſtanti, & ita præ- ſeruare eam à peccato originali. Quā

gratiam

gratiam ei de facto contulit ex meritis paſſionis & redemptionis Chriſti.

Et ab initio determinata fuit ex ſtirpe Adami

Octauo rurſus addit alium modum §. 18 Nempe dicendo, Deum inſtituiſſe cum Adamo pactum, includens non ſolùm certam multitudinem hominum iam prædefinitam, ſed etiam ſi quos forte poſtea etiam decerneret naturali propagatione ex illo naſcituros: ac deinde poſt præuiſum lapſum Adami, & ordinata ac præuiſa merita Chriſti Redemptoris, decreuiſſe creare talem feminam, non tamen adhuc determinando ex quibus parentibus & quonam modo eam condere vellet, quia ſanè poterat illam producere vel per ſe immediatè, vel ex matre Virgine ſine patre, vel ex ambobus parentibus naturali modo, & vel ex his aut illis parentibus: & antequam hoc totum determinaret, decreuiſſe conferre illi feminæ ex meritis paſſionis Chriſti copioſam gratiam cum dignitate matris: ac tandem præuiſis meritis eiuſdem B. Virginis determinaſſe vt naturali modo ex talibus parentibus gigneretur. Iuxta quem ordinem, priùs B. Virgo fuit præuenta per gratiam, & per debitum habendi gratiam ex applicatione meritorum Chriſti; quàm incurreret debitum contrahendi originale peccatum per talem modum naturalis generationis ex ſtirpe Adami: & ita præſeruata fuit nõ ſolùm ab ipſo peccato, ſed etiam a debito illud contrahendi.

In hoc modo non aliam difficultatẽ inſpicit Salazar: niſi quia præmittit diuinum pactum confuſe etiam pro naſcituris ex Adamo, non adhuc in indiuiduo determinatis ac præuiſis. Verùm non erat quidem inconueniens, ſed potiùs opportunum præmittere diuinum pactum indefinitè pro omnibus poſteris: tamen minùs rectè conſtitui videretur ſic diſcretè, partim pro poſteris iam determinatis ac præuiſis, & partim veluti ſub dubio, ſi qui fortè alij à Deo decernerentur ex Adamo naſcituri.

Sed alias potiores difficultates hic modus patitur. Tum quia ſupponendum eſt, ſtatim in eodem quo ſigno quo Deus decreuit carnem ſumere in peccati remedium, decreuiſſe ſumere ex ſtirpe Adami, vitiata per peccatum & remedij indigente, iuxta [ſenten]tiam quam aſſignabat S. Tho. q. 4. art. 5., & Patres in dic[to] eo enim ſigno vrgebat tali[s] [conuenien]tia, nec erat cur talis determinatio poſt tot alia ſigna differretur. Quare ſine dubio, cum à Deo electa fuit certa femina ex qua Chriſtus naſceretur: fuit electa ex ſtirpe Adami naturali modo progignenda. Tum etiam, eo modo licèt dicatur gratia data ſeu decreta B. Virgini ex meritis Chriſti, ac expreſſe ex meritis paſſionis; certe dici non poteſt ex redemptione Chriſti: quia ſi illa femina adhuc non erat determinata ex ſtirpe Adami, & poterat immediatè creari à Deo, nec vlli reatui erat obnoxia; non poteſt dici redempta per illam gratiam; non poteſt gratia tunc illi decreta dici gratia redemptionis: ſed ad hoc oportet fateri, quando Deus decreuit dare B. Virgini gratiam, præuidiſſe illam ſuo modo obnoxiam ſeruituti.

Contra ... Caiet. Et conten... determinatio

Tum præterea Salazar paſſim in ſua doctrina ſentit, Deũ nõ prædefinire antecedenter finem aſſequendum per media hominibus libera & moralia: at licet actio productiua ſit medium phyſicum ad exiſtentiam ſubſtantiæ quæ producitur, tamen ad producendam B. Virginem oportebat eius parentes liberè conuenire; & hoc erat medium requiſitum ad naturalem modum generationis B. Virginis: igitur non potuit cohærenter dicere, priùs fuiſſe à Deo prædefinitam ſimpliciter exiſtentiam B. Virginis, ante determinationem talis modi, & talium parentum ad eius generationem.

Tum demum non ſatis aſſequitur intentum, vt B. Virginem eximat à debito contrahendi peccatum. Quia ipſe nec contendit, hoc debitum non extingui per gratiam, nec per debitum habendi gratiam, etiam antecedens ad aliud debitum carendi gratia, vt antea etiam cap. 11 num. 11. docuerat. Ideo coadiuuat hunc modum ex præcedenti: quod ſcilicet B. Virgo ex Adamo contraxerit debitum carendi tantùm illa gratia, quam ex eodem habitura fuiſſet; ſed debitum peccati, ſit debitum carendi omni gratia. At hoc ſatis impugna-

pugnauimus contra [illegible] præcedentem mo-
dum [illegible]

Nec fuit excepta in illo primo pacto mater Dei.

Nonò. Alius dicendi modus eſt, quẽ proponit Lugus ibi. diſput. 7. ſect. 3. Nempe Deum in [illegible] te ſua ab initio contraxiſſe pactum cum Adamo pro omnibus eius poſteris, excipiendo ta- [illegible] ſi quam fortè eligere [illegible] condition[illegible] in matrem, & non determinat[illegible] hanc vel illam feminam, ſed vagè [illegible] ſeu diſiunctim quæcunque illa eſſet, quam ſibi in matrem eligeret: deinde poſt præuiſum lapſum Adami, & poſt [illegible] præordinata ac præuiſa merita Chriſti [illegible], determinaſſe ex meritis ipſius Chriſti [illegible], aſſumere in eius matrem [illegible] ſingularem feminam Mariã [illegible] & conſequenter eo ipſo exemptam ex [illegible] debito contrahẽdi peccatum, vt p[illegible] te in quam cadebat illa conditio & e[illegible] ceptio præmiſſa in pacto inito cum Ad[illegible] mo.

Sed nequ[illegible] dus eſt. [illegible] nienter indi[illegible] [illegible] in e[illegible] narum [illegible] te Dei; ita [illegible] quam poſt [illegible] & ſingula[illegible] vel illam [illegible] meam m[illegible] determin[illegible] re. Tum [illegible] ponitur [illegible] Adæ, v[illegible] fuiſſet [illegible] liter o[illegible] lantas [illegible] ſit in [illegible] ſa me[illegible] liter. [illegible] eſſet [illegible] hic modus approban- [illegible] quia parum conue- [illegible] ie partem illam conditio- [illegible] ſigno antecedenti, in mẽ- [illegible] Deus dixiſſet, excipio, ſi elegero in meam matrem [illegible] de omnibus feminis, hãc vel aliam, ſi eam eligam in [illegible] cum adhuc Deus non [illegible] eſſet ſimpliciter carnẽ ſumere etiam parum conuenienter ex tota collectione filiarum vagè ac disiunctiuè, quæ nõ [illegible] illo tanquam in capite moraligata, non cenſeatur eius vo- [illegible] in illo contenta, non peccauerit [illegible] Adamo; abſque determinatione [illegible] te Dei quæ nam eſſet hæc ma- [illegible] Imò ſine vlterius nulla femina determinata, quæ fuerit moraliter obligata in Adamo, & quæ in illo peccauerit: nam vnius ſolius feminæ exceptio facit, vt nulla ſit certò ac determinatè incluſa quandiu ſingulæ ſunt in tali ſtatu, vt in earum quamlibet poſſit cadere ac determinari illa exceptio. Itaque, etiam poſt præuiſum lapſum Adami, & poſt determinationem omnium poſterorũ eius, quæ quidem poterat præcedere decretum incarnationis, adhuc de nulla femina determinatè præuiſiſſe Deus, quòd peccaſſet in Adamo, quòd eſſet obligata debito originalis peccati, quòd incidiſſet in pactum initum cum Adamo & poſteris. Hoc ſine dubio videtur inconueniens.

Tum deinde, hoc modo Chriſti meritis attribuitur ſolùm determinatio huius ſingularis feminæ, non abſolutè exemptio alicuius feminæ ponitur facta independenter & antecedenter ad merita Chriſti: igitur non perfectè & adæquatè facta fuit ex meritis Chriſti præſeruatio B. Virginis. Et quidem ipſe Lugus hoc eodem titulo impugnauit modum præcedentem Salazari, quia iuxta illum B. Virgo deberet Chriſto ſolùm determinationem de ſua exiſtentia & de ſua gratia, non autem dilationem illam quòd non fuiſſet antea inter Adami poſteros computata. At ſanè pariter, quòd Deus antea ex ſe poſitiuo decreto excepiſſet vagè aliquam feminam; ergo B. Virgo deberet ſolùm Chriſto determinationem ſuæ ſingularitatis, non autem abſolutè illam exceptionem; & ita plus hoc modo ſubtrahitur de meritis Chriſti erga hoc beneficium collatum B. Virgini. Tum demum, potiùs hæc determinatio vt hæc talis femina præ alijs eligeretur in matrem Dei, non videtur adſcribenda meritis & humanæ voluntati Chriſti, ſed ſolùm & immediatè voluntati & libertati diuinæ: ita quòd valebant quidem merita Chriſti ad hoc, vt aliqua femina eligeretur ad dignitatem matris, & ad tam ſublimem gratiam & gloriam, itemque vt præſeruaretur ab originali peccato; quòd autem huic vel illi ſingulari feminæ hæc dona largirentur, non erat repoſitum in humana voluntate Chriſti, non debebat determinari per merita Chriſti, quaſi Deus reliquiſſet hanc electionem ipſi Chriſto, vt ex tota multitudine feminarum ipſe ſibi determinaret quam vellet in matrem; ſed potiùs determinatum fuit immediatè per voluntatem & libertatem Dei. Sic enim in communi de prædeſtinatione hominum oſtendimus 1. par. qu. 23. ſect. 24., & ratificauimus ſupra hac 3. part. qu. 19. ſect. 8. Similiter ergo ſentiendum eſt de hac ſingulari prædeſtinatione B. Mariæ ad dignitatem

Et ſic ab initio hæc exceptio facta fuit ex meritis Chriſti.

tem matris aliáſque prærogatiuas gratiæ.

At determinatè ex merito paſſionis Chriſti.

Cæterum, iuxta alium ordinem diuinæ prouidentiæ, quõ an ea dicebamus poſſe intelligi, quòd Deus ante præuiſum lapſum Adami, & in priori voluntate ſe communicandi ad extra decreuerit aſſumere aliquã rationalem naturam, an ſcilicet determinationem incarnationis in humana natura ſic inquam cogitari etiam poſſet, ex meritis illius indiuidui & ſuppoſiti abſolute conſiderati ſecundum rationalẽ naturam, præſeruatam & exemptam fuiſſe B. Virginem ex pacto inito cum Adamo; ſicut dici poterat de gratia Angelorum & primorum parẽtum ante peccatum. Verùm quia ſimpliciter putandum eſt, omnem gratiam collatam B. Virgini cadere ſub ordinem redemptionis, & verè quoad primam ipſam præſeruationem & exemptionem B. Virginem fuiſſe redemptam: & quia etiam putandum eſt, Deum non decreuiſſe B. Virgini tale ſingulare donũ, niſi ex vi electionis eius in matrẽ Dei, & ad hoc non elegiſſe niſi poſt decretum incarnationis faciendæ, non ſolùm abſolutè in carne humana, ſed determinatè etiam in carne paſſibili. Ideo dicimus, B. Virginem non fuiſſe præſeruatam & exemptam à communi labe in mente Dei, niſi ex merito paſſionis Chriſti, & poſt hoc meritum præuiſum; atque adeò non fuiſſe præſeruatam & exemptam ex illo pacto inito cũ Adamo, & debito incurrendi peccatum originale in ſe ex lapſu Adami: ſi quidem paſſio Chriſti non fuit præordinata, niſi poſt initum pactum, & præuiſum lapſum. Quare pariter hoc ipſum dicendum cenſemus in ſententia Scoti, qui poſuit incarnationem ſimpliciter in carne humana, non autem in carne paſſibili, ante præuiſum lapſum Adami.

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

Vtrum B. Virgo fuerit à peccatiuo fomite liberata, & dono originalis iuſtitiæ præmunita.

SImul cum originali peccato conſideratur, & cum Adæ poſteris traducitur, fomes qui dicitur peccati, tanquam effectus culpæ originalis, & eſt inclinatio partis ſenſitiuæ inducens ad peccatum, quæ etiam vocatur inordinata concupiſcentia, & ſenſualitas. De quo proinde fomite, conſequenter quærit S. Thomas ad. q. 27. art. 3. an fuerit in B. Virgine, & iam antea q. 15. dictum erat non fuiſſe in Chriſto. Omnes autem Theologi conueniũt in hoc, vt aliquod ſpeciale priuilegium concedant B. Virgini, præ alijs Sanctis in hac vita, quoad liberationem & exemptionem à fomite: ſed tamen, vt in hoc illam faciant inferiorem Chriſto, diuerſo modo opinati ſunt, diſtinguentes plures partes fomitis, plures modos liberationis, plures actus & tempora ſanctificationis in B. Virgine, vt refert S. Thom. ipſe eo art. 3.

Sententia ex parte negans.

Alenſis 3. part. qu. 9. memb. 2. art. 5. Bonau. in 4. d. 3. part. 1. art. 2. qu. 2. & quidam alij ex antiquis Scholaſticis, diſtinxerunt fomitem naturæ & fomitem perſonæ; naturæ, dixerunt infectionem & corruptionem humanæ naturæ quæ per generationẽ transfunditur in prolem originale peccatum; perſonæ verò, qua vnuſquiſque inclinatur ad malum & retardatur à bono in ſuis rationibus perſonalibus. Dixerunt que, fomitem naturæ non fuiſſe ablatum B. Virgini in primo actu ſanctificationis ab initio, ſed in alio actu ſanctificationis, tempore quo fuit ab Angelo ſalutata vt Chriſtum conciperet. Ochamus in 3. qu. 2. art. 1. & Quodlib. 3. qu. 10. diſtinxit in fomite perſonæ, inclinationem ad peccatum mortale, & inclinationem ad peccatũ veniale: dixitque, nunquam fuiſſe penitus ablatum huiuſmodi fomitem B. Virgini; ſed in prima quidem ſanctificatione ab initio fuiſſe in illa ligatam & impe-

... ad mortale ... tempore an... ligatam incli... Quidam alij di... inclinationem ad ... ad bonum; di... fuisse quidem re... ad bonum, sed ... ligatam inclinatione ... vero eo art. 3. ... alij ex Recentiori... qu. 1. de myster. vitæ ... item Albert. Riccard ... Palud. & alij ex Schola... 3. simpliciter docue... item in B. Virgine fuis... itio in prima sanctifica... & impeditum ne prodi... inordinatam operatione; ... fuisse tunc ablatum, sed ... sanctificatione, tempore ... fuisse penitus extinctū ... etiam ind cat S. Thō... ... non habuisse ab initio ... originalis iustitiæ, quod ... fuerat Adamo ante ... ad effectum extinguendi

... vero ad negandum ... neque ex his dicendi modis ... ab initio ablatum in B. ... potius auctoritas quorun... Nam Gregor. Nazianz. ... Damasc. lib. 4. Fidei ... Arnold. in Psal. ... & quidam ... Spiritum Sanctum super... in B. Virgini in annuntiatio... tunc purgasse & emundasse, ... habitaculum ad suscepio... ... incarnati efficeret. Quod ... possit intelligi de purgatione ... macula peccati, videtur acci... ... de purgatione aliqua à fomi... ... Fundamentum vero ... ... aliorum cum eo sentien... ... propter dignitatem Christi ... ... ut vbi ante ipsum ... ... fomite peccati. Ita hoc ... ... ipsum adipiscere... ... carnis immortalitatem ... ... ad Fi... ... ipsa inclinatio ... ... extingui fomes peccati in B. Vir... ... tempore autem antecedenti ... dicatur fuisse ligatus.

Conclusio affirmans

Asserendum tamen simpliciter est B. Virginem ab initio, in ipsa prima sua sanctificatione, liberatam, seu præseruatam fuisse à fomite peccati, & hoc pacto hunc fuisse in illa extinctum, quo sublatum, ita vt nunquam in illa fuerit, atque adeo quoad hoc verè ex tunc habuisse donum originalis iustitiæ. Ita docent Scotus & vt plurimum alij qui dicebant B. Virginem fuisse præseruatam ab originali peccato, & ex professo defendunt hoc loco Suarez disp. 4. sect. 4. & Vasq. disp. 118. Kellisonus qu. 27. art. 5. Bonauentura disp. 2. qu. 2. puncto 4. Tannerus tomo 4. disp. 4. qu. 1. dub. 2. Aben in Append. de B. Virg. cap. 2. Salazar in Defens. pro Immacul. Concept. cap. 32. §. 3.

B. Virgo nullū inordinatum motum sensualitati habuit.

Et primo quidem certum esse debet, in B. Virgine nunquam fuisse motum vllum inordinatum partis sensitiuæ, inclinantem ad peccatum, repugnantem rationi, seu præuenientem vsum rationis. Ita pro certo supponit S. Thomas eo art. 3. qui propterea ait, peccati fomitem in B. Virgine ab initio fuisse ligatum, idest ne in motum vllum inordinatum prorumperet, & postea fuisse etiam sublatum: & art. 4. ad 1. idem explicauit. Et colligi id potest ex illis Scripturæ locis & Patrum sententijs, in quibus B. Virgo dicebatur penitus pura & immaculata; possunt enim & debent sic amplè intelligi, vt omnem inordinatum motum partis etiam sensitiuæ excludant. Dicitur etiam B. Virgo nullam habuisse in se pugnam carnis aduersus spiritum, sensus aduersus rationem. Vt enim dixit Cyprian. serm. de Natiuit. Christi, loquens de B. Virgine, *Idem mentis lex carnis non resistebat, rebellio nulla spiritum sprevit afflixit*. Et Riccardus de S. Victore lib. de Emmanuele cap. 29. ad illud propositionem intelligit ... *tabernaculum suum sanctificauit* ... ... Et alij sancti Doctores idem ... Et alij facti Doctores etiam suadetur: quia solent: Ratione etiam corporis quam ... decebat sane ... electa ... Dei, ... fem illius ...

Dei, vt Verbum diuinum ex illa carnẽ ſumeret, eſſe prorſus omnis contagio-nis expertem, nulloq. inordinato motu ad peccatum trahente pulſaretur, ni-hil inordinatum ex eius carne puriſſi-ma pullularet. Atque in hoc inquam omnes Theologi concordant. Et hoc ſolum ſenſu Vaſquez diſp. citata cap. 4. concludit, extingui potuiſſe & extin-ctum fuiſſe peccati fomitem in B. Vir-gine, explicans, fomitem penes ipſos actuales motus ſenſualitatis aduerſus rationem. Sed tamen iuxta commu-nem acceptionem fomes peccati, nõ tam dicitur de ipſis inordinatis mo-tibus ſenſualitatis in actu ſecundo, quam potius de eorum principio & inclina-tione ad illos in actu primo. Et ſic ex-preſſe S. Thomas prænotauit, *Quod fo-mes nihil eſt aliud quàm, inordinata con-cupiſcentia ſenſibilis appetitus, habitualis tamen quia actualis concupiſcentia eſt mo-tus peccati.* De hoc autem videtur diffi-cile, qualiter unquam potuerit auferri & extingui in B. Virgine: & quæ dif-ferentia ſit inter ligari & extingui fo-mitem. Ideo de hac deinceps eſt con-cluſio explicanda.

Nullam qualitatẽ per ſe inclinantem ad malum.

Secundo ergo, illi Theologi qui opi-nati ſunt; ex peccato Adami deriuari in ſingulos homines qualitatẽ quandã præter hominis naturam, & quæ non fuiſſet in puris naturalibus, trahentem & inclinantem ad malum, ſiue diſtinctã & ſuperadditam appetitui ſenſitiuo, ſi-ue eamdem potentiam appetitiuam di-uerſo modo ſe habentem, & in hac morbida qualitate conſtituentes ratio-nem fomitis, hi inquam Theologi faci-le poterant explicare, ſublatum & ex-tinctum fuiſſe huiuſmodi fomitem in B. Virgine per ablationẽ huiuſmodi qua-litatis, ſiue per hoc quod Deus ab ini-tio impedierit & non permiſerit hanc qualitatem & inordinatam affectionem in B. Virgine: ſed potius diſpoſuerit, vt appetitus ſenſitiuus in illa eſſet ſicut naturaliter eſſe debuiſſet in pura natu-ra humana, & in ſtatu innocentiæ. Et ex alia parte iuxta hanc ſententiam poterat quoque explicari, fomitem ali-quando fuiſſe ligatum, ſed non extin-ctum: per hoc ſcilicet quod non fuiſſet ſublata talis qualitas, ſed tamen fuiſ-ſet impedita ne actualiter in motus inordinatos prorumperet. Sed quia nos cũ communiori Theologorum ſenten-tia ſupponimus, non dari talem quan-dam qualitatem præter naturalem ipſum appetitum ſenſitiuum, nec ex pecca-to Adami in poſteros deriuari, vt iam tractauimus 1. 2. qu. 82. & qu. 85. Ita-que non in hac qualitate conſiſtit fo-mes peccati, neque ſic explicari po-teſt, fomitem fuiſſe extinctum aut liga-tum.

Habuit appetitũ ſenſitiuum.

Tertio. Si fomes peccati ſumatur præciſe pro ipſo appetitu ſenſitiuo ſe-cundum ſuam poſitiuam inclinationem ad obiectum ſenſibile: ſic Durandus in 3. d. 3. qu. 3. dixit, reuera non poſſe fomitem peccati ſimpliciter auferri ex humana natura: quia certe non poſ-ſunt auferri ipſæ naturales potentiæ, quæ ſunt homini intrinſecæ. Et in hoc ita ſe habet appetitus ſenſitiuus, ſicut ſe habent ſenſus interni & externi, qui vtique non debent auferri humanæ na-turæ. Non inquam poſſunt aut debent auferri, iuxta conuenientem ſtatum ac diſpoſitionem hominis, alioqui per mutilationem aut morbum poſſunt etiã per vim cauſarum creatarum amitti ſenſus, poſſunt deperdi aliquæ natura-les potentiæ. Sed vtique non hoc pa-cto fuit ablata, aut poterat conueniẽ-ter auferri, vlla naturalis potentia à B. Virgine. At hoc modo etiam in primis parentibus, imo & in Chriſto, dici deberet remãſiſſe fomitem peccati, ſed ligatum & impeditum. Quod ta-men nullatenus debet admitti. Quare alio adhuc modo conatus eſt Durandus explicare, qualiter dici poſſit in B. Vir-gine extinctus aut ligatus fomes pec-cati: & reipſa coincidit in ſequentem explicationem.

Poteſt appetitus coerceri, vel per aſſiſtentiã extrinſecam Dei vel per formam intrinſecam.

Quarto. Magis proprie & in rigore fomes peccati dicitur, appetitus ſen-ſitiuus, non ſimpliciter & abſolute, ſed quatenus expeditus & promptus, vt ex ſe præueniat deliberationẽ ratio-nis, vt inclinet ad malum, ſiue quate-nus non aliquo impedimento frænatus ac retentus ne inclinet ad malum, qua-tenus deſtitutus huiuſmodi impedimẽ-to: quo pacto præter realem & natu-ralem potentiam appetitiuam erga obie-

[illegible]ſibilia, non dicit aliam poſſi[illegible]tatem aut diſpoſitionem, [illegible] notat carentiam talis in[illegible]penſi dictam deſtitutione. [illegible]tem intelligi poteſt impe[illegible]us ſenſitiuus, ne præue[illegible]m, ne tendat ad malum. [illegible]t aſſiſtentiam, & protectio[illegible]cam Dei, qui ita homine [illegible]gat, vt non ſinat appeti[illegible]perari, non concurrat ad [illegible] appetitus motum ante deliberationem noſtræ rationis. Alio modo per formam aliquam intrinſecam ipſi naturali potentiæ impreſſam, qua ita continetur appetitus & rationi ſubdatur, vt non poſſit in malum tendere, vel trahere, aut rationis regimen præuenire.

Hoc planè ſenſu S. Thomas docuit & intellexit, fomitem peccati in B. Virgine fuiſſe prius ligatum & poſtea ſublatum: idest, appetitum ſenſitiuum eius fuiſſe prius diuina prouidentia & protectione ita moderatum, vt nunquam moueretur contra vel citra ordinem rationis: deinde autem fuiſſe, intrinſeca forma, & virtute ita compreſſum & rationi ſubiectum, vt ab intrinſeco in nullum inordinatum motum prorumpere poſſet. Et ſimiliter explicant ac defendunt alij qui cum D. Thoma ſentiunt. Atque ita appetitus ſenſitiuus externa Dei prouidentia impeditus, dicatur fomes ligatus: intrinſeca autem forma compreſſus, dicatur fomes extinctus & ſublatus, ſiue ſimpliciter non dicatur fomes peccati.

Poteſt & debet contineri hac forma intrinſeca.

At vero Suarez, Vaſquez, Bonacina, & quidam alij contendunt, non poſſe hoc modo comprimi & coerceri appetitum ſenſitiuum per huiuſmodi formam intrinſecam, niſi per viſionem beatificam: ſed in homine viatore, Suarez ait, poſſe ad ſummum coerceri ſimul & coniunctim, per virtutes intrinſecas in gradu heroico, & protectionem extrinſecam Dei. Vaſquez autem ait, per eximiam & indeficientem contemplationem & feruentem atque continuam dilectionem Dei, quæ quidem non ſic fuerit in Adamo in ſtatu innocentiæ, ſed fortaſſe fuerit in B. Virgine, aut in eius defectu ſuppleuiſſe externam protectionem Dei. Verùm hoc pacto, dum defendere profitebantur, fuiſſe ab initio extinctum fomitem in B. Virgine & non ſolùm in ſecundo ſtatu ſanctificationis, potiùs recidunt in aliud extremum, vt nunquam dicant verè extinctum, ſed ad ſummum ligatum. Nam ſic planè S. Thomas dicebat, fomitem in primo ſtatu ſanctificationis fuiſſe tantum ligatum, & non extinctum.

Non enim ſufficit quod Suarez addit virtutes in gradu heroico. Nam in alijs quoque inſignibus Sanctis inueniuntur virtutes in gradu heroico, nec tamen in ijs dicitur extinctus fomes. Et S. Thomas quoque in primo ſtatu ſine dubio ſupponebat ſimul has virtutes, & diſertis verbis expreſſit, dicens fuiſſe tunc fomitem in B. Virgine ligatum: *Per abundantiam gratiæ quam in ſanctificatione recepit, & etiam perfectiùs per diuinam prouidentiam ſenſualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem.* Itaque illum priorem ſtatum per diuinam protectionem externam non poſuit ad excluſionem internarum virtutum, ſed ſolùm ad excluſionem talis formæ quæ per ſe haberet totam vim compeſcendi appetitum. Nec etiam ſufficit quod addidit Vaſq. de contemplatione & dilectione Dei. Nam hoc modo etiam in alijs viatoribus, dum exercent huiuſmodi actus, diceretur ſaltem ad tempus pro tunc extingui fomes: quod tamen non dicitur. Et quidem non diceretur abſolute extingui fomes, per ſolos tales actus, ſed ſolùm per formam ſe habentem ad modum habitus. Ac præſertim non diceretur extingui per actus qui ſimpliciter ſubſunt humanæ libertati, & licet de facto continuentur, tamen poſſunt ſimpliciter interrumpi, vt ſine dubio erat in B. Virgine, ad differentiam claræ viſionis & beatificæ dilectionis Dei, quæ erat in Chriſto. Quare hoc pacto ſolùm in Chriſto & alijs Beatis, non autem in B. Virgine, nec in hominibus in ſtatu innocentiæ diceretur extinctus & ſublatus fomes.

Fatendum ergo eſt, extare quandam aliam formam & qualitatem per modum habitus, quæ infundi poſſit à Deo [illegible]

Per hanc formā [illegible] B. Virg[illegible]

per

Liberata à peccati fomite.

per ſe & ab intrinſeco penitus compeſcentem appetitum, & perfectè rationi ſubdentem, ita vt non poſſit per vllum motum inordinatum aut indeliberatū, peruertere aut anteuertere ordinem rationis. Et ita iam ſentimus 1. part. qu. 75. ſect. 4. circa ſtatum innocentiæ primorum hominum. Et planè eſt de mente D. Thomæ aliorumque Theologorum. Quare fatendum etiam eſt, hanc formam & qualitatem fuiſſe, ſaltem in ſecundo ſanctificationis ſtatu, B. Virgini conceſſam, & in eius appetitu ſenſitiuo impreſſam: atque adeo hoc modo fomitem peccati in illa extinctum ſiue ſublatum. Nam ſine dubio tribuenda eſt B. Virgini illa maior directio & potentiarum animæ compoſitio, quæ in hoc genere poterat conuenire: illa ſubiectio appetitus ad rationem illa naturæ integritas, quæ fuerat collata primis parentibus ante peccatum, & promiſſa omnibus poſteris in ſtatu innocentiæ.

Idquè ab initio in prima ſanctificatione.

Quinto vlteriùs. Conuenientius videtur dicere, hanc formam intrinſecā fuiſſe ſtatim ab initio in prima ipſa ſanctificatione B. Virgini conceſſam, atque adeo ex tunc fomitem peccati fuiſſe in illa non ſolùm ligatum, ſed ſublatum & extinctum, ſiue nunquam in illa permiſſum. Tum quia cùm ſupponamus, B. Virginē fuiſſe omnino ab originali macula præſeruatam, nec vnquam fuiſſe illa infectam; conſequens planè fit, vt nec peccati fomes locum in illa habuerit: ſed ſicut illi ſtatim in primo conceptionis inſtāti collata fuit gratia ſanctificationis in anima, ita quoque gratia totalis ſubiectionis in appetitu. Priuatio enim huius ſubiectionis, hic peccati fomes, eſt in nobis effectus originalis peccati, licet non debeatur quando deletur ipſum peccatum: ſed vbi nunquam fuit originale peccatum, nec etiam eſſe debebat illa priuatio, ille fomes. Tum etiam: ſi ipſis primis parentibus de facto collatum fuit huiuſmodi donum internum, vt illo loco diximus, & ſtatim pariter ab initio collatum fuiſſet ſingulis hominibus ſimul cum gratia ſanctificante: ſimiliter dici debet ſtatim in prima ſanctificatione B. Virgini fuiſſe conceſſum: Tum præterea: cùm in ſententia dicente B. Virginem non fuiſſe in peccato conceptam, dicendum ſit illam ab ipſa prima ſanctificatione ſaltem per Dei protectionem extrinſecam cuſtoditam, ne inordinatis ſenſualitatis motibus turbaretur, & concedatur etiam fuiſſe poſſibile in formam intrinſecam, & poſtea fuiſſe illi collatam, qua talis effectus haberetur: conſequenter quoque erit dicere, talem formam fuiſſe in prima ſanctificatione collatam. Nam hic eſt modus magis ſuauis & accomodatus diuinæ prouidentiæ & gubernationi, quo ſolet per cauſas ſecundas, & per virtutes ac formas rebus ipſis inditas adminiſtrare effectus proportionatos. Tum præſertim: hoc nihil derogat dignitati & præeminentiæ quæ debet attribui Chriſto: quod quidem in ſolutione fundamenti oppoſiti oſtendemus: ergo dubitandum non eſt, quin ad B. Virginem extendatur.

Fuit liberata à toto fomite qui dicitur perſona.

Sexto: Dici debet totum ſimul & quoad omnem partem fuiſſe huiuſmodi fomitem in B. Virgine ſublatum. Nempe non ſolùm quoad inclinationem ad peccata mortalia, ſed etiam ad venialia. Nam ita planè decet exquiſitam puritatem & perfectionem B. Virginis. Expers enim prorſus fuit omnis peccati non ſolùm mortalis, ſed etiam venialis non ſolùm poſt ſed etiam ante annunciationem, vt ſect. ſequenti ſtatuemus. Sic ergo etiam dici debet ab initio fuiſſe immunis ab omni inordinato ſenſualitatis motu, per totalem & perfectam ſubiectionem appetitus ad rationem: & nunquam habuiſſe vllam partem fomitis, non ſolùm ad peccata mortalia, ſed nec etiam ad venialia. Item non ſolùm quoad inclinationem ad malum, ſed etiam quoad retardationem a bono. Et S. Thomas quidem id probat, quia alioqui eſſet ponere duo oppoſita ſimul: quòd ſit fomes peccati & non inclinet ad malum. Sed ne videatur vis fieri in nomine: certè in re ipſa opponitur, non inclinari ad malum, & retardari à bono, ſi bonum cadat ſub præcepto: idem enim eſt retardari à bono cadente ſub præcepto, atque inclinari ad malum. Sed etiam

ſi con-

[illegible] bonum non cadens ſub [illegible] cet non appareat talis re[illegible] [illegible] minus intelligi poſſit [illegible] hoc bono abſque incli[illegible] [illegible] quæ proinde non [illegible] peccati [illegible], mali, ſed [illegible] tas boni. Tamen ad co[illegible] [illegible] onem B. Virginis ſpectat [illegible] petitum eius fuiſſe tota[illegible] [illegible] rationi; vt nullam ex [illegible] ret tarditatem vel dif[illegible] [illegible] ad bonum. Dico ex parte ficultatem [illegible] alioqui ſubtrahenda non eſt ſua: [illegible] quæ inerat ex parte illa difficultas, in ipſis operibus per ſe ſpe[illegible] obiecti, & in ieiunio moleſtia fa[illegible] ctaris: vt pote in labore laſſitudinis, & mis & ſitis; in [illegible] ac præſertim acer[illegible] ſic de alijs ſimilibus, ac præſertim acerbiſſimus dolor in paſſione & morte filij, de quo illi prædictum fuit, *tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Sed hæc inquam difficultas non oriebatur ex illa inordinatione appetitus, ſed ex ſola natura obiecti.

Septimò rurſus. Fomes peccati propriè dicitur reſpectu perſonæ penes inclinationem ad proprias eius operationes prout hactenus loquuti ſumus. Sed propter illos Theologos qui nominabant etiam fomitem naturæ penes vim naturalis generationis ad transfundendam in alios luem originalem, explicandum eſt etiam, quomodo de hoc ſentiendum & loquendum ſit. Et quidem ſi priores illi Theologi, ideò ſpecialiter dicebant, fomitem ſic dictum naturæ ſublatum fuiſſe B. Virgini quãdo fuit ab Angelo nunciata, ad hoc vt defenderent, non debuiſſe in Chriſtum transfundi originale peccatum; planè rem inutilem cogitarunt. Quia nimirum ratio quare originale peccatum, aut debitum nullatenus ſpectabat ad Chriſtum, ſumebatur non ſolùm ex diuinitate ipſa Chriſti, ſed per ſe ex modo ipſo conceptionis abſque opera viri: ita quòd ſi ex quacumque femina non ſolùm grauata fomite peccati, ſed actualiter infecta contagio ipſo peccati & quotcunque alijs perſonalibus peccatis, Deus ſua potentia faciat vt concipiatur filius abſque opera viri: ad hũc filium nihil ſpectaret lex originalis peccati, quia pactum Adami comprehen-

Etiam à fomite qui dicitur natura.

debat ſolùm filios naturali modo per ſeminalem propagationem gignendos. Quinimò pactum illud ex alia parte ſic intelligi poteſt, vt comprehendat omnes penitus poſteros qui ſimpliciter hoc modo ex Adamo deſcenderent. Et ſic fomes qui dicebatur naturæ, permanſiſſet potiùs ſemper in B. Virgine, etiam poſt ſecundam ſanctificationem: ita ſcilicet; quòd ſi ipſa naturali modo cõcepiſſet alium filium, hic traxiſſet ex Adamo originale peccatum. Vnde illi qui dixerunt, de facto concepiſſe poſtea alios filios ex Ioſepho, non illos eximebant à communi labe originalis peccati. Adhuc tamen poteſt aliter aſſignari pactum initum cum Adamo, cum tali limitatione, vt comprehenderet ſolùm illos poſteros qui naſcerentur ex parentibus cũ inordinato ardore libidinis, ſiue habentibus inordinatam inclinationem ſenſualem ad voluptatem carnis, carentibus perfecta ſubiectione appetitus ad rationem, quod eſt dicere habentibus fomitem peccati qui dicebatur perſonæ. Hoc ſane modo aſſerit S. Thomas implicare oppoſitionem in illa ſententia quæ dicebat, ſublatum ab initio fuiſſe fomitem perſonæ, ſed remanſiſſe fomitem naturæ: *Nam ſecundùm Auguſt. lib. de Nuptijs & Concupiſcentia, libido eſt quæ peccatum originale tranſmittit in prolem, libido autem importat inordinatam concupiſcentiam, quæ non totaliter ſubditur rationi*. Itaque ſicut dicebatur in B. Virgine ſublatus fomes perſonæ quantum ad proprias operationes, ita etiam dici debebit de fomite naturæ quantum ad vim transfundendi originale peccatum.

Octauò tandem concludendum eſt, B. Virginem ab initio in ipſa prima ſua ſanctificatione fuiſſe dono originalis iuſtitiæ præmunitam. Etenim conuenit planè dicere, cùm non contraxerit originale peccatum ex Adamo, accepiſſe originalem iuſtitiam à Deo ex meritis Chriſti. Originalis autem iuſtitia non importat ſolùm gratiam ſanctificantem cum virtutibus infuſis: nam de facto dum infunditur paruulis in Baptiſmo hæc gratia cum virtutibus, non per hoc dicitur infundi originalis iuſtitia. Sed importat præterea perfectam ſubiectio-

Fuit dono originalis iuſtitiæ præmunita.

Digitized by Google

bjectionem partis ſenſitiuæ ad partem rationalem, ſimul cum perfecta ſubiectione totius animæ ad Deum. Qui vero dicebant, talem ſubiectionem in Adamo ipſo præſtitam fuiſſe per externam prouidentiam Dei, pariter penes hanc prouidentiam conſtituerunt in B. Virgine: Sed S. Thomas ſupponens, in Adamo præſtitam fuiſſe per formam intrinſecam, & dicens hanc formam non fuiſſe ab initio collatam B. Virgini, conſequenter non ex tunc illi tribuit originalem iuſtitiam, ſaltem tamen tribuit in ſecundo ſtatu ſanctificationis. At dum nos aſſerimus, fuiſſe ab initio in B. Virgine per talem formam intrinſecam perfectè ſubordinatum appetitum ſenſitiuum rationi, vltro etiam dicere debemus, ex tunc illi fuiſſe donum originalis iuſtitiæ collatum, ſicut fuerat primis parẽtibus in eorum creatione. Cũ hoc ſolùm diſcrimine, quod in illis importabat etiam donum immortalitatis & impaſſibilitatis cuiuſdã in corpore, eo nempe modo quo eodẽ loco primæ partis tractauimus: B. Virgo tamen ſecundùm corpus relicta fuit capax patiendi & moriendi, ſicut & corpus ipſum Chriſti.

Diluitur oppoſitum fundamẽtum.

Iam ad fundamentum prioris ſententiæ ex Patrum authoritate deſumptum, dici poteſt cum eodem D. Thoma illo art. 3. ad 3., Spiritum ſanctum non purgaſſe B. Virginem in conceptione Chriſti ab vlla impuritate peccati vel fomitis, ſed ſolùm mentẽ eius magis in vnum colligendo, & à multitudine ſuſtollendo, ſicut & apud Dionyſiũ, Angeli purgari dicuntur. Vel potiùs illi Patres ſic explicabant & inculcabant, Spiritumſanctum per ſe operatum fuiſſe conceptionem Chriſti in B. Virgine, & ſic eam ſeruaſſe puram & mundam ab omni ſorde carnali, ab omni ſenſu libidinis, & ab omni immunditia. Et hic planè ſenſus ex eorum diſcurſu & intento colligitur. Ad aliud fundamentum ex Chriſti dignitate deductum, dicendum eſt, ad hanc ipſam dignitatẽ magis conuenienſ fuiſſe, vt antecedenter B. Virgo eſſet prorſus libera à fomite peccati ſicut vtique conueniens fuit vt eſſet penitus libera à peccato, ſicut D. Thomas ipſe fatetur, B. Virginem ante Chriſtum fuiſſe penitus [immunem] omnis perſonalis culpæ [actua]lis. Diſcrimen vero eſt de [gloria] & immortalitate carnis: [quæ qui]dem ſe habent per modum [complementi,] complementi, nec conueniebat vt [ante] hoc quiſquam præter Chriſto, & ante Chriſtum perueniret ad terminum: at quoad alias perfectiones & dona gratiæ, conſtat tot alios homines fuiſſe antea valde Sanctos & perfectos. Ac ſpecialiter quoad ea quæ diſponebant & præparabant habitaculum ipſi Chriſto, conueniebat B. Virginem ſingularibus donis eſſe præuentam: & præcipua diſpoſitio eſſe debebat, maxima puritas & munditia, ad quam ſpectabat totalis immunitas & exemptio, non ſolùm à peccato, ſed etiam à fomite peccati.

SECTIO DECIMA OCTAVA.

Vtrum B. Virgo fuerit ſemper expers omnis actualis peccati, donumque confirmationis & impeccabilitatis habuerit.

CONfirmandum nunc vlteriùs ſequitur, quod iam attigimus, & ſpectat ad totum curſum eius vitæ, B. Virginem nullum vnquam in ſuis actibus admiſiſſe peccatum. Non defuerunt enim Hæretici, qui aliquorum vel mortalium vel ſaltem venialium peccatorum, eam accuſare non erubuerint, vt de Caluino & quibuſdam alijs refert Caniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 10. Et occaſionem rapuerunt ex quibuſdam Euangelij locis in hunc impium ſenſum detortis, cum nonnullis etiam obſcurioribus dictis SS. Patrum.

Error imputans B. Virginali, quæ peccata.

Impingunt B. Virgini crimen infidelitatis & incredulitatis, quando Angelo ſalutanti reſpondit, *Quomodo fiet iſtud?* Vbi Athanaſ. in Euang. de Sanctiſs. Deipara pag. 4., Chryſoſt. homil. 49. in Geneſ., Auctor Quæſtionum noui & veteris teſtam. qu. 51. inter opera Auguſtini tomo 4., Euthimius ſuper illa verba Lucæ 1., & quidam alij indicant, B. Virginem illis verbis dubitaſſe

de po-

Digitized by Google

te Dei, & ideo Angelum con[...] in fide ex facto Eliſabeth in ſenectute conceperat. [...]ingunt crimen grauis negli[...]tiæ, quando nimium ami[...] quod Caluinus comparat [...] Heuæ, quæ ſua trangreſ[ſione] perdidit humanum genus. [...]unt infidelitatis delictum [...], ex illis verbis Simeonis [Et tuam] ipſius animam pertranſi[bit] gladius dicunt infidelitatis. [...] aliqui Patres ſignificant B. [Virginem tunc] dubitaſſe de diuinitate [Filij, Origenes] homil. 17. in Lucam, [Baſilius in Epiſt.] ad Optimum, vt aſſert S. Tho. qu. 27. art. 4. ad 2., idem Au[ctor] Quæſtionum inter opera Auguſt. qu. 73. & quidam alij.

Ruſſus iactant, ab eodem Chriſto fuiſſe B. Virginem alicuius culpæ nota[tam] ac reprehenſam; Nempe cuiuſdã humanæ ambitionis & inanis gloriæ, aut importunitatis & arrogantiæ, quando tacite petijt à Chriſto miraculum illis verbis in conuiuio Ioann. 2. *Vinum non habent*; & Chriſtus illi reſpondit, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Et ita ibi in[terpre]tant Chyſoſt. Euthim. Theoblact. & Athanaſ. ſerm. 4. cont. Arianos, & Ire[næus] lib. 3. cont. hæreſes cap. 18. Item quando ad Chriſtum publice prædicantem acceſſit quærens loqui ei Matth. 12. & Chriſtus reſpondit, *Quæ eſt mater mea & qui ſunt fratres mei?* Et ita indicat Chyſoſt. in eundem locum.

Accedunt alia teſtimonia, in quibus vniuerſaliter & abſque exceptione omnibus attribuuntur aliqua peccata: Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*: Ioann. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Et ideo etiam omnes veraciter dicimus in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra*, quam orationẽ ſine dubio B. Virgo ſæpius recitabat. Atque ex his locis Concil. Mileuit. can. 6. & 8. definiuit, neminem tranſigere hãc vitã abſque omni peccato, nec excepit B. Virginem.

Ex aduerſo aliqui Theologi, vt quàm acerrimè huic errori obſiſterent, docuerunt B. Virginem ne potentiam quidem & libertatem ad peccandum habuiſſe, ſed impeccabilitatis dono fuiſſe à Deo confirmatam. Almain quidem

Sententia tribuentes illi donũ

in 3. d. 12. qu. 2. abſolutè pro omni tempore & de omni peccato dixit, B. Virginẽ fuiſſe impeccabilẽ. Ocham. vero & Gabriel in 3. d. 3. q. 2. dixerunt B. Virginem ab initio primæ ſanctificationis habuiſſe donum confirmationis quo nõ poſſet peccare mortaliter, ſed in altera ſanctificatione tempore annunciationis habuiſſe vt nec poſſet venialiter. D. Thomas autem in 3. d. 3. qu. 1. art. 2., Bonau. art. 2. q. 2. Riccard. art. 1. qu. 4. Paludan. qu. 3. art. 4., Marſil. qu. 4., Alenſis 3. par. qu. 9. memb. 3. art. 2. §. 2., & expreſsè etiam Riccardus de S. Victore lib. 2. de Emmanuele cap. 30. & ſuper cant. cap. 26., dixerunt, B. Virginem ex tempore ſaltem illius ſanctificationis quam accepit in ſalutatione Angeli, habuiſſe ſimpliciter donum impeccabilitatis, ita vt cùm antea quidem non peccaſſet, deinceps nec potuerit peccare.

impeccabilitatis.

In hac re certum quidẽ omnino eſt, B. Virginem in toto curſu ſuæ vitæ, ab initio vſque ad finem, expertem prorſus fuiſſe omnis peccati, nec vnquam vel leuiſſimam vllã culpam incurriſſe; Ita D. Thom. q. 27. art. 4., & abſque vlla diſſentione omnes Theologi docẽt; Et cenſetur eſſe perpetua Eccleſiæ traditio, ſemper apud Catholicos Doctores omneſquẽ Fideles conſtanter retenta. Et a fortiori fulcitur ijs Scripturæ & Patrum teſtimonijs, quæ antea ad duximus pro immunitate B. Virginis ab originali peccato: ſaltem enim conuincunt, eam fuiſſe prorſus expertem omnis actualis peccati; & in ſuis actionibus ſemper penitus immaculatam & inculpatam. Habetur etiam de hac re ſpecifica & expreſſa reuelatio facta B. Birgittæ lib. 3. cap. 3. Refert quoque Andræas de Vega lib. 14. ſuper Concil. Trid. cap. 18. veritatem hanc fuiſſe iampridem ab Eccleſia definitam in Concilio quodam Claramontano præſidente Vrbano Secundo Pontifice. Nuper autem Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 23., cùm definiret, neminem in hac vita poſſe omnia venialia peccata vitare, hanc expreſſam exceptionem adiecit, *Niſi ex ſpeciali Dei priuilegio: quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*: vbi Concilium non ſolùm rem approbat & confirmat,

B. Virgo fuit ſemper expers omnis peccati.

Digitized by Google

firmat, ſed teſtatur etiam de antecedenti ſenſu & firma exiſtimatione Eccleſiæ. Ratione vero hoc idem ſatis ſuadetur, cum D. Thom. art. cit., ex ipſa conuenientia & decentia, vt illa quæ receptura erat in vtero Deum, quæ de ſuo ſanguine erat miniſtratura humanum corpus ipſi Deo, in nullo antea deliquiſſet, & nec leuiter quidem deceſſiſſet: itemque vt illa quæ iam geſtauerat & in lucem protulerat humanatum Deum, & vere erat mater Dei, nullo poſtea crimine dehoneſtaretur, nulla vel leui macula in tota ſua vita deturparetur. Vbi piæ mentes ex ſe horrent oppoſitum cogitare vel ſuſpicari.

Explicātur quædam loca Scripturæ.

Facile autem eſt, ad ea quæ in oppoſitum adducebantur ſatisfacere. Quando enim B. Virgo interrogauit Angelum, *Quomodo fiet iſtud*, non dubitando de re, ſed inquirendo de modo interrogauit, vt communiter ſacri Doctores aduertunt. Et illi qui dixerunt, B. Virginem dubitaſſe, nequaquam vllam incredulitatis culpam imputare illi voluerunt: ſed adhuc intellexerunt, dubitaſſe de modo, an ſcilicet Deus diſpenſare vellet in voto virginitatis eius vel ſuprema poteſtate facere vellet, vt ſine virginitatis iactura conciperet. Et ideo Angelum ex facto Eliſabeth indicaſſe modum ex diuina virtute & poteſtate. Vnde aduertunt, longè diuerſam fuiſſe interrogationem Zaccariæ, qui dubitauit & dixit, *Vnde hoc ſciam?* Et ideo illum merito fuiſſe correptum & caſtigatum: B. autem Maria potiùs fuit de ſua fide laudata ab eadem Eliſabeth, *Beata quæ credidiſti*. Quando deinde B. Virgo filium amiſit, facillimè id contingere potuit, & ſine dubio contigit abſque vlla eius culpa vel negligentia, nam prudenter exiſtimare poterat illum eſſe in comitatu; & probè ſciebat non potuiſſe filium niſi ex ſua voluntate recedere: & ideo tanquam de facto illi voluntario, & non caſuali eum interpellauit illis verbis, *Fili quid feciſti nobis ſic?* Quando demum B. Virgo vidit filium patientem, conſtantiſſimè ſemper fidem retinuit, & ſumma pietate acerbiſſimum dolorem ſuſtinuit. Et hunc dolorem, non autem infidelitatem vllam, Simeon vocauit gladium, vt Sacri Doctores communiter exponunt. Eos vero Patres qui B. Virgini dubitationem tribuere videbantur, S. Thomas qu. 27. art. 4. ad 2. exponit, eo nomine intellexiſſe ſummam admirationem & prudentem diſcuſſionem rerum.

Explicantur alia loca.

Rurſus quando in conuiuio apud Canam Galilęæ miraculum poſtulauit, nullius prorſus culpæ aut defectus notari poterat, ſed potiùs commendari valde debet inſignis fidei & confidentiæ erga Chriſtum, charitatis & pietatis erga ſponſos & conuiuas. Neque vlla tenus fuit à Chriſto reprehenſa aut obiurgata. Quinimo ſtatim B. Virgo admonuit miniſtros vt facerent quicquid Chriſtus iuberet, & Chriſtus iuſſit impleri hydrias aqua, illamque miraculosè conuertit in vinum. Sed illa verba Chriſti, ſic exponit Iuſtinus Martyr q. 136. ad Gentes: non pertinet ad meam & tuam curam prouidere de vino; ſed quamuis non pertineret, tamen ad interceſſionem matris facto ipſo prouidit. Aliter exponit Auguſt. tract. 8. in Ioann. quem plures alij ſequuti ſunt. Nihil auctoritatis in me habes quantum ad diuinitatem meam, ſiue quantum ad poteſtatem faciendi miracula: ſed tamen ad eius humilem deprecationem reipſa fecit miraculum. Explicare autem illud voluit Chriſtus, non ad inſtructionem eiuſdem B. Virginis, quæ id probe ſciebat, ſed circumſtantium. Quando vero B. Virgo ad Chriſtum prædicantem acceſſit, non dicitur quod ipſa iuſſerit nunciari Chriſto ſe adeſſe, ſed potiùs quod ipſa foris expectante, alij ex adſtantibus id illi nunciauerint: vnde Chriſtus ad eos eo modo reſpondit, vt admoneret non debere officium prædicationis deſeri aut interrumpi. Sed quia Chryſoſt. vtroque caſu videbatur aliquem humanum affectum B. Virgini tribuiſſe, de quo fuerit à Chriſto admonita: ideo D. Thom. eod. art. 4. ad 5. ait Chryſoſt. in hoc exceſſiſſe. Vel poſſe exponi, quòd poterat ſic exteriùs apparere, & ab alijs apprehendi, & ideo Chriſtum voluiſſe hanc apparentiam vel ſuſpitionem emendari. Et ſic faciliùs exponi poterunt alij Patres, quæ

circa

Digitized by Google

... ſimili modo loquuntur ... domum vniuerſales ... quæ omnibus hominibus ... peccata, optime adhibent exceptionem de B. Virgine. Concil. ipſum Trident. ... illam clauſulam orationis qua petimus remiſſionem ... B. Virgo proferebat ... Eccleſiæ, & ſic orabat ... quidem omnes indigebant remiſſione peccatorum.

Iuxta hoc fatendum iam & aſſerendum eſt, B. Virginem habuiſſe a Deo ab initio vſque ad finem per totam vitam perfectiſſimũ donum cõſirmationis in gratia & in omni bono, quo factũ ſit vt nunquam actualiter peccauerit. Etenim confirmatio in gratia dicitur, qua ſit vt nunquam quis amittat gratiam, vt nunquam mortaliter peccatur: aut etiam importat extraordinariam quandam abundantiam auxiliorum ad hunc effectum, vel reuelationem & certitudinem de futura perſeuerantia: quo pacto donum confirmationis in gratia conceſſum eſt quibuſdam inſignibus ſanctis. Etſic procul dubio cõceſſum fuit B. Virgini. Atque inſuper confirmatio in omni bono addit ſimilẽ abundantiam auxiliorum & ſecuritatem nunquam peccandi venialiter: & hæc fuit ſingulariter conceſſa B. Virgini. De alijs autem quibuſcunque ſanctis cenſendum eſt, nulli alteri in hac vita conceſſum eſſe hoc donum, vt ad longum tempus omnia venialia peccata vitaret. Et ita habetur ex illo loco Concilij Trident. ſupra allato, & iam tractauimus ſuo loco 1. 2. in materia de gratia.

B. Virgo habuit donum confirmationis.

Præter hoc, non oportet B. Virgini tribuere aliquod aliud donum impeccabilitatis, quo non ſolum factum ſit vt nunquam peccaret, ſed etiam vt peccare non poſſet. Chriſtus quidem erat impeccabilis ab intrinſeco ratione vnionis hypoſtaticæ, eo modo quo antea explicauimus. Sed nihil tale in B. Virgine inuenitur. Item Chriſtus & omnes Beati ſunt impeccabiles ratione viſionis beatificæ. Sed nec etiam hanc viſionem habuit ſaltem permanenter B. Virgo, dum mortalem vitam agebat in terris. Indicauit Riccard. de S. Victore, B. Virginem habuiſſe vt peccare non poſſet, per donum eximiæ contemplationis & feruentiſſimæ dilectionis Dei. Sed vere quidem dicere valebit, ſimul cum hoc actu dilectionis nõ potuiſſe coniungi vllum peccatum, quia hic actus importabat voluntatem placendi Deo in omnibus, & abſtinendi ab omni peccato non ſolum mortali, ſed etiam veniali, ita enim perfecta & feruens erat dilectio B. Virginis erga Deum: tamen ad huiuſmodi dilectionem, ac etiam ad contemplationem illi præuiam, B. Virgo non habebat antecedentem neceſſitatem, quo minùs ab illa deſiſtere poſſet, quam quidem neceſſitatem, habent Beati in videndo ac diligendo Deum: & hæc neceſſitas addi debuiſſet ad hoc vt B. Virgo ſimpliciter peccare non poſſet. Indicarunt Ocham. & Gabriel, B. Virginem habuiſſe vt peccare non poſſet, per extinctionem fomitis peccati. ex prima quidem ſanctificatione vt non poſſet peccare mortaliter, in altera vero vt nec venialiter. Sed certè, etiã abſque illo fomite peccati qui eſt in humana natura lapſa, poſſunt adhuc peccata cõtingere: nam primi parentes & Angeli ipſi peccarunt, non ex incentiuo fomitis, ſed ex propria libertate: quamuis ergo in B. Virgine extinctus fuerit fomes incitans ad peccatum, hoc non ſufficit vt ſimpliciter peccare non poſſet.

Non tamẽ impeccabilitatis.

Indicauit demum Paludanus, inditam fuiſſe a Deo in voluntate B. Virginis quandam qualitatem ſeu habitum, auferentem quodammodo potentiam & libertatem ad peccandum, ſiue inferentem neceſſitatem ad non conſentiendum in vllum peccatum. Sed certe cogitari non poteſt huiuſmodi habitus, quaſi auferens partem aliquam humanæ voluntati. Nec etiam videtur cogitari poſſe, quaſi inducens ſolum negatiue neceſſitatem, vt non poſſit voluntas conſentire in peccatum. Sed ſolùm cogitari poſſet, tanquam neceſſario ſemper actualiter & poſitiuè inducens voluntatem ad actum volendi in omnibus placere Deo. At hic erat actus dilectionis: de quo iam diximus

non eſſe neceſſarium niſi in Beatis: & certè B. Virgo per huiuſmodi actum quamdiu erat in via verè merebatur, quare illum liberè exercebat, & pro quacunque parte temporis poterat pro ſua libertate ab illo ceſſare, quamuis de facto ſemper in illo perſiſtebat. Itaque tandem non apparet, quonam modo B. Virgo haberet in ſe intrinſecè neceſſitatem ad non peccandum, impotentiam ad peccandum. Solum dici poterit ex ſuppoſitione talis diuinæ protectionis & collectionis auxiliorum efficacium in omnibus actibus & caſibus, quibus B. Virgo ita dirigebatur & cuſtodiebatur vt non peccaret, quod vt ſic peccare non poterat. Quæ tamen eſt neceſſitas conſequens & in ſenſu compoſito, & reperitur in omnibus hominibus & caſibus quibus Deus auxilia efficacia largitur. Et non ſufficit, vt B. Virgo abſolutè loquendo dicatur impeccabilis: quia hoc nomen denotat neceſſitatem magis ab intrinſeco & antecedentem, ſicut conuenit Chriſto & Beatis. Item, vt conſtituatur aliquod diſcrimen inter ſecundam & primam ſanctificationem, conſiderari poteſt, in ſecunda ſanctificatione ac deinceps collata fuiſſe B. Virgini abundantiora dona & auxilia gratiæ, ſublimiorem contemplationem & feruentiorem dilectionem Dei, donec tandem in conſummata ſanctificatione, ideſt in glorificatione illi datum fuit vndequaque perfectum donū impeccabilitatis.

SECTIO DECIMA NONA.

De Perfectione & progreſſu Sanctitatis alijſque donis ſupernaturalibus B. Mariæ.

NOn ſufficit vidiſſe B. Mariam fuiſſe in ipſo primo ſuæ vitæ exordio ac deinceps in toto decurſu ſemper ſanctam & immaculatam. Sed videndum adhuc ſupereſt, quantam ſanctitatis perfectionem, quem progreſſum, quibus alijs ſupernaturalibus donis cumulata fuerit. Qua breui collectione hunc tractatum de B. Virgine concludamus.

In primis habuit B. Virgo ſanctitatis perfectionem præ omnibus alijs Sanctis. Ita docuit S. Thomas eadem quæſt. 27. art. 5. Hic quidem optima ratione: Quia quanto magis ſubiectū appropinquat principio, tanto magis participat effectum illius: principium autem ſanctitatis & gratiæ, eſt Chriſtus Dominus: B. autem Virgo Maria fuit propinquiſſima Chriſto: ergo participauit excellentiorem gratiæ & ſanctitatis gradum præ omnibus alijs. Et ſic B. Virgo per excellentiam, in cōparatione aliorum, vocata fuit, *Gratia plena*, & dicitur habuiſſe plenitudinem ſanctitatis & gratiæ. Atque hæc intelligitur de ipſa prima ſanctificationis gratia quam ab initio B. Virgo accepit à Deo. De hac enim loquutus eſt, S. Thomas, & alij Theologi communiter approbant. Quia ex tunc B. Virgo erat deſtinata propinquiſſima Chriſto, & præparabatur vt eſſet mater Dei.

B. Maria abſolutè excelluit [illegible] ſingulorum aliorum.

Hinc autem Caietan. deducit, comparationem hanc fieri ſolum cum alijs ſanctis hominibus non verò cum ſanctis Angelis. Tum quia, inquit, conſtat, gratiam quæ data fuit B. Virgini in vtero matris, fuiſſe minorem gratia Angelorum Beatorum. Tum quia S. Thomas loquutus ſolùm eſt de gratia viatorum, vt patet ex reſponſ. ad 2. Tum etiam eius ratio procedit ſolùm in comparatione ad homines: nam B. Virgo eſt propinquior Chriſto ſolùm ſecundùm humanitatem, cùm alioqui Angeli ſint propinquiores Deo ſecundum diuinitatē. Non dixit Caiet., ſecundū beatitudinem, vt Suarez & Vaſq. referunt, & fruſtra impugnant: ſed intellexit ſanè Angelos ſecundùm naturam ſuam eſſe propinquiores naturæ ipſi diuinæ. Item aliqui explicant, B. Virginem ab initio habuiſſe maiorem gratiam & ſanctitatem quàm ſimiliter ab initio quicunque alij ſancti habuerint, non autem quàm habuerint in fine ſuæ vitæ & in adeptione gloriæ.

Vt plurimùm tamen alij Theologi piè exiſtimant, B. Virginem in ipſa prima ſanctificatione habuiſſe maiorem gratiam, non ſolùm præ alijs hominibus, ſed etiam præ Angelis ſanctis;

Tam Angelorum quàm hominum.

& non

Digitized by Google

...m ſupra gratiam aliorum in ...ſed etiam in fine, & in ſtatu ...inis. Et in hoc ſenſu po... accipi concluſio & ratio S. ...ſic intelligunt ac defen... ſuper eundem articulum, ...4. ſect. 1. Vaſq. diſput. ...& alij. Et hoc quidem ...ruit eximiæ dignitati, ad ...electa erat. Et ſic po... accipi de B. Virgine il... ...Pſalmi 86. *Fundamenta eius in mõ-tibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*: quod ſci-licet primum fundamentum ſanctitatis B. Mariæ, incepit ſupra apicem ſancti-tatis aliorum: & plus dilexit Dominus, ideſt maiori gratia gratum faciente exornauit, introitum B. Mariæ in hunc mundum, quàm completum ædificium & exitum omnium aliorum Sanctorum. Et ſimiliter illud Iſaiæ 2. *Et erit in nouiſſi-mis diebus præparatus mons domus Domi-ni in vertice montium*. Quare ad ratio-nes Caier. dicendum eſt, B. Virginem ab initio habuiſſe maiorem gratiam præ gratia Angelorum beatorum, non au-tem præ ipſa beatitudine illorum. Nã beatitudo eſt eſſentialiter perfectior quàm gratia, & B. Virgo non habuit beatitudinem, ſed comparatio ſolùm fit in intenſione gratiæ. Et ita verè S. Thomas loquutus eſt de gratia viato-rum, quæ tamen permanet quoque in Beatis; & ideo in reſponſione ad 2. addit aliam perfectiorem gratiam com-prehenſoris, ideſt beatitudinem ipſam, quam B. Virgo habuit poſt hanc vitam. Atque ratio S. Thom. procedit etiam reſpectu Angelorum: quia propinqui-tas quam intellexit, non erat ſecun-dùm ſimilitudinem naturæ, ſed ſecun-dum relationem & dignitatem mater-nitatis.

Et non principio ipſa beat... reſt op... Thomas dant Me... Suarez ... 119. cap... magis ... B. Virgo ...

In progreſſu vitæ inceſſanter perfectiſſi-mos ſanctitatis actus exercebat.

Secundò vlteriùs. Poſt hanc primam ſanctificationem B. Virgo deinceps ſan-ctiſſimam ſanè vitam egit, non ſolùm per declinationem à malo, expertem omnis peccati, vt dictum eſt: ſed vti-que etiam per exercitium omnis boni, non ſolùm inquam in obſeruandis præ-ceptis quæ occurrebant, ſed in alijs inſignibus virtutum actibus. Et in hoc etiam ſine dubio longè exceſſit & ſupe-rauit omnes alios Sanctos. De qua re, & de virtutibus B. Mariæ, cum ſumma illius laude eloqui ſolent Sacri Docto-res. Omneſque prorſus actus quos B. Virgo exercuit, erant boni ac ſancti. Nullus enim erat indeliberatus: ſi qui-dem habebat perfectum dominiũ om-nium ſuarum operationum & potentia-rum, etiam ſcilicet appetitus ſenſitiui ne præueniret imperium rationis. Nul-lus erat malus, vt iam ſtatutum eſt. Nullus erat indifferens: quia licèt in alijs admittantur actus indifferentes in indiuiduo, tamen B. Virgo ex ſua inſi-gni perfectione non operabatur niſi ob pium & ſanctum finem, atque adeo nunquam indifferenter inter malum & bonum. Omnes ergo actus quos exer-cebat, erant boni ac ſancti. Atque ſemper & indeſinenter aliquem bonum actum exercebat: nunquam enim erat otioſa, & nullo impedimento detine-batur. Ac ſpecialiter, vel aſſiduè, vel ſaltem frequentiſſimè ſe in dilectione Dei exercebat, qui eſt perfectiſſimus actus. Imo aliqui ij Doctores cenſent habuiſſe tale Dei donum, vt etiam cum dormiebat, poſſet ſecundum ſuperiorẽ animæ partem vacare contemplationi ac dilectioni Dei. Et ita indicant Ru-pertus lib. 5. in Cantica, & D. Bernar-din. Senenſis tomo 1. ſerm. 51. & tomo 3. ſerm. 4. de B. Virgine: qui ad hunc ſenſum accomodant illud Cantic. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat*, & illud Ierem. 1. *Virgam vigilantem ego video*. Porrò in omnibus his ſuis actibus B. Vir-go verè apud Deum merebatur. Nam ipſi actus præditi ſine dubio erant om-nibus cõditionibus ad meritum requi-ſitis. Et B. Virgo dum erat in via, erat in ſtatu merendi: ſi quidem non erat adhuc beata, ſicut fuit Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis, qui proin-de non merebatur gloriam eſſentialem pro ſe ipſo: at B. Virgo dum vitam mortalem agebat, tendebat ad beati-tudinem ſuis meritis acquirendam.

Vſque ad finem vitæ in gratia & gloria augenda profecit.

Tertiò. Quia per huiuſmodi actus bonos & meritorios iuſti merentur aug-mentum gloriæ pro alia vita, & gratiæ pro hac vita; & ſic in ſanctitate non ſolùm actuali, ſed etiam habituali pro-ficiunt & creſcunt: aliqui tamen Theo-

logi

logi opinati ſunt, B. Virginem ſolum vſque ad conceptionem Chriſti hoc modo in ſanctitate habituali profeciſſe, conſequendo ſcilicet maius ac maius augmentum gratiæ habitualis; non autem deinceps pro reliquo tempore vſque ad finem vitæ: eo quod tunc adepta fuerit ſummam gratiæ intenſionem quæ illi conueniebat. Ita docuit Almain in 3. diſt. 3. quæſt. 2. notat. 2., & dubitauit Scotus in 4. d. 4. qu. 6. Videtur fauere D. Thomas qu. 27. art. 5. ad 6., vbi ait, in conceptione Filij Dei conſummatam fuiſſe gratiam B. Virginis. Et D. Bernardin. Senenſ. ſerm. 51., vbi ait B. Virginem tunc accepiſſe tantam gratiam quantam poterat viatrix creatura. Et Damaſc. Orat. 1. de Dormit. Deiparæ, vbi ait, illam in conceptione Filij accepiſſe eam perfectionem ſeu beatitudinem quam alij ſolent in morte. Et colligi poteſt ex illis verbis Angeli, quando in ſalutatione eam appellauit *Gratia plenam*: quaſi ſcilicet plus gratiæ percipere non poſſet.

Certum tamen eſſe debet, B. Virginem per totum tempus ſuæ vitæ mortalis, etiam inquam poſt conceptionē Filij vſque ad mortem ſuam, in ſanctitate habituali profeciſſe, & nouum augmentum gratiæ identidem obtinuiſſe. Ita communiter Theologi ſentiunt vel ſupponunt, Bonauent. in Speculo Mariæ cap. 9., Durand. in 3. d. 3. q. 4., Gabr. q. 2. art. 3. dub. 1., Sotus in 4. d. 5. qu. vnica art. 2., Vega lib. 10. ſuper Concil. cap. 2. Suarez hic diſput. 18. ſect. 1., Vaſq. diſp. 119. cap. 5., & alij. Neque S. Thom. oppoſitum docuit: ſed vocauit ſolùm gratiam conſummatam ob extinctionem fomitis, vt dixerat art. 3., vel fortaſſe etiam ob aliud donum confirmationis aut impeccabilitatis, vt dixerat in 3. ſententiar. Vnde rurſus aliam gratiam conſummatam tribuit B. Virgini in glorificatione. D. Bernardinus verò voluiſſe videtur, B. Virginem accepiſſe tantam gratiam, quantam vlla alia creatura, non autem quantam acceptura deinceps erat ipſamet B. Virgo. Et Damaſc. intellexit, B. Virginem accepiſſe in conceptione Filij illam abundantiam gratiæ & ſublimem dignitatem, ob quam iure dici poſſet beata, ſicut alij ſancti per mortem acquirunt beatitudinem: iuxta illud oraculum ipſius Virginis, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Angelus demum eam vocauit gratia plenam, tum ob maximam abundantiam gratiæ, tum ob varietatem & copiam omnium gratiarum: non verò quod plus gratiæ in intenſione perceptura non eſſet. Iam verò ex dictis probatur aſſertio: quia toto tempore quo B. Virgo vixit in terris, verè aderant omnes conditiones requiſitæ ad meritum, atque adeo ad hoc augmentum, tam inquam requiſitæ ex parte operantis quam ex parte operum, cum B. Virgo ſemper fuerit in conſueto & ordinario ſtatu viæ. Nullaque ratio eſt, quare a tempore conceptionis Chriſti non debuerit deinceps conſequi ſemper maius augmentum gratiæ & mereri maius augmentum gloriæ.

Nec accepit terminum in conceptione Christi.

Vel enim ratio eſſet, quia per cōceptionem Chriſti fuiſſet quodāmodo educta ex ſtatu viæ, & conſtituta velut in ſtatu termini, ſicut erāt animæ Sanctorū in limbo, & Henoch & Helias, trāſlati ex hominum commercio. Et hoc cederet in magnum præiuditium B. Virginis, vt adhuc viuens in mortali corpore, & in hominum commercio, fraudaretur tanto cumulo meritorum, pro eo tempore, quo in vita & paſſione Filij, & poſt illius reſurrectionem, multa etiam ipſa patiens, multos labores ſuſtinens, ſublimiſſimos virtutum actus exercuit. Vel ratio eſſet, quod in conceptione Filij per merita antecedentia iam attigiſſet illum terminum gratiæ & gloriæ quem poterat promereri. Et hoc dici non poteſt: quia non datur certus terminus vltra quem gratia & gloria creſcere non poſſit, vt modò ſupponimus ex iis quæ diximus de gratia Chriſti. Ac etiam ſi hic terminus daretur in gratia & gloria Chriſti: certè in ſtatu ipſo præſenti gratia & gloria Virginis adhuc remanet infra menſuram Chriſti: ergo tunc erat quoque in ſtatu quo creſcere poterat. Intercedebatque tanta diſtantia & latitudo, vt etiā per multò maius augmētum ſequēti tempore comparandum, non attingeret exceſſum gratiæ & gloriæ Chriſti.

Digitized by Google

[illegible] num ratio eſſet, quod Deus [illegible] tionem contuliſſet B. Virgi- [illegible] tione Filij totam illam gra- [illegible] pebatur futuris etiam me- [illegible] quidem non minueret, [illegible] lut extolleret excellen- [illegible] is & meritorum eius; ne- [illegible] antecedentem vel exal- [illegible] iatè conſequentem ad [illegible] Filij. Attamen id non [illegible] nec fundatum, atque [illegible] aſſeri. Nec eſt conſo- [illegible] prouidentiæ; qua iux- [illegible] meritorum tribuitur à [illegible] augmentum gratiæ: & [illegible] Deo ſucceſſiuè [illegible] ſolum ob merita Chriſti futura conceſ- ſa fuerat antea prioribus hominibus gra- tia. Nec etiam fuiſſet poſſibile iuxta communem regulam. Nam gratia quæ inuenitur in anima, eſt principium actuum ſequentium: at principium me- riti non cadit ſub meritum: ergo gratia quæ cadebat ſub meritum actuum ſe- quentium, dici nō poteſt antea collata B. Virgini. Item gratia quæ inuenitur in anima poteſt ac ſolet mouere ad actum iuxta totam intenſionem ſuam, & ma- ximè ita fiebat in B. Virgine ob eximiã eius perfectionem: ergo talis actus me- rebatur adhuc aliam intenſionem gra- tiæ: igitur dici non poteſt, quod antea data fuiſſet B. Virgini tota intenſio gra- tiæ, quæ dari debebat ob merita ſe- quentia.

Acquirebat etiam augmentum gratiæ per Sacramenta.

Quartò. Præter meritum & augmé- tum gratiæ ex opere operantis per pro- prios actus, accepit etiam B. Virgo aliud augmentum ex opere operato per Sacramenta. Et ſine dubio accepit per Baptiſmum. Nam B. Virgo verè bapti- zata fuit iuxta ritum nouæ legis: & fuit baptizata immediatè ab ipſo Chriſto poſt inſtitutionem huius ſacramenti. Atque ita ex antiquis diſcipulis teſtatur Euthym. ſuper Ioann. 3. dicens, *Seribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Petrum & Virginem matrem baptizauerit.* Et ratione ſuade- tur: quia B. Virgo initiari debebat illo ſenſibili ſigno quo fundabatur Eccle- ſia Chriſti, & quo particeps fieret alio- rum ſacramentorum. Nec baptiſmus neceſſario prærequirit peccatum in eo qui baptizari debet, nec in ſuo ritu id denotat, licèt per ſe quidem habeat vim expiandi peccatum quando illud inuenit in ſubiecto. Dum ergo B. Vir- go ſuſcepit hoc Sacramentum, recepit vtique effectum eius, gratiam & cara- cterem. Rurſus ſine dubio etiam B. Vir- go frequentiſſimè ſuſcepit Euchariſtiæ Sacramentum & per illud gratiam. Nã ad ſummam pietatem & religionem B. Virginis, & ad feruentiſſimum amorem erga filium, & ad exemplum quoque aliorum Fidelium, planè ſpectabat fre- quens ſacræ communionis vſus: & con- ſequenter percipiebat eius effectum. Confirmationem quoque & eius effe- ctum percepit B. Virgo, eo quidem mo- do quo cæteri Apoſtoli & diſcipuli in die Pentecoſtes per viſibilem aduentum Spiritus ſancti. Vnde non debuit per- cipere alio modo propriè Sacramentali, qui inſtitutus fuit pro reliquis Fidelibus per manuum impoſitionem & Chriſma- tis vnctionem: quia cùm hoc Sacra- mentum ſit irreiterabile, non poterat alio modo repeti: ſed in illa viſibili ap- paritione Spiritus Sancti peracta erat tota operatio, quæ alioqui in alijs fit per proprium Sacramentum, nempe infuſio gratiæ & impreſſio caracteris.

Quænam Sacramenta legis nouæ ſuſceperit.

De alijs ſacramentis Albert. in lib. de Laudib. B. Virginis cap. 81., Antoninus 3. part. tit. 15. cap. 16., Silueſter in Ro- ſa aurea tract. 3. de quæſtionib. imper- tinentib., dubio 53., & Caniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 9., affirmant B. Virginem omnia ſuſcepiſſe, præter Or- dinem, cuius quidem fœmina non eſt ca- pax. Specialiter de extrema vnctione dubitat Suarez hic diſput. 18. ſect. 3, affirmat poſtea tomo 4. diſp. 42. ſect. 2. Sed de Sacramento pœnitentiæ com- munis & certa ſententia eſt, B. Virgi- nem non illud ſuſcepiſſe: dum nempe ſupponimus fuiſſe expertem omnis pec- cati: ſi quidẽ materia neceſſaria huius ſacramenti ſunt, peccata, & eorum accuſatio ac deteſtatio. Vnde non ſuf- ficit quod illi Auctores dixerunt, B. Virginem exhibere potuiſſe pro confeſ- ſione peccatorum, confeſſionem ſuæ humilitatis, & pro contritione ſuam innocentiam. Non enim hæc alia eſt materia idonea huius ſacramenti: nec ſuper illam cadere aut verificari poteſt

forma

forma abſolutionis. Item admittendum non eſt quod dixit Silueſter, B. Virginem potuiſſe dubitare ne forte in aliqua venialia decidiſſet, & de ijs ſe ſub dubio accuſare. Nam B. Virgo videbat optime ſuam puriſſimam innocentiam, nec habere poterat tale dubium. Et hoc dubium, vbi reuera non ſubſunt peccata, non ſufficit pro materia huius Sacramenti. De Extrema Vnctione ſimiliter putandum eſt, B. Virginem non illam ſuſcepiſſe. Etenim inſtituta dicitur contra reliquias peccatorum, quæ nullæ erant in B. Virgine. Et eius forma ſuppouit peccata: *Indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti, &c.* Nec ſufficit quod Suarez ait, poſſe hoc intelligi & verificari conditionaliter, ſcilicet ſi peccaſti: Nam nec etiam ſub conditione decenter dici poterat B. Virgini, Ignoſcat tibi Deus ſi peccaſti. Et plura dicemus poſtea in vniuerſum de ipſo Sacramento vnctionis.

De Sacramento matrimonij pro certo ſupponunt Suarez hoc loco diſp. 18. ſect. 3. & Vaſquez diſp. 119. cap. 7. Quoniam quando B. Virgo contraxit matrimonium cum Ioſepho, tunc non adhuc erat inſtitutum Sacramentum. Attamen, ſi B. Ioſeph vitam produxit vſque ad inſtitutionem baptiſmi & aliorum Sacramentorum, verè tunc matrimonium antea initum in ratione tantùm contractus, tranſiuit in rationem etiam Sacramenti. Nam vt indicat D. Thomas in 4. d. 39. q. vnica art. 2. ad 1. & alij Theologi ſatis communiter docent, quando nunc duo coniuges nõ antea baptizati, ſuſcipiunt baptiſmum, eorum matrimonium de nouo induit rationem Sacramenti, vel ipſo facto per ſolum baptiſmum, vel per repetitionẽ conſenſus, ſiue per approbationem prioris conſenſus, vt in proprio tractatu de hoc Sacramento videbimus. Et ſpectabat ſanè ad honorem ipſiuſmet Sacramenti, vt ſi Ioſeph viuebat, matrimonium B. Virginis cum illo tranſiret in rationem Sacramenti, imò eſſet in hoc genere primum.

An etiam legis naturæ & ſcriptæ.

Sed adhuc præter & ante Sacramẽta nouæ legis, ſupponunt ijdem Auctores, B. Virginem accepiſſe quoque gratiam per illud remedium legis naturæ, & poſtea tranſlatum etiam in legem ſcriptam, quo iuſtificabantur infantes. Sed credendum quidem eſt, fuiſſe B. Virgini à parentibus applicatum illud remedium, quod erat pro infantibus feminis conſuetum. Tamen etiam in ſententia aſſerente, per tale remediũ, ſiue per fidem parentum in illo ſigno proteſtatam, collatam fuiſſe gratiam paruulis: non perinde conceditur fuiſſe collatã ijs qui iam inueniretur in gratia, & præſertim adultis ratione vtentibus, qui per proprium actum poterant iuſtificari, vel erant iuſtificati. Quia nimirum, cùm vetera Sacramenta de reliquo eſſent elemẽta vacua & egena, non habentia vim conferendi gratiam ex opere operato, ſolùm ob extremam indigentiam & neceſſitatem paruulorum admittitur in illo remedio effectus iuſtificationis: quæ ratio ceſſat, vbi non vigebat ampliùs illa extrema neceſſitas. Quare nec etiam de Ieremia & Ioanne conſtat, accepiſſe nouam gratiam velut ex opere operato per Circunciſionem. Ac proinde nec etiam pro B. Virgine erat immutanda communis lex, aut tribuenda alia vis aut collatio gratiæ illi antiquo remedio, quàm pro alijs iuſtificatis, aut ratione vtentibus, quibus applicabatur.

Habuit quoque aliud augmentum gratiæ ex liberalitate diuina.

Inſuper vltra omnia Sacramenta, & vltra omne meritum ac diſpoſitionem ſuam, pro certo affirmat Suarez ead. ſect. 3. B. Virginem accepiſſe à Deo nouum gradum & augmentum gratiæ, in quibuſdã nempe occaſionibus & opportunitatibus, præſertim in Incarnatione Verbi, vbi S. Thomas, alijquè Theologi, & aliqui Patres glorioſe loquuntur de Sanctificatione B. Virginis. Vnde infert non poſſe de hoc abſque temeritate dubitari. At Vaſq. diſp. citata cap. 8. ex aduerſo ait, nihil de hoc conſtare, ſed dicta Theologorum & Patrum poſſe optime intelligi, de eximia ſanctificatione, quàm tunc B. Virgo proprio merito & diſpoſitione ſicut alias obtinuerit. Sed tamen veriſimile quidem ſatis eſt, Verbum diuinum in ſua Incarnatione deduxiſſe & contuliſſe B. Virgini inſigne quoddam donum ſanctificantis gratiæ, vltra meritum & diſpo-

Digitized by Google

[illegible] in B. Virginis: ſicut nempe [illegible] alijs diſcipulis ſimul cum [illegible]ine attulit Spiritus Sanctus [illegible]ptu in die Pentecoſtes. At- [illegible] habetur, vnde id pro certo [illegible]nari, nec ad alias occaſio- [illegible]

[illegible] Colligendo ſimul totam [illegible] gratiam, ad quam B. [illegible] ſuæ vitæ progreſſu peruenit [illegible] deuotum eſt quod medi- [illegible] ſect. 4., hanc gratiam ex- [illegible] menſuram & intenſionem [illegible] tatur Suarez [illegible] ceſſiſſe totam [illegible] in alijs ſanctis, tam Angelis, quam hominibus, non ſolùm diſtributiuè in ſingulis, ſi quidem ab initio tanta fuit vt ſupra dicebamus, ſed collectiuè in omnibus: ita tamen vt adhuc gratia Chriſti longe excedat collectionem cogitatam ſimul ex gratia Virginis & omnium aliorum Sanctorũ.

Peruenit [illegible] Virgo [illegible] ultra omnes alios [illegible] infra Chriſtum.

Nec hic obſtat difficultas quam Vaſquez [illegible] cap. 8. opponit: quia cùm in ſententia Suarij intenſio qualitatis perficiatur per gradus æterogenos, non apparet quomodo fieri poſſit talis comparatio inter intenſionem qualitatis in vno ſubiecto, & intenſiones tot diſtinctarum qualitatũ in diuerſis ſubiectis. Non inquã obſtat, nec in noſtra ſententia, qua ſupponimus intenſionem tantam fieri per gradus homogeneos. Nec etiam in alia ſententia de gradibus ęterogeneis: quia bene adhuc conſiderari poteſt, quòd ſint v. g. octo ſubiecta habentia ſingula vnum gradum caloris, & ſit aliud ſubiectum habens octo gradus, quod ſic dicatur adæquare illa ſubiecta in numero graduum: ſed hi octo gradus ſint æterogenei, ita vt perfectione quoque entitatiua ſeptem ex ijs præſtent omnibus alijs primis gradibus. Ita ergo bene fieri poteſt talis cõparatio inter Sanctos, vt vnus dicatur adæquare vel excedere plures alios, & B. Virgo omnes alios.

SECTIO VIGESIMA.

De Alijs donis ſupernaturalibus B. Virginis.

PRimò. Simul cum gratia ſanctificante habuit quoque B. Virgo alia ſupernaturalia dona quæ communiter iuſtis conferuntur, vt pote virtutes infuſas & dona Spiritus Sancti. Habuit vtique ab initiò ſuæ ſanctificationis: ac deinceps toto vitæ progreſſu in ijs creſcebat, ſicut in ipſa gratia ſanctificante. Non enim B. Virgini deeſſe poterat, id quod in alijs iuſtis inuenitur. Nec eſt alicuius virtutis exceptio facienda in B. Virgine, ſicut in Chriſto. In Chriſto enim, ratione claræ viſionis & ſtatus beatifici, eſſe non poterant fides & ſpes: at cùm B. Virgo non adhuc Deum clare videret, nõ eſſet in ſtatu beatifico, erat capax fidei & ſpei: qualem tamen fidem haberet, attingemus concluſione ſequenti: De virtute pœnitentiæ aliqui ſic explicant fuiſſe in B. Virgine: quòd non fuerit quidem quoad actum, dum non habebat peccatum quod retractaret, & de quo pœniteret: fuerit tamen quoad habitum, quia ſimpliciter erat capax peccati, & ideo debebat eſſe diſpoſita ad illud retractandum. Verùm ſi virtus pœnitentiæ non contineret aliũ actum quàm retractare peccatũ commiſſum: nec etiam habitus debebat in B. Virgine reperiri: quia Deus ipſe qui per ſe decreuerat illam ab omni peccato immunem conſeruare, non oportebat vt eam diſponeret ad retractandũ peccatum. Attamen virtùs quæ à nobis vocatur pœnitentia, non habet illum ſolum retractationis actum, ſed per ſe & principaliter habet actum nolendi peccare ne offendatur Deus, ſiue volendi ſeruare honorem debitum Deo. Hic actus maximè erat in B. Virgine, quare inerat etiam habitus. Sed quia nomen pœnitentiæ ſumptum eſt per denominationem ab actu retractationis, non debet ſecundùm hoc nomen tribui B. Virgini, ſed bene poteſt tribui ſecundùm rem modo dicto.

Habuit alia dona ſupernaturalia proportionata gratiæ.

Digitized by Google

Habuit per infuſionem virtutes acquiſitas.

Simul autem cum virtutibus per ſe infuſis, habuit etiam B. Virgo ab initio illas quæ ſunt de ſuo genere acquiſitæ, habuit inquam per infuſionem à Deo, vnde dicuntur infuſæ per accidens. Sic diximus antea de Chriſto Domino: ac de primis etiam parentibus & alijs hominibus in ſtatu innocentiæ 1. part. quæſt. 95 ſect. 4. & 5. Prorſus enim decebat, vt B. Virgo ſtatim ab initio hanc totam perfectionem acciperet. Imo habuit in hoc genere pluſquam virtutes, nempe non ſolùm facilitatem ad moderandum ac regendum appetitum ſenſitiuum, ſed perfectum ac totale dominium, & omnimodam ſubiectionem ipſius appetitus ad rationem: idque habebat intrinſece per formam & qualitatem inhærentem, vt iam ſupra circa extinctionem fomitis dicebamus.

Habuit gratias gratis datas.

Secundò. De quibuſdã alijs extraordinarijs Dei donis, quæ nõ omnibus, nec paſſim multis, ſed tantùm excelſis quibuſdam hominibus à Deo conceduntur, qualia ſunt illa quæ dicuntur gratiæ gratis datæ, putandum ſine dubio eſt, fuiſſe B. Virgini conceſſa. Itaque habuit donum prophetiæ, genera linguarum, virtutem miraculorum, & alia huiuſmodi dona. Atque ita notauit S. Thomas q. 27. art. 5. ad 3. Addit tamen non habuiſſe vſum omnium horũ donorum, & ſpecialiter non habuiſſe vſum ſapientiæ quantum ad docendũ, iuxta illud Apoſtoli 1. Timoth. 2 *Docere autem mulieri non permitto.* Nec habuiſſe vſũ miraculorũ quoad vixit in terris, quia tunc temporis miracula debebant fieri ad confirmandam doctrinã Chriſti, quod cõpetebat ipſi Chriſto, & commiſſum fuit eius diſcipulis. Verùm etiam quantum ad hæc, licèt B. Virgo non habuerit vſum publicè docendi & prædicandi: tamen conuenientiſſimè putari poteſt, id priuatim & apud varias perſonas egregiè & ſummo cum fructu præſtitiſſe: ſicut etiam & aliæ ex ſanctis mulieribus id interdum præſtitiſſe leguntur. Licèt etiam non habuerit vſum faciendi miracula donec Chriſtus ipſe vixit in terris: tamen optimè etiam cenſeri poteſt, poſt Aſcenſionem Chriſti, alijs annis quibus ipſa ſuperuixit in terris, inſignia patraſſe miracula, tum ad confirmandam fidem, tum ad indigentium iuuamen, & ſemper ad Chriſti gloriam. Et iuxta hæc debet intelligi D. Thomas.

An habuerit ſcientiam infuſam.

Tertiò. Aliud donum eſt, quod peculiariter conceſſum fuiſſe Chriſto Domino, vidimus antea de ſcientia Chriſti, ſcilicet ſcientia infuſa, veluti media inter fidem & claram viſionem, ſcilicet abſtractiua ad differentiam claræ viſionis intuitiuæ; & euidens ad differentiam fidei obſcuræ. Huiuſmodi ſcientiam fuiſſe conceſſam B. Virgini, ſignificant Albertus lib. de B. Virgine cap. 71. & 96. & 130. & 149. D. Antoninus 4. part. titulo 15. cap. 17. §. 2. & cap. 18. §. 2. Fauent D. Bernardin. Senenſis ſerm. 4. de B. Virgine art. 1. cap. 4. Gerſon ſuper Magnificat Alphab 79. litt. Q. Et defendunt Suarez hic diſp. 19. ſect. 3. & Salazar in Defenſ. pro Immacul. concep. cap. 32. §. 3. Ratione etiam ſuaderi poteſt: quia B. Virgo ex vtero matris, imo ex primo ſuæ cõceptionis inſtanti, habuit ſupernaturalem notitiam Dei & rerum diuinarũ: ſiquidem habuit vſum rationis, & per propriam diſpoſitionem ſãctificata fuit, vt iam ſect. 8. dicebamus. Facilius autem eſt dicere, tunc habuiſſe ſcientiã infuſam, quàm fidem: quoniam fides excitari debet per extrinſecam reuelationem, & per aliorum prædicationem, vel ſcripturarum lectionem.

Habuit ſaltem per euidentiam diuinæ reuelationis.

Attamen non oportet B. Virgini tribuere tale genus ſcientiæ: ſed benè illi tribuenda videtur talis fides, quę habeatur cum euidentia diuinæ reuelationis, quæ proinde dicitur euidens in atteſtante, & vocari ſuo modo poteſt ſcientia infuſa. Etenim illud genus ſcientiæ infuſæ, quod tribuitur Chriſto, cum euidentia rei in ſe, ideo illi tribuitur, quia viſioni beatificæ non poterat coniungi fides, ſed debebat Chriſto tribui aliqua ſupernaturalis notitia, accomodata ſtatui viatoris, & apta ad meritum, & ſic conueniebat Chriſto qui erat viator ſimul & comprehenſor At B Virgo non videbat clare Deum, eratque in puro ſtatu viæ, atque adeo erat optime capax fidei: igitur non oportet aliam ſuperiorem infuſam ſcientiam illi tribuere. Sed vt ab

initio

[illegible] em conciperet, non ſolùm in habitu, ſed actu, percepit diuinam reuelationem ſibi factam, vel immediatè à Deo, vel per miniſterium Angelorum; & ſic etiam Ieremias ac [illegible]. Et videtur habuiſſe euidentiam de tali diuina reuelatione, ideſt euidenter cognouiſſe, quòd verè talis reuelatio erat à Deo, & quòd non poterat in illa decipi. Quæ quidem euidentia poteſt vtique à Deo ipſo concedi. Et in hoc euentu erat maximè opportuna, quia alioqui, vt intellectus prudenter aſſenſum præbeat rebus fidei, debet ſaltem percipere motiua credibilitatis: faciliùs autem erit dicere B. Virginem ex illuſtratione diuina euidenter percepiſſe ipſam reuelationē. [illegible] factum ipſum quod experiebatur [illegible] tempore cognoſcere & ratione [illegible] illi præbere euidentiam, [illegible] res eſſet à Deo, & nó poterat [illegible]. Siue tunc Deus conceſ[illegible] Virgini vſum talis notitiæ in ſo[illegible] abſque ope phantaſmatū: [illegible] etiam proportionatas ſpe[illegible] in phantaſia: verumque [illegible] Deo poſſibile. Rurſus ratio[illegible] B. Virginem in progreſſu col[illegible] euidenter cognouiſſe, [illegible] erat Angelus lucis, & verè [illegible] nomine Dei, vt notauimus [illegible] 4. ne dicamus laborare de[illegible] examinandis & diſcutiendis [illegible] ſignis & indicijs de verita[illegible] apparitionis & reuelationis. Atque in vniuerſum valde perfectior eſt talis notitia rerum fidei cum euidētia diuinæ reuelationis. Porro in ſuo tractatu de Fide probauimus, hanc euidentiam non eſſe alienam à ſtatu viæ, & conuenienter debere interdum admitti. Itaque nec etiam erit donum ſingulare ſoli B. Virgini: Sed tamen verè excedit ordinarium curſum viatorum: ac etiam ſi nulli alteri fuiſſet conceſſum, vrget ſpecialis ratio & Virginis dignitas vt illi tribuatur. Et de hoc genere notitiæ poſſunt intelligi Doctores qui videbantur ſcientiam infuſam B. Virgini attribuere. Vt etiam cenſendum eſt, per plurimas ſpeciales reuelationes & illuſtrationes diuinas, B. Virgini paſſim fuiſſe varias veritates demonſtratas, pro eius dignitate & ſolatio; & pro aliorum vtilitate. Quamuis neceſſe non ſit dicere, habuiſſe ab initio per infuſionem a Deo rerum ſciētias de ſuo genere acquiſitas: ſicut diximus, Chriſtum habuiſſe & ſicut dicebamus, ipſam Virginem habuiſſe per infuſionem virtutes morales acquiſitas.

Habuit aliquando donum claræ viſionis.

Quartò vlteriùs, ſi vlli vnquam Sancto in hac vita conceſſum eſt per modum tranſeuntis donum claræ viſionis Dei, multò magis & ſæpiùs conceſſum fuit B. Virgini: Sed etiam ſi nulli alteri Sancto conceſſum ſit, adhuc pie & veriſimiliter credi poteſt B. Virgini fuiſſe conceſſum. Et ita notauimus 1. part. qu. 12. ſect. 7.

Habuit tandem ſupremum donum gloriæ in anima & in corpore.

Poſtremò accepit Beata Virgo in morte ſua ſupremum beatitudinis & gloriæ donum. Et ſine dubio quidem habuit gloriam excedentem quoſcumque alios Beatos. Et hoc ad minus denotatur in illis verbis Eccleſiæ in Officio Aſſumptionis, *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia regna*. Piè etiam credi poteſt excedere collectiuè gloriam omnium aliorum Sanctorum tam Angelorum quàm hominum infra Chriſtum: ſicut ſupra diximus de eius gratia. Nam gloria correſpondet cum menſura gratiæ; imò in ordine ad gloriam deſignatur gratia. Vndè rectè Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt., *Quantum*, inquit, *gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantùm obtinuit in cælo gloriæ ſingularis*. Atque non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore glorificata fuit, & in cœlum aſſumpta: Ita habetur ex doctrina antiquorum Patrum, & perpetua exiſtimatione Eccleſiæ; atque ſupponitur in ipſo Eccleſiaſtico officio & feſto aſſumptionis: ita vt licèt id non ſit expreſsè de fide, tamen abſque inſigni temeritate non poſſit in dubium reuocari. Et ſiue alij ex Sanctis ſint, qui iam Chriſti virtute reſurrexerint, & gloria quoque corporis potiantur, vt ſatis probabile eſt de priſcis Sanctis, de quibus in morte Chriſti dictum eſt in Euangelio, *Multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt*; ſiue adhuc omnes expectent generalem reſurrectionem.

ne ac futuram in die vniuerſalis iudicij, debuit ſingulariter B. Virgo, in illo corpore quo Deum concepit, ad celeſtem patriam & gloriam ſtatim aſſumi, vt ex tunc & in perpetuum cum Chriſto filio ſuo glorioſa regnet in Cœlis.

QVÆSTIO TRIGESIMA SEPTIMA.

Et ſequentes vſque ad Quadrageſimamquintam.

De Alijs Miſterijs vitæ Chriſti.

SECVNDVM caput quod S. Thomas in præfatione quæſt. 27. diſtinguebat de Myſterijs Chriſti, erat de progreſſu eius in hoc mundo. Hunc progreſſum perducit vſque dum tranſeat ad tertium caput de paſſione. Hæc dicitur vita Chriſti vt à paſſione diſtincta: quia licet Chriſtus viuens paſſionem ſubierit, tamen merito paſſio cum morte coniungitur, tanquam proximè ad illam ordinata. Non tamen inchoat hunc progreſſum S. Thomas niſi à quæſt. 40., agens de conuerſatione Chriſti in hoc mundo: & alia priora myſteria, nempe circuncifionis, oblationis, & baptiſmi, concludebat ſub primo capite de ingreſſu Chriſti in hunc mundum. Sed nobis commodior hæc partitio viſa eſt, vt hæc ipſa myſteria, & has ipſas quæſtiones S. Thomæ, ſimul cum ſequentibus vſque ad paſſionem, ſub hoc titulo vitæ Chriſti coniungamus.

Quæſtione 37. de legalibus circa puerum Ieſum obſeruatis docet, debuiſſe Chriſtum conuenienter circuncidi, & nomen Ieſus accipere, & poſtea in templo offerri, & matrem eius legem purgationis implere. Quæſtione 38 de Ioannis Baptiſmo docet, conuenienter Ioannem contuliſſe baptiſmum, idquè feciſſe ex inſtinctu diuino, non tamen ad conferendam gratiam, debuiſſequè alios vltra Chriſtum baptizare, etiam poſt baptizatum ipſum Chriſtum, omnes tamen debuiſſe poſtea recipere baptiſmum inſtitutum à Chriſto. Quæſtione 39. de baptizatione Chriſti docet, conuenienter voluiſſe Chriſtum baptizari, baptiſmo ſcilicet Ioannis, & conuenienti tempore fuiſſe baptizatum ætate triginta annorum, conuenienti etiam loco in Iordane, & conuenienter baptizato Chriſto apertos fuiſſe cœlos, & deſcendiſſe Spiritum Sanctum in ſpecie Columbæ, quæ fuerit vera columba, & auditam fuiſſe vocem Patris declarantis Chriſtum ſuum filium.

Quæſtione deinde 40. de modo conuerſationis Chriſti in hoc mundo docet, conueniens fuiſſe Chriſtum inter homines conuerſari, & conſuetam vitam ducere, ſed pauperem, & legem moſaicam obſeruare. Quæſt. 41. de tentatione Chriſti docet, conuenienter Chriſtum voluiſſe tentari, & quidem in deſerto, & poſt ieiunium, & conuenienti ordine ac modo. Quæſt. 42. de doctrina Chriſti docet, conueniens fuiſſe Chriſtum ſolis Iudæis & non Gentilibus prædicare, non obſtante Iudæorum offenſione, & quidem publicè ſuam doctrinam tradere, non tamen per ſe ſcripto conſignare. Quæſt. 43. de miraculis Chriſti docet, Chriſtum debuiſſe miracula facere, & feciſſe diuina virtute, & cœpiſſe facere in nuptijs, apud Canam Galileæ, eaquè fuiſſe ſufficientia ad oſtendendam diuinitatem ipſius. Quæſtione 44. de miraculorum ſpeciebus docet, conuenienter à Chriſto facta fuiſſe miracula circa ſpirituales ſubſtantias in expellendis Dæmonibus, & circa cœleſtia corpora in eius paſſione, & circa homines ſanando infirmos, & circa irrationales creaturas in aere aqua terra & alijs. Quæſtione demum 45. de Chriſti transfiguratione docet, conuenienter voluiſſe Chriſtum transfigurari, ad inſtar glorioſæ claritatis, & conuenienter adhibitos fuiſſe teſtes illos, Moyſem & Eliam, Petrum & Iacobum & Ioannem, & conuenienter inſonuiſſe vocis paternæ teſtimonium.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De Circuncisione Christi.

Videri poteſt, quod Chriſtus non fuerit reuera circuncifus: Etenim Lucas Euangeliſta cap. 2. qui ſolus de hoc myſterio loquutus eſt, non dicit fuiſſe circunciſum: ſed tantum ait, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus*: quare potius indicat, illa die ad circuncisionem deputata, fuiſſe puero nomen impoſitum. Rurſus non videtur Chriſtus fuiſſe capax circuncisionis, loquendo moraliter, & quantum ad inſtitutionem legis. Quia circuncisio [illegible] fuerat in remedium originalis [illegible] & inſtituta fuit ſub illa comminatione Geneſ. 17. *Maſculus, cuius [illegible] caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Sed Chriſtus [illegible] ſubſtantia & modo conceptionis [illegible], non ſolum erat penitus expers, ſed prorſus etiam incapax originalis peccati, incapax illius comminationis, ergo & incapax illius remedij. Sed ad ſummum poterat in illo circuncisio phyſice fieri, ſicut abſciſſio pelliculæ ex alia corporis parte. Nec etiam videtur conueniens, vt Chriſtus circuncisionem ſubiret: quia ſummæ puritati & ſanctitati Chriſti non conueniebat apparere in ſimilitudine & imagine peccatoris. Hinc demum nec videtur fuiſſe licita circuncisio Chriſti: quia ſeclusa eius neceſſitate & inſtitutione, non licet infligere vulnus, & ſanguinem fundere. Sicut & nunc nulli fidelium liceret, vel ſe vel alium circumcidere, nec formaliter ex intentione ſeruandæ antiquæ legis, nec materialiter ex animo tantum patiendi, aliaue ſimili ratione.

Nunquam tamen in Eccleſia dubitatum fuit, quod Chriſtus fuerit vere & realiter circuncisus, eo modo & ritu qui in antiqua lege inſtitutus erat. Eſtque id prorſus certum de fide, ex verbis Lucæ, & perpetuo totius Eccleſiæ ſenſu. Verba enim Euangeliſtæ idem prorſus ſonant, ac poſtquam conſummati ſunt dies octo, circuciſus eſt puer, & vocatum eſt nomen eius Ieſus. Ideo enim non ſimpliciter dixit, poſtquam conſumati ſunt dies octo, quibus mos eſt circuncidi infantes: ſed determinate dixit, vt circuncideretur puer: quia, ſcilicet expectatis octo diebus vere circuncisus fuit ipſe puer. Et ita omnes Patres, & Interpretes, & Doctores, hanc veritatem ſemper intellexerunt, & tradiderunt.

Verè Chriſtus fuit circunciſus.

Eratq; Chriſtus capax circuncisionis non ſolum phyſice vt abſciſſio quædam erat, ſed etiā moraliter ſecundum ſuam ſignificationem prout inſtituta erat in lege. Non quidem quatenus erat remedium originalis peccati: quia certe, vt ſic, vbi non eſt, nec poteſt eſſe morbus, vtique non poteſt adhiberi remedium in ratione remedij. Sed quatenus circuncisio erat olim peculiariter inſtituta tanquam ſignaculum quoddā corporale, quo dignoſcerentur, & inter ſe communicarent, ac ab alijs nationibus ſegregarentur ij qui erant de populo Dei: huius ergo ſignaculi & huius ſignificationis erat optime capax Chriſtus in ſuo corpore. Imo, quia maxime propter honorem Meſſiæ deſcenſuri ex ſtirpe Abrahami, fuit eo modo ſignatus ille populus, optime tale ſignum cadebat in eundem ipſum Meſſiam.

Erat capax circuncisionis iux a inſtitutum Dei.

Quare fuit etiam circuncisio Chriſti prorſus licita: ſiquidem fiebat in vi inſtitutionis diuinæ. Et quamuis in Chriſto non eſſet neceſſaria ex vi illius inſtitutionis, tamen erat vtique a Deo conceſſa ex vi illius, & ideo licite & prudenter ac pie poterat adhiberi. Nunc autem non eſt amplius licita circuncisio, quia non ſolum abrogata eſt vetus lex, ſed & prohibita illius obſeruatio: ſed tunc non ſolum in Chriſto, ſed etiā in alijs qui naſcebantur, erat adhuc licita vſque ad ſufficientem Euangelij promulgationem, vt ſuo loco tractauimus 1. 2. de lege veteri & noua.

Fuit licita circuncisio Chriſti.

Fuit demum valde conueniens circuncisio Chriſti, ob plures rationes quas colligit S. Thomas q. 37. art. 1. & quas paſſim Sacri Doctores aſſignant. Primo vt veritatem humanæ carnis Chriſtus oſtenderet. Secundo vt appro-

Fuit valde conueniens.

Digitized by Google

probaret circumciſionem iam olim inſtitutam à Deo. Tertio vt comprobaret ſe vere eſſe de progenie Abrahæ, pro cuius poſteritate hoc ſignaculum fuit iniunctum. Quartò ne Iudæi excuſationem haberent eum non acceptandi, ſi eſſet incircumciſus. Quintò vt nobis præberet obedientiæ exemplū, vbi addi poteſt etiam, humilitatis, patientiæ, religionis, & aliarum virtutū. Sexto, vt qui in redemptionem peccati venerat, non reſpueret in ſe illud ſignum quod ordinatum fuerat in peccati remedium: quia dum in ſe peccata noſtra ſuſcipiebat, & ſupplicium noſtrum in ſe verterat, etiam illud remedium in ſe transferret pro ſalute aliorū. Septimò vt legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret. Itaque non ſolùm non fuit inconueniens aut indecens ſummæ puritati & ſanctitati Christi, ſed potiùs fuit valde conueniens ſummæ pietati & charitati eius, aſſumere velut imaginem & ſimilitudinem peccati, vt ſatisfaceret pro peccato, vt aboleret peccatum. Sicut dixit Apoſtolus ad Roman. 8., *Deus Filiū ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne.* Et in hoc Christus ſummoperè commendauit ſuam ardentiſsimam charitatem, quòd noluit expectare vſque ad finem vitæ ad ſuſcipienda vulnera & fundendum ſanguinem, ſed tam citò à ſua natiuitate voluit præuenire & noſtram redemptionem inchoare. Non tamen ex obligatione ſubdebatur Christus legi circumciſionis, ſicut nec alijs præceptis Moſaycæ legis, vt iam diximus quæſt. 20. ſect. 4.

Circumciſus fuit Christus octaua die.

Cæterùm de tempore quo Christus circumciſus fuit, res eſt expreſſa in Euāgelio, ſcilicet octaua die à natiuitate. Quod quidem determinatum erat in ipſomet ritu circumciſionis Geneſ. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Nec refert quòd Lucas ait, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*: ſenſus enim eſt, cùm completum eſſet tempus octo dierum in lege præſcriptum, ſeu poſtquam aduenit dies octaua iuxta ritum legis.

Circumciſus fuit eodem loco quo natus.

De loco, ſignificauit Hilar. in Pſal. 118. paulò poſt initium, fuiſſe templum, dicens de Christo, *Cùm ipſe circumciſus non egeret, oblatus in templo eſt, vt in corpore eius humanæ carnis recideretur infirmitas.* Aliqui vero ſignificarunt fuiſſe ſynagogam in Bethlehem iuxta morem Iudæorum, vt refert Tolet. in cap. 2. Lucæ Annotat. 37. Verùm non apparet fuiſſe alium locum, quàm illum ipſum in quo natus fuerat. Etenim nō oportebat, nec erat conſuetum, vt circumciſio fieret in templo Hieroſolimitano ſed fiebat potiùs in ſingulis oppidis: Nec B. Maria & Ioſeph receſſerunt à Bethlehem vſque dum adueniret tempus offerendi puerum Ieſum in templo, vt dicemus ſect. ſequenti. Vnde & Magi tertiadecima die à natiuitate, adhuc inuenerunt Christum cū Maria in Bethlehem. Nullumque etiā indicium habetur, quòd in ipſa ciuitate mutauerint domicilium, pro illis diebus quibus in ea commorati fuere. Nec aliunde conſtat, circumciſionem fieri debuiſſe aut conſueuiſſe in aliqua peculiari domo ſiue ſynagoga ad ſacras functiones dedicata: Sed fieri poterat & ſolebat in priuatis ſingulorum domibus, aut alijs quibuſcunque locis. Sic Ioannes Baptiſta circumciſus fuit in paterna domo, vt apertè colligitur ex Lucæ 1. *In die octauo venerunt circumcidere puerum.* Aderatque præſens mater eius Eliſabeth, quæ audiens quòd vocabant eum Zachariam, iuſſit vt vocarent Ioānem: quod idem ſtatim ſcripto confirmauit ipſe Zacharias. Et ita confirmant ibi Tolet. Maldonat. & alij. Item olim Sephora vxor Moyſi circumcidit filium ſuum in itinere in diuerſorio, Exodi 4. Et omnes filij Iſrael qui nati fuerant poſt egreſſum de Ægypto, circumciſi fuerunt in campo, vbi dictus eſt collis præputiorum, Ioſue 5. Itaque optimè potuit circumcidi Christus in eodem loco in quo natus fuerat. Et ita affirmauit Epiphan. in Catalogo Hæreſi 20. *Christus natus eſt in Bethlehem, circumciſus in Spelunca, oblatus in Hieruſalem.*

A quo fuerit circumciſus.

De miniſtro autem à quo circumciſus fuerit Christus, nihil colligi poteſt ex ſacris literis. Non enim oportebat circumciſionem fieri per manus Sacerdotum aut Leuitarum, vt notauit Abulenſ.

cap. 5. Ioſuë q. 6. dicens, *Ex loco demonſtrari, poteſt in Sacra [illegible], actum circumcidendi magis ſpectaſſe ad Sacerdotes quàm ad alios.* Quia poterat & ſolebat fieri etiam per manus mulierum: vt non ſolùm patet facto Sephoræ, ſed etiam 1. Mach. 1. vbi dicitur, *Mulieres quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur ſecundùm iuſſum Regis Antiochi.* Hoc ſuppoſito, videtur fieri veriſimile, nullum [illegible] fuiſſe vocatum, vel admiſſum ad hoc miniſterium, circuncidendi Chriſtum: Sed vel forte Sanctus Ioſeph [illegible] hoc officium: & ita opinatur [illegible]anus in cap. 5. Ioſue annotat. [illegible] Vel Beata ipſa Virgo Mater [illegible] vt indicat Hieronim. aliuſue [illegible] lib. de vera circunciſ. dicens, [illegible] *die circumciditur à matre:* [illegible] aliuſue Auctor tractatu de [illegible] Virgin. dicens, *Virgo Chriſtum [illegible] octaua die circuncidit* [illegible] opinatur Barradius lib. 9. Concord. Euangelicæ cap. 1.

[illegible] inſtrumento quo circunciſus fuerit Chriſtus, plerique contendunt fuiſſe lapideum cultrum, putantes, hunc fuiſſe ritum neceſſarium & conſuetum apud Iudæos: eo quod Sephora tulit acutiſſimam petram & circuncidit filium ſuum: & apud Ioſue ex iuſſu Dei aſſumpti fuere lapidei cultri ad circuncitionem. [illegible] Bernardus ſermone 1. de Circunciſ. *Non [illegible] [illegible] cultrum lapideum, in quo [illegible] [illegible] quæ [illegible]* Sed reuera non erat neceſſarium, nec pleruinque commodum, circuncitionem fieri cultro lapideo, ac potius licitum & commodius erat fieri cultro ferreo. Et ita quidem faciunt Iudæi, vt teſtatur Abulenſ. q. 8. in cap. 5. Ioſue. Et ſic tenet S. Tho. infra hac 3. part. q. 70. art. 3. ad 2. & indicauit Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, vbi ait ad Iudæos, *Illa veſtra circunciſio carnalis, olim fiebat ferro, & nunc fit.* Etenim in cap. 17. Geneſis vbi præſcriptus fuit totus circunciſionis ritus, nulla determinatio facta eſt de vllo inſtrumento. In facto autem illo Sephoræ ita accidit, quia forte ſtatim illi ad manus venit acutiſſima illa petra apta ad incidendum, cùm ipſa feſtinaret ob periculum immin[illegible]. Sed præterea nomen ZOR quo habetur in textu Hebræo, poteſt etiam denotare nouaculam: idemque nomen habetur in Pſal. 51. vbi legimus, *ſicut nouacula acuta*, vt aduertit Abulenſ. q. 7. antecedenti. Et Hiſtoria Scholaſtica Exodi 30. ait, *Vbi nos habemus petrã, textus Hebræus habet aciem, vocat autem acutiſſimam aciem nouaculam.* Et ſimiliter in facto Ioſuæ notat Abulenſ. q. 8. dictionem illam hebræam poſſe ſignificare tam cultros ferreos quam lapideos. Vbi Paraphraſis chaldaica legit, *Nouacu as acutas.* Quamuis Maſius in eum locum Ioſuæ, & Serarius q. 8. contendunt, tam ibi, quam in exodo, & in omni alio loco, nomen illud ſemper ſignificare petram. Sed etiam ſi tunc Deus iuſſerit circunciſionem fieri cultris lapideis; illam non fuiſſe legem vniuerſalem ſemper deinceps ſeruandam; ſed fuiſſe ſolum conditionem particularem pro illo caſu: ſicut alia quædam in eo itinere ad memoriam & ſignificationem diſpoſita fuerunt in lapidibus, vt patet de duodecim titulis lapideis erectis in monte Sinai, & duodecim lapidibus ſtatutis in alueo Iordanis, & alijs duodecim eductis e Iordane & erectis in Galgala vbi facta fuerat illa circunciſio [illegible]

Quo inſtrumento.

De Præputio demum abſciſſo è corpore Chriſti, ſupponendum indubitanter eſt, tunc fuiſſe à B. Virgine & S. Ioſeph ſumma reuerentia ac diligentia aſſeruatum. Poſtea autem dubitari poteſt, num iterum fuerit à Chriſto in ſua reſurrectione aſſumptum. Sed ſane id non erat neceſſarium, quia optime poterat aliter particula illa ſuppleri, vt tractat Suarez tom. 2. huius 3. part. diſp. [illegible] ſect. [illegible] & ita conueniontur potuit ad conſolationem Fidelium in terris relinqui. Et multo quidem tempore ſumma cum veneratione cuſtodiebatur & colebatur Romæ apud Lateranenſem Baſilicam. Sed à direptione Vrbis, quæ accidit anno Domini 1527. cuiuſdam militis rapina delatum eſt ad Pagum quendam Romæ propinquum, ibique caleſtibus etiam miraculis comprobatum, vt narrat Toletus in cap. 2. Lucæ

Vbi ſeruetur Chriſti præputium.

cæ Annotat. 31., & nos commemorauimus ſupra q. 25. ſect. 3. circa adorationem Chriſti.

SECTIO SECVNDA.

De Impoſitione nominis Ieſus.

In Circumciſione imponebatur nomen.

SImul cum circunciſione mos erat Iudæis nomen imponere infanti qui circuncidebatur. Non quaſi id fuerit iuſſum à Deo. Sed bene originem trahere potuit ex facto Dei, qui eodem cap. 17. Geneſis ſimul cum circunciſionis mandato, nomen Abram mutauit in Abraham. Et rationem conuenientiæ reddit Chryſoſt. homil. 9. de laudib. Pauli, & Damaſcen. 2. Fidei cap. 30.: quia tunc homines adſcribebantur ſub peculiare dominium Dei, Eratquè ſignum quoddam dominij, impoſitio nominis, vt patet quando Nabucdonoſor mutauit nomina pueris hebræis. Reddit etiam Cyprian. tract. de Circunciſione: quia tunc illorum nomina ſcribebantur in Cœlis, Et merito deinceps hæc conſuetudo apud Chriſtianos ſeruata eſt, vt in Baptiſmo nomina imponantur.

Impoſitum Chriſto fuit nomẽ Ieſus.

Chriſto ergo impoſitum in circunciſione fuit nomen *IESVS*. Impoſitum inquam tanquam nomen proprium & vſuale, quo deinceps in humano commercio vocaretur: vt reuera poſtea ab omnibus vocabatur, vt compertum eſt in omnibus Euangelijs. Et fuit quidem impoſitum à B. Maria & S. Ioſeph, ſed iuſſu & oraculo Dei intimato vtrique per Angelum, ijsdem illis verbis, *Vocabis nomen eius Ieſum*. Nomen autẽ *Chriſtus*, erat potiùs nomen officij & dignitatis: eſtque nomen græcum, quod latine dicetur *Vnctus*: hebraicè autem *Meſſiah*, quod noſtro modo dicitur *Meſſias*. Itaque ſic à nobis vocatur, tanquam Rex, & Pontifex: quia vtraque hæc dignitas per vnctionem conferebatur ſeu ſignabatur. Sed nomen Ieſus, eſt nomen ipſum hebræum quod in illo idiomate fuit Chriſto impoſitum, & deinde tum in græco tum in latino retentum: accomodatum tamen ad noſtrum proferendi & declinandi modum.

Quale nõ erat & quid importabat in idiomate hebræo.

In ipſo autem originali hebræo conſtabat quatuor conſonantibus litteris, Iod, Sin, Vau, Nghain, (loquimur cõfundendo commoditatis gratia litteram ſin cum Scin) & pronunciabatur Ieſuangh. Et hoc rurſus poteſt ſe habere dupliciter. Vno modo, vt littera u, deſeruiat tantum pro vocali: & ſic erit nomen conſtans tribus ſyllabis. Alio modo, vt deſeruiat pro conſonante: & ſic erit nomen conſtans duabus ſyllabis quia littera s, trahetur ad priorẽ ſyllabam, & littera u, cum vocali a, & alia vltima littera, conficiet poſteriorẽ ſyllabam. Hæc inquam differentia poteſt eſſe in ipſo nomine hebræo, adhibita tamen diuerſa punctatione apponendo ſcilicet in littera Vau, vel punctum Surech, quo tranſeat in puram vocalem, cum puncto Patach ſub littera ſequenti: vel apponendo hoc punctum Patach ſub ipſa littera vau, quo permaneat in ratione conſonantis, & relinquendo ſequentem litteram abſque alio puncto. Ducebaturque hoc nomẽ à verbo & radice Iaſangh, ſignificante ſaluare: & ita ipſum nomen denotat ſalutem ſeu ſaluatorem.

Aliqui tamen Iudæi in contemptum Chriſti detrahere voluerunt ex dicto eius nomine quartam litteram dictam, eo quod per illam, nomen deducitur à verbo ſaluandi. Aliqui vero ex noſtris addiderunt aliam inſuper litteram poſt Iod, ſcilicet litteram He, facientes nomen Iehoſuangh: & ita ponit Maldonat. in cap. 1 Matth. num. 21., & Ludouicus legionenſis lib. 3. de Nominib. Dei, & habetur in Lexico hebræo complutenſi, & dubitat EKius ſerm. 4. de Circunciſ. Vt nempe deriuarent ſimul hoc nomen ab alio nomine Dei Iehouah, & ita exponatur Deus ſaluans, Deus ſaluator. Sed primum eſt blaſphemum, ſecundum non eſt neceſſarium. Et Iudæos quidem illos aperte reuincit interpretatio, quam ipſemet Angelus nomen è cælo deferens expreſſit, *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Et vtroſque ſimul refutat nomen inſcriptum in titulo crucis qui Romæ aſſeruatur conſtans adæquatè quatuor illis litteris prædictis: vt atteſtantur Toletus in cap. 1. Lucæ Annotat.

tat. & ſum ... ori ...

5. & Pagninus in expoſit. nominum hebraicorum, & alij. Conſonat Euangelium Syriacum, in quo ... modo hoc nomen ſcribitur. Vn... credendum eſt, quod ſic etiam ex... ... in originali hebræo Matthei ſi in... ... retur. Quamuis cum additione ... que illius litteræ He, poſſit reputari ... nomen, vt infra dicemus. ... idiomate ... ro græco conſtat hoc nomen ſex litteris. Vnde conficit exa... numerum illum ſub quo Chriſti nomen tantò ante prenunciauit Sybilla Cumana græcis carminibus. Græci ... per eaſdem Alphabeti litteras ... illarum ordinem numeros ſiguāt. ... autem ita prædixit, vt recitat ... Senenſis lib. 2. Bibliotecæ ſacræ: *... que octo menades, totidē decades ſuper ... hecatontadas octo, infidis ſignifi... hominibus, tu vero mente te... nomen ...* octo vnitates, octo denarij, & ... centenarij, conficient numerum ... nomine importabitur, nempe ... hunc numerum exactè conficiunt ... huius nominis: vt præclare ad... notauit Beda ſuper Lucæ 2. dicens: *Sacroſancti nominis Ieſus, non tantùm ethymologia, ſed & ipſe quem litteris cō... prehenditur numerus, perpetua ſalutis my... ſteria redolet: ſex quippe litteris apud Græcos ſcribitur, quarum numeri ſunt 10. & 8. & 200. & 70. & 400. & 200., qui ſunt ſimul* 888. Dicit autē redolere perpetua ſalutis myſteria, quia octonarius numerus ſignificat æternam beatitudinem, & glorioſam reſurrectionem, vt præter eundem Bedam obſeruant D. Auguſt. in Pſal. 6. & lib. 16. de Ciuit. cap. 26. & D. Hieronym. ſuper Ezechiel. 40. Vt ex aduerſo nomen Antichriſti importabit numerum 666., vt dicitur Apocal. 13., quia nempe ſenarius eſt numerus interitus, & miſeriæ.

Qualiter antea fuerat quibuſdam alijs commune.

Cæterùm dubitatur, num hoc nomen Ieſus cum iiſdem litteris hebraicis, fuerit commune vlli alteri apud Hebræos ante Chriſtum. Etenim Galatinus lib. 3. de Arcanis cap. 20. contendit, nullum alium fuiſſe antea iiſdem litteris ſic nominatum: ſed illos qui videntur fuiſſe ſimiliter nominati, habuiſſe nomen diuerſum, ſcilicet cum additione illius litteræ He, Iehoſuagh: ſic enim nominatus fuit ille quem latinè dicimus Ioſue. Et obſeruat in hoc diuerſitatem ſignificationis: quòd cum quatuor litteris illud nomen exponi debeat *Saluator*; cum alia verò littera addita *Deus ſaluat*, vel *Deus ſaluabit*. Fauet quoque illud Iſaiæ 62. *Vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit*.

. Attamen compertum eſt, alios quoſdam fuiſſe olim eodem nomine cum iiſdem quatuor litteris inſignitos. Vt patet in ipſo textu hebræo de Ieſu Pōtifice 1. Eſdræ 3. & 5., qui in textu vulgato dicitur Ieſua. Et rurſus de alio 2. Paralip. 31., qui in textu vulgato dicitur Ieſue. Verùm, quia idem ille Pontifex qui apud Eſdram ſic vocatur, inuenitur etiam apud Aggæum cap. 1. & 2., & apud Zaccar. cap. 3., nominari cum additione illius litteræ. (vbi tamen in noſtra vulgata dicitur abſolute Ieſus) hinc fit, vtroque modo habitum fuiſſe pro eodem nomine; vt notauit Barrad. lib. 9. Concord. cap. 3. Nec proinde refert illa diuerſitas, quæ in latino tot modis reperitur. In illo autem loco Iſaiæ, Hieron. ibi, Athanaſ. in diſp. contr. Arium, Chryſoſt. homil. 19. in Ioann., Euſeb. lib. 2. Demonſtrat. Euāg. cap. 49., & alij plures, referunt potius verba Prophetæ ad Eccleſiam & Fideles: & intelligunt de nomine quo hi vocati ſunt Chriſtiani. Cyrill. tamen lib. 5. de Trinit. circa initium, & lib. 12. Theſauri cap. 4. refert quidem illa verba ad Chriſtum: ſed intelligit de nomine Emmanuel, quod nulli alteri fuerat conceſſum. Sed etiam intelligendo de nomine Ieſu, poteſt optimè intelligi, quod fuerit nouum ipſi Verbo Filio Dei, poſt tot eius diuina nomina. Vel quòd fuerit etiam inter homines nouum, quantum ad impoſitionem ex ore Domini, quia ſcilicet ipſe Deus non alteri impoſuerat tale nomen. Vel nouum quoad rem: quia de nouo ſolus ipſe Chriſtus adimpleuit ſignificatum eius nominis, afferendo perfectam & æternam ſalutem animæ. Ita S. Thomas hîc art. 2. ad 2., *Secundùm rationem ſpiritualis & vniuerſalis ſalutis hoc nomen eſt proprium Chriſto, & ſecundùm hoc dicitur eſſe nomen nouum.*

Mm Aliud

Digitized by Google

Qualiter Chriſtus habuerit alia nomina.

Aliud ſupereſt dubium: quia aliud Chriſti nomen videtur olim fuiſſe prophetice prænuntiatum: præſertim Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel:* quare non videtur conſonare impoſitio nominis Ieſus cum veteri Prophetia. Ad hoc reſpondebat Iuſtinus Martyr q. 185 ad Ortodoxos, bene fieri potuiſſe, vt Chriſtus plura haberet nomina quibus vocari poſſet, non ſolum Emmanuelis, ſed alia etiam quæ in ſacris litteris continentur: vnum tamen Ieſus nomen fuiſſe communi vſu ab illo retentum, eo quod quodammodo continet reliqua. Sed certe non per hoc eſt putandum, fuiſſe plura nomina cum illa ſolemnitate impoſita Chriſto in circunciſione, ſicut nunc plerunque fieri ſolet in Baptiſmo, quamuis poſtea vnum aliquod nomen pro communi appellatione retineatur. Sic enim non niſi vnicum illud nomen fuit Chriſto in circunciſione impoſitum. Recte ergo notarunt alij Patres, Chryſoſt. homil 5. in Matth., Theophil. & Euthym. ſuper Matth. 1., Tertullian. lib. 3 cont. Marcion., Lactant. lib. 4. de Vera ſapient. cap. 12., & Expoſitores communiter, Prophetam nequaquam voluiſſe dicere, Chriſtum vocandum fore vſuali illo nomine Emmanuelis, ſicut aliqui ſic vocantur: ſed ſolum docere voluiſſe quoad rem, Chriſtum futurum eſſe verum Deum nobiſcum. Sic expoſuit Matthæus ipſe Euangeliſta, qui poſt narratam hiſtoriam ſubdit, id totum factum fuiſſe, vt adimpleretur dictum oraculum Iſaiæ, *Ecce virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* Sicut etiam idem Iſaias cap. 8. de eodem Meſſia dixerat, *Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædare:* & cap. 9. *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis:* & Ieremias etiam cap. 23. *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter:* & Zachar. cap. 6. *Ecce vir oriens nomen eius:* & Angelus ipſe in eodem colloquio ad B. Virginem, quo dixit *Vocabis nomen eius Ieſum,* addidit etiã, *Et filius Altiſſimi vocabitur.* Hæc inquam omnia patet dicta eſſe propter rem ipſam ijs nominibus ſignificatam. Et S. Thomas art. 2. ad 1. explicat, qualiter hæc ipſa nomina & attributa, quodammodo in eodem nomine Ieſu continentur.

SECTIO TERTIA.

De Oblatione Chriſti in templo, & Purificatione B. Mariæ.

In veteri lege offerri debebant primogeniti.

PRoſequitur immediate Lucas Euangeliſta: *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius,* ſcilicet Mariæ, *ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum,* ſcilicet puerum Ieſum, *in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini &c.* Iuſſerat enim Deus, vt ſibi offerretur omne primogenitum maſculinum, Exodi 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tàm de hominibus, quàm de iumentis.* Et iterum Numeri 18 hãc legem tulit. Et de animalibus quidem mundis ſanciuit vt ſibi offerrentur in ſacrificium, eorumque carnes cederent in vſum ſacerdotum. De animalibus vero immundis, & de hominibus, vt pretio redimerentur, quinque ſiclis argenti, pondere Sanctuarij, valebatq; ſiclus viginti obolos, & vt creditur põderis quaſi vnius vnciæ ex noſtris: & hæc pecunia ſimiliter cedebat in vſum ſacerdotum.

Oblatus fuit Chriſtus, non ex obligatione, ſed ex voluntate.

Iuxta hanc ergo legem, B. Maria & S. Ioſeph detulerunt puerum Ieſum in Hieroſolimitanum templum: quoniã in tota Prouincia filiorum Iſrael, hoc vnicum erat templum Deo dicatum, in quo ſolo fiebant oblationes & ſacrificia, & vbi Sacerdotes miniſtrabant. Illoque ritu obtulerunt Chriſtum in templo. Dubitandumque non eſt, peregiſſe totum quod in illa lege præſcriptum erat: dediſſe nempe quinque ſiclos Sacerdotibus, vt puerum ſecum referrent. Reuera tamen non tenebantur parentes Chriſti ex obligatione ſeruare hanc legem oblationis & redemptionis: quia nempe ipſe Chriſtus non erat ſubiectus illi legi: neque illa lex comprehendebat illum puerum, qui

Digitized by Google

qui e[illegible] t verus Deus, verus Filius Pa[illegible] Dominus & conditor eiuſdem le[illegible] ſicut nec circuncisionis obligatio [illegible]at ſuper Chriſtum: iuxta ea quę [illegible]iuerſum diximus q. 20. ſect. 4. Imo alio etiam capite, & in ijſdemmet [illegible]bis legis, obſeruari poteſt immuni[illegible] Chriſti: quia dictum erat, *Omne primogenitum quod aperit vuluam*: Chri[illegible]s autem nō aperuit matris vuluam, [illegible]m de Virgine integerrima permanē[illegible] abſque vlla aperitione, prodierit, vt [illegible]iximus de eius natiuitate. Et ita indi[illegible]arunt Cyrill. Hieroſolim. in Homil. de Occurſu Domini, & Beda ſupereundē [illegible]cum Euangelij. Quamuis plures alij [illegible]tres ex aduerſo obſeruant, dictum [illegible]e ſingulariter de ipſo Christo, quod [illegible]perueri[illegible] matris vuluam, ideſt per il[illegible]ibantea intactam tranſierit: vt dixit apud D. Tho. hic art. 3. ad 1. *[illegible] virginalem vterum aperuit, non [illegible] connubio reſeratum, ſeruans & poſt [illegible] inuiolabiliter ſignaculum caſtita[illegible]* Idemque dixerunt Origin. homil. [illegible] Lucam, Ambroſ. in cap. 2. Lucæ, [illegible] & Theophil ibidem, Chryſoſt. [illegible] Euthym. Occurſu Domini, Amphiloch. homil. de Purificat., Hieronym. lib. 2. cont. Iouinian. Alij autem Expoſito[illegible]res vt plurimum, non aliud myſterium in illo verbo obſeruant, niſi quod ape[illegible]rire vuluam idem ſit ac primò naſci, ita vt etiam Christo, quàm omni alij pri[illegible]mogenito conueniat. Sed adhuc ſe[illegible]clusa obligatione, voluit Chriſtus ex conuenientia ſeruari circa ſe quoque illam legem: & ita ex diuino inſtinctu Maria & Ioſeph, ita in hac oblatione ſicut antea in circuncisione fecerunt.

Debebant purificari mulieres part[illegible] tos cum quodam ſacrificio.

[illegible]ſſerat item Deus, vt mulier quæ[illegible]cunque pareret, non ſolum maſculinā prolem & primogenitam, ſed quamcū[illegible]que & quandocunque, abſtinere de[illegible]beret certis diebus ab ingreſſu ſanctua[illegible]rij, & poſtea accedere deberet, & of[illegible]ferre quandam hoſtiam, & hæc voca[illegible]batur purgatio purificatio. Leuitici 12. *[illegible] Sanctum non tanget, nec ingredie[illegible]tur in Sanctuarium donec impleantur dies purificationis eius: Cumque expleti fue[illegible]rint dies purificationis ſuæ pro filio ſiue pro filia, [illegible]* N[illegible] [illegible]

lum, ſeptem dierum vſque ad octauum diem circuncisionis, & aliorum trigin[illegible]tatrium à circuncisione. Hoſtia quam offerre debebat, erat agnus & pullus columbæ aut turtur: vel pro pauperi[illegible]bus duo turtures aut duo pulli colum[illegible]barum.

Id etiam perfecit B. Virgo Maria.

Hanc etiam legem exactè adimple[illegible]uit B. Virgo. Nam expectauit inte[illegible]gros præſtitutos dies, ſcilicet quadra[illegible]ginta à partu: qua quidem die Eccleſia celebrat hoc Purificationis feſtum. Et hac occaſione oblatio etiam pueri, quę per ſe non erat obligata ad tale ſpatiū temporis, fuit ad eandem diem dilata. Et hoc expreſſit Euangeliſta, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecun[illegible]dum legem Moyſi, tulerunt illum in Hie[illegible]ruſalem*. Credendumquè eſt, hunc fuiſſe ordinarium morem, commoditate ipſa introductum in illo populo, vt ſi[illegible]mul perficeretur vtrumque, ſcilicet pu[illegible]rificatio matris, & oblatio pueruli quan[illegible]do erat primogenitus. Obtulit quoque Virgo illam hoſtiam. Et ſatis expreſſit Euangeliſta, obtuliſſe hoſtiam paupe[illegible]rum, *Par turturum aut duos pullos colum[illegible]barum*. Quare putandum eſt, B. Virgi[illegible]nem ob realem paupertatem hanc ob[illegible]lationem elegiſſe: quia in hoc caſu lex id concedebat; *Si non potuerit offerre agnum ſumet duos turtures*: & B. Virgo ſtudebat exactè obſeruare legem. Quare minùs rectè Abulenſ. in cap. 12. Le[illegible]uitici q. 29. dixit. B Virginem potiùs ob affectum paupertatis & humilitatis talem hoſtiā elegiſſe. Nec obſtat quod ait: quia dum B. Virgo habebat quin[illegible]que ſiclos, habere etiam poterat quo emeret agnum. Nam ſi hoc ſignum ſufficeret, ſequeretur, ſemper quando offerebatur & redimebatur filius pri[illegible]mogenitus, potuiſſe parentes emere etiam agnum. Quinimo poteſt eſſe, vt ex eo ipſo capite, quia debebat ſolui illa pecunia, non ſuppeteret ad aliam impenſam coemendi agnum. Myſticas autem quaſdam rationes & ſignifica[illegible]tiones in his generibus auium quæ of[illegible]ferri debebant, affert S. Thomas art. 3. ad 4.

Ex ipſis verò binis animalibus diſtin[illegible]ctè iubebatur ibi in Leuitico, vt vnum offerretur in holocauſtum, & alterum [illegible]

Fra[illegible]

Digitized by Google

pro peccato. Eratque diuerſus ritus quo offerebatur ſacrificium holocauſti, & ſacrificium pro peccato. Atque holocauſtum per ſe offerebatur in laudem Dei & gratiarum actionem: ſacrificium vero pro peccato, offerebatur ad expiationem & emundationem eius pro quo offerebatur. Hinc S. Thomas hic art. 3. hoc totum intelligit pro ipſa prole; nempe ad expiationem peccati in quo proles erat concepta, & nata, & ad conſecrationem quandam ipſius. Et dum dicitur in textu Leuitici, *Cùm expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio ſiue filia deferet agnum &c.*, ly *pro filio ſiue filia*, refert ad verbum ſequens, ſcilicet pro filio deferet agnum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro peccato. Idque ſumpſit ex Auguſt. q. 40. in Leuiticum. Qui ponderauit etiam quod dicitur conſequenter in Euangelio Lucæ, *Cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo*, vt ſcilicet pro eo offerrent illud ſacrificiū lege præſcriptum. Et clarè in Officio Eccleſiæ in feſto Purificationis, *Obtulerunt pro eo Domino par turturum aut duos pullos columbarum*. Et ſic etiam ſentiunt Beda & Euthym. in Lucam, Ambroſius in ſerm. de Purificat., Leo Papa ſerm. 2. de Natiuit., Hildephonſ. ſerm. 1. de Purificat., & alij quos refert & ſequitur Barrad. lib. 10., Concord. cap. 1. Aliqui autem volunt, illud ſacrificium per ſe & primariò fuiſſe inſtitutum pro matre ſimul & filio. Iuxta quem ſenſum Origenes homil. 14. in Lucam legit, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eorum*. Et ſic ſentit Suarez hic diſp. 16. ſect. 1. Et Vgo Cardinalis in cap. 12. Leuit. diuiſim ait, holocauſtum pro ipſa prole, & ſacrificium pro peccato fuiſſe inſtitutum pro matre.

Potiùs pro matre. Videtur tamen magis conforme textui, vt abſolute dicatur illud ſacrificium inſtitutum fuiſſe pro ipſa muliere, & pro peccato intelligi eiuſdem mulieris. Ita ſentiunt Nicolaus de Lyra & Caiet. in eundem locum Leuit., Abulenſ. q. 13. & 30. circa idem caput. Item Ianſen. cap. 10. Concord. in Euang., Tolet. in cap. 2. Lucæ Annotat. 37., Maldonat. in idem cap. num. 24., & alij frequenter. Colligitur ſatis clarè ex verbis textus: dicitur enim, vt mulier ſtans ad oſtium tabernaculi, tradat illa animalia ſacerdoti, *Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Iſta eſt lex parientis maſculum aut fœminam*. Et rurſus repetitur, *Orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur*. Vbi certe pro illa perſona offerebatur tale ſacrificium, pro qua fundebantur etiam preces à Sacerdote, & cui conferendus erat effectus mundationis: quod totum exprimitur de ipſa puerpera, & non de prole. Nec obſtant quæ ex aduerſo afferebantur. Nam ly *pro filio ſiue filia*, plane referri debet ad verba præcedentia, *Cùm expleti fuerint dies purificationis ſuæ*: quia nempe immediatè ante præſcripſerat Moyſes diuerſum numerum dierum pro maſculo & pro femina, & ideo dixit illo modo, *dies purificationis pro filio ſiue filia*. Et quod dicitur in Euangelio, *Vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo*, non debet intelligi de eo ſacrificio, ſed de oblatione & præſentatione ipſius pueri in templo, & redemptione per quinque ſiclos; iuxta illam ſcilicet legem quæ ſpectabat ad primogenitos, non verò aliam quæ ſpectabat ad omnem mulierem parturientem. Quod verò dicitur in Officio Eccleſiæ, debet ſic intelligi, *Obtulerunt pro eo*, id eſt pro occaſione eius, pro partu quo ipſe natus erat: certè enim Eccleſia non aliud ſignificare voluit quàm expreſſum in Scriptura erat. Et ſic etiam poſſunt intelligi alij ex Patribus pro oppoſito allegatis.

Ob immunditiem partus. At quodnam eſſet peccatum mulieris pro quo fieri deberet ſacrificium. Lyranus ſignificat eſſe veram culpam ſaltem venialem, quæ regulariter in congreſſu carnali etiam licito ſolet admiſceri. Caietan. ait, eſſe indefinite peccata mulieris antecedentia. Sed melius Abulenſ. reſoluit, eſſe immunditiam ipſam legalem & inhabilitatem illam, qua impediebatur ingredi in Sanctuarium & tangere ſancta, quæ immunditia nuncupatur peccatum, tanquam impedimentum quoddam & macula. Et hoc ſatis clarè colligitur ex ipſo textu; non enim oportet inueſtigare &

aſtu

Digitized by Google

...re aliud peccatum, quam ipſum exprimitur, talis ſcilicet immunditia. Ratione cuius dicitur, *Orabit Sacerdos & ſic mundabitur*: ideſt ... Deum Sacerdos, vt digna deinceps habeatur admitti ad communicationem ſacrorum; & ſic efficietur ac putabitur digna & munda, ſic completur totus ritus purgationis & mundationis eius. Eodemque pacto cap. 14. & 15. iuſſit Deus, vt leproſus, & patiens fluxum ſeminis, & mulier patiens fluxum ſanguinis, eſſent immundi, & poſt certos dies purificari deberent, ſimiliter offerendo quandam hoſtiam pro peccato: nec oportet per ... intelligere aliud peccatum, quam legalem immunditiam & inhabilitatem qua tenebantur. Et addi poteſt ... Heſychio in cap. 12. Leuitici, ... eſſe peccatum, quaſi effectus & ... peccati, ſaltem originalis, commune ... ſub illa maledictione illata mulieri, *In dolore paries filios*.

Hinc tandem reſoluendum eſt, an B. Virgo habuerit in ſe indigentiam & obligationem ſubeundi talem ritum iuxta præſcriptum legis; vel ſolum ex deuotione & promptitudine ſua illam adimplere voluerit, quamuis non indigeret nec obligaretur. Abulenſis enim in illud caput Leuitici per plures quæſtiones dubitauit, B. Virginem habuiſſe reuera talem indigentiam & obligationem, ſupponendo in partu eius interueniſſe conſuetum fluxum ſanguinis iuxta ordinem naturæ. Statuendum tamen eſt cum communi ſententia; B. Virginem nequaquam habuiſſe talem indigentiam & obligationem, ſed ſolum pro ſua eximia deuotione & humilitate voluiſſe legis obſeruantias adimplere ſicut & Chriſtus, quamuis prorſus liber a lege, eam voluit obſeruare. Ita aſſerit S. Thomas hic art. 3. in corp. & ad argumenta, & cum eo alij Theologi, ac ſimiliter Sacri Expoſitores & Patres circa locum illum Leuitici, & circa hoc purificationis myſterium ... Cyrill. Alexandr. lib. 2. de Fide ad Reginas, tam ſeuere de hac re cenſet, vt dicat: *Clarè patet, in quantam impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam Mariam ... ſacrificijs qua pro puerperis ex lege offerri mos erat opus habuiſſe aſſerunt.* Et ex triplici capite deducitur hæc exemptio B. Virginis. Primo ex eo quod eius filius erat verus Deus, nec pro tali filio intelligebatur illa obligatio, quæ non niſi pro puris hominibus impoſita erat. Secundo ex eo quod eius partus ſumma cum puritate & abſque vlla immunditia extitit, abſque fluxu ſanguinis & ſordibus puerperij. Tertio ex ipſa virginali conceptione abſque opera viri. Et hoc ſumi poteſt ex ipſo textu Leuitici, vbi dicitur, *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum &c.* Quæ ergo non ſuſcepto ſemine conceperat & pepererat, plane non grauabatur tali lege. Et ita ex illis verbis deducunt Origenes, Theophil., Euthym., S. Titus Boſtrenus, D. Eligius, Bernard., Beda, Rupertus, & alij apud Barrad. lib. 10. Concor. cap. 2. Quamuis vere quidam verbum hebræum quod ibi habetur, proprie ſignificet, facere ſemen; eſtque idem verbum quod habetur Geneſ. 1., vbi de herba virente dicitur, *facientem ſemen*. Quod proinde Sanctes Pagninus in ſuo Theſauro littera Zain., & Marcus Marinus in ſua Arca Noe littera He, vno vocabulo proferunt, *ſeminificare*, quaſi ſcilicet prolificare. Nec bene Toletus in cap. 2. Lucæ Annotat. 35. inquit, verbum hebræum ibi non eſſe legendum in coniugatione Hiphil, quæ eſt actiua, ſed in coniugatione Hophal, quæ eſt paſſiua, quaſi latine diceretur, ſi mulier ſeminata ſeu ſpermatizata fuerit: ſupponens hanc diuerſitatem conſiſtere ſolum in punctis, quæ quidem variari poſſunt. Non inquam recte dicit; quia omnino verbum hebræum ibi eſt in coniugatione Hiphil; non enim ſic determinatur ſolum per puncta, ſed per litteram conſonantem Iod, ibi appoſitam, quæ non habet locum in coniugatione Hophal. Adhuc tamen poteſt talis ſignificatio illi verbo ineſſe, vt dicat illa conceptionem & prolificationem, quæ fit per vim ſeminis. Et ideo non ſolum noſtra Vulgata latina, eo modo legit: ſed etiam Septuaginta Interpretes in ſuo textu græco verterent, *Mulier quæ ſemen ſuſceperit*. Sic ergo ex his omnibus capitulis retinendum eſt, B. Virgine non

B. Mariam ... ex indigentia & obligatione, ... ex deuotione ... vel ... vbi ... ... purificatione.

non ex indigentia & obligatione, ſed ex ſpontanea deuotione cęremoniam illam legalem complere voluiſſe.

Occaſione huius præſentationis & purificationis in templo, euenit etiam quod idem Lucas Euangeliſta ſubiungit, de Simeone iuſto, & Anna Propheтiſſa. Quam rem attigimus antea cum S. Thoma pro manifeſtatione natiuitatis Chriſti.

SECTIO QVARTA.

De Alijs Myſterijs vſque ad Baptiſmum Chriſti.

Chriſtus & Maria aucti fuerunt a Ioſeph in Ægyptum.

CONcludit Lucas, *Vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth*, nec aliam particularem actionem narrat vſque ad annum Chriſti duodecimum. At Matthæus proximè poſt hiſtoriam de aduentu & adoratione Magorum, narrat qualiter S. Ioſeph admonitus ab Angelo accepit puerum & matrem eius, & receſſit in Ægyptú, vt vitaret Herodis inſidias. Herodes autem iuſſit occidi infantes in Bethlehem & circuitu eius. Hinc D. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 15. putauit, ſtatim poſt præſentationem in templo, ibidem Angelum admonuiſſe Ioſephum, eumque inde illico arripuiſſe iter in Ægyptum, & poſtea in reditu ex Ægypto intelligi ac verificari quod dixit Lucas de reditu in ciuitatem Nazareth. Et ita ſentiunt etiam Caiet. Ianſen. & quidam alij circa hoc factũ. At Origene homil. 18 in Lucam, Euthym. ſuper Lucæ 2., & plures alij Patres, docent, priùs illos ſtatim poſt præſentationem redijſſe in ciuitatem Nazareth, & ibi aliquot diebus permanſiſſe, & Ioſephum ab Angelo admonitũ fuiſſe, & inde aufugiſſe in Ægyptum. Et ita ſentiunt Tolet. in cap. 2. Lucæ Annotat. 64. & alij Expoſitores frequenter, & Suarez hîc diſp. 17. ſect. 1. Et hoc quidem eſt magis veriſimile, & magis conſonum toti hiſtoriæ euangelicæ.

Reducti fuerunt in terram Iſrael.

Defuncto autem Herode, admonitus fuit Ioſeph ab Angelo in Ægypto vt regrederetur in terram Iſrael, & ita regreſſus fuit, reducens puerum & matrem. Hinc Sacri Doctores computare ſtuduerunt tempus quo Chriſtus peregrinatus ſit in Ægypto, & quo redierit in patriam: nimirum numerando annos quibus regnauit Herodes. Et conueniunt quidem, quod Herodes regnauerit trigintaſeptem annis: ita enim affirmat Ioſephus hebræus lib. 14 Antiquit. cap. 26. & lib. 17. cap 10. At quia non ſatis conſtat, ex quo tempore ponatur initium eius regni, factum eſt vt non omnes concordent in aſſignando quotus Herodis annus eſſet quando natus eſt Chriſtus, atque adeo quandiù commoratus ſit in Ægypto. Nicephorus lib. 1. Hiſtor. cap. 14. tradit, tribus circiter annis. Beda lib. de Sex ætatibus ſignificat, quinque annis. Conſentit Ianſen. in Concord. cap. 15. At Hiſtoria Scholaſtica, & Anſelmus in cap. 2. Matth. & Ammonius Alexandrin. in Harmonia euangel. dicunt, ſeptem annis. Baronius Tomo 1. Annal. ſub anno Domini octauo, deducit, manſiſſe octo annis. Et in Martyrologio commemoratur reditus Chriſti ex Ægypto ſub die ſeptima Ianuarij: quod debet intelligi de die qua peruenit in locum ſuum.

Non in Iudæam, timore Archelai.

Rediens Ioſeph ex Ægypto, audiuit Archelaum filium Herodis regnare in Iudæa, non quidem in tota terra Iſrael, ſed in principali prouincia quę dicebatur Iudæa. (Fortaſſe enim antea putabat regnum Herodis non fuiſſe ad filios tranſiturum, eo quod Herodes non iure, ſed ex dono Romanorum regnum illud obtinuerat.) Ideo timuit in Iudæam ire. Sed quare adhuc timuit, ſi iam admonitus fuerat ab Angelo vt rediret, quia mortui erant qui quærebant animam pueri? Potuit quidem prudenter timere: quia Angelus non determinauerat certum locum in quem rediret, ſed ſolùm vagè terram Iſrael: vnde cogitare potuit, ſuæ prudentiæ relictum fuiſſe, vt determinaret locum, in quo ſecurus manere poſſet. Et non videbatur ei ſecurus locus, illa prouincia in qua regnabat Archelaus, quoniã quamuis mortuo Herode non tunc ipſe quæreret occidere puerum, poterat eſſe vt in notitiam eius deueniret, & denuò quæreret illum occidere.

Timens

...em Ioſeph ire in Iudæam, ſeceſ... partes Galileæ, admonitus etiam in ſomnis. Sed quare non etiã ... ire in Galilæam? Siquidem ibi ...abat pariter Herodes, dictus Anti... alius filius primi Herodis, & frater ...chelai. Qui Herodes Antipas voca... Tetrarcha, græco nomine ſum... quarta parte regni. Et permanſit ... ſuo dominio Galilææ, etiam tempore ...ſſionis Christi, quando iam Arche... pulſus fuerat a Romanis & rele... in Galliam, ac Iudæa redacta in ...uinciam adminiſtrabatur per Ro... Procuratores, qualis fuit Pon... Pilatus. Et ita accidit quod narrat ... cap. 23., *Pilatus autem audiens ...ilæam interrogauit ſi homo Galilæus eſ... cognouit quòd de Herodis pote... remiſit eum ad Herodem, qui ... Hieroſolymis erat illis diebus.* Ad ... Auguſtin. lib. 2. de Conſenſu Euan... cap. 8. ſignificat, quod non ad... conſtitutus fuerat Herodes ...tunc Galilææ, & ideo non fuiſſe ... timendi in illa regione. Sed ... ex hiſtoria Ioſephi Hebræi con... Herodem accepiſſe ſuam tetrar... ſimul ac Archelaus obtinuit Iu... & alioqui idem Archelaus re... tunc etiam in Galilæa, vnde ... eadem cauſa timendi atque in Iudæa. Abulenſ. in cap. 2. Matth. q. 83. inquit, non fuiſſe cautum timendi Herodem ſicut Archelaum: quia ſolus Archelaus fuerat relictus heres totius regni à patre, & ita præſumi debebat particeps eiuſdem odij paterni contra Christum, ſed Herodes in Galilæa, ſicut & Philippus alius frater in Iudæa, acceperant Tetrarchias à Romanis, atque ita regnabant contra voluntatem patris, nec erant participes eiuſdem odij. Sed Abulenſis ſupponit falſum: quia, vt narrat Ioſephus hiſtoricus lib. 17. Antiquit. cap. 13., primus ipſe Herodes reliquit partes illas regni filijs illis ſuis, cum conditione vt teſtamentum confirmaretur ab Imperatore Romano, vt de facto confirmatum fuit. Satis ergo erit dicere, Archelaum ex ſuo peculiari ingenio cognitum fuiſſe auidiorem regni, vnde vſurpauit nomen & titulum regium, & ſæuiorem moribus ac pronũ ad fundendum ſanguinem; & ideo iſ... buiſſe magis timẽri. Ac tandem, quia S. Ioſeph poterat habere etiam cauſam aliquam timendi alios fratres: ideo ad tollendam omnem eius perplexitatem fuit ſpecifice admonitus vt ſecederet in partes Galilææ.

Veniẽs in Galilæam habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth. Sed cùm ab origine ſua Ioſeph fuiſſet ciuis Nazareth, & ibi fuerat ei deſponſata B. Maria, & ab Angelo ſalutata, & ibi habitaſſent ante natiuitatem & poſt præſentationem Chriſti in templo, quare modo in reditu ab Ægypto inducitur S. Ioſeph, quaſi ex accidenti & occaſione timoris diuertiſſe a Iudæa, & perrexiſſe vt habitaret in Nazareth Galilææ? D. Auguſt. eodem lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 9. reſpondet, Vel Ioſephum, quando in Ægypto admonitus fuit ab Angelo vt rediret in terram Iſrael, hoc nomine intellexiſſe veluti per excellentiam ſignificari Iudæam, & ideo priùs deliberaſſe venire in Iudæam, ſed poſtea diuertiſſe in Galilæam. Vel ex alijs oraculis & myſterijs Chriſti putaſſe, ſibi habitandum eſſe in vrbe Ieruſalem & apud templum, & ideo noua admonitione cognouiſſe, ſibi habitandũ eſſe in ciuitate Nazareth, de qua ſubdit Matthæus, *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas quoniam Nazaræus vocabitur*. Aliter. Nicephorus lib. 1. Hiſtor. cap. 13. ait, Ioſephum & Mariam habuiſſe habitationem aut hereditatem aliquam, tum in Bethlehem Iudeę, tum in Nazareth Galileę, & ideo potuiſſe habere animum pergendi tunc in ciuitatem Bethlehem, ſed timore Archelai & monitu Angeli declinaſſe in ciuitatem Nazareth. Abulenſis demum in cap. 2. Matth. q. 86. reſpondet, vel Ioſephum habuiſſe animum commorandi in Iudæa, quia id ſibi commodius videbatur ad viuendũ de ſuis fabrilibus operibus, ſicut opifices ſolent. Vel ſolum habuiſſe animum tranſeundi per Iudæam, vt pergeret in Galilæam, eo quod venientibus ex Ægypto illud erat rectum & breuius iter, vt ait Ianſen. cap. 11. Concord. ad reddẽdas Deo gratias & ſacrificium aliquod offerendum in templo: ſed timore

Ac p... in ci... Naz... qua ... eorum... tria.

timore Archelai declinaſſe à Iudæa, & circuitu quodam profectum in Galilæam, in ciuitatem Nazareth, patriam ſuam, ibique deinceps habitaſſe.

Inde ſinguſis annis aſcendebant Ieroſolymam pro die Paſchæ.

Habitantes in ciuitate Nazareth, ibant per ſingulos annos in Hieruſalem in die ſolemni Paſchæ, vt Lucas conſequenter narrat. Sed quare non timebant amplius Archelaum in Iudæa regnantem, Ieroſolymis reſidentem? Reſpondet optime D. Auguſt. eo lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 10. Si ſequentibus annis regnabat adhuc ibi Archelaus, (vere autē regnauit decem annis, vt ex hiſtoria Ioſephi Hebræi lib 17. Antiquit cap 15. compertum eſt) facillime fieri potuiſſe, vt in tanta hominum turbâ, quæ in ea ſolemnitate Ieroſolymam confluebat, occulti laterent: nec ſane par cauſa timendi erat in illa breui peregrinatione pro die ſolemnitatis, quæ fuiſſet in continua habitatione. Et ita poterant optime adimplere quod Auguſtinus inquit, *Vt nec ſolemnitate prætermiſſa eſſent irreligioſi, nec continua manſione conſpicui.*

Aſcendentibus illis quodam anno, nempe cùm Chriſtus eſſet annorum duodecim, & peracta ſolemnitate redeuntibus, remanſit Chriſtus inſcijs parentibus in Ieruſalem, & poſt triduum inuentus ab ijs fuit in templo inter Doctores, & interceſſit colloquium illud inter matrem & Chriſtum, quod narrat Lucas eodem cap. 2. Quomodo autem hæc digreſſio Chriſti accidere potuerit ac reuera acciderit abſque vlla culpa aut negligentia matris, iam notauimus tract. præced. ſect. 12. Neque eſt, vt in hoc facto ampliùs immoremur, vtpote ſatis claro in textu.

Quomodo deinceps Chriſtus proficiebat ſapientia & gratia.

De reliquo ſubiſit Lucas, Chriſtum profeciſſe ſapientia & gratia apud Deū & homines. Quod qualiter intelligi debeat, ſatis etiam antea diximus de gratia & ſcientia Chriſti, nempe q. 7. ſect. 5. & q. 9. ſect. 2 Ex quo generaliter quidem conſtat, Chriſtum conſequenti ſuo vitæ tempore inſignia opera & verba ſanctitatis & ſapientiæ feciſſe ac protuliſſe. Nec aliud eius factum vel dictum particulare narrant Euangeliſtæ vſque ad trigeſimum ætatis annum, quo à Ioanne in Iordane baptizatus & manifeſtatus fuit.

SECTIO QVINTA.

De Baptiſmo Chriſti in Iordane.

DEſtinauerat Deus Ioannem, filium Zachariæ & Eliſabeth, præcurſorem Chriſti, qui præiret ante illum, & pararet vias eius, eumque nudo annūciaret & manifeſtaret. Prædicare cæpit Ioannes apud Iordanem fluuium populo pœnitentiam, magnaque multitudo ad eum confluebat, iiſque eos in Iordane baptizabat. Annuncians quoque aduentum Chriſti in lege promiſſi, cuius virtute remiſſionem peccatorum & ſalutem animæ obtinerent. Tunc acceſſit ipſe quoque Chriſtus à Nazareth Galilææ vbi hactenus habitauerat, & baptizari voluit a Ioanne in Iordane. Hoc totum expreſſis verbis Euangeliſtæ narrant. De Baptiſmo qui conferebatur à Ioanne, communiter quidem ſpectato, agit S Thom q 38, ſed nos agemus potius ſimul cum ſacramento Baptiſmi inſtituto a Chriſto. Specialiter vero de baptizatione Chriſti agit S. Doctor q 39. quæ proprie ad hunc tractatum ſpectat inter myſteria vitæ Chriſti.

Baptizatus fuit Chriſtus à Ioanne in Iordane.

Baptizatus itaque fuit Chriſtus à Ioanne in Iordane, vt Euangelica narrat hiſtoria. Damaſc. autem lib. 4. de Fide cap. 10 indicauit, & Clictouæus ibi aſſeueranter affirmat, Chriſtum baptizatum fuiſſe à Ioanne, eodem ſacramento Baptiſmi inſtituto à Chriſto. Sed alij omnes ſupponunt, & prorſus certum eſſe debet, baptizatum fuiſſe alio longe diuerſo Baptiſmo. Nam Chriſtus a Ioanne petijt & ſuſcepit eundem Baptiſmum quem alij ſuſcipiebant, vt patet ex ipſo textu: ſed baptiſmus quem populo præbebat Ioānes, erat longe diuerſus a Baptiſmo proprio Chriſti. Neque adhuc tunc Chriſtus inſtituerat ſuum Baptiſmum. Quod totum oſtendemus in proprio tractatu de noſtro ſacramento Baptiſmi. Non ergo Chriſtus baptizatus fuit à Ioanne eodem Baptiſmo ſuo: ſed alio prorſus diuerſo quoad ſubſtantiam &

ſtatum,

tebat ſolùm in quadam
ne in ſignum deuotio-
lli tamen Doctores qui
em baptizaſſe quoque
a verborum; vtpote in
venturi; admoneat, non
iſtum ſub hac forma, ſed
utionem ſine verbis. Et
ulenſ. in cap. 3. Matthæi

ndum verò magis præciſè
nt Remig., Rupert., & D.
atth. 3., Abulenſ. in idem
61., Barrad. tomo 2. Con-
cap. 13. in fine. Tolet An-
n cap. 1. Ioannis, in eodem
nis baptizatum fuiſſe popu-
inum, per quem tranſierant
rael. Et hic locus denotatur
lio: *Hæc in Bethania facta ſũt*
nem, vbi erat Ioannes bapti-
n enim hæc eſt illa Bethania
ruſalem, in qua erat domus
ſororum: ſed erat in alia re-
ns Iordanem, idem cum Be-
a, cuius ſit mentio Ioſue 15., &
tatur *Domus tranſitus*: ſicut Be-
ſcripta per Aleph *Domus nauis*,
otandum ſcilicet tranſitum He-
m.
gnat etiam Euangeliſta tempus
hriſtus baptizatus fuit, dicens;
Ieſus erat incipiens quaſi annorum
ta, Lucæ 3. Hinc tres dicendi
exorti ſunt. Primus Epiphanij
ſi 51., & Caiet. in eundem locum
gelij, Chriſtum fuiſſe baptizatum
quàm inch aret annum trigeſimũ,
cùm prope illum eſſet, & propriè
et annum vigeſimumnonum. ſicquè
elligunt, *Quaſi annorum triginta*. Et
incipiens, poteſt referri vel ad ean-
n ætatem Chriſti, ideſt incipiebat
aſi annum trigeſimum, Vel poteſt
ferri ad comparitionem & manifeſta-
onem Chriſti, ideſt tunc incepit Chri-
tus comparere ſequè manifeſtare, cùm
eſſet quaſi annorum triginta. Secundus
modus eſt. Chriſtum baptizatum fuiſſe
poſt expletum trigeſimum annum, &
inchoato trigeſimoprimo: dictumquè
fuiſſe, *quaſi annorum triginta*, non per
diminutionem, quod aliquid deeſſet ad
triginta annos; ſed per incrementum,

quòd aliquid ſupereſſet vltra triginta annos. Sicut illi qui Exodi 12. dicebantur ſexcenta fere millia, poſtea Numeri 1. dicuntur ſexcẽta tria millia quingenti quinquaginta. Ita ſentiunt Burgenſ. in cap. 3. *Lucæ*, Baron. ſub anno Domini 30. & 31., & fuſius in Apparatu Annalium §. *Tertia opinio*, Scaliger lib. 6. de Emendatione tempor. cap. 1. Idemquè indicarũt aliqui Patres, Ignatius Martyr epiſt. 4. ad Trallianos, Chryſoſt. homil. 10. in Matth., Euthym. in cap. 3. Matth., Bernard. ſerm. 1. de Epiphania, & clariùs Beda lib. de Ratione tempor. cap. 5. Tertius dicendi modus eſt, Chriſtum baptizatum eſſe propriè dum ageret & excurreret annum ætatis trigeſimum, ideſt expleto penitus vigeſimonono, nõdum inchoato vigeſimoprimo, ſed inchoato & non expleto trigeſimo. Ita ſentiunt Lyranus & Carthuſianus in eundem locum Lucæ, Toletus Annotat. 55. in cap. 3. Lucæ, & plures alij Expoſitores ibidem, Abulenſ. in cap. 3. Matth. q 66., Perer. lib. 11. in Daniel. q. 6., Barrad. tomo 2. Concord. lib. 1. cap. 12., Salianus tomo 6. anno Chriſti 30., Azor. tomo 2. lib. 1. cap. 11. quæſito 19. Item Suarez hic diſp. 26. ſect. 2., Tannerus tomo 4 diſp. 2. q. 2. dub. 5., Bonacina de Incarnat. diſp. 3. q. 2. puncto 4., alijquè ex Theologis. Et hoc idem videtur velle S. Thomas q. 39. art. 6. abſolutè dicens, Chriſtum fuiſſe baptizatum anno ætatis ſuæ trigeſimo. Et expreſſe Irenæus lib. 2. cap 39., & Euſeb. lib. 1. Hiſtor. cap. 10., dicentes, Chriſtum fuiſſe baptizatum inchoato anno trigeſimo. Idemque voluiſſe videntur Ambroſ. & Theophilact. ſuper Lucæ 3., Hieronym. ſuper Ezechiel. 1., Nazianzen. Orat. 39., abſolutè dicentes, Chriſtum baptizatum fuiſſe anno trigeſimo.

Atque hic ſane dicendi modus magis conſonat verbis Euangelij, quæ ſatis indicant, Chriſtum baptizatum fuiſſe dum attingebat & agebat ipſum annum trigeſimum, & non ante illum inchoatum, nec poſt expletum. Et fortaſſe etiam non aliud voluerunt illi Patres qui ſignificabant, Chriſtum baptizatum fuiſſe poſt triginta annos, videlicet poſt inchoatos, non poſt expletos. *Anno trigeſimo.*

Nn

cos. Sicut etiam quando Lucas dixit, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer* ſatis intelligebatur ipſe circumciſum in ipſa die octaua. Affert quoque S. Thomas in articulo quędam exempla & veluti figuras veteris teſtamenti: Triginta annorum erat Ioſeph quando accepit regimen Ægypti Geneſ. 41. Dauid quando regnare cœpit 2 Reg. 5. Ezechiel quando prophetare cœpit cap. 1. Sed ex aduerſo Baron præcipue vim facit in verbis Ignatij Martyris, qui vixit proxime ad illa tempora: & ex originali græco hæc verba refert: *Expletis tribus annorum decadibus baptizatus eſt à Ioanne*. Addit etiam Baron. auctoritatem Romanæ Eccleſiæ in antiquo Rituali inſcripto Ordo Romanus, ex quo refert hæc verba: *Expletis namque Chriſtus quaſi triginta annorum curriculis, venit in Iordanem vt baptizaretur ab eo*. Verùm ad locum Ignatij, Barrad. vbi ſupra ex originali græco potius obſeruat, poſſe optime intelligi Chriſtum fuiſſe baptizatũ, dum ageret annum ipſum trigeſimum, ſic verba referens, *Tres decadas annorum cum vixiſſet*. Aut ſi per eundem modum participij qui habetur in Græco legere velimus, dicemus, Tres decadas annorum perficiens, ſeu conuerſatus. Huiuſmodi ergo loquendi modus non exprimit, fuiſſe prorſus exactos & completos triginta annos. Sed etiam ſi legatur, Expletis, certè multo plus erat, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*: & tamen hoc intelligimus excurrente ipſa die octaua, imo poterat Chriſtus eſſe circumciſus in prima hora illius. Quanto ergo facilius intelligere poſſumus, expletis tribus decadibus, excurrente vltimo anno tertiæ decadis. Et à fortiori adhuc in Ordine illo Romano, vbi addebatur particula *quaſi*.

Circa initium anni

Ex ijſdem etiam verbis Euangelij colligitur, qua parte anni trigeſimi Chriſtus baptizatus fuerit. Et Epiphanius quidem Hæreſi 51. opinabatur, verſus finem anni, ſcilicet menſe Nouembri, cùm complendus eſſet annus proxima die vigeſimaquinta Decembris. Sed potius verba Euangelij denotant, in principio anni trigeſimi: *Erat incipiens quaſi annorum triginta*. Præſertim referendo ly incipiens ad ipſam ætatem Chriſti, quod Chriſtus incipiebat eſſe annorum triginta. Et additur quaſi annorum triginta, ad denotandum magis principium anni. In hoc etiam conuenire videntur Patres & Doctores; dum vel affirmant, vel dubitant, baptiſmum Chriſti accidiſſe die ſexta Ianuarij: nam etiam dubitando de tali præciſa die, ſaltem videntur ſupponere prope illam accidiſſe. Et præſertim hoc confirmat feſtiuitas Eccleſiæ, vt mox dicemus. Quare die decimatertia anni ſui trigeſimi dicetur baptizatus fuiſſe Chriſtus.

Die ſexta Ianuarij.

Ex feſtiuitate ergo Eccleſiæ colligitur, hæc certa dies ſexta Ianuarij. Nam eadem illa die Eccleſia celebrat feſtum Epiphaniæ pro aduentu & adoratione Magorum; atque etiam pro baptiſmo & manifeſtatione Chriſti in Iordane. Et ſic pluries repetit in officio illius diei: *Hodie in Iordane à Ioanne Chriſtus baptizari voluit: Hodie cæleſti Sponſo iuncta eſt Eccleſia, quoniam in Iordane lauit Chriſtus eius crimina: Hodie in Iordane baptizato Domino aperti ſunt cæli*. Idem indicant plerique Patres, Origen. homil. 8. in diuerſos, Ambroſ. ſerm. 18. 21. & 22., Auguſt. ſerm. 37. de Tempore, Maximus in ſerm. de Epiph., Caſſian. Collat. 10. cap. 2., & alij. Quamuis enim fieri poſſit & interdum ita ſit, vt Eccleſia certam quandam diem elegerit ad celebrandum & commemorandum aliquod feſtum vel myſterium, non quia ea die proprie factũ ſit, ſed vel propter diei incertitudinem, vel propter rei commoditatem: ſicut celebrat feſtum Viſitationis die ſecunda Iulij, cùm celebret natiuitatem B. Ioannis Baptiſtæ die vigeſimaquarta Iunij, quamuis viſitatio contigerit tribus circiter menſibus ante ipſam natiuitatem. Tamen quando non occurrit ratio qua dubitetur de tali die qua celebratur aut commemoratur ipſum feſtum aut myſterium, ſatis credibile fit illam eſſe propriam eius anniuerſariam diem. Et ita in hoc caſu putandum eſt. Difficultas enim quæ occurrit, quia Eccleſia pariter eadem die commemorat miraculum conuerſionis aquæ in vinum, factum in nuptijs apud Canam Gali-

m non videatur potuiſſe
die vtrunque myſterium
c inquam difficultas potiùs
ſuadere, miraculum con-
uàm Baptiſmum Chriſti, fa-
alia die, ſed ea die comme-
t etiam miraculum conuer-
it factum eſſe poſt integrum
iem recurrente die, vt dice-

ò conueniens fuiſſe, Chriſtum
per plures rationes ex Patri-
aptas enarrat S. Thomas q. 39.
o. Nempe primò ex Ambro-
quia Chriſtus mundari vole-
otiùs quia ſuo contactu mun-
anctificare voluit aquas ad ſa-
orum baptizandorum. Vbi non
ligendum, quòd Chriſtus tunc
virtutem aquis ſanctificandi,
tunc inſtituerit ſuum ſacra-
baptiſmi: ſed ſolùm quia tunc
auit quodammodo & deputauit
ad talem effectum & miniſteriũ.
do ex Chryſoſt. & Nazianz. quia
Chriſtus non eſſet ipſe peccator,
ſuſcepit naturam peccatricem
ſimilitudinem carnis peccati, & ideo
in ſe non indigeret baptiſmo, ta-
baptizari voluit vt veterem Ada-
in aquis immergeret. Vbi etiam
eſt intelligendum, quòd Chriſtus
piendo hunc baptiſmum perfece-
noſtræ redemptionis, niſi in-
hoc fuit vnum ex meritis
: ſed quia præmonſtrabat redẽ-
onem à ſe perficiendam ſanguine.
Tertio ex Auguſt. baptizari vo-
it ad præbendum alijs exemplum,
in alijs imperare volebat vt bapti-
rentur. Conueniens autem fuiſſe,
aptizari baptiſmo illo Ioannis, & non
aptiſmo ſuo à ſe inſtituendo, vel alio
aptiſmo veteris legis, conſequenter
plicat S. Thomas art. 7. in corpore &
ad 2. Nempe quia Chriſtus debebat
baptizari tantùm in aqua, nõ autem in
ſpiritu, hoc eſt nõ in baptiſmo conferẽ-
te gratiã: & quia comprobare decebat
baptiſmum Ioannis: & voluit tunc
quodammodo ſanctificare baptiſmum.
Nec debebat ſubire alium baptiſmum
figuralem veteris legis, cùm ipſe eſſet
ille in quo omnes antiquæ figuræ adim-
plebantur.

Rurſus conueniens fuiſſe Chriſtum baptizari tali tempore, nempe anno trigeſimo ſuæ ætatis, cõprobat S. Thomas art. 3. Quia tunc Chriſtus volebat inchoare munus docendi & prædicandi, ad quod decet ætas perfecta: & quia volebat abrogare veterem legem, ad quod expediebat vt prius eam per illos annos obſeruaſſet: & quia volebat oſtendere, quod ſuus baptiſmus parturus erat viros perfectos: & quia in numero trigenario qui conficitur ductu ternarij in denarium, ſignificauit, perfectionem Chriſtianæ vitæ conſiſtere in fide Trinitatis & obſeruatione Decalogi. Aptè etiam voluiſſe baptizari, non primo nec vltimo loco à Ioanne, explicat in ſolut. ad 4. ex Chryſoſtomo: quia expediebat multos prius fuiſſe baptizatos à Ioanne, vt faciliùs crederetur teſtimonio eius de Chriſto, quod baptiſmo adiungebatur; & pariter expediebat non expectare donec Ioannes abſolueret curſum & miniſterium ſuum. Conueniens demum fuiſſe baptizari in tali loco, nempe in Iordane, deducit art. quarto: quia ſicut filij Iſrael per hunc fluuium in terram promiſſionis intrauerant, & Helias diuiſerat aquas Iordanis quando erat rapiẽdus in cœlum: ita baptiſmus quem tũc Chriſtus deſignabat, introducit & eleuat homines in regnum cœlorum.

Et conuenienti loco ac tempore.

SECTIO SEXTA.

De Manifeſtatione Chriſti in Iordane.

Simul cum baptiſmo, manifeſtatus fuit Chriſtus, non ſolùm à Ioanne teſtimonium perhibente, ſed præcipuè cœleſtibus ſignis, nempe quòd Chriſtus eſſet Meſſias in lege promiſſus, verus Dei filius. Signa fuerunt, cœlorum apertio, deſcenſus Spiritus ſancti in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum, & vox Patris declarantis illum eſſe ſuum dilectum filium: Quod totùm Euangeliſtæ exactè deſcribunt. Cœlorum apertionem fuiſſe conuenienter factam, explicat S. Thomas q. 39. art. 5. in ordine ad

Tunc cæpit manifeſtari Chriſtus à Ioanne & per cœleſtia ſigna.

Per apertionem cœli.

ad baptiſmum inſtituendum à Chriſto: ſcilicet ad denotandum, virtutem baptiſmi eſſe de cælo, & ad inſpicienda cæleſtia, & ad introitũ regni cœleſtis. Sed magis ad litteram illa apertio tunc facta fuit ad præbendum teſtimonium cæleſte de Chriſto, ſimul cum alijs ſignis. Qualiter autem facta fuerit, explicat in ſolut. ad 2 poſſe intelligi tribus modis. Primo penes corporalem viſionem, quod circa Chriſtum tantus ſplendor fulſit vt videretur cœli aperti. Secundo penes imaginariam viſionem, quod ſcilicet imaginationi repræſentaretur cœlum apertum. Tertio penes intellectualem tantùm viſionẽ, quod repræſentabatur aditus cæli patefaciendus hominibus. Sed cenſendum eſt, factam fuiſſe ſecundùm corporalem quandam viſionem oculis cõſpicuam: hoc enim magis conſonat toti hiſtoriæ Euangelicæ, & magis congruebat ad finem intentum manifeſtandi Chriſtum cæleſti teſtimonio, & eſt magis conforme alijs ſignis corporeo ſenſu perceptis vt conſtabit. Non oportet autem factam fuiſſe realem apertionem & ſciſſionem cœli ætherei, nec etiam cœli aërei: ſed ſatis eſt factam fuiſſe apparentem, quantum oculis corporeis percipi poterat: nempe per ſplendorẽ quendam in duas partes laterales deductum, relinquendo partem obſcuriorem in medio: ſic enim planè oculis apparet diuiſio, & ſic per artem quoque picturæ figuratur.

Per deſcenſum Spiritus ſancti in ſpecie columba.

Deſcenſum Spiritus ſancti in ſpecie columbæ fuiſſe conuenientem, explicat S. Thomas art. 6. ad denotandum, quod omnes qui in Chriſto baptizandi erant, recepturi erant Spiritum ſanctum, niſi tamen ficte accedant. Sed ad litteram debet intelligi, fuiſſe conuenientem & per ſe proxime ordinatum ad præbendum teſtimonium de Chriſto. Qualiter autem apparuerit columba ſuper Chriſtũ, pro certo docet S. Doctor in ſolut. ad 2., fuiſſe per corporalem viſionem, & fuiſſe corporeis oculis conſpectam. Qualiter verò per illam dicatur Spiritus ſanctus viſus ſuper Chriſtum, rectè explicat, non intelligi per ſubſtantialem vnionem, ſed tantùm per ſpiritualem ſignificationem, quia per columbã ſignificabatur perſona Spiritus ſancti, vel gratia Spiritus ſancti. Quam aptum autem & proportionatum eſſet ſignum columbæ ad repræſentandum Spiritum ſanctum, eiuſque dona & gratiam, per plures columbæ proprietates, copioſè explicat S. Thomas ad 4.

Vlteriùs autem artic. 7. docet, illam fuiſſe veram & non tantùm apparentẽ columbam, ex Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano cap. 22. Et reddit rationem, quia ſicut Filius qui eſt veritas Patris aſſumpſit verum corpus humanum, ita Spiritus ſanctus qui eſt ſpiritus veritatis, debebat veram columbam formare in qua appareret. Meliùs tamen idem Auguſtin. pluribus alijs in locis, Epiſt. 102 lib. 2 de Trinit. cap. 5. & lib. 7. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ cap. 5., & idem D. Thomas in 1. diſt. 16. q. 1 art. 3., Ambroſ. quoque lib. 1. de Sacram cap. 5, Abulenſis in cap. 3. Matth. q. 48. & 85., Gloſa, Caiet., & alij Expoſitores in idẽ cap. Matth., Tolet. Annotat. 70. in 1. cap Ioann. Barrad. tomo 2. Concord. lib. 1. cap. 13, Suarez & alij Theologi hoc loco, abſolute docent, illum fuiſſe apparentem & non veram columbam, id eſt non viuum animal corpore ſtabili & ſua anima conſtans, ſed ſolum corpus quoddam formatum ex aere ad inſtar columbæ: ſicut nempe aliæ apparitiones Dei & Angelorũ in ſpecie humana frequenter factæ erant, vbi non erant veri & viui homines, ſed tantùm apparentes, qui repræſentabant Deum & Angelos. Et quidem facilè quiſque ſibi perſuadebit, fuiſſe apparentem ſolum columbam: quia id ſatis erat ad illam viſionem & oſtenſionem: & nec erat neceſſarium nec conueniens, aut ſumi veram columbam priùs extantẽ, aut de nouo creari, & ſtatim poſt illam breuem apparitionem vel dimitti vel occidi. Et ſimiliter quando in die Pentecoſtes apparuit Spiritus ſanctus in figura ignis, non fuit verus ignis, ſed tantùm apparens, qui inſedit ſuper capita Apoſtolorum. Nec quicquam obeſt exemplum & argumentum oppoſitum: quia Filius aſſumebat humanam naturam, volens verè fieri homo, & permanere deinceps homo: vt Spiritus

ſebat ſolùm apparere
in illa figura, tel iuc
præiudicio veritatis,
ebatur illa figura ad
cabatur autem veri-
ubicumque appa-
alijs
Patris teſtificantis,
deniqu dilectus in quo mihi
lius meus fuiſſe conuenienter ad-
acui, S. Tho. art. 8., moro-
xplicat ſtrum Baptiſmum qui
ad noſtrum quoniam noſter bap-
abatur, perficiendus in inuocatio-
at perficiendus Trinitatis; & ideo tunc om-
perſonæ demonſtratæ ſunt. Fi-
umana natura ſubiens baptiſ-
iritus ſanctus in ſpecie colum-
rens, & Pater in voce loquens.
pria ratio in illo præſenti my-
iit, ad manifeſtandum Chri-
ui ex tunc debebat ſe oſtendere
, & prædicare ac confirmare fi-
Qualiter autem formata fuerit
x, facile eſt, per productionem
e ſoni realis in aere, ſoni inquam
latti in illa verba. Quare dicetur
ealis, ſumendo vocem pro ſono,
illi in hoc nomen ſumi ſolet. Sed
a ſumendo vocem in rigore prout.
icur ſonus ore prolatus per natu-
inſtrumenta: ſic dicetur tantum
areus vox quia ita inſonuit ac ſi
modo formata fuiſſet tanquam hu-
na vox, cum tamen reuera non eſ-
ic formata, ſed ſolùm per extrinſe-
n Dei virtutem in aere. Hinc ait
time S. Tho. ad 2. fuiſſe quidē realiter
ota Trinitate formatam, ſed tamen
repræſentandum ſolùm Patrem tan-
uam loquentem, ita vt ſoli Patri at-
ibuatur tanquam dicenti, *Hic eſt Fi-*
us meus. Sicut & columbam tota
rinitas operata fuit, ſed tamen ſolus
piritus ſanctus in illa repræſentaba-
tur. Verè autem ſoli Patri, & non toti
Trinitati, conueniſſe dicere de Chriſto,
Hic eſt Filius meus, & ſic debere illa ver-
ba intelligi, ex profeſſo probauimus ac
defe dimus antea quæſt. 23. ſect. 4.
circa filiationem Chriſti.

Cœterùm, explicatis iam ſingulis ijs
ſignis, adhuc determinandum eſt, qui-
buſnam innotuerint ſeu apparuerint, &

quando ſeu in qua parte illius myſterij. Et ratio dubitandi eſt; quia Matthæus indicare videtur, ſoli Chriſto ſtatim poſt baptiſmum apparuiſſe illa ſigna: ait enim, *Baptizatus Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam & venientem ſuper ſe. & ecce vox de cœlis &c.* Similiter Marcus, *Statim aſcendens de aqua vidit cœlos apertos &c.* Et vocem etiam dirigit ad ipſum Chriſtum, *Tu es Filius meus dilectus in te complacui*; quo pacto etiam Lucas hæc verba enarrat. Aut ad ſummùm Ioannes ipſe qui manifeſtauit Chriſtum, hæc ſigna perſpexit. Sic enim narrat alter Ioannes in ſuo Euangelio, dicens de illo: *Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Quo loquendi modo videtur, quod ſolus Ioannes, & non alij de populo, hæc ſigna vidiſſet. Videtur etiam, quod hęc ſigna apparuerint Ioanni antequam Chriſtum baptizaret: quia dum Chriſtus acceſſit vt baptizaretur, Ioannes recuſabat & prohibebat eum ob reuerentiã, vt alij Euangeliſtæ narrant: ergo iam per hæc ſigna eũ cognoſcebat. Propter quæ Caiet. ſuper Ioann. 1. cogitauit, bis facta fuiſſe hæc ſigna, primum ſoli Ioanni ante baptiſmum, ſecundo toti populo circumſtanti poſt baptiſmum. Sed hæc repetitio planè eſt præter tenorē hiſtoriæ Euangelicæ. Et ſtatuendum eſt, ſemel tantùm ea ſigna facta eſſe, & non niſi poſt baptiſmum, vt tam clare Euangeliſtæ narrant. Hilarius autem lib. 9. de Trinit. indicauit, illa ſigna ſoli quidem Ioanni innotuiſſe, & eius teſtificatione manifeſtata fuiſſe populo. Verùm cùm illa ſigna facta ſint per realem & corpoream ac ſenſibilem mutationē, poterant omnino ac debebãt ab omnibus circũſtantibus deprehendi: idque ſine dubio maxime conferebat ad manifeſtationem Chriſti: & ita ſentiunt aut ſupponunt alij Patres & Expoſitores communiter.

Et

populi ſta-tim poſt baptiſmū.

Sic intelliguntur & conciliantur Euangeliſtarum verba.

Et verba Euangeliſtarum ſic accipienda & concilianda ſunt. Dictum eſt cœlum aperiri ipſi Chriſto, ideſt ad oſtentionem ipſius Chriſti. Vel aperiri ſuper ipſum Chriſtum, ſuper quem ex illa apertura deſcendit columba & innuit vox. Item dictum eſt cœlum aperiri Chriſto, & columbam videri a Chriſto ſuper ſe deſcendentem, quia reuera ita fuit: ſed per hoc non excluditur, imo potius indicatur, hæc ſigna viſa eſſe etiam ab alijs. In voce autem & verbis pro eodem dicitur, *Hic eſt Filius meus*, loquendo de Chriſto, ac *Tu es Filius meus*, loquendo ad Chriſtum. Et hæc vox potuit audiri & audita fuit a circunſtantibus, quia Chriſtus ipſe non indigebat tali teſtimonio. Ioannes etiam atteſtabatur populo, ſe vidiſſe columbam deſcendentem ſuper Chriſtum, & ſe habuiſſe prius reuelationem a Deo de hoc ſigno cognoſcendi Meſſiam; vt ita populus videns idem ſignum, conuinceretur hac atteſtatione Ioannis ad cognoſcendum Meſſiam, & alacriùs crederet, vocem quam audiuit fuiſſe vere celeſtem à Deo Patre delapſam. Sed præcipue Ioannes illo modo loquebatur deinceps ad populum, qui identidem confluebat, nec adfuerat præſens quando ea ſigna facta erant. Nam illa Ioannis alloquutio ad populum quæ ibi narratur, fuit poſt ieiunium Chriſti in deſerto, quando Chriſtus iterum ad eum locum acceſſit, vt clarè colligitur ex Euangelio. Non denique Ioannes vidit hæc ſigna, niſi poſt baptizatum Chriſtum: ſed cùm primum vidit Chriſtum ad ſe accedentem, eum interna reuelatione agnouit. Quem quidem antea neſciebat, ideſt de facie non viderat, nec ſciebat determinatè quis eſſet Meſſias, & quis eſſet ille Filius Mariæ, quem iam ex vtero ſalutauerat, & ex tunc agnouerat eſſe verum Meſſiam, ac Dei Filium, miſſum pro ſalute mundi. Statim verò poſt baptiſmum Ioãnes perſpexit illa externa ſigna, cõſpicua etiam populo, quibus teſtificari ac manifeſtare debebat populo, illum eſſe Chriſtum.

SECTIO SEPTIMA.

De Ieiunio & Tentatione Chriſti in Deſerto.

PRope Iordanem aderat deſertum, de quo & venerat Ioannes, ac dicebatur etiam prædicare, & baptizare in deſerto, iuxta oraculum Iſaiæ, *Ego vox clamantis in deſerto*. Statim ergo poſt baptiſmum, Chriſtus diuino inſtinctu receſſit in deſertum: ideoque Euangeliſtæ dicunt, ductum fuiſſe a Spiritu in deſertum, Diuino videlicet ſpiritu & inſtinctu. Videturque Matthæus c. 4. indicare finem huius receſſus, vt tentaretur à Diabolo. Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi finis intentus à Deo & Chriſto, eſſet prouocare Diabolum ad eum tentandum, quatenus tentatio erat actio mala ex parte Diaboli. Sed vel quod ſignificetur tantum effectus qui ex receſſu Chriſti conſequuturus erat. Vel quod aſſignetur propriè finis, tolerantia & victoria tentationis ex parte Chriſti: ſicut Chriſtus venit in mundum, & miſſus fuit à Deo, vt pateretur, quatenus paſſio importat patientiam ex parte Chriſti, non quatenus importat iniquitatem ex parte Iudæorum. Conſiderari etiam poſſunt in hoc receſſu Chriſti alij fines, nempe ad ieiunandum, ad vacandum totaliter contemplationi, antequam inciperet prædicare: & ita ad præbendum nobis exemplum auſteritatis & ſolitudinis, & præcipuè Euangelicis prædicatoribus qualiter ſe debeant præparare. *Statim poſt baptiſmum receſſit Chriſtus in deſertum.*

Commoratus fuit Chriſtus in deſerto quadraginta diebus ac noctibus, & interim nihil cibi potuſque guſtauit. Sic ait Lucas cap. 4, *Agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & nihil manducauit in diebus illis*: vbi pariter ſubintelligitur, nihil bibit. Hoc ergo fuit ieiunium Chriſti in deſerto, non per ſolam diminutionem, ſed per totalem ſubtractionem omnis alimenti. Quale ieiunium, tranſegerant etiã olim, Moyſes in monte Sinai Exodi 34, & Elias in deſerto 3. Reg. 19., Deo ſic diſponente ad præfiguranda hæc myſteria. *Ibi ieiunauit quadraginta diebus.*

potuit autem hoc
virtute, ſed di-
non enim per at-
contemplatione, animæ
modo fieri poteſt, vt
ediantur operationes
ſiue vt non con-
& humores vita-
ſpiritus ... reficiantur; quod
inealimento viuere abſque ali-
us tandiu poterat ipſe Deus, vel
ſed beate potentiam partis vegetatiuæ
operationem ... conſumerentur ſpiritus corpo-
ſ poterat illos ex aere alioue
reficere abſque ordinario ali-
Quod quidem Chriſtus facere
propria virtute diuina & mira-
in operatiua, abſq; vlla difficul-
Narrat quidem Nazianz. in Car-
ad Hellenium, quoſdam homines
uiſſe ab omni cibo per viginti
noctes: & D. Auguſt. Epiſt. 86.
per quadraginta, & de quibuſ-
Sanctis ſimiliter narratur tam
am abſtinentiam pertuliſſe. Sed
non tollit, quominus id diuina
ute in Chriſto factum ſit.
eracto hoc ieiunio Chriſtus eſurijt:
ait Matthæus, *Cum ieiunaſſet qua-
ginta diebus & quadraginta noctibus
ea eſurijt*. & Lucas, *Nihil mandu-
cis illis diebus & conſummatis illis eſu-*
r. Neque vero tunc tantam famem
riſtus ſentire cœpit, quanta otici
debebat ex inedia quadraginta die-
..., ſed ſolum quanta eſſe debebat
nc quando virtute ſupernaturali in-
œpit conſeruari ſine cibo. Ita recte
notauit Abulenſ. in cap. 4. Matth. q.
17. Indicat tamen Caiet. ſuper Matth.
4. Chriſtum toto illo tempore debitam
tem paſſum fuiſſe. Licet id Euangeli-
ſtæ tacuerint. Et ſuadet, quia alioqui
fuiſſet aliud miraculum, toto eo tem-
pore non eſurire: ſed non ſunt multi-
plicanda talia miracula ſine neceſſita-
te. Et quia etiam alioqui tale ieiu-
nium, nec valuiſſet ad meritum Chri-
ſti, nec ad exemplum noſtrum: ſed
fuiſſet ſicut abſtinentia Angelorum
aut Beatorum. Alij tamen Patres &
Doctores communiter docent vel ſup-
ponunt, Chriſtum antea non eſuriſſe.
Et hoc ſatis clare denotatur in illis

verbis Euangelij: perinde enim dicitur, *Chriſtus poſtea eſurijt, & conſummatis illi diebus eſurijt, ac ſi diceretur, non niſi poſt illos dies eſurijt*. Vnde Suarez diſp. 29. ſect. 2. ſententiam Caiet. improbabilem & temerariam ad minus pronunciat. Nec vero hoc modo multiplicatur nouum miraculum: quia non eodem facto quo conſeruabatur vita Chriſti abſq; alimento, pariter conſeruabatur abſq; ſenſu famis: & poſtea ceſſante miraculo cœpit Chriſtus ſentire famem, & indigere alimento. Nec etiam ſubtrahitur Chriſto meritum & nobis exemplum: quia abſtinere a voluptate ciborum in eo ſtatu quo corpus eſt capax, & eſt meritorium, & eſt exemplare, & Chriſtus ſua voluntate ac libertate abſtinere elegit. Et ſic differebat ieiunium Chriſti ab abſtinentia quæ dicebatur Angelorum & Beatorum: quia Angeli ratione naturæ, & Beati ratione ſtatus, non ſunt capaces talis voluptatis.

Chriſto eſurienti acceſſit Diabolus tentans eum, vt narrat Matthæus. Quanquam Origen. homil. 29 in Lucam, Euthym. in cap. 4 Matth., & Beda lib. 1. in Marcum cap. 3. putant, Chriſtum antecedentibus etiam diebus fuiſſe varijs modis a Diabolo tentatum. Et dubitat S. Thomas q. 41 art. 3. ad 2., dicens, illas quidem tentationes viſibiles quas narrant Matthæus & Lucas, factas eſſe poſt ieiunium; ſed fortaſſe Chriſtum paſſum fuiſſe alias impugnationes à Diabolo eodem illo ieiunij tempore. Et colligi videtur ex verbis Marci & Lucæ, qui narrantes ieiunium Chriſti per quadraginta dies, in-demum dicunt, *Et tentabatur à Diabolo*. Colligi etiam poteſt ex tanta iniquitate & ſæuitia Diaboli, qui paratiſſimus eſt ad tentandum, & locus ille ac tempus ſolitudinis videbatur aditum præbere ad tentationes. Verùm, ſicut hoc non eſt contra hiſtoriam euangelicam, ita nec etiam ſatis ex illa deducitur. Non eſt quidem contra: quia ad ſummum conſtat, tentationes illas ſpeciales quas Matthæus & Lucas narrant poſt ieiunium, peractas eſſe poſt ieiunium: ſed per hoc non excludunt quominus aliæ tentationes potuerint

Chriſtum eſurientem aggreſſus eſt Diabolus.

Digitized by Google

rint præcedere. Nec etiam ex illa deducitur: quia verba illa Marci & Lucæ poſſunt commode accipi per anticipationem, ſicut alias loqui ſolent Euangeliſtæ, ita vt intelligantur de illis ſolis tentationibus quæ factæ fuerunt poſt ieiunium, & quas conſequenter Lucas narrat in ſpecie poſt ieiunium. Nec mirum ſi Diabolus tanto tempore antecedenti non tentauit Chriſtum: quia vel non fuit permiſſus a Deo: vel ſuomet conſilio non fuit auſus Chriſtum inuadere quandiu illum videbat ieiunantem & non eſurientem, ſed occaſione poſtea arrepta ex fame Chriſti, voluit ſuis tentationibus explorare, quis, & qualis eſſet. Et in hanc partem frequentius Patres & Expoſitores inclinant: & tractat Abulenſ. q. 21. in cap. 4. Matthæi.

Viſibiles tentationes illi ingeſſit.

Intulit ſuas tentationes Dæmon, apparens Chriſto in forma viſibili, ſicut poſſunt Angeli aſſumere ſiue formare ſibi corpora & apparere. Hoc ſatis patet ex modo loquendi Euangeliſtarum de acceſſu & colloquio Diaboli cum Chriſto. Et quia in Chriſto non poterat excitari tentatio interior per ſtimulum concupiſcentiæ ſeu appetitus ſenſitiui. Vt enim ſtatuimus antea quæſt. 15, nullus motus inordinatus ex parte ſenſitiua poterat ſuboriri aut excitari in Chriſto. Non aliter ergo poterat Dæmon tentare Chriſtum, quã per ſuggeſtionem externam. Addit etiã S. Thomas art. 1. ad 3., tentationem à carne quæ fit per delectationem & concupiſcentiam, non poſſe eſſe ſine peccato; & ideo non potuiſſe eſſe in Chriſto. Quod tamen debet cum limitatione intelligi: quod ſcilicet in illo qui habet perfectum dominium ſenſus, ſicut vtique Chriſtus habebat, non poſſunt inſurgere praui motus ſenſuales abſque eius conſenſu, & ſic abſque culpa. Apparuit autem Diabolus Chriſto ſub humana forma, & non ſerpentis ſicut olim apparuit Heuæ, vel alia qua aliàs apparuit; humana enim forma erat aptior ad colloquendum & ſuadẽdum. Et recte conſiderauit Carthuſian. apparuiſſe ſub forma viri grauis & ſancti. Et D. Hieron. ſuper Matth. 4. ac D. Auguſtinus lib. 9. de Ciuit. cap. 21. putarunt, hunc Dæmonem fuiſſe Luciferũ principem omnium Dæmonũ.

Vt exploraret quis eſſet, aut ad peccatũ induceret.

Motiuum autem & finis quo inductus fuit Dæmon ad tentandum Chriſtum, non fuit ſolum quod communiter eſſe ſolet, ſcilicet ad pertrahendum in peccatum: ſed proprie & peculiariter in hoc caſu fuit, ad explorandum eum Chriſtus eſſet verus filius naturalis Dei, verus Deus. Quod quidem patet expreſse ex verbis ipſius Dæmonis, *Si Filius Dei es*. Dubitabat enim de hoc Dæmon: quia ex vna parte ſciebat ex antiquis oraculis Prophetarum, & ex fide quam ipſe ex diuina reuelatione ab initio habuerat, venturum eſſe Filium Dei in carne humana in hunc mundum; & aduerterat quoque mirabilia in illo ſingulari homine: at ex alia parte diſpiciebat infirmitatẽ carnis in Chriſto ſicut in alijs hominibus: hinc anceps inter vtramq; partem vacillabat, & tunc aduertẽs illum tandiu ieiunaſſe ſine fame, ſed poſtea eſurire, determinauit ſic illum tentare & explorare. Hoc totum docent & conſiderant Patres circa hoc myſterium, & affert S. Tho art. 1 ad 1.

Tentari voluit Chriſtus ob noſtrã vtilitatẽ.

Sed motiuum & finis ipſius Chriſti, quo voluit permittere ſe tentari, ex pluribus rationibus conuenientiæ aſſignari poteſt, quas ex Sanctis Patribus recenſet S. Thomas art 1. Nempe, vt auxilium nobis contra tentationes ferret, & ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſua morte ſuperare. Item propter noſtram cautelam, vt nullus quantumcũq; ſanctus reputet ſe in hac vita ſecurum & à tentationibus immunem. Et propter noſtrum exemplum, vt nos inſtrueret qualiter Diaboli tentationibus reſiſtamus. Ac etiam vt nobis de ſua miſericordia fiduciam largiretur, dum habemus Pontificem qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia. Aliæque plures huiuſmodi ratione ſolent à Sacris Doctoribus obſeruari.

Prima tentatio.

Tres fuere tentationes quas Dæmon ingeſſit Chriſto, & quas Matthæus & Lucas narrant. Prima, *Si Filius Dei es dic vt lapides iſti panes fiant*. Vt enim aduertit S. Thomas q. 41. art. 4,

ince-

...ſæpe de eo quod
...robi ac ſpiritua-
...ſtare vitam. In-
...tentationis, quo &
...traxerat, inducés
...de fructu vetito.
...cipaliter Dæmon ſic
...Chriſtus eſſet Filius Dei:
...onem ſuæ diuinitatis
...miraculum, indubitanter
...ſe eſſe Filium Dei. Inten-
...pertrahere in peccatum,
...dicitur tentatio gulæ: quia
...fuiſſet illicitum vti cibo ne-
...ſuſtentandam vitam: tamen,
...Thomas ad 1., inordinatum
...nere gulæ, velle ſibi miracu-
...n quærere pro ſola corporali
...indo per naturalia ſubſidia
...teſt: ſicut tunc quærere po-
...riſtus, vel ex ijs quæ erant in
...ſicut fecit Ioannes, vel ad loca
...properando. Conſiderari etiá
...n illa tentatione quædam ſug-
...inæ oſtentationis & iactantiæ,
...n Dæmon volebat inducere
...m.

...tentatio quæ narratur à
...nda tentatio quæ... [illegible]
...o eſt. qua Diabolus ducto Chri-
...er pinnaculum templi, ſuggere-
...vt mitteret ſe deorſum. At Lucas
...tentationem tertio loco ponit, &
...m tertiam apud Matthæum, præ-
...ipſe ſecundo loco. Vnde D. Tho.
...ad 5... cum D. Auguſt. lib. 2. de
...n. Euangeliſt. cap. 16., incertum
...at, quæ harum tentationum præ-
...rit. Gloſa veró putat, tentationē
...nnaculo templi fuiſſe vltimam.
...alij Patres & Expoſitores commu-
...r cenſent, præceſſiſſe illam quam
...it Matthæus, ſed Lucam præpoſuiſ-
...liam per anticipationem, non ſer-
...o reali earum ordine. Et hoc quidé
...nſonat textui: quia Matthæus in
...modo narrandi planè videtur aſſe-
...re, illo ordine factas fuiſſe tentatio-
...es: poſt primam enim dicit, *Tunc aſ-
...impſit eum Diabolus in ſanctam ciuita-*
...*tem*: & poſt hanc repetit, *Iterum aſ-
...ſumpſit eum Diabolus in montem excelſū*:
...& poſt hanc concludit, *Tunc reliquit
...eum Diabolus*. At Lucas abſque hac
...continuatione verborum, per ſe narrat

*ſingulas tentationes, integrum relin-
quens, vt quocunque modo ordinari
poſſent.*

*In hac ergo ſecunda tentatione,
quærebat etiam expreſsè Dæmon ex-
plorare ſi Chriſtus eſſet Filius Dei: vn-
de pariter dixit, Si Filius Dei es mitte
te deorſum. Volut etiam pertrahere
ad peccatum; vel homicidij erga ſe ip-
ſum, ſi ſe præcipitando occumberet;
vel vanitatis & oſtentationis, ſiue ina-
nis gloriæ, vt ait S. Tho. in corpore ar-
ticuli, ſi illæſus ab Angelis ſeruaretur.*
Itaque pinnaculum templi non intelli-
gitur cathedra Doctorum, vt indicauit
Remigius: ſed intelligitur ſummitas &
tectum templi, vnde erat magna alti-
tudo ad planum terræ. Iam Chriſtus
tàm hanc, quàm præcedentem ten-
tationem, ſapienter repulit, nec Dæ-
moni conſentiendo, nec ſingularem
aliquam ſuæ virtutis potentiam oſten-
dendo, ſed Sacræ Scripturæ ſententijs
illi reſiſtendo, ſicut vir prudens & ſan-
ctus facere potuiſſet, relinquens ad-
huc Dæmonem in illa perplexitate &
confuſione in qua priùs inueniebatur.

Tertia demum tentatio fuit, qua *Tertia tentatio.*
Chriſto ducto in montem excelſum,
Dæmon oſtendens omnia regna mundi
& gloriam eorum, illi promittebat ea
omnia, ſi adoraret ipſum Dæmonem.
Hic mons creditur eſſe quidam exiſtés
prope deſertum apud Iericho & Ior-
danem, in quo deſerto ieiunauerat
Chriſtus & tentari cæperat à Diabolo,
vt deinceps opinati ſunt habitatores
terræ ſanctæ, & refert Abulenſ. q. 48.
in cap. 4. Matth.. Oſtenſionem autem
regnorum mundi factam fuiſſe per cor-
poralem viſionem, adiuuante virtute
diuina, ſignificarunt Haymo & Gloſa
ordinaria, & interlinealis ſuper Mat-
th. 4.. Factam fuiſſe per quædam ſimu-
lachra & imagines, opinantur Ianſen.
cap. 15. Concord. & Barrad. tomo 2.
lib. 2. cap. 5. Factam fuiſſe penes phan-
taſiam & imaginationem, indicant
Theophilact. & Rupert. ſuper Matth.
4., Attamen hæc oſtenſio non debet
intelligi per corpoream & externam
viſionem claré & diſtinctè de ipſis mū-
di prouincijs & regnis, aut de quibuſ-
dam eorum ſimulachris & imaginibus: nec

nec per mentalem & imaginariam repræſentationem. Externa enim viſio de locis tam diſtantibus & occultis fieri non poterat virtute Dæmonis: & fieri non debebat virtute diuina. Simulachra & imagines nõ apparet quomodo fierent a Dæmone. Imaginationem Chriſti non decebat interius à Dæmone immutari: Intelligitur ergo tantum illa oſtenſio, vt alij Sacri Doctores exponunt, & notat S. Tho. hoc art. 4. ad 7, per ſimplicem quandam deſignationem, qua Dæmon dicebat Chriſto, ex hac parte eſt regnum Græcorum, ex illa Romanorum, & ſic de ſingulis, narrans etiam gloriam & excellentiam ſingulorum. Promiſſio Dæmonis erat planè fallax & illuſoria: non enim Dæmon habebat dominium regnorum mundi, aut poteſtatem illa elargiendi. Ac planè deſipiebant Manichæi, qui, vt refert Lyranus, ex hoc loco ſumebant occaſionem dicendi Dæmonem eſſe dominum & auctorem corporalium rerum. Suggeſtio erat apertè impia & ſcelesta: cum enim vidiſſet Dæmon ſe nihil profeciſſe poſtulando miracula, voluit tandem ſub magna promiſſione poſtulare maximam impietatem. Ideoque non dixit in hac vltima tentatione; Si Filius Dei es: hoc enim potius repugnabat cum actione quam ſuadebat. Sed ſperabat adhuc Dæmon hoc modo detegere an Chriſtus eſſet Filius Dei, cogitans, quod ſi talis eſſet, ita indignaretur de tali ſuggeſtione, vt manifeſtans ſe eſſe Filium Dei, mandaret vt ipſe Dæmon eum adoraret. Vnde Chriſtus eodem conſilio quo ad priores tentationes, ita reſpondit Deum ſolum eſſe adorandum, vt Dæmonem in eadem ambiguitate relinqueret. Peccatum vero ad quod Dæmon hac tentatione volebat pertrahere Chriſtum, S. Thomas & alij notant fuiſſe auaritiæ, ob tam immenſas diuitias quas Dæmon promittebat. Et ita quidem, eſt ex parte finis & motiui: addendo etiam inſignem ambitionem & appetitum dominandi. Sed opus ad quod Dæmon proxime incitabat, erat peccatum idololatriæ, directè oppoſitum cultui latriæ ſoli Deo debito, vt aduertit D. Tho. eod. art. 4. ad tertium. Et ideo Chriſtus acriùs hac vltima vice Diabolum increpauit & repulit, *Vade Satana*: nec ille auſus fuit amplius inſiſtere, aliamue tentationem adijcere.

Qualiter Diabolus duxit Chriſtum per varia loca.

Quomodo autem in hac & præcedenti tentatione, Chriſtus ductus fuerit à Dæmone, ſuper pinnaculum templi, & ſuper montem excelſum; aliqui indicarunt factum eſſe per ſolam imaginariam repræſentationem; vt refert D. Tho. art. 2. ad 3., & ſequitur Ianſenius. Sed hoc ex dictis non debet admitti: quia Dæmon non permittebatur interiùs perturbare imaginationẽ Chriſti. Dixerunt ex oppoſito alij, factum eſſe per propriam deambulationem & aſcẽſionem humanis greſſibus, vt indicauit Origenes. Sed hoc etiam non eſt ſatis veriſimile: quòd Chriſtus ſuis paſſibus ſequeretur Dæmonem: & certe id fieri non potuiſſet abſque longa mora temporis, & magno labore Chriſti, qui iam ex ieiunio eſuriebat, & conſequenter debilitatem ac laſſitudinem patiebatur. Alij ergo magis communiter intelligunt, Dæmonem velociter per aera detuliſſe Chriſtum, ſinente ipſo Chriſto qui nolebat tunc ſua diuina poteſtate vti ad reſiſtendum. Et hoc planè magis conſonat verbis Euãgelij: & pluribus confirmat Abulenſ. in cap. 4. Matth. q. 34 & ſequentibus. Addit tamen D. Tho. art. 4. ad 7., ex Chryſoſt. homil. 5. operis imperfecti in Matth., Chriſtum vſum fuiſſe ſua virtute ad impediendum ne ab alijs conſpiceretur veluti per aerem volans, aut ſuper pinnaculum templi ſtans, quamuis Dæmon putaret Chriſtum a pertranſeuntibus conſpici. Vel dici poteſt, hoc totum factum fuiſſe nocturno tempore, quando naturali ſtatu non patet rerum conſpectus.

Diabolus victus aufugit, & Chriſtus redijt in terram habitatã.

Poſt has omnes tentationes victus & repulſus Dæmon aufugit à Chriſto: Itaque reliquit eum in eodem monte in quo hanc vltimam tẽtationem peregerat, nec eum reduxit ad primum locum è quo eum aſſumpſerat. Sic enim Euangeliſtæ narrant, ſtatim Diabolum receſſiſſe; nec quicquam aliud tunc circa Chriſtum geſſiſſe, & ita confirmat Abulenſ. q. 59. in cap. 4. Matth.,

Lucas, Diabolus receſſit ab il.
tempus: quia ſcilicet poſtea
t perſequi Chriſtum, non
um tentando, ſed incitando
miniſtros vſque ad necem
timque recedente Diabolo,
nt Angeli, & miniſtrabant
narrat Matthæus: ideſt co-
ut illum, & detulerunt ei ci-
turali indigentiæ ſubueniret.
m Chriſtus, victa omni tenta-
ſoluto ieiunio, ad quod receſ-
ſertum, ſuiſmet greſſibus, re-
in terram habitatam & in
n aliorum hominum: vt ex-
cas, *Et regreſſus eſt Ieſus in*
ritus in Galilæam.

TIO OCTAVA.

ſtatione & Prædicatione iſti in hoc Mundo.

ex tota hiſtoria euangeli-
ſtat, Chriſtum ſequenti ſog
e cum hominibus conuer-
& cum ijs communicaſſe,
loca peragraſſe, diſcipulos
amque doctrinam prædi-
orando diſſeminaſſe: vbi
imis eſt videre, quanto
us hoc munus exercuit,
um tempus interceſſit
vſque ad paſſionem &
... Gnoſtici apud Epipha-
... diſerunt, Chriſtum
... anno poſt ieiunium con-
... fuiſſe & prædicaſſe apud ho-
... in hoc mundo, vſque ad mortē.
... ſumpſerunt ex qui-
... verbis Iſaiæ cap. 61., vbi
... Chriſti dicitur, *ut prædicarem annum acceptabilem Domini*: vnus ergo
... annus prædicationis & conuerſa-
... Idem ſignificauit Cle-
... lib. 1. Stromatum.
... Tertullian lib.
... & Lactant. lib. 4.
... dicentes, Chri
... anno decimoquinto
... ſimiliter Auguſtin.
... dicens, Chri-

ſtum paſſum fuiſſe, duobus Geminis Conſulibus, qui quidem inciderunt eo anno decimoquinto Tiberij. At Lucas Euangeliſta ſub eodem anno decimoquinto Tiberij poſuit prædicationem & baptiſmum Ioannis: ergo Chriſtus quoque in ſua prædicatione non exceſſit annum. Et rurſus idem Auguſtin. epiſt. 80. inquit, quod eo anno computabantur à natiuitate Chriſti fermè quadringenti, à reſurrectione autem vel aſcenſione plus minus trecenti nonaginta: quare deſignat non plus quā triginta annos à natiuitate ad reſurrectionem Chriſti: vnde cùm Chriſtus ſe manifeſtare cœpiſſet initio ſui anni trigeſimi, non vltra annum deinceps vitam protraxit in hoc mundo.

Certum tamen prorſus eſt, Chriſtum per plures annos poſt ſuam manifeſtationem in baptiſmo, permanſiſſe in hoc mundo, cum hominibus conuerſando, & munus prædicationis exercendo vſque ad mortem. Quod quidem ſatis patet ex tota hiſtoria euangelica. Ac præſertim patet ex Ioanne: qui cap. 2. poſt miraculum factum in nuptijs apud Canam Galilææ narrat Chriſtum interueniſſe Ieroſolymis in feſto Paſchatis: deinde alia geſta Chriſti proſequitur, & rurſus cap. 6. alium feſtum paſchale commemorat, *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum*: ac tandem poſt alia plura geſta Chriſti, cap. 12. narrat, qualiter Chriſtus ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, & in hoc Paſchate fuit morti traditus: itaque ad minus duos annos Chriſtus in ſua prædicatione tranſegit. Nec vtique obſtant verba illa Iſaiæ, quando nominauit annum acceptabilem. nam annus ibi ponitur pro tempore, ideſt tempus acceptabile. Niſi placeat dicere cum Epiphanio Hæreſi 51., Prophetam indicaſſe ſolum primum annum prædicationis Chriſti, & vocaſſe acceptabilem. *Quia*, inquit, *reuera prædicauit annum acceptum, hoc eſt cui non contradicebatur, primum enim annum poſt trigeſimum annum aduentus ſui carnalis prædicauit, & omnes ipſum ſuſcipiebant & neque Iudæi contradicebant, neque Gentes, neque Samaritæ, ſed omnes libenter*

ipſum audiebant. Et completo primo anno deinceps quæſierunt ipſum prehendere. Nec etiam obſtant illi Patres qui dixerunt, Chriſtum paſſum fuiſſe anno decimoquinto Tiberij: nam errorem cæperant, inchoando prædicationem Ioannis Baptiſtæ anno duodecimo Tiberij, & ita reuera tres annos attribuebant prædicationi Chriſti. Et ſimiliter Auguſtinus ibi de Ciuit., errorem cæpit in nominibus Conſulum. In illa verò Epiſtola, dicendo fermè quadringentos à natiuitate, & plus minus trecentos nonaginta à reſurrectione; planè non conſtituebat certum numerum, ſed ſub eo loquendi modo intercipi poterat latitudo duorum, aut trium, aut quatuor annorum.

Nec vltra numerum quatuor annorum.

Ex alio extremo, aliqui plures annos quàm oportet huic conuerſationi & prædicationi Chriſti tribuerunt. Nempe illi qui apud Auguſtin. lib. 2. de Doct. Chriſtiana cap. 28. dicebant, Chriſtum vitam protraxiſſe vſque ad annum ætatis quadrageſimumſextum: eo quod de templo quod typum gerebat corporis Chriſti dictum fuit Ioan. 2., *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc*. Item Irenæus qui lib. 2. aduerſus Hæreſes cap. 39. & 40. putauit, Chriſtum prædicare cæpiſſe ab anno quadrageſimo ætatis, & paſſum fuiſſe prope quinquageſimum: eo quod Iudæi dixerunt ad Chriſtum Ioann. 8. *Quinquaginta annos nondum habes*: & refert etiam Presbiteros Aſiæ ſic didiciſſe ex auditu eiuſdem Euangeliſtæ Ioannis. Sed hæc ſunt planè aliena à veritate hiſtoriæ euangelicæ, & contra omnes alios ſacros Doctores. Nam multò minor annorum numerus colligitur ex Euangelio: & iam conſtabat, Chriſtum incæpiſſe prædicare ab anno trigeſimo ætatis: deinceps verò pauci prædicationis anni vſque ad mortem habentur in Euangelio. Paſſuſque fuit Chriſtus ſub Pontio Pilato Præſide, qui poſt annum decimumquintum Tiberij non tandiù durauit in officio. Nec quicquam obſtat verba illa de ædificio templi, nullatenus enim debet idem annorum numerus referri ad vitam Chriſti. Nec alia verba Iudæorum, qui pro quodam exceſſu dixerunt ad Chriſtum, quòd nondum haberet quinquaginta annos, dum habebat paucos ſupra triginta.

Inter Sacros ergo Doctores qui cum probabilitate & fundamento de hac re diſcurrere ſtuduerunt, ad ſummum aliqui quatuor annos & aliquot menſes attribuere potuerunt prædicationi & conuerſationi Chriſti à baptiſmo vſque ad mortem. Et ita præſertim affirmant Salianus tomo 6. anno Chriſti 30 Bartadius tomo 2. lib. 1. cap. 12., Azorius tomo 2 lib 1. cap. 6. quæſito 6, & hic Suarez diſp. 30. ſect. 3 Eo quod in primis ſupponunt, interceſſiſſe integrum annum à baptiſmo Chriſti in Iordane vſque ad miraculum nuptiarum: quia Eccleſia eadem die ſexta Ianuarij commemorat hoc miraculum: ſed certè non accidit eadem die & anno, & ad ſummum potuit accidere eadem die anni ſequentis: ergo interceſſit integer annus. Deinde inter duos illos annos quos iam ſupra ſtatuimus, conſtituit Suarez alium annum ex alio Paſchatis feſto, quod ſumit ex Ioanne cap. 5., vbi dicitur *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolimam*: vbi probare conatur, non aliud eſſe hoc feſtum, quàm Paſchatis. At verò Cyrill. Alexandrin. in Iſai cap. 29 duos tantùm annos, quos ſupra deduximus, attribuit prædicationi Chriſti: cùm non plus conuinci videatur ex Euangelio. Idemquè ſentire videntur Philaſtr. in Catalogo cap. de Hæreſi circa annos Chriſti, & Seuerus Sulpit. lib 2. Sacræ hiſtor., dicentes Chriſtum mortuum fuiſſe anno trigeſimo ſecundo inchoato: & Paul. Oroſ. lib. 7. Hiſtor. cap. 4, dicens, Chriſtum mortuum fuiſſe anno decimoſeptimo Tiberij.

Sed ſpatio trium annorum.

Cõmunior tamen eſt media ſententia, quæ tres integros annos tribuit prædicationi Chriſti, à baptiſmo ad mortem, cum illis quoque menſibus qui intercurrunt à baptiſmo vſque ad primum Paſcha. Ita præſertim teſtatum reliquit Ignatius Martyr proximus temporibus Chriſti, eadem illa Epiſt. 5. ad Trallianos. vbi poſt illa verba. *Tres decadas annorum conuerſatus, baptizatus eſt à Ioanne*, ſtatim ſubdit, *Et triennio prædicauit Euangelium*, ſigna

Digitized by Google

… ponit. Idem docent … ſuper Daniel. 9., Euſeb. in … lib. 1. cap. 10., Beda lib. de … temporum cap. 45., Nicephor. … hiſtor. cap. 29., aliique Sacri … & Expoſitores paſſim. Quare … dem ſententia nobis approbanda … qui enim, ſi duo tantùm anni … tur prædicationi Chriſti: cùm … Chriſtū baptizatū fuiſſe anno … inchoato, ſequeretur, mortuū … trigeſimo ſecundo inchoato, … decimo ſeptimo Tiberij. Si au- … tuor; ſequeretur mortuum … trigeſimo quarto inchoato, … nono Tiberij. Tribuendo au- … annos, verificabitur optime, … fuiſſe dum agebat annum te- … anno decimo octauo Ti- … quidem retinendum eſt. … ex duobus illis annis quos … debat, oportet alterutrum … Stando autem in contextu … angelij, atque in congruen- … is, reſecari potiùs debet ille … ponebatur à baptiſmo vſ- … aculum nuptiarum, & reti- … annus interpoſitus in ipſo … prædicationis. Etenim ille … nus non habet fundamen- … ngelio. Quinimo non ap- … ile, Chriſtum poſt ſuam … nem in baptiſmo; & ieiu- … certo, manſiſſe adhuc per … n, veluti occultum, non … docendo & prædicando. Sed … contonat dicere, illum feſtum … quod Ioannes commemorat … fuiſſe proximū poſt baptiſmum … ſupponendo enim baptiſ- … eſſe die ſexta Ianuarij, … ſupereſt vſque ad finem …

… tius aliqua die Martij proximi poſt baptiſmum; ſed tamen eadem die ſexta Ianuarij commemorari ab Eccleſia, ſicut in alijs quibuſdam myſterijs vel ſolemnitatibus accidit. Et dici ea die factum, id eſt celebrari tanquam factum, ſicut alias in ſuis officijs loquitur interdum Eccleſia. Et quidem Patres ac Doctores communiter notant, non omnia tria illa myſteria facta fuiſſe eadem anni die, ſed aliquod vel aliqua eorum: celebrari verò omnino ſimul, quia omnia ſpectant ad manifeſtationem Chriſti. Inter duo autem hæc myſteria, baptiſmi & miraculi, multò commodiùs & conformius eſt iuxta prædicta, baptiſmum ſupponere in illa die, & conſequenter miraculum transponere in alia die. Poſt quod miraculum, Chriſtus tranſegit tres integros annos, conuerſans, & prædicans, vſque ad mortem. Et hoc habet ſufficiens fundamentum in Euangelio, intelligendo illud feſtum quod commemoratur à Ioanne cap. 5., fuiſſe quoque feſtum quoddam Paſchatis, vt ſatis ex ipſo textu colligitur.

De reliquo explicat optimè S. Thomas q. 40. art. 1., quàm conueniens fuerit, Chriſtū cum hominibus publicè & familiariter conuerſari: nempe ad exercendum officium prædicationis, & manifeſtandam hominibus veritatem: item ad præbendum alijs exemplum: atque vt maiori cum fiducia homines ad ipſum accederent, & per ipſum ad Deum. Rurſus art. 2. conueniens fuiſſe, vt Chriſtum non ageret auſteram vitam, id eſt nimis rigidam & ſeueram, ſed potiùs communem & conſuetam: nempe vt communi victu & veſtitu vteretur, & non ſingulari at extraordinario, vt faciebat Ioannes Baptiſta: quia videlicet, ſi Chriſtus debebat cum hominibus familiariter conuerſari, eoſque ad ſe attrahere, conuenientiſſimum erat, vt ijs in externo conuictu conformaretur. Sed ex alia parte conuenientiſſimè etiam Chriſtus non elegit vitam delitioſam, & diuitijs affluentem, ſed vitam pauperem & humilem. Ita oſtendit D. Thomas art. 3. Tum quia ita expediebat ad ipſum prædicationis officium. Tum

Conuenienter debebat, cum hominibus conuerſari, & non nimis auſteram ſed pauperem vitam agere.

quis ſicut mortem corporalem ſubire voluit vt nobis vitam largiretur æternam, ita & temporalem paupertatem ſuſtinere voluit, vt nobis ſpirituales diuitias lucraretur. Tum ne alioqui ſi diuitijs abundaſſet, earum cupiditati eius opera adſcriberentur. Tum vt magis appareret virtus diuinitatis eius, dum vir pauper & abiectus ſibi orbem ſubegit, hoc enim aſſequutus eſt, non humana potentia, ſed Diuinitatis virtute.

Quomodo Chriſtus aliena ope ſuſtentabatur.

Tantamquè paupertatē elegit Chriſtus, vt aliena ope & ſubſidio ſuſtentaretur: vt ſic de eo propriè intelligatur illud Pſalmi 39 *Ego autem mendicus ſum & pauper*. Sic dum Chriſtus per varia loca pergebat, non habebat propriam domum, ſed hoſpitio recipiebatur in alienis domibus, & ideo dixit Matth. 8., *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*. Alebaturquè alienis ſubſtantijs: vnde de mulieribus quibuſdam dicitur Lucæ 8, *Miniſtrabant ei de facultatibus ſuas*: & Ioannis 12. de Iuda dicitur, *Ea quæ mittebantur portabat*. Et fieri etiam poteſt, vt non ſemper haberet de ſponte oblatis: ſed interdum etiam per ſe vel per diſcipulos peteret quæ erant ſibi neceſſaria, & in toto rigore mendicaret, cum conuenienti tamen decentia & honeſtate. Sic petijt Chriſtus à Samaritana potum Ioann. 4. Petijt hoſpitium à Zachæo Lucæ 19. Petijt vbi faceret Paſcha cum diſcipulis ſuis Matth. 26. Sic inquam poteſt eſſe, vt ſæpiùs decenter petierit de rebus ſibi neceſſarijs.

Quomodo poſſidebat aliquid de proprio.

Attamen in hac ſua paupertate, vel de ſponte oblatis, vel aliter acquiſitis, poſſidere ſolebat Chriſtus res ſibi ad ſubſtentationem vitæ neceſſarias, & pecuniam ad illas coemendas quando opus erat. Ita patet aperte ex Euangelio. Vnde inter Apoſtolos Iudas conſeruabat pecuniam, quæ in vſum Chriſti & aliorum diſcipulorū deſeruiebat, Ioan. 12. & 13 Et emebant cibos, cap. 4. & 6. Dum tamen Chriſtus communem vitam cum Apoſtolis agebat, dici poteſt, ſimul etiam in commune cum illis per modum communitatis, res & pecuniam poſſediſſe. Sed benè etiam dici poteſt, quādo interdum ſolus fuit, vtpote antequam per modum collegij Apoſtolos ſibi ſociauerit, per ſe poſſediſſe de rebus neceſſarijs & de pecunia. Dicique debet, ſiuè in communi cum Apoſtolis, ſiuè per ſe ſolùm, habuiſſe non tantùm vſum talium rerum & pecuniæ, ſed habuiſſe quoque liberum & abſolutum dominium, ſicut habent alij homines. Non enim hoc quicquam derogat eximiæ perfectioni quam Chriſtus profitebatur; nec aliter conuenienti modo tunc fieri poterat. Atque ita definiuit Ioannes Papa Vigeſimusſecundus in Extrauag. *Cùm inter nonnullos* de Verbor. ſignificat., vbi oppoſitam ſententiam damnat tāquam Euangelio aperte contrariam, & erroneam, ac hæreticam. Et in alia Extrauag *Quia quorundam*, idem confirmat atque defendit, ac pertinaciter repugnantes hæreſis damnat. Et §. *Rurſus aſſeruiſſe*, refert quoſdam dixiſſe, Chriſtum non ſolùm in ſe ipſo ſeruaſſe abdicationem omnis iuris in cuiuſcunque rei proprietate & vſu, retento ſolum ipſo nudo vſu, ſed etiam Apoſtolis impoſuiſſe, & ſub voto fuiſſe aſſumptam, ipſe autem Pontifex ſic ex aduerſo docet: *Neque Chriſtum expropriationem prædictam omnis iuris in ſe ſeruaſſe, nec eam impoſuiſſe Apoſtolis, neque ſub voto ab ipſis fuiſſe receptam, euangelica ſeu apoſtolica docet hiſtoria, ſed contrarium euidentius manifeſtat*.

Quomodo interdum caruit rebus proprijs.

Interdum tamen Chriſtus ad exercitium paupertatis, & ad noſtrum exemplum, contentus erat carere proprijs rebus & pecunijs. Vtpote cùm non habuit denarium ad ſoluendum cenſū, ſed fecit vt Petrus illum inueniret in ventre piſci Matth. 17. Et quando mulieres miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, Lucæ 8. Et per hoc reſpondendum eſt ad aliud decretum Nicolai Pontificis cap *Exijt* de Verbor. ſignific. in ſexto, quod priori aſſertioni videtur aduerſum, Imò idem Pontifex Ioannes in ea Extrau. *Quia quorundā*, refert, quoſdam ſibi obieciſſe, quod in confirmatione regulæ Fratrum Minorum, Honorij tertij. Gregorij noni, Innocentij quarti, Alexandri quarti, & Nicolai quarti, haberentur hæc verba:

Hæ

Digitized by Google

[illegible] Euangelica Chriſti & Apo-
[illegible] qua nihil in hoc [illegible]
[illegible] vel commune, ſed [illegible]
[illegible] habent ſimpliciter
[illegible] Ad hoc inquam reſpondet
[illegible] nequaquam haberi
Pontifex, [illegible] confirmatione illius re-
[illegible] in [illegible] ſuis Prædeceſſoribus.
[illegible] ab iis [illegible] Nicolai in illo cap.
[illegible] quidem [illegible] illi ſancta regula
[illegible] Hi ſunt [illegible] fundantur e [illegible]
[illegible] quæ [illegible] exemplo: &
[illegible] Chriſti [illegible] proprietatis omnis
[illegible] Abdicatio [illegible] quàm in communi
[illegible] in ſpeciali [illegible] eſt & ſancta,
[illegible] meritoria eſt & perfectiones [illegible]
Chriſtus [illegible] perfectiones [illegible]
verbo docuit & exemplo firma-
hoc autem reſpondet Ioan-
[illegible] per hoc Nicolaum dixiſſe,
[illegible] habentur in regula Fratrū
[illegible] fuiſſe verbo & exemplo tra-
[illegible] natæ à Chriſto. Nec etiam
[illegible] Chriſtum & Apoſtolos nullum
[illegible] rerum: ſed ad ſummum
[illegible] ſſe proprietatem, quam ipſe
[illegible] iure. Ac tandem aſſerit
[illegible] Nicolaus fatetur, Chriſtum
[illegible] habuiſſe loculos, vt ſuo etiā
[illegible] infirmorum imperfectioni cō-
[illegible] Itaque concedebat vi-
[illegible] Chriſtum interdum poſ-
[illegible] etiam quoad proprieta-
[illegible] intellexit, inter-
[illegible] voluiſſe carere rebus pro-
[illegible] vtrumque viuendi modum
[illegible] commendaret. Sed ad-
[illegible] vt ita [illegible] ſaltem ſuas veſtes poſſi-
[illegible] approbaret & [illegible] nisi quando filiis ex-
[illegible] Chriſtus [illegible] de proprio, niſi quando [illegible]
[illegible] ſpoliatus fuit in paſſione. Alia vero in-
[illegible] quibus iij duo Pontifices, inquantum
[illegible] peculiariter ſpectat ad regulam pau-
[illegible] pertatis Fratrum Minorum, diſſi [illegible]
videntur, non [illegible] ad præſentem
[illegible] locum, ſed ad [illegible] tractatum de ſtatu
Religioſorum.

Præter hæc explicat S. Thomas ea-
[illegible] qualiter Chriſtus
[illegible] ſecundum veterem
[illegible] id eſt illam obſer-
[illegible] & quàm conue-
[illegible] Sed de hoc ſatis
[illegible] 20. [illegible] vbi
[illegible] non ſeuera non fuiſſe
[illegible] non fuiſſe obligatum
præceptis illius; ſed ſua ſponte voluiſſe
ſeruare, ob plures conuenientiæ ratio-
nes, ibi à nobis, & hoc loco à S. Thoma
indicatas.

Poſtea explicat S. Thomas q. 42. art.
1., quàm conueniens fuerit, vt Chri-
ſtus perſonaliter apud Iudæos ageret,
eiſque ſpecialiter prædicaret, deinceps
autem Apoſtolos inſtitueret qui etiam
Gentilibus prædicarent: Nempe tum
vt oſtenderet per aduentum ſuum
adimpleri promiſſiones, antea factas
Iudæis & non Gentilibus. Tum vt
conuenientem ordinem ſeruaret, quia
Iudæi per fidem & cultum Dei erant
illi propinquiores: vnde ſicut in Ange-
lica Hierarchia diuinæ illuſtrationes
per Angelos ſuperiores, Deoque pro-
pinquiores deriuantur ad inferiores, ita
in Eccleſiaſtica Hierarchia diuina illu-
ſtratio per Apoſtolos Iudæos tranſ-
mitteretur ad Gentes. Tum ne Iudæi
occaſionem, calumniandi & excuſa-
tionem recedendi acciperent, ſi vidiſ-
ſent Chriſtum non antea ad ipſos miſ-
ſum eiſque prædicantem. Tum quia
conuenientius erat, poſt paſſionem vti
imperio & dominio ſuper Gentes, quod
eadem ſua paſſione acquiſiuit. Opti-
me etiam expugnat S. Thomas art. 2.
debuiſſe Chriſtum Iudæis prædicare,
non obſtante offenſione illorum, quia
eum credere noluerunt, ſed potius alios
quoque ſtudebant auertere: debebat
enim Chriſtus proſpicere ſaluti com-
munitatis, non obſtante offenſione &
perditione quorundam particularium.

Conueniē-ter po. ſe a Chriſtus Iudæis prædicauit quamuis cum aliquorum offenſione.

Explicat quoque art. 3., Chriſtum
omnia publicè docuiſſe, vel quia pa-
lam coram multitudine loquebatur;
vel quia ea ipſa quæ priuatim ſuis diſ-
cipulis exponebat, [illegible] quæ coram aliis
[illegible] ſub obſcuris parabolis propo-
nebat, iuſſit iiſdem Apoſtolis, vt aliis
[illegible] explanarent,
omnibus publicarent. Vnde illis dixit, *Euntes*
[illegible] Matth. vltimo, *docentes eos ſeruare*
omnia quæcunque mandaui vobis. Et
Marci vlt. *Euntes in mundum vniuer-*
ſum prædicate Euangelium omni creatu-
ræ. Et Matth. 10. illis dixerat, *Quod*
dico vobis in tenebris dicite in lumine, &
quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.
Tandem art. 4. concludit S. Do-
ctor,

Et publicè docuit, voce, non ſcripto.

ctor, non debuiſſe Chriſtum doctrinam ſuam ſcripto tradere, ſed ſufficienter feciſſe voce prædicando, & relinquendo vt ſui diſcipuli eam litteris etiam conſignarent. De qua re diximus quoque tractando de lege 1. 2. quæſt.

SECTIO NONA.

De Miraculis Chriſti.

CHriſtum eodem ſuæ prædicationis tempore plurima feciſſe miracula, tota euangelica narrat hiſtoria. Quæ ſit ratio miraculi in genere explicauimus 1. par. q. 18. ſect. 1. Quæ & qualis & quanta fuerit potentia Chriſti ad facienda miracula, & quis modus quo illa faceret, ſatis diximus ſupra quæſt. 13. Primum miraculum quod Chriſtus fecit, ſignatur ab Euangeliſta Ioanne cap. 3., nempe conuerſio aquæ in vinum in nuptijs apud Canam Galilææ, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius*. Et ita confirmat S. Thomas hic q. 43. art. 3., & communiter Sacri Doctores: quoniam non antea debebat Chriſtus miracula facere quàm docere inciperet, & quàm teſtimonium acciperet à Ioanne præcurſore. Vnde miracula quædam, quæ in quodam libro de Infantia Saluatoris, narrantur facta à Chriſto in pueritia, non ſunt recipienda, vt aduertit S. Thomas eod. art. ad 2., & liber ille inter Apocryphos reputatur à Gelaſio Papa cap. *Sancta Romana* diſt. 15. Miracula autem quæ facta ſũt circa natiuitatẽ & manifeſtationem Chriſti, vtpote egreſſus eius ex matre virgine, apparitio ſtellæ in aduentu Magorum, apertio cœlorum, deſcenſus columbæ, & vox Patris in baptiſmo apud Iordanem, non oſtendebantur tanquam facta ab ipſo Chriſto, ſed potiùs immediatè à Deo circa Chriſtum. Et re ipſa dici poteſt, quod nullum miniſterium ad illa facienda habuerit humana Chriſti voluntas, nec per modum cauſæ phyſicæ, nec moralis, iuxta duplicem ſentiendi modum: ſed ſola diuina voluntas immediatè illa perfecerit. Ieiunium autem quadraginta dierum in deſerto abſque cibo & abſque ſenſu famis, non fuit publicum, & vlli homini tunc notum, licèt poſtea notificatum ſit. Quare ſic primum ſimpliciter miraculum publicè factum ab ipſo Chriſto, fuit conuerſio illa aquæ in vinum.

Quando incæpit Chriſtus miracula facere.

Debebat Chriſtus miracula facere ad confirmationem ſuæ doctrinæ.

Debebatque Chriſtus facere miracula ad confirmandam doctrinam quàm prædicabat, & ad conciliandam ſibi hominum fidem. Ita confirmat S. Thomas art. 1. Et eſt res clara: quia ad perſuadenda hominibus myſteria ſupernaturalia, aptiſſima media ſunt, opera miraculoſa & ſupernaturalia: cum enim hæc opera fieri non poſſint niſi diuina virtute, dum fiunt ad confirmandam veritatem eorum quæ dicuntur, habent vim diuini teſtimonij, quod eſt prorſus infallibile; Ideo Deus iam olim per manum Moyſi, & aliorum Prophetarum, tot miracula faciebat in veteri lege. Et in noua lege tantam poteſtatem contulit Apoſtolis, & alijs fidei Doctoribus ac Martyribus, faciendi miracula. Vnde Marci vltimo dixit Chriſtus Dominus: *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent & bene habebunt*. Debebat ergo & ipſe Chriſtus facere miracula ad confirmandam ſuam doctrinam. Et ita quidem teſtimonium talium operum allegabat ad oſtendendam veritatem. Matth. 11., cum Ioannes miſiſſet duos ex diſcipulis ſuis, vt interrogarent Chriſtũ ſi ipſe erat Meſſias, ad hoc nempe vt ijdem diſcipuli confirmarentur in fide, quam Ioannes quidem ab vtero matris probè tenebat, ſic Chriſtus reſpondit: *Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis, Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur*. Et Ioan. 5. dixit item Chriſtus: *Vos miſiſtis ad Ioannem & teſtimonium perhibuit veritati, ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne, opera enim quæ dedit Pater vt perficiam ea, illa teſtimonium perhibent de me*. Et rurſus cap. 10., *Opera quæ*

facio

Digitized by Google

... Patris mei, hæc teſtimo-
... de me.
... poſſunt, abſolutè loquendo,
... fuiſſe miracula ad perſua-
... ominibus per externam præ-
... Chriſti doctrinam, com-
m, ... etiam manifeſtationem rerum
... & adimplementum pro-
m. Etenim abſque huiuſmo-
quæ ſola diuina virtute fieri
t, non potuiſſent hominibus
... tanquam à Deo reuelata, vt
... crederentur, ea quæ non
... diuina reuelatione & teſti-
... innoteſcere poterant; Ideo
Chriſtus Ioann. 10. dixit, *Si*
opera Patris mei, nolite credere
... cap. 15. *Si opera non feciſſem*
... nemo alius fecit, peccatum non
Dixi, per externam prædi-
: quia alioqui dubium non
à Deo ſola interna illuſtratio-
uelatione notificari cuilibet
Deus voluerit: Et ſic Ioan-
a in vtero matris cognouit
& poſtea illum de facie re-
quando eum vidit acceden-
& petentem baptiſmum, vt
... n, computando manifeſta-
... um occultarum, & adim-
... prophetiarum; Quia hæc
... opera diuina. Vnde Petrus
... dixit, *Habemus firmiorem*
... ſermonem, cui benè facitis
... quaſi lucernæ lucenti in cali-
... non enim voluntate humana
... aliquando prophetia, ſed Spiritu
ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei
homines. Sic autem Ioann. 1. cùm
Chriſtus dixerat Nathaneli, *Cùm eſſes*
ſub ficu vidi te, ille perſuaſus fuit ad cre-
dendum, *Rabbi tu es Filius Dei, tu es*
Rex Iſrael, & Chriſtus addidit, *Quia*
dixi tibi vidi te ſub ficu credis, maius his
videbis: Et cap. 4. cùm Chriſtus dixiſ-
ſet mulieri Samaritanæ, *Quinque viros*
habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus
... *Domine video quia*
... induxit etiam alios ex
conciuibus ad credendum, teſtificans
de Chriſto, *Quia dixit mihi omnia quæ-*
cunque feci. Ac deinde multo plures
...

ipſius Chriſti; vel quia alia ſimilia ope-
ra fecit, vel quia manifeſtauit magis
opera facta. Potuiſſent etiam aliqui ex
doctioribus Iudęis credere in Chriſtum
ex adimplemento veterum Propheta-
rum de Chriſto, quas probè intelligere
poterant ac debebant. Credere
quoque debebant ex teſtimonio Ioan-
nis Baptiſtæ: quia licet non ipſe face-
ret noua miracula: tamen in eius nati-
uitate mirabilia quædam acciderant,
& inſigne illud miraculum de loquela
reddita Zachariæ: vnde dictum erat
Lucæ 1., *Super omnia montana Iudææ*
diuulgabantur omnia verba hæc, & poſue-
runt omnes qui audierunt in corde ſuo di-
centes, Quis putas puer iſte erit. Et in-
terceſſit etiam prophetia ipſius Zacha-
riæ in ſuo Cantico. Ac poſtea facta
ſunt rurſus illa miracula & apparitio-
nes in baptiſmo Chriſti, ex quibus Ioã-
nes confirmabat ſuam teſtificationem
de Chriſto. Propter quę omnia debe-
bant Iudæi fidem adhibere Ioanni.

Erant item miracula Chriſti, non ſo-
lùm vtcunque ſufficientia, ſed etiam
admodum valida & vrgentia ad con-
firmandam doctrinam eius, atque ad
perſuadendum, quòd ipſe erat verus
Meſſias in lege promiſſus, & verus Dei
Filius, verus Deus. Ita ſtatuit S. Tho.
art. 4., & eſt res apud omnes clara.
Quamuis autem S. Thomas videatur
ex triplici capite deducere, quòd Chri-
ſti miracula fuerint ſufficientia ad ma-
nifeſtandam eius diuinitatem: nempe
ex ſpecie operum ita admirabilium: ex
modo operandi tanquam ex propria
poteſtate: & ex teſtificatione ipſius
qua ſe Deum eſſe dicebat. Tamen hæc
motiua non ſunt ſingillatim, ſed potiùs
coniunctim accipienda: & concluſio
fundatur ſpecialiter in
totius diſcurſus ipſius Chriſti. Nam alio-
teſtificatione puri homines virtute di-
qui alij etiam miracula fecerunt: &
uina quamplura Ioann. 14. dixit, *Qui cre-*
Chriſtus ipſe *dit in me, opera quæ ego facio & ipſe fa-*
ciet, & maiora horum faciet. Intantum
ergo miracula Chriſti manifeſtabant
diuinitatem ipſius Chriſti, inquantum
Chriſtus teſtificabatur ſe eſſe Filium
Dei, & in confirmationem ſuę doctrinę
miracula faciebat. Vnde etiam mira-

Fuerunt Chriſti miracula ſufficentia & valida.

cula quę deinceps facta fuerat ab Apoſtolis & alijs Martyribus, confirmabant diuinitatem eiuſdem Chriſti, quoniam ab illis Sanctis fiebant pariter ad teſtificandum, quod ipſe Chriſtus erat Filius Dei, verus Deus.

Non efficiebant euidentiã rei, ſed euidentiã credibilitatis.

Omnia tamen hæc miracula non efficiebant euidentiam ipſius rei: in ſe, non efficiebant talem euidentiam, vt homines diſſentiri non poſſent: ſiquidem experientia ipſa conſtat, non omnes crediſſe, non omnes acceptaſſe doctrinam Chriſti & Apoſtolorum, ſed remanebant adhuc homines in ſua libertate vt poſſent credere aut non credere, et requirebatur liber aſſenſus & pia affectio voluntatis ad credendũ. Saltem veró miracula efficiebant euidentiam credibilitatis, ideſt qua homines prudenter & rationabiliter dijudicare poterant, eſſe reuera acceptanda & credenda quæ dicebantur de Chriſto, eſſe ſuſcipiendam fidem Chriſti. Vnde veré obligabantur credere, & grauiter delinquebant non credendo veritatem ſibi ſufficienter propoſitã, & talibus miraculis confirmatam. Aliqui etiam habuiſſe videntur euidentiã quæ dicitur in teſtificante, vt præſertim ipſi Apoſtoli, qui non ſolùm Chriſti miracula ſinceris oculis aſpiciebant, ſed ipſi etiam per inuocationem nominis Chriſti, & ad confirmandam euangelicam doctrinam miracula faciebant. Imo Dæmones ipſi per euidentiam ſignorum coacti tandem agnouerunt, Chriſtum eſſe Meſſiam & Filium Dei, vt admittit S. Tho. q. 44. art. 1. ad 2., & in quibuſdam locis Euangelij confeſſi ſũt, Matth. 8., Marci 5., Lucæ 4. & 8. Ac maximè poſt eius mortem in deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos, & liberatione Sanctorum, eiuſque item reſurrectione, tamquam omnis inuiti agnouerunt eius virtutem & diuinitatem. Vnde Apoſtolus ad Philippenſ. 2. de ipſis quoque Dæmonibus intellexit, *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Et expreſsè Iacobus cap. 2. *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Verùm hæc tota res generaliter ſpectat ad materiam de Fide, qualiter nempe fides ſit apud homines communiter obſcura & libera, qualiter in quibuſdam euidens in atteſtante, & in Dæmonibus coacta.

Varia Chriſti miracula ad quatuor capita reducuntur.

Iam vero præter hæc de miraculis Chriſti in genere, proſequitur S. Thomas quæſt. 44. de varijs miraculis in ſpecie. Eaque reducit ad quatuor capita. Nempe alia facta circa ſpirituales ſubſtantias, ſcilicet circa Angelos, præcipue expellendo Dæmones ex obſeſſis. Alia facta circa cœleſtia corpora, præcipuè in obtenebratione tempore paſſionis. Alia facta circa homines, præſertim in curandis infirmis. Alia demum circa irrationales creaturas. Et omnium conuenientiam ſatis dilucidè & copioſe explorat ipſe S. Doctor in ſuis quatuor articulis. Addi vero diſtincte poſſunt miracula facta circa ipſummet Chriſtum: quæ tamen vt plurimum occurrunt inter myſteria ipſa Chriſti, quæ cum S. Thoma percurrimus. Sed ſpecialiter occurrit Transfiguratio Chriſti, de qua S. Doctor peculiari quæſtione 45. conſequenti pertractat.

SECTIO DECIMA.

De Transfiguratione Chriſti.

Satis quidem claré Sacri Euangeliſtæ, præſertim Matthęus cap. 17., enarrant qualiter Chriſtus in magna gloria apparuerit tribus diſcipulis, trãſfiguratus in monte. Et S. Thomas hac quæſt. 45. art. 1. explicat conuenientiam huius transfigurationis: vt ſcilicet Chriſtus oſtenderet veſtigium quoddam futuræ gloriæ, & vt ſuos diſcipulos confortaret ad fortiter tolerandas imminentes perſequutiones. Sed alias quoque conuenientiæ rationes circa hoc myſterium Sacri Doctores obſeruant.

In transfiguratione inſignis claritas fulſit in facie Chriſti.

In hac ergo transfiguratione, non fuit quidem immutata effigies Chriſti, & illa quantitatis affectio quæ propriè dicitur figura: ſed eximia quædam lux & claritas in Chriſti facie fulſit. Ita aduertit ex Hieronymo D. Tho. art. 1. ad 1. Et hoc expreſſit Matthæus; *Reſplenduit*

duit

... ſicut ſol. Nec aliud vo-
... dicens, Facta eſt ſpecies vul-
... alterna. Sed quia hæc claritas
... ad externam apparentiam,
... quodammodo ſub nomine fi-
... ſumpto, & ideo dicitur
... transfiguratus, vt attingit D.
... 2. Vnde non oportet dicere,
... hanc fuiſſe in tota profun-
... ſed ſatis eſt fuiſſe tantùm in
... ſuperficie: quia hoc ſufficie-
... illam apparentiam quę oſtende-
... Apoſtolis. Et ſic etiam neceſſe
... dicere, pariter fuiſſe in toto
... Chriſti, ſicut erat in facie: ſi-
... reliquum corpus erat contec-
... ſtibus, nec erat expoſitum viſui.
... ſummum dici poterit fuiſſe in
... aut etiam in pedibus ſi erant
... ti. Et hoc ipſum poterat ef-
... er ſe primò, ſed ex ſplendore
... leus irradiante in alias partes.
... amen hic diſp. 32. ſect. 1. &
... omo 2. Concord. lib. 10. cap.
... ntur, totum Chriſti corpus,
... veſtes, fuiſſe eodem modo
... claritate perfuſum, quamuis
... ceretur. Sed certè non vi-
... quid extendatur talis inno-
... ratis vbi nō conſpiciebatur.
... s ſentit Abulenſ. in cap. 17.
Matth. qu... ſt. 47., & Tolet. in cap. 9.
Lucæ Annot. 58.

Fuitque illa claritas in vultu Chri-
ſti eiuſdem rationis cum claritate
quæ erit in corporibus glorioſis; vt af-
firmat D. Tho. art. 2. Et ideo inquit
Abulenſ. in idem cap. Matth. q. 31.,
potuiſſe abſq; oculorum offenſione
conſpici à diſcipulis; quamuis alioqui
non poterat claritas olim in facie
Moyſis conſpici, vt teſtatur Apoſt. 2.
Cor. 3., ita vt non poſſent filij Iſrael
intendere in faciem Moyſi propter gloriam
vultus eius. Et habetur ex textu Exo-
di 34., vbi Moyſes ponebat velamen
ſuper faciem ſuam, vt poſſet coram al-
loqui populum. Sed tamen dici po-
... debet, con... ortatos fuiſſe virtute
diuina oculos diſcipulorum, vt intue-
ri poſſent ſplendidum vultum Chriſti:
quia alioqui, ... claritas gloriæ eſt
quoque eiuſdem rationis cum clarita-
te nobis nota, ſcilicet Solis; vel ſi ſit
alterius ac ſuperioris rationis, magis
excedit infirmitatem mortalium ocu-
lorum, quàm ab ijs tolerari poſſit.

Diuerſo autem modo fuit in Chriſto, ac erit in corporibus glorioſis: quia in ſtatu gloriæ erit ſtabilis ac permanens, tunc autem in Chriſto fuit ſolùm per tranſitū. Et ita docet S. Thomas eod. art. 2. Qui propterea ait etiam, non debere pro illo tunc vocari dotem claritatis in corpore Chriſti: quia nomen dotis denotat formam permanentem. Sed præcipuè notat, claritatem illam tunc in corpore Chriſti debere dici miraculoſam, & factam eſſe per miraculum: quamuis alioqui claritas permanens in corporibus glorioſis, non dicatur miraculoſa. Sicut pariter, quòd Chriſtus aliquando ambulauerit ſuper aquas maris, & quòd egreſſus fuerit ex clauſo vtero Virginis, rectè dicitur miraculum: quamuis alioqui hæc operatio in corporibus glorioſis, per dotes agilitatis & ſubtilitatis, non dicantur miracula. Quia nimirum hæ dotes & effectus earum, ſunt ordinariæ & connaturales in ſtatu gloriæ: ſed dum Chriſtus in ſuo corpore non adhuc aſſumpſerat ſtatum gloriæ, ſed permanebat in ſtatu paſſibili & mortali, extraordinarium & miraculoſum fuit, quando ſemel claritate fulſit, & ſic in alijs dictis operibus.

Cauſa quoque effectiua illius claritatis in corpore Chriſti, fuit eadem quæ erit in corporibus glorioſis: de qua in generali diximus 1. 2. q. 4 ſect. Nam ſi propriè dicatur eſſe ipſamet gloria animæ, iam ab initio Chriſti anima fuit glorioſa, vnde habebat virtutem deriuandi talem claritatem in corpus. Si autem dicatur eſſe immediatè ſola virtus diuina, hæc operabatur in Chriſto, non tanquam extrinſeca, ſicut in alijs puris hominibus; ſed tanquam intrinſeca & eſſentialis in illo ſuppoſito, vt notum eſt. Toletus autē in cap. 9. Lucæ Annot. 57., omnino vult, principium illius claritatis non fuiſſe gloriam animæ, ſed ſolam Deitatem. Hinc explicari debent Nazianz. Orat. 49., Damaſcen. Orat. de Tranſfigurat., & quidam alij Patres, qui ſignificabant, tunc fuiſſe de nouo exte-

Habuitq; eandem cauſam.

rius oſtenſam diſcipulis claritatem Chriſti, quæ alioqui ſemper interiùs illi inerat. Dicere enim tantùm voluerunt, quod ſemper erat in ipſo Chriſto cauſa & principium talis claritatis, ſed tunc de nouo factam eſſe externam illam claritatem in eius vultu, vt poſſet conſpici à diſcipulis.

Apparuit etiam inſignis candor in veſtibus Chriſti.

Præter ſplendorem vultus, ait Matthæus, *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*. De qua re Suarez hîc in comment. ar. 2. ait, hunc candorem veſtium Chriſti apud D. Tho. in ſolut. ad 3. non fuiſſe aliud quam claritatem & ſplendorem: & iuxta Caiet. redundantem ex eodem ſplendore corporis Chriſti. Verùm communicatus quidem fuit ſplendor etiam veſtibus Chriſti. Nam & Marcus ait, *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia*: & Lucas, *Factus eſt veſtitus eius refulgens*. Tamen præter fulgorem, fatendum eſt, eximiam quoque albedinem inductam fuiſſe tunc veſtibus Chriſti. Nam ſic dixit Matthæus, *Alba ſicut nix*: & diſtinctè Lucas ait, *Veſtibus eius albus & refulgens*: & Marcus, *Splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere*. Atque ita ſtatuit Abulenſ. q. 45., & confirmat Barrad. loco ſupra citato, exponens candorem veſtium. Neque S. Thomas, exprimens claritatem veſtium negauit albedinem. Addit Abulenſ. quæſt. 46., veſtes Chriſti fuiſſe albi coloris, & tunc in transfiguratione fuiſſe mirifice acutum hunc candorem: vel ſi dicuntur fuiſſe alterius coloris, pro tunc fuiſſe ablatum, dum impreſſus fuit color candidus: ſed poſt transfigurationem redditum fuiſſe priſtinum colorem in gradu quo antea erat. Et quæſt. 48. concludit, non omnes Chriſti veſtes, ſed tantùm illas quæ exteriùs cernebantur, fuiſſe ſic illuſtratas & albefactas; quia hoc totum factum fuit, vt exhiberetur diſcipulis illa viſio.

Et lucida nubes circa Chriſtū, ex qua vox Patris inſonuit.

Facta eſt quoque nubes lucida circa illos. Et admitti poteſt quod Caiet. ait, illuſtratam fuiſſe nubem ex eodem ſplendore vultus Chriſti. Atque S. Thomas art. 2. ad 3., claritatem quæ facta tunc fuit in corpore Chriſti, repræſentaſſe futuram gloriam corporis eius, & claritatem veſtium repræſentaſſe futuram gloriam aliorum Sanctorum, claritatem verò nubis repræſentaſſe claritatem mundi innouati in quo Sancti habitabunt. Ex nube quoque audita eſt vox Patris dicentis, *Hic eſt Filius meus dilectus*: de qua voce eodem modo ſentiendum eſt, quo explicauimus antea circa Chriſti baptiſmū. Et S. Tho. hîc art. 4. aſſignat cōuenientiā quare in baptiſmo & transfiguratione inſonuerit hæc vox: quia nempe in baptiſmo ſignificabatur gratia, & in transfiguratione gloria; qua vtraque homines fiunt filij adoptiui Dei, per conformitatem ad Chriſtum filium naturalem.

Et Moyſes & Elias loquentes cum Chriſto.

Apparuerunt demum ſimul cum Chriſto Moyſes & Elias. Quos quidem Petrus & ſocij probe agnouerunt, vel interna illuſtratione, vel ex ipſa externa loquutione, qua de ſe ipſis aliquid proferebant, aut etiam ab ipſo Chriſto proprijs quoque nominibus in eo colloquio appellabantur, vt notauit Abulenſ. q. 56. Et S. Thomas art. 3. reddit conuenientiæ rationem, vt Chriſtus ſuæ transfigurationis teſtes adhibuerit, non tantum ex Diſcipulis qui poſt eum ſequebantur, ſed etiam ex Prophetis qui eum præceſſerunt: præcipue vt ſignificaret, non ſolùm ex futuris, ſed etiam ex præteritis, adducendos fuiſſe homines ad gloriam per Chriſtum. Et in ſolut. ad. 3. adducit ex Chryſoſt. plures rationes, vt inter tot veteres Prophetas, illos duos ſignanter elegerit: tum quia illi erant principes Prophetarum; tum quia Moyſes legem dederat, Elias pro gloria Domini æmulator fuerat: tum vt oſtenderet ſe Chriſtus dominum vitæ & mortis, iudicem viuorum & mortuorum: tum quia Moyſes expoſuerat ſe periculo mortis coram Pharaone, Elias coram Achab: tum quia volebat, vt diſcipuli imitarentur manſuetudinē Moyſis & zelum Eliæ: tum demum ex Hilario, vt oſtenderet Chriſtus ſe fuiſſe annunciatum per legem quam dedit Moyſes, & per Prophetas inter quos præcipuus fuit Elias.

Refert verò S. Thomas in 2. argumē-

...ndam Gloſam ſuper Lucæ 9.
...non verè & realiter ibi inter-
...oyſem & Eliam, ſed tantù
...ter fuiſſe formata quadam
...illos repræſentantia, quod
...facilè fieri poterat per miniſte-
...Angelorum. Ipſe autem in ſo-
...m dicendi modum ex Hierony-
...probat. Et de Elia quidem do-
...ductum fuiſſe in proprio corpo-
...ſupponens, quod verum
...m conſeruatum fuiſſe in vita
...viuens translatus fuit: & ſic
...nulla eſt difficultas. De Moyſe
...ut, animam Moyſis apparuiſſe
...ore aliquo aſſumpto, ſicut ap-
...Angeli; non quod tunc reſum-
...um corpus, ſicut fuit in reſur-
...e. Et ita ſupponit Auguſt. lib.
...pro mort. c. 15. Ideóque ſen-
...tan. in cap. 12. Matth., Abu-
...4. & 55. Et nos ſupponimus,
...mam ſeparatam aſſumere
...ereum, in eoque apparere, ope-
...ſua intrinſeca naturali virtu-
...ſſ... ut Angeli: vt diximus in
...q. 59 ſect. 2. At aliqui Pa-
...oc loco ſumpſerunt occaſio-
...ndi, Moyſem quoque non
...tuum ſed fuiſſe conſeruatum
...tuum ſed... indicarunt
...Elias: ita enim indicarunt
...1. de Cain & Abel cap. 2.,
...ſen. lib. de Vita Moyſis, &
... 20 in Matth. Sed tamen
...in lib. Deuteron. cap. 32. &
...adeo clare ... de morte Moyſis, vt nul-
34. narrat...

la de hoc dubitatio relinquatur: & ita communiter Sacri Doctores ſupponunt. Alij ergo ſunt qui aſſerunt, verè Moyſem tunc in proprio corpore reſurrexiſſe, & in eum montem ſimul cum Elia adductum fuiſſe. Ita indicant Hieron. in cap. 17. Matth., Auguſt. aliuſuè Auctor lib. de Mirabilib. S. Script. cap. 10., Damaſc. Orat. de Trāsfiguratione. Et approbant Barrad. cap. cit. Concord., Maldon. in cap. 17. Matthæi, Tolet. in cap. 9. Lucæ Annot. 61., Sotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. art. 1. ad 2., & Suarez hîc diſp. 32. ſect. 2. Hoc tamen non eſt neceſſarium: quia primus modus per aſſumptionem corporis aerei, ſufficit ad verificanda verba Scripturę de apparitione Moyſis. Et rurſus oporteret dicere, Moyſem poſt transfigurationem demum mortuum fuiſſe: quia nullus ante Chriſtum reſurrexit ad vitam immortalem, cùm Chriſtus ſit primogenitus mortuorum reſurgentium. Cæterùm explicat Lucas, quod Moyſes & Elias colloquentes cum Chriſto, *Dicebant exceſſum eius quem completurus erat in Ieruſalem*: hoc eſt eius paſſionem, vt omnes exponunt. Quæ vel vocatur exceſſus ob excellentiam charitatem, vt exponit Lyranus: vel ſimpliciter tanquam exitu, ex hoc mundo. De qua etiam paſſione ſupereſt: vt & nos ſequenti tractatione loquamur.

QVÆSTIO QVADRAGESIMASEXTA

Et ſequentes vſque ad quinquageſimam ſecundam.

De Myſterijs Paſſionis Chriſti.

...Am per h... ſeptem quæſtiones, S. Thomas, iuxta præmiſſam diuiſionem de
Cũ ... My... ſterijs, tractare aggreditur de ijs quæ ſpectant ad exitum eius ex-
... o diſtinguens p... ſſionem, & mortem, & ſepulturam, & deſcenſum:
... V... mag... amplè & adæquatè ſumimus nomen paſſionis, iuxta:
... ...ligentiam, vt hæc omnia complectatur. Quæſtione ergo 6.
com... ...omas de ipſa Chriſti p... ſſione, fuiſſe neceſſariam ad liberationem
... ... & ſuppoſita diuina ordinatione non fuiſſe poſſibilem alium libera-

berationis modum: nec ſimpliciter fuiſſe alium modum conuenientiorem: ſed conuenientiſſimum fuiſſe vt Chriſtus pateretur in cruce: & paſſum fuiſſe omnia genera paſſionum: & dolorem Chriſti fuiſſe maximum inter dolores huius vitę: & Chriſtum paſſum fuiſſe ſecundùm totam animam, ideſt ſecundùm omnes potentias: nunquam tamen caruiſſe fruitione beata: fuiſſe quoque conuenienti tempore paſſum: & conuenienti loco: & conuenienter voluiſſe cum latronibus crucifigi: paſſumque fuiſſe tantùm ſecundùm humanam, non ſecundùm diuinam naturã. Quæſtione 47., de Cauſa efficiente paſſionis Chriſti, docet, Chriſtum quidẽ ipſum voluiſſe pati, ſed fuiſſe ab alijs occiſum: & ex obedientia voluiſſe pati: & ita traditum paſſioni fuiſſe à Deo Patre: inter homines autem conueniens fuiſſe, vt Chriſtus a Iudæis pati inciperet & traderetur, ac per manus Gentilium eius paſſio finiretur: ac eius perſecutores non cognouiſſe ipſius diuinitatem: attamen eorum peccatum, præſertim principalium Iudęorum, fuiſſe grauiſſimum. Quæſtione 48., de Modo quo paſſio Chriſti operata eſt ſuum effectum, docet, operatam fuiſſe per modum meriti: & per modum ſatisfactionis: & tanquam verum ſacrificium: & tanquam noſtræ redemptionis pretium: ita vt ſolus Chriſtus ſit noſter redemptor: & per modum tandem inſtrumentalis efficientiæ. Quæſtione 49, de effectibus ipſis paſſionis Chriſti, docet, per paſſionem Chriſti nos eſſe liberatos a peccato: & à poteſtate Diaboli: & à pœna peccati: eſſequè reconciliatos Deo: nobiſquè apertam ianuam cæli: & ipſum etiam fuiſſe exaltatum. Quæſtione 50., de Chriſti morte, docet, conueniens fuiſſe Chriſtum mori: in morte tamen non fuiſſe ſeparatam eius diuinitatem à carne: nec ab anima: ſed in triduo mortis ob ſeparationem animæ à carne non fuiſſe hominem: fuiſſe autem idem corpus Chriſti viuentis & mortui: & mortem Chriſti fuiſſe cauſam noſtræ ſalutis. Quæſtione 51., de Chriſti ſepultura, docet, conueniens fuiſſe Chriſti corpus ſepeliri: & conuenienti modo fuiſſe ſepultum: nec fuiſſe corpus eius reſolutum in cineres: ſed manſiſſe in ſepulchro vna die & duabus noctibus. Quæſtione 52., de Chriſti deſcenſu ad inferos, docet, conueniens fuiſſe animam Chriſti ad inferos deſcendere: non tamen perueniſſe ad infernum Damnatorum: diciquè debere totum Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, ſicut & totum fuiſſe in ſepulchro, ſcilicet ratione perſonæ: & per idem tempus fuiſſe quoad animam apud inferos, ac quoad corpus in ſepulchro: & ex inferis omnes ſanctos liberaſſe: nullum autem damnatum ab inferno: nec pueros qui cum ſolo originali deceſſerant: nec à purgatorio illos qui adhuc aliquo reatu detinebantur.

SECTIO PRIMA.

De Conuenientia & Neceſſitate & Acerbitate Paſſionis Chriſti.

Fuit conueniens & neceſſaria paſſio Chriſti ex ordinatione Dei.

QVàm conueniens & qualiter neceſſaria fuerit ſatisfactio Chriſti, ideſt Dei incarnati, ad redemptionem generis humani, ad recompenſationem diuinæ offenſæ; iam vidimus antea pro ipſo Incarnationis myſterio, quæſt. prima & decimanona. An verò vt Chriſtus ita ſatisfaceret, neceſſe erat ipſum pati, vel potuiſſet per quæuis opera meritoria ſatisfacere abſque paſſione: ex ibidem dictis habetur, non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam paſſionem, ſed potuiſſe ſufficere, etiam ſub quocunque rigore iuſtitiæ, quodcumque opus & meritum Chriſti: dum nempe quælibet operatio Chriſti erat infiniti valoris, adæquans & ſuperexcedens grauitatem omnium peccatorum. Ex ſuppoſitione tamen diuinæ ordinationis, erat neceſſaria ipſa paſſio Chriſti ad eam ſatisfactionem: quia nimirum ſic Deus definierat, vt Chriſtus patiendo, & moriendò redimeret genus humanum. Et hoc intendit S Thomas hæc quæſt. 46. art. 1.; vbi quamuis tres rationes reddat cur paſſio Chriſti fuerit neceſſaria, deſumptas ſcilicet ex liberatione noſtra, ex exaltatione ipſius Chriſti, & ex ordinatione Dei; tamen priores

duæ

Digitized by Google

ːiones referuntur ad tertiam ; ɔeratio noſtra , & exaltatio ſtatuta & ordinata erat a Deo diuin paſſionis . Et ſimiliter art. ex infallibilitate & efficacia præſcientiæ & præordinationis , non fuiſſe poſſibilem alium mo- noſtræ liberationis , quam per nem Chriſti , licet ſimpliciter & ite fuiſſet poſſibilis .

t autem conuenientiſſima talis atio Dei , vt Chriſtus per paſſio- & non per alia quæcunque ope- iſfaceret . Hic enim modus erat mè proportionatus ad rationem actionis , & ad vindicandam di- n iniuriam . Et hoc alijs etiam nibus confirmat D. Thomas art 3. ad hoc vt homo magis cognoſcat nrum diligatur à Deo , & ſic pro- etur ad eum redamandum . *Com- dat enim charitatem ſuam Deus in s, quoniam cùm inimici eſſemus Chri- pro nobis mortuus eſt*, ad Rom. 5. aliui ſæpe in ſacris litteris , & paſ- à Sanctis Patribus , conſideratur exceſſus diuinæ dilectionis erga s , oſtenſus in paſſione Chriſti . Tum iam , vt Chriſtus præberet nobis emplum , obedientiæ , humilitatis , ſtitiæ , & cæterarum virtutum , quas ſua paſſione exercuit *Chriſtus paſſus ſt pro nobis , vobis relinquens exemplum , vt ſequamini veſtigia eius* , 1. Petri 2. ſum quoque , vt homini induceretur maior neceſſitas & maius incentiuum abſtinendi à peccatis, dum cogitat ſe ſanguine Chriſti redemptum . *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & por- tate Deum in corpore veſtro* , 1. Cor. 6. Tum demum, vt ſicut homo a Diabolo victus mortem incurrit , ita per mortē Chriſti Diabolus vinceretur . *Sic dedit nobis Deus victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum* , 1. Cor. 15 Et in ſo- lut. ad 2. addit rationem , quare con- uenientius fuerit , Chriſtum pati mor- tem ab alijs illatam , quam propria morte reſolui abſque externa paſſione: quia, vt Chryſoſt. notauit, Chriſtus nō venerat propriam, ſed aliorum mortem conſumpturus .

Fuit item conuenientiſſimus talis modus paſſionis & mortis , quem Deus elegit, & Chriſtus aſſumpſit, ſcilicet per crucem . Quod quidem ſeptem ratio- nibus , ex Script. & Patribus deprom- ptis, demonſtrat S. Thomas art 4. Pri- mo , quia hoc genus mortis erat exe- crabilius & formidabilius : & ita homi- nes diſcerent quodcunque genus tor- menti & opprobrij non timere . Secun- do , quia Adamus in ligno deliquerat : & ſic Chriſtus in ligno ſati faceret . Tertio , quia in cruce exaltatus morie- batur in aere : & ſic Chriſtus ſanctifi- caret & aerem , ſicut ſuo ſanguine & greſſibus terram . Quarto, quia in alto moriens , nobis aſcenſum parabat ad cœlum . Quinto , vt ſic ſe oſtenderet vniuerſalē Saluatorē totius mūdi. quia figura crucis in 4. extrema partitur. & expanſæ manus ad vtrumq; populum extenduntur . Sexto , quia eius la- titudo bona opera ſignat , longitudo perſeuerantiam, altitudo ſpem, & pro- funditas profunditatem gratuitæ gra- tiæ . Septimo demum, quia hoc genus paſſionis & mortis, plurimis figuris ve- teribus reſpondebat : nam lignea arca hominem ex diluuio reſeruauit : lignea virga mare diuiſit , Pharaonem proſtrauit, & populum eduxit: lignum olim dulcem aquam reddidit : lignea virga aquam de petra produxit : circa virgam Moyſes ſuas manus exten- dens, Iſraeli contra Amalec victoriam contulit : in lignea arca Dei lex cuſto- diebatur . Et aliæ huiuſmodi figuræ, pluresque etiam conuenientiæ ratio- nes, in laudem Sanctæ Crucis, a Sacris Doctoribus obſeruantur , *ſimus mo- dus paſſio- nis per cru- cem .*

Deinde fuit ſanè paſſio Chriſti acer- biſſima, tum extenſiuè , tū intenſiuè. *Paſſus fuit Chriſtus , non in Di- uinitate , ſed in cor- pore & in anima .* Quod vt melius innoteſcat , per plu- res partes explicandum eſt . Cùm Chriſtus conſtaret ex duplici natura in vna perſona, non fuit quidem paſ- ſus in diuina natura , ſed tantùm in humana , ita confirmat S. Thomas art. 12. quæſtionis 46. Et eſt res clara ſatiſque patet ex ratione diuinæ na- turæ in prima Theologiæ parte expli- cata, & ex ratione Incarnationis hac tertia parte antea pertractata . In hu- mana autem natura paſſus fuit , tum ſecundùm corpus, tum ſecundùm ani- mam , Secundùm corpus quidem di-

Digitized by Google

nec per mentalem & imaginariam repræſentationem. Externa enim viſio de locis tam diſtantibus & occultis fieri non poterat virtute Dæmonis: & fieri non debebat virtute diuina. Simulachra & imagines nó apparet quomodo fierent à Dæmone. Imaginationem Chriſti non decebat interiùs à Dæmone immutari: intelligitur ergo tantum illa oſtenſio, vt alij Sacri Doctores exponunt, & notat S. Tho. hoc art. 4. ad 7., per ſimplicem quandam deſignationem, qua Dæmon dicebat Chriſto, ex hac parte eſt regnum Græcorum, ex illa Romanorum, & ſic de ſingulis, narrans etiam gloriam & excellentiam ſingulorum. Promiſſio Dæmonis erat planè fallax & illuſoria: non enim Dæmon habebat dominium regnorum mundi, aut poteſtatem illa elargiendi. Ac planè deſipiebant Manichæi, qui, vt refert Eymmus, ex hoc loco ſumebant occaſionem dicendi Dæmonem eſſe dominum & auctorem corporalium rerum. Suggeſtio erat apertè impia & ſceleſta: cum enim vidiſſet Dæmon ſe nihil profeciſſe poſtulando miracula, voluit tandem ſub magna promiſſione poſtulare maximam impietatem. Ideoquè non dixit in hac vltima tentatione, Si Filius Dei es: hoc enim potiùs repugnabat cum actione quam ſuadebat. Sed ſperabat adhuc Dæmon hoc modo detegere an Chriſtus eſſet Filius Dei, cogitans, quod ſi talis eſſet, ita indignaretur de tali ſuggeſtione, vt manifeſtans ſe eſſe Filium Dei, mandaret vt ipſe Dæmon eum adoraret. Vnde Chriſtus eodem conſilio quo ad priores tentationes, ita reſpondit Deum ſolum eſſe adorandum, vt Dæmonem in eadem ambiguitate relinqueret. Peccatum vero ad quod Dæmon hac tentatione volebat pertrahere Chriſtum, S. Thomas & alij notant fuiſſe auaritiæ, ob tam immenſas diuitias quas Dæmon promittebat. Et ita quidem eſt ex parte finis & motiui, addendo etiam inſignem ambitionem & appetitum dominandi. Sed opus ad quod Dæmon proximè incitabat, erat peccatum idololatriæ, directè oppoſitum cultui latriæ ſoli Deo debito, vt aduertit D. Tho. eod. art. 4. ad tertium. Et ideo Chriſtus acriùs hac vltima vice Diabolum increpauit & repulit, *Vade Satana*: nec ille auſus fuit ampliùs inſiſtere, aliamue tentationem adijcere.

Qualiter Diabolus duxit Chriſtum per varia loca.

Quomodo autem in hac & præcedenti tentatione, Chriſtus ductus fuerit à Dæmone, ſuper pinnaculum templi, & ſuper montem excelſum; aliqui indicarunt factum eſſe per ſolam imaginariam repræſentationem, vt refert D. Tho. art. 2. ad 3., & ſequitur Ianſenius. Sed hoc ex dictis non debet admitti: quia Dæmon non permittebatur interiùs perturbare imaginationẽ Chriſti. Dixerunt ex oppoſito alij, factum eſſe per propriam deambulationem & aſcẽſionem humanis greſſibus, vt indicauit Origenes. Sed hoc etiam non eſt ſatis veriſimile: quód Chriſtus ſuis paſſibus ſequeretur Dæmonem: & certe id fieri non potuiſſet abſque longa mora temporis, & magno labore Chriſti, qui iam ex ieiunio eſuriebat, & conſequenter debilitatem ac laſſitudinem patiebatur. Alij ergo magis communiter intelligunt, Dæmonem velociter per aera detuliſſe Chriſtum, ſinente ipſo Chriſto qui nolebat tunc ſua diuina poteſtate vti ad reſiſtendum. Et hoc planè magis conſonat verbis Euãgelij: & pluribus confirmat Abulenſ. in cap. 4. Matth. q. 34. & ſequentibus. Addit tamen D. Tho. art. 4. ad 7., ex Chryſoſt. homil. 5. operis imperfecti in Matth., Chriſtum viſum fuiſſe ſua virtute ad impediendum ne ab alijs conſpiceretur veluti per aerem volans, aut ſuper pinnaculum templi ſtans, quamuis Dæmon putaret Chriſtum à pertranſeuntibus conſpici. Vel dici poteſt, hoc totum factum fuiſſe nocturno tempore, quando naturali ſtatu non patet rerum conſpectus.

Diabolus victus aufugit, & Chriſtus redijt in terram habitatã.

Poſt has omnes tentationes victus & repulſus Dæmon aufugit à Chriſto. Itaque reliquit eum in eodem monte, in quo hanc vltimam tẽtationem peregerat, nec eum reduxit ad primum locum è quo eum aſſumpſerat. Sic enim Euangeliſtæ narrant, ſtatim Diabolum receſſiſſe, nec quicquam aliud tunc circa Chriſtum geſſiſſe, & ita confirmat Abulenſ. q. 59. in cap. 4. Matth.,

Lucas, *Diabolus receſſit ab il- tempus*: quia ſcilicet poſtea it perſequi Chriſtum, non lum tentando, ſed incitando miniſtros vſque ad necem atimque recedente Diabolo, nt Angeli, & miniſtrabant vt narrat Matthæus: ideſt co- tur illum, & detulerunt ei ci- turali indigentiæ ſubueniret. em Chriſtus, victa omni tenta- ſoluto ieiunio, ad quod receſ- deſertum, ſuiſmet greſſibus, re- eſt in terram habitatam & in tum aliorum hominum: vt ex- Lucas, *Et regreſſus eſt Ieſus in Spiritus in Galilæam*.

SECTIO OCTAVA.

onuerſatione & Prædicatione Chriſti in hoc Mundo.

Einceps ex tota hiſtoria euangelica conſtat, Chriſtum ſequenti ſu tempore cum hominibus conuerſ m fuiſſe, & cum ijs communicaſſe, diuerſa loca peragraſſe, diſcipulos naſſe, ſuamque doctrinam prædi- do & exhortando diſſeminaſſe. Vbi num in primis eſt videre, quanto pore Chriſtus hoc munus exercuit, mpe quantum tempus interceſſerit fine ieiunij vſque ad paſſionem & orte.n.

Valentinus & Gnoſtici apud Epiphanium Hæreſi 51. dixerunt, Chriſtum no tantum anno poſt ieiunium conuerſatum fuiſſe & prædicaſſe apud homines in hoc mundo, vſque ad mortẽ. Et fundamentum ſumpſerunt ex quibuſdam verbis Iſaiæ cap 61., vbi in perſona Chriſti dicitur, *Vt prædicarem annum acceptabilem Domino*: vnus ergo fuit annus prædicationis & conuerſationis Chriſti. Idem ſignificauit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Fauere etiam videntur Tertullian lib. cont. Iudæos cap 8., & Lactant. lib. 4. de Vera ſapient cap 10., dicentes, Chriſtum paſſum fuiſſe anno decimoquinto Tiberij Cæſar. & ſimiliter Auguſtin. lib. 18. de Ciuit. cap. 54., dicens, Chriſtum paſſum fuiſſe, duobus Geminis Conſulibus, qui quidem inciderunt eo anno decimoquinto Tiberij. At Lucas Euangeliſta ſub eodem anno decimoquinto Tiberij poſuit prædicationem & baptiſmum Ioannis: ergo Chriſtus quoque in ſua prædicatione non exceſſit annum. Et rurſus idem Auguſtin. epiſt. 80. inquit, quod eo anno computabantur à natiuitate Chriſti fermè quadringenti, à reſurrectione autem vel aſcenſione plus minus trecenti nonaginta: quare deſignat non plus quã triginta annos à natiuitate ad reſurrectionem Chriſti: vnde tùm Chriſtus ſe manifeſtare cœpiſſet initio ſui anni trigeſimi, non vltra annum deinceps vitam protraxit in hoc mundo.

Certum tamen prorſus eſt, Chriſtum per plures annos poſt ſuam manifeſtationem in baptiſmo, permanſiſſe in hoc mundo, cum hominibus conuerſando, & munus prædicationis exercendo vſque ad mortem. Quod quidem ſatis patet ex tota hiſtoria euangelica. Ac præſertim patet ex Ioanne: qui cap. 2. poſt miraculum factum in nuptijs apud Canam Galilææ narrat Chriſtum interueniſſe Ieroſolimis in feſto Paſchatis: deinde alia geſta Chriſti proſequitur, & rurſus cap. 6. alium feſtum paſchale commemorat, *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum*: ac tandem poſt alia plura geſta Chriſti, cap 12. narrat, qualiter Chriſtus ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, & in hoc Paſchate fuit morti traditus: itaque ad minus duos annos Chriſtus in ſua prædicatione tranſegit. Nec vtique obſtant verba illa Iſaiæ, quando nominauit annum acceptabilem. nam annus ibi ponitur pro tempore, ideſt tempus acceptabile. Niſi placeat dicere cum Epiphanio Hæreſi 51., Prophetam indicaſſe ſolum primum annum prædicationis Chriſti, & vocaſſe acceptabilem. *Quia*, inquit, *reuera prædicauit annum acceptum, hoc eſt cui non contradicebatur, primum enim annum poſt trigeſimum annum aduentus ſui carnalis prædicauit, & omnes ipſum ſuſcipiebant. & neque Iudæi contradicebant, neque Gentes, neque Samaritæ, ſed omnes libenter*

Digitized by Google

ipſum audiebant. Et completo primo anno deinceps quæſierunt ipſum prehendere. Nec etiam obſtaut illi Patres qui dixerunt, Chriſtum paſſum fuiſſe anno decimoquinto Tiberij: nam errorem cæperaut, inchoando prædicationem Ioannis Baptiſtæ anno duodecimo Tiberij, & ita reuera tres annos attribuebant prædicationi Chriſti. Et ſimiliter Auguſtinus Ibi de Ciuit., errorem cæpit in nominibus Conſulum. In illa verò Epiſtola, dicendo ferme quadringentos à natiuitate, & plus minus trecentos nonaginta à reſurrectione; planè non conſtituebat certum numerum, ſed ſub eo loquendi modo intercipi poterat latitudo duorum, aut trium, aut quatuor annorum.

Nec vltra numerum quatuor annorum.

Ex alio extremo, aliqui plures annos quàm oportet huic conuerſationi & prædicationi Chriſti tribuerunt. Nempe illi qui apud Auguſtin. lib. 2. de Doct. Chriſtiana cap. 28. dicebant, Chriſtum vitam protraxiſſe vſque ad annum ætatis quadrageſimumſextum: eo quod de templo quod typum gerebat corporis Chriſti dictum fuit Ioan. 2., *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc.* Item Irenæus qui lib. 2. aduerſus Hæreſes cap. 39. & 40. putauit, Chriſtum prædicare cæpiſſe ab anno quadrageſimo ætatis, & paſſum fuiſſe prope quinquageſimum: eo quod Iudæi dixerunt ad Chriſtum Ioann. 8. *Quinquaginta annos nondum habes*: & refert etiam Presbiteros Aſiæ ſic didiciſſe ex auditu eiuſdem Euangeliſtæ Ioannis. Sed hæc ſunt plane aliena à veritate hiſtoriæ euangelicæ, & contra omnes alios ſacros Doctores. Nam multò minor annorum numerus colligitur ex Euangelio: & iam conſtabat, Chriſtum incæpiſſe prædicare ab anno trigeſimo ætatis: deinceps verò pauci prædicationis anni vſque ad mortem habentur in Euangelio. Paſſusquè fuit Chriſtus ſub Pontio Pilato Præſide, qui poſt annum decimumquintum Tiberij non tandiù durauit in officio. Nec quicquam obſtat verba illa de ædificio templi, nullatenus enim debet idem annorum numerus referri ad vitam Chriſti. Nec alia verba Iudæorum, qui pro quodam exceſſu dixerunt ad Chriſtum, quòd nondum haberet quinquaginta annos, dum habebat paucos ſupra triginta.

Inter Sacros ergo Doctores qui cum probabilitate & fundamento de hac re diſcurrere ſtuduerunt, ad ſummum aliqui quatuor annos & aliquot menſes attribue potuerunt prædicationi & conuerſationi Chriſti à baptiſmo vſque ad mortem. Et ita præſertim affirmant Salianus tomo 6. anno Chriſti 30 Bartadius tomo 2. lib 1. cap. 12., Azorius tomo 2 lib 1. cap. 6. quæſito 6, & hîc Suarez diſp. 30. ſect. 3 Eo quod imprimis ſupponunt, interceſſiſſe integrum annum à baptiſmo Chriſti in Iordane vſque ad miraculum nuptiarum: quia Eccleſia eadem die ſexta Ianuarij commemorat hoc miraculum: ſed certe non accidit eadem die & anno, & ad ſummum potuit accidere eadem die anni ſequentis: ergo interceſſit integer annus. Deinde inter duos illos annos quos iam ſupra ſtatuimus, conſtituit Suarez alium annum ex alio Paſchatis feſto, quod ſumit ex Ioanne cap. 5., vbi dicitur *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam:* vbi probare conatur, non aliud eſſe hoc feſtum, quam Paſchatis. At verò Cyrill. Alexandrin. in Iſai cap. 29 duos tantùm annos, quos ſupra deduximus, attribuit prædicationi Chriſti: cum non plus conuinci videatur ex Euangelio. Idemquè ſentire videntur Philaſtr. in Catalogo cap. de Hæreſi circa annos Chriſti, & Seuerus Sulpit. lib 2. Sacræ hiſtor., dicentes Chriſtum mortuum fuiſſe anno trigeſimo ſecundo inchoato: & Paul. Oroſ. lib. 7. Hiſtor. cap. 4, dicens, Chriſtum mortuum fuiſſe anno decimoſeptimo Tiberij.

Sed ſpatio trium annorum.

Cõmunior tamen eſt media ſententia, quæ tres integros annos tribuit prædicationi Chriſti, à baptiſmo ad mortem, cum illis quoque menſibus qui intercurrunt à baptiſmo vſque ad primum Paſcha. Ita præſertim teſtatum reliquit Ignatius Martyr proximus temporibus Chriſti, eadem illa Epiſt. 5. ad Trallianos. vbi poſt illa verba, *Tres decadas annorum conuerſatus, baptizatus eſt à Ioanne,* ſtatim ſubdit, *Et triennio prædicauit Euangelium,*

ſigna

prodigia patrauit. Idem docent ...m. ſuper Daniel. 9., Euſeb. in ...o lib. 1. cap. 10., Beda lib. de ... tempor. cap. 45., Nicephor. Hiſtor. cap. 29., alijque Sacri ...s & Expoſitores paſſim. Quare ...dem ſententia nobis approbāda ...ioqui enim, ſi duo tantùm anni ...antur prædicationi Chriſti: cùm ...e Chriſtū baptizatū fuiſſe anno ...mo inchoato, ſequeretur, mortuū ...nno trigeſimoſecundo inchoato, ...o decimoſeptimo Tiberij. Si au... ...uatuor; ſequeretur mortuum anno trigeſimoquarto inchoato, ...cimonono Tiberij. Tribuendo au... ...res annos, verificabitur optime, ...uum fuiſſe dum agebat annum t... ...umtertiū, anno decimooctauo Ti... ... quod quidem retinendum eſt.

...ique ex duobus illis annis quos ...ez addebat, oportet alterutrum ...care. Stando autem in contextu ...rie Euangelij, atque in congruen... ...rationis, reſecari potiùs debet ille ...us qui ponebatur à baptiſmo vſ... ...ad miraculum nuptiarum, & reti... ... alius annus interpoſitus in ipſo ...rcitio prædicationis. Etenim ille ...mus annus non habet fundamen... ...m in Euangelio. Quinimo non ap... ...ret veriſimile, Chriſtum poſt ſuam ...nifeſtationem in baptiſmo, & ieiu... ...um in deſerto, manſiſſe adhuc per ...ium annum, veluti occultum, non ...ublicè docendo & prædicando. Sed ...ptimè conſonat dicere, illum feſtum ...aſchatis quod Ioannes commemorat ...ap 2., fuiſſe proximū poſt baptiſmum ...c ieiunium: ſupponendo enim baptiſ... ...mum peractum eſſe die ſexta Ianuarij, tempus quod ſupereſt vſque ad finem Martij vel principium Aprilis, quo ſo... ...lebat incidere Paſcha, erat ſufficientiſ... ...ſimum ad illud totum quod p... eo tem... ...pore ab Euangeliſta narratur: nempe præter quadraginta dies ieiunij, ad reditum in Galilæam; vbi fecit miraculum in nuptijs, & iterum ad reditum in Iudæam ac Ieruſalem pro feſto Paſchatis. Illa ſola difficultas remanet, de die quo factum fuit miraculum in nuptijs. Ad quam ... erit, non fuiſſe factum die ſexta Ianuarij, ſed po... ...tiùs aliqua die Martij proximi poſt baptiſmum; ſed tamen eadem die ſexta Ianuarij commemorari ab Eccleſia, ſicut in alijs quibuſdam myſterijs vel ſolemnitatibus accidit. Et dici ea die factum, id eſt celebrari tanquam factū, ſicut alias in ſuis officijs loquitur interdum Eccleſia. Et quidem Patres ac Doctores communiter notant, non omnia tria illa myſteria facta fuiſſe eadem anni die, ſed aliquod vel aliqua eorum: celebrari verò omnino ſimul, quia omnia ſpectant ad manifeſtationem Chriſti. Inter duo autem hæc myſteria, baptiſmi & miraculi, multò commodiùs & conformius eſt iuxta prædicta, baptiſmum ſupponere in illa die, & conſequenter miraculum tranſponere in alia die. Poſt quod miraculum, Chriſtus tranſegit tres integros annos, conuerſans, & prædicans, vſque ad mortem. Et hoc habet ſufficiens fundamentum in Euangelio, intelligendo illud feſtum quod commemoratur à Ioanne cap. 5., fuiſſe quoque feſtum quoddam Paſchatis, vt ſatis ex ipſo textu colligitur.

De reliquo explicat optimè S. Thomas q. 40. art. 1., quàm conueniens fuerit, Chriſtū cum hominibus publicè & familiariter conuerſari: nempe ad exercendum officium prædicationis, & manifeſtandam hominibus veritatem; item ad præbendum alijs exemplum: atque vt maiori cum fiducia homines ad ipſum accederent, & per ipſum ad Deum. Rurſus art. 2. conueniens fuiſſe, vt Chriſtus non ageret auſteram vitam, id eſt nimis rigidam & ſeueram, ſed potiùs communem & conſuetam; nempe vt communi victu & veſtitu vteretur, & non ſingulari ac extraordinario, vt faciebat Ioannes Baptiſta: quia videlicet, ſi Chriſtus debebat cum hominibus familiariter conuerſari, eoſque ad ſe attrahere, conuenientiſſimum erat, vt ijs in exteriori conuictu conformaretur. Sed ex alia parte conuenientiſſimè etiam Chriſtus non elegit vitam delicioſam, & diuitijs affluentem, ſed vitam pauperem & humilem. Ita oſtendit D. Thomas art. 3. Tum quia ita expediebat ad ipſam prædicationis officium. Tum

Conuenienter debebat, cum hominibus conuerſari, & non nimis auſteram ſed pauperem vitam agere.

quia

quia ſicut mortem corporalem ſubire voluit, vt nobis vitam largiretur æternam, ita & temporalem paupertatem ſuſtinere voluit, vt nobis ſpirituales diuitias lucraretur. Tum ne alioqui ſi diuitijs abundaſſet, earum cupiditati eius opera adſcriberentur. Tum vt magis appareret virtus diuinitatis eius, dum vir pauper & abiectus ſibi orbem ſubegit, hoc enim aſſequutus eſt, non humana potentia, ſed Diuinitatis virtute.

Quomodo Chriſtus aliena ope ſuſtentabatur.

Tantamque paupertatē elegit Chriſtus, vt aliena ope & ſubſidio ſuſtentaretur: vt ſic de eo propriè intelligatur illud Pſalmi 39 *Ego autem mendicus ſum & pauper*. Sic dum Chriſtus per varia loca pergebat, non habebat propriam domum, ſed hoſpitio recipiebatur in alienis domibus, & ideo dixit Matth. 8., *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*. Alebaturquè alienis ſubſtantijs: vnde de mulieribus quibuſdam dicitur Lucæ 8, *Miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*: & Ioannis 12. de Iuda dicitur, *Ea quæ mittebantur portabat*. Et fieri etiam poteſt, vt non ſemper haberet de ſponte oblatis: ſed interdum etiam per ſe vel per diſcipulos peteret quæ erant ſibi neceſſaria, & in toto rigore mendicaret, cum conuenienti tamen decentia & honeſtate. Sic petijt Chriſtus à Samaritana potum Ioann. 4. Petijt hoſpitium à Zachæo Lucæ 19. Petijt vbi faceret Paſcha cum diſcipulis ſuis Matth. 26. Sic inquam poteſt eſſe, vt ſæpiùs decenter petierit de rebus ſibi neceſſarijs.

Quomodo poſſidebat aliquid de proprio.

Attamen in hac ſua paupertate, vel de ſponte oblatis, vel aliter acquiſitis, poſſidere ſolebat Chriſtus res ſibi ad ſuſtentationem vitæ neceſſarias, & pecuniam ad illas coemendas quando opus erat. Ita patet aperte ex Euangelio. Vnde inter Apoſtolos Iudas conſeruabat pecuniam, quæ in vſum Chriſti & aliorum diſcipulorū deſeruiebat, Ioan. 12. & 13. Et emebant cibos, cap. 4. & 6. Dum tamen Chriſtus communem vitam cum Apoſtolis agebat, dici poteſt, ſimul etiam in commune cum illis per modum communitatis, res & pecuniam poſſediſſe. Sed benè etiam dici poteſt, quādo interdum ſolus fuit, vtpote antequam per modum collegij Apoſtolos ſibi ſociauerit, per ſe poſſediſſe de rebus neceſſarijs & de pecunia. Dicique debet, ſiuè in communi cum Apoſtolis, ſiuè per ſe ſolùm, habuiſſe non tantùm vſum talium rerum & pecuniæ, ſed habuiſſe quoque liberum & abſolutum dominium, ſicut habent alij homines. Non enim hoc quicquam derogat eximiæ perfectioni quam Chriſtus profitebatur: nec aliter conuenienti modo tunc fieri poterat. Atque ita definiuit Ioannes Papa Vigeſimusſecundus in Extrauag. *Cùm inter nonnullos* de Verbor. ſignificat., vbi oppoſitam ſententiam damnat tāquam Euangelio aperte contrariam, & erroneam, ac hæreticam. Et in alia Extrauag *Quia quorundam*, idem confirmat atque defendit, ac pertinaciter repugnantes hæretis damnat. Et 4. *Quia ſub aſſerere*, refert quoſdam dixiſſe, Chriſtum non ſolùm in ſe ipſo ſeruaſſe abdicationem omnis iuris in cuiuſcunque rei proprietate & vſu, retento ſolum ipſo nudo vſu, ſed etiam Apoſtolis impoſuiſſe. & ſub voto fuiſſe aſſumptam. Ipſe autem Pontifex ſic ex aduerſo docet: *Neque Chriſtum expropriationem prædictam omnis iuris in ſe ſeruaſſe, nec eam impoſuiſſe Apoſtolis, neque ſub voto ab ipſis fuiſſe receptam, euangelica ſeu apoſtolica docet hiſtoria, ſed contrarium euidentius manifeſtat*.

Quomodo interdum caruit rebus proprijs.

Interdum tamen Chriſtus ad exercitium paupertatis, & ad noſtrum exemplum, contentus erat carere proprijs rebus & pecunijs. Vtpote cùm non habuit denarium ad ſoluendum cenſū, ſed fecit vt Petrus illum inueniret in ventre piſcis Matth. 17. Et quando mulieres miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Lucæ 8. Et per hoc reſpondendum eſt ad aliud decretum Nicolai Pontificis cap *Exijt* de Verbor. ſignific. in ſexto. quod priori aſſertioni videtur aduerſum. Imo idem Pontifex Ioannes in ea Extrau. *Quia quorundā*, refert, quoſdam ſibi obieciſſe, quod in confirmatione regulæ Fratrum Minorum, Honorij tertij. Gregorij noni, Innocentij quarti, Alexandri quarti, & Nicolai quarti, haberentur hæc verba:

Ha

égula euangelica Chriſti & Ap- imitatrix; quia nihil in hoc mun- proprium vel commune, ſed re- ſibus utentur habent ſimplicem- ſſs. Ad hoc inquam reſpondet Pontifex, nequaquam haben erba in confirmatione illius re- ecta ab ijs ſuis Prædeceſſoribus. rba quidem Nicolai in illo cap. ſunt: *Hæ ſunt illæ ſanctæ regula res, quæ euangelico fundantur eli- pera Chriſti roborantur exemplo:* & auca, *Abdicatio proprietatis omni- tàm in ſpeciali quàm in communi r Deum, meritoria eſt & ſancta, & Chriſtus viam perfectionis oſ- ns, verbo docuit & exemplo firma-* Ad hoc autem reſpondet Ioan- non per hoc Nicolaum dixiſſe, ia quæ habentur in regula Fratrũ orum, fuiſſe verbo & exemplo tra- & firmata à Chriſto. Nec etiam ſſe, Chriſtum & Apoſtolos nullum uiſſe ius rerum: ſed ad ſummum habuiſſe proprietatem, quam ipſe inguit à iure. Ac tandem affert od idem Nicolaus fatetur, Chriſtum erdum habuiſſe loculos, vt ſuo etiã emplo infirmorum imperfectioni cõ- ſcenderet. Itaque concedebat vi- Nicolaus, Chriſtum interdum poſ- diſſe loculos, etiam quoad proprieta- m: & ad ſummum intellexit, inter- m etiam voluiſſe carere rebus pro- rijs, vt ita vtrumque viuendi modum pprobaret & commendaret. Sed ad- uc Chriſtus ſaltem ſuas veſtes poſſi- ebat de proprio, niſi quando illis ex- oliatus fuit in paſſione. Alia verò in quibus ij duo Pontifices, inquantum peculiariter ſpectat ad regulam pau- pertatis Fratrum Minorum, diſſidere videntur, non ſpectant ad præſentem locum, ſed ad ſuum tractatum de ſtatu Religioſorum.

Præter hæc, explicat S. Thomas ea- dem quæſt. 40. art. qualiter Chriſtus in hac vita fuerit ſecundum veterem legem conuerſatus, ideſt illam obſer- uans & adimplens, & quàm conue- nienter ita fecerit. Sed de hac re ſatis diximus antea quæſt. 20. ſect. 4. vbi oſtendimus Chriſtum reuera non fuiſſe ſubditum illi legi, non fuiſſe obligatum præceptis illius; ſed ſua ſponte voluiſſe ſeruare, ob plures conuenientiæ ratio- nes, ibi à nobis, & hoc loco à S. Thoma indicatas.

Poſtea explicat S. Thomas q. 42. art. 1., quàm conueniens fuerit, vt Chri- ſtus perſonaliter apud Iudæos ageret, eiſque ſpecialiter prædicaret, deinceps autem Apoſtolos inſtitueret qui etiam Gentilibus prædicarent. Nempe tum vt oſtenderet per aduentum ſuum adimpleri promiſſiones antea factas Iudæis & non Gentilibus. Tum vt conuenientem ordinem ſeruaret, quia Iudæi per fidem & cultum Dei erant illi propinquiores: vnde ſicut in Ange- lica Hierarchia diuinæ illuſtrationes per Angelos ſuperiores Deoque pro- pinquiores deriuantur ad inferiores, ita in Eccleſiaſtica Hierarchia diuina illu- ſtratio inde per Apoſtolos Iudæos tranſ- mitteretur ad Gentes. Tum ne Iudæi occaſionem calumniandi & excuſa- tionem recedendi acciperent, ſi vidiſ- ſent Chriſtum non antea ad ipſos miſ- ſum eiſque prædicantem. Tum quia conuenientius erat, poſt paſſionem vti imperio & dominio ſuper Gentes, quod eadem ſua paſſione acquiſiuit. Opti- me etiam explicat S. Thomas art. 2. debuiſſe Chriſtum Iudæis prædicare, non obſtante offenſione illorum, quia eum credere noluerunt, ſed potius alios quoque ſtudebant auertere: debebat enim Chriſtus proſpicere ſaluti com- munitatis, non obſtante offenſione & perditione quorundam particularium.

Conuenienter poſtea Chriſtus Iudæis prædicauit quamuis cum aliquorum offenſione.

Explicat quoque art. 3., Chriſtum omnia publicè docuiſſe, vel quia pa- lam coram multitudine loquebatur; vel quia ea ipſa quæ priuatim ſuis diſ- cipulis exponebat, aut quæ coram alijs quoque ſub obſcuris parabolis propo- nebat, iuſſit ipſe in Apoſtolis, vt alijs omnibus publicarent & explanarent. Vnde Matth. vltimo illis dixit, *Euntes docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Et Marci vlt. *Euntes in mundum vniuer- ſum prædicate Euangelium omni creatu- ræ.* Et Matth. 10. illis dixerat, *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate ſuper tec- ta.* Tandem art. 4. concludit S. Do- ctor,

Et publicè docuit, voce, non ſcripto.

ctor. non debuiſſe Chriſtum doctrinam ſuam ſcripto tradere, ſed ſufficienter feciſſe voce prædicando, & relinquendo vt ſui diſcipuli eam litteris etiam conſignarent. De qua re diximus quoque tractando de lege 1. 2. quæſt.

SECTIO NONA.

De Miraculis Chriſti.

CHriſtum eodem ſuæ prædicationis tempore plurima feciſſe miracula, tota euangelica narrat hiſtoria. Quæ ſit ratio miraculi in genere explicauimus 1. par. q. 8. ſect. 1. Quæ & qualis & quanta fuerit potentia Chriſti ad facienda miracula, & quis modus quo illa faceret, ſatis diximus ſupra quæſt. 13. Primum miraculum quod Chriſtus fecit, ſignatur ab Euangeliſta Ioanne cap. 3., nempe conuerſio aquæ in vinum in nuptijs apud Canam Galilææ, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilaa, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius*. Et ita confirmat S. Thomas hic q. 43. art. 3., & communiter Sacri Doctores: quoniam non antea debebat Chriſtus miracula facere quàm docere inciperet, & quàm teſtimonium acciperet à Ioanne præcurſore, Vnde miracula quædam, quæ in quodam libro de Infantia Saluatoris, narrantur facta à Chriſto in pueritia, non ſunt recipienda, vt aduertit S. Thomas eod. art. ad 1., & liber ille inter Apocryphos reputatur à Gelaſio Papa cap. *Sancta Romana* diſt. 15. Miracula autem quæ facta ſũt circa natiuitatẽ & manifeſtationem Chriſti, vtpote egreſſus eius ex matre virgine, apparitio ſtellæ in aduentu Magorum, apertio cœlorum, deſcenſus columbæ, & vox Patris in baptiſmo apud Iordanem, non oſtendebantur tanquam facta ab ipſo Chriſto, ſed potiùs immediatè à Deo circa Chriſtum. Et re ipſa dici poteſt, quod nullum miniſterium ad illa facienda habuerit humana Chriſti voluntas, nec per modum cauſæ phyſicæ, nec moralis, iuxta duplicem ſentiendi modum: ſed ſola diuina voluntas immediatè illa perfecerit. Ieiunium autem quadraginta dierum in deſerto, abſque cibo & abſque ſenſu famis, non fuit publicum, & vlli homini tunc notum, licèt poſtea notificatum ſit. Quare ſic primum ſimpliciter miraculum publicè factum ab ipſo Chriſto, fuit conuerſio illa aquæ in vinum.

Quando incæpit: Chriſtus miracula facere.

Debebatquè Chriſtus facere miracula ad confirmandam doctrinam quàm prædicabat, & ad conciliandam ſibi hominum fidem. Ita confirmat S. Thomas art. 1. Et eſt res clara: quia ad perſuadenda hominibus myſteria ſupernaturalia, aptiſſima media ſunt, opera miraculoſa & ſupernaturalia: cum enim hæc opera fieri non poſſint niſi diuina virtute, dum fiunt ad confirmandam veritatem eorum quæ dicuntur, habent vim diuini teſtimonij, quod eſt prorſus infallibile. Ideo Deus iam olim per manum Moyſi, & aliorum Prophetarum, tot miracula faciebat in veteri lege. Et in noua lege tantam poteſtatem contulit Apoſtolis, & alijs fidei Doctoribus ac Martyribus, faciendi miracula. Vnde Marci vltimo dixit Chriſtus Dominus: *Signa autem eos qui crediderint hac ſequentur, in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper agros manus imponent & benè habebunt*. Debebat ergo & ipſe Chriſtus facere miracula ad confirmandam ſuam doctrinam. Et ità quidem teſtimonium talium operum allegabat ad oſtendendam veritatem. Matth. 11., cum Ioannes miſiſſet duos ex diſcipulis ſuis, vt interrogarent Chriſtũ ſi ipſe erat Meſſias, ad hoc nempe vt ijdem diſcipuli confirmarentur in fide, quam Ioannes quidem ab vtero matris probè tenebat, ſic Chriſtus reſpondit: *Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis, Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur*. Et Ioan. 5. dixit item Chriſtus: *Vos miſiſtis ad Ioannem & teſtimonium perhibuit veritati, ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne, opera enim quæ dedit Pater vt perficiam ea, illa teſtimonium perhibent de me*. Et rurſus cap. 10., *Opera quæ*

Debebat Chriſtus miracula facere ad confirmationem ſuæ doctrinæ.

facio

Digitized by Google

omine Patris mei, hæc teſtimo-bibent de me.
ie poſſunt, abſolutè loquendo, ia fuiſſe miracula ad perſua- hominibus per externam præ- iem, Chriſti doctrinam, com- o etiam manifeſtationem rerum ırum, & adimplementum pro- ·um. Etenim abſque huiuſmo- s quæ ſola diuina virtute fieri nt, non potuiſſent hominibus deri tanquam à Deo reuelata, vt uina crederentur, ea quæ non- quam diuina reuelatione & teſti- ·ne innoteſcere poterant; Ideo et Chriſtus Ioann. 10. dixit, *Si ıcio opera Patris mei, nolite credere* . Et cap. 15. *Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non ·ent*. Dixi, per externam prædi- ›nem: quia alioqui dubium non- poſſe à Deo ſola interna illuſtratio- & reuelatione notificari cuilibet :quid Deus voluerit: Et ſic Ioan- Baptiſta in vtero matris cognouit riſtum: & poſtea illum de facie re- ,nouit, quando eum vidit acceden- n ad ſe & petentem baptiſmum, vt tanimus ſecū ſ.
Dixi etiam, computando manifeſta- ·nem rerum occultarum, & adim- ementum prophetiarum: Quia hæc iam ſunt opera diuina. Vnde Petrus piſt.2.cap.1. dixit, *Habemus firmiorem ophetiсum ſermonem, cui benè facitis ttendentes quaſi lucernæ lucenti in cali- ginoſo loco, non enim voluntate humana llata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines*. Sic autem Ioann. 1., cùm Chriſtus dixerat Nathaneli, *Cùm eſſet ſub ficu vidi te*, ille perſuaſus fuit ad cre- dendum, *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael*, & Chriſtus addidit, *Quia dixi tibi vidi te ſub ficu credis, maius his videbis*. Et cap. 4. cùm Chriſtus dixiſ- ſet mulieri Samaritanæ, *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir*, illa credidit, *Domine video quia Propheta es tu*, & induxit etiam alios ex conciuibus ad credendum, teſtificans de Chriſto, *Quia dixit mihi omnia quæ- cunque feci*. Ac deinde multo plures crediderunt ob ſermonem immediatū

ipſius Chriſti; vel quia alia ſimilia ope- ra fecit; vel quia manifeſtauit magis opera facta. Potuiſſent etiam aliqui ex doctioribus Iudæis credere in Chriſtum ex adimplemento veterum Propheta- rum de Chriſto, quas probè intelligere poterant ac debebant. Credere quoque debebant ex teſtimonio Ioan- nis Baptiſtæ: quia licet non ipſe face- ret noua miracula: tamen in eius nati- uitate mirabilia quædam acciderant, & inſigne illud miraculum de loquela reddita Zachariæ: vnde dictum erat Lucæ 2., *Super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & poſue- runt omnes qui audierunt in corde ſuo di- centes, Quis putas puer iſte erit*. Et in- terceſſit etiam prophetia ipſius Zacha- riæ in ſuo Cantico. Ac poſtea facta ſunt rurſus illa miracula & apparitio- nes in baptiſmo Chriſti, ex quibus Ioã- nes confirmabat ſuam teſtificationem de Chriſto. Propter quę omnia debe- bant Iudæi fidem adhibere Ioanni.

Erant item miracula Chriſti, non ſo- lùm vtcunque ſufficientia, ſed etiam admodum valida & vrgentia ad con- firmandam doctrinam eius, atque ad perſuadendum, quòd ipſe erat verus Meſſias in lege promiſſus, & verus Dei Filius, verus Deus. Ita ſtatuit S. Tho. art. 4., & eſt res apud omnes clara. Quamuis autem S. Thomas videatur ex triplici capite deducere, quòd Chri- ſti miracula fuerint ſufficientia ad ma- nifeſtandam eius diuinitatem: nempe ex ſpecie operum ita admirabilium: ex modo operandi tanquam ex propria poteſtate: & ex teſtificatione ipſius qua ſe Deum eſſe dicebat. Tamen hæc motiua non ſunt ſingillatim, ſed potiùs coniunctim accipienda: & concluſio totius diſcurſus fundatur ſpecialiter in teſtificatione ipſius Chriſti. Nam alio- qui alij etiam puri homines virtute di- uina quamplura miracula fecerunt: & Chriſtus ipſe Ioann. 14. dixit, *Qui cre- dit in me, opera quæ ego facio & ipſe fa- ciet, & maiora horum faciet*. Intantum ergo miracula Chriſti manifeſtabant diuinitatem ipſius Chriſti, inquantum Chriſtus teſtificabatur ſe eſſe Filium Dei, & in confirmationem ſuę doctrinę miracula faciebat. Vnde etiam mira-

Fuerunt Chriſti miracula ſufficientia & valida.

cu'a quę deinceps facta fuerat ab Apoſtolis & alijs Martyribus, confirmabant diuinitatem eiuſdem Chriſti, quoniam ab illis Sanctis fiebant pariter ad teſtificandum, quod ipſe Chriſtus erat Filius Dei, verus Deus.

Non efficiebant euidentiā rei, ſed euidentiā credibilitatis.

Omnia tamen hæc miracula non efficiebant euidentiam ipſius rei in ſe, non efficiebant talem euidentiam, vt homines diſſentiri non poſſent: ſiquidem experientia ipſa conſtat, non omnes crediddiſſe, non omnes acceptaſſe doctrinam Chriſti & Apoſtolorum, ſed remanebant adhuc homines in ſua libertate vt poſſent credere aut non credere, et requirebatur liber aſſenſus & pia affectio voluntatis ad credendū. Saltem verò miracula efficiebant euidentiam credibilitatis, ideſt qua homines prudenter & rationabiliter dijudicare poterant, eſſe reuera acceptanda & credenda quæ dicebantur de Chriſto, eſſe ſuſcipiendam fidem Chriſti. Vnde verè obligabantur credere, & grauiter delinquebant non credendo veritatem ſibi ſufficienter propoſitā, & talibus miraculis confirmatam. Aliqui etiam habuiſſe videntur euidentiā quæ dicitur in teſtificante, vt præſertim ipſi Apoſtoli, qui non ſolùm Chriſti miracula ſinceris oculis aſpiciebant, ſed ipſi etiam per inuocationem nominis Chriſti, & ad confirmandam euangelicam doctrinam miracula faciebant. Imo Dæmones ipſi per euidentiam ſignorum coacti tandem agnouerunt, Chriſtum eſſe Meſſiam & Filium Dei, vt admittit S. Tho. q. 44. art. 1. ad 2. & in quibuſdam locis Euangelij confeſſi sūt, Matth. 8, Marci 5., Lucæ 4. & 8. Ac maxime poſt eius mortem in deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos, & liberatione Sanctorum, eiuſque item reſurrectione, quamuis inuiti agnouerunt eius virtutem & diuinitatem. Vnde Apoſtolus ad Philippenſ. 2., de ipſis quoque Dæmonibus intellexit, *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Et expreſsè Iacobus cap. 2. *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Verùm hæc tota res generaliter ſpectat ad materiam de Fide, qualiter nempe fides ſit apud homines communiter obſcura & libera, qualiter in quibuſdam euidens in atteſtante, & in Dæmonibus coacta.

Varia Chriſti miracula ad quatuor capita reducuntur.

Iam vero præter hæc de miraculis Chriſti in genere, proſequitur S. Thomas quæſt. 44. de varijs miraculis in ſpecie. Eaque reducit ad quatuor capita. Nempe alia facta circa ſpirituales ſubſtantias, ſcilicet circa Angelos, præcipuè expellendo Dæmones ex obſeſſis. Alia facta circa cœleſtia corpora, præcipuè in obtenebratione tempore paſſionis. Alia facta circa homines, præſertim in curandis infirmis. Alia demum circa irrationales creaturas. Et omnium conuenientiam ſatis dilucidè & copioſe explorat ipſe S. Doctor in ſuis quatuor articulis. Addi vero diſtinctè poſſunt miracula facta circa ipſummet Chriſtum: quæ tamen vt plurimum occurrunt inter myſteria ipſa Chriſti, quæ cum S. Thoma percurrimus. Sed ſpecialiter occurrit Transfiguratio Chriſti, de qua S. Doctor peculiari quæſtione 45. conſequenti pertractat.

SECTIO DECIMA.

De Transfiguratione Chriſti.

SAtis quidem clarè Sacri Euangeliſtæ, præſertim Matthæus cap. 17., enarrant qualiter Chriſtus in magna gloria apparuerit tribus diſcipulis, tráſfiguratus in monte. Et S. Thomas hac quæſt. 45. art. 1. explicat conuenientiam huius transfigurationis: vt ſcilicet Chriſtus oſtenderet veſtigium quoddam futuræ gloriæ, vt ſuos diſcipulos confortaret ad fortiter tolerandas imminentes perſequutiones. Sed alias quoque conuenientiæ rationes circa hoc myſterium Sacri Doctores obſeruant.

In transfiguratione inſignis claritas fulſit in vultu Chriſti.

In hac ergo transfiguratione, non fuit quidem immutata effigies Chriſti, & illa quantitatis affectio quæ propriè dicitur figura: ſed eximia quædam lux & claritas in Chriſti facie fulſit. Ita aduertit ex Hieronymo D. Tho. art. 1. ad 2. Et hoc expreſſit Matthæus; *Reſplen-*

duit

ies eius ſicut Sol. Nec aliud vo-
cas dicens, *Facta eſt ſpecies vul-*
altera. Sed quia hæc claritas
bat ad externam apparentiam,
tur quodammodo ſub nomine fi-
ample ſumpto, & ideo dicitur
us transfiguratus, vt attingit D.
ad 2. Vnde non oportet dicere,
atem hanc fuiſſe in tota profun-
e, ſed ſatis eſt fuiſſe tantùm in
na ſuperficie: quia hoc ſufficie-
d illam apparentiam quę oſtende-
r Apoſtolis. Et ſic etiam neceſſe
eſt dicere, pariter fuiſſe in toto
ore Chriſti, ſicut erat in facie: ſi-
em reliquum corpus erat contec-
veſtibus, nec erat expoſitum viſui.
ad ſummum dici poterit fuiſſe in
nibus, aut etiam in pedibus ſi erant
ooperti. Et hoc ipſum poterat ef-
non per ſe primò, ſed ex ſplendore
us vultus irradiante in alias partes.
rez tamen hic diſp. 32. ſect. 1., &
trad tomo 2. Concord. lib. 10. cap.
. opinantur, totum Chriſti corpus,
am intra veſtes, fuiſſe eodem modo
r ſe illa claritate perfuſum, quamuis
n conſpiceretur. Sed certe non vi-
tur vt quid extendatur talis inno-
tio claritatis vbi nō conſpiciebatur.
t ita meliùs ſentit Abulenſ. in cap. 17.
atth. quæſt. 47., & Tolet. in cap. 9.
ucæ Annot. 58.

Fuitque illa claritas in vultu Chri-
ſti, eiuſdem rationis cum claritate
quæ erit in corporibus glorioſis: vt af-
firmat D. Tho. art. 2. Et ideo inquit
Abulenſ. in idem cap. Matth. q. 31.,
potuiſſe abſq; oculorum offenſione
conſpici à diſcipulis: quamuis alioqui
non poterat claritas olim in facie
Moyſis conſpici, vt teſtatur Apoſt. 2.
Cor. 3., *Ita vt non poſſent filij Iſrael intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius*. Et habetur ex textu Exo-
di 34., vbi Moyſes ponebat velamen
ſuper faciem ſuam, vt poſſet coram al-
loqui populum. Sed tamen dici po-
tiùs debet, confortatos fuiſſe virtute
diuina oculos diſcipulorum, vt intue-
ri poſſent ſplendidum vultum Chriſti:
quia alioqui, vel claritas gloriæ eſt
quoque eiuſdem rationis cum clarita-
te nobis nota, videlicet Solis: vel ſi ſit
alterius ac ſuperioris rationis, magis excedit infirmitatem mortalium oculorum, quàm ab ijs tolerari poſſit.

Diuerſo autem modo fuit in Chriſto, ac erit in corporibus glorioſis: quia in ſtatu gloriæ erit ſtabilis ac permanens, tunc autem in Chriſto fuit ſolùm per tranſitū. Et ita docet S. Thomas eod. art. 2. Qui propterea ait etiam, non debere pro illo tunc vocari dotem claritatis in corpore Chriſti: quia nomen dotis denotat formam permanentem. Sed præcipuè notat, claritatem illam tunc in corpore Chriſti debere dici miraculoſam, & factam eſſe per miraculum: quamuis alioqui claritas permanens in corporibus glorioſis, non dicatur miraculoſa. Sicut pariter, quòd Chriſtus aliquando ambulauerit ſuper aquas maris, & quòd egreſſus fuerit ex clauſo vtero Virginis, rectè dicitur miraculum: quamuis alioqui hæc operatio in corporibus glorioſis, per dotes agilitatis & ſubtilitatis, nòn dicantur miracula. Quia nimirum hæ dotes & effectus earum, ſunt ordinariæ & connaturales in ſtatu gloriæ: ſed dum Chriſtus in ſuo corpore non adhuc aſſumpſerat ſtatum gloriæ, ſed permanebat in ſtatu paſſibili & mortali, extraordinarium & miraculoſum fuit, quando ſemel claritate fulſit, & ſic in alijs dictis operibus.

Cauſa quoque effectiua illius claritatis in corpore Chriſti, fuit eadem quæ erit in corporibus glorioſis: de qua in generali diximus t. 2. q. 4 ſect. Nam ſi propriè dicatur eſſe ipſamet gloria animæ, iam ab initio Chriſti anima fuit glorioſa, vnde habebat virtutem deriuandi talem claritatem in corpus. Si autem dicatur eſſe immediate ſola virtus diuina, hæc operabatur in Chriſto, non tanquam extranea, ſicut in alijs puris hominibus; ſed tanquam intrinſeca & eſſentialis in illo ſuppoſito, vt notum eſt. Toletus autē in cap. 9. Lucæ Annot. 57., omnino vult, principium illius claritatis non fuiſſe gloriam animæ, ſed ſolam Deitatem. Hinc explicari debent Nazianz. Orat. 49., Damaſcen. Orat. de Transfigurat., & quidam alij Patres, qui ſignificabant, tunc fuiſſe de nouo exte-

Habuitq; eandem cauſam.

... o ex.
riùs erit.

riùs oſtenſam diſcipulis claritatem Chriſti, quæ alioqui ſemper interiùs illi inerat. Dicere enim tantùm voluerunt, quod ſemper erat in ipſo Chriſto cauſa & principium talis claritatis, ſed tunc de nouo factam eſſe externam illam claritatem in eius vultu, vt poſſet conſpici à diſcipulis.

Apparuit etiam inſignis candor in veſtibus Chriſti.

Præter ſplendorem vultus, ait Matthæus, *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*. De qua re Suarez hîc in comment. ar. 2. ait, hunc candorem veſtium Chriſti apud D. Tho. in ſolut. ad 3. non fuiſſe aliud quam claritatem & ſplendorem: & iuxta Caiet. redundantem ex eodem ſplendore corporis Chriſti. Verùm communicatus quidem fuit ſplendor etiam veſtibus Chriſti. Nam & Marcus ait, *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia*: & Lucas, *Factus eſt veſtitus eius refulgens*. Tamen præter fulgorem, fatendum eſt, eximiam quoque albedinem induceram fuiſſe tunc veſtibus Chriſti. Nam ſic dixit Matthæus, *Alba ſicut nix*: & diſtinctè Lucas ait, *Veſtibus eius albus & refulgens*: & Marcus, *Splendentia, & candida nimis velut nix, qualia Fullo non poteſt ſuper terram candida facere*. Atque ita ſtatuit Abulenſ. q. 45., & confirmat Barrad. loco ſupra citato, exponens candorem veſtium. Neque S. Thomas, exprimens claritatem veſtium negauit albedinem. Addit Abulenſ. quæſt. 46., veſtes Chriſti fuiſſe albi coloris, & tunc in transfiguratione fuiſſe mirifice acutum hunc candorem; vel ſi dicuntur fuiſſe alterius coloris, pro tunc fuiſſe ablatum, dum impreſſus fuit color candidus: ſed poſt transfigurationem redditum fuiſſe priſtinum colorem in gradu quo antea erat. Et quæſt. 48. concludit, non omnes Chriſti veſtes, ſed tantùm illas quæ exteriùs cernebantur, fuiſſe ſic illuſtratas & albefactas; quia hoc totum factum fuit, vt exhiberetur diſcipulis illa viſio.

Et lucida nubes circa Chriſtũ, ex qua vox Patris inſonuit.

Facta eſt quoque nubes lucida circa illos. Et admitti poteſt quod Caiet. ait, illuſtratam fuiſſe nubem ex eodem ſplendore vultus Chriſti; Atque S. Thomas art. 2. ad 3., claritatem quæ facta tunc fuit in corpore Chriſti, repreſentaſſe futuram gloriam corporis eius, & claritatem veſtium repreſentaſſe futuram gloriam aliorum Sanctorum, claritatem verò nubis repreſentaſſe claritatem mundi innouati in quo Sancti habitabunt. Ex nube quoque audita eſt vox Patris dicentis, *Hic eſt Filius meus dilectus*: de qua voce eodem modo ſentiendum eſt, quo explicauimus antea circa Chriſti baptiſmũ. Et S. Tho. hic art. 4. aſſignat cõuenientiã quare in baptiſmo & transfiguratione inſonuerit hæc vox: quia nempe in baptiſmo ſignificabatur gratia, & in transfiguratione gloria; qua vtraque homines fiunt filij adoptiui Dei, per conformitatem ad Chriſtum filium naturalem.

Et Moyſes & Elias loquentes cum Chriſto.

Apparuerunt demum ſimul cum Chriſto Moyſes & Elias. Quos quidem Petrus & ſocij probe agnouerunt, vel interna illuſtratione, vel ex ipſa externa loquutione, qua de ſe ipſis aliquid proferebant, aut etiam ab ipſo Chriſto proprijs quoque nominibus in eo colloquio appellabantur, vt notauit Abulenſ. q. 56. Et S. Thomas art. 3. reddit conuenientiæ rationem, vt Chriſtus ſuæ transfigurationis teſtes adhibuerit, non tantum ex Diſcipulis qui poſt eum ſequebantur, ſed etiam ex Prophetis qui eum præceſſerunt: præcipue vt ſignificaret, non ſolùm ex futuris, ſed etiam ex præteritis, adducendos fuiſſe homines ad gloriam per Chriſtum. Et in ſolut. ad. 3. adducit ex Chryſoſt. plures rationes, vt inter tot veteres Prophetas, illos duos ſignanter elegerit: tum quia illi erant principes Prophetarum: tum quia Moyſes legem dederat, Elias pro gloria Domini æmulator fuerat: tum vt oſtenderet ſe Chriſtus dominum vitæ & mortis, iudicem viuorum & mortuorum: tum quia Moyſes expoſuerat ſe periculo mortis coram Pharaone, Elias coram Achab: tum quia volebat, vt diſcipuli immitarentur manſuetudinẽ Moyſis & zelum Eliæ: tum demum ex Hilario, vt oſtenderet Chriſtus ſe fuiſſe annunciatum per legem quam dedit Moyſes, & per Prophetas inter quos præcipuus fuit Elias.

Refert verò S. Thomas in 2. argumẽto;

Elias quæ…

-andam Gloſam ſuper Lucæ 9. , non verè & realiter ibi inter- Moyſem & Eliam, ſed tantù ... renter fuiſſe formata quædam ... ora illos repræſentantia, quod lem facilè fieri poterat per miniſte- n Angelorum. Ipſe autem in ſo- .. eum dicendi modum ex Hierony- o reprobat. Et de Elia quidem do- :t, adductum fuiſſe in proprio corpo- : nempe ſupponens, quod verum ... ſt, Eliam conſeruatum fuiſſe in vita ... ex quo viuens translatus fuit: & ſic de illo nulla eſt difficultas. De Moyſe autem ait, animam Moyſis appariuiſſe in corpore aliquo aſſumpto, ſicut apparent Angeli; non quòd tunc reſumpſerit ſuum corpus, ſicut fuit in reſurrectione. Et ita ſupponit Auguſt lib. de Cura pro mort. c. 15. Ideòque ſentiunt Lyran. in cap. 12. Matth., Abulenſ q. 54. & 55. Et nos ſupponimus, poſſe animam ſeparatam aſſumere corpus aereum, in eoq; apparere, operando ex ſua intrinſeca naturali virtute, ſicut p... nt Angeli: vt diximus in Philoſoph. q. 59 ſect. 2. At aliqui Patres ex hoc loco ſumpſerunt occaſionem dicendi, Moyſem quoque non fuiſſe mortuum ſed fuiſſe conſeruatum viuum ſicut Elias: ita eum indicarunt Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel cap. 2., Gregor. Niſſen. lib. de Vita Moyſis, & Hilar. Can. 20 in Matth. Sed tamen adeo clare in lib. Deuteron. cap. 32. & 34. narratur de morte Moyſis, vt nulla de hoc dubitatio relinquatur: & ita communiter Sacri Doctores ſupponunt. Alij ergo ſunt qui aſſerunt, verè Moyſem tunc in proprio corpore reſurrexiſſe, & in eum montem ſimul cum Elia adductum fuiſſe. Ita indicant Hieron. in cap. 17. Matth., Auguſt. aliuſuè Auctor lib. de Mirabilib. S. Script. cap. 10., Damaſc. Orat. de Transfiguratione. Et approbant Barrad. cap. cit. Concord., Maldon. in cap. 17. Matthæi, Tolet. in cap. 9. Lucæ Annot. 61.. Sotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. art. 1. ad 2., & Suarez hic diſp. 32. ſect. 2. Hoc tamen non eſt neceſſarium: quia primus modus per aſſumptionem corporis aerei, ſufficit ad verificanda verba Scripturę de apparitione Moyſis. Et rurſus oporteret dicere, Moyſem poſt transfigurationem demum mortuum fuiſſe: quia nullus ante Chriſtum reſurrexit ad vitam immortalem, cùm Chriſtus ſit primogenitus mortuorum reſurgentium. Cœterùm explicat Lucas, quod Moyſes & Elias colloquentes cum Chriſto, *Dicebant exceſſum eius quem completurus erat in Ieruſalem*: hoc eſt eius paſſionem, vt omnes exponunt. Quæ vel vocatur exceſſus ob exceſſiuam charitatem, vt exponit Lyranus: vel ſimpliciter tanquam exitus ex hoc mundo. De qua etiam paſſione ſupereſt: vt & nos ſequenti tractatione loquamur.

QVÆSTIO QVADRAGESIMASEXTA
Et ſequentes vſque ad quinquageſimam ſecundam.
De Myſterijs Paſſionis Chriſti.

IAM per has ſeptem quæſtiones, S. Thomas, iuxta præmiſſam diuiſionem de Christi Myſterijs, tractare aggreditur de ijs quæ ſpectant ad exitum eius ex hoc mundo, diſtinguens paſſionem, & mortem, & ſepulturam, & deſcenſum ad inferos. Nos mag... amplè & adæquate ſumimus nomen paſſionis, iuxta communem intelligentiam, vt hæc omnia complectatur. Quæſtione ergo 6. ... ... S. Thomas de ipſa Chriſti paſſione, fuiſſe neceſſariam ad liberationem generis humani; & ſuppoſita diuina ordinatione non fuiſſe poſſibilem alium libera-

berationis modum: nec ſimpliciter fuiſſe alium modum conuenientiorem: ſed conuenientiſſimum fuiſſe vt Chriſtus pateretur in cruce: & paſſum fuiſſe omnia genera paſſionum: & dolorem Chriſti fuiſſe maximum inter dolores huius vitę: & Chriſtum paſſum fuiſſe ſecundum totam animam, ideſt ſecundùm omnes potentias: nunquam tamen caruiſſe fruitione beata: fuiſſe quoque conuenienti tempore paſſum: & conuenienti loco: & conuenienter voluiſſe cum latronibus crucifigi: paſſumque fuiſſe tantùm ſecundùm humanam, non ſecundùm diuinam naturã. Quæſtione 47., de Cauſa efficiente paſſionis Chriſti, docet, Chriſtum quidẽ ipſum voluiſſe pati, ſed fuiſſe ab alijs occiſum: & ex obedientia voluiſſe pati: & ita traditum paſſioni fuiſſe à Deo Patre: inter homines autem conueniens fuiſſe, vt Chriſtus a Iudæis pati inciperet & traderetur, ac per manus Gentilium eius paſſio finiretur: ac eius perſecutores non cognouiſſe ipſius diuinitatem: attamen eorum peccatum, præſertim principalium Iudęorum, fuiſſe grauiſſimum. Quæſtione 48., de Modo quo paſſio Chriſti operata eſt ſuum effectum, docet, operatam fuiſſe per modum meriti: & per modum ſatisfactionis: & tanquam verum ſacrificium: & tanquam noſtræ redemptionis pretium: ita vt ſolus Chriſtus ſit noſter redemptor: & per modum tandem inſtrumentalis efficientiæ. Quæſtione 49, de effectibus ipſis paſſionis Chriſti, docet, per paſſionem Chriſti nos eſſe liberatos à peccato: & à poteſtate Diaboli: & à pœna peccati: eſſequè reconciliatos Deo: nobiſquè apertam ianuam cæli: & ipſum etiam fuiſſe exaltatum. Quæſtione 50., de Chriſti morte, docet, conueniens fuiſſe Chriſtum mori: in morte tamen non fuiſſe ſeparatam eius diuinitatem à carne: nec ab anima: ſed in triduo mortis ob ſeparationem animæ à carne non fuiſſe hominem: fuiſſe autem idem corpus Chriſti viuentis & mortui: & mortem Chriſti fuiſſe cauſam noſtrę ſalutis. Quæſtione 51., de Chriſti ſepultura, docet, conueniens fuiſſe Chriſti corpus ſepeliri: & conuenienti modo fuiſſe ſepultum: nec fuiſſe corpus eius reſolutum in cineres: ſed manſiſſe in ſepulchro vna die & duabus noctibus. Quæſtione 52., de Chriſti deſcenſu ad inferos, docet, conueniens fuiſſe animam Chriſti ad inferos deſcendere: non tamen perueniſſe ad infernum Damnatorum: diciquè debere totum Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, ſicut & totum fuiſſe in ſepulchro, ſcilicet ratione perſonæ: & per idem tempus fuiſſe quoad animam apud inferos, ac quoad corpus in ſepulchro: & ex inferis omnes ſanctos liberaſſe: nullum autem damnatum ab inferno: nec pueros qui cum ſolo originali deceſſerant: nec à purgatorio illos qui adhuc aliquo reatu detinebantur.

SECTIO PRIMA.

De Conuenientia & Neceſſitate & Acerbitate Paſſionis Chriſti.

Fuit conueniens & neceſſaria paſſio Chriſti ex ordinatione Dei.

QVām conueniens & qualiter neceſſaria fuerit ſatisfactio Chriſti, ideſt Dei incarnati, ad redemptionem generis humani, ad recompenſationem diuinæ offenſæ; iam vidimus antea pro ipſo Incarnationis myſterio, quæſt. prima & decimanona. An verò vt Chriſtus ita ſatisfaceret, neceſſe erat ipſum pati, vel potuiſſet per quæuis opera meritoria ſatisfacere abſque paſſione: ex ibidem dictis habetur, non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam paſſionem, ſed potuiſſe ſufficere, etiam ſub quocunque rigore iuſtitiæ, quodcumque opus & meritum Chriſti: dum nempe quælibet operatio Chriſti erat infiniti valoris, adæquans & ſuperexcedens grauitatem omnium peccatorum. Ex ſuppoſitione tamen diuinæ ordinationis, erat neceſſaria ipſa paſſio Chriſti ad eam ſatisfactionem: quia nimirum ſic Deus definierat, vt Chriſtus patiendo, & moriendo redimeret genus humanum. Et hoc intendit S. Thomas hæc quæſt. 46. art. 1., vbi quamuis tres rationes reddat cur paſſio Chriſti fuerit neceſſaria, deſumptas ſcilicet ex liberatione noſtra, ex exaltatione ipſius Chriſti, & ex ordinatione Dei: tamen priores

duæ

Digitized by Google

ones reſeruntur ad tertiam;
eratio noſtra, & exaltatio
ſtatuta & ordinata erat a Deo
dium paſſionis. Et ſimiliter art.
ex infallibilitate & efficacia
præſcientię & præordinationis.
non fuiſſe poſſibilem alium mo-
oſtræ liberationis, quam per
em Chriſti, licet ſimpliciter &
e fuiſſet poſſibilis.

autem conuenientiſſima talis
tio Dei, vt Chriſtus per paſſio-
& non per alia quæcunque ope-
sfaceret. Hic enim modus erat
æ proportionatus ad rationem
ctionis, & ad vindicandam di-
n iniuriam. Et hoc alijs etiam
ibus confirmat D. Thomas art 3.
ad hoc vt homo magis cognoſcat
tum diligatur à Deo, & ſic pro-
tur ad eum redamandum. *Com-
at enim charitatem ſuam Deus in
, quoniam cùm inimici eſſemus Chri-
pro nobis mortuus eſt*, ad Rom. 5.
ibi ſæpe in ſacris litteris, & paſ-
à Sanctis Patribus, conſideratur
exceſſus diuinæ dilectionis erga
, oſtenſus in paſſione Chriſti. Tum
m, vt Chriſtus præberet nobis
mplum, obedientiæ, humilitatis,
tiæ, & cæterarum virtutum, quas
ua paſſione exercuit *Chriſtus paſſus
pro nobis, vobis relinquens exemplum,
ſequamini veſtigia eius*, 1. Petri 2.
m quoque, vt homini induceretur
ior neceſſitas & maius incentiuum
ſtinendi a peccatis, dum cogitat ſe
nguine Chriſti redemptum. *Empti
im eſtis pretio magno, glorificate & por-
te Deum in corpore veſtro*, 1. Cor. 6.
um demum, vt ſicut homo a Diabolo
ictus mortem incurrit, ita per mortē
hriſti Diabolus vinceretur. *Sic dedit
obis Deus victoriam per Ieſum Chriſtum
Dominum noſtrum*, 1. Cor. 15 Et in lo-
ut. ad 2. addit rationem, quare con-
uenientius fuerit, Chriſtum pati mor-
tem ab alijs illatam, quam propria
morte reſolui abſque externa paſſione:
quia, vt Chryſoſt. notauit, Chriſtus nō
venerat propriam ſed aliorum mortem
conſumptum.

Fuit item conuenientiſſimus talis
modus paſſionis & mortis, quem Deus
elegit, & Chriſtus aſſumpſit, ſcilicet per crucem. Quod quidem ſeptem rationibus, ex Script. & Patribus depromptis, demonſtrat S. Thomas art 4. Primo, quia hoc genus mortis erat execrabilius & formidabilius: & ita homines diſcerent quodcunque genus tormenti & opprobrij non timere. Secundo, quia Adamus in ligno deliquerat: & ſic Chriſtus in ligno ſatiſfaceret. Tertio, quia in cruce exaltatus moriebatur in aere: & ſic Chriſtus ſanctificaret & aerem, ſicut ſuo ſanguine & greſſibus terram. Quarto, quia in alto moriens, nobis aſcenſum parabat ad cœlum. Quinto, vt ſic ſe oſtenderet vniuerſalē Saluatorē totius mūdi. quia figura crucis in 4. extrema partitur. & expanſæ manus ad vtrumq; populum extenduntur. Sexto, quia eius latitudo bona opera ſignat, longitudo perſeuerantiam, altitudo ſpem, & profunditas profunditatem gratuitæ gratiæ. Septimo demum, quia hoc genus paſſionis & mortis, plurimis figuris veteribus reſpondebat: nam lignea arca hominem ex diluuio reſeruauit: lignea virga mare diuiſit, Pharaonem proſtrauit, & populum eduxit: lignum olim dulcem aquam reddidit: lignea virga aquam de petra produxit: circa virgam Moyſes ſuas manus extendeus, Iſraeli contra Amalec victoriam contulit: in lignea arca Dei lex cuſtodiebatur. Et aliæ huiuſmodi figuræ, pluresque etiam conuenientiæ rationes, in laudem Sanctæ Crucis, a Sacris Doctoribus obſeruantur.

ſimus modus paſſionis per crucem.

Deinde fuit ſanè paſſio Chriſti acerbiſſima, tum extenſiuè, tùm intenſiuè. Quod vt melius innoteſcat, per plures partes explicandum eſt. Cùm Chriſtus conſtaret ex duplici natura in vna perſona, non fuit quidem paſſus in diuina natura, ſed tantùm in humana. Ita confirmat S. Thomas art. 12. quæſtionis 46. Et eſt res clara; ſatiſque patet ex ratione diuinæ naturæ in prima Theologiæ parte explicata, & ex ratione Incarnationis hac tertia parte antea pertractata. In humana autem natura paſſus fuit, tum ſecundùm corpus, tùm ſecundùm animam. Secundum corpus quidem di-
cetur

Paſſus fuit Chriſtus, non in Diuinitate, ſed in corpore & in anima.

Digitized by Google

cetur paſſus omnia illa quæ externos ſenſus affligunt: non quidem quaſi corpus, vt ſeiunctum ab anima per externos ſenſus quicquam patiatur: ſed quia patitur per actiones quæ per ſe circa corpus exercentur. Et ad hoc genus ſpectant omnia tormenta quæ Chriſto a perſecutoribus illata fuere. Secundùm animam verò dicetur paſſus omnia illa quæ potentias internas affligũt. Et ad hoc genus pertinet angonia, timor & mœror, quæ paſſus fuit in horto, & huiuſmodi affectus quos toto paſſionis decurſu conſiderare poſſumus in Chriſti anima inſediſſe. Et ſic dixit ipſe Chriſtus Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: ideſt hanc triſtitiam ſuſtinebo vſque dum moriar. Et ſic etiam in præcedenti tempore vitæ conſiderare adhuc poſſumus, Chriſtum ſemper aut valde frequenter huiuſmodi internas moleſtias in ſe admiſiſſe, vt indicauit quando dixit Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.*

Paſſus fuit in eſſentia animæ.

Quærit autem S. Thomas art. 7. num tota Chriſti anima paſſa fuerit: & diſtinguit eſſentiam ac potentias eius, & quantum ad eſſentiam docet, totam animam paſſam eſſe. Hoc aliqui intellexerunt, quaſi immediatè in ſua eſſentia vt diſtincta à potentijs paſſa fuerit. Et hoc impugnant, quia nullus animæ affectus aut actus conuenit animæ immediatè ſecundùm eſſentiam, ſed omnes conueniunt mediantibus potentijs. Sed res ita intelligenda eſt: quod anima Chriſti nullum quidem affectum, aut actum vitalem patiendi habuerit immediatè in ſua eſſentia: tamen benè dici poterit penes ſuam eſſentiam paſſa ſeparationem a corpore, & diſſolutionem vnionis cum corpore: hæc enim vnio ſpectat immediate ad ſubſtantiam animæ, & ſic conſequenter eius diſſolutio. S. Thomas verò præcipuè voluit, animam ſecundùm totam ſuam eſſentiam paſſam fuiſſe: quia eſt in ſubſtantia indiuiſibilis extenſiuè, non habens partes coextenſas corpori, ſed exiſtens tota in toto & tota in qualibet parte: & ſic omnis paſſio qualitercunque ſpectaret ad animam, etiam ſcilicet mediantibus potentijs, dicetur ſpectaſſe ad totam eſſentiam & ſubſtantiam animæ.

Paſſus fuit in omnibus potentijs animæ.

Quantum ad potentias docet vlteriùs S. Thomas, non omnes quidem paſſus fuiſſe per proprios actus, & circa proprium obiectum: ſed ſolas vires inferiores hoc modo paſſas fuiſſe, quæ videlicet circa temporalia vertantur: ſuperiorem vero portionem animæ non fuiſſe paſsã ex parte ſui obiecti, ſcilicet Dei, qui non erat ei cauſa doloris, ſed potiùs delectationis & gaudij. At ex parte ſubiecti ait omnes paſſas fuiſſe, inquãtum omnes potentiæ radicantur in vna eademque animæ eſſentia, ad quam peruenit paſſio. Sed certum quidem eſſe debet, tàm potentias rationales, quàm ſenſitiuas animæ, per ſe & proprijs actibus ac circa ſuum obiectum participaſſe ſuam paſſionem. Ita enim ſtatuimus antea de ipſo Chriſto q. 12 & 15., habuiſſe triſtitiam & dolorem, tàm in voluntate, quàm in appetitu ſenſitiuo: per hos enim actus & affectus patiuntur potentiæ appetitiuæ. Et hinc pariter ſit, in potentijs cognoſcitiuis, tàm in intellectu, quàm in ſenſu interno, adfuiſſe talem cogitationem & repreſentationem obiecti, quæ apta eſſet excitare talem triſtitiam & dolorem: per quem cogitationis actum dici poſſunt ſuo modo pati hæ potentiæ. Sed adhuc in ipſa parte rationali animæ, & in ipſa voluntate, diſtinguitur portio ſuperior & inferior. Et ſub hac diſtinctione intelligit S. Thomas, portionem ſuperiorem non fuiſſe paſſam, ſed benè portionem inferiorem eiuſdem voluntatis. Verùm, quomodo poſſit varijs modis explicari & accipi hæc diſtinctio portionis ſuperioris & inferioris, & ſub quadam acceptione verè etiam in portione ſuperiori fuerit dolor & triſtitia, atque adeo proprius patiendi actus, ſatis diximus ibi de voluntate Chriſti q. 12. ſect. 2. Sed non per hoc impediebatur perfecta fruitio Dei, quæ ſemper ab initio & indeſinenter fuit in portione ſuperiori animæ Chriſti. Ita ſtatuit S. Thomas hîc art. 8. Vnde non rectè Canus lib. 12. de Locis cap. 14. dixit, ſuſpenſum fuiſſe gaudium beatificum in voluntate Chriſti, vt poſſet pati triſtitiam.

Digitized by Google

ſtitiam. Sed ibidem diximus, diuina potiùs diſpenſatione factum fuiſſe, vt ſimul cum ſummo gaudio de Deo in ſe & claré viſo, conſiſteret vehemens dolor & triſtitia de offenſis Dei, de perditione hominum, & de tormentis inflictis ipſi Chriſto.

Omnia genera ſuſtinuit paſſionum.

Rurſus, ex parte ipſarum paſſionum quas Chriſtus Dominus tolerauit, docet & explicat optimé S. Thomas ar. 5. qualiter Chriſtus ſuſtinuerit omnes humanas paſſiones. Non quidem omnes in ſpecie: quia potiùs aliquæ ſunt ita contrariæ, vt non poſſint eidem ſubiecto inferri, vt pote combuſtio in igne & ſubmerſio in aqua. Et plurimas alias paſſiones in ſpecie Chriſtus non ſuſcepit: non enim paſſus fuit confractationem oſſium, abſciſionem membrorum, torturam equulei, & alia innumera tormenta quæ poſtea illata ſunt ſanctis Martyribus, & per humanam ſæuitiam excogitata ſunt, & excogitari poſſunt. Item non ſuſcepit vllas ęgritudines corporales, quæ ex intrinſeca corporis immutatione vel naturalium cauſarum in vxu proueniunt. Sed ſuſtinuit Chriſtus aliquo pacto in genere omnes paſſiones quæ violenter ab alijs hominibus poterant inferri. Quod pluribus modis explicat S. Thomas. Ex parte perſonarum à quibus Chriſtus fuit afflictus: paſſus enim eſt à Iudæis & Gentilibus, a viris & à feminis, a principibus & miniſtris, ab inimicis, alienis, & notis. Ex parte bonorum in quibus poteſt homo pati: Chriſtus enim fuit deſtitutus amicis, fuit læſus in fama, in honore & gloria, ſpoliatus in veſtibus, fuit contriſtatus in anima, vulneratus & percuſſus in corpore. Ex parte membrorum corporis: fuit confixus ſpinis in capite, clauis in manibus & pedibus, percuſſus alapis & ſputis in facie, grauatus cruce & contuſus flagellis in toto corpore. Ex parte omnium ſenſuum corporis: fuit enim in tactu dolore cruciatus, in guſtu amaritudine fellis & aceti vexatus, in olfactu fœtore loci offenſus, in auditu blaſphemijs & irriſionibus laceſſitus, in viſu aſpectu perſecutorum territus, & aſpectu matris ac diſcipuli dilecti compunctus. His ergo omnibus modis explicatur, quantum acerbitas paſſionis Chriſti excederetur. Neque S. Thomas curauit diſtinctè excurrere per ſingulas partes & afflictiones paſſionis Chriſti: ſupponens potiùs ad Euangelicam hiſtoriam & ad ſacros Expoſitores pertinere.

Acerbior fuit paſſio Chriſti omni dolore aliorũ hominum.

Interaſſue autem, fuiſſe quoque dolorem Chriſti acerbiſſimum, & comparatiuè loquendo acerbiorem omni alio dolore quem alij homines in hac vita vnquam patiuntur, docet S. Thomas art. 6., & alij Doctores piè meditantur. Et ad hunc ſenſum accomodari ſolent illa verba Ieremiæ Thren. 1, *Attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Et ex pluribus capitibus id ſuadet & explicat S. Thomas. Tum de dolore corporali & externo: quia ipſa læſio corporalis dolorem inferens, fuit acerbiſſima, vtpote confixio in cruce: & quia complexio corporis Chriſti erat perfectiſſima, vnde reddebat in eo ſenſum tactus viuaciſſimum ad maximè percipiendum dolorem. Tum de dolore naturali interno, quo Chriſtus contriſtabatur de ipſis tormentis quæ patiebatur: quia habebat excellentiſſimam apprehenſionem & conſiderationé eorum, & ponderabat infinitam dignitatem ſuæ perſonæ, atque adeo indignitatem necis, & totius iniuriæ quæ ſibi inferebatur. Et ſi hæc triſtitia tanta fuit in horto, quando dixit, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, ita vt in ſudorem ſanguineum eruperit; creuit etiam magis ac magis in ipſa actuali & præſenti perpleſſione tormentorum. Tum etiam de dolore ſpirituali interno, quo Chriſtus contriſtabatur de omnium peccatis, non ſolùm ob offenſionem Dei quem ardentiſſimè diligebat & colebat, ſed etiam ob perditionem hominum, quos pariter exceſſiua charitate proſequebatur. Et ſane hic præcipuè dolor, erat longè acerbior in Chriſto, quam vnquam in vllo alio homine: quia Chriſtus velut incomparabiliter plus attendebat & æſtimabat grauitatem & multitudinem ſimul peccatorum totius mundi, & plus charitate & pietate feruebat, ex qua ad hunc dolorem excitabatur. Et, vt dicebamus, faciebat Chriſtus, ne

hic dolor minueretur aut leniretur ex gaudio beatifico, quod ſimul habebat, & quod ex vi ſua debuiſſet omnẽ dolorem impedire. Faciebat etiam Chriſtus, vt ex gaudio portionis ſuperioris, nihil ſolatij & conſolationis redundaret in vires inferiores. Et ſic S. Thom. inter alias rationes ponderat magnitudinem doloris Chriſti, ex eius doloris puritate, & carentia conſolationis.

Non autẽ etiam Damnatorũ.

Addunt demum aliqui, dolorem Chriſti fuiſſe etiam acerbiorem in intenſione dolore inferni quem damnati patiuntur. Imò quidam Recentiores Hæretici, Caluinus, Brentius, Melãcton, & alij apud Bellarmin. lib. 4. de Chriſto cap 8., non dubitarunt affirmare, Chriſtum paſſum fuiſſe pœnam ipſam inferni ſeu participationem quandam eius, cum illo angore animi, & deſperatione aut dubitatione propriæ ſalutis, ſicut torquentur Damnati. Et fundamentum eſſe poteſt; quia vt Chriſtus ſatisfaceret ad æqualitatem, debebat noſtram pœnam in ſe transferre & aſſumere; hoc eſt maiorem vel eandem pœnam ſubire, quàm nos merebamur; ſcilicet pœnam inferni. Et hoc indicaſſe videtur Iſaias quando dixit cap. 53., *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Vnde S. Thomas eodem art. 6. in fine corporis, & in ſolut. ad 6. ait, voluiſſe Chriſtum tàm acerbam paſſionem ſubire, quæ eſſet proportionata magnitudini fructus, & quæ non ſolùm ex virtute diuinitatis, ſed etiam ſecundùm humanam naturam ſufficeret ad tantam ſatiſfactionem.

Attamen, impium certè eſſet dicere, Chriſtum participaſſe pœnam ipſam inferni. Non enim ſubijt pœnam damni, nec illam pœnam ſenſus quæ ab igne inferni infertur, nec illud genus triſtitiæ & angoris quo Damnati torquentur. Siquidem Chriſtus ſemper actu permanſit in eadem beatitudine animæ, quam ab initio habuit & nunc habet, ſemper in actuali exercitio viſionis & fruitionis Dei. Superfluum autem erit dicere, dolorem Chriſti fuiſſe in intenſione acerbiorem infernali dolore. Et ita S. Thomas in ſolut. ad 3. ait: *Cùm dicimus dolorem Chriſti eſſe maximum, non comparamus* cum dolore *animæ ſeparatæ.* Et ſic etiam de dolore corporis, non oportet dicere acerbiorem fuiſſe dolorem Chriſti, quàm fuerit cruciatus corporeus Damnatorum. Ad fundamentum verò illud, ſatis patet ex antea dictis, quia quæcunque Chriſti actum fuiſſe infiniti & ſuperexcedentis valoris ad ſatisfaciendũ pro omnibus peccatis eorumque pœna. Neque ad ſufficientiam huius ſatisfactionis requirebatur realis æqualitas aut exceſſus pœnæ; quia ſic debuiſſet pœna eſſe etiã æterna, & æquiualens omnibus pœnis omnium damnatorum collectiue. Rectè autem dicitur Chriſtus tuliſſe noſtras pœnas, ſicut & noſtras culpas: quia abunde pro illis ſatisfecit: & ſua paſſio fuit tanti valoris, vt delere poſſet omnes omnium culpas & pœnas. Et S. Thomas ſolùm voluit, quod Chriſtus ex congruitate quadam, & ob rationes ſupra adductas, voluit tam acerbam paſſionem ſubire, quæ eſſet acerbitate etiam ipſa quodammodo proportionata, & quæ non ſolùm ex diuinitate haberet valorem, ſed etiam ex acerbitate haberet proportionem quandam ad talem ſatiſfactionem. Ad quod non erat exigenda acerbitas excedens vel adæquãs cruciatum inferni, ſed prorſus ſufficit acerbitas dicta.

SECTIO SECVNDA.

De Loco quo paſſus eſt Chriſtus.

Paſſus fuit Dominus in Prouincia Iudææ, in Vrbe celeberrima, eius regionis Metropoli, Ieruſalem. Vndè de ſe ipſo dixerat Lucæ 13., *Non capit Prophetam perire extra Ieruſalem.* Et cap. 18. ſponte illuc perrexit, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis, &c.* Huius rei plures conuenientiæ rationes reddit S. Thomas q. 46. art 10. ad 1. Et quidem phyſica, vt ita dicam, ratio fuit: quia Chriſtus erat ortus ex Iudæis, conuixerat & prædicauerat apud Iudæos, & in Ieruſalem erant Magiſtratus, Princi-

Quare Chriſtus pati voluerit in vrbe Ieruſalem.

pes,

Digitized by Google

tifices Iudæorum, qui eum [illegible] derunt. Moralis autem ra[illegible] ia maxime conueniebat in [illegible] vrbe perfici ſacrificium [illegible] ſti, in qua peracta erant [illegible] cia præfigurantia Chriſti. Quamquam hæc ratio ſu[illegible] a poſteriori: quia è con[illegible] ideo inſtituerat Deus in [illegible] illa ſacrificia, quia deter[illegible] in illo loco pateretur [illegible] Chriſtus. Alia ratio communiter red[illegible] ditur: Quia prouincia Iudææ & vrbs Ieruſalem, ſita erat in medio terræ: & ita denotabatur, virtutem paſſionis Chriſti diffundendam in circuitu per totum Orbem. Et ſic adimpletum eſt illud Pſalmi 73. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Sed quoniam totus Orbis eſt vnus globus, & in globo quælibet pars poteſt dici media reſpectu totius circuitus: ideo vt aliquid peculiare intelligatur, debet intelligi, Iudæam & Ieruſalem fuiſſe ſitam velut in medio terræ habitatæ & notæ, iuxta vulgatã orbis diuiſionem in tres illas partes. Reuera enim Iudæa ſita erat velut in confinio Aſiæ Aphricæ & Europæ, habens ab Oriente Aſiam in qua & ipſa includebatur, ab Occidente & Meridie Aphricam, ab Aquilone Europam: vnde, vt D. Tho. refert, dicebatur eſſe vmbilicus terræ. Alia demum ratio, cur in terra Iudæam Chriſtus voluerit pati in Ieruſalem, cùm natus eſſet in Bethlehem, & habitaſſet in Nazareth, fuit ad exercitium maioris humilitatis, ad ſubeundam maiorem ignominiam, & conſequenter ad maiorem celebritatem ſuæ paſſionis, & gloriam reſurrectionis.

Quare extra portã.

Paſſus autem fuit Chriſtus, non intra mœnia vrbis, ſed extra portam, vt atteſtatur Apoſtolus ad Hebr. 13. *Vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Iuxta veteres figuras in ſolemniſſima oblatione vituli & hirci pro peccato, de quibus ait Apoſtolus, *Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta, horum corpora cremantur extra caſtra.* Et ratio phyſica huius rei dici poteſt: quia in more & lege Iudæorum poſitum erat, vt [illegible] ſupplicia exercerent extra caſtra & vrbes [illegible]. Ratio autem moralis, vt daretur nobis exemplum exeundi ex humana conuerſatione: & præcipue vt denotaretur, fructum paſſionis Chriſti deriuandum, non in ſolos Iudæos, ſed multo magis diffundendum ad extraneos, ſcilicet Gentiles: vt aſſert S. Thomas in ſolut. ad 2.

In monte Caluariæ.

Paſſus demum fuit Chriſtus in loco qui dicebatur hebraice Golgotha, latine Caluariæ, & erat locus quidã mons ſeu collis, proximus ciuitati. De quo plerique Patres docuerunt, in eo ſepultum fuiſſe Adamum caput generis humani, & inde dictum fuiſſe Montem Caluariæ, ideſt capitis: & ideo Chriſtũ eum locum pro ſua morte elegiſſe, vt in Adamo totum genus humanum ſuo ſanguine veluti perfunderet. Ita affirmant Origenes tract. 35. in Matth., Tertullian. lib. 2. Carminum cap. 4., Epiphan. Hæreſi 46. Athanaſ. ſerm. de Paſſione & cruce Domini, Baſil. in cap. 5. Iſaiæ, Chryſoſt. homil. 84. in Ioann., Theophilact. in cap. 19. Ioann., Euthym. in cap. 27. Matth., Auguſt. ſerm. 71. de Tempore, Cyprian. ſerm. de Reſurrect. Domini, Ambroſ. in cap. 23. Lucæ, Hieronym. Epiſt. 17. ad Marcellam, & alij. Attamen hoc non approbauit idem Hieronym. in cap. 27. Matth., quem refert & ſequitur S. Thomas hic art. 10. ad 3., Et conſentit Abulenſ. in cap. 14. Ioſuè q. 10. Aitquè Hieronym., vocatum potiùs fuiſſe Caluariæ locum, eo quòd ibi truncarentur & proijcerentur capita Reorum. Adamum vero ſepultum fuiſſe in alio loco diſtanti apud vrbem Hebron, ex Ioſue 14., vbi dicitur de ea vrbe, *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Addit S. Tho. rationem, quare conuenientius fuerit, crucifigi Chriſtum in loco communi Reorum, quàm in loco particulari ſepulturæ Adami: vt oſtenderetur, Crucem Chriſti fuiſſe remedium, non ſolùm contra peccatum perſonale Adami, ſed etiam contra peccatum totius mundi.

Videtur fuiſſe idem locus in quo ſepultus erat Adam.

Sed tamen benè in hac re poteſt vtrunque coniungi. Nempe locum illum Caluariæ, fuiſſe tunc deputatum ad ſupplicium Reorum: & ideo Iudæos ibi crucifixiſſe Chriſtum, & [illegible] Hieronym. confitetur, [illegible] eo Quod benè [illegible]

eo quod alios duos latrones ibidem crucifixerunt. Et fortaſſe inde accepiſſe nomen illud Caluariæ. Sed præterea in illo eodem loco fuiſſe iam olim reconditum corpus Adami. Non enim credendum eſt, abſque aliquo fundamento traditioni & famæ, tot Patres Hieronymo ipſo antiquiores id affirmaſſe: & Baſil. teſtatur, fuiſſe communem ac veterem traditionem.

Explicatur locus quidam Ioſue.

Ad textum verò Ioſue dixerunt aliqui, potuiſſe contingere, vt ex vrbe Hebron translatum fuiſſet corpus Adami ad locum poſtea dictum Caluariæ. Atque ita factum fuiſſe, affirmant Villalpand. in Apparatu Ieruſal. lib. 1. cap. 9 & Martin. Delrius Panegirico 7. de B. Virgine. Refert etiam Maſius in cap. vlt Ioſue, traditum fuiſſe a Iacobo Eueſſæno præceptore S. Ephrem, Noe detuliſſe ſecum in Arca oſſa Adami, eaque poſt diluuium inter filios diuiſiſſe, ac Sem primogenito dediſſe caput, qui in eam regionem profectus condidit vrbem Salem, poſtea dictam Ieruſalem, & ſic in eo monte caput Adami condiderit. Sed tamen non oportet concedere, illum Adam de quo loquitur Ioſue, fuiſſe Adamum primum parentem. Quinimo modus ille loquendi denotat fuiſſe quendam alium maximum gigantem: Enacim enim erant gigantes. Et vel aliquis alius vocabatur etiã Adam. Vel hoc nomen ibi ſumptum eſt pro nomine communi, vt in hebraica lingua ſonat idem quod apud nos, homo, vel terrenus: & ſæpè aliàs ſic ſumitur in Script.. Et ita explicant Caiet., Maſius, Serarius in eundem locum Ioſue, & Perer. in cap. 13. Geneſ. diſp. 5. Imò in textu hebræo ſic proprie legitur: *Et nomen Hebron ante Cariath Arbe, hominis magni in Enacim ipſe*: ſiue, *homo magnus in Enacim ipſe*. Quo pacto ſenſus eſt, Hebron vocabatur antea ciuitas Arbe, qui Arbe fuerat vir magnus inter gigantes: vel ſcilicet maximæ molis & ſtaturæ, vel magnæ dignitatis & potẽtiæ. Et cap. 15. ſequenti in hac conformitate rurſus dicitur, Caleb dediſſe Iephone filio ſuo, *Cariath Arbe patris Enac, ipſa eſt Hebron*; ideſt ciuitatem Arbe, qui fuit pater Enac, & hæc ciuitas vocata eſt Hebron. Et ipſe Enac eſt ex quo dicti ſunt Enacim. Itaque bene ſuſtineri poteſt, Adamum primum parentem non fuiſſe ſepultum in Hebron, ſed in Monte Caluariæ.

Aſſerunt etiam idem Hieronymus in cap. 15. Marci, & Auguſtinus ſerm. 71 de Tempore, eundem montem fuiſſe in quo olim iuſſum erat Abrahamo vt filium immolaret, & quem ipſe appellauit, *Dominus videt* vnde ortum fuit prouerbium, *In monte Dominus videbit*. Et hæc de loco in quo paſſus eſt Chriſtus.

SECTIO TERTIA.

De Tempore quo paſſus eſt Chriſtus.

IAM verò de tempore, ſatis habetur ex dictis tract. præcedenti ſect. 3. & 5, Chriſtum paſſum fuiſſe anno trigeſimotertio inchoato ætatis ſuæ, & anno decimooctauo imperij Tiberij Cęſaris: quæ quidem eſt ſatis communis ſententia. Etenim baptizatus fuit Chriſtus anno ætatis ſuæ trigeſimo inchoato, & decimoquinto Tiberij Imperatoris: ac deinceps tranſegit tres integros annos ſuę conuerſationis & prędicationis, donec fuit crucifixus: itaque paſſionem & mortem ſubijt anno trigeſimotertio inchoato, dum Tiberius decimumoctauum imperij annum agebat. Ingreſſus autem erat Chriſtus annum ſuum trigeſimumtertium, per illud tempus quod intercedebat à die vigeſimaquinta Decembris qua natus erat, vſque ad feſtum Paſchatis. Siquidem ex Euangelio conſtat, paſſum fuiſſe circa tempus Paſchatis. Atque ita exegerat Chriſtus tres circiter menſes ſui anni trigeſimitertij: etenim dies vigeſimaquinta Decembris, incidebat circa ſolſtitium hiemale, feſtum verò Paſchatis circa æquinoctium vernale, nempe Luna decimaquarta poſt illud æquinoctium: à ſolſtitio autem ad æquinoctium tres menſes intercedunt. Obijt ergo Chriſtus circiter tribus mẽſibus poſt inchoatum annum ſuum trigeſimumtertium. Redditquè S Thom. art. 9 ad 4. & 3. quaſdam conuenientię rationes, quare Chriſtus pati voluerit

Paſſus eſt Chriſtus anno ætatis ſuæ trigeſimotertio.

in.

[illegible] ætate, & circa æquinoctium

Aſſignetur dies præciſa paſſionis Christi, loqui poſſumus, [illegible] do menſes & dies per circulum [illegible], vt in vſu erat apud Hebræos, ex præſcripto ipſius legis diuinæ: quo primus menſis anni inchoabatur à noua Luna proxima æquinoctio vernali. Aut numerando per diſtributionem circuli ſolaris more Romano. Loquendo primo modo, habetur in ipſomet Euangelio, qua præciſè die paſſus fuerit Chriſtus: licet controuerſia ſit in intelligentia Euangelij. Habetur enim, Chriſtum nocte egiſſe cœnam paſchalem cum diſcipulis ſuis, & eadē nocte comprehenſum fuiſſe, & die proxima crucifixum: ex diuina autem lege lata Exodi 12., parari debebat cœna paſchalis die decimaquarta menſis primi, ad veſperam, id eſt aduesperaſcente ipſa die decimaquarta: dies autem ſequens decimaquinta, erat feſtiua & ſolemnis, in qua nullum opus ſeruile fieri licebat.

Hinc, inter Sacros Doctores orta eſt controuerſia. Aliqui enim voluerunt, Chriſtum anticipaſſe vna die cœnam paſchalem, nempe die decimatertia ad veſperam, & ſequenti die decimaquarta fuiſſe cruci affixum. Et ita opinati ſunt Nicephor. lib. 1. Hiſtor. cap. 13., Euthym. ſuper Matth. 26. Et indicaſſe Chryſoſt. homil. 82. in Ioann., Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Ioann. cap. 2., & alij ex Patribus. Et hanc ſententiam Græci ſequuntur. Ex aduerſo autem quidam opinati ſunt, Chriſtum quidem peregiſſe cœnam paſchalem die decimaquarta iuxta præſcriptum legis, Iudæos tamen illam diſtuliſſe in diem decimamquintam, & conſequenter feſtiuitatem paſchalem in diem deciman ſextam: idquè agere conſueuiſſe ex quadam ſua conſtitutione, vt quando dies decimaquinta incidebat in feriam ſextam, ne cogerentur feſtum paſchale agere immediatè ante ſabbatum, quod erat illis valde incommodum: & ideo diem feſtiuum differebat in idem ſabbatum, vt dicunt: Burgen. ſuper Matth. 26., Cagnelius ſuper Ioann. 18., Ianſen. cap. 128. Concord., Ioannes Lucidus lib. de vero die paſſionis Chriſti cap. 9., & ei parte Rupert. lib. 10. in Matth. prop. initium.

Mouebantur autem vtriuſque partis Auctores, Tum quia: cùm dies decimaquinta eſſet feſtiua & ſolemnis, in qua prohibita erant opera ſeruilia, non videtur credibile, Iudæos qui calumniabantur in Chriſto inobſeruantiā legis, occupatos fuiſſe in procuranda paſſione & morte Chriſti. Et ſequaces etiam Chriſti, illa die laborarunt ad ſepeliendum Chriſtū. Tum etiam ipſi Iudæi in Conſilio inter ſe habito Matth. 26. dicebant, *Non in die feſto ne fortè tumultus fieret in populo*. Tum quia expreſsè apud Ioann. cap. 13. dicitur Chriſtus cœnaſſe cum diſcipulis *Ante diem feſtum Paſchæ*: quod intelligunt ante diem decimamquartam, in qua iuxta legem agi debebat Paſcha. Tum etiam expreſſius cap. 18., in illa die qua Iudæi inſtabant pro morte Chriſti, *Non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*: ergo illa erat dies decimaquarta, in cuius veſpera Iudæi debebant cœnare agnum paſchalem. Et rurſus cap. 19. inquit Euangeliſta, *Erat autem Paraſceue Paſchæ*: quod etiam intelligunt, erat præparatio Paſchæ, erat pridie ante diem ſolemnem & feſtiuum Paſchatis: & illa die crucifixerunt Chriſtum.

Paſſus eſt die decimaquinta menſis primi, die ſolemni Paſchæ.

Aſſerendum tamen eſt, Chriſtum & Iudæos egiſſe cœnam paſchalem ipſa veſpera diei decimæquartæ, quando reuera ex præſcripto legis fieri debebat, & conſequenter Chriſtum paſſum & crucifixum fuiſſe proxima die decimaquinta in ipſo feſto ſolemni Paſchatis. Ita communiter ſentiunt Latini Patres & Expoſitores circa Euangelia. Item Cyprian in ſermone de Cœna Domini, Ambroſ. epiſt. 83., Auguſt. epiſt. 86., & alij paſſim. Et ex Græcis etiam Chryſoſt. homil. 85. in Matth. & 82. in Ioann., Origen. tract. 33. in Matth., Theodor. q. 24. in Exodum, & quidam alij. Et hanc ſententiam approbat D. Thomas art. 9. ad 1., & cum eo alij Theologi. Sumitur ſatis clarè ex Euangelio. Nam Matthæus cap. 26. inquit, *Prima autem die Azimorum acceſſ*

acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Paſcha, Veſpere autem facto diſcumbebat cum diſcipulis ſuis. Et ſimiliter Marcus cap. 14. & Lucas cap. 22., expreſſe dicunt, Chriſtum egiſſe cœnam paſchalem prima die Azimorum: at prima dies Azimorum incipiebat ad veſperam diei decimæquartæ, quando manducabant agnum paſchalem, & per ſeptem dies Iudæi veſcebantur azimis. Imò expreſsè etiam addit Marcus, *Prima die Azimorum quando Paſcha immolabant*. & Lucas, *Venit dies Azimorum in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. quando ſcilicet ipſi Iudæi iuxta ritum ſuæ legis occidebant & manducabant paſchalem agnum. Idem confirmatur quoque ex Ioanne, in illo ipſo verbo, *Ante diem feſtum Paſchæ*: nam dies feſtus non erat dies decimaquarta præcedens veſperam in qua immolabatur agnus, ſed erat dies decimaquinta ſequens; in illa ergo veſpera ante diem feſtum, ideſt ante diem decimamquintam, Chriſtus cœnauit agnum paſchalem iuxta præſcriptum legis, & ipſa die decimaquinta & feſtiua fuit cruci affixus. Et infra eodem cap. 13. cùm Chriſtus dixiſſet Iudæ, *Quod facis fac citiùs*, quidam ex diſcipulis putarunt, dicere voluiſſe. *Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*: quia ſcilicet tunc proximè imminebat dies feſtus, nempe dies decimaquinta. Et rurſus cap. 18. quando Iudæi dixerunt Pilato, *Nobis non licet occidere quenquam*, id fortaſſe dicebant, quia tunc erat dies feſtus: & ideo petebant à Pilato vt ipſe Chriſtum morti traderet. Et in fine capitis dixit Pilatus Iudæis, *Eſt conſuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Paſcha*: & vt ait Matth. cap. 27. *Per diem autem ſolemnem conſueuerat Præſes populo dimittere vnum vinctum*: illa ergo dies erat ſolemne feſtum Paſchatis.

Confirmatur ratione.

Ratione quoque idem ſuadetur: quia cùm Chriſtus voluerit paſchalem agnũ cœnare ob obſeruantiam illius legis, conuenientèr debebat id perficere tunc quando erat lege præſcriptum. Neque enim erat licitũ apud Iudæos, peruertere tempus ſtatutum, nec poſtponendo, nec anticipando. Neque debebat Chriſtus vti ſua poteſtate quâ abſolutus erat à lege, & peruertere ordinem legis, quando volebat obſeruare legem. Sicut etiam circuncidi voluit die octaua, quando erat lege præſcriptum. Cùm etiam ſacrificium agni paſchalis eſſet figura ſacrificij offerendi à Chriſto in cruce; conueniens quoque erat, vt intra eandem naturalem diem perficeretur vtrumque: ſed ita quod antea peragi debebat ſacrificium figuratiuum, quàm ſacrificium principale, vt figura præcederet figuratum, & tunc adimplerentur priores figuræ. Sic ergo fere conueniebat, vt agnus paſchalis iuxta legem immolaretur veſpera præcedenti, & poſtmodum die ſequenti occideretur Chriſtus: non autem è conuerſo, & Chriſtus occideretur in illa die antequam immolari debebat agnus. Item ex alia parte, non poterant Iudæi vlla ſua conſtitutione inuertere ordinem & ritum temporis præfixum à Deo: nec illa diſpoſitio & dilatio quæ dicebatur, habet fundamentum: nec etiam incommodum erat Iudæis, ſeruare feſtum paſchale immediatè ante ſabbatum, vt conſtabit ex mox dicendis.

Quomodo Iudæi in die feſtiuo curauerint mortem et ſepulturã Chriſti.

Ad motiua ergo vtriuſque partis oppoſitæ, dicendum eſt. In die feſtiuo Paſchatis prohibita in lege fuiſſe, non ſimpliciter omnia opera & labores, ſed præcipuè opera ſeruilia. Leuitici 23, *Septem diebus azima comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus ſanctuſquè, omne opus ſeruile non facietis in eo* Hinc ergo Iudæi putare potuerant, ſibi non fuiſſe vetitum procurare mortem Chriſti in illo die feſtiuo: & ad ſummum putabant, ſibi fore illicitum, proprijs manibus occidere. Sic etiam ſequaces Chriſti licitè curarunt ea quæ ſpectabant ad ſepulturam Chriſti, quoniam hoc non erat opus ſeruile. Nec etiam illicitum erat, illa die parare cibos ad veſcendum, ſicut illicitum erat in ſabbato. Itaque quoad ceſſationem ab operibus, maiori rigore ſeruari debebat apud Iudæos omnis dies ſabbati, quàm alij dies feſtiui: in ſabbato enim ſimpliciter omne opus prohibitum erat Exodi 20. *Septimo die ſabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo.*

atque

Atque ita in Concilio illo inter ſe habito, non dixerunt, non in die feſto, propter obſeruantiam feſti. Sed ne tumultus fieret in populo, ob magnum ſcilicet concurſum multitudinis die feſto vacantis. Sed poſtea videntes opportunitatem, & audientes Iudam qui promittebat illa die eum tradere, non dubitarunt etiam in die feſto mortem Chriſto moliri. Et fortaſſe in illomet Concilio, non omnes, ſed aliqui ſolùm illam conſiderationem iniecerunt, quæ non per hos acceptata fuerit. Ad verbum autem Ioannis, *Ante diem feſtum Paſchæ*; iam ſatis dictum eſt, intelligi ante diem decimamquintam feſtiuam: & ita noſtram potiùs concluſionem confirmari.

Quomodo ... lebant ... hue ... nducare Paſcha.

Difficiliora ſunt alia verba, quibus dicebatur, Iudæos noluiſſe introire in Prætorium, ne contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Ad quæ, vel dici poteſt cum Chryſoſt. homil. 82. & 85. in Matth., Hieron. ſuper Matth. 26., Leone Papa ſerm. 7. de Paſſione, & alijs quibuſdam, Iudæos, non quidem omnes, ſed illos qui tunc perſequebantur Chriſtum, ex nimio ſtudio & ſolicitudine procurandi mortem Chriſti, prętermiſiſſe pridie comedere agnum paſchalem, ſicut tenebantur, & diſtuliſſe in ſequentem veſperam diei decimæquintæ feſtiuæ & ſolemnis: non quidem de iure aut conſuetudine, ſed ſolùm de facto & ex ſua peruerſitate. Vel cum eodem Chryſoſt. homil. 82. in Ioann., Auguſt. tract. 124. in Ioann., Innocentio Papa lib. 4. de Myſter. Miſſæ cap. 4., & D. Thoma hic art. 9. ad 1., in illis verbis non intelligi agnum Paſchalem quem iam pridie manducauerant, ſed intelligi azymos panes, qui non ſolùm illa die decimaquinta, ſed per ſeptem dies manducari debebant pro ſolemnitate paſchali. Vel cum Auguſt. lib. Quæſtion. ſuper Deuteron. q. 24., & Recentioribus vt plurimum, intelligi de alijs victimis & ſacrificijs, quæ ex præſcripto legis ipſo die feſtiuo paſchatis offerri debebant, & populo diſtribui, & non niſi à mundis poterat participari.

Quomodo illa dies fuerit paraſceue.

Quando demum Ioannes diem Paſſionis vocauit paraſceue Paſchæ, neutiquam intellexit præparationem ad cœnam vel ſolemnitatem paſchalem: ſed ſolùm pręparationem ad ſabbatum immediate ſequens. Sic enim infra aperte inquit, *Iudæi ergo, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbato, erat enim magnus dies ille ſabbati, &c.* Et ſic ſemper non niſi pridie ante ſabbatum, & per reſpectum ad ipſum ſabbatum, vocabatur paraſceue. Dixit autem Ioannes, paraſceue Paſchæ: vel quaſi diceret paraſceue paſchale, incidens in paſchate: vel paraſceue ſabbati paſchalis, ſabbati incidentis in diebus paſchalibus azimorum, quod quidem erat adhuc ſolemnius alijs ſabbatis occurrentibus per annum, & ideo dicebatur magnus dies ille ſabbati.

Quo menſe & die paſſus ſit Chriſtus, iuxta computationem Romanorum.

Cœterum, numerando menſes & dies iuxta annuam circulationē ſolis, & iuxta diſtributionem tunc & deinceps apud Romanos viitatam, non poteſt ſatis conſtare, quo die, & nec etiam quo menſe, paſſus fuerit Chriſtus: ſed remanet res dubia penes duos menſes, quos vocamus Martium & Aprilem, & penes varios dies vtriuſque. Quia nimirum Luna decimaquarta proxima poſt equinoctium vernum, poteſt & ſolet in hanc totam varietatem dierum euagari: vt de facto conſtat ex ipſa diuerſitate temporis quo nos celebramus noſtrum Paſcha: celebramus enim Dominica proxima poſt decimamquartam Lunam æquinoctij. Non conſtat autem, quanam die Martij vel Aprilis inciderit ea Luna eo anno quo mortuus eſt Chriſtus: ſiue ſumatur annus decimus octauus ſiue decimuſnonus Tiberij apud Romanos. Et incertitudo oritur ex variatione ſupputationis menſium & dierum, dependentis ex calculis & tabulis aſtronomicis, propter quam opus etiam interdum fuit correctionem anni facere. Itaque variæ opiniones quoad hoc inter ſacros Doctores exortæ ſunt. Sed magis pia & plauſibilis eſt, quæ aſſignat diem vigeſimamquintam Martij. Nam ſuppoſita ea die Incarnatione, ſic complerentur triginta tres integri anni inter conceptionem & mortem Chriſti. Et

tam

tam Chriſti mors,quàm Verbi incarnatio, inciperet in illa anni die, qua ab initio conditus fuit homo, vt de annunciatione B. Virginis referebamus ſupra q. 27 ſect. 8.

Paſſus fuit ſexta hebdomadæ die.

Numerando verò & diſtribuendo dies per hebdomadas: ſic quidem certò conſtabit,qua die hebdomadę mortuus fuerit Chriſtus. Eadem enim ratio computandi erat apud Hebræos ac apud Romanos. Et ex Euangelio quidem notum eſt, Chriſtum mortuum fuiſſe die immediata ante ſabbatum, quæ apud Hebræos erat ſexta dies, & apud Romanos dicebatur dies Veneris, & in Eccleſia modo vocatur Feria ſexta. Et fuit illa ipſa dies, qua in creatione mundi Deus condiderat hominem, nempe ſexta dies Geneſ. 1. Ideoque pia memoria & abſtinentia, hæc hebdomadæ dies colitur apud Fideles, in venerationem paſſionis Chriſti.

Qua hora cruci affixus fuerit.

Poſtremo, quanam ſpecialiter hora fuerit Chriſtus cruci affixus, quod attingit S. Thomas eodem art. 9. in ſolut. ad 2., non leuem difficultatem habet. Quia Marcus quidem cap. 15. ait, *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum*. Ioannes autem capite 19. narrans quando Pilatus ſedit pro tribunali, inquit, *Erat autem paraſceue Paſcha, hora quaſi ſexta*: & tunc Pilatus tulit mortis ſententiam, & milites duxerunt Chriſtum vſque ad montem Caluariæ, & ibi crucifixerunt eum; in quo itinere ad minùs vnius horæ ſpatium interceſſit. Propter quod aliqui ſuſpicati ſunt, errorem aliquem tranſcriptionis in alterutrum codicem irrepſiſſe, cùm ipſi Euangeliſtæ eundem horæ numerum in ſuis originalibus conſcripſiſſent. Et refert hunc dicendi modum S. Tho. in fine eius ſolutionis: ac etiam fundamentum eius, quia apud Græcos ſimiles ſunt figuræ, quibus numerus ternariùs & ſenarius repræſentantur; & ſic facilè potuit vnus in alium tranſcribendo commutari. Hoc tamen non eſt admittendum: ſed debet vterque modos loquendi vt iacet conciliari.

Duos ergo dicendi modos refert D. Thomas ex Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 13. Vnus eſt, Chriſtum fuiſſe *realiter à militibus quidem* crucifixum *hora ſexta*, *vt ait Ioannes: ſed* fuiſſe *acclamatum vt crucifigeretur à Iudæis hora* tertia, & hoc intelligi apud *Marcum*. *Sed ſanè ex ipſo* contextu *ſatis* apparet, *Marcum* etiā de reali crucifixione à *militibus* eſſe loquutum. Alter modus eſt, Chriſtum fuiſſe realiter crucifixum tertia diei hora, vt narrat Marcus: ſed præparationem mortis eius inchoatam fuiſſe hora nona nocturna, a qua computando vſque ad tertiam diurnam, ſex horæ intercedebant; & ſic intelligi apud Ioannem, quod eſſet hora ſexta ab illa præparatione. Sed ſatis etiam diſpici poteſt, nec Ioannem fuiſſe in tali ſenſu loquutum: nec ſufficere tempus trium horarum diei, ad ea omnia quæ Euangeliſtæ narrant facta eſſe illo mane ante crucifixionem. Nec conſonaret illud, quod Euangeliſtæ, & inter eos Marcus ipſe, narrant, factas eſſe tenebras ab hora ſexta ad nonam, & hora nona Chriſtum expiraſſe: non enim interceſſit tale ſpatium inter crucifixionem & tenebras, nec Chriſtus per ſex horas viuens pependit in cruce.

Crucifixus fuit ſexta diei hora.

Communior iam dicendi modus eſt, Euangeliſtas non accepiſſe horas vulgari modo, prout dies artificialis diuidebatur in duodecim horas, iuxta illud Ioannis 11., *Nonne duodecim ſunt horæ diei.* ? Sed vel accepiſſe, diuidendo diem in quatuor partes, ſicut diuidebatur nox in quatuor vigilias, quarum quælibet pars complecteretur tres vulgares horas: vel accepiſſe diuidendo partes deputatas ad orationem aut ſacrificia, quarum ſimiliter quælibet importaret tres vulgares horas; & hora ſexta inciperet in meridie, hora tertia excurreret per tres antecedentes vulgares horas. Atque ita Chriſtum fuiſſe quidem crucifixum circa meridiē in quo imminebat hora ſexta, ſed excurrebat hora tertia: & ſic vno modo dici Chriſtum crucifixum quaſi hora ſexta, alio modo hora tertia. Sed quia Ioannes ait, ſediſſe Pilatum pro tribunali quaſi hora ſexta, ſatis eſt hoc intelligi poſt tranſactum dimi-

dimidium horæ tertiæ præcedentis, ita vt remaneret adhuc aliquanto plus vna hora vulgari ante meridiem, & ſic duci potuerit Chriſtus ad locum ſupplicij ibique crucifigi, excurrente adhuc illa hora tertia. Et quia etiam paulò poſt factæ ſunt tenebræ, intrante iam hora ſexta, recte conſtat quod Marcus ipſe ſubiungit, *Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram vſque in horam nonam*: Aut rectè etiam dici poſſet, Ioannem & alios Euangeliſtas, excepto illo verbo Marci, *Erat hora tertia*, accepiſſe horas vulgari modo, diuidendo diē in duodecim horas. Hoc enim ipſo modo verè hora ſexta concurrebat in meridiem, complebatur in meridie. Et rectè Ioannes dicere poterat, fuiſſe quaſi horam ſextam quando Pilatus ſedit pro tribunali, ideſt prope fuiſſe vt inchoaretur hora ſexta vulgariter ſumpta. Et rectè alij omnes dicere potuerunt, ab hora ſexta ad nonam factas eſſe tenebras, ideſt à meridie per tres horas vulgares ſequentes, & ipſa hora nona vulgariter ſumpta, expiraſſe Chriſtum. Ex quo ſuperfuerunt tres circiter horæ diei, ad deponendum Chriſti corpus è cruce, & curanda ea quæ ad ſepulturam ſpectabant, ac re ipſa ſepeliendum.

SECTIO QVARTA.

De Cauſis & Effectibus Paſſionis Chriſti.

Cauſam efficientem paſſionis Chriſti inquirit S. Thomas quæſt. 47, & ſub illa conſiderat plures qui operati ſunt ad paſſionem Chriſti. De reliquis autem cauſam materialem & ſubiectiuam iam aſſignauimus ſect. 1., ſcilicet humanitatem Chriſti ſecundùm corpus & animam. Cauſa formalis non eſt vt nominetur; ſiquidem ipſa paſſio erat veluti forma afficiens Chriſtum. Cauſam finalem ſatis aſſignauimus antea q. 6. cum cauſa finali incarnationis, ſcilicet noſtram redemptionem & ſalutem: & ſimiliter cauſam moralem, ſcilicet noſtra peccata. Quamuis enim in controuerſia erat, num ipſa incarnatio quoad ſubſtantiam prædefinita fuiſſet à Deo ex occaſione & præuiſione humani lapſus, & propter reparationem ipſius humani generis: tamen extra dubitationem erat, ſaltem quoad circunſtantiam carnis paſſibilis: atque ita paſſionem Chriſti, fuiſſe ex tali occaſione & ob talem finem prædefinitam.

Cauſa ergo effectiua paſſionis Chriſti, tanquam principalis & primaria, aſſignatur quodammodo Deus ipſe in ſacris litteris: non ſolùm ſcilicet in ratione cauſæ primæ & vniuerſalis, ſicut eſt omnium rerum; ſed ſpecialiter tanquam proprius auctor & inſtitutor. Sic dixit ipſe Chriſtus Matth. 26., *Calicem quem dedit mihi Pater*. Et Apoſtolus ad Roman. 8, *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* Et Apoſtolorum princeps Actor. 2, *Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemiſtis*. Et omnes diſcipuli ſimul Actor. 4. *Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerūt fieri*. Et antea etiam Iſaias cap. 53. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate*. Et Deus ipſe eodem capite, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*.

Deus fuit principalis cauſa & auctor paſſionis Chriſti.

Sed in hoc ſtatim obuiat difficultas; quia paſſio Chriſti, eo modo quo adimpleta fuit, ſcilicet per miniſterium perſequentium, includebat hoc peccatum eorum: & quidem hoc ipſum in citatis locis videtur referri ad diuinam voluntatem, *Conuenerunt facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri*. At ex alia parte ſcimus, Deum non poſſe eſſe auctorem & incentorem peccati: ergo non poterat eſſe tali modò auctor paſſionis Chriſti. Nec ſatis videtur dicere, Deum fuiſſe quidem auctorem paſſionis ex parte Chriſti, ideſt vt Chriſtus patienter toleraret cruciatus & mortem, quod vtique erat optimum & ſanctiſſimum opus: non vero fuiſſe auctorem eius ex parte perſequutorū, quatenus ſcilicet erat eorum actio, quo pacto erat grauiſſimum peccatum. Hoc inquam non ſatisfacit: quia Chriſtum

Sed nec per hoc fuit auctor actionis perſequentium.

A r pati,

pati, erat neceſſario connexum cum eo quod miniſtri agerent & ipſum cruciarent: non enim poterat Chriſtus crucifigi, flagellari, &c. niſi miniſtri illum crucifigerent, flagellarent. Vel ergo Deus quoad neutram partem fuit auctor paſſionis Chriſti, vel fuit quoad vtranque.

An prius ordinauerit Chriſti paſſionem, vel præuiderit peccatum perſequentiũ.

Ad hanc difficultatem, Suarez in comment. art. 10. q. 46 ait, Deum priùs quidẽ voluiſſe permittere actionem Iudæorum circa Chriſtum, ſicut alia peccata permittit, ſed conſequenter ordinaſſe vt Chriſtus pateretur ex quæ Iudæi circa ipſam facturi erãt; & ſic dum erat auctor paſſionis ex parte Chriſti, non fuiſſe auctorem actionis ex parte Iudæorum, quæ ſupponebatur permiſſa: ſed dici adhuc paſſionem Chriſti præordinatam à Deo, antecesſione quidem durationis & æternitatis inter diuinum decretum & exequutionem in tempore, non verò anteceſſione ordinis, ſeu cauſalitatis inter voluntatem ordinatiuam paſſionis Chriſti & permiſſiuam actionis Iudæorum.

Ex intentione paſſionis Chriſti permiſit peccatum perſequentium.

Attamen, abſque vllo incommodo dici poteſt & debet, priùs etiam ordine rationis & cauſalitatis Deum ordinaſſe vt Chriſtus pateretur, & conſequenter voluiſſe permittere actionem & peccatum perſequutorum. Nam hoc ipſum indicant illa verba Scripturæ. Et ſignificauit Hieron. in Pſal. 42. dicens, *Non potuerunt Iudæi facere, niſi quantum à Deo præfinitum erat*. Et Auguſt. lib. de Corrept. & grat. cap. 7. *Iudam elegit ad effundendum ſanguinem ſuum*. Eſt etiam planè conſonum rationi: quia per ſe & principaliter per modum finis Deus intendebat vt Chriſtus pateretur, & ideo permiſit vt perſequutores agerent ea quæ fecerunt; & alioqui nunquam Deus permiſiſſet impios homines talia agere circa Chriſtum verum filium Dei, niſi ob talem finem: priùs ergo ordine intentionis, præintendebat Chriſtum pati. Imò præordinauit Deus remedium incarnationis & paſſionis Chriſti, ſtatim poſt præuiſum lapſum Adami, & antequam præuideret, vel permittere decerneret alia propria hominum peccata, vt ſupponimus ex dictis antea de fine incarnationis. Atque Suarez *ipſe in Opuſculis lib. 2. de Auxilijs cap. 1. ad 4. obiectionem, reponit paſſionem Chriſti inter illos effectus qui præintenduntur & præordinantur antecedenter à Deo, & propter quos conſequenter permittuntur peccata, quibus mediantibus adimplentur.*

In vniuerſum ex intentione boni effectus peccata permittit.

Nec obſtat illa difficultas: quia potiùs in vniuerſum ſupponimus, poſſe & ſolere Deum præintendere talem finem, ad quem pro medio vtatur permiſſione peccati; abſque eo quod propterea velit ipſum peccatum, ſed tantùm velit permittere: vt iam tractauimus 1. par. q. 22. ſect. 11. Et in ſpecie id notauimus de paſſione Chriſti & peccato perſequentium. Neque paſſio Chriſti erat per ſe neceſſario connexa cum peccato perſequentium, ſumpto ſecundùm rationem peccati & culpæ. Nam potuiſſet Deus facere, vt Chriſtus pateretur, & pateretur ab ebrijs vel amentibus, vel ignorantia inuincibili excuſatis, vel tribuendo alijs poteſtatem & dominium in vitam Chriſti, ſicut quando iuſſit Abrahamo vt filium immolaret. Ille tamen dolor quem Chriſtus habuit de culpa ipſa & perditione perſequentium, ac de offenſa Dei, verè habebat neceſſariam connexionem & expreſſam relationem ad peccatum illorum ſub ratione culpæ. Et ideo de hoc dolore fatendum libenter eſt, non fuiſſe à Deo præintentum, antequam permittere voluiſſet ac præuidiſſet peccatum ipſum perſequentium: ſicut nempe de pœna & pœnitentia propria vniuſcuiuſque eo loco diximus. Itaque hoc ordine & modo Deus fuit auctor paſſionis Chriſti: præuiſo lapſu Adami, voluit remedium adhibere, decreuit vt Chriſtus pateretur, & cùm poſſet varijs medijs rem diſponere, elegit permittere peccatum perſequentium, ac tandem voluit, vt vltra alias paſſiones, de hoc etiam peccato Chriſtus vehementer doleret. Atque non ſolùm decreuit, ſed etiam præcepit, vt Chriſtus pateretur. En hoc confirmat S. Thomas q. 47. art. 2. propterea docens, Chriſtum paſſum fuiſſe ex obedientia: & nos ſatis tractauimus antea quæſt. 20. ſect. 4.

Dein-

Chriſtus quoque ipſe fuit quodãmodo cauſa ſuæ paſſionis.

Deinde, non ſolùm Deus ſecundùm diuinam voluntatem, ſed etiam Chriſtus ipſe vt homo, & ſecundùm humanam ſuam voluntatem, fuit quoque quodammodo cauſa ſuæ paſſionis. Hoc ipſemet expreſſit Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam.* Et de illo dixerat Iſaias cap. 53., *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Et in hoc ſenſu, ſacri Doctores dicere ſolent, Chriſtum voluntarie fuiſſe paſſum, paſſionem fuiſſe ei voluntariam: & in hoc ſummoperè commẽdant charitatem Chriſti erga genus humanum. Hoc autem explicat S. Thomas art. 1., quia Chriſtus poterat impedire paſſionem ſuam, & nõ impediuit, & ita dicetur cauſa ſuę paſſionis indirectè. Sed de hoc ipſo dubitauit Scotus in 3. diſt. 16. quęſt. 2., ex duplici capite: quia nempe & ex parte corporis Chriſtus ſubdebatur paſſionibus afflictiuis, dum habebat corpus paſſibile: & ex parte animæ non habebat vim præſeruandi ſuum corpus à paſſionibus afflictiuis; alioqui fuiſſet obligatus ex charitate erga ſe ipſum ſe præſeruare, & ita ſe non cuſtodiens peccaſſet. Ideo Caietan. in comment. art. explicat, Chriſtum non habuiſſe quidem facultatem naturalem impediendi ſuam paſſionem: ſed habuiſſe ex perſona Verbi, quatenus eius anima erat inſtrumentum Verbi, & habebat vim miracula faciendi. Non fuiſſe autem obligatum ſe cuſtodire & eximere à paſſione: quia præferenda eſt ſalus animæ ſaluti corporis, & exponenda eſt vita corporis pro ſalute animę: & ita Chriſtus, tanquam paſtor bonus, poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, ideſt vitam ſuam corporalem pro ſalute animarum.

Quia poterat pluribus modis impedire & non impediuit.

Verùm, non ſolum per eam poteſtatẽ ſuperiorem miraculorum operatiuam, ſed etiam per humanam poteſtatem & prudentiam, potuiſſet Chriſtus pleraq; facere & dicere ad euadendam ſuam paſſionem, quæ tamen ex voluntate patiendi quam habebat prætermiſit. Poterat recedere ab vrbe Ieruſalem, vbi ſciebat à Iudæis necem ſibi parari: poterat recedere ab horto, vbi ſciebat à Iuda cum cohorte ſe inquirendum: imò ſponte ſua, hoc totum præuidens, perrexit Ieruſalem, & illa nocte ſeceſſit in hortum. Poterat etiam poſtea coram Pilato ſatis propenſo ad eum liberandum, ſe defendere, refellendo teſtes, oſtendendo ſuam innocentiam, poſtulando tempus, appellando Cæſarem, Poterat item coram Herode, ad quem remiſſus fuit à Pilato, & qui erat eum videndi cupidus. Hæc inquam Chriſtus prætermiſit; quinimò ſuo ſilẽtio & taciturnitate alacriter ſe morti obtulit. Neque tamen tenebatur Chriſtus ſic ſe defendere vt mortem euaderet: ſed ſanctiſſimum opus fecit, ſinendo ſe occidi, & non impediendo mortẽ ſuam, pro reparatione generis humani.

Suaquè immutabili voluntate ſe obtulit paſſioni.

Imo hinc ex contrario capite dubitari poteſt, quòd Chriſtus non poterat ſuam paſſionem impedire: quia ex ordinatione & præcepto Patris tenebatur paſſionẽ & mortem ſubire: at nõ poterat non obedire Deo, non poterat tranſgredi præceptum Dei, cùm non poſſet peccare: ſed præter hypoſtaticã vnionem, haberet ratione beatitudinis firmam & immutabilem voluntatem placendi Deo ſemper in omnibus: ergo ex hoc potiùs capite non poterat impedire ſuam paſſionem. Hoc attingit aliam difficultatem de impeccabilitate cum libertate Chriſti, quam antea expediuimus q. 12. ſect. 3. Nunc ad rem præſentem, libenter fatendum eſt, quòd hac ratione Chriſtus non poterat ſimpliciter recuſare paſſionem & mortem ſibi diuino præcepto iniunctam, ſiquidem verè per dilectionem beatificam erga Deum habebat voluntatem illi in omnibus placendi, à qua nullatenus poterat recedere. Sed hoc non tollit, quinimò magis confirmat quod dicebamus, Chriſtum fuiſſe hoc modo cauſam ſuæ paſſionis, quia ipſemet voluit pati & mori, ipſe non recuſauit pati & mori, ſed vt obediret Deo Patri ſe obtulit paſſioni & morti. Non ergo habebat Chriſtus impotentiam euadendi paſſionem & mortem, quaſi etiam ſi voluiſſet, non potuiſſet illam effugere: ſed vere habebat poteſtatem illã euadendi modis dictis, ſub conditione loquendo ſi voluiſſet illam impedire. At habebat ve uti impotentiam volendi euadere, non poterat

velle impedire, ex eo quod neceſſariò habebat voluntatem adimplendi omne diuinum præceptum. Habebat autem libertatem, in diuerſo modo, & diuerſis actibus volendi, & diuerſis circunſtantijs, atque conditionibus. Sed ex ipſa voluntate moriendi quam habuit, rectè dicitur fuiſſe quoque ſuo modo cauſa ſuæ paſſionis & mortis.

Fuit proximè cruciatus & occiſus à Iudæis & Gentilibus.

Iam verò cauſa próxima & directa paſſionis Chriſti, fuerũt homines illum perſequentes & cruciantes, vt habetur in hiſtoria euangelica. Fuerunt autem ſimul, & ex Iudæis, & ex Gentilibus: Iudæique inceperunt, Gentiles perfecerunt. Cuius rei conuenientiã reddit S. Thomas art. 4., vt oſtenderetur, fructum paſſionis Chriſti fore vtriſque communem, & ex Iudæis fore per prædicationem diffundendum in Gentes. Quare autem Iudæi non proprijs manibus occiderint Chriſtum, ſed tradiderint Pilato Gentili, vt per milites Gentiles illum occideret; & quare dixerint Pilato, Ioann. 18., *Nobis non licet interficere quemquam*; cùm alioqui tentaſſent aliàs per ſe lapidare & occidere Chriſtum, tentaſſent etiam lapidare adulteram Ioann. 8., ac de facto lapidauerint & occiderint Stephanum Actor. 7. Hoc inquam varijs rationibus apud Sacros Doctores exponitur.

An Iudæi haberent poteſtatem condemnandi & occidendi.

Chryſoſt., Euthym., Theophilact., & alij in eundem locum Ioannis, dicunt, Iudæis non licuiſſe crucifigere, ſed ſolùm lapidare: & ideo, quia ad maiorem ignominiam cupiebant Chriſtum crucifigi, ita feciſſe ac dixiſſe. Et fauent verba ſequentia Euangelij, *Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit ſignificans qua morte eſſet moriturus*. Cyrillus verò lib. 12. in Ioann. cap. 6., Auguſt. tract. 114. in Ioann., Beda & alij in eundem locum Euangelij, dicunt, non licuiſſe Iudæis in illo die ſolemni, & per ſequentes dies azimorum, per ſe agere iudicium capitale, & quemquam morti tradere: ſed ex nimio furore, ac etiam timore ne Chriſtus euaderet, procuraſſe tunc illum à Pilato iudicari & crucifigi. Fauetque exemplum quod habetur Actor. 12., vbi de Herode Rege dicitur, *Appoſuit vt apprehenderet & Petrum; erant autẽ dies azimorum, quem cùm apprehendiſſet miſit in carcerem, volens poſt Paſcha producere eum populo*. At Rupert. & quidã alij in eũdẽ locum Ioannis, abſolutè dicunt ac defendunt, magiſque approbat S. Thomas hoc art. 4. ad 5., Iudæis ſimpliciter non licuiſſe cauſam ſanguinis agere & quemquam morti adiudicare: non quia ex propria lege Moſayca id eſſet eis vetitum: ſed quia tunc ſubditi erant Romanis, & hoc iudicium erat illis reſeruatum. Et ad ſummum eis concedebatur, minores quaſdam mulctas, vt carceris, verberum, & ſimiles infligere. Atque hoc colligi videtur ex facto ipſo Chriſti, & ex vſu liberandi vnum mortis reum in Paſchate. Et ex eo quod narrat Ioſephus Hebræus lib. 20. Antiquit. cap. 8., Ananum Pontificem fuiſſe grauiter obiurgatum & Pontificatu priuatum ab Albino Præſide, & ab Agrippa Rege, quia mortuo Feſto, & Albino adueniente, ipſe cum ſuo Concilio Iacobum morti damnauit, & lapidibus obruit. Itaque aliàs non niſi per violentiam & impetũ tentauerant Iudæi occidere Chriſtum, ac de facto poſtea occiderunt Stephanum. Et ità etiam Actor. 21. quærebant occidere Paulum, ſed occurrens Tribunus eripuit eum de manibus eorum. De Adultera autem non dicitur, quod tunc volebant eam ſuis manibus lapidare: ſed potiùs voluiſſe tentare quid Chriſtus reſponderet, aut volebant eam priùs apud ſe conuictam, tradere Iudici Romano, vt ſententiam mortis in eam ferret & exequeretur. Inſtant tamen Toletus Annotat. 23. in illud caput Ioannis, & Suarez hic in Comment. art. 4., quod Præſes ipſe Pilatus dixit Iudæis, *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum*: quare dabat illis poteſtatem condemnandi Chriſtum, ac proinde non poterant Iudæi ſimpliciter reſpõdere, *Nobis non licet interficere quemquam*. Ad hoc, iuxta hunc modum, dicere oportebit, non voluiſſe Pilatum per illa verba cõmittere iudiciũ capitale ipſis Iudæis; ſed voluiſſe ſolùm dimittere illos, vt infligerẽt ei talem mulctam, pro quanto illis cõcedebatur, citra ſuppliciũ capitis, ſi quidem adhuc non erat factum

ver-

verbum de delicto & ſupplicio capitali, ſed ſolum quod eſſet malefactor: & ideo Iudæi dixerunt, *Nobis non licet interficere quemquam*; quaſi dicerent, non ſufficit nobis aliquam minorem mulctam ei infligere, ſed volumus eum morti damnari, quod non nobis conceditur. Quando demum Pilatus cap. 19. ſequenti dixit. *Accipite eum vos & crucifigite, ego enim non inuenio in eo cauſam*; indignabundus & exprobando dixit, quaſi diceret, ſi apud vos vir innocens damnandus eſt, vos hoc facite, quia ego non video cur faciam: ſicut etiam Matth. 27. lauit manus, & dixit. *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis*.

Omnes Chriſti perſequutores cum aliqua ignorãtia deliquerunt.

Omnes autem qui Chriſtum perſequuti ſunt, tàm Iudæi, quàm Gentiles, non eum plenè cognouerunt, ſed aliqua ignorantia excęcabantur; erat tamen eorum ignorantia valde culpabilis, quia facile poterant & debebant illum agnoſcere, & ideo grauiter in illo perſequendo deliquerunt. Hoc totum indicauit ipſe Chriſtus, in cruce rogans Lucæ 23., *Pater dimitte illis non enim ſciunt quid faciunt*. Et Petrus Actor. 3., *Scio quia per ignorantiam feciſtis ſicut & principes veſtri*. Et Paulus 1. Corinth. 2., *Si cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Et explicat magis D. Thomas art. 5, omnes quidem ignoraſſe, quòd Chriſtus eſſet verus Dei filius per naturam, verus Deus: quamuis Chryſoſt. homil. 40. Operis imperfecti in Matth. & Beda ſuper illa verba Lucæ, quos refert idem D. Thomas in ſol. ad 1., ſignificent, id fuiſſe notum Principibus Iudæorum. Deinde ait S. Thomas, minores quidem & ſimpliciores de populo Iudæorum, ignoraſſe etiam, quod Ieſus erat Chriſtus, id eſt Meſſias olim in lege promiſſus: maiores autem & doctiores, qui dicebantur Principes Iudęorum, cognouiſſe quod ille erat Chriſtus & Meſſias, & per ignorantiam affectatam noluiſſe cognoſcere quòd etiam eſſet verus Deus; ſed ex nimia peruerſitate, & ex odio ac inuidia eum perſequutos fuiſſe. Caietan. tamen eodem art. 5. §. *Mihi videtur*. & Abulenſ. in cap. 21. Matth. quæſt. 212., opinatus ſunt, nec etiam Principes agnouiſſe quòd Ieſus eſſet Meſſias in lege promiſſus: quia expectabant Meſſiam tanquam Regem potentem temporalem quòd non videbant adimpleri in Chriſto: & quia non eſt veriſimile, quòd voluiſſent morti tradere Meſſiam ſibi cognitum. Sed fortaſſe aliqui ex illis Principibus interdum agnouerunt aut ſaltem dubitarunt, illum eſſe Meſſiam; ſed non ſatis conſtanter in hac notitia perſiſterunt, & ideo tandem excæcati eũ ad mortem Romano Pręſidi obtulerunt. Multò plures autem agnoſcebant, Chriſtum eſſe virum probum, innocentem, & ſanctum. Et hoc vltrò fatebatur ipſe Pilatus: & vt plurimum agnoſcebant etiam alij. Ideoquè ex hac parte grauiter deliquit etiam ipſe Pilatus, eſto alioqui non haberet notitiam Iudaicæ legis, & de Meſſia quem expectabant. Et ſic peccarunt etiam milites & miniſtri, torquentes, illudentes, & crucifigentes Chriſtum.

Sed alia grauiſſ. peccatum.

Fuiſſequè grauiſſimum hoc peccatum crucifigentium Chriſtum, docet & explicat S. Thomas art. 6. Quod pluribus modis poteſt intelligi. Vno modo, quaſi abſolutè loquendo, ſcilicet fuiſſe valde enorme & graue: ſicut id plerumque dici ſolet de quibuſdam magnis exceſſibus. Alio modo comparatiuè ad alia peccata ſecundum ſpeciem & obiectum ſingulorum. Et ſic quidem perſequutio Chriſti, inquantum erat Meſſias à Deo miſſus & naturalis Dei filius, dicetur ex obiecto grauius alijs peccatis contra virtutes morales, includendo etiam virtutem religionis; ſed non oportet dici grauius illis peccatis, quæ immediatè ſunt contra Deum vt Deus eſt, quæ ſunt contra virtutes theologales. Alio modo comparatiuè ſpectando etiam circunſtantias. Et ſic fortaſſe dici poteſt, peccatum crucifixionis Chriſti, ſaltem in quibuſdam ex perſequutoribus, exceſſiſſe alia ſingula peccata quæ ab hominibus committi ſolent. Alio demum modo comparatiuè inter ipſos perſequutores. Et ſic præcipuè loquitur S. Thomas. At rectè docet, grauiſſimè quidem inter omnes deliquiſſe

Prin-

Principes Iudæorum, qui maiorem notitiam habebant & poterant ac debebant habere. Deinde minores de populo Iudæorum, quorum peccatum ob maiorem ignorantiam aliquantum diminuebatur. Ac tandem Gentiles, qui multo magis excuſabantur, cum legis ſcientiam non haberent.

Diabolus etiam ſuggerendo fuit cauſa paſſionis Chriſti.

Demum, Diabolus etiam fuit particeps in cauſanda paſſione & morte Chriſti, inducendo & instigando perſequutores. Ita habetur claré ex Euangelio, Ioann. 13, *Cùm Diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariota*; & infra, *Poſt buccellam introiuit in eum Satanas*. Et cognoſcebat quidem, illum eſſe Chriſtum & Meſſiam in lege promiſſum, vt aſſerit S. Thomas hîc eodem art. 5., quia id perſpiciebat ex ſcripturis & ſignis. Cognoſcebat etiam, aut ſaltem ſuſpicabatur ex progreſſu vitæ Chriſti, illum eſſe verum Dei Filium, vt conſtat ex pluribus locis Euangelij. Licèt ab initio, & quando ei intulit tentationes in deſerto, de hoc dubitauerit. Non tamen cognouit, deſtruendum fore eius imperium, & reparandum eſſe genus humanum per eius mortem. Et ſic poteſt intelligi, ſi ad Dæmones quoque referatur, illud Apoſtoli 1. Cor. 2., *Quam nemo principum huius ſæculi cognouit, ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Et ita docuit S. Thomas ſupra quæſt. 44. art. 1. ad 2. Nam diuina virtute impediebatur Dæmon, ne cognoſceret & aduerteret quædam, vel ex ſcripturis, vel ex factis & dictis Chriſti, iuxta ordinem diuinæ diſpoſitionis ac prouidentiæ: vt cum D. Auguſt. notauit S. Thomas ibi & antea q. 29. art 1. ad 3. Quamuis fortaſſe aliqui ex Dæmonibus, interdum dubitantes de effectu noſtræ redemptionis & ſuæ perditionis, aliquid egerint ad impediendam mortem Chriſti. Sic enim Bernardus ſerm. 1. de Reſurrect. Domini dixit, Dæmonem perturbaſſe in ſomnio vxorem Pilati, & induxiſſe vt mitteret ad illum dicens, *Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*. Et ſimiliter Athanaſ. in ſerm. de Paſſione & cruce Domini, aut Diabolum inſtigaſſe Iudæos, dum Chriſtus in cruce pendebat, vt dicerent, *Si Filius Dei eſt deſcendat de cruce*. Quæ non obſtant, quominus antea vel ijdem vel alij ex Dæmonibus incitauerint perſequutores ad moliendam paſſionem & mortem Chriſti.

Effectus & modus operandi paſſionis Chriſti, ſatis liquent ex antea dictis.

Effectus paſſionis Chriſti, in vniuerſum ſunt, omnia dona & beneficia gratiæ & gloriæ quæ ex Chriſti meritis hominibus conceduntur, etiam inquam quæ conceſſa fuerunt ante realem aduentum ipſius Chriſti. Aliqua etiam dona gratiæ conceſſa Angelis, & aliqua conceſſa ipſi Chriſto. De quibus omnibus ſatis egimus antea quæſt. 19., explicantes ea quæ Chriſtus Dominus ſua paſſione promeruit. Modus verò quo paſſio Chriſti operata eſt hos effectus, fuit modus cauſalitatis moralis, ſcilicet in ratione meriti, & ſatisfactionis, ac redemptionis, vt eadem quæſt oſtendimus. Itemquè in ratione ſacrificij, vt tractauimus etiam quæſt: 22. de Sacerdotio Chriſti. Non autem in ratione cauſæ phyſicæ per ſe efficienter influentis, vt in vniuerſum de operibus & effectibus miraculoſis ac ſupernaturalibus Chriſti, adnotauimus quæſt. 13. Nec aliud quicquam de nouo addendum modò occurrit circa quæſtiones 48. & 49. D. Thomæ, In quibus agit de modo operandi & de effectibus paſſionis Chriſti.

SECTIO QVINTA.

De Morte Chriſti.

AGit ſeparatim peculiari quæſtione S. Doctor de morte Chriſti, quaſi diſtincta à paſſione quam Chriſtus viuens pertulit. Nos verò magis amplè ſumendo nomen paſſionis, agimus de morte, tanquam de præcipuo myſterio & complemento eius. Plures rationes conuenientiæ colligit S. Thomas ſua quæſt. 50. art. 1., quare Chriſtus mori voluerit. Nempe quia genus humanum propter peccatum erat adiudicatum morti: & ideo conuenienter Chriſtus ad ſatisfaciendum tulit in ſe mortem. Rurſus ad oſtendendam verita-

Conuenienter Chriſtus mori voluit occiſus.

veritatem humanæ naturæ aſſumptæ. Vt nos à mortis timore liberaret. Vt daret nobis exemplum ſpiritualiter moriendi peccato. Et vt poſtea reſurgendo virtutem ſuam oſtenderet, & nobis reſurgendi ſpem præberet. Et in ſolut. ad 2. reddit aliam peculiarem rationem, cur Chriſtus mori voluerit, non ex morbo & ægritudine naturali ſed per violentiam & necem extrinſecùs illatam: nempe ne videretur mori ex neceſſitate naturalis infirmitatis, ſed potiùs conſtaret illum ſua ſponte & voluntate ſe morti obtuliſſe. Verè autem ſi Chriſtus non fuiſſet ab extrinſeco occiſus, debuiſſet quoque naturaliter mori, ſcilicet ex ſenectute & deficientia caloris naturalis & humidi radicalis: ſi inquam retineret ſemper ſtatum paſſibilitatis quem aſſumpſerat. At non expectauit hunc modum mortis, ſed in ſua florida ætate præuenit.

Expirauit quando tormentorũ vis inferebat necem.

De facto etiam aliqui opinati ſunt, quando Chriſtus in cruce expirauit, non fuiſſe adhuc corpus eius ad talem ſtatum & diſpoſitionem deductum, vt naturaliter ab anima deſeri deberet: ſed potiùs cùm poſſet aliquanto magis adhuc viuere, ſponte Chriſtum emiſiſſe ſpiritum, vt clariùs oſtenderet, ſe voluntariè mori. Ita indicauit S. Thomas ſupra q. 47. art. 1. ad. 2., & ex profeſſo docuit Gabriel in Canone Miſſæ lect. 82. Littera D. Fauentque Origenes lib. 2. cont. Celſum, Athanaſ. q. 76. ad Antiochum, Cyprian. lib. de Idolor. vanit., Euſeb. lib. 4. Demonſtr. Euangel. cap. 12., & alij ex Patribus. Colligunt ex Euangelio: quia *Ieſus clamans voce magna emiſit ſpiritum*, Matth. 27. Et quia citiùs obijt quàm duo latrones: ideoque illis quidem fregerunt crura. *Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura*. Vnde Ioſepho ab Arimathia rogante pro ſepultura Chriſti, *Pilatus mirabatur ſi iam obiſſet, & accerſito Centurione interrogauit eum ſi iam mortuus eſſet*. Sed ex aduerſo alioqui opinati ſunt, Chriſtum ſua poteſtate diſtuliſſe potiùs aliquantò ſuam mortem, vt diutiùs pateretur, quia alioqui ob tot atrocia tormenta & copioſam ſanguinis effuſionem, non potuiſſet naturaliter tandiù in cruce viuere.

Neutra tamen pars eſt neceſſaria. Sed putandum eſt, Chriſtum obijſſe quando naturaliter illa vulnera & tormenta apta erant afferre mortem, & non illam acceleraſſe nec diſtuliſſe. Ita enim apparet magis conueniens: quia nec oportebat Chriſtum præuenire & efflare animam ante vim ſui cruciatus: nec retinere vltra. S. Thomas autem & illi Patres ſolùm voluerunt, quod Chriſtus potuiſſet quidem ſuperiori poteſtate mortem arcere, ſed ſua voluntate permiſit ſe mori, quando voluit: ſed hoc dici debet voluiſſe, quando ipſe cruciatus aptus erat educere animam è corpore. Et ad locum Euangelij, verè quidem ex dicta ſuperiori poteſtate, Chriſtus proximus morti, edidit clamorem illum magnum, quando alioqui iuxta vires naturales, quæ tunc redactæ erat ad extremam debilitatem, id non potuiſſet. Deceſſitque citiùs quàm latrones, ob maiorem acerbitatem tormentorum quæ pertulerat. Quæ non conſiderans Pilatus, ac etiam ignorans ea quæ tota præcedenti nocte Chriſtus perpeſſus fuerat, miratus eſt de præmaturo illius obitu.

An corpus & anima Chriſti fuerint tunc dimiſſa à Verbo.

In hac Chriſti morte, præter ſeparationem corporis & animæ inter ſe, Ambroſ. lib. 10. in Lucam cap. de Commendat. ſpiritus Ieſu, Hilar. Canone 33. in Matth., & Euſeb. lib. 4. Demonſtr. euangelicæ cap. 12., indicarunt, ſeparatum etiam & derelictum fuiſſe corpus Chriſti à Diuinitate & perſona Verbi. Mouebantur auctoritate illorum verborum Chriſti, *Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Et ratione: quia ſicut non poterat mori corpus niſi recedente anima quæ illud viuificabat, ita nec mori poterat niſi recedente Diuinitate, quæ vtique vita eſt. Mayronus autem in 4. d. 45. q. 10., Abulenſ. Paradoxo 2 cap. 40 & 43., & Franciſcus de Ruuere poſtea factus Summus Pontifex nomine Sixtus quartus, putarunt, ſanguinem ſaltem è corpore fuſum, non manſiſſe tunc vnitum Verbo: quia alioqui poſſent enunciari quoque de Verbo per communi-

municationem idiomatum, quæcumque dicuntur de ſanguine, vt eſſe effuſum decidiſſe in terram, & ſimilia. quæ tamen non rectè dicerentur. Addi poteſt ad ſuadendum, animam quoque fuiſſe ſeparatam à Verbo: quia ſubſiſtentia, & pariter vnio hypoſtatica, non conuenit niſi naturæ totali & completæ: ergo diſſoluta natura totali, non remanet in partibus inter ſe ſeparatis.

Non fuerunt dimiſſa nec ſeparata à Verbo.

Certum tamen prorſus eſt, tàm corpus quàm animam Chriſti, non fuiſſe dimiſſa aut ſeparata à Verbo, ſed permanſiſſe hypoſtaticè vnita, etiam quãdiu per mortem inter ſe diuiſa fuerunt. Ita docet S. Thomas art. 2. & 3. & alij Theologi omnes hoc loco & in 3. d. 21. Et eſt communis Fidelium ſenſus, iuxta receptum illud proloquium, *Quod Deus ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*. Ita etiam docent communiter Patres, Athanaſ. lib. de Incarn. Chriſti, Auguſt. tract. 47. in Ioann., Niſſen Orat. 1. de Reſurrect., Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 27., Bernard. lib. 5. de Conſiderat., & alij. Auctoritate præcipua probat S. Thomas ex verbis Symboli, vbi de eodem Ieſu Chriſto Filio Dei; qui dicitur conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Virgine, dicitur etiam, *Paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis*. Quæ non verificaretur de ipſo Filio Dei, ſi corpus & anima Chriſti nõ manſiſſet vnita Verbo: ſiquidem ſolum corpus abſque anima fuit ſepultum, & ſola anima abſque corpore deſcendit ad inferos, & corpus & anima inter ſe fuerunt in morte ſeparata, & in reſurrectione vnita: fatendum ergo eſt, corpus & animam Chriſti, etiam dum ſeparata fuerunt inter ſe, manſiſſe vnita Verbo. Ratione quoque probat S. Thomas: quia quod per gratiam Dei conceditur, nunquam abſque culpa reuocatur: & ita nunquam Deus aufert gratiam adoptionis & ſanctificationis abſque noſtra culpa: ergo à fortiori non debebat ſubtrahere gratiam hypoſtaticæ vnionis, quæ ex natura ſua eſt magis permanens, & ad perſonalem vnitatem ordinatur: non ergo diſſoluta fuit vnio hypoſtatica Verbi diuini cum corpore & anima Chriſti.

Cùm in reſurrectione & in perpetuum deberent remanere vnita.

Accedit, quod in reſurrectione ac deinceps debebant permanere vnita corpus & anima Chriſti cum Verbo diuino: ergo non debebant dimitti tempore mortis, vt iterum reſſumerentur in reſurrectione: ſed potius debuerunt ſemper retineri vnita Verbo. Et quamuis fuerint ſeparata inter ſe, tamen bene poterant permanere vnita Verbo, vt ſupponimus ex dictis antea quæſt. 5. de aſſumptione partium humanitatis. Ac etiam erant pauló poſt reunienda inter ſe in reſurrectione. Non ergo oportebat, nec conueniebat, interim dimitti à Verbo. Et hæc eſt ratio diſcriminis, quare partes corpori, quæ in progreſſu vitæ Chriſti reſoluebantur, non manerent ampliùs vnitæ Verbo, ſed corpus in morte manſerit vnitum: quia videlicet illæ partes non ſpectabant amplius ad integritatem corporis, nec erant iterum reaſſumendæ & reducendæ: at ipſum corpus erat deinceps in perpetuo retinendum vnitum Verbo & animæ. Bene tamen ſanguis Chriſti, qui effuſus fuit in paſſione, & ſeparatus à corpore, dici adhuc debet permanſiſſe vnitus Verbo, ſupponendo quod antea eſſet vnitus: ſiquidem erat in reſurrectione reaſſumendus, & ſe habebat veluti pars corporis Chriſti. Quare ſicut ſi abſciſſa fuiſſet manus aliaue pars corporis Chriſti, ſemper adhuc manſiſſet vnita Verbo, ita pariter ſentiendum eſt de ſanguine. Vnde in ſexta Synodo Act. 16. pariter dicitur, Verbum in paſſione non exuiſſe carnem & ſanguinem. Idemque confirmauit Clemens ſextus, vt refertur in Director. Inquiſitor. par. 2. q. 10. Et ſi quis Apoſtolorum in triduo mortis conſecraſſet, pariter ſub ſpeciebus vini adueniſſet Verbum cum ſanguine, ſicut ſub ſpeciebus panis cum corpore. Vnde oppoſitam Mayroni ſententiam, erroneam & damnatum cenſent Medina hic 3. par. q. 5. art. 2. & Vaſq. diſp. 36. cap. 4. Sed illum à tali cenſura excuſare conatur Franciſcus Collius lib. 5. de Sanguine Chriſti diſp. 4.

Explicantur

Ad verba autem illa Chriſti, reſpondet

Sic quidã auctoritates & rationes.

docet optimè Thomas, & alij Doctores communiter de hac ie, nequaquam derelictione per ſenſum eſſe de vnionis hypoſtaticæ: diſſolutionem vnionis permiſſionem perſequu- ſed ſolùm per permiſſionem ſiue per non exau- tionis ab inimicis: ſiue per non exau- ditionem illius orationis. *Tranſeat à me calix iſte.* Aut per ſubtractionem omnis gaudij & ſolatij in parte ſenſiti- ua, aliſiuè ſimilibus modis. Et fortaſſe non plus etiam voluerunt illi Patres. Ad rationem per ſe patet, quod licet Diuinitas in ſe vita ſit, tamen non per ſe formaliter erat vita corporis Chriſti, non erat illi forma viuificans & dans vitam naturalem, ſed tribuebat tan- tùm ſubſiſtentiam: bene ergo potuit corpus Chriſti remanere mortuum, quamuis vnitum Diuinitati. Ad ratio- nem Mayroni, ſatis notum eſt, non de- bere per communicationem idiomatũ dici de Verbo, quęcunq; dicũtur de vna vel alia parte, ſicut quæ dicuntur de toto homine. Sed in hac re ſeruandus eſt conſuetus & acceptus modus lo- quendi. Ad alteram rationem patet etiam ex dictis antea quæſt. 5., vnio- nem hypoſtaticam non fuiſſe ſolùm factam in natura totali, ſed etiam in ipſis partibus, corpore & anima: & non fuiſſe in ijs factá dependenter à natu- ra totali, ſed potiùs antecedenter: & ſic pariter ſupponebamus ſe habere ſubſiſtentiam naturalem: atque adeo dicebamus, fuiſſe duplicem diſtinctum modum vnionis hypoſtaticæ, in corpo- re & in anima Chriſti: optimè ergo potuit & debuit in ijs remanere, quam- uis diſſoluta natura totali. Illi tamen Theologi qui volebant, vnicum ſim- plicem eſſe modum vnionis hypoſtati- cæ, per ſe primò conuenientem natu- ræ totali, dicebant adhuc, in morte Chriſti, licèt ceſſaſſet talis modus, ſuc- ceſſiſſe tamen pro tunc, & vſque ad reſurrectionem, alios duos modos di- ſtinctos in corpore & anima. At po- tiùs, ex permanentia ipſa vnionis de- bebat inferri, ab initio fuiſſe duplicem diſtinctum, ſemper continuum ac per- petuum.

Nec fuit deſtructus vilus mo- Rurſus aliqui Theologi opinati ſunt, dum in morte Chriſti diſſoluta fuit na- tura totalis, per ſeparationem corporis & animæ, deſtructum quoque fuiſſe aliquem modum hypoſtaticæ vnionis, quo ſcilicet ipſa natura totalis coniun- gebatur Verbo diuino, ac poſtea repa- ratum fuiſſe in reſurrectione. Hoc ta- men non eſt neceſſarium, nec admit- tendum: quia vt ead. quæſt. 5. deter- minauimus, non requirebatur nec in- tercedebat alius tertius modus vnionis præter vniones ipſas partiales corporis & animæ ad Verbum, ſed per has ip- ſas vniones, dum corpus & anima coniuncta ſunt inter ſe, conſtitui ac denominari totam naturam & huma- nitatem aſſumptam à Verbo. Non er- go in morte Chriſti fuit deſtructus alius modus vnionis, quàm vnio phyſica inter corpus & animam: & hic etiam ſolus modus debuit in reſurrectione reparari: Quod totum clarè indicat S. Thomas hîc art. 3. ad 2., explicans dictum quoddam Athanaſij, & dicens, non aliter fuiſſe denuò totam humani- tatem aſſumptam in reſurrectione, *Niſi quòd iteratò totalitas naturæ aſſum- ptæ, ſit in reſurrectione redintegrata per iteratam vnionem animæ & corporis.* *dus vnio- nis ad Ver- bum.*

Non obſtante autem deſtructione vnionis inter animam & corpus, atque adeo totalitatis humanæ naturæ, ad- huc Magiſter in 3. diſt. 22. affirmauit, Chriſtũ, ſeu Verbum, in triduo mortis debuiſſe dici hominem: eo quòd puta- uit, de ratione hominis non eſſet vnio- nem inter animam & corpus, ſed ſatis eſſe ipſas partes, ſiue coniunctas, ſiue non. Et Vgo de S. Victore lib. 2. de Sa- cram. par. 1. cap. 11. affirmauit ſimiliter, Chriſtum ſeu Verbum debuiſſe dici ho- minem ratione animæ: quia putauit, animam ipſam eſſe hominem. At S. Thomas hîc art. 4. aſſerit iuxta fidem de veritate mortis Chriſti, non poſſe dici Chriſtum in triduo mortis fuiſſe ho- minem: quia de veritate mortis eſt, vt deſinat eſſe ille homo; illud animal, quod moritur. Et certè partes ſeparatæ, non ſunt homo, anima per ſe non eſt homo, ſed non niſi per partes con- iunctas conſtituitur homo. Vnde ait S. Thomas, Vgonem & Magiſtrum er- raſſe in modo loquendi, licet non erra- uerint in ſenſu contra fidem. Hæc Sancti Thomæ doctrina veriſſima eſt, *Sed interim non extabat illa totalis natura, ille homo.*

 ſumendo

ſumendo nomen Chriſti directè pro ſuppoſito diuino, id eſt Verbo, de quo non dicitur humanitas niſi quando exiſtit. Alioqui ſi ſumatur nomen Chriſti pro hoc ſingulari homine, ſicut nomen Ieſus; non ſolùm in triduo mortis, ſed etiam ante incarnationem, & ab æterno, verum erat dicere, Ieſus eſt homo, enunciando nempe propoſitionem eſſentialem naturæ ſpecificæ de ſuo indiuiduo: ſicut nunc etiam & ab æterno verum eſt dicere, Adamus eſt homo, & ſic de quocunque ſingulari homine, etiam mere poſſibili: inquantum nempe propoſitiones eſſentiales, ſunt æternæ veritatis, & abſtrahunt ab omni tempore, & ab exiſtentia actuali.

An fuerit idem corpus Chriſti viuentis & mortui.

Poſtremò, ſicut ſemper fuit eadem anima Chriſti viuentis & mortui, coniuncta ac ſeparata à corpore; dubitatur, nunc etiam ſimpliciter dici debeat idem corpus. De qua re S. Thomas art. 5. docet, fuiſſe ſimpliciter & abſolutè idem corpus, ratione ſuppoſiti: quia ſemper fuit idem ſuppoſitum, ſiquidem corpus Chriſti, ſiue mortuum, ſiue viuum, non habuit aliam hypoſtaſim quàm Verbi. Non fuiſſe autem omnino & totaliter idem: quia vita eſt de eſſentia corporis viuentis, quare ſublata vita non remanet idem corpus: non ſolùm non idem numero, ſed nec etiam idem ſpecie, vt notat in ſolut. ad 2.: non idem ſecundùm formam, ſed tamen idem ſecundùm materiam, vt exprimit in ſolut. ad 1. Quod ſic magis explicandum eſt, tàm quoad rem, quàm quoad modum loquendi. Nomen corporis poteſt ſumi, vel prout denotat præcisè ſubiectum animæ in viuentibus, vt vocatur corpus organicum, dum dicitur animal conſtare ex corpore & anima: vel prout denotat ſubſtantiale compoſitum, ſicut reponitur directè in prædicamento ſubſtantiæ.

Fuit idem corpus organicum, ſed aliud compoſitũ.

Primò modo eſt prorſus idem corpus: quia ſemper permanet eadem materia: &, vt nos putamus, eadem etiam numero accidentia organica. Secundo modo, planè non eſt idem corpus: quia non eſt idem compoſitum, nempe per receſſum animæ. Aliqui verò putarunt, non per hoc factum eſſe aliud nouum compoſitum per aliam nouam formam dicentes; vel naturaliter permanere & ſufficere quãdam formam corporeitatis quam ſimul conſtituunt in omnibus viuentibus, ſiue ſimplicem & homogeneam, ſiue æterogeneam & compactam ex varijs formis partialibus, vt opinantur hîc Tanerus to. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 2. & Bonacina diſp. 3. q. 3. puncto 13. §. 2. Vel ſaltem ſupernaturaliter conſeruatam fuiſſe illam materiam abſque omni ſubſtantiali forma. Hoc tamen non eſt neceſſarium, nec admittendum: ſed ſupponimus, in alijs corporibus aduenire nouam formam quæ dicitur cadaueris, & non dari formam illam corporeitatis, vt tractauimus quæſt. 41. Philoſ. ſect. 2. Neque hic inducendum eſt tàm nouum miraculum, vt materia conſeruata fuerit abſque omni forma. Itaque fatendum eſt, etiam in corpore Chriſti adueniſſe nouam formam, quæ dicitur cadaueris. Et hoc ſatis indicat S. Thomas, dum in ſol. ad 2. abſolutè ait, corpus mortuum eſſe aliud à viuo ſecundùm formam: hoc eſt eſſe aliud compoſitum.

Fuit ſemper idem ſuppoſitũ.

Sed quoad ſuppoſitum & hypoſtaſim, dubitat Marſil. in 3. quæſt. 3. art. 1. & q. 13. art. 1., quòd non fuerit talis noua forma & noua natura aſſumpta ab eodem diuino ſuppoſito: quia illa forma & natura erat irrationalis: & quia talis aſſumptio nihil iuuabat amplius ad noſtram redemptionem: & quia Verbum non dimiſit quod aſſumpſit, cùm tamen illa forma & natura eſſet paulo poſt per reditum animæ dimittenda. Conuenientius tamen eſt dicere, Verbum aſſumpſiſſe etiam pro tunc illam nouã formã & naturã. Hoc maximè intendit S. Thomas, dum aſſeuerat, fuiſſe omnino idem corpus ratione ſuppoſiti & hypoſtaſis. Nec debet cogitari, permanſiſſe ſubſiſtentiam diuinam vnitam ſoli materiæ, & acceſſiſſe ſimul aliam ſubſiſtentiam creatam pro illa noua forma & natura totali in illo compoſito. Nullumque inconueniens eſt, Verbum aſſumpſiſſe formam & naturam irrationalem: ſicut etiam antea dicebamus, aſſumpſiſſe ſanguinẽ & alios humores, licèt inanimatos, habenteſquè ſuam propriam formam & naturam. Et quamuis illa

noua

Noua aſſumptio non referat ad noſtram redemptionem, tamen erat conſequens ad aſſumptionem humanæ naturæ, in qua perfecerant noſtram redemptionem. Neque poſtea dimiſit illam formam & naturam, quaſi relinqueret eam exiſtentem, & ad proprium ſuppoſitum creatum remitteret: ſed illa ceſſante exiſtere, ceſſauit quoque illam ſubſtentare, quod non aduerſatur communi regulæ. Quinimò conueniebat, vt interim dum exiſteret illa forma & natura, loco animæ rationalis & naturæ humanæ, ſubſtẽtaretur tunc à Verbo, donec in reſurrectione redintegraretur eadem humana natura.

SECTIO SEXTA.

De Sepultura Chriſti.

POſt mortem Chriſti, ea quæ circa corpus & animam eius ſeparatim acciderunt, dicuntur adhuc de ipſo Chriſto. Et ita patet in Symbolo, vbi dicitur, *Sepultus*, quod ſpectat ad corpus: dicitur, *Deſcendit ad inferos*, quod ſpectat ad animam. Eſtque hic modus loquendi, communis & conſuetus de omnibus: nam de quocunque homine dicimus, illum ſepeliri, eſſe ſepultum, & ſic paſſim in Sacra Scriptura dicitur. Dicimus quoque, pios viros euolare in cœlum, manere in cœlo; impios detrudi in inferno: vt dictum eſt Lucæ 16. *Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, mortuus eſt autem & diues & ſepultus eſt in inferno*; & dicitur diues vidiſſe Lazarum, & rogaſſe Abraham vt mitteret Lazarum: quæ omnia intelliguntur de animabus ſeparatis. Vſurpatur autem hic loquendi modus, per modum figuræ, nominando totum pro parte: vt paſſim in alijs quoque rebus occurrit. Additque S. Thomas quæſt. 52. art. 3. dici debere, quòd totus Chriſtus fuit in ſepulchro, & totus etiam apud inferos: quia ly totus, refertur ad hypoſtaſim, quæ erat vbique tota; licèt non tota humanitas fuerit vtrobique, ſed tantum corpus in ſepulchro, & anima apud inferos.

Fuit ergo Chriſtus, ideſt corpus Chriſti, verè ſepultum, vt expreſsè habetur in Euangelio. Redditque S. Thomas quæſt. 51. art. 1. tres conuenientiæ rationes huius facti. Nempe ad comprobandam veritatem mortis Chriſti: quia non reconditur quis in ſepulchro, niſi quando ſatis de morte conſtat: vnde & Pilatus, vt concederet licentiam deponendi & ſepeliendi corpus Chriſti, diligenter inquiſiuit de veritate mortis eius. Deinde ad comprobandã ſpem noſtræ reſurrectionis: quia ſicut Chriſtus de ſepulchro ſurrexit, ita ſperamus alios mortuos eſſe de ſuis monumentis reſurrecturos. Demum ad præbendum exẽplum ijs qui peccato moriuntur per gratiam: qui ſcilicet abſcõduntur à conturbatione hominum, & baptizati dicuntur conſepeliri cum Chriſto. Et rurſus art. 2. in corpore, reddit alias tres conueniẽtiæ rationes, quoad modum quo Chriſtus ſepultus fuit, tàm diligenter & honorificè. Nempe tum ad confirmandam fidem mortis & reſurrectionis eius: tum ad commẽdandam pietatem eorum qui hoc officium geſſerunt: tum ad informationem eorum qui myſticè ſepeliuntur cum Chriſto.

Conueniẽs fuit Chriſtum ſepeliri, & honorificè in tumulo condi.

Et in ſolutionibus argumentorum reddit rationem ſingularum circunſtãtiarum, quæ in hoc myſterio, ſicut & in alijs, vtique otioſæ non ſunt. Fuit Chriſtus ſepultus a Magnatibus, ſcilicet Ioſepho nobili decurione, & Nicodemo inter Iudæos principe; ad maiorem nempe honorem defuncti, & ad præfigurandam deuotionem fidelium qui erant Chriſto ſeruituri. Sepultus fuit more apud Iudæos ſolito, vt admoneamur in huiuſmodi officijs morem gentis eſſe ſeruandum. Fuit conditus aromatibus Myrra & Aloe, vt ad conſeruandum Chriſtum in nobis ſignificaretur amaritudo pœnitentiæ & odor bonæ famæ. Fuit conditus ijs aromatibus aptis præſeruare corpora à corruptione, ad oſtendendum licitum eſſe vti medicinaliter quibuſdam pretioſis pro neceſſitate corporis conſeruandi. Fuit inuolutus in ſindone munda, ad ſignificandum, Chriſtum eſſe mente pura ſuſcipiendum. Fuit ſepultus in horto.

Conuenientes fuerũt omnes circunſtantiæ ſepulturæ.

Digitized by Google

quia liberauit nos à morte quam genus humanum in horto voluptatis incurrit. Fuit ſepultus in alieno ſepulchro, quia pro aliorum ſalute mortuus erat, & ad exercitium paupertatis in morte ſicut in vita. Fuit ſepultus in ſepulchro nouo, ne diceretur forte alius ſurrexiſſe, vt ſignaretur virginalis vterus Mariæ, & vt figuraretur noſtra innouatio. Fuit ſepultus in monumento exciſo in petra, & admotum ſaxum magnum ad oſtium monumenti, vt magis appareret reſurrectionis miraculum; & ad ſignificandum ingreſſum Chriſtianę doctrinæ in pectus durum gentilium, antea diuino timori non peruium, & quod poſt receptum Chriſtum debet eſſe omnibus alijs rebus occluſum.

Corpus Chriſti in ſepulchro fuit immune à corruptione.

Sepultum Chriſti corpus, fuit prorſus immune ab illa corruptione & putrefactione, cui naturaliter cadauera ſunt obnoxia. Hoc eſt quod docet S. Thomas art. 3., & conſentiunt omnes alij Theologi. Et ita intelligitur, quòd eo modico tempore quo manſit in ſepulchro ante reſurrectionem, nullum initium putrefactionis ſubijt; ac etiam ſi diutiùs & diutiſſime in ſepulchro exanime manſiſſet, nunquam fuiſſet in putredinem aut cineres reſolutum, vt notauit Henric. Quodl. 12. q. 12. Habetur hæc aſſertio ex verbis illis Pſalmi 15., *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: ideſt, non ſines corpus Chriſti Filij tui in ſepulchro putreſcere & corrumpi. Non ſolùm ſcilicet quia cito Deus illud ſuſcitauit: ſed etiā quia pro tunc dum illud in ſepulchro reliquit, nō permiſit vllo initio corruptionis tangi, nec vnquam permiſiſſet. Et hinc etiam Petrus Actor. 2. dixit, *Propheta prouidens loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, nec caro illius vidit corruptionem*. Et ſimiliter Paulus cap. 13., *Dauid appoſitus eſt ad patres ſuos & vidit corruptionem, quem verò Deus ſuſcitauit non vidit corruptionem*. Et ita Patres communiter hæc loca intelligunt. Et quod dicitur de corpore, intelligi etiā debet de ſanguine fuſo è corpore, ſcilicet manſiſſe à corruptione & putrefactione illæſum prorſus & immune: eadem enim regula de illo procedit. Et impium prorſus eſt, quod Oſiander Hæreticus & alij ex Caluiniſtis effingere auſi ſunt, ſanguinem Chriſti relictum fuiſſe, vt in terra putreſceret: vt refert ac refellit Franciſcus Collius lib. 5. de Sanguine Chriſti diſput. 3.

Redditur ratio conuenientiæ.

Rationem quoque affert S. Thomas: quia putrefactio prouenit ex infirmitate naturæ corporeæ, ſed Chriſtus non fuit mortuus ex infirmitate naturæ, ſcilicet ex morbo & ægritudine naturali, ſed ex ſua voluntate morti ſe obtulit: ergo nec poſt mortem corpus eius debebat putrefieri aut qualitercunque in cineres reſolui. Hac ratione non vtique intendebat S. Thomas dicere, corpus Chriſti ex tali modo mortis fuiſſe à putredine tutum: ſiquidem conſtat, tam cadauera eorum qui violenter occiduntur, quam eorum qui naturali modo occidunt, pariter corrumpi & putrefieri. Neque dicere voluit, corpus Chriſti fuiſſe per ſe liberum ab infirmitate naturæ, quæ aliorum corpora ad putredinem trahit: ſiquidem potiùs dictum eſt, corpus Chriſti fuiſſe etiam per naturam paſſibile & morti obnoxium, niſi ſuperiori virtute præſeruaretur. Sed tantùm oſtendere voluit conuenientiam, quæ prorſus ita decebat, vt virtus ipſa diuina cuſtodiret corpus Chriſti à communi naturæ miſeria, & à putredine præſeruaret. Et ad hoc deſeruit illa ſimilitudo: ſicut non conueniebat, corpus Chriſti relinqui vt naturali morbo vel ſenio interiret, ita nec etiam vt mortuum putrefieret.

Redditur ratio diſcriminis inter mortem & corruptionem.

Sed hinc poteſt inſtari: quia Chriſtus non aliter præſeruatus eſt à ſenio & interitu naturali, niſi per præuentionem mortis violentæ; ſed interim dum vixit, tendebat ad ſenium & interitum naturalem, ſicut alij homines: ergo ſimiliter non oportebit dicere, fuiſſe aliter præſeruatum in ſepulchro à corruptione, niſi per præuentionem reſurrectionis; ſed interim dum manſit in ſepulchro, incipiebat diſponi & tendere ad corruptionem, ſicut in alijs mortuis contingit. Verùm, ſi in omnibus ſeruanda fuiſſet paritas inter corruptionem & mortem; fieri debuiſſet, vt ſicut Chriſtus fuit violenter occiſus ante

Digitized by Google

antè tempus ſenij naturalis, ita corpus eius fuiſſet violenter per cauſas externas conſumptum & in cineres reſolutum. Non enim Chriſtus fuit præſeruatus à morte per præuentionem gloriæ & immortalitatis: quare non illi aſſimilatur præſeruatio à corruptione per præuentionem reſurrectionis. Diſcrimen ergo manifeſtum eſt, inter corporis corruptionem & mortem; quia mors Chriſti erat nobis ſalutaris, erat pretium noſtræ redemptionis, & ideo fieri debebat, vt Chriſtus tenderet ad mortem: ſed corruptio corporis poſt mortem, non ampliùs iuuabat, & ideo præſeruari debebat Chriſti corpus ne ad illam tenderet. Comparatio verò priùs dicta, conſiſtit tantùm in hoc; quòd ſicut Chriſtus quamuis vellet mori, tamen voluit mori tali modo, quo oſtenderet, ſe non ex infirmitate naturæ, ſed ex voluntate ſua mortem ſubire. ita conueniebat etiam, vt oſtenderet & confirmaret magis, ſe non obijſſe ex infirmitate naturæ, ſed ex voluntate ſua, quia habebat virtutem ſuperiorem omni infirmitati naturæ, & ſicut præſeruabat corpus ab omni corruptionis initio vel diſpoſitione, ita potuiſſet penitus ab omni interitu cuſtodire.

Quanto tempore Chriſtus in ſepulchro iacuerit.

Cæterùm, quanto tempore Chriſtus in ſepulchro iacuerit, difficultatem habet: quia ex vna parte Chriſtus ipſe ſæpè prædixit, ſe ſurrecturum tertia die poſt mortem: quod videtur intelligendum poſt tres dies completos & integros. Ac præſertim ſic prædixit Matth. 12., *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*: quod ſine dubio dixit de tempore quo manſurus erat intra ſinum terræ in ſepulchro. Et cap. 26. in hoc eodem ſenſu aſſeritur quod Chriſtus dixerat, *Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Et cap. 27., *Dixit adhuc viuens poſt tres dies reſurgam.* At ex alia parte, Chriſtus paſſus fuit die ante ſabbatum, vt antea diximus, & poſtea reſurrexit manè primæ diei poſt ſabbatū, vt colligitur ex pluribus alijs locis Euāgelij: ſic planè nō manſit in ſepulchro, pluſquam à veſpere præcedente ſabbatum, vſque ad manè ſequens poſt ſabbatum, & ita ſolùm die ſabbati cum duabus noctibus.

Propter priorem partem, nonnulli quidem opinati ſunt, Chriſtum iacuiſſe in ſepulchro tribus diebus naturalibus integris, ideſt ſingulis conſtantibus ex vna nocte & vno die artificiali, ſiue ex vigintiquatuor horis. Atque ita indicauit Alcuinus lib. de Diuinis officijs cap. de Cœna Domini, dicens, Chriſtū iacuiſſe in ſepulchro ſeptuaginta duabus horis. Quare ſupponendo, Chriſtum mortuum ac ſepultum fuiſſe veſpere præcedente ſabbatum, non poſſet dici reſurrexiſſe niſi ad veſperam feriæ ſecundæ.

Iacuit non vltra triginta ſex horas, ſcilicet vno die & duabus noctibus.

Satis tamen certum & in tota Eccleſia receptum eſt; Chriſtum ſurrexiſſe primo manè diei immediatè ſequentis poſt ſabbatum, quæ hinc apud Fideles vocatur dies dominica, & in honorem reſurrectionis Domini dedicata eſt: atque ita ſit, Chriſtum non iacuiſſe in ſepulchro vltra vnum diem artificialem & duas noctes, ſiue vltra trigintaſex horas, ſiquidem tàm nox quàm dies artificialis tunc conſtabat duodecim horis, quæ cùm tunc eſſet circa tempus æquinoctij, erant æquales inter ſe, & cum noſtris horis quas noſtro vſu computamus. Ita ſtatuit S. Thomas hìc art. 3., & iterum infra agens de reſurrectione q. 53. art. 2. Eſtque communis doctrina Patrum. In quam etiā apertè deſcendit idem Alcuinus cap. ſequēti de Feria 6. quæ eſt Paraſceue, §. *Quæſtio quare*, vbi apertè ait, *Dominus non triginta ſex horis iacuit in ſepulchro, vno videlicet die & duabus noctibus.*

Et ſumitur ſatis clarè ex Euangelio. Dicit enim Matthæus initio cap. 28., in illa die quæ luceſcit in prima ſabbati, ideſt in prima die poſt ſabbatum, ſiue in prima die hebdomadæ, non inuentum fuiſſe Chriſtum in ſepulchro, ſed inuentum fuiſſe reuolutum lapidem de oſtio monumenti, & annunciatum fuiſſe ab Angelo reſurrectionem Chriſti iam peractam. Et Marcus cap. 16. narrat, qualiter mulieres, cùm tranſiſſet ſabbatum, ideſt poſt diem ſabbati, valde manè vna ſabbatorum, ideſt primæ dierum hebdomadæ, inueniſſent ſepulchrum

chrum vacuum, & audiſſet ab Angelo, quòd non erat ampliùs ibi Chriſtus, ſed reſurrexerat. Et Lucas in fine cap. 23. & initio capitis 24. ait, mulieres ſabbato ſiluiſſe ſecundùm mandatũ, ideſt quieuiſſe iuxta legis obſeruantiam, & deinde valde mane vna ſabbati, ideſt prima die ſequente poſt ſabbatum, ingreſſas in monumentum non inueniſſe corpus Domini Ieſu. Ac ſimiliter Ioannes initio cap. 20. ait, vna ſabbati, ideſt prima die, veniſſe Mariam Magdalene, & vidiſſe lapidem ſublatum. Reddit etiam rationes S. Thomas pro conuenientia huius temporis: quia ad confirmandam veritatem mortis Chriſti, expediebat aliquantum differri reſurrectionem: & ad confirmandam fidem diuinitatis, expediebat non diu differri: & ad vtrunque congruum fuit illud tempus. Tempus ſcilicet duarum noctium & vnius diei: quia dies ſignificat ipſam Chriſti mortem, quæ non de peccato proceſſit; duæ autem noctes ſignificant duplicem noſtram mortem, corporis & animæ, à qua vtraque per Chriſti mortem liberamur. Et hanc ſignificationem expreſſit etiam Alcuinus vbi ſupra. Congruebat quoque numerus ipſe ternarius, vtpote habens principium, medium, & finem. Ac per Chriſti reſurrectionem incipiebat tertium tempus; quia primum fuerat ante legem, ſecundum ſub lege, tertium erat ſub gratia. Incipiebat tertius ſtatus; quia primus fuerat ſub vmbris & figuris, ſecundus ſub veritate, tertius erit in æternitate gloriæ.

Surrexit enim in aurora prima die poſt ſabbatum.

Hæc autem non oſtendunt, qua propriè hora Chriſtus reſurrexerit, atque adeo quot horis manſerit in ſepulchro. Et loca Euangelij probant ſolùm, Chriſtum inuentum fuiſſe ſuſcitatum è ſepulchro in illo mane, quare potuiſſet aliquot horis antea ex illo exiſſe. Rationes etiam non ſuadent, totam illam vltimam noctem Chriſtum iacuiſſe in ſepulchro. Vnde aliqui Patres dixerunt, Chriſtum reſurrexiſſe ſtatim vel paulo poſt mediam noctem. Et fundamentũ ſumpſerunt ex verbis Matthæi, qui ſic inquit, *Veſpere autem ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati*: quod intelligunt, nocte illa ſequente poſt ſabbatũ quando iam incipiebat vergere in lucẽ ſequentis diei, ideſt ſtatim poſt mediã noctem. Meliùs tamen S. Thomas & alij Theologi communiter, ac vt plurimum Patres, docent, Chriſtum ſurrexiſſe in ortu Solis, ſiue Aurora illius diei ſequentis poſt ſabbatum, atque adeo vſque ad illam horam manſiſſe in ſepulchro, & ſic expleſſe trigintaſex horas. Et colligitur ex iiſdem locis Euangelij. Signatur enim illud tempus quo mulieres acceſſerunt ad monumentũ, tanquam illud ipſum in quo ipſis euntibus reſurrexit Dominus. Et hoc apparet clariùs in verbis Matthæi, qui narrans profectionem mulierum, ſubdit, *Et ecce terræmotus factus eſt magnus, &c.*, tunc ſcilicet quando mulieres pergebant ad monumentum. Illud autem fuiſſe tempus auroræ, perſpicuè conteſtantur alij Euangeliſtæ; dum Marcus ait, *valde mane*, Lucas *valde diluculo*, & Ioannes *mane cùm adhuc tenebræ eſſent*. Vnde, cùm Marcus addat, *orto iam Sole*, intelligitur, mulieres diſceſſiſſe quidem è domo quãdo adhuc tenebræ erant; perueniſſe autem ad monumentum, quando Sol lucebat, vel exiſtens ſupra vel proximè ad Orizontem, vel ſurgens ex Orizonte, vt habetur in textu græco *Oriente Sole*. Et ſic debent intelligi verba Matthæi, *veſpere*, ideſt nocte ſabbati, incipiente illuſtrari die prima ſequenti. Et ſic demum Marcus cap. 16. repetit; *Surgens autem mane, prima ſabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene*: vbi ly *mane* coniungitur cum ly *ſurgens*, vt habetur in textu vulgato, ad ſignandum tunc propriè Chriſtum ſurrexiſſe de ſepulchro. Et ita complentur dictæ horæ. Vnde vlterius, quia Chriſtus mortuus fuit hora nona diei Paraſceues, ſequitur manſiſſe mortuum triginta nouem horis: & fortaſſe attigiſſe quadrageſimam, ſi reſurrexit poſt ceptum ortum Solis ab Orizonte.

Qualiter dicatur ſurrexiſſe tertia die.

Ad explicandum autem, qualiter Chriſtus tertia die reſurrexerit, & præcipuè ob expreſſionem illam de tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ, plures dicendi modi excogitati sũt. D. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 24. refert, quoſdam pro

vna

vna nocte accepiſſe tres illas horas tenebrarum quando Chriſtus pependit in cruce, & pro vna die alias tres horas lucis; pro alia nocte & die, noctem proximam & diem ſabbati; pro tertia nocte, aliam ſequentem poſt ſabbatum, & pro tertia die auroram diei dominicæ. Et hunc dicendi modum tradiderat Hilarius Canone vltimo in Matthæum. Quidam alij tres noctes & dies computarunt incipiendo à nocte præcedente diem Paraſceues. Vel accipiendo ab inſtitutione Euchariſtiæ, vbi Chriſtus obtulit ſe ipſum in illo ſacrificio incruento; & ſic accepit Niſſenus Orat. 1. & 2. de Reſurrect.. Vel accipiendo à comprehenſione facta per Iudæos & miniſtros: & ſic accepit Alcuinus eo cap. de Cœna Domini, dicens, *Si partem Paraſceues cū præterita nocte qua comprehenſus eſt Dominus accipias, itemq; ſabbatum cum ſua nihilominus nocte, & rurſus noctem dominicam cum eodem die quo illuceſcente ſurrexit, inuenies profectò integrum triduum & tres noctes*. Sed relictis his & ſimilibus expoſitionibus, quę plane diſſonant a littera & ſenſu Euangelij, aliter res explicanda eſt cum D. Thoma, & alijs Theologis ac ſacris Expoſitoribus & Patribus communiter, ſiſtendo præciſè in illo tempore à ſepultura vel morte ad reſurrectionem Chriſti, & ſumendo nomina dierum & noctiū in ſua proprietate & conſueta ſignificatione.

Qualiter manſerit in ſepulchro tribus diebus naturalibus.

Et ſupponendum eſt, non oportere, Chriſtum manſiſſe in ſepulchro tres dies integros & completos: id enim non requiritur ad rigorem verborum, nec ſimpliciter verificari poteſt. Sed omnino ſatis eſt, manſiſſe ſaltem per partem aliquam trium dierum, vt in alijs ſimilibus loquutionibus frequenter occurrit. Ac etiam quando dictum eſt, poſt triduum, poſt tres dies, ſatis eſt dicere, poſt inchoatam tertiam diem. Vt manifeſtum erat, quando de circunciſione dixit Lucas, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, ideſt in die ipſa octaua, & poterat vtique circunciſio fieri in prima hora illius diei. Et ſimiliter quando dixit, *Poſt triduum inuenerunt illum in templo*, ideſt tertia die inuenerunt. Rurſus dupliciter poteſt ſumi nomen diei: vno modo dicitur dies naturalis, complectens viginti quatuor horas, partim lucis & partim tenebrarum: alio modo dicitur dies artificialis, prout ſcilicet à nocte diſtinguitur, & complectitur ſolum horas lucis. Loquendo ergo in primis de die naturali, facilè eſt, quomodo Chriſtus manſerit in ſepulchro, ſeu iacuerit mortuus, per tres dies ſaltem ſecundum partem: nempe extrema parte diei paraſceues, tota die ſabbati, & prima parte diei primæ ſequentis. Et hoc verificaretur, etiam ſi Chriſtus ſurrexiſſet ſtatim poſt mediam noctem, vt aduertit S. Tho. q. 53. art. 2. ad 3. Etenim ex media nocte incipit dies naturalis; quia ex tunc incipit Sol accedere ad noſtrum Orizontem & Emiſpherium.

Qualiter tribus diebus artificialibus & tribus noctibus.

Loquendo autem de die artificiali, diſtinguendo dies ac noctes; difficilius ſanè eſt quomodo Chriſtus manſerit, non ſolùm tribus diebus, ſed etiam tribus noctibus, ſicut ipſe prædixerat ad exemplum Ionæ. Quare S. Tho. hic quæſt. 51. art. 4. ad 1., non curauit id ſubtiliter verificare: ſed ſupponere videtur, eo ipſo modo loquendi de tribus diebus & tribus noctibus, Chriſtum ſimpliciter intellexiſſe tres dies naturales. At certe diſtinctio illa dierum & noctium, indicat propriè dies artificiales cum ſuis noctibus. Atque hoc etiā verificari & explicari poteſt, vt ex parte præſtitit poſtea S. Doctor ibi q. 53. art. 2. ad 3. Itaque Chriſtus iacuit mortuus, ac etiam reconditus fuit in ſepulchro, per quandam partem lucis diei paraſceues, & per partem noctis, computando vſque ad mediam noctem. Manſit in ſepulchro ab illa media nocte per totum ſabbatum vſque ad medium noctem ſequentem; & ſic vna die integra artificiali, & vna nocte integra, conflata ſcilicet ex poſteriori medietate præcedentis noctis & priori medietate ſequentis, ſicut quidem accipi debet, non ad conficiendum vnum integrum diem naturalem. Demum manſit per alteram medietatem illius noctis ſequentis ad ſabbatum, & per aliquam partem lucis diei ſequentis. Quo planè modo completur numerus trium no-

ctium

Google

ctium & trium dierum artificialium. Et ſic verificantur optimè omnia quæ dicta ſunt de tẽpore quo manſit Chriſtus in ſepulchro.

Sectio Septima.

De Deſcenſu Chriſti ad Inferos.

Verè dicitur Chriſtus deſcẽdiſſe ad inferos.

PRO eodem tempore quo Chriſtus iacuit mortuus, dicitur ad Inferos deſcendiſſe. Ita profitemur in Symbolo Apoſtolorum, & in Symbolo Athanaſij. Et quamuis aliqui Patres interdum referant commune Symbolum, abſque illa particula, *Deſcendit ad inferos*: tamen plures cum illa referunt, & nullus illam excludit, & in Eccleſia ſemper cum illa recitatur: vnde ſine dubio ab ipſis Apoſtolis appoſita fuit. Item habetur ex pluribus Scripturæ locis. Actorum 2. Petrus loquens ad populum, et vtens verbis Dauidis inquit, *Prouidens loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neq; caro eius vidit corruptionẽ*, vbi planè ſupponit, Chriſtũ deſcẽdiſſe ad inferos, ſed non ibi remanſiſſe, ſicut remanebant olim aliæ ſanctorũ animæ. Et idem Petrus Epiſt. 1. cap. 3 *Viuificatus autem ſpiritu, in quo ijs qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit*; ideſt animabus detentis in Limbo, anima Chriſti veniens prædicauit. Item Paulus ad Epheſ 4. *Quòd autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ.* Et quod dixit Chriſtus, *Sic erit Filius hominis in corde terræ*, pleriquè Patres intelligunt de anima Chriſti deſcendente ad medias & intimas partes terræ. Et ex Pſalmis etiam, non ſolum illa verba Pſalmi 15., ſed alia quædam ſolent de hoc eodem deſcenſu Chriſti ad inferos accipi. Pſal. 29. *Eduxiſti ab inferno animam meam.* Pſal. 48. *Deus redimet animam meam de manu inferi cùm acceperit me.* Pſal. 23. *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Pſal. 106. *Contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit.*

Verè de-

At verò non ſolùm aliqui Hæretici, hæc loca interpretari auſi ſunt de ſola repoſitione corporis Chriſti in ſepulchro, ſignificato nomine inferni: ſiue abſolutè de morte Chriſti, aut quod anima Chriſti ſuſtinuerit dolores inferni, ſumendo infernum pro loco pœnarum: vt referunt Valent. hoc loco de Myſter. Chriſti, q. 4. puncto 2., & Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 7. & ſequentibus. Sed etiam inter Theologos, Durandus in 3. diſt. 22. q. 3 hæc ſic explicari poſſe putauit, quod Chriſtus dicatur ſolum deſcendiſſe ad inferos ſecundùm potentiam & operationem, quia ibi illuminauit & glorificauit animas ſanctorum illic vſque tunc detentas: non verò quòd ſecundùm ſubſtantiam ſuam, & per realem præſentiam, illuc deſcenderit. Attamen de fide certum eſſe debet, animam ipſam Chriſti, realiter & præſentialiter ſecundùm ſubſtantiam ſuam, deſcendiſſe ad ſubterranea loca inferorum, vbi ſanctorum animæ detinebantur. Ita ſentiunt & intelligunt, non ſolùm omnes alij Theologi, ſed etiam omnes Fideles in Eccleſia catholica. Et idem eſt communis ſenſus Patrum, quos copioſe refert Valent. vbi ſupra, & Bellarm. cap. 14. Et ſatis manifeſte oſtenditur ex ijſdem verbis Symboli: quæ ſine dubio intelligi debent ſimpliciter prout ſonant ad litteram: ſicut vtique intelliguntur alia de morte & ſepultura Chriſti, & aſcenſu in cœlum, & aduentu futuro ad iudicium. Neque nomine inferni ſeu inferorum poterat intelligi ſepulchrum aut mors, vt volebant Hæretici: cùm in Symbolo diſtincte ponatur deſcenſus ad inferos, à morte & ſepultura. Nec dolores inferni: quia nullatenus hos anima Chriſti ſuſtinuit. Neque item per deſcenſum poteſt intelligi ſola diffuſio operationis & virtutis, vt volebat Durandus: quia alioqui ſic etiam eludi poſſet aſcenſus ad cœlum: & pari modo dici debuiſſet Chriſtus perrexiſſe, & nunc ac ſemper paſſim deſcendere ad tot varia loca, in quæ ſuas gratias ac dona diffundit. Sine dubio ergo intelligi debet, deſcendiſſe ad inferos, propriè, ac ſecundum ſubſtantiam & realem præſentiam animæ eius.

ſcendit realiter ſecundùm ſubſtantiã animæ ſuæ.

Ratione

Digitized by Google

Vniſquod id poſſibile & conueniens.

3. **Ratione autem**, non poteſt quidem demonſtrari ſic factum eſſe, ſed bene ſic fieri potuiſſe, & conſequenter conueniens fuiſſe. Non enim id repugnabat ex communi ratione ſubſtantiæ ſpiritualis aut animæ rationalis. Nam verè Angeli poſſunt ac debent eſſe in certo loco, poſſunt moueri localiter & pergere de loco ad locum, vt oſtendimus in ſuo tractatu de Angelis 1. par. q. 52. & 53. Et ſimiliter animæ ſeparatæ, vt attigimus in Philoſ. q. 59. ſect. 2. Et iuxta fidem conſtat, Angelos & animas beatas commorari in cælo, damnatas in inferno, alias in purgatorio, & animas ſanctorum olim detentas fuiſſe in certo loco donec veniret Chriſtus, qui locus optime poterat eſſe intra viſcera terræ. Nec item repugnabat ex ſpeciali conditione animæ Chriſti: quæ potiùs non ſolùm habebat vim motiuã communem ad alias ſubſtantias ſeparatas, ac inſuper beatas, ſed ſingularẽ vim ex coniunctione ad Verbum, ſicut ad alias extraordinarias operationes. Nec erat illi indecens, aut indecorum, deſcendere ad inferos: quinimò id erat ſatis conueniens, vt enarrat S. Thomas hic q. 52. art. 1., præcipue ad viſitandas animas ſanctorum, & confundendas poteſtates aduerſas: ita quod licèt potuiſſet Chriſtus ſolo verbo, ſola ſua vi, ſanctorum animas de poteſtate tenebrarum eripere; tamen ad maiorem oſtenſionem & extenſionem ſuæ pietatis & charitatis. & ad quendam victoriæ triumphum ſpectabat, perſonaliter accedere, & ſecum animas ſanctorum educere.

Quandiu manſerit anima Chriſti apud inferos.

Toto autem tempore quo Chriſti corpus manſit in ſepulchro, commorata fuit eius anima apud inferos, computato acceſſu & receſſu. Itaque ſtatim atque anima Chriſti egreſſa eſt de corpore, tranſiuit ad inferos, nec inde diſceſſit donec ad ſuum corpus rediret. Vbi vltrò admitti debet, interceſſiſſe moram aliquam temporis requiſitam ad ſucceſſionem motus, etiam in ſubſtantijs ſpiritualibus, vt ſupponimus: non enim in hoc debet induci alius modus miraculoſus & extraordinarius: ſed ſatis eſt dicto modo, animam Chriſti ſtatim ab egreſſu è corpore, ad inferos acceſſiſſe, & inde in hora reſurrectionis receſſiſſe. Nicephorus quidem lib. 1. Hiſtoriæ cap. 13. opinatus eſt, animam Chriſti ſtatim eadem die & hora qua in infernum deſcendit, rediſſe, & pro reliquo tempore vſque ad reſurrectionem ſeceſſiſſe in terreſtrem paradiſum. Et ſuaderi id videtur ex verbis Chriſti in cruce ad latronem, *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Item ratione: quia non erat, cur tandiu anima Chriſti glorioſa moram traheret in inferno, loco tàm vili & obſcuro, loco pœnali & acerbo, ſed conuenientius apparet, vt ſtatim regreſſa fuerit ad apertam lucẽ & ſuperiora loca, & ad terreſtrem paradiſum acceſſerit, tanquam locum maximè proportionatum in terra.

Manſit toto triduo quo iacuit corpus in ſepulchro.

Attamen S. Thomas hac q. 52. art. 4. alijque Theologi communiter pro certo docent, animam Chriſti toto illo triduo commoratam fuiſſe apud inferos, & inde immediatè rediſſe ad reaſſumendum corpus de ſepulchro in hora reſurrectionis. Idemque ſupponunt Patres, de deſcenſu Chriſti ad inferos, vel de reſurrectione loquentes. Et ſumitur ex ipſa Scriptura. S. Thomas in argum. *Sed contra*, affert verba Petri Actor. 2., *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*: quæ verba indicant, animam Chriſti manſiſſe in inferno vſque ad reſurrectionem. Et ſtatim idem Petrus ſubiungit illum locum Pſalmi, in quo dicebatur, *Non derelinques animam meam in inferno*, explicãs id prædictum eſſe de reſurrectione: reſurgens ergo Chriſtus exijt de inferno. Et Paulus ad Roman. 10. *Quis deſcendet in abyſſum, id eſt Chriſtum à mortuis reuocare?* quaſi pro eodem ſumens, Chriſtum deductum fuiſſe ex abyſſo id eſt inferno, ac à mortuis ſurrexiſſe. Et Chriſtus ipſe dixerat, *Sic erit Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ*: quod, vt notauimus, plerique intelligunt de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos, quare toto illo triduo ibi commorata eſt. Nec alia ratione id indiget: niſi quia ita placuit ipſi Chriſto: & quia cùm conſtet de deſcenſu ad inferos, non apparet aliunde, ad quã aliam partẽ diuertiſſe dicatur.

Nec ad terreſtrem paradiſum ſeceſſit.

Etenim verba illa Chriſti ad latronem, vt exponit S. Thomas ad 3., & alij Doctores communiter, non referebantur ad terreſtrem paradiſum, ſed ad ſtatum gloriæ ac beatitudinis, ideſt hodie mecum eris in gloria. Quod ita quidem adimpletum fuit: quamuis quoad locum, Chriſtus ſecum duxerit animam quoque latronis apud inferos, in ſocietatem aliarum animarum ſanctarum. Quibus, quia gloriam contulit, rectè dixit Auguſtin. Epiſt. 57., in ipſo inferno factum fuiſſe pro tunc paradiſum, ideſt ſtatum gloriæ. Nec erat indecens, Chriſtum tandiù commorari in illo loco, donec reſurgeret: quem & tunc ſua præſentia nobilitabat, & ſumma luce illuſtrabat; & ex pœnali & acerbo, iucundum felicemq; reddebat. Nec erat, cur ad terreſtrem paradiſum ſecederet: quia hic locus fuerat tantùm adaptatus pro hominibus terreſtrē adhuc vitam traducturis: & maximè ſi ſupponamus non fuiſſe deinceps in priſtina amœnitate conſeruatum, vt 1. par. q. 75. tractauimus.

Num anima Chriſti apud inferos ſuſtinuerit aliquam pœnam.

Rurſus, circa hanc deſcenſionem & moram Chriſti apud inferos, S. Thomas art. 1. & 4. ait, Chriſtum etiam in hoc voluiſſe noſtram pœnam ſuſtinere, vt ab ea nos eriperet: & ideo quia homo meruerat non ſolùm mortem corporis, ſed etiam reclufionem apud inferos; Chriſtum voluiſſe non ſolùm mori, ſed etiam deſcendere ad inferos: & ſicut voluit corpus ſuum iacere in ſepulchro per diem integrum & duas noctes, ita voluiſſe tandiu quoque animam ſuam morari apud inferos. Hinc Caiet. eodem art. 4. ait, pœnalitates Chriſti intrinſecas, duraſſe vſque ad reſurrectionem, nempe ſeparationem animæ à corpore, reclufionem corporis in ſepulchro, & commorationem animæ in vili loco inferni. Sed refert inſuper Medina eodem art., quoſdam putaſſe, animam Chriſti ſeparatam adhuc paſſam fuiſſe alias pœnas, nempe internā triſtitiam, aut pœnam ignis, aliamuè ſimilem. Imò refert quoque Valent. hic, & Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 8., Hæreticos quoſdam ita deſipuiſſe vt dicerent, animam Chriſti pertuliſſe pœnam ipſam inferni, qua cruciantur Damnati, ſcilicet maximam anxietatē & afflictionē, ex apprehenſione iræ diuinæ cōtra ſe, & deſperatione propriæ ſalutis. Et videntur pro hac re facere hæc Scripturę loca. Pſal. 87. *Poſuerūt me in lacu inferiori in tenebroſis & in vmbra mortis:* quæ verba intelligūtur de Chriſto, & pœnā denotare vidētur. Et Pſal. 57. *Dolores inferni circundederunt me.* Et expreſsè de ipſo Chriſto dixit Petrus, *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni:* ergo Chriſtus pertulit anguſtias & pœnas inferni. Facit etiam illa ratio S. Thomæ art. primo: quia Chriſtus venerat noſtras portare pœnas, iuxta illud Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit:* ergo etiam anima eius ſeparata pertulit aliquo modo pœnam inferni nobis debitam.

Nullam ſuſtinuit pœnam, quia nullā tunc exhibuit ſatisfactionem.

Omnino tamen aſſerendum eſt, deſcenſum & moram Chriſti apud inferos, nullatenus habuiſſe rationem pœnæ, nec animam Chriſti ſeparatam ſubijſſe amplius vllam pœnam aut moleſtiam. Ita docuit Bonau. in 3. d. 22. q. 4. Et ſequuntur Valent. hîc q. 4. de Myſterijs Chriſti puncto 3., Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 16., & alij. Et in generali probatur: quia pro ſe quidem nullam & nunquam debuit pati pœnam, cùm nullam habuerit culpam. Pro nobis autem, compleuit omnino noſtrā redemptionem, per ſuam ſatisfactionem & meritum, in puncto mortis: neque oportebat aut conueniebat, vltra extendi aut differri complemētum huius ſatisfactionis. Et ita iam notauimus antea quæſt. 19. Et hoc denotauit ipſe Chriſtus, quando proximus morti dixit, *Conſummatum eſt.* Indicauit etiam Apoſtolus quando dixit ad Philipp. 2., *Factus obediens vſque ad mortem.* Et ſanè non oportebat, nec conueniebat, nec poterat fieri, vt Chriſtus ſubiret omnes eaſdem pœnas quæ hominibus imminebant: ſed ſatis ſuperquè erat, vt exhiberet ſatisfactionem æquiualentem ac ſuperabundantem. Ac ſimpliciter, non debebat Chriſtus in alia vita poſt mortem ſubire vllam aliam pœnam, nec vnquam ſubire illas pœnas quæ hominibus paratæ ſunt in altera vita poſt mortem.

Et

Nullam pertulit triſtitiam aut moleſtiam.

Et hinc ſpecialiter diſcurrendo per ſingulas pœnas quæ dicebantur. Certè anima Chriſti, neque extra corpus, neque in corpore, vnquam pertulit pœnam inferni, & anxietatem illam cum deſperatione aut formidine de ſua ſalute, vt dicebant Hæretici: vt iam notauimus ſupra ſect. 1. Rurſus anima Chriſti in ſtatu ſeparationis, non debebat amplius pati vllam triſtitiam aut aliam pœnam: quia tunc iam erat extra ſtatum viæ, erat in ſtatu purè glorioſo. Et dum fuerat in corpore paſſibili, peculiari Dei diſpēſatione factum eſt, vt ſimul cum gaudio beatifico admitteret quoque triſtitiam & dolorem: ſed poſt ſeparationem à corpore, debebat ſtatim relinqui in ſtatu & diſpoſitione gloriæ, quæ per ſe non compatitur vllam triſtitiam & dolorem.

Illa ſeparatio & mora non habebat ampliùs rationem pœnæ aut ſatisfactionis.

Verè tamen in illo triduo manſit anima Chriſti ſeparata à corpore, & corpus iacuit in ſepulchro, & anima commorata fuit apud inferos: quare pro tunc quidem Chriſtus adhuc caruit gloria ſui corporis, caruit illis operationibus quæ ab anima exercentur in corpore, caruit illo gaudio quod eius anima perceptura erat ex vnione & ſocietate corporis. Verùm, hæc tunc non habebant ampliùs rationem pœnæ, aut ſatisfactionis, & meriti. Sed ſolùm ex alio fine & ordine diuinæ prouidentiæ interpoſitum fuit illud tempus: videlicet vt magis conſtaret de veritate mortis Chriſti, aliaſuè ſimiles rationes, abſque vllo reſpectu pœnæ vel ſatisfactionis, quæ iam abundè completa erat in morte. Nam etiam nunc caret Chriſtus apud tot millia hominum infidorum & impiorum, illa fide, veneratione, laude, & dilectione, quæ ei debetur; & à tàm multis blaſphematur, iniurijs afficitur, ac pro ſeductore reputatur: neque tamen hæc habeat in illo ampliùs rationem pœnæ aut ſatisfactionis. Sicut certè non habent talem rationem in ipſo Deo, dum caret tot obſequijs quæ ei debentur, & ab impijs offenditur ac deſpicitur. Et quamuis Caietanus vocet has in Chriſto pœnalitates extrinſecas: non debent vllo modo vocari pœnalitates. Sed meliùs admonet, hoc ſuauiſſimo Chriſti exemplo debere nos abſtrahi à nimio appetitu famæ, & immortalis memoriæ apud homines.

Explicatur verba S. Tho. & Scripturæ.

S. Thomas vero ſolùm dixit, Chriſtū in illo triduo admittere in ſe voluiſſe illa velut incommoda, quæ nobis quidem debebantur in pœnam, & in nobis habent rationem pœnæ: ſed non per hoc aſſeruit, habuiſſe in ipſo quoque Chriſto rationem ſatisfactionis & pœnæ. Pſalmiſta autem in illis verbis prælallegatis, expreſſit pœnas & tormenta, quibus viuens Chriſtus cruciatus & oppreſſus fuit vſque ad mortē: eoſquè vocauit dolores inferni, vel quia per mortem homines deducebantur ad locum inferni, vel quia per paſſionem ſuā Chriſtus abſtulit à nobis pœnas inferni. Et ſimiliter Petrus, vel dicere voluit, Chriſtum ſuſcitatum fuiſſe, extinctis iam & in perpetuum deinceps ab illo remotis doloribus, quos vſque ad mortem pertulerat: vel ſolutis inferni doloribus & carceribus, pro illis ſanctis animabus quas ſecum eduxit: vel pro omnibus hominibus qui toto ſæculo per merita Chriſti ſaluantur: vel pro omnibus prorſus hominibus quantum ad ſufficientiam ſatisfactionis Chriſti, ſicut dicitur omnes redemiſſe de poteſtate Diaboli. Ratio demum adducta, non aliud ſuadebat, niſi quòd Chriſtus ſatisfecerit pro omnibus noſtris pœnis, & ſic dicitur eas in ſe tuliſſe, vt etiam notauimus ſect. prima.

SECTIO OCTAVA.

Ad quæ Inferorum loca Chriſtus deſcenderit; Et quas animas liberauerit.

Diſtinguūtur quatuor loca & ſtatus Inferorū.

QVatuor Inferorum loca, & quatuor ſtatus animarum illic detentarum, apud Sacros Doctores & Theologos diſtinguuntur: quare eodem ordine, quo S. Thomas in quatuor poſterioribus huius quæſtionis 52. articulis, iuuabit excurrere. Primus locus & ſtatus eſt earum animarum, quæ ante deſcenſum Chriſti in ſtatu gratiæ de-

ceſſerant, vel nullum reatum expiandum trahentes, vel ſi quem in ſuo deceſſu traxerant, ſufficienter iam expurgauerant. Et hic dicebatur ſinus Abrahæ, Limbus Patrum. Secundus eſt animarum in peccato mortali decedentium. Qui propriè dicitur Infernus Damnatorum, & abſolutè etiam vulgo vocatur Infernus. Tertius eſt animarum in ſolo peccato originali decedentium, nempe in infantili puerorum ætate, ante vſum rationis, abſque participatione ſacramenti illud auferentis. Qui proinde dicitur Limbus puerorum. Quartus erat animarum decedentium quidem in gratia, ſed habentium adhuc temporalem aliquem reatum expurgandum, vel ob peccata venialia, vel etiam mortalia remiſſa quantum ad culpam, non verò plenè expiatum quantum ad pœnam. Et dicitur Purgatorium.

Quo ordine diſponantur.

De quibus quatuor locis, pro certo quidem & meritò ab omnibus aſſeritur, Limbum Patrum eſſe ſupremum, Infernum Damnatorum eſſe infimum, quem dicunt eſſe in centro Mundi. De alijs autem duobus locis, quidam volunt, Limbum puerorum eſſe propinquiorem Inferno ob ſimilitudinē æternæ damnationis. Quidam volunt, Purgatorium iuſtorum eſſe propinquiorem Inferno ob communicationem ignis. Sed propter hæc commodius erit dicere, vt quidam alij cenſent, vnum ex his duobus locis non circundare alterum, ſed ambos eſſe à latere circa Infernum, veluti per duos ſemicirculos. Nec etiam oportet, Infernum Damnatorum cogitare in centro Mundi rigorosè loquendo: quia ſic corpora Damnatorum deberent manere inter ſe compacta, quorum vnum eſſet in medio, & alia circa ipſum, cùm omnia corpora grauia tendant ad centrum: niſi dicerentur manere veluti ſuſpenſa in aëre, aut virtute diuina, aut opera Dæmonum. Sed potiùs cogitandum eſt, in medio & centro terræ extare magnam terræ partē in modum globi, & circum circa extare cauitatem in qua exiſtant corpora Damnatorum, ſimili modo quo hic exiſtunt homines & bruta & quæcunque corpora grauia ſupra terram.

Determinandum ergo nunc eſt, in quem vel quæ ex his locis deſcenderit anima Chriſti.

Deſcendit Chriſtus ad ſinum Abrahæ & ſanctorum animas liberauit.

In primis ergo verè deſcendit Chriſtus ad illum locum, qui dicebatur Sinus Abrahæ & Limbus Patrum, ibique inuenit animas Sanctorum qui ante eum deceſſerant, ac proinde adhuc beatitudinem non obtinuerant, easque inde liberauit, & ad perennem gloriam traduxit. Hæc quidem aſſertio continet fidem huius myſterij. Traditur ab omnibus Theologis, cum D. Tho. hac q. 52. art. 5. & ſupra q. 49 art 5., & cum Magiſtro in 3 diſt. 28. & in 4. diſt. 2 & 49, & à Scriptoribus contra Recentiores Hæreticos, Bellarmino & Valentia, quos præced. ſect. allegauimus, ab Expoſitoribus etiā Sacræ Scripturæ circa loca allegauda. Eſt item communis traditio Patrum, & perpetuus Eccleſiæ ſenſus. Habetur in quibuſdam antiquis oraculis Prophetarū. Oſeæ 13., *De manu mortis liberabo eos, de morte redimā eos, ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Et Zachar. 9., poſt prænunciatum aduentum Meſſiæ, & victoriam ac redemptionem per illum faciendam, illi dicitur, *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.* Et iam olim Dauid Pſal 67., *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem.* Quæ loca cōmuniter in hoc ſenſu Sacri Doctores intelligunt. Habetur autem clarè apud Apoſtolum pluribus in locis. Ad Epheſ. 4 poſt allegata hæc verba Pſalmi ſubdit, *Quod autē aſcēdit quid eſt niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ*: id eſt, ideo aſcendit Chriſtus, ſecum ducens animas Sanctorum priùs in captiuitate detentas, quia deſcendit ad inferos, & inde ea eduxit. Ad Hebræos 9, loquens de ſtatu antiquæ legis ait, *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*: & conſequenter ſubdit de Chriſto, *Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*: quod ſcilicet Chriſtus ſuo ſanguine propalauit Sanctorum viam; & intrans in cæleſte regnum, introduxit etiam quos redemit. Vnde cap. 10. pro nobis ait,

Digitized by Google

ait, *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id eſt carnem ſuam.* Ac tandem cap. 11 de veteribus ſanctis ait, *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes.* Et rurſus ad hunc n capitis, *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem,* ſcilicet gloriam & beatitudinem promiſſam. Vnde quod Paul. eod. cap. ait, *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones:* vel intelligitur de temporalibus promiſſis: vel etiam de gloria pro eo tamen tempore quo Paulus loquebatur, quia tunc iam obtinuerant gloriam per aduentum & deſcenſum Chriſti. Hoc idem etiam expreſſit Petrus Actor. 2. in verbis ſect. præcedenti allegatis, quæ iterum infra ponderabimus. Et ſimiliter omnia loca in quibus dicebatur Chriſtus deſcendiſſe ad inferos, denotant ad hunc ſaltem locum deſcendiſſe, vtique ad liberandas & glorificandas animas ſanctorum, vſque tunc ibi detentas.

Fuit id conuenientiſſimum.

Ratione verò hoc totum ſuadetur, rei conuenientiam exponendo. Quia, vt diſcurrebat D. Thomas q. 49. art. 5., peccatum commune totius humani generis in Adamo, præcluſerat omnibus hominibus aditum regni cœleſtis, non aperiendum niſi per redemptionē Chriſti. Et licet abſolute loquendo potuiſſet fieri, vt ante realem exhibitionem ſatisfactionis & ſolutionem pretij per ſanguinem Chriſti, Deus admitteret animas iuſtorum ad regnum cæleſte; ſicut iam antecedenter ex iiſdem meritis Chriſti contulit gratiam iuſtificationis cum tot alijs donis; tamen conueniebat, vt non ante admitterentur ad realem & actualem ingreſſum & poſſeſſum gloriæ, quàm Chriſtus ipſe realiter ſolueret pretium redemptionis fundendo ſanguinem, & aperiret ianuam gloriæ per crucem & mortem ſuam. Atque ideo interim animæ illæ ſanctorum retineri debebant in quodam certo loco, veluti carcere, vbi expectarent ſuam redemptionem. Et pro eo ſtatu non erat locus magis proportionatus, quàm intra terræ ſinum, vbi aliæ animæ ſeparatæ reponebãtur. Sed poſt mortem Chriſti, non erat ampliùs earum gloria differenda; quia de reliquo ſupponimus, animas decedentes in gratia, non retardari vſque ad reſurrectionem ab ingreſſu gloriæ; ſed potiùs ſtatim ad illam aſſumi, quando non alio obſtaculo impediuntur, vt tractauimus ſuo loco 1. 2. de Beatitud. Et ideo dixit Chriſtus latroni in cruce, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Conuenientiſſimum ergo fuit, vt Chriſtus ad inferos deſcendens, eas animas liberaret, & ad æternam gloriam introduceret, illis lumen gloriæ & claram Dei viſionem conferendo. Non quod humanitas vel deſcenſus Chriſti, per modum cauſæ phyſicæ & inſtrumenti realis, fuerit cauſa effectiua luminis gloriæ, vt vult Caietan. hic art. 2. §. *Ad hoc dicitur.* Sed ſatis eſt, quòd ex meritis Chriſti, per modum cauſæ moralis, & adimpleta conditione mortis Chriſti, illis animabus infuſum à Deo fuerit lumen gloriæ, & collata beatitudo.

In eodem loco ſtatim ac peruenit, illis attulit gloriam.

Atqui pro certo etiam habendum eſt, illis animabus in eodem loco in quo manebant, fuiſſe collatam beatificam viſionem, cum reliquis donis quæ in anima beatitudinem comitantur. Nec enim locus erat impedimento: nec expectandum erat vſque dum cum Chriſto in cœlum aſcenderent: atque adeo nec etiam vſque dum ad ſupera terræ loca in hunc aerem educerentur. Imò aliqui volunt, in eodem prorſus inſtāti quo Chriſtus mortuus eſt, animas illas accepiſſe lumen gloriæ, & incepiſſe videre Deum. Idque videtur indicare D. Thomas hic art. 5. ad 3. Et ita contendit Suarez diſp. 43. ſect. 3. Ideoque animam Chriſti in eodem inſtanti mortis & ſuæ ſeparationis à corpore, ſe exhibuiſſe præſentem in illo loco inferni, tranſeũdo de extremo ad extremũ ſine medio: vel etiam ſi ſucceſſiuè per medium ſub aliqua mora temporis pertranſiuit, adhuc in eodem ſo inſtāti mortis; quo dici poterat anima Chriſti incepiſſe deſcendere in infernum, collatum fuiſſe illis animabus lumen gloriæ.

Hoc tamen nō videtur neceſſarium: ſed ſatis erit dicere, animam Chriſti

mortu

motu ſucceſsiuo perueniſſe in infernũ, & tunc ſua reali præſentia illis ſanctis attuliſſe gloriam. In hoc enim ſtat ratio & ordo huius myſterij, vt Chriſtus deſcendens præſentialiter ad inferos, ſuamet præſentia illas animas illuminauerit & glorificauerit: quare dici nõ debet antequam perueniſſet id perfeciſſe, quia ſic tolleretur primaria ratio quare illuc vſque deſcenderet & perueniret. Nec anima ſeparata, aut beata, habet per ſe virtutem tranſeundi de extremo ad extremum ſine medio, & in inſtanti ſe transferendi in locum diſtantem. Nec oportet, vt per miraculum & diuina virtute fieret talis extraordinarius tranſitus. Et ita iam ſect. præcedenti notauimus. Nec inconueniens eſt, interpoſitam fuiſſe tàm exiguam moram inter mortem Chriſti & glorificationem illarum animarum, qua interim anima Chriſti illuc perueniret. Sicut non fuerat inconueniens, vt per tantum tempus, & eorum aliquæ per plura annorum millia, expectaſſent aduentum Chriſti: & rurſus non fuit inconueniens, vt detinerentur adhuc per triduum in inferno, & expectarent horam qua anima Chriſti iuxta ordinem diuinæ diſpoſitionis rediret ad ſupera: ac demum vt expectarent adhuc alios quadraginta dies, & non ſine ſocietate Chriſti in cælum conſcenderent. S. Thomas autem ſolùm dixit, *Quòd ſtatim Chriſto mortem patiente, anima eius ad infernum deſcendit, & ſuæ paſſionis fructum exhibuit ſanctis in inferno detentis*: itaque ſtatim à morte anima Chriſti receſſit ad inferos, & ſtatim ac peruenit, ſimul ſe oſtendit, ac per lumen gloriæ diuinam eſſentiam clarè videndam exhibuit. Et hoc quidem geſſit in Limbo Patrum.

An etiam deſcenderit ad infernum Damnatorum, eoſq; liberauerit.

Deinde, deſcendiſſe etiam Chriſtum ad Infernum Damnatorum, eoſquè inde liberaſſe, dixiſſe refertur Marcion inter alias ſuas Hæreſes. Imò Nazianz. Orat. 41. & Auguſt. Epiſt. 99. dubitaſſe videntur, an Chriſtus omnes Damnatos liberauerit, vel ſolùm aliquos, qui ſcilicet ei crediderint, & veniam obtinuerint. Item Clemens Alexandr. lib. 6. Stromatum, & Damaſc. aliuſuè Auctor in Oratione de Defunctis, indicarunt, Chriſtum Damnatis etiam prædicaſſe & annunciaſſe ſuum aduentum, præſertim ijs qui in hac vita non audierant prædicationem fidei, & liberaſſe omnes qui ad prædicationem eius crediderint ac reſipuerint. Et Nicetas in illam Orat. Nazianzeni refert, Platonem apparuiſſe cuidam, & reuelaſſe, ſe fuiſſe liberatum credendo in Chriſtum prædicantem in inferno. Atq; præcipuum fundamentum huius ſententiæ fuit, locus ille Petri Epiſt. 1. cap. 3., *Chriſtus in ſpiritu his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patiẽtiam in diebus Noe.* Et cap. 4. *Qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos, propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundùm homines in carne, viuant autem ſecundùm Deum in ſpiritu.* Et ita etiam de Damnatis intelligebant, quod dixerat idem Petrus Actor. 2., *Solutis doloribus inferni.* Aliqui verò Theologi opinati ſunt, Chriſtum deſcendiſſe quoque realiter ad infernum Damnatorum, non vt quemquam inde liberaret, aut ad viam ſalutis reuocaret; ſed vt tanquam iudex & dominus vniuerſalis, omnia ſibi ſubiugaret, & reos condemnaret; atque vt adimpleretur illud Apoſt. ad Philippenſ. 2., *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et ita defendit Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 16. Et fauent Ambroſ. lib. de Myſter. Paſchæ, Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Ioann. cap. 26., & Ieroſolimit. Cath. 4., Fulgent. lib. 3. ad Thraſimund. cap. 30., Emiſſen. Orat. de Paſcha, & Niſſenus Orat. 1. de Reſurrect., qui deſcribunt terrorem Dæmonum in deſcenſu Chriſti ad infernum. Ac etiam in Script. fundatur, Eccleſiaſt. 24., *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes.*

Nullos Damnatos liberauit.

Certum tamen eſſe debet, Chriſtum nullos Damnatos ab inferno liberaſſe. Ita omnes Theologi ſentiunt vel ſupponunt, & alij Patres communiter. Vnde Philaſtr. in Catalogo Hæreſum cap. De deſcenſu Chriſti ad inferos, & D. Auguſt. lib. de Hæreſib. cap. 79., in numero Hæreſum reponunt, dicere

quòd

quod Chriſtus vllas animas damnatas ab inferno eduxerit vel ſaluauerit. Et fundamentum eſt generale, de æternitate pœnarum inferni, & de termino meriti ac pœnitentiæ in puncto mortis, vt alijs in locis oſtenſum eſt. Nec poteſt habere locum talis exceptio, de ijs qui fuerant damnati & in infernum detruſi ante aduentum Chriſti, vel qui non audierant prædicationem fidei, aut alia ſimilis: ſed communis eſt prorſus ratio cum ijs qui deinceps damnantur poſt aduentum Chriſti. Et ſi qui Patres interdum aliter docuerint, corrigendi ſunt. Ad verba autẽ Petri in Epiſt., plures expoſitiones adinuentæ ſunt, quas refellit Bellarm. lib. cit. cap. 13. Sed optima expoſitio eſt, vt intelligantur de animabus ſanctis quæ detinebantur in Limbo, quibus verè Chriſtus prædicauit & annunciauit ſuum aduentum, & earum liberationem. Dicitur autem, *qui increduli fuerant aliquando*: qui ſcilicet non perſtiterant & obdurauerãt in incredulitate, ſed potiùs crediderant poſtmodum & reſipuerant. Et ſpecialiter fit mentio de ijs qui fuerunt in diebus Noe, ideſt qui perierunt in diluuio: non quaſi per ſingularem conceſſionem, ſed potiùs per extenſionem: quòd ſcilicet, etiam ex eis qui increduli fuerant, & corporaliter perierant in diluuio, Chriſtus è carcere liberauit, qui alioqui videbantur diuino furore abſorti, ſupponendo tamen quòd ſaltem inſtante ſibi ſubmerſione & morte reſipuiſſent. Et ideo de ijſdem additur, *Vt iudicentur ſecundùm homines in carne*, ideſt vt tanquam alij homines puniti & occiſi fuerint in carne: ſed tamen *viuant ſecundùm Deum in ſpiritu*. Ac demum, de ijſdem animabus ſanctis debebit intelligi, ſolutos fuiſſe dolores inferni, ſi id ad animas tunc ab inferis eductas referatur, vt ſect. præcedenti notauimus.

Nec deſcēdit per præſentiã, ſed extendit ſuam operationẽ ad locum illorum.

Putandum quoque eſt, Chriſtũ ſimpliciter ſecundùm realem præſentiam animæ nequaquam deſcendiſſe ad infernum Damnatorum. Ita aſſerit S. Thomas art. 2., alijque Theologi communiter. Et videntur ſupponere Patres, dum aſſignant Chriſti deſcenſum duntaxat ad liberandas animas Sanctorum. Et per ſe non videtur decens aut conueniens, vt anima Chriſti præſentialiter in infernum Damnatorum deſcenderet. Sed vt omnes regiones omneſquè rationales creaturas ſuo ſubiugaret imperio, ſatis erat eius auctoritas & poteſtas, qua omnium infernorum ac damnatorum genua ſibi flecti cogebat, & Dæmones terrebat. Et hunc terrorem Dæmonum illi Patres intellexerunt, in ipſo deſcenſu Chriſti ad eum inferorum locum in quo ſanctorum animæ detinebantur. Illa autem verba Eccleſiaſtici, ſi de Chriſto accipiantur, ſufficienter verificari poſſunt de eodem deſcenſu Chriſti ad Limbum Patrum, & per omnes dormientes debebunt intelligi ſoli ſancti, qui erant in ſtatu è quo poterant excitari & ſurgere ad gloriã: vnde ibi ſubditur, *Et illuminabo omnes ſperantes in Domino*. Vel cum S. Tho. art. 2. in corp. & ad 2., dicitur Chriſtus deſcendiſſe & penetraſſe in infernum etiam Damnatorum, non realitate præſentiæ, ſed operatione virtutis, & diffuſione effectus; quia Damnatos de ſua incredulitate & malitia confutauit. Neque verò pariter deſcẽſus Chriſti ad Limbũ Patrum, poterat per ſolam operationem virtutis explicari: vbi tot perſpicua loca Scripturæ, & profeſſio Symboli, & ſenſus Eccleſiæ, planè rem oſtendebant de reali deſcenſu ſecundùm præſentiam & ſubſtantiam.

Nec deſcendit ad Limbum puerorum, nec illos liberavit, qui cum ſolo originali deceſſerant.

Similiter de alio loco & ſtatu animarum, quæ ſcilicet cum ſolo originali deceſſerant, aſſerendum eſt, Chriſtum non eas animas liberaſſe, nec ad eum locum deſcendiſſe. Et ita communiter Theologi docent. Et communis eſt ratio de ijs ac de alijs Damnatis: vere enim tales animæ ſunt ad æternam pœnam irremiſſibiliter damnatæ, licèt quoad ſolam pœnam damni, & abſque pœna ſenſus. Et S. Thomas art. 7. ita probat, pueros cum originali defunctos, nõ fuiſſe liberatos à Chriſto: quia Chriſtus virtute ſuæ paſſionis liberauit eos ſolum, qui ei fuerant per fidem & charitatem coniuncti, quiquè gratiam ſanctificantem habuerant: ſed tales pueri fuerant expertes fidei & charitatis & gratiæ: ergo non erant capa-

Digitized by Google

capaces fructus paſſionis Chriſti; vt ab eo liberarentur. Articulo autem ſecundo, docuit quidem S. Thomas Chriſtum ſecundùm realem præſentiam non ad alium locum inferorum deſcendiſſe, quàm ad Limbum Patrum: Sed quia ait ad alia etiam loca extendiſſe effectum ſuæ virtutis, nullam tamen ſpecialem mentionem facit de loco puerorum: Ideo Caiet. ait, illos comprehendiſſe ſub inferno Damnatorum, & ad eos etiam ſpectaſſe confutationem quãdam de originali peccato. Vel fortaſſe D. Thomas eos prætermiſit, quia deſcenſus Chriſti nullum in eis effectum habuerit nec lætitiæ & gloriæ ſicut in Sanctis, nec mœſtitiæ & pœnæ ſicut in Damnatis.

An deſcenderit ad purgatorium, eaſque animas liberauerit.

Demum de loco & ſtatu animarum quæ in Purgatorio detinebantur, res eſt valde incerta. Aliqui enim opinantur, Chriſtum deſcendiſſe etiam ad purgatorium, & omnes animas ibi inuentas liberaſſe. Et in hoc inclinant Gerſon Alphab. 83. litt. F, Maior. in 3. d. 22, Gabr. ibidem, & eius Supplementum in 4. diſt. 45. q. 1. art. 1., Sotus item in 4. d. 45. q. 1. art. 1., & Valent. hoc loco q. 4. de Myſterijs Chriſti puncto 3. Idemque indicauit D. Gregor. lib. 13. Moral. cap. 20. & homil 22. in Euangelia. Et pro hac parte viget Valentia verba illa Eccleſiaſt. ſuperius allegata: quia de omnibus animabus iuſtis, etiam illis quæ aliquo reatu pœnæ illigabantur, verificatur quod erant dormientes, & erant ſperantes in Domino. Ex aduerſo aliqui ſimpliciter dicunt, nullam animam fuiſſe per deſcenſum Chriſti e purgatorio eductam: quia iuxta decretum diuinæ iuſtitiæ, debebat omnino exolui illa pœna quæ remanebat, quod decretum non relaxabatur per deſcenſum Chriſti ad inferos: nec debebant eſſe melioris conditionis, illæ animæ quæ ante aduentum Chriſti migrauerant, quàm ſint illæ quæ poſt Chriſti reſurrectionem & aſcenſum in cœlum, ex hac vita diſcedunt. Si quæ autem animæ in eo triduo quo Chriſtus morabatur apud inferos, explebant portionem pœnæ quam debebant, eo ipſo tranſibant è purgatorio ad Limbum Patrum; & ita liberatæ quidem fuerunt à Chriſto & glorificatæ, ſed immediatè è Limbo Patrum, non e purgatorio. Ita ſentit Viguer. in Inſtit. cap. 6. §. 4. verſ. 30.

Videtur liberaſſe aliquas, ſed non omnes.

At D. Thomas art. 8., in corpore quidem docet, Chriſtum non liberaſſe è purgatorio, illos qui inuenti ſunt tales, quales nunc ſunt qui ibi detinentur, ſed bene liberaſſe illos, qui tales inuenti ſunt, quales nunc etiam in virtute paſſionis Chriſti à purgatorio liberantur. Sed in ſolut. ad 1. concedit, non ſolùm liberaſſe illos qui ſufficienter purgati erant; ſed etiam quoſdam, *Qui dum adhuc viuerent, meruerant per fidem & deuotionem ad mortem Chriſti, vt eo deſcendente liberarentur à temporali purgatorij pœna*. Et hoc pacto intelligit Auguſtinum Epiſt. 99., qui docere videbatur, Chriſtum liberaſſe aliquos qui in inferni doloribus detinebantur, vt etiam dixerat lib. 12. de Geneſi ad litter. cap. 33. & 34. Hoc enim, ne accipiatur de Damnatis in inferno, accipi debebit de detentis in purgatorio. Et ita hanc D. Thomæ ſententiam recipiunt ac defendunt Caiet. & Medina eodem artic., Suarez diſp. 43. ſect. 3., Bellarmin. lib. 4. de Chriſto cap. 16., & alij plures. Et eſt quidem rationabilis ac veriſimilis. Et ſufficienter conciliare videtur duas partes extremas. Æquum enim videbatur, vt Chriſtus ſua indulgentia liberaret aliquos, quamuis non plenè ſoluiſſent omnem pœnam: non tamen vt liberaret omnes: ſed peculiariter illos qui magis diſpoſiti inueniebantur, præſertim qui maiorem fidem ac deuotionem habuerant erga paſſionem Chriſti. Et de his etiam poſſent explicari verba illa Eccleſiaſt., ſi ad animas purgatorij extendantur quoad illuminationem gloriæ, ſcilicet de omnibus illis quæ excellentem quandam diſpoſitionem ſpei per fidem & deuotionem in Chriſtum habuerant. Neque hoc frangeret decretum diuinæ iuſtitiæ, aut redderet melioris conditionis illas animas quæ præceſſerant ad mortem Chriſti. Quinimo multò abundantiùs & frequentiùs in hoc tempore, per ſuffragia Eccleſiæ, & ſacrificium altaris, relaxantur pœnæ debitæ animabus

purga-

Digitized by Google

Omnes ſaltem lætificauit, & fortaſſe per præſentiã viſitauit.

purgatorij, vt ex ijs liberatæ citiùs ad cæleſtem gloriam aſſumantur.

Aſſerebat etiam optimè S. Thomas art. 2., Chriſtum contuliſſe ſaltem aliquem effectum illis animabus quæ in purgatorio detinebantur ac relinquebantur, nempe ſpem gloriæ conſequendæ. Quod vtique debet intelligi de notitia, ſecuritate, & lætitia, quam illis contulit, de ſuo aduentu, de redemptione completa, & de earum celeri exitu atque aſſumptione ad gloriã, ſtatim atque reſiduum exoluiſſent. Et quidē de hoc quoque effectu poſſunt intelligi verba illa Eccleſiaſtici: non enim dixit, liberabo; ſed illuminabo omnes ſperantes in Domino: quæ illuminatio, in alijs facta eſt per gloriam, in alijs verò per nouam cognitionem & gaudium. Ex hoc addit Valentia §. *Sed quamuis*, animam Chriſti in ſententia D. Thomæ deſcendiſſe quoque ſecundùm ſubſtantiam & realem præſentiam, ad locum ipſum purgatorij. Et quidem verba D. Thomæ poſſunt hunc ſenſum admittere, dum abſolutè ait eo art. 2., *Anima Chriſti per eſſentiam ſuam deſcendit ſolùm ad locum inferni in quo iuſti detinebantur, vt quos ipſe per gratiam interiùs viſitabat ſecundùm diuinitatem, eos etiam ſecundùm animam viſitaret & loco.* Et ſic pariter ad locum purgatorij poſſunt extendi verba illa Eccleſiaſtici, *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, omnes ſcilicet in quibus animæ iuſtæ detinebantur. Omnino autem moram tridui Chriſtus traxit in ipſo Limbo Patrum, vnde & reſurrexit ad vitam.

QVÆSTIO QVINQVAGESIMATERTIA

Et ſequentes vſque ad quinquageſimamnonam.

DE MYSTERIIS GLORIFICATIONIS CHRISTI.

IN his alijs quæſtionibus proponit ac pertractat S. Thomas, de ijs quæ ſpectant ad exaltationem Chriſti. Hæc nos vocamus Glorificationis myſteria, quibus tandem horum omnium myſteriorum ſeries concludatur. Quæſtione 53. tractat de reſurrectione ipſa Chriſti: & docet, neceſſarium fuiſſe, Chriſtum reſurgere: conueniens fuiſſe, reſurgere: & primum omnium reſurrexiſſe: ipſumquè fuiſſe auctorem ſuæmet reſurrectionis. Quæſtione 54. de qualitate Chriſti reſurgentis docet, Chriſtum reſurrexiſſe in eodem vero corpore quod priùs habebat: & hoc Chriſti corpus reſurrexiſſe integrum: reſurrexiſſe glorioſum, retinuiſſe tamen cicatrices vulnerum. Quæſtione 55. de manifeſtatione reſurrectionis Chriſti docet, debuiſſe Chriſti reſurrectionem manifeſtari diſcipulis, non autem immediate omni populo: nec oportuiſſe, vt diſcipuli viderent Dominum reſurgere; ſed conueniens fuiſſe, vt Chriſtus eis appareret & familiariter colloqueretur, non tamen vt cum eis continuè conuerſaretur: conuenienter etiam interdum apparuiſſe in propria effigie, & interdum aliena: ſuamquè reſurrectionem per teſtimonia & argumenta ſeu euidentia ſigna diſcipulis demonſtraſſe: & hæc teſtimonia atque argumenta fuiſſe prorſus ſufficientia ad manifeſtandam & perſuadendam veritatem reſurrectionis. Quæſtione 56. de cauſalitate reſurrectionis Chriſti docet, Chriſti reſurrectionem eſſe cauſam reſurrectionis noſtrorum corporum: ac etiam noſtræ iuſtificationis, quæ eſt reſurrectio animarum. Deinde quæſtione 57. de Chriſti aſcenſione docet, conueniens fuiſſe quòd Chriſtus in cœlum aſcenderet: aſcendiſſe autem ſecundùm humanam naturam, non ſecundùm diuinam: ſed aſcendiſſe virtute diuina, & virtute animæ glorioſæ, & ſic ex vtroque capite propria virtute: aſcendiſſequè ſuper omnes cœlos: & ſuper omnem etiam ſpiritualem creaturam: eiuſquè

Digitized by Google

aſcenſionem fuiſſe quoque cauſam noſtræ ſalutis. Quæſtione 58. de ſeſſione Chriſti ad Patris dexteram docet, Chriſto conuenire quod ſedeat ad dexteram Patris, id eſt æternaliter maneat in beatitudine Patris, & conregnet Deo Patri: & conuenire Chriſto ſecundùm diuinitatem: & aliquo pacto etiam ſecundùm humanitatem: & vtroque modo eſſe proprium Chriſto. Quæſtione 59 de iudiciaria Chriſti poteſtate docet, vere Chriſtum habere iudiciariam poteſtatem: & habere ſecundùm quod homo eſt: & habere non ſolum ex alijs titulis, ſed etiam acquiſiſſe per merita: & habere hanc poteſtatem ſuper omnes res humanas: atque præter omne præſens iudicium, exercere debere aliud nouiſſimum & vniuerſale in fine Mundi: & hanc Chriſti poteſtatem, & hoc iudicium, extendi etiam ad Angelos.

SECTIO PRIMA.

De Reſurrectione Chriſti.

PRæter illos Gentiles & Philoſophos, ac etiam ex Iudæis plurimos, qui in vniuerſum reſurrectionem, quam impoſſibilem & fabuloſam irridebant, aut Apoſtolos Chriſti reſurrectionem annunciantes explodebant, vt habetur Actorum 17. & 26. & alibi: Non defuerunt etiam inter Chriſtiani nominis profeſſores, Hæretici, qui negauerint aut in dubium reuocauerint Chriſti reſurrectionē. Cherintus enim apud Epiphan. Hæreſi 28. & apud Auguſtin. Hæreſi 8., dicebat, Chriſtum nondum reſurrexiſſe, ſed reſurrecturum eſſe in fine mundi ſimul cum alijs. Et alij dicti Paſſioniſtæ, & Seleuciani, & Hermiani, apud Philaſtr. in Catalogo, dixerunt, animam Chriſti aſcendiſſe in cœlum ſeparatam a carne, & ſimiliter carnem repoſitam eſſe in cœlo, nempe in Sole, ſeparatam ab anima. Et Apelles apud eundem Philaſtr. dicebat, Chriſtum reſurrexiſſe quidem, non tamen in ſua carne, non in vera carne.

Verè Chriſtus reſurrexit.

Sed notiſſimus fidei articulus eſt, Chriſtum verè reſurrexiſſe paulò poſt ſuam mortem: vt profitemur in Symbolo, & habetur in omnibus Euangelijs, & omnes Apoſtoli, tum in Actis, tum in Epiſtolis, tum voce & prædicatione in toto orbe annũciarunt. Et pari certitudine tenendum eſt, Chriſtum reſurrexiſſe in vera humana carne, & propria carne ſua quam antea habuerat. Nec poteſt dubitari, reſurrexiſſe in eodem illo corpore quod moriens in cruce depoſuit, & quod poſtmodum fuit in ſepulchro repoſitum: de quo vtique dixerunt Angeli, *Surrexit non eſt hic*. Ratione autem ex lumine & principijs naturalibus, non poteſt quidem probari, talem hominem Chriſtũ reſurrexiſſe: eſt enim res facti. Sed bene ſuaderi poteſt, fuiſſe id poſſibile: nempe in vniuerſum confirmando, non repugnare ex natura rei, & reſpectu diuinæ potentiæ, reſurrectionem mortuorum, vt poſtea ſubiungemus pro noſtra reſurrectione.

Neceſſaria erat Chriſti reſurrectio.

Alijs autem rationibus, ex principijs fidei petitis, probat S. Thomas hac quæſt. 53. art. 1., neceſſarium fuiſſe, Chriſtum reſurgere. Neceſſarium intelligit, pro eo quod eſt moraliter debitum, & quod etiam ex ſuppoſitione aliqua antecedenti non poterat non euenire. Et prima ratio eſt, ad commendationem diuinæ iuſtitiæ: qua Deus debebat exaltare & glorificare in reſurrectione Chriſtum, qui pro eius amore & obedientia ſe morti adeò ignominioſæ obtulerat. Quæ ratio, ſuppoſita promiſſione Dei, inducebat infallibilem neceſſitatem. Secunda ratio eſt, ad confirmationem noſtræ fidei: ex reſurrectione enim Chriſti confirmati ſumus ad credendam diuinitatem, & alia myſteria eius; & alioqui niſi Chriſtus reſurrexiſſet & manifeſtaſſet ſuam reſurrectionem, non fuiſſent inducti homines ad credendum, nec ſteriſſent in fide illi qui ante crediderant, vt planè ex hiſtoria ipſa euangelica colligitur. Et ſtante prædictione ipſius Chriſti, atque oraculis veterum Prophetarum, erat ſimpliciter neceſſarium ad ſuſtinendam fidem: ideoquè dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 15., *Si Chriſtus non*

ve-

Digitized by Google

reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra, inuenimur autem & falſi teſtes Dei. Tertia ratio eſt, ad ſubleuationem noſtræ ſpei: quia ſcientes Chriſtum reſurrexiſſe, firmiter etiã ſperamus nos reſurrecturos, & ſi bene egerimus vitam adepturos æternam. Et ita prędixit Iob cap. 19., *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*. Quarta ratio, ad informationem noſtræ vitæ: vt ſcientes Chriſtum reſurrexiſſe ad nouam & immortalem vitam. *Ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, vt admonet Apoſtolus ad Roman. 6. Quinta ratio, ad complementum noſtræ ſalutis: quia ſicut Chriſtus paſſus eſt & glorificatus, ita nos liberat à malis & promouet ad bona, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 4., *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*.

Reſurrexit die tertia.

Ex eodem Euangelio conſtat, quod tractat S. Thomas artic. 2., Chriſtum reſurrexiſſe die tertia à morte, & inuentum fuiſſe viuum in mane illius diei qui proximè ſequutus eſt ad ſabbatum, cum mortuus eſſet die qui immediate præceſſit ſabbatum. Satis autem ad explicationem huius rei, & quorundam locorum difficilium Euangelij, & ad deſignandam horam qua Chriſtus reſurrexerit, diximus tract. præcedenti ſect. 5. circa tempus quo corpus Chriſti manſit in ſepulchro.

Reſurrexit omnium primus ad vitam immortalem.

Fuitquè Chriſtus omnium primus, qui reſurrexit ad vitam immortalem & glorioſam. Ità docet S. Thomas árt. 3., & alij Theologi ac Patres communiter. Eſtquè res certa ex ipſa Scriptura. Dicitur ad vitam immortalem, ideſt de qua ampliùs non deberet nec poſſet decidere. Alioqui ex veteri teſtamento conſtat, quoſdam fuiſſe olim Prophetarum interceſſione & diuina virtute ad vitam reſtitutos: etiam Chriſtus ipſe in Euangelio, dum prædicabat, ſuſcitauerat Lazarum, & Filiam Archiſynagogi, & Filium viduæ. Attamen hi omnes ſurrexerunt ſolùm ad tempus, & ad vitam mortalem ſicut priùs, iterum poſt breuem vitæ curſum morituri: vnde non fuerunt exempti à poſſibilitate, imò neceſſitate adhuc moriendi. Chriſtus vero reſurrexit ad vitam immortalem & glorioſam, non ampliùs moriturus, liber à naturali debito ac poteſtate moriendi: quod expreſſit Apoſtolus ad Roman. 6., *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur; quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel, quòd autem viuit, viuit Deo*. Atque hoc pacto fuit primus qui reſurgeret, nulluſque ante eum hoc modo reſurrexerat.

Habetur ex Scriptura & ratione.

Habeturquè ex eodem Apoſtolo 1. ad Corinth. 15., *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitia dormientium*: & rurſus, *In Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitia Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti*. Et ad Coloſſenſ. 1., *Qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*. Et ſimiliter Ioannes Apocal. 1., *Primogenitus mortuorum*. Quæ loca Sacri Doctores communiter in hoc ſenſu intelligunt: vt videlicet, non ſolùm ordine dignitatis & excellentiæ, ſed ſpecialiter etiam ordine temporis, Chriſtus fuerit primus qui ſurrexerit ad vitam immortalem. Ratione quoque idem ſuadetur ex conuenientia & paritate; quia ea quæ ſpectant ad gloriam & ad terminum, debebant priùs conferri Chriſto, quàm alijs hominibus. Licet ea quæ ſpectant ad gratiam & viam, conueniſſet priùs etiam ante Chriſtum concedi hominibus, nimirum in ordine præparationis ad gloriam ac terminum. Et ita quidem gloria animæ nulli fuit collata ante Chriſtum, ſed ſanctis Patribus fuit reſeruata in aduentum & deſcenſum Chriſti. Similiter ergo, reſurrectio ad vitam immortalem, & gloria corporis, non debebat concedi alijs ante Chriſtum, ſed expectanda primùm erat reſurrectio Chriſti.

An ſimul cum Chriſto reſurrexerint alij ſancti ad

Difficultas tamen quædam in hoc occurrit: quia Matthæus cap. 27. inter alia prodigia quæ in Chriſti morte commemorat, inquit. *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum*

Google

vitam immortalem.

qui dormierant ſurrexerunt: non ergo Chriſtus fuit primus qui reſurrexit, ſed alij in ipſa morte eius eum præuenerunt. Ad hanc rem, duo ſunt dicendi modi, quos refert D. Thomas in ſolut. ad 2. Vnus eſt: vere multos ſanctos reſurrexiſſe ad vitam immortalem & glorioſam; non tamen ante Chriſtum, ſed ſimul cum Chriſto, & dependenter a reſurrectione Chriſti: Matthæum autem ibi per anticipationem id enarraſſe, non quod tunc factum ſit, ſed tunc præuenit dicere quod non niſi poſtea factum erat. Ita defendunt Caiet., Suarez, & alij ex Recentioribus ſuper hunc art. 3., Ianſen. cap. 143. Concord., Brugens. & Maldonatus in cap. 27. Matth., & alij ex Interpretibus Euangelij. Ac tenuit D. Thomas in 4. d. 43. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ad 3. & ſuper eum locum Matthæi. Indicant etiam aliqui Patres Hieronymus, Remigius, Anſelmus, Beda & alij in eundem locum Matth., Ambroſ. in Pſal. 1., Origenes in cap. 1. ad Roman., Epiphan. hæreſi 75., Clemens Alexandr. lib. 6. Stromatum, Sophronius in epiſt. relata in 6. Synodo act. 11., Euſeb. lib. 4. Demonſtr. euangel. cap. 12., & alij varijs in locis. Obſeruantque quaſdam coniecturas. Quia idem Matthæus ſubdit, *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis*. Et quia ita magis congruebat ipſi Chriſto, & ad maiorem eius gloriam: ait enim Caietanus. *Minus corporalis felicitas aliquod habere videtur, ſi deſit corporalis ſocietas*. Magis congruebat ipſis ſanctis; ne deberent bis mori. Magis congruebat animabus iam tunc glorificatis, vniri corporibus pariter glorioſis. Et aliæ huiuſmodi congruentiæ cogitari poſſunt.

Vel ſolùm in morte Chriſti reſurrexerunt ad breue tempus.

Alter dicendi modus eſt: ſanctos illos ſurrexiſſe in ipſa morte Chriſti, & ante eius reſurrectionem; non tamen ad vitam immortalem & glorioſam, ſed tantùm ad tempus, vt teſtimonium ferrent de diuinitate & reſurrectione Chriſti, ac poſtmodum depoſuiſſe iterum ſua corpora: & animas quidem in cælũ fuiſſe aſſumptas, ibique expectare vniuerſalem reſurrectionem in fine mũdi futuram. Ita ſentit D. Thomas hoc loco, & defendit Sotus in 4. d. 43. q. 2. art. 1., & Valent. hic q. 5. de Myſter. Chriſti puncto 1. Et ex profeſſo docuit Auguſtin. Epiſt. 99. Et indicant Chryſoſt. homil. 89 in Matth., Euthym. cap. 67 in Matth., Theophil. in cap. 27. Matth., Proſper lib. de Promiſſionib. Dei par. 3 cap. 29., & idem Hieron. in cap. 27. Matth. & Epiſt. 150. q. 8. Probat D. Auguſt., & cum eo D. Thomas. Tum ex ipſa narratione Euangeliſtæ ſimpliciter accepta: qui aduentum quidem in ſanctam ciuitatem & apparitionem declarauit fuiſſe poſt reſurrectionem Chriſti: quare videtur reliquiſſe vt intelligeretur reſurrectio eorum cum apertione monumentorum in ipſa morte Chriſti. Tum ex alijs verbis Petri Actor. 2., qui perſuadebat, locum illum Pſalm. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; non intelligi de ipſo Dauid: *Quoniam defunctus eſt & ſepultus, & ſepulchrum eius apud nos manet vſque in hodiernum diem*: vnde infert Auguſt., quod Dauid adhuc iacebat ibi mortuus: & ſic etiam de alijs ſanctis. Et quamuis alterius partes Auctores aduertãt, nõ dici, corpus Dauid, ſed ſepulchrũ eius ibi manere: tamen Auguſt. accepit ſepulchrũ ibi poſitum eſſe, quatenus adhuc cõtinens corpus Dauidis corruptũ & in cineres reſolutum. Tum præcipue ex alijs verbis Apoſtoli ad Hebr. 11., vbi de veteribus ſanctis ait, *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur*. Quamuis Caietan. id exponat, vel ſolum intelligi de gloria animæ dilata vſque ad aduentum Chriſti: vel etiam de gloria corporis dilata vſque ad finẽ mundi, loquendo de communi ſtatu & regula Sanctorum, & non excludendo ſpecialem aliquam conceſſionem factam aliquibus ſicut illud Dauidis: Faciunt etiam alia exempla, quia Iob qui fuit quoque ita inſignis inter antiquos ſanctos, de Chriſto & de ſe dixit, *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum*. Et Ioannes Baptiſta qui fuit proximus Chriſto, adhuc iacet mortuus in

terra,

terra, vt eius Reliquiæ oſtendunt. Similiter faciunt alia verba Ioannis, ſicut illa Pauli: nempe Apocal. 6., *Dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum*. Facit demum ipſa generalis regula de reſurrectione & glorificatione corporum in mundi fine: ſub qua non debet eſſe melioris cōditionis veteres ſancti, quàm noui decedentes in lege gratiæ: nec debet fieri exceptio abſque ſolido fundamēto, ad quod nō videtur ſuffi. ere priores coniecturæ. Itaque hæc res eſt ſatis dubia.

Chriſtus fuit cauſa ſuæ reſurrectionis propria virtute diuina.

Demum rectè docet & explicat S. Thomas art. 4., Chriſtum ipſum fuiſſe cauſam & auctorem ſuæ reſurrectionis, reſurrexiſſeq; propria virtute. Vt ipſemet expreſſit Ioann. 10., *Ego pono animam meam. & iterum ſumo eam.* Et Apoſtolus 2. ad Corinth. 13., *Crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei*. Fuit autem Chriſtus ratione diuinitatis, principalis cauſa & auctor ſuæ reſurrectionis: & ſic propria virtute, ſcilicet diuina. Quia alioqui nulla virtus creata & naturalis, poteſt eſſe ſufficiens ad faciendam reſurrectionem, vt dicemus poſtea generaliter de hominū reſurrectione. Sed ſolus Deus, ſolaque virtus diuina, poteſt hoc opus efficere. Et ſic etiam de Chriſto dicitur, *Quem Deus ſuſcitauit à mortuis*, Actor. 2., Et, *Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra*, ad Roman. 8. Et hec operatio, ſuſcitandi Chriſtum, fuit æquè communis omnibus tribus perſonis, vt aduertit D. Thomas ad 1. Sed quia Verbum diuinum permanſit ſemper vnitum tàm animæ quàm corpori Chriſti, ideo rectè dicitur ipſemet Chriſtus effeciſſe ſuam reſurrectionem, ſeque reſuſcitaſſe, propriaque virtute reſurrexiſſe.

Non autem virtute inſtrumentali animæ & corporis.

Addit Suarez diſp. 55. ſect. 2., etiam Chriſti animā ſecundùm virtutē creatā habuiſſe concurſum phyſicum per modum inſtrumenti eleuati à Deo ad efficiendas aptas diſpoſitiones in corpore: atque animam, & corpus ſimul habuiſſe huiuſmodi concurſum, ad efficiendam vnionem realem inter ſe. Sicut ſupponit, facta fuiſſe alia miracula ab humanitate Chriſti per phyſicam cauſalitatem inſtrumentalem. Et hoc pacto intelligit, quod ait S. Tho. in fine articuli, *Secundùm virtutem diuinam corpus & anima mutuò ſe reſumpſerunt*. Et Valent. q. 5. de Myſter. Chriſti puncto 1. ait, corpus & animā Chriſti exercuiſſe aliquem actum & motum præuium, ratione cuius dici potuiſſe ne concurrere ad efficiendam reſurrectionem per modum inſtrumenti. Sed iam in vniuerſum nos hunc modum cauſalitatis non approbauimus. Et prætera, etiā ſi in alijs rebus & in alijs Chriſti operibus miraculoſis admitteretur, in hoc non debebit admitti: quia certè per huiuſmodi operationem producitur humanitas ipſa Chriſti ſecundùm ſuam totalitatem, vnde reſurrectio eſt veluti iterata generatio: ſed non debet cogitari, quod corpus & anima quæ ſunt partes intrinſecæ humanitatis, ſimul ſint cauſa effectiua concurſu phyſico inſtrumentali ad producendam eandem humanitatem: & ſicut hoc nō dicebatur in prima productione & cōceptione Chriſti, ita nec debet nunc dici in reſurrectione. Et planè S. Thomas voluit, ſolùm per virtutem diuinā immediatè, quæ quidem vnita manebat corpori & animæ, peractam fuiſſe talem operationem, vt in diſcurſu articuli explicauit: atque ad excluſionem omnis alterius virtutis & concurſus concludit, *Non autem ſecundùm virtutem naturæ creatæ*.

Nec virtute miniſteriali animæ.

Addit etiam Suarez, animam Chriſti habuiſſe alium concurſum miniſterialem, ad perficiendam reſurrectionem ſcilicet colligendi & adunandi, atque in ſepulchrum deferendi, & in Chriſti corpus infundendi, ſanguinem effuſum antea, capillos, & ſi quæ aliæ particulæ carnis aut cutis erant diuulſæ, aut ſi quæ aliæ partes erant ſupplēdæ. Quod quidem miniſterium in reſurrectione aliorum hominum tribuitur Angelis: ſed in reſurrectione Chriſti conueniētiùs tribuetur eidem animæ Chriſti. Sed tamen cenſendum potiùs eſt, hoc totum peractum eſſe immediatè eadē virtute Verbi diuini. Nam Verbum erat quoque vnitum ijs partibus quę adhuc in ſuo ſtatu manebant: vnde illi optimè

Digitized by Google

nè conueniebat hæc operatio. Et præ-ſertim, licet anima virtute ſua pu[illegible] iſ-ſet exercere id quod ſpectat ad localē motum, vtpote adunare & deferre par-tes; tamen adhuc in ipſo motu [illegible] potuiſſet eas inferre in ſepulchrum [illegible] cauum, niſi illud aperiendo, aut forte per rimas intrudendo, ſicut de Angelis aduertit Suarez: quod tamen minus conuenienter diceretur. Item non po-tuiſſet ſanguinem per totum corpus fundere, niſi aperiendo & dilatando quaſdam partes: nec potuiſſet per ſe illum liquefacere ſi concreuerat: nec potuiſſet partes diuulſas continuare in ſuis locis cum alijs membris. Multo minùs poterat efformare nouas partes, ſi opus erat ad ſupplendas partes reſo-lutas, & perficiendam totam integrita-tem corporis. Quare ad ſummum ani-ma potuiſſet ad has operationes aſſumi tanquam inſtrumentum Verbi. Omnino ergo principalis cauſa fuit ipſum Ver-bum: & quia non recipimus ad huiuſ-modi opera modum illum cauſalitatis inſtrumentalis, dicimus fuiſſe quoque immediatam & adæquatam cauſam.

Sed antea per huma-na opera-meruerat ſuam re-ſurrectio-nem.

Solùm tandem humanitati Chriſti tribui poteſt ac debet, ratio cauſæ mo-ralis per modum meriti erga ſuam re-ſurrectionem: non quidem per alia opera aut merita poſt mortem, ſed per opera ac merita præcedentia & conſū-mata in ipſa morte. Ita fatetur D.Tho. ad 2., cum D. Auguſt. tract. 104. in Ioannem. Et ſatis tractauimus antea quæſt. 19. de ijs quæ Chriſtus ſibi me-ruit. Ac fine dubio præcipuè includi-tur reſurrectiò & corporis glorificatio in illa exaltatione, de qua pronuncia-uit Apoſtolus ad Philippenſ. 2. *Humi-liauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum.*

SECTIO SECVNDA.

De Statu naturalis integritatis, in quâ corpus Chriſti reſurrexit.

Tractat conſequenter S. Thomas quæſt. 54. de qualitate Chriſti reſurgentis, ſcilicet quantum ad cor-pus, quod ait reſurrexiſſe eiuſdem na-turæ, ſed alterius gloriæ: cùm alioqui de anima ſatis conſtaret, nunquam potuiſſe imminui in natura, & ſemper in Chriſto fuiſſe compotem eiuſdem gloriæ. Ideoque de corpore diſtinctè conſiderat, ea quæ ſpectant ad ſtatum naturalis integritatis, & ad ſtatum glo-riæ. Et quidem iam ex veritate ipſa reſurrectionis. ſect. ſuperiori ſtatutum eſt, corpus Chriſti reſurgentis, fuiſſe verum corpus humanum quod antea fuerat, vt denuò confirmat S. Thomas hic art. 1. Itemque pro certo habendū eſt, corpus Chriſti reſurrexiſſe integrū cum omnibus ſuis membris & partibus. Reſurrexiſſe in eadem effigie, & magni-tudine, & florida ætatis ſpecie qua an-tea erat. Siquidem Chriſtus Dominus fuerat ità perfectè diſpoſitus, & in tali ſtatu ac ætate obijt, vt non haberet quid in hac parte corrigeret. Sed de illo dictum erat, *Speciosus forma præ fi-lijs hominum*. Et ætas trigintatrium annorum, attingebat perfectam men-ſuram & ſtatum humani corporis. Vn-de Hieronymus Epiſt. 27. indicat, in eodem ætatis ſtatu fuiſſe ab initio for-matos à Deo primos homines. Et in eodem reſurrecturos tandem eſſe alios homines, indicauit Apoſtolus ad Epheſ. 4., *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudi-nis Chriſti*.

Reſurrexit corpus Chriſti in-tegrum & perfectum.

Reſurrexit quoque corpus Chriſti cū ſuo ſanguine, ſicut antea erat. Ita ſta-tuit S. Thomas art. 2. Et ſatis patet; quia id totum ſpectat ad perfectionem & integritatem eiuſdem reſurrectionis. Et rectè in ſolut. ad 2. cum ſanguine coniungit alios tres humores, qui etiam abſolute nomine ſanguinis, q. ia omnes hi humores permiſti & in corpore per-fuſi ſunt, comtelligi ſolent. Et ex Au-guſt. aduertit, non per hanc permiſtio-nem humorum, irrepſiſſe vllam corru-ptionis labem in corpore Chriſti. Fru-ſtra autem Caiet. eod. artic. dubitatio-nem mouet, quod non oportuerit in corpore Chriſti reſurgentis reſumi ſan-guinem cum alijs humoribus: eo quod ſanguis inſtitutus ſit ad nutrimentum, quo corpus glorioſum non indiget.

Reſurrexit cum ſuo ſanguine & humo-ribus per-miſtis.

Digitized by Google

...at ad dicendum, ſanguinē nutrimentalem, non fuiſſe ... ſed fuiſſe exhauſtum per ...ineum in horto, & per ...ris naturalis in reſiduo ... ad mortem, vt ita de ... ſanguinem qui in paſ... fuiſſe reſumptum. ... dubitatio: quia ſan... t ſolùm ad nutrimen... etiam ad complemen... vt repleat venas aliaſ... poris, & poros car... nctio & exceptio ſā... lis: quia totus ſan... eiuſdem rationis. Et mirum eſt, ſi Caietanus voluit, totum ſanguinem in paſſione effuſum, non fuiſſe vlla parte nutrimentalem. Abſolutè ergo fatendum eſt, ſanguinem miſtum alijs humoribus, etiam inquam nutrimentalem, fuiſſe reſumptum in corpore Chriſti reſurgentis.

Reſurr... cum p... bus ſp... tionis ornat...

Ac demum intelligendum eſt etiam, reſurrexiſſe corpus Chriſti cum illis partibus quæ ſpectant ad ornamentum & decorem humani corporis, quamuis non informentur eadem anima; vt vngues, & pili: ita enim in vniuerſum de hominum reſurrectione docent Theologi in 4. diſt. 44. vel 49. Et eo magis id ſpecialiter putandum eſt de Chriſto, ſi hæ quoque partes fuerunt aſſumptæ à Verbo, vt tractauimus antea quæſtione quinta.

...reſumpſerit omnes particulas & totum ſanguinem.

Dubitari tamen poteſt, num Chriſtus reſurgens acceperit quicquid ab eius corpore fuerat violenter auulſum, an totum prorſus ſanguinem, & ſic de alijs partibus; vel fortaſſe aliquas particulas in terra reliquerit, quas abſque detrimento debitæ integritatis dimittere poterat. Etenim etiam nunc inter Fideles aſſeruatur & colitur illa particula quæ abſciſſa fuit in circunciſione; & aliquid etiam ſanguinis in quibuſdam locis, vt cōmemorauimus antea quæſt. 25. ſect. 4. Et poteſt quidem pie credi, remanſiſſe in terris illam particulā, quæ dicitur præputium. Sed tamen putandum eſt, fuiſſe ex alia materia humani corporis refectam in corpore Chriſti reſurgentis, ne talis pars in illo deſit: vt pro certo docent Medina hic art. 2., Suarez diſp. 47. ſect. 1., & Franciſcus Collius lib. 5. de Sangu. Chriſti diſp. ... Quod vtique facillimè fieri potuit, & conuenienter fieri debuit. De ſanguine verò, S. Thomas hoc art. 2. ad 3. cenſet, totum fuiſſe in corpore Chriſti reſumptum: & illum qui in quibuſdam Eccleſijs aſſeruatur, non eſſe de corpore Chriſti, ſed miraculosè effluxiſſe ex quadam imagine Chriſti percuſſa. At Pius ſecundus, vt refert Syluester in Roſa aurea q. 30, permiſit credere, aliquam particulam veri ſanguinis pretioſi, de ipſo corpore Chriſti effuſi, remanſiſſe in terris. Quare dici poſſet, totum quidem ſanguinem qui in paſſione fuit effuſus, fuiſſe reſumptum; ſed fortaſſe illum qui in circunciſione effluxit, relictum fuiſſe in terris ad deuotionem Fidelium. Nam ſicut toto tempore vitæ mortalis manſit Chriſti corpus abſque illo ſanguine, ſed eum conſequenter per nutritionem reſtaurauit: ita dici poteſt, fuiſſe etiam poſtea abſque vllo detrimento derelictū. Et ſicut in decurſu vitæ mortalis reſoluebantur ſucceſſiuè & reſtaurabantur variæ partes, nec poſtea debuerunt reaſſumi partes reſolutæ: ita inquam cenſeri poteſt de illo ſanguine, ſicut de huiuſmodi partibus reſolutis. Quare, ſicut hæ partes dum reſoluebantur, nō manebant amplius vnitæ Verbo, ita etiam reliquiæ quæ dimiſſæ fuerunt: vt iuxta communem aliorum Recentiorum ſententiā, pro certo ſtatuit Collius lib. 5. cit. diſp. 5. cap 6. Adhuc tamen adorandæ ſunt adoratione latriæ, vt notauimus ſupra q. 25. ſect. 3.

Cum integritate autem dicta, voluit adhuc Chriſtus in ſuo corpore retinere vulnerum cicatrices, in manibus, & latere, & pedibus: non ſolùm inquam ſigna quædam in exteriori cute, ſicut contingere ſolet in hominum plagis, poſtea ſanatis & obducta carne ac pelle clauſis: Sed vere aperturas ipſas & foramina vulnerum. Ita docet S. Thomas art. 4., & cum eo alij Theologi communiter, ac ſimiliter Sacri Expoſitores in Euang., & frequenter alij Sacri Doctores & Patres. Et patet manifeſtè Ioann. 20., vbi cùm Thomas dixiſſet, *Niſi videro in manibus eius fixu-*

Retinuit vulnerum cicatrices.

Digitized by Google

fixuram clauorum, & mittam dig[illegible] meum in locū clauorum, & mittam [illegible] num meam in latus eius, non credam. [illegible] parens denuò Dominus illi dixit, [illegible] digitum tuum huc & vide manus [illegible] & affer manum tuam & mitte in latus meum. Vere ergo remanſerunt in manibus & latere Chriſti vulnerum aperturæ. Et ſic etiam ſine dubio in pedibus: vt ſuppletur per Lucam cap. 24. narrantem verba Domini, *Videte manus meas & pedes, & cum hoc dixiſſet oſtendit eis manus & pedes*: vtique vt viderent plagas in pedibus ſicut in manibus. Et nefas eſſet dicere, fuiſſe tantum apparentes. Sed oportet fateri, vere & realiter remanſiſſe in corpore Chriſti. Et non ſolùm ad illud tempus quo apparebat Apoſtolis: ſed in perpetuum, etiam in cælo: ſic enim omnes Doctores & Fideles hoc myſterium intelligunt.

Abſque deformitate, & cum magna conuenientia.

Neque vero hæc res in corpore Chriſti afferet deformitatem aut defectum, ſed potiùs inſignem decorem, ac gloriæ cumulum, vt notat D. Thomas ad 1. Et ob plures rationes quas profert S. Doctor in articulo, prudentiſſime voluit Chriſtus, tali modo vulnerum cicatrices in ſuo glorioſo corpore retinere. Nempe ad ſuimet gloriam, in perpetuum deferendo ſuæ victoriæ triumphum. Ad firmanda olim corda diſcipulorum in fide ſuæ reſurrectionis. Ad oſtendendum ſemper deinceps Patri genus mortis quod pro noſtra pertulit ſalute. Ad repræſentandum ſemper hominibus modum & pretium quo miſericorditer ſunt redempti. Ac tandem ad confundendos etiam impios, qui tali ac tanto beneficio fuerunt ingrati, qui tali remedio non ſunt vſi, tantamque charitatem Chriſti & Dei contempſerunt, & in ſuam perniciem conuerterunt.

Retinuit omnes naturales potentias.

Præter integritatem dictam, quæ ſe habet materialiter, reſurrexit etiam corpus Chriſti cum perfecta integritate quæ dici poterit formalis & vitalis: id eſt reſurrexit cum omnibus potentijs & facultatibus vitalibus, tàm vegetatiuis quàm ſenſitiuis; quæ humano corpori viuo conueniunt. Neque enim corpus glorioſum erit his potentijs mutilum, ſed ornatum & præditum. Neque ſtatus gloriæ deſtruet, ſed perficiet naturam. Neque hæ potentiæ ſtatui glorioſo repugnant, ſed in omni ſtatu corpori humano ex ſui natura debentur, & in ſtatu gloriæ potiùs perficientur.

Nō tamē amplius exercent operationes vegetatiuas.

Attamen operationes vegetatiuæ nequaquam fuerunt in corpore Chriſti reſurgentis, nec exercendæ erunt in corpore glorioſo. Eſt res certa. Et ratio eſt: quia hæ operationes important imperfectionem ac defectum, ſtatui glorioſo repugnantem. Corpus enim glorioſū, inter alias ſuas prærogatiuas eſt impaſſibile, & tale fuit corpus Chriſti ſtatim à reſurrectione, vt poſtea dicemus ita vt nec ab extrinſeco, nec ab intrinſeco pati poſſet. Itaque nulla in illo fit reſolutio ſubſtantiæ, nulla fit conſumptio humidi radicalis per actionem caloris naturalis; ſicut fit in vita mortali & corpore paſſibili: quare nec etiam vllā fiet conuerſio alimenti in ſubſtantiam corporis, nec vlla alia operatio, ad hanc ordinata, vel ex hac conſequens & dependens: quæ ſunt omnes operationes partis vegetatiuæ. Sed abſque vllo huiuſmodi ſubſidio alimenti, conſeruabitur corpus glorioſum in eodem ſemper perfecto robore & vigore, abſque vlla laſſitudine vel detrimento. Conuenienter autem remanent ipſæ potentiæ vt dicebamus, quamuis non exerceant ſuas operationes: quia potentiæ ſunt proprietates per ſe manantes ex natura corporis viuentis: & hoc ipſum ſpectabit ad maiorē ſubiecti perfectionem, vt retineat quidem potentias, ſed non exerceat earum operationes inuoluentes defectum & imperfectionem.

manducās verè comedit.

At obſtare videtur: quia Chriſtus poſt reſurrectionem cum diſcipulis comedit. Lucæ vltimo, *Cùm manducaſſet coram eis*: & Actor. primo, *Conueſcens præcepit eis*. Hoc tamen nullatenus obſtat: quia in comeſtione duo actus diſtinguendi ſunt. Vnus eſt comminutio cibi in ore ac traiectio in ventriculum: ſecundus eſt digeſtio cibi vſque ad conuerſionem in ſubſtantiam aliti. Primus actus, non eſt per

ſe

Digitized by Google

potentiæ vegetatiuæ, ſed [illegible] iuæ, vt patet; vnde ſpe- [illegible] tiones partis ſenſitiuæ, [illegible] omnes huiuſmodi motio- [illegible] autem actus, eſt pro- [illegible] partis vegetatiuæ. Chri- [illegible] exercuit primum actum, [illegible] in Euangelio: neque [illegible] terum actum. Vt enim [illegible] art. 3. ad 3. cum Au- [illegible] manducauit Chri- [illegible], ſed poteſtate, vt [illegible] reſurrectionis & carnis [illegible] deſtrueret. Non ergo [illegible] ſe amplius immuta- [illegible] eripuit, vel illum [illegible] reſoluere in aerem, vel [illegible] locum in inſtanti, [illegible] communi corporis [illegible] traducere penetratiuè [illegible] illum corpus, ſiquidem cor- [illegible] idem ſuum per dotem ſubtilitatis [illegible] glorioſum per [illegible] cum alijs corporibus. [illegible] poteſt penetrari [illegible] Durandus in 4. d. 12. q. 4, [illegible] vnde errauit [illegible] Chriſtum conuertiſſe tunc [illegible] dixit, [illegible] in ſuam ſubſtantiam: pu- [illegible] illum cibum [illegible] de ratione veræ comeſtio- [illegible] tans id eſſe [illegible] de veritate illius ſigni quod Chri- [illegible] nis, & de veritate [illegible] intendebat Apoſtolis de- [illegible] ſtus præbere [illegible] & vero corpore. Nam [illegible] ſua reſurrectione [illegible] nomen, nõ denotat actum [illegible] comeſtionis [illegible] aut digeſtionis, ſed tantum [illegible] conuerſionis [illegible] in ventriculum: quare hoc [illegible] traiectionis [illegible] rationem veræ comeſtionis. [illegible] ſufficit ad [illegible] requirit, vt hæc ſit actio [illegible] Et ad ſummũ [illegible] in corpore anima- [illegible] vitalis & immanens [illegible] informationem animæ, ſi- [illegible] to per veram [illegible] fuit in Chriſto. Et in hoc [illegible] eut reuera [illegible] facta ab Angelis [illegible] differt à ſimili actione [illegible]: vt notauit D. [illegible] in corporibus aſſumptis [illegible] art. 6. ad 1. *Aliter* [illegible] Thom. hic q. 55. [illegible] *& aliter Angeli;* [illegible] *Chriſtus manducauit* [illegible] *ab Angelis aſſumpta* [illegible] *nam quia corpora* [illegible] *vel animata, non* [illegible] *non erant corpora viua* [illegible] *licèt eſſet vera cibi* [illegible] *erat vera comeſtio,* [illegible] *in interiorem partem* [illegible] *tritio & traiectio* [illegible] *vnde & Angelus dixit* [illegible] *corporis aſſumpti,* [illegible] *cùm eſſem vobiſcum videbar* [illegible] *Tobiæ 10., cùm eſſem vobiſcum videbar quidem manducare & bibere, ſed ego cibo* [illegible] *inuiſibili vtor:* Illa etiam exterior actio [illegible] ſufficiebat ad veritatem illius Chriſti, [illegible] tantùm actio, non autè ſigni: quia illa [illegible] poterat eſſe conſpicua interior digeſtio, [illegible] Quomodo autem per huiuſ- diſcipulis; [illegible]

modi [illegible] ſigna Chriſtus comprobauerit ve- rita[illegible] ſuæ reſurrectionis, dicemus po- ſtea circa apparitiones Chriſti.

Operationes autem ſenſitiuæ, verè fuerunt, & ac deinceps ſunt in Chriſto, & ſic in alijs Beatis. Quod quidem de operationibus internis, tàm in potentia appetitiua, quàm ſenſitiua, nullam habet difficultatem, & maximam habet conuenientiam: quia hæ potentiæ habebant obiecta proportionata circa quæ operarentur, & erunt expeditæ ad tales operationes, quas cum omni rectitudine ac decentia, & cum maxima iucunditate exerceant. De quibus optimè intelligi poſſunt, quæ dicuntur in ſacris litteris de ſumma voluptate & ſuauitate cœleſtis gloriæ. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuũ,* Pſal. 83 *Inebriabuntur ab vbertate domus tua, & torrente voluptatis tuæ potabis eos,* Pſal. 35. *Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei.* Pſal. 45. Et ſimilia ſœpe. De operationibus quoq; externis, tam quinque ſenſuum, quàm loquutionis, & aliarum motionum, res eſt facilis & perſpicua, dum Chriſtus adhuc in terris conuerſatus eſt: aderat enim obiectum & ſubiectum proportionatum ad exercitiũ talium operationum. Et ita Chriſtus viſu cernebat ſuos diſcipulos, audiebat eos loquentes, comedendo guſtauit ciborũ ſaporem, & ſimiliter percipere poterat omnem odorem, ſequè palpãdum præbuit, ſuiſquè manibus fregit panem, & alia quæcunque poterat cõtrectare, loquebatur ad ſuos diſcipulos, & ambulabat cum eis.

Exer[illegible] *opera*[illegible] *neſſe*[illegible] *tions,*

At in cœleſti patria eſt aliqua difficultas, quia videtur deeſſe obiectum, aut ſubiectum requiſitum, aut etiam conuenientia. Guſtui, tactui, & odoratui, videtur deeſſe obiectum: nec voluptas horum ſenſuum videtur conueniens puriſſimo & nobiliſſimo ſtatui corporis glorioſi. Viſui, auditui, & loquutioni, videtur deeſſe ſubiectũ, per quod tranſmittantur ſpecies viſibiles, & per quod deferatur ſonus, & in quo formetur vox: quia huiuſmodi ſubiectum eſſe deberet aer, qui in cœleſti regione non aderit. Hinc D. Bonau. in 4. d. 49. par. 2. in primo principali art. 3. q. 1. concedit quidem in gloria exerci-

Et in cœleſti patria deinceps exercebit, ſicut & alij Beati,

tium

tum viſus & tactus, negat odoratus & guſtus, dubitat de auditu & voce. Sed ſane de omnibus benè defendi poteſt, & de quibuſdam omnino concedi debet, reperiri in Beatis in cœlo. Etenim dubitari non poteſt, Beatos in corporibus glorioſis ſe ipſos conſpicere, & inter ſe loqui, ac Deum voce laudare, & quæ dicuntur audire, & in his actibus mirificè delectari. Atque non ſolùm ad hos, ſed omnes prorſus ſenſus poſſunt extendi verba Scripturæ de pleniſſima iucũditate & ſatietate cœleſtis patriæ. Et expreſsè de omnibus ſenſibus dixit Anſelmus lib. de Similitudinib. cap. 57. *Oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, oſſa, medulla, & cuncta ſingulaque membra eorum, tàm mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.*

Non deerit obiectũ guſtus, tactus, & odoratus.

Diſcurrendoquè per ſingulos ſenſus, Pro obiecto guſtus, licèt non aderint externi cibi, tamen adeſſe poterit ſapidus & ſuauis humor in lingua & palato, qui magna dulcedine hunc ſenſum afficiat. Et ita D. Thomas in 4. d. 44. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 4. notauit, dici poſſe, *Quòd erit guſtus in actu per intinctionem linguæ ab aliqua humiditate adiuncta.* Pro obiecto tactus, aderunt ipſamet corpora Beatorum, ſicut Chriſtus ipſe tangendum & palpandum obtulit corpus ſuum. Pro obiecto odoratus, credibile eſt, ipſa quoq; corpora Beatorum efflare ſuauiſſimum odorem, abſque tamen reſolutione vllius vaporis & halitus, ſed per ſolas ſpecies intentionales. Ita notauit S. Th. ibidem, vbi addit, *Cùm Eccleſia cantet, quòd odor ſuauiſſimus erunt corpora ſanctorum.* Eruntque etiam horum ſenſuum voluptates, proportionatæ & conuenientes ſtatui puriſſimo Beatorum; quia non erunt niſi tales voluptates, quæ dicto modo, cum omni decentia ac rectitudine, & abſque vlla inordinatione, percipi poterunt. Et quidem, ſicut Damnati inter ſua tormenta cruciabũtur moleſtiſſima amaritudine guſtus, dolore tactus, & fœtore loci ac ſuorummet corporum: ita ex aduerſo Beati in his quoque ſenſibus decentiſſima iucunditate fruentur.

Aderit ſubiectum per quod diffundantur ſpecies viſus & auditus, & efformetur vox.

Pro exercitio autẽ viſus, & auditus, Suarez diſp. 47. ſect. 6 ſupponens, Beatos exiſtere ſupra conuexum cœli empirei, in ſpatio inani abſque vllo corpore intermedio: exiſtimat, immediatè produci ſpecies intentionales ab obiecto viſibili, & à ſono audibili immediatè in ſenſum alterius quantumuis diſtantis, abſque diffuſione per medium; idque fieri aut connaturaliter ex vi euiſdem gloriæ corporum Beatorum, aut ſaltem virtute diuina. Alij autem qui dicunt, Beatos manere intra ſoliditatem euiſdem cœli empirei, cum illo compenetratos, aſſerunt per idem cælum tranſmitti, ſpecies intentionales. Pro loquutione vero & efformatione vocis, ait Suarez cum D. Thoma in 2. d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. Beatos in certis partibus & cauitatibus aptis ſui corporis, vtpote in pectore, pulmonibus, & aſpera arteria vſque ad os, continere tantam copiam aeris, quæ ſufficiat ad efformandas voces & cantus, non penitus expellendo & abijciendo talem aerem, ſed ſolùm deducendo vſque ad os, aut quantum neceſſe fuerit ad proferendam vocem; & ſucceſſiuè talem aerem per varias partes rurſus attrahi; vt continuari poſſit vox & cantus quantum voluerint. Verum hæc omnia difficultatem habent. Quia nec natura gloriæ dabit vim operandi & diffundendi ſpecies in diſtans abſque medio. Nec neceſſarium aut conueniens eſt dicere, Deum adhibere perpetuum miraculum ſua diuina poteſtate ad talem modum operationis. Nec ad exercitium horum ſenſuum, debent alligari Beati intra ſoliditatem cœli, vt cum illo ſic penetrentur. Nec rurſus debet admitti aer, naturæ elementaris & corruptibilis, intra corpora Beatorum, & extra ac ſupra ambitum cœli & totius huius vniuerſi. Nec debent coarctari Beati ſub illa ſonna penuriæ, vt vnuſquiſque attendat ad conſeruandam & recuperandum ſuum aerem, ne illius iacturam faciat, vbi non habeat alterius copiam.

Erit corpus quoddam caleſte fluidũ.

Sed hæc omnia facillimè ſaluabuntur, dicendo, vt nos iam diximus in Philoſoph. q. 32. ſect. 4. circa ſtructuram

Digitized by Google

ram cælorum, & rurſus 1. 2. q. 4. ſect. 9. circa locum Beatorum; nempe cælum empireum non eſſe totum ſolidum, ſed conſtare tribus veluti orbibus, quorum medius ſit fluidus ad inſtar noſtri aeris, ſit tamen naturæ ſublimioris & incorruptibilis, ſicut ſunt ipſi cæli ſolidi: & in eo tanquam in proprio habitaculo commorari Beatos ita vt poſſint ſi velint penetrari cum illo, ſicut poſſunt cum alijs corporibus per dotem ſubtilitatis, & poſſint etiam per illum incedere ſcindendo & dimouendo abſque penetratione, ſicut nos facimus in hoc noſtro aere. Quod ſane multo conuenientius eſt, quàm dicere, Beatos manere in ſpatio imaginario & inani, in quo neceſſe ſit tranſmitti ſpecies per miraculum, & vnicuique Beato ſuam portionem corruptibilis aeris attribuere. Ac per tale medium diffundentur optime ſpecies ſenſibiles, & in eo formabuntur voces: taliquè cæleſti ac nobiliſſimo corpore replebuntur in ſuis cauitatibus pectora Beatorum, illudq́; poterunt quantum voluerint expellere, & attrahere. Et hoc videtur voluiſſe D Tho. eo loco in 2. dicens, *Quod etiam erit confractio cæli empirei, nec hoc erit ei ignobilitas, quia erit inſtrumentum motum à lingua glorificata, & materia vocis*. Sic ergo Chriſtus in corpore glorioſo, & omnes Beati in cæleſti patria, ſumma cum facilitate & iucunditate, omnes huiuſmodi actus poterunt exercere.

SECTIO TERTIA.

De Statu gloriæ, in qua Chriſti corpus reſurrexit.

Refelluntur etiam Hæretici qui dixerint, corpus Chriſti, & aliorum Beatorum, in reſurrectione, non fore eleuandum ad ſtatum ſublunioris gloriæ. Et de eodem Cherinto, ac Merinto, & Chiliaſtis, refert D. Auguſtin lib. de Hereſib. cap. 8. dixiſſe, Chriſtum & Beatos poſt reſurrectionem manſuros per mille annos in terris, traducturos ſimilem vitam, ſicut hoc tempore. Satis tamen notū & fide certum eſt,

Chriſti corpus reſurrexiſſe in ſtatu maximæ gloriæ & perfectionis, ac ſimiliter alios Beatos reſurrecturos in corporibus glorioſis, videlicet cum quibuſdam perfectionibus, & prærogatiuis, prorſus excedentibus naturalem conditionem humanorum corporum, ſed diuina poteſtate ſupra omnem naturæ ordinem conceſſis & concedendis. Ita de corpore Chriſti ſtatuit S. Thomas hac quæſt. 54. art. 3, & de alijs Beatis Scholaſtici in 4. diſt. 44. & ſequentibus. Et omnes Patres ac Sacri Doctores affirmant, ac cæteri Fideles libenter agnoſcunt. Et generaliter quidem de corpore Chriſti & aliorum Beatorum patet ex Apoſtolo ad Philippenſ. 3., *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et 1. ad Corinth. 15., *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis*: vbi corpus Chriſti & aliorum Beatorum vocat de cælo & cæleſte, non vtique ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm cæleſtes & glorioſas excellentias, ſuperantes & ſublimantes terrenam ſubſtantiam & conditionem humanorum corporum, ſicut & ibidem expreſſit: *Sic & reſurrectio mortuorum; ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute; ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*: vbi ſane corpus ſpiritale vocat, non ſicut ſunt Angeli & anima rationalis, quia hæc eſſet manifeſta contradictio; ſed quia corpus reſurgens in gloria, habebit ſtatum quendam & modum ſpiritualem, ideſt veluti ſimilem ſubſtantijs ſpiritualibus. Et hunc ſtatum habebunt ſtatim in reſurrectione; ac fictitium prorſus & impium eſt, commentum illorum Hæreticorum de illis mille annis: locum enim quendam Apocal. explicabimus poſtea circa reſurrectionem noſtram. Vt autem diſtincte proponatur & explicetur hic ſtatus glorioſus corporum Beatorum, quatuor excellentiæ & prærogatiuæ apud Theologos deſignantur, quæ quidem in alijs Beatis appellãtur Dotes corporis, ſed in Chriſto non appellantur dotes, ea ratione quam diximus 1. 2. q. 4. ſect. 6.

ſect. 6., quia videlicet dos attribuitur ſponſæ, Chriſtus autem dicitur ſponſus. Atque hæ corporis glorioſi prærogatiuæ vocantur, Impaſſibilitas, Agilitas, Subtilitas, Claritas.

Vna conditio corporis glorioſi, Impaſſibilitas.

Et quidem corpus Chriſti reſurrexiſſe impaſſibile, ideſt immune ab omni paſſione corruptiua & à morte, patet ſpecialiter ex illis verbis Apoſtoli ad Roman. 6., *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*. Et de omnibus Beatis patet ex eodem Apoſt. eo loco ad Corinth., non ſolum in verbis allegatis, ſed alijs ſequentibus; *Mortui reſurgent incorrupti, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Quare ſine dubio intelligitur exemptio ab omni paſſione corruptiua & afflictiua. Quod magis adhuc expreſſit Ioannes Apocal. 7., *Non eſurient neque ſitient amplius &c.*, & cap. 21. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor*. Itaque corpus glorioſum nec pati poteſt quicquam ab intrinſeco, ſicut patiuntur omnia corpora viuentia in ſtatu mortali, & paſſa etiam fuiſſent corpora humana in ſtatu innocentiæ, propter quod ab intrinſeco indigent alimento. Sed in ſtatu gloriæ nulla fit reſolutio partium, nulla deperditio ſpirituum, nulla actio caloris naturalis conſumptiua humidi radicalis; quinimo conſeruatur ſemper illæſa tota corporis ſubſtantia, omnes vitales & animales ſpiritus, atque adeo idem vigor & robur abſque vllo nouo alimento. Item nec pati poteſt corpus glorioſum vllam alterationem ab extrinſeco, videlicet calefactionem aut frigefactionem, aut aliam quamcunque. Nec etiam diuiſionem ſeu ſciſſionem in ſuis partibus continuis, aut compreſſionem, ſiue aliam quamcunque læſionem. Hinc ergo nunquam mori poterit, nullam debilitatem aut languorem incurrere, nullo dolore torqueri, aut moleſtia affligi. Et hæc eſt impaſſibilitas corporis glorioſi.

Per quid reddatur

Sed quid ſit hæc impaſſibilitas, ſiue per quidnam & quomodo corpus glorioſum reddatur ſic impaſſibile, difficultate & controuerſia non caret. Scotus in 4. d. 49. q. 15., Maior q. 17., Durandus diſt. 44. q. 4., Sotus hic q. 54. art. 3. dub. 1., & quidam alij, hoc totum referunt ad meram protectionem Dei extrinſecam, eo quod Deus non ſinet vllam cauſam agere quicquam circa corpus glorioſum, nec cum vlla cauſa concurret ad actiones quæ aliqui naturaliter exerceri poſſent ac deberent. Aliqui apud D. Tho. in 4. d. 44. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. dixerunt, corpus glorioſum fieri impaſſibile per ablationem qualitatum elementarium. D. Bonau. diſt. 49. p. 2. in ſecundo principali art. 1. q. 1. & 2. art., per ceſſationem & quietationem appetituum elementarium. Alenſis 3. par. q. 22. membro 2. explicat, corpus glorioſum fore impaſſibile ab intrinſeco, per mixtionem cuiuſdam quintæ eſſentiæ, ſeu lucis cæleſtis in ſuo temperamento: quæ quidem ab initio in formatione humani corporis intercedat, ſed in hoc ſtatu mortali vincatur a contrarijs qualitatibus, in ſtatu autem gloriæ ita abundet, vt præualeat ac prædominetur, corpuſque ab omni iactura defendat. S. Thomas autem 1. par. q. 97. art. 1. ſupponebat, hominem in ſtatu gloriæ fore immortalem & impaſſibilem ab intrinſeco. Deinde hic quæſt. 54. art. 3. ad 2. & quæſt 57. art. 3. ſupponit etiam, id non fieri per mixtionem illius quintæ eſſentiæ & lucis cæleſtis. Sed in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. explicauit, corpus glorioſum reddi impaſſibile per plenum dominium animæ erga ipſum corpus: quia ſcilicet materia non poteſt pati quicquam niſi vincatur dominium formæ: ſed modo poteſt vinci dominium animæ in corpus, ſed tunc non poterit vinci. Quod Sotus in 4. d. 49. q. 4. art. 5. magis explicat, per informationem animæ in corpore, adeo perfectam & infrangibilem, vt nullam corruptionem aut læſionem admittat. Quidam alij explicant per voluntatem animæ, quia corpus glorioſum non poterit agere aut pati, niſi volente anima, quæ non poterit velle vt corpus patiatur.

Sed

Redditur per qualitatem intrinſecam.

Sed melius S. Thomas hoc loco & 1. par. ſi nificat, corpus glorioſum reddi imp. ſſibilem, per quandam formam & perfectionem, ipſi ex anima prouenientem, quæ impediat omnem contrariam paſſionem ac læſionem. Sic enim ait hac q. 54. art. 3. ad 2., *Corpus Chriſti habuit aliquid quòd ipſum incorruptibile reddit, nempe gloriam redundantem ab anima beata. quia vt Auguſt. dicit in Epiſt. ad Dioſcor., tàm potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, reddundet in corpus plenitudo ſanitatis, ideſt incorruptionis vigor.* Idemque dixit eo loco 1. partis, vbi etiam hoc diſcrimen ponit inter incorruptibilitatem corporum beatorum, & illam quæ dabatur primis hominibus in ſtatu innocentiæ ſolùm ex parte efficientis. Et fortaſſe hoc ipſum voluit ib. in 2., concludit enim, *In corpore glorioſo non poterit eſſe aliqua mutatio contra diſpoſitionem illam qua perficitur ab anima.* Et ita hanc impaſſibilitatem explicant & defendunt, Capreol. & Paludan. in 4. d. 44. q. 2, Ricard. d. 49. art. 4. q. 2, Valent. hac 3. par. de ſtatu vitæ futuræ q. 5. puncto 1., Suarez diſp. 48. ſect. 3. Imo Molina 1. par tract. de Opere ſex dierum diſp. 28. idem aſſerit de hominibus in ſtatu innocentiæ. Suadetur autem: quia omnes alij dicendi modi per ſe apparent inſufficientes, & partim falſi, vt facile diſcurrenti patebit. Hic autem modus apparet poſſibilis & conueniens. Non enim videtur dubitandum, poſſe a Deo talem qualitatem, aut tales qualitates, imprimi humano corpori, vt nec ab intrinſeco per actionem caloris naturalis partes eius reſolui poſſint, nec ab extrinſeco poſſit alterari, nec vlla vi incidi, aut aliter lædi. Et conſequenter conueniet dicere, talem diſpoſitionem imprimi corpori glorioſo. Atque hoc magis indicant verba Apoſtoli, *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

Alia conditio corporis glorioſi, Agilitas.

Deinde corpus Chriſti reſurrexiſſe ita agile ad motum, vt expeditiſſimum eſſet ad magnam motus facilitatem abſque vlla defatigatione & laſſitudine; ſumi poteſt ex ipſis apparitionib. Chriſti quæ leguntur in Euangelio, dum Chriſtus de repente ſe offerebat præſentem, & ſimiliter recedebat: poterat enim hoc vno modo fieri per velocitatem motus, ſeu per repentinam translationem. Et in hoc ſenſu de Chriſto reſurgente aliqui Patres intelligunt illa verba Pſalmi 138., *Si ſumpſero pennas meas diluculo:* & alia Matth. 4. *Orietur ſol iuſtitiæ & ſanitas in pennis eius.* Similiter ſe habebant alij Beati. Et in hoc ſenſu de omnibus accipiuntur illa verba Apoſtoli. *Surget in virtute:* & alia Sapient. 3., *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent:* & alia Iſaiæ 40. *Mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt; ambulabunt & non deficient.*

Quanta & qualis ſit hæc agilitas.

Sed ad explicandum magis, quanta & qualis ſit hæc agilitas corporis glorioſi, Durand. in 4. diſt. 44. quæſt. 7. contendit, Beatum poſſe quidem velociſſime incedere eodem genere motus progreſſiui, quo nunc in terra pedibus ambulamus: non poſſe verò ſe totum ſimul motu ſimplici abſque membrorum miniſterio & inflexione mouere, eo pacto quo ignis aſcendit: quia inquit omnino debent diſtingui in corpore pars mouens & mota: nec ſufficeret dicere, animam ipſam mouere corpus, quia ſic non mouebitur ipſa anima, ſed ſolùm corpus, quod fieri non poteſt. Ex aduerſo aliqui volunt, tantam eſſe agilitatem Beati, vt poſſit moueri etiam in inſtanti: ſiue (ne vis fiat in nomine motus) vt poſſit ſe in inſtanti transferre de vno loco ad aliū, non tranſeundo per medium. Ita defendit Suarez hic diſp. 48. ſect. 4. Qui explicat, non poſſe id quidem fieri per virtutem ſuperadditam & inditam ipſi Beato, ſed fieri ab anima vel corpore Beati, vt inſtrumento diuinæ virtutis: Et affert modum loquendi Patrum dicentium, poſſe Beatum in momento & abſque retardatione perge e quo voluerit. Aut dicentium, cogitationum noſtrarum velocitatem, fore æqualis agilitatis. Aut dicentium, vt etiam Apoſtolus dixit cum Angelis. Angeli autem poſſunt Surget corpus ſpirituale.

Digitized by Google

poſſunt ſe tali modo mouere, ſeu locum mutare. Idem defendit Kelliſonus q. 54. art. 3. dub. 2.

Erit in omnibus Beatis ad motū progreſſiuum & ſimplicem verſus omnē locum.

Dicendum tamen eſt, Chriſtum quidem poſſe non ſolùm motu progreſſiuo & ſimplici velociſſimè moueri, ſed poſſe etiam ſe in inſtanti conſtituere in loco diſtanti non tranſeundo per medium: ſed alios Beatos poſſe ſanè per ſuam agilitatem, non tantùm velociſſimè moueri motu progreſſiuo, ſed etiam motu ſimplici quoquo verſum voluerint, & poſſe ſiſtere ac ſe ſuſtinere in aere & vbicunq; abſq; alio ſubſtētaculo, non verò poſſe ſe mouere ſeu transferre de loco ad locū in inſtanti, de extremo ad extremū ſine medio. De Chriſto Domino quoad mutationem in inſtanti, patet ex alio myſterio fidei ita fieri, ſcilicet in conſecratione Euchariſtiæ: vbi etiam Chriſtus ſe conſtituit ſimul in tot locis differentibus, & non deſerit illum locum quem tenet in cœlo. Omnes verò Beati poſſunt ſine dubio, non ſolùm motu progreſſiuo, ſed etiam motu ſimplici, quoquo verſum velociſſimè moueri. Ita omnes Theologi pro certo ſupponunt. Et alioqui eſſet magna imperfectio ac limitatio, ſi Beatus non poſſet niſi pedum paſſibus incedere, & ſi etiam indigeret ſubſtētaculo cui deberet inniti ac pedibus inſiſtere. Sed omnino Beati cum ſuis corporibus glorioſis, virtute ſuæ agilitatis rectà aſcendent in cœlum, & ſic pariter poſſunt ſe quoquouerſum mouere. Et ita per hanc virtutem communicandam omnibus Beatis, Chriſtus de facto tetendit ad cœlum: & ſi qui alij Sancti in corporibus glorioſis aſſumpti ſunt in cœlum.

Non autē ad motum inſtantaneum, vel de extremo ad extremum ſine medio.

De reliquo non oportet Beatis tribuere aliam agilitatem & vim, ſe tranſferendi de vno loco ad alium in inſtanti, & non tranſeundo per medium. Et ita cōmuniter Theologi docent, S. Tho. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. quæſtiuncula 3., Paludan. ead. diſt. q. 4., Sotus diſt. 49. q. 4. art. 7., Riccard. art. 4. q. 7. Et ſuadetur: quia non habet fundamentum in Scriptura; nec apparet quare talis vis tribui debeat Beatis. Ac præſertim, quia ſupponimus, Angelos non habere talem vim, vt tractauimus 1. par. quæſt. 59. ſect. 4. Quare non debet ex Angelorum exemplo talis vis extendi ad corpora glorioſa. Sed ad ſummum poterat Angelus ſe transferre in inſtanti per motum diſcretum in locum proximum non contiguum, non pertranſeundo loca media communicantia, vt ibi dicebamus. Neque hoc tamen debet concedi corpori glorioſo: quia in tantū id conueniebat Angelo, inquantum Angelus non habet partes coextenſas loco; & ita non ſequebatur, vllam partem eius transferri de loco ad locum non contiguum per medium non communicans. Vnde cùm corpus glorioſū exiſtat extenſum in loco, planè fieret vt quælibet pars eius transferretur de loco ſuo in locum aliquantum diſtantem, non tranſeundo per medium interceptum. Imo S. Thomas ibi ait, implicare contradictionem, quòd vllum corpus ſubeat illum modum motus aut mutationis in inſtanti abſque medio. Sed hoc eſt nimium: & verè non apparet talis contradictio: ac facile intelligi poteſt, quod corpus per aliquod tempus præexiſtens in vno loco, in quodam inſtāti inueniatur in alio loco quātumuis diſtanti. Et ita de facto ac naturaliter S. Thom. concedit in Angelis, vt ibidem ſupponit, & tenet etiam 1. par. q. 53. De facto etiam virtute ſupernaturali ita fit corpus Chriſti præſens in Euchariſtia: & ſic poſſet pariter fieri, acquirendo nouam præſentiam circumſcriptiuam: poſſet fieri, deſerendo priorem locum. Illi vero Patres qui eo modo loquuti ſunt, explicare ſolùm voluerunt ſummam velocitatem qua Beati poterunt moueri, vt exponit S. Tho. ea quæſtiuncula ad 2., *Quia illud quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur.*

Quid ſit hæc agilitas.

Sequitur vt videamus, quid ſit agilitas, quænam ſit virtus, qua dicto modo mouebuntur Beati. Maior in 4. d. 49 q. 18. opinatur, eſſe aſſiſtentiam Dei extrinſecam, qua paratus ſit ſemper efficere, ac efficiat omnem motum Beati, quantum & quocunque ipſe Beatus tēdere voluerit. Sotus ead. diſt. q. 4. art. 7., & ex parte Suarez hic diſp. 48. ſect. 4. addunt, eſſe virtutem obedientialem, qua ipſe Beatus

par

Digitized by Google

per modum inſtrumenti eleuetur & aſſumatur à Deo ad efficiendum quemcunque motum, ſicut ad alia opera miraculoſa & ſupernaturalia. Sed D. Bonau. ead. diſt quæſt. vlt. ad 1. indicat, eſſe ablationem grauitatis & ponderis a corpore glorioſo. Et fauet Auguſt. lib. 13. de Ciuit. cap. 18., dicens: *Itane, Deo ſummo concedere dubitabimus, vt de carne hominis congruentiam figuræ membrorumque detineat, & detrahat ponderis grauitatem?* Durand. verò q. 7. ſignificat, eſſe ablationem reſiſtentiæ, permanente ipſa forma & qualitate grauitatis. Scotus q. 14. vult, eſſe eandem virtutem motiuam animæ, ſed nũc non eſſe expeditam, & corpus non eſſe diſpoſitum, niſi ad motum progreſſiuũ: ſed tunc eam virtutem fore expeditã, & corpus fore diſpoſitum ad quemcunque modum & velocitatem motus, & ipſam quoque virtutem natiuam fore augendam. Alenſis, ſicut dicebat de impaſſibilitate, ſic putauit etiam de agilitate, ſcilicet eſſe virtutem illius quintæ eſſentiæ cœleſtis, prædominantis in corpore glorioſo, ſupra temperaturam elementarem. D. Thomas ibi d. 44. q. 2. art. 3. in prima quæſtiuncula, ſicut dixerat de impaſſibilitate, explicauit, eſſe plenum illud dominiũ, quod anima habebit in corpus, ſeu plenam ſubiectionem quam corpus habebit ad animam. Scotus d. 49. q. 14. vult, eſſe eandem virtutem motiuam animæ, quã habet ſemper erga ſuum corpus, quæ nunc quidem eſt impedita, vt non niſi motum progreſſiuum exercere queat, ſed tunc fore expeditam, vt quoquouerſum tanta facilitate & velocitate ſuum corpus deferre queat.

Eſt virtus intrinſeca corpori glorioſo. Sed præſtabit dicere, hanc agilitatem eſſe virtutem quandam motiuam, de genere qualitatis, nouiter inditam à Deo ſupra corporis naturam, ipſi Beato in corpore glorioſo. Ita indicat S. Thomas eo loco, qui ſic explicare videtur dominium quod dicebat animæ in corpus: & defendit Paludan. q. 4. & Valent. hac 3. p. q. 5 de ſtatu vitæ futuræ puncto 1. Eſtque magis conſonum verbis Scripturæ, de hac agilitate intelligendo, *Surget in virtute*; & illud, *Mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ*. Et verbis D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 11. dicentis: *Quam multa grauia & terrena ſiunt corpora, ſicut plumbum, & formam tamen accipiunt ab artifice, qua natare valeant ſuper aquam; & vt accipiat corpus humanam qualitatem, qua ferri in cœlum poſſit & eſſe in cœlo, omnipotenti artifici contradicitur?* Quare per hoc etiam debet intelligi quod dixerat, detrahi tali corpori grauitatem. Sic etiam quod dicitur de Chriſto Domino, aſcendiſſe propria virtute, verificabitur non ſolùm virtute diuina, ſed virtute glorioſa humanitatis ſuæ. Et planè omnes alij dicendi modi, de ſe apparent inſufficientes, & partim falſi, ac facile refelli poſſunt. In hoc vero non obuiat certa difficultas; ſed apparet potius magna conuenientia. Poſſibile enim ſine dubio eſt, vt Deus conferat Beato talem virtutem motiuam, qua facillimè & velociſſimè moueri queat, non ſolùm progrediendo, ſed quoquo verſum ſimplici motu etiam in altum ſe tollendo, & vbi voluerit ſiſtendo, ſuperando omnem inclinationem ac reſiſtentiam grauitatis. Etenim iam in vniuerſum 1. par. q. 48. ſect. 2. dicebamus, poſſe a Deo conferri virtutes quaſdam cauſis creatis, ad operandos certos effectus ſupra naturam ipſarum cauſarum. Et hoc quidem faciliùs apparet de virtute motiua ad efficiendum motum localem: quia hic eſt in ſubſtantia ſua naturalis & adeo ordinarius. Solumque additur in præſenti caſu maior velocitas. Additur noua habilitas ad omnem loci poſitionem, & ad ſuperandam corporis grauitatem. Et conueniens eſt dicere, conferri à Deo permanenter & intrinſece in Beato talem virtutem: quia motus erit operatio in iis tam familiaris & ordinaria, & tanquam connaturalis omnibus Beatis in illo ſtatu gloriæ. In quo valde differt ab operatione miraculorum, quæ eſt ſingularis & extraordinaria, & ad effectus qui rarò & præter conſuetum ordinem fiunt: quare non oportet ad illo concedere virtutem intrinſecam & permanentem.

Poſſibile etiã videtur, vt Deus conferat Beato vim ſe transferendi in inſtanti

ſtandi de vno loco ad alium diſtantem abſque tranſitu per medium, & ſe conſtituendi etiam in pluribus ſimul locis. In hoc enim additur talis modus operandi, efficiendo præſentiam immediatè in loco diſtanti, aut etiam efficiendi & conſeruandi præſentiam in pluribus locis ſimul: ad quem operandi modum ibidem diximus poſſe Deum aſſumere & eleuare eandem virtutem natiuam caníæ, quæ alioqui de ſe non poterat taliter operari. Attamen de facto nõ oportet tribuere communiter Beatis talem agilitatem ad acquirendum immediatè locum diſtantem, & plura loca ſimul. Sed Chriſtus quidem habet hanc vim, ſaltem quoad ſacramentum Euchariſtiæ. Quæ proinde non ſpectat ad ſtatum gloriæ communem Beatis. Nec conuenit Chriſto in ſolo ſtatu gloriæ; ſed conueniebat corpori & ſanguini eius, etiam in triduo mortis. Et qualiter efficiatur hæc Chriſti collocatio & præſentia, proprio tractatu de Euchariſtia videbimus.

Alia conditio corporis glorioſi. Subtilitas ad ſe penetrandum cum alio corpore.

Vlteriùs, corpus Chriſti glorioſum reſurrexit habile ad tranſeundum ex quocunque loco ad alium, non obſtante quocunque corpore ſolido intermedio: & hæc vocatur inter prærogatiuas corporis glorioſi Subtilitas. Ita corpus Chriſti exijt è ſepulchro, non obſtante ſaxo aduoluto ad oſtium monumenti: intrauit in diſcipulorum cœnaculum ianuis clauſis: ac tandem aſcendit ſuper omnes cœlos. Et hanc eandem virtutem in omnibus Beatis reſurgentibus, ſignificauit Apoſtolus ſpecialiter illo verbo, quo corpus glorioſum vocauit *ſpirituale*: quod ſcilicet ad inſtar ſpiritus poſſit quacunque abſque impedimento ſolidorum corporum pertranſire. Et ſic Beati in corporibus glorioſis cœlos cõſcendent, & poterunt etiam poſteà intra cœlos excurrere, ſupponendo cœlos eſſe corpora ſolida, nec vtique ſcindentur per tranſitum Beatorum. Hoc autem totum Theologi communiter intelligunt fieri per penetrationem corporis glorioſi cum alio naturali corpore in eodem ſpatio & loco: & hanc vim ſe penetrandi cum alijs corporibus vocant in corpore glorioſo ſubtilitatem. Et hoc idem communiter indicant Sancti Patres & Sacri Expoſitores.

Verè corpus Chriſti et aliorum Beatorum habet hãc conditionẽ.

Verùm Durandus in 4. d. 44. q. 6. & Paludan. q. 3. art. 3. dubitarunt de hac Chriſti & Beatorum proprietate, & ſimpliciter de poſſibilitate penetrationis inter corpora quanta. Et excogitarunt plures modos quibus fieri potuerit & explicari poſſit egreſſus & ingreſſus Chriſti in illis caſibus, abſque vera penetratione: videlicet aut per imperceptibilem apéritionem & recluſionem monumenti & cœnaculi, aut per ſimulam aliquam, aut per feneſtram non aduertentibus diſcipulis. Qui modi planè diſſonant à verbis Euangelij, ac dedecent Chriſti maieſtatem & gloriam, repugnant menti Sanctorum Patrum & Doctorum. Vnus tamen modus non eſſet ita intolerabilis: ſi nempe diceretur corpus Chriſti egreſſum de ſepulchro, & ingreſſum in cœnaculum, non tranſeundo per mediũ ſed immediatè ſe trãsferẽdo de vno loco ad alium; quod quidem ſpectaret ad eandem proprietatem agilitatis, de qua iam dictum eſt. Non eſt tamen cur dubitetur de ſubtilitate & penetrabilitate, atque adeo cur non dicatur corpus Chriſti tranſiſſe per medium, & ſic alios Beatos in corporibus glorioſis poſſe tranſire per alia corpora ſolida. Quia ſanè nulla ratio repugnantiæ reſpectu diuinæ potentiæ inuenitur in penetratione, vt tractauimus in Philoſophia q. 27. ſect. 5., vbi diluimus omnes oppoſitas rationes. Et Patres ac Scriptura magis indicãt, corpus Chriſti tranſiſſe per ipſas ianuas clauſas, & per ſepulchrum clauſum. Ac ſic etiam explicari debebat modus natiuitatis Chriſti ex clauſo vtero matris, vt antea vidimus. Et de omnibus Beatis, verbum illud Apoſtoli, *Surget corpus ſpirituale*, magis indicat hanc vim penetrandi & tranſeundi ad inſtar ſpiritus. Et hoc demum eſt magis congruum ſtatui Beatorum, vt poſſint vndequaque inter cœlos & aſtra, cum tota eorum ſoliditate, & abſque ſciſſione, diſcurrere: atque hoc etiam modo verificetur illud Sapientiæ 3. *Tanquã ſcintillæ in arũdineto diſcurrent.*

Supereſt

Digitized by Google

Fit penetratio per ſolam coexiſtentiã in loco.

Supereſt explicandum, qualiter fiat hæc penetratio, & quæ ſit propria cauſa effectiua eius, & quid & quæ ſit ſubtilitatis virtus. Nonnullos quidem dicendi modos circa effectum penetrationis memorauimus ac reiecimus eo loco Philoſophiæ. Atque concludebamus, penetrationem non fieri, auferendo quantitatem, aut extenſionem, aut repletionem loci, aut principiũ diſtinctionis corporum: ſed ſolùm efficiendo aut conſeruando præſentiam vnius corporis in loco, ſimul cum præſentia alterius corporis in eodem loco, & ita impediendo effectum expulſionis inter duo corpora ex eodem loco.

Quæ cauſa & virtute fiat.

De cauſa autem effectiua huius coëxiſtentiæ & præſentiæ, S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 2. aſſerit, eſſe ſolam virtutem diuinam, & non virtutem intrinſecam ſubtilitati inditam eidem corpori glorioſo: *Sicut, inquit, etiam corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate indita, quòd ad vmbram eius ſanarentur infirmi, ſed hoc fiebat virtute diuina, ad ædificationem fidei; ita faciet virtus diuina, vt corpus glorioſum poſſit ſimul cum alio corpore eſſe ad perfectionem gloriæ.* Idem repetit in ſolut. argumentorum: dicens etiam, quod virtus ipſa diuina in hoc aderit Beatis ad omnia quæ voluerint. Conſequuntur Capreolus & Paludan. ead. diſt. quæſt. 3. Scotus diſt. 49. q. 16. Sotus q. 4. art. 6. & quidam alij. Sed Alenſis hanc actiuitatem & operationem videtur attribuiſſe eidem illi quintæ eſſentiæ & naturæ cæleſti, quam ponebat prædominantẽ in complexione corporis glorioſi. Bonauent. d. 49. par. 2. in 2. principali art. 3. q. 1. videtur conſtituiſſe peculiarem virtutem intrinſecam, inditam à Deo in corpore glorioſo, operatiuam talis effectus. Et fauet Ambroſ. ſuper Lucæ 24. dicens, Chriſtum per reſurgentis corporis qualitatem ianuas clauſas penetraſſe: & Gregor. Homil. 26. in Euãg. & lib. 14. Moraliũ cap. 31. dicens, corpus glorioſum eſſe ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ. Suarez diſp. 48. ſect. 5. vult, Deum quidem eſſe cauſam principalem talis effectus, ſed vti tanquam inſtrumento eadem voluntate ſeu facultate Beati, ſicut ſupponit de alijs miraculis Chriſti. *de Statu vitæ futuræ.* Valent. quæſt. 5. puncto 1. ait ſubtilitatem eſſe eandem realiter virtutem & qualitatem cum agilitate & impaſſibilitate, exercereque hanc operationem penetrationis.

Fit eadem intrinſeca virtute motiua.

Sed certe, cùm penetratio non ſit aliud, quàm coexiſtentia & præſentia vnius corporis in eodem loco vbi eſt aliud corpus; planè illa eadem cauſa quæ efficit motionem & præſentiam vnius corporis ad eundem locum in quo eſt & permanet aliud corpus, eſt propria cauſa effectiua penetrationis. Cauſa autem motionis, & præſentiæ conſequentis motionem, vtique eſt illa virtus motiua & locatiua, quæ motum & tranſlationem efficit. Quare optimè illa ipſa virtus agilitatis, quam diximus conferri à Deo ſingulis Beatis ad tantã facilitatem & promptitudinem motionis, erit etiam propria cauſa illius motionis & præſentiæ, qua Beatus perget ad illum locum, & in illo ſiſtet, in quo inuenitur & permanet aliud corpus, & ſic eſt cauſa penetrationis. Sicut etiam illa ipſa virtute motiua qua Angelus poteſt ſe mouere & in loco conſtituere, eſt cauſa coexiſtentiæ & conpræſentiæ Angeli cum corpore in certo loco: & illa ipſa virtus qua efficitur præſentia ſacramentalis Chriſti in Euchariſtia, efficitur quoque coexiſtentia localis, & velum compenetratio corporis Chriſti cum quantitate panis. Atque adeo rectè dicetur in Beato virtus ſubtilitatis eſſe eadem realiter cum virtute agilitatis: ſed formaliter habere denominationem ſubtilitatis, quatenus poteſt mouere & locare corpus glorioſum in eodem loco & ſpatio cum alio corpore. Non tamen hæc tota virtus dici debebit eadem cum virtute impaſſibilitatis antea dicta: quia habent prorſus diuerſos effectus, vt per ſe ſatis patet.

Vel vi ſua vel eleuatione diuina.

Poteſtque dupliciter intelligi, quòd eadem virtus motiua corporis glorioſi exerceat penetrationis effectum. Vno modo, quod ex natura ſua habeat talem vim, videlicet ſit ab intrinſeco talis ac tantæ efficaciæ, vt poſſit efficere præſentiam ſui corporis cui ineſt, in quocunque loco vbi ſimul ſit aliud corpus; ſicut virtus motiua Angeli, habet per

per ſe ac naturâ ſua talem vim. Alio modo, quod non ex natura ac vi ſua id perficiat, ſed aſſumatur & eleuetur à Deo ad id efficiendum ſupra naturam ac vim ſuam: ita vt ſimili modo poſſit Deus aſſumere virtutem natiuam cuiuſcunque corporis non glorioſi ad efficiendam motionem & præſentiam ſui in certo loco ſimul cum alio corpore ibi permanente, quod alioqui talis virtus ex natura ſua nullatenus poterat. Eſſentialiter enim eadem eſt motio & præſentia corporis in loco ſimul cum alio corpore, atque abſque alio corpore: vnde hic effectus non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum: & ſic facile poteſt aſſumi à Deo eadem virtus motiua ad illum exequendum.

Liber eſt vſus huius virtutis Chriſto & Beatis.

Cæterùm circa vſum huius poteſtatis & virtutis addendum eſt, Chriſtum & omnem Beatum habere libertatem non vtendi illa, non exercendi actum penetrationis, atque adeo expellendi aliud corpus è ſuo loco, & reſiſtendi alteri corpori ne ſubintret in ſuum locum. Ita notauit D. Tho. quæſtiuncula 6., & D. Bonau. q. 2. Et quidem hoc pacto potuit Chriſtus, corpus ſuum præbere palpandum, quando dixit, *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: vbi poterant diſcipuli diſcernere carnem & oſſa, tangendo corpus Chriſti, ſicut in alijs humanis corporibus. Et ſimiliter quando dixit Thomæ, *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum*. Et quando mulieres tenuerunt pedes eius, Matth. 28. Omnino enim in his caſibus corpus Chriſti non ſinebat ſe compenetrari cum manibus tãgentium, qui ſic non potuiſſent tactu diſcernere veritatem corporis eius, & foramina vulnerum: ſed reſiſtebat in loco, ſicut ſolent alia corpora. Item poſſet ſine dubio Beatus lapidem manu ſuſtollere & retinere, ita vt lapis non decideret: non ergo manus Beati neceſſario penetraretur cum lapide. Et ſic etiam poſſet Beatus quodcunque aliud corpus propellere, quia non neceſſariò deberet cum illo penetrari. Atque ad hos tandem reduci debet, quod docet S. Thomas quæſtiuncula 4. & 5, & alij, non fore vt vnum corpus glorioſum penetretur cum alio glorioſo, vel vna pars cum alia corporis glorioſi. Debet inquam pariter ad hoc reduci, quòd Beati non vtentur ſua poteſtate & ſubtilitate ad hunc effectum, quamuis non deſit illis eadem poteſtas: quia nempe non indigebunt tali exercitio ſuæ poteſtatis, ſed potiùs conueniens erit, vt ſemper ſeruent debitum ordinem ac diſpoſitionem inter ſe & in ſuis partibus.

Vltima conditio corporis glorioſi, Claritas.

Demum accepit corpus Chriſti reſurgens in ſtatu gloriæ, eximiam claritatem & ſplendorem, & ſic etiam alij Beati in ſuis corporibus glorioſis habebunt huiuſmodi claritatis dotem. Hoc totum expreſſit ſpecialiter Apoſtolus ſub eodem nomine in illis verbis ad Philippenſ. 3, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et idem ſub nomine gloriæ de omnibus Beatis ſignificauit 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate ſurget in gloria*: ignobilitatem ponens pro humilitate ſeu vilitate, & gloriam pro claritate. De qua proximè ſupra dixerat: *Alia cæleſtium gloria, alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum*, & cætera quæ infra referemus. De eadem claritate Chriſti & Beatorum aliqui Patres intelligunt illud Pſalmi 109., *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum*. Et illud Sapientiæ 3. *Fulgebunt iuſti & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Et illud Danielis 12. *Fulgebunt tanquam ſplendor firmamenti, & tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates*. Ac perſpicuè Chriſtus Dominus Matth. 13., opponens electos cum damnatis, inquit, *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris mei*. Et ita Sacri Doctores & Patres intelligunt, eximiam claritatem ineſſe corporibus glorioſis Chriſti & aliorum Beatorum.

Verè conuenit ab intrinſeco.

Attamen Scotus in 4. d. 49. q. 15. & Durand. d. 44. q. 8. dixerunt, poſſe claritatem hanc explicari in Beatis, quod non ſit lux eis intrinſeca, ſed quòd ipſa quidem corpora glorioſa ſint in ſe ita nitida ac terſa, vt aptiſſima ſint ad recipiendam lucem & ſplen-

Digitized by Google

ſplendorem ab intrinſeco, & habeant etiam in ſe exquiſitum colorem, quo cum luce reſplendeant, ſicut videlicet apud nos ſpeculum & gemmæ. Putandum tamen omnino eſt, claritatem in corporibus glorioſis, eſſe lucem per ſe ſingulis inditam, & non ab alio externo agente luminoſo emendicatam. Ita quidem omnes Theologi ſentiunt, & concedunt etiam Scotus & Durand. Et hoc habetur ex verbis Scripturæ propriè acceptis, & ex doctrina Patrum, qui ſic illa accipiunt. Nec ſanè erit difficile Deo, infundere lucem ſingulis ipſis corporibus glorioſis. Idque ſine dubio apparet multò magis conueniens ac debitum glorioſo ſtatui Beatorum. Et cenſeri debet corpus Chriſti eſſe multo magis lucidum ac fulgidum, quàm omnia alia cæleſtia corpora: & ſic etiam omnes Beatos fore ſplendidiores cunctis alijs corporibus cæleſtibus: non ergo ab ijs participabunt lucem, ſed in ſeipſis inditam habebunt.

Nec oportet vt ſit in tota profunditate corporis. Rurſus ijdem Scotus & Durand. & Bonau. d. 49. par. 2. in 2. principalo art. 2. q. 1. contendunt, lucem in corporibus glorioſis inueniri ſolùm in extrema ſuperficie, & non in partibus internis ac in profunditate, atque adeo non eſſe transparentia & peruia viſui. At S. Thomas d. 44. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1. ad 2., Paludan. ead. diſt. q 5. Riccard. diſt. 49. art. 4. q. 6., Maior q 19., Sotus q. 4. art. 8. opinantur, licet ſub dubio, corpora Beatorum fore lucida in tota ſua profunditate, atque tranſparentia & peruia viſui. Idque defendit Suarez diſp. 48 ſect. 2, ſolum dubitans num corpora non glorioſa poſſint intmittere ſpecies viſibiles ſui & tranſpici per medium corporis glorioſi. Fauentque huic ſententiæ, D. Gregor. in illa verba Iob 28, *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, quem affert S. Thomas illo augumento 2., & D. Auguſtin lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. & lib. de Cognit. veræ vitæ cap. 45, & Laurent. Iuſtinian. lib. de Diſciplina & perf. monaſt conuerſ. cap. 13. Sed poſſibile quidem dici debet, infundi lucem etiam in profunditate corporis glorioſi, atque ſic poſſe fieri tranſparentia & peruia viſui: in quo caſu dubitari non debet, etiam corpora non glorioſa poſſe tranſmittere ſpecies ſuas viſibile, & conſpici per tale medium. Tamen id non eſt neceſſarium, & ſine vrgenti cauſa inducit magnam mutationem in natura corporis opaci, & in modo viſionis. Nec videtur ſatis commodum: vt nempe dum conſpicitur corpus glorioſum, conſpiciantur etiam viſcera & interiora: ſed congruentius apparet, viſum ſiſtere in extrema ſuperficie & pulchritudine. Mente autem comprehendetur etiam interna compoſitio & harmonia corporis. Quo modo poſſunt exponi illi Patres. Nam Gregor. ait, mentem etiam, conſcientiam, & animum vniuſcuiuſque, ab alijs conſpici, & corde conſpici. Auguſtinus ac Iuſtinianus dicunt, armoniam corporis patentem, profuturam ad diuinas laudes, manifeſtando ſapientiam conditoris: ad quod vtique ſatis eſt, mente comprehendi ſimul cum aſpectu exterioris formæ.

Eſt eiuſdem rationis cum claritate naturali. Ad explicandum verò quid & qualis & quanta ſit hæc claritas, Riccard. ibi d. 44 art. 4. q. 6., Albertus 2. par. ſummæ quæſt. de lumine, & Suarez hîc diſp. 48. ſect. 2., opinantur, eſſe diuerſæ ſpeciei ab omni naturali luce, & ex ipſa ſua ſpecifica natura eſſe fulgentiorem luce Solis. Et pro hac parte refert Suarez illud Apocal. 21., *Ciuitas non eget ſole neque luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam.* Et de ipſis Beatis cap. 22. dicitur, *Non egebunt lumine lucernæ neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos:* Quaſi ſcilicet, diuerſæ ſpeciei & maioris fulgoris per ſe ſit lux Beatorum, à luce ſolis & omni alia naturali luce. Ait etiam Riccard, lucem corporis glorioſi non poſſe per ſe conſpici ab oculo ab oculo mortali, ſed tantùm ab oculo ſimiliter glorificato, & hac ratione inquit cum Auguſt. 22. de Ciuit. cap. 9. non fuiſſe conſpectam ab Apoſtolis lucem glorioſam corporis Chriſti. At S. Thomas ibi diſt. 44. q. 2 art. 4. quæſtiuncula 2. & alij communiter ſentiunt, aut ſupponunt, eſſe eiuſdem ſpeciei & naturæ, quamuis quoad in- ten-

Digitized by Google

tenſionem excedat omnem aliam lu-cem.

Heic rem nos attigimus tractantes de natura lucis q. 54. Philoſ. ſect. 2. Et denuo dicimus, poſſe quidem excogitari differentiam aliquam ſpecificam & eſſentialem in genere lucis: id tamen non eſſe neceſſarium, nec vllam rationem vrgere ad inducendam in re talem differentiam. Et ſine dubio ipſa lux Beatorum dici debet per ſe viſibilis ab omni oculo: vtique enim continetur intra obiectum adæquatum viſus, eſtque qualitas corporea & materialis. neque in hoc poteſt eſſe differentia in genere lucis. Et quando Chriſtus in transfiguratione reſplenduit, potuit bene perſpici ab Apoſtolis, vbi illa lux ſupponi debet fuiſſe de luce gloriæ. Neque certe illa verba Apocal. denotant differentiam ſpecificam inter lucem Beatorum, & lucem Solis aliorumque corporum. Neque ex ratione talis lucis, ſed ex voluntate Chriſti, ſubtracta fuit ab oculis Apoſtolorum, quando poſt reſurrectionē eis apparebat. Et D. Auguſt. ſolùm voluit, non poſſe ab oculis mortalibus ob eorum infirmitatem ferri vehementiam tanti ſplendoris, quantus conueniebat corpori Chriſti glorioſo: ſicut nec etiam lux Solis poteſt communiter oculis noſtris ferri. Quamuis S. Tho. ea quæſtiuncula 2. ad 2. dicat, claritatem corporis glorioſi, non offendere, ſed potius demulcere viſum, quia non agit actione reali calefaciendo & diſſoluendo organum, ſed actione tantùm intentionali & non offenſiua. Cenſetur autem lux cuiuslibet Beati, maior & intenſior luce Solis. Et de omni corpore glorioſo pronunciauit Laurent. Iuſtinian. lib. de Diſcipl. & perfect. monaſt. conuerſ. cap. 23., *Nimia claritate fulgebit, ita vt Solis ſeptics tranſcendat ſplendorem.*

Poteſt ad libitum oſtēdi aut occultari à beatis.

Additque D. Thomas ea quæſtiuncula 3., atque hic quæſt. 54. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 1., Beatum habere in ſua poteſtate & dominio, vt ſe videndum præbeat, aut ſe occultet & ab aliorum conſpectu ſubtrahat: quod debet intelligi quamuis in præſentia aliorum realiter permaneat. Quare quando Chriſtus Dominus de repente ex aſpectu diſcipulorum ſe ſubtrahebat, poterat id facere non recedens ab illo loco in quo apparuerat: idquè non tantùm ſingulariter virtute diuina, ſed communi poteſtate omnium Beatorū. Et poteſt explicari, quomodo hoc fiat: quod ſcilicet Beatus habeat in ſuo dominio, immittere vel continere ſpecies viſibiles ſui; & continendo ſpecies, non conſpicietur. Addit inſuper D. Bonauent. quæſt. 2., Beatum poſſe ſe manifeſtare plus aut minus quantum voluerit, ideſt magis aut minus de ſua luce oſtendere & aliorum aſpectui exhibere. Et ita quidem Chriſtus Dominus quando apparebat, adhuc occultabat ſuum eximium ſplendorem: & in transfiguratione oſtendit aliquam partem ſplendoris. Ait vero Bonau., Beatum habere talem poteſtatem ratione ſubtilitatis & agilitatis, qua poteſt penetrare aut reſiſtere. Sed non debet intelligi de ſubtilitate & agilitate quoad locum, ſed quoad ſpecies viſibiles, ideſt quatenus poteſt immittere ſpecies in alterius oculum, aut eas impedire & continere. Ideoquè ne confundantur nomina, non debet dici id ſpectare ad ſubtilitatem & agilitatem, ſed potiùs ad talem vim & proprietatem ipſius claritatis.

Ex quā cauſa procedant dictæ perfectiones in corpore glorioſo.

Iam vero quæritur adhuc de ipſa claritate, vnde dimanet in corpore glorioſo, & à quo agente efficiatur. Hoc tamen dubium commune etiam eſt ad alias proprietates corporis glorioſi ſuppoſito quod dicimus eſſe qualitates quaſdam intrinſecùs inhærentes in ijſdem Beatis. Alenſis dicebat, claritatem effectiuè prouenire ab illa quinta eſſentia & luce cæleſti, quam ponebat prædominantem in temperatura corporis glorioſi. Sed S. Thomas ibi diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1., reijciens hanc quintam eſſentiam, ait, *Quòd claritas illa cauſabitur ex redūdantia gloria animæ in corpus.* Et D. Auguſt. epiſt. 56., de tota corporis gloria ait deriuari ab anima. Quare videtur, ex eadem gloria animæ dimanare & effectiuè procedere claritatem aliaſquè perfectiones corporis glorioſi. Suarez diſp. 48. ſect. 2. probat, in corpore quidem Chriſti factam eſſe claritatem

per.

per virtutem animæ; non quidem tanquam cauſæ principalis; ſed tanquam cauſæ inſtrumentalis aſſumptæ & eleuatæ à Deo: in alijs autem Beatis fieri per virtutem, ſimiliter inſtrumentalem humanitatis Christi; & ideo de ipſo Chriſto dixiſſe Apoſtolum, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Verùm non videtur aſſignanda alia cauſa propriè & phyſicè effectiua claritatis & aliarum huiuſmodi perfectionum in corpore glorioſo, præter virtutem ipſam diuinam, ex debito tamen & morali dignitate ac exigentia gloriæ animæ, vt iam diximus t. 2. q. 4. ſect. 8. Quia cum gloria animæ ſit viſio & fruitio Dei, communis etiam Angelis ſanctis, non habet per ſe, proportionem & aptitudinem connaturalem, vt efficiat tanquam propria principalis cauſa tales perfectiones in corpore: ſed ad ſummum exigit ac requirit, vt ratione ſtatus Beatifici & glorioſi Deus conferat tales perfectiones corpori vnito animæ beatæ. Item nec ipſa gloria animæ, aut eius ſubſtantia, aut tota humanitas Chriſti, debet aſſumi ac eleuari à Deo per modum inſtrumenti, ad producendum talem effectum: quia nec eſt neceſſarium, nec etiam poſſibile abſque alia virtute ſuperaddita, vt ſupponimus. Sed ad ſummum poſſet cogitari, quod imprimeretur à Deo virtus quædam in ſubſtantia animæ aut humanitatis Chriſti, effectiua claritatis aliarumque perfectionum. At non oportet multiplicare tot virtutes & qualitates: ſed præſtabit ab initio dicere, ipſam claritatem & alias perfectiones corporis glorioſi, effici & manari immediatè à Deo: D. Tho verò & Auguſtinus intelligi debent de ſola morali exigentia, qua gloria animæ requirit quoque gloriam corporis. Et Apoſtolus ſimiliter de ſola cauſalitate morali, qua Chriſtus eſt auctor noſtræ ſalutis & gloriæ, non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore.

Qualiter ſint inæquales inter Beatos, & ex-

Poſtremò. Non ſolùm de claritate docet S. Thomas ea diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1., fore inæqualem inter Beatos, iuxta meritum & gloriam ſingulorum; ſicut expreſſit Apoſtolus, ibi 1. Cor. 15. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Sed etiam de impaſſibilitate art. 1. quæſtiuncula 1. docuit, quod licet ſecundùm ſe, prout negationem ſeu priuationem importat, nō ſuſcipiat magis & minus, ſed debeat eſſe in omnibus Beatis æqualis, tamen ſecundùm ſuam cauſam, prout importat dominium animæ in corpus, futura ſit inæqualis, atque adeo maior in illo Beato qui maiorem gloriam animæ habebit. At loquendo de omnibus quatuor dictis perfectionibus: Manifeſtè quidem claritas ſecundùm ſe poteſt eſſe maior aut minor. Et ſic dici debet inæqualis iuxta ſtatum & gloriam ſingulorum Beatorum: Ac proinde maxima & excellentiſſima in Chriſto præ omnibus alijs. Vnde Suarez diſp. 48. ſect. 2. notauit, maiorem fore ſplendorem in corpore Chriſti, quàm in corporibus omnium aliorum Sanctorum, etiã ſi in vnum conferantur. Quoad impaſſibilitatem verò, non poteſt dici ma[illegible] in vno quàm in alio, carentia omnis corruptionis & afflictionis, quia omnes Beati erunt penitus ſecuri & immunes: ſed ſtante quod hæc impaſſibilitas formaliter conferatur per qualitatem impreſſam corporibus glorioſis, poteſt in hac qualitate cogitari inæqualitas, vt ſit maior & intenſior in vno quàm in alio. Et hoc fortaſſe voluit S. Thomas; quod ſcilicet nō ſolùm cauſa remotior, quæ eſt gloria animæ, ſed cauſa proxima & veluti formalis, quæ eſt hæc alia qualitas, ſit inæqualis. Quoad agilitatem, poteſt cogitari inæqualitas, non ſolùm ſimili modo ex parte huiuſmodi cauſæ, id eſt qualitatis motiuæ: ſed etiã ex parte effectus, id eſt motus localis, quia motus poteſt eſſe magis aut minus velox: ſicut poteſt cogitari talis differentia in virtute motiua & motu naturali Angelorum. Quoad ſubtilitatẽ demum, poteſt cogitari inæqualitas ſolùm ex parte cauſæ & qualitatis dictæ: ſed quantum ad effectum omnis Beatus poterit pariter compenetrari & coexiſtere cum quocunque alio corpore; nec debet ſingi vnum Beatum poſſe [illegible] cum quibuſdam.

Excellentiores in Chriſto quàm in alijs.

bilem & non cum alijs corporibus, aut alio tali modo. Qualitercunque autem cogitetur inæqualitas in quacunque perfectione corporis glorioſi, ſine dubio Chriſtus longe excedit omnes alios Beatos.

SECTIO QVARTA.

De Manifeſtatione Reſurrectionis Chriſti.

Non manifeſtè coram alijs reſurrexit Chriſtus.

NON reſurrexit manifeſtè Chriſtus coram alijs, qui viderent eum ſurgere e ſepulcro, ſicut manifeſte coram populo paſſus fuerat & mortuus in cruce pendens; ſed deinceps manifeſtauit reſurrectionem ſuam, priùs per Angelos, ac deinde per ſe, apparens diſcipulis, & ſe videndum offerens, eiſque committés, vt eam ſimul cum alijs fidei myſterijs, vniuerſis hominibus promulgarent. Redditque rationem S. Tho. q. 55. art 2., quare non debuerit Chriſtus videntibus alijs reſurgere: quia ordo diuinæ prouidentiæ conſuetus eſt, vt ea quæ ſunt ſupra hominum ſtatum, hominibus per Angelos reuelentur: cùm ergo Chriſtus reſurgeret ad vitam glorioſam ſupra communem hominum ſtatum, non debuit Chriſtus reſurgere coram ipſis hominibus, ſed potiùs ſinere vt per Angelos inciperet eis ſua reſurrectio manifeſtari. Vnde ideo antea Lazarum & alios duos mortuos palàm coram diſcipulis & populo ſuſcitauit, quia illi reſurgebant ad vitã communem & mortalem. Ideo etiam ipſe Chriſtus manifeſte coram diſcipulis aſcendit, *Nam videntibus illis eleuatus eſt;* quia aſcenſio quantum ad terminum a quo, ideſt quantum ad eleuationem à terra; non excedebat communem hominum notitiam. Sed quia quantum ad terminum ad quem, ideſt quantum ad ingreſſum in cœlum, excedebat, ideo hoc non fuit a diſcipulis conſpectum; *Sed nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Adhuc autem Apoſtoli fuerunt teſtes de viſu reſurrectionis Chriſti, quoniam viderunt eum viuum, poſtquam viderunt eum mortuum.

... omni-

Reddit etiam S. Thomas art. 1. rationem, quare Chriſti reſurrectio non debuerit immediate toti populo manifeſtari, ſed tantùm teſtibus præordinatis a Deo, manifeſtari ſcilicet per Angelos & per apparitionem ipſius Chriſti, ac deinde ut teſtes reliquis hominibus & toti mundo hoc myſterium publicarent; quia lex diuinæ ſapientiæ eſt, vt ea quæ diuina reuelatione innoteſcere debent, reuelentur prius immediatè certis miniſtris, & eorum miniſterio ac teſtimonio deducantur in notitiam aliorum. Et ita Actor. 10. dicebat Petrus: *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare omni populo & teſtificari.*

Cur non immediatè debuit ſuam reſurrectionem manifeſtare.

Manifeſtata fuit Chriſti reſurrectio per Angelos ad mulieres.

Manifeſtata ergo primùm fuit reſurrectio Chriſti per Angelos ad mulieres; vt Euangeliſtæ narrant. Sed in modo & circunſtantijs huius manifeſtationis plures difficultates occurrunt, quia euangelicæ narrationes inter ſe differre videntur. Vnde Toletus in cap. 20. Ioan. annotatione 1. præfatur, nulla in re videri Euangeliſtas magis ſibi aduerſari, quàm in hiſtoria reſurrectionis deſcribenda. Nam Ioannes nominat ſolam Mariam Magdalenam, Matthæus Magdalenam & alteram Mariam, Marcus Magdalenam & Mariam Iacobi & Salome, Lucas Magdalenam & Ioannã & Mariam Iacobi, addens & cæteras quæ cum eis erant. Matthæus & Marcus vnum dicunt Angelum, Lucas & Ioannes duos. Matthæus inquit Angelum ſediſſe ſuper lapidem reuolutum ab oſtio monumenti, Marcus viſum eſſe ſedentem in dexteris, Lucas ſtetiſſe ſecus mulieres, Ioannes ſediſſe vnum ad caput & vnum ad pedes vbi poſitũ fuerat corpus Ieſu. Matthæus ſignificat viſum eſſe Angelum à mulieribus extra monumentum, Marcus & Lucas intra monumentum, Ioannes viſos fuiſſe Angelos exiſtentes intra, à Magdalena exiſtente extra. Tres Euangeliſtæ dicunt, annunciatam fuiſſe reſurrectionem Chriſti locutione & teſtificatione angelica, Ioannes tantùm ait interrogatam fuiſſe Magdalenam ab Angelis

quia

quid ploraret, illam verò conuerſam vidiſſe Dominum.

In hac tamen totâ diuerſitate narrationis, nulla eſt inter Euangeliſtas contradictio, non enim vnus affirmat quod alius negat, ſed ad ſummum vnus affirmat quod alius tacet: ſiquidem neceſſe non erat, vt ſinguli totam & integram narrationem cum omnibus partibus & circunſtantijs contexerent. Ex omnibus autem ſimul tota ſeries hiſtoriæ colligenda eſt. Quod attinet ad mulieres, acceſſit ad monumentum Maria Magdalena, & etiam omnes illæ aliæ mulieres quæ nominantur, & aliæ quæ non nominantur. Et ob maiorem dilectionis feruorem nominatur Magdalena, prima ab alijs Euangeliſtis, ſola à Ioanne: vt notauit D. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 24. dicens: *Venit Maria Magdalena ſine dubio cum cæteris mulieribus quæ Domino miniſtrauerant, plurimum dilectione feruentior, vt non immeritò Ioannes ſolam cõmemoraret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt ſicut alij teſtantur.* Quod attinet ad Angelos & apparitionem eorum: adſtantes mulieres ad oſtium monumenti, viderunt vnum Angelum ſedentem ſuper lapidem reuolutum ab oſtio monumenti, vt narrat Matthæus. Et quia lapis repoſitus erat ad dexteram oſtij, viderunt illum ſedentem in dextris, vt ait Marcus. Et quia etiam ante illud oſtium aderat quædam anterior ſpelunca, vt narrat Beda lib. de Locis ſanctis cap. 2., & atteſtantur alij, mulieres ingreſſæ quidem erant in hanc anteriorem ſpeluncam, non autem in alteram profundiorem cuius oſtium fuerat lapide clauſum: ideo Matthæus ponit hanc viſionem extra monumentum, intelligendo extra illam profundiorem ſpeluncam: Marcus verò intra monumentum, intelligendo intra anteriorem ſpeluncam. Hic Angelus annunciauit mulieribus Chriſti reſurrectionem, vt ambo narrant. Et inuitauit eas vt ingrederentur in illud intimum monumẽtũ, & viderent quòd non ampliùs illic iaceret corpus Domini, vt Matthæus narrat. Et hucuſque hi duo Euangeliſtæ ſuam narrationem perducunt de hac angelica viſione & loquutione. Et ex hinc incipiunt alij duo Euangeliſtæ. Ingreſſæ ergò mulieres in illud internum monumentum, viderunt ibi duos Angelos, qui conteſtati ſunt de reſurrectione Chriſti, vt narrat Lucas: & viderunt illos ſtantes. Tunc mulieres egreſſæ ſunt de monumento, & ſtatim abierunt. Videtur autem, quod inter eas non adfuiſſet tunc Magdalena in hac tota apparitione, quæ priùs ſtatim viſo lapide reuoluto receſſerat, vt infra dicemus. Vnde poſtea iterum ipſa rediens ſtetit ante oſtium monumenti, & inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, ac vidit duos Angelos ſedentes, vnum ad caput & vnum ad pedes loculi in quo poſitus fuerat Dominus: & interrogata fuit ab eis: & cùm ijs reſpondiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Dominum: vt narrat Ioannes. Ita ergo optimè omnes Euangeliſtæ concordant.

Exponitur ſeries huius manifeſtationis.

Per mulieres deinde fuit reſurrectio Chriſti manifeſtata Apoſtolis. Sed adhuc difficultas ſupereſt circa relationem datam à mulieribus ad Apoſtolos, de ijs quæ viderant & audierant. Marcus enim ait, mulieres territas aufugiſſe, & nemini quicquam dixiſſe: Matthæus ait, illas citò receſſiſſe, currentes nunciare diſcipulis: & Lucas ait, regreſſas nunciaſſe omnia vndecim diſcipulis & cæteris omnibus: & quidem tàm Marcus quàm alij duo dicunt, iuſſum fuiſſe mulieribus ab Angelis, vt omnia diſcipulis nunciarent. Sed Ioannes narrat, Magdalenam ſtatim viſo lapide ſublato, nulla facta mentione angelicæ viſionis, cucurriſſe & nunciaſſe Petro ac Ioanni dicendo, *Tulerunt Dominum de monumento & neſcimus vbi poſuerunt eum*, & illos ſtatim perueniſſe, & introiſſe in monumentum, & vidiſſe ſine corpore Domini, & reuerſos fuiſſe, ac tum Magdalenam vidiſſe Angelos. Lucas autem de ſolo Petro narrat, cucurriſſe ad monumentum, poſtquam mulieres nunciauerant de viſione & teſtificatione angelica. Augetur difficultas, tangendo aliquid de apparitionibus Domini. Quia Ioannes cùm narraſſet Magdalenam vidiſſe Dominum, ſubdit id retuliſſe diſcipulis, *Venit Maria Magdalena an-*

Manifeſtata fuit per relationẽ mulierũ ad Apoſtolos.

Digitized by Google

annunciant diſcipulis quia vidi Dominum & hæc dixit mihi: idemque teſtatur Marcus. Et ſimiliter Matthæus narrat, Chriſtum apparuiſſe mulieribus redeuntibus a monumento, & iuſſiſſe vt ſuo nomine nunciarent diſcipulis. At Lucas narrans id quod duo diſcipuli euntes in Caſtellum Emmaus referebant, tantùm ait quod dicerent, mulieres vidiſſe viſionem Angelorum, & ab ijs audiſſe Chriſtum viuere, nulla facta mentione quod dicerent ſe vidiſſe etiam ipſum Dominum.

Exponitur ſeries huius relationis.

Ad hæc dicendum in primis eſt, Marcum voluiſſe tantùm dicere, mulieres nemini quicquam dixiſſe, nemini ſcilicet de cuſtodibus, vel alijs quibuſcunque quos per viam offendebant: nemini donec peruenirent ad diſcipulos: nemini præter ipſos diſcipulos, quibus iuſſæ fuerant omnia dicere, vt idem Marcus teſtatur. Propter illud vero quod Ioannes interponit de acceſſu & receſſu Petri ac Ioannis, diſtinguere ſanè oportebit duplicem acceſſum Magdalenæ ad ſepulchrum, primum ſummo mane antequam vocaret Petrum & Ioannem, & ſecundum poſtquam illos vocauit. Et in primo acceſſu non vidit Angelos, ſed tantùm lapidem ſublatum & monumentum vacuum, & ſtatim cucurrit vt nunciaret Apoſtolis, ac iterum redijt ad ſepulchrum. Et interim dum illa iuit, aliæ mulieres remanſerunt, ac viderunt Angelos, vt ſupra dictum eſt. Ac tandem cùm receſſiſſent Petrus & Ioannes, remanens Magdalena, vidit & ipſa Angelos annunciantes ei reſurrectionem Domini. Lucas autem vel per recapitulationem poſt factum de eodem acceſſu Petri loquutus eſt, quamuis tacuerit de Ioanne. Vel iterum Petrus dicendus rediſſe ad monumentum, vt infra dicemus. Ac tandem vel illi duo diſcipuli qui poſtea ibant ad caſtellum Emmaus, interfuerunt tantùm, quando mulieres narrabant de viſione Angelorum, antequam dicerent ſe vidiſſe Dominum. Vel ſi interfuerunt etiam quando narrarunt de apparitione Domini, noluerunt id quoque prodere homini peregrino vt putabant, & ignotione paradoxum dicere videretur.

SECTIO QVINTA.

De Apparitionibus Chriſti.

Apparuit manifeſtè Chriſtus ipſe Magdalenæ & alijs mulieribus.

POſt manifeſtationem ergo factam per Angelos, Chriſtus ipſe ſe, ſuamque reſurrectionem manifeſtauit, conſpicuè apparendo ac ſe videndum præbendo, & plures apparuit in eadem die reſurrectionis. Apparuit primò, Mariæ Magdalenæ ante ipſum ſepulchrum, quando illa loquens cum Angelis, conuerſa vidit Dominum, quem ab initio hortulanum putauit: vbi aliqui Patres obſeruant, apparente Domino Angelos aſſurrexiſſe, & ſigna reuerentiæ exhibuiſſe, ideoque Magdalenam ſe conuertiſſe, quæ audiens ſe proprio nomine compellari, illum agnouit: vt narrat Ioannes. Et hanc fuiſſe primam Chriſti apparitionem, confirmant verba Marci, *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ*. Et ex vtroque Euangeliſta colligitur, Chriſtum apparuiſſe tunc ſoli Magdalenæ, dum ſcilicet aliæ mulieres abſceſſerant, vt ſupra diximus. Hinc apparuit ſecundo Dominus ijs mulieribus, dum redibant ad nunciandum Apoſtolis de viſione angelica. Et hoc narrat Matthæus dicens, *Exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis eius, & ecce Ieſus occurrit illis dicens Auete*. Et poterat etiam interfuiſſe Magdalena in hac apparitione, cum ſuperueniſſet currens poſtquam viderat Dominũ iuxta monumentum. Vnde Lucas coniunctim ait, *Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc*. Quamuis non ſit neceſſarium dicere, Magdalenam interfuiſſe etiam in hac ſecunda apparitione, quia neceſſe non eſt intelligere, quod ſingulæ mulieres omnia dicerent. Imo Lucas ibi nondum erat loquutus de vlla apparitione Domini. Redditque ſolet ratio à Sacris Doctoribus, cur Chriſtus apparere prius voluerit mulieribus, quam Apoſtolis: quia ſcilicet, ſicut initium mortis, & perditionis factum fuerat à mulie-

lie-

...ita manifeſtatio vitæ Chriſti, & ſalutis noſtræ fieri inciperet per mulieres.

Exponitur ſeries huius apparitionis.

Quædam autem difficultas circa has duas apparitiones eſt: quia in prima Chriſtus Dominus non permiſit ſe à Magdalena tangi, ſed prohibuit dicens, *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*: ſed in ſecunda permiſit ſe tangi ab alijs mulieribus, & fortaſſe ab eadem Magdalena, ſi cū eis interfuit: vbi Matthæus ait, *Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius & adorauerunt eum*. Ad hanc rem, prætermiſſis varijs Doctorum expoſitionibus & rationibus, maiori ex parte myſticis ac ſpiritualibus: duplex eſt magis propria & litteralis. Vel quod Magdalena putaret Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam communem ſicut antea, & ſicut viderat ſuum fratrem Lazarum reſuſcitatum, & ita volebat priſtino more Chriſti pedibus adhærere: & ideo Chriſtus illi dixerit *Noli me tangere*, quia licet me videas, tamen non ſurrexi ad priorem vitam communem, ſed ad glorioſam vitam, quamuis nondum aſcendi ad Patrem meum. Vel fortè meliùs, Magdalenæ ex magna ſua deuotione & gaudio volenti diutiùs immorari, Chriſtus dicere voluerit, noli nunc in hoc immorari, quia nondum aſcendi ad Patrē meum, ſed adhuc aliquandiù permanebo apud vos in terris, & poteris aliàs tuæ deuotioni ſatisfacere, nunc autem vade cito annunciare ſocijs quæ vidiſti & audiſti: Sed poſtea ab alijs mulieribus, & fortaſſe ab eadem Magdalena, cùm iam ex parte impleſſet hoc officium, nuncians ſocijs mulieribus, permiſit in tranſitu teneri ſibi pedes, abſque diuturna mora: & fortaſſe etiā iterum omnibus dixit, vt non immorarentur, ſed cito pergerent annunciare diſcipulis.

Apparuit Chriſtus Petro.

Apparuit etiam Chriſtus eadem die ſeparatim Petro, & duobus diſcipulis euntibus in caſtellum Emmaus. De apparitione facta Petro, non ſpecificè narrant Euangeliſtæ qualiter facta fuerit: ſed tantùm Lucas narrat, qualiter illi duo redeuntes ex Emmaus, inuenerunt diſcipulos dicentes, *Quod ſurrexit Dominus verè & apparuit Simoni*. Sed fortaſſe apparuit Chriſtus Petro redeunti è ſepulchro, ſicut idem Lucas ſupra narrauerat, Petrum acceſſiſſe ad ſepulchrum, *Et abijt ſecum mirans quod factum fuerat*. Vel inquam apparuit Petro redeunti ſimul cum Ioanne. Vel quando mulieres nunciarunt ſe vidiſſe Angelos, & audiſſe ab ijs reſurrectionē Domini, aut etiam ſe vidiſſe ipſum Dominum; iterum Petrus ſolus redijt ad ſepulchrum, & tunc apparuerit illi Dominus. Eratque ſanè valde conueniens & rationabile, vt Chriſtus Petro ſingulariter appareret, tanquam Apoſtolorum Principi, Eccleſiæ capiti, ſuoque Vicario in terris futuro, & ad commendationem eius pœnitentiæ, ac dilectionis eximiæ quam Petrus profitebatur.

Apparuit duobus diſcipulis in via ad Emmaus.

De apparitione facta duobus diſcipulis quam exactè narrat Lucas, & quā breuiter attingit Marcus, præcipuè quæritur, qualiter Chriſtus tanto ſpatio vix non fuerit agnitus ab ijs diſcipulis, dum eum conſpicerent & loquētem audirent. Marcus ait, *Duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie euntibus in villam*. Lucas ait, *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent*. Sed dupliciter hoc fieri poterat: vno modo per immutationem vultus ipſius Chriſti, alio modo per immutationem factam in oculis diſcipulorum. Priori modo rem explicauit D. Auguſtinus Epiſt. 59. quæſt. 8. Poſteriori modo explicat idem Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 25. Et affirmat S. Thomas hic quæſt. 54. art. 1. ad 3. & q. 55. art. 4. ad 2. & 3. Et ſic alij communiter approbant. Etenim non erat neceſſarium, nec decens, vt Chriſtus in ſe ipſo immutaret figuram vultus ſui: ſed ſatis erat immutari diſcipulorum intuitum. Et ita debet intelligi Marcus, & clariùs expreſſit Lucas. Indicauit autem D. Auguſt., & non reprobat S. Thomas, talem immutationem in oculis diſcipulorum factam fuiſſe per aliquam corpoream ſubſtantiam, videlicet per aliquem humorem aut caliginem, ſicut interdum naturali morbo accidit; & fuiſſe procuratam à Dæmone, & permiſſam à Chriſto. Sed ſufficienter ſanè poterat fieri talis immutatio per ſolam ſpeciem intentionalem,

& conuenienter poterat fieri ab ipſomet Chriſto. Quinimò ſi facta fuiſſet per corporeum humorem aut caliginē, immutatus fuiſſet aſpectus diſcipulorū circa omnia alia obiecta: non ergo ſic facta fuit. Sed facillimè poterat Chriſtus talem ſpeciem intentionalem exprimere, quæ non perfectè referret ſuā effigiem, ſed aliquanto diuerſam repræſentaret. Et conuenienter hoc facere poterat, vt explicat S. Thomas eodem art. 4., & ex Gregor. confirmat. Non enim hoc erat mendacium, ſed myſterium: præſertim vt illi magis detegerent vulnus incredulitatis, & verbis Chriſti paulatim ſanarentur, ac tandem eum agnoſcentes perfectè in fide ſolidarentur.

His apparitionibus aliqui crediderunt, & aliqui non.

Agnito Chriſto reuerſi ſtatim fuerunt hi diſcipuli, vt Apoſtolis & reliquis nunciarent quæ audierant & viderant, illoſque certiores redderent de Chriſti reſurrectione. Sed hinc rurſus Euangeliſtæ diſcordare videntur. Marcus enim ait, *Illi euntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt*: ſicut immediate ante dixit, quod non crediderant Magdalenæ dicenti ſe vidiſſe Chriſtum viuentem. At Lucas ait, illos inueniſſe diſcipulos dicentes, *Quòd ſurrexit Dominus verè & apparuit Simoni*: quare iam ex relatione Petri credebant. Propter hoc Euthymius cap. 48. in Marcum opinatus eſt, aliam diſtinctam eſſe apparitionem, & diuerſos illos duos diſcipulos, apud Marcum, & apud Lucam: & prius quidem factam fuiſſe illam quā narrat Marcus, & illis duobus non fuiſſe fidem adhibitā ab Apoſtolis & reliquis: ſed poſtea ex apparitione facta Petro eos credidiſſe, & rurſus confirmatos eſſe ex alia apparitione narrata ab illis duobus apud Lucam. Hoc tamen ſine cauſa excogitatum eſt: & communiter eadem reputatur apparitio hæc apud Marcum & Lucam, vt ſatis ex narrationis conformitate colligitur. Et illa diſcrepantia conciliatur facilè, Marcus enim dicere voluit, nō omnes diſcipuli crediderunt, ſiue aliqui adhuc increduli permanſerunt: vt quidem de Thoma eſt res clara, & ſic veriſimile eſt, aliquos alios fuiſſe ſimiliter duros ad credendum, etiam poſt relationem Petri & horum duorum. Lucas autem narrauit id quod diſcipuli inter ſe conferebant de apparitione facta Petro, ob quā multi crediderant verè ſurrexiſſe Dominum.

Apparuit demum Christus ſero eiuſdē diei diſcipulis ſimul iunctis.

In hoc verò ſtatu, apparuit Chriſtus Dominus in eodē loco in quo erant diſcipuli congregati, & ſe videndum præbuit omnibus qui ibi aderant, ac etiam ſe palpandum & contrectandū obtulit. Et hæc fuit quinta apparitio facta eadem die reſurrectionis, in principio tamen noctis: quam narrant Lucas & Ioannes. Quamuis enim Angelus & Chriſtus ipſe per mulieres, apud Matthæum, mandaſſet Apoſtolis vt irent in Galilæam, promittens ibi eis apparere: ſicut etiam ante mortem dixerat Marci 14. *Poſtquam reſurrexero præcedam vos in Galilæam*. Tamen hoc non impediebat, quominùs illis citiùs appareret ibi in Ieruſalem vbi tunc inueniebantur. Specialiter autem promittebat in Galilæa apparere, quia publicè & notoriè, & coram plurimis, & ſæpiùs ac familiariùs ibi volebat ſe manifeſtare. Ita notat S. Thomas art. 3. ad 4., & plerique ex Patribus atque Expoſitoribus admonent.

Sed in hac apparitione rurſus Euangeliſtæ diſcordare videntur. Nam Ioannes expreſſit non interfuiſſe Thomam, & Lucas indicabat adfuiſſe omnes Apoſtolos, qui tunc erant vndecim, ait enim illos duos qui ex Emmaus regreſſi erant in Ieruſalem, inueniſſe congregatos vndecim & alios cum eis, & narraſſe quæ geſta erant in via: *Dum autem hæc loquuntur ſtetit Ieſus in medio eorum*. Ideo dici debet cum communiori expoſitione; Thomam in principio quidē inuentum fuiſſe cum alijs, ſed interim dum longiùs protrahebatur ſermo inter diſcipulos de apparitionibus Chriſti, & præſertim de illa apud Emmaus, Thomam abijſſe, & eo abſente aduenisse Chriſtum. Narrat quoque Ioannes, Chriſtum in hac apparitione contuliſſe diſcipulis Spiritum ſanctum & poteſtatem remittendi ac retinendi peccata, dicendo, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* Sed Lucas ſolùm exprimit, promiſiſſe tunc Spiritum ſanctum, di-

Digitized by Google

dicendo, *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Ad hoc dici debet, vtrumque optimè verificari, nempe, Chriſtum vere dediſſe tunc Spiritum ſanctum, conferendo gratiam & aliquod ſupernaturale donum: ac ſimul promiſiſſe aliā miſſionem Spiritus ſancti faciendam in die Pentecoſtes cum tot alijs donis gratiæ: quia nimirum pluries, & pluribus modis, & penes plura dona, dari poteſt Spiritus ſanctus.

Aliæ quinque apparitiones narrantur ab Euangeliſtis poſt diem reſurrectionis.

Poſt has quinque apparitiones factas eadem reſurrectionis die, aliæ quinque ab Euangeliſtis narrantur. Sexta ergo in ordine eſt, quæ ponitur à Ioanne poſt dies octo, quando adfuit Thomas cum alijs Apoſtolis, & inuitatus fuit à Chriſto, vt videret & palparet vulnera ſua, & credidit & confeſſus eſt. Et hæc facta fuit in eadem vrbe, & in eodem cœnaculo vbi facta fuerat prior apparitio, vt ſatis clàre ex textu colligitur. Et exinde diſcipuli migrarunt in Galilæam iuxta præſcriptum Chriſti. Septima apparitio eſt, quæ ab eodem Ioanne narratur, facta apud mare Tiberiadis, quod eſt mare Galilææ, de quo ſæpe fit mentio in vita Chriſti, & magis proprie vocatur ſtagnum & lacus Geneſareth; eſt enim lacus quidam, per quem tranſit Iordanis fluuius. Interfuerunt in hac apparitione Petrus, S. Thomas, & Nathanael, & filij Zebedei, & alij duo, quos Euangeliſta non nominat. Hanc autem vocat tertiam Chriſti manifeſtationem: tertiam ſcilicet quam narrat ipſe Ioannes, ex apparitionibus factis ad Apoſtolos. Octaua eſt quam narrat Matthæus, facta in Galilæa, in monte quodam, vbi conſtituerat illis Dominus. Nona eſt quam narrat Marcus, quando recumbentibus illis apparuit. Et hæc videtur facta denuò in Iudæa, reuerſis illuc Apoſtolis: facta enim eſt proximè ante aſcenſionem. Decima tandem eſt, quā narrat Lucas in fine Euangelij & in principio Actorum, quando aſcendit in cœlum, quæ facta eſt in Bethania in Monte Oliueti. Quamuis continuari poteſt hæc cum præcedenti: quia Lucas in Actibus ait de Chriſto aſcenſuro in cælum, *Et conueſcens præcepit eis &c.* & in Euangel. ait, *Eduxit autem eos foras in Bethaniam:* & Marcus dixit, *Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit:* & concludit, *Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum.*

Aliæ quoque colliguntur ex Scriptura & ratione.

Sed præter has apparitiones, quæ diſtincte narrantur in Euangelio, pluries ac ſæpiùs Chriſtum apparuiſſe diſcipulis, colligitur ex eo quod ait Lucas in Actibus, *Quibus & præbuit ſe ipſum viuū poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei.* Et præſertim frequentes apparitiones factæ fuerunt in Galilæa, iuxta promiſſionē ipſius Chriſti. Et ita aduertit S. Tho. art. 3. ad 4. *Quod prius in Ieruſalem latitantibus ſemel aut bis viſus eſt ad eorum conſolationem, in Galilæam verò non clam aut ſemel aut bis, ſed cum multa poteſtate oſtenſionem ſui fecit, præbens ſe eis viuentem in ſignis multis, vt Lucas teſtatur in Actibus.* Commemorat etiam varias Chriſti apparitiones Paulus 1. Cor. 15., dicens: *Quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc vndecim, deinde viſus eſt plusquā quingentis fratribus ſimul, deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus.* Vbi apparitio facta Iacobo, differt plane ab alijs omnibus narratis in Euangelio: ſed aliæ fortaſſe coincidunt: & illa quæ dicitur facta plusquam quingētis fratribus, fortaſſe eſt illa eadem quam narrat Matthæus in Monte Galilææ, quamuis mentionem non faciat aliorum, quàm vndecim diſcipulorum. Annumerat etiam Paulus apparitionem factam ſibi, *Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi*, ſcilicet poſt aſcenſionem. Sed ante has omnes apparitiones, piè & indubitanter creditur Chriſtus ſtatim reſurgens apparuiſſe Beatiſſimæ Virgini ſuæ matri: quamuis id Euangeliſtæ non narrent, quia profitebant ſolùm eas apparitiones quæ faciebant teſtimonium reſurrectionis, quod non ſpectabat ad matrem. Et ita docent Ambroſ. lib. 3. de Virginib., Sedulius lib. 5. Carminum, Anſelm. lib. de Excellent. Virginis cap. 6., Rupert. lib. 7. de Diuin. officijs, Bonauent. in Medita-

ditation. de Vita Chriſti cap. 87, & alij ex Sacris Doctoribus. Eſtque per ſe prorſus credibile: ſpectata dignitate & ſanctitate B. Virginis, & acerbitate paſſionis quam participauerat: ſpectata dilectione & pietate Chriſti erga matrē. Qualiter autem non oportebat, nec expediebat, vt Chriſtus continuè cum ſuis diſcipulis conuerſaretur hoc tempore, ſicut ante mortem, & quàm conuenienter ac ſufficienter in ſuis apparitionibus per quædam argumenta & ſigna comprobauerit veritatem ſuæ reſurrectionis, ſatis explicat S. Thomas art. 3. & 5. & 6.

SECTIO SEXTA.

De Aſcenſione Chriſti in Cælum.

INter Chriſti reſurrectionem & aſcēſionem interponit S. Thomas de cauſalitate reſurrectionis Chriſti erga reſurrectionem noſtram: & diſtinguit reſurrectionem corporum, quæ quidem abſolutè dicitur reſurrectio; & animarum, quæ propriè eſt iuſtificatio de morte peccati ad vitam ſpiritualem gratiæ. Sed de ipſa quidem iuſtificatione egimus iam 1. 2. q. 113. Et qualiter reſurrectio Chriſti ſit eius cauſa, attigimus hac 3. parte quæſt. 13. ſect. 3. De reſurrectione autem corporum, nō expedit hoc loco abſolutè tractare, & ſolùm qualiter ſit effectus reſurrectionis Chriſti, ſed de tota ratione eius. Quo pacto magis connexa eſt cum extremo iudicio, de quo idem S. Thomas agit in fine. Ideo illam in hac quidem quæſtione inſeremus. Sed ne ordinem myſteriorum Chriſti interrumpamus, proponimus nunc de aſcenſione.

Verè & realiter Chriſtus aſcendit in cælum.

Chriſtum verè aſcendiſſe in cælum, & manere nunc in cælo, ſecundùm corpus ſuum glorioſum, negarunt quidam Hæretici, qui apud Nazianz. epiſt. 1. ad Cledonium, de corpore Chriſti dicebant, *In aerem fuſum, diſſipatumquè eſſe, quemadmodum fert aeris natura, & minimè odoris effluxio, & fulguris curſus conſiſtentes.* Quidam alij dixerunt, Chriſtum detuliſſe corpus ſuum in cæleſtem regionem, ſed ibi illud exuiſſe, atque repoſuiſſe in Sole, & deinceps ſine carne manſiſſe. Ita de Manichæis refert Nazianz. ibidem, & de Hermogene Theodoretus lib. 1. Hæreticarum fabularum, & de Seleucianis ac Hermianis Auguſtinus lib. de Hæreſib. cap. 59. *Negant Saluatorem in carne ſedere ad dexteram Patris, ſed ea ſe exuiſſe perhibent, eamquè in Sole poſuiſſe, accipientes occaſionem de Pſalmo vbi legitur, In Sole poſuit tabernaculum ſuum.*

Notiſſima tamen de fide res eſt, Chriſtum verè ſecundum humanitatem & carnem ſuam aſcendiſſe in cælum, ibique in eadem humanitate & carne ſemper diuinitati coniuncta manere. Ita ſtatuit S. Thomas q. 53. art. 1. & 2., & ſub nomine ſeſſionis q. 58. art. 1. & 3. Et habetur expreſsè in Euāgelio Marci & Lucæ in fine, & in Actis in principio, vbi narratur aſcenſionis hiſtoria, viſibiliter factæ coram Apoſtolis. Et Chriſtus ipſe antea ſæpius loquutus fuerat de ſua futura aſcenſione ad Patrem, Ioann. 12. & 14. & 16., & alibi, ac ſtatim poſt reſurrectionem cap. 20. Deinde eadem conteſtati ſunt Apoſtoli, ſæpè in Actis, & Paulus in Epiſtolis, ad Epheſ. 1. & 2. & 4., ad Hebr. 4. & 9. Hoc idem prædixerant Prophetæ, vt plerique Patres afferunt & intelligunt: Iſaias cap. 53., Michęas cap. 2., & præſertim Pſalmiſta Pſal. 8., 23., 46., 67. Habetur demum hic articulus in Symbolo Apoſtolorum, & Niceno, & Athanaſij, & in tota doctrina Eccleſiæ. Nec alia refutatione indigent illi errores, ſeu potiùs deliria eorum Hæreticorum.

Fuit hæc aſcenſio cōueniens Chriſto, & vtilis nobis.

Fuitquè hæc aſcenſio Chriſti conueniens, vt optimè explicat S. Tho. art. primo. Tum ad gloriam ipſius Chriſti: quoniam ſtatui glorioſo magis proportionatus eſt locus cæleſtis: & omnibus Beatis deſtinauit Deus illum locum. In quo Angeli quidem ab initio ſuam habitationem ſortiti ſunt. Ex hominibus autem, Chriſtus fuit primus, qui in illā cæleſtem patriam ingredi debuit. Cui non ſolùm tanquam Beato, ſed tanquā vero Dei filio, nobiliſſimus ac digniſſimus locus debebatur; qui vtique eſt cæleſtis. Nam quamuis Deus ratione ſuæ immenſitatis ſit vbique in toto vniuerſo: tamen ſpecialiter dicitur reſidere in

Digitized by Google

in cęlo, vbi magis eius maieſtas elucet: conuenientiſſimè ergo Chriſtus debebat migrare in cælum, ac deinceps habitare in cælo. Vnde & ipſe dixit Ioann. 14., *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem*. Quamuis non per hoc accreſcebat gloria eſſentialis Chriſto, ſed tamen accreſcebat aliqua gloria quantum ad decentiam & ſublimitatem loci; & gaudium de illo adepto. Tum etiam conueniens fuit Chriſti aſcenſio ad vtilitatem noſtram. Hoc oſtendit S. Thomas ad 3., penes augmentum noſtræ fidei, & ſubleuationem ſpei, & accenſionem charitatis. Ex quo rurſus art. 6. declarat, quantum aſcenſio Chriſti profuerit noſtræ ſaluti.

Aſcendit Chriſtus ſecundùm naturam humanã, non diuinam.

Aſcendit autem Chriſtus, vtique ſecundùm humanam naturam, & non ſecundùm diuinam. Ita ſtatuit S. Thomas art. 2. Et eſt res clara: quia diuina natura per ſe ſemper eſt vbique, & ita non poteſt tranſire de loco ad locum. Specialiter etiam Diuina Maieſtas elucet in cœlo: & ita nec etiam hoc modo dici poteſt Diuinitas aſcendere vel eleuari in cœlum. Benè autem per communicationem idiomatum, dici debet Deus aſcendere in cœlum: vt ita de hoc myſterio rectè proferri poſſit, quod dixit Dauid Pſal. 48., *Aſcendit Deus in iubilo & Dominus in voce tubæ*; & Pſal. 67. *Pſallite Deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem*. Imò etiam penes nouum quendam modum eſſendi, dici poteſt Verbum diuinum aſcendiſſe in cœlum, ideſt quantum ad nouum eſſendi per hypoſtaticam vnionem: quia per aſſumptionem humanitatis Chriſti in cœlum, incepit Verbũ eſſe per modum vnionis hypoſtaticæ in illo cœleſti loco: non quidem per mutationem vllam ipſius Verbi diuini, ſed per ſolam tranſlationem humanitatis, ſemper & vbicunque manentis vnitæ cum ipſo Verbo. Hoc quidem pacto dicebatur Dei Filius in incarnatione deſcendiſſe de cœlo: vt dicitur in Symbolo Niceno, *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt*: Et dum Chriſtus ipſe dicere ſolebat ſe deſcendiſſe de cœlo, Ioann. 3. & 6., & alibi, non ſolùm ſcilicet ſecundùm humanam naturam quatenus ſupernaturali virtute formata eſt à Deo, ſed etiam ſecundùm diuinam perſonam: quia nempe Verbum diuinum incœpit eſſe nouo modo in hoc inferiori mundo, vtpote per vnionem hypoſtaticam in humana natura. Quo pacto etiam dicuntur diuinæ perſonæ, venire, habitare, mitti, & ſimilia. Et Spiritus ſanctus quoque dicitur deſcendiſſe, Ioann. 1., & ſæpè in Actis. Atque ità facilè intelligitur, quod dictum eſt Ioann. 3., & ad Epheſ. 4., eundem eſſe qui deſcendit de cœlo & qui aſcendit in cœlum. Non ſolùm enim hoc verificatur de eodem ſuppoſito, vt cum Auguſt. exponit S. Thomas ad 2., ſed etiam ſecundùm eandem naturam: quia videlicet eadem natura diuina deſcendit per incarnationem, & dicto modo aſcendit per tranſlationem humanitatis Chriſti: & eadem humana natura deſcendit per deriuationem à Deo, & aſcendit per realem ac localem aſſumptionem in cœlum.

Aſcendit propria virtute diuina, & glorioſa.

Aſcendit Chriſtus in cœlum propria & interna ſua virtute. Et quamuis D. Thomas art. 2. videatur hoc referre ad ſolam virtutem diuinam quam Chriſtus tanquam Deus habebat: vnde quo ſenſu inquit, *Cùm Chriſtus ex virtute Diuinitatis in cœlum aſcenderit, non autem virtute humanæ naturæ, dicendum eſt, quòd Chriſtus aſcendit in cœlum, non ſecundùm quòd homo, ſed ſecundùm quòd Deus*. Attamen art. 3. declarat, Chriſtum aſcendiſſe propria virtute, non ſolùm diuina, ſed etiam humana: non quidem naturali, quaſi ex proprijs principijs humanitatis: ſed ſupernaturali & glorioſa, proueniente ex beatitudine animæ. Quæ virtus aſcendendi in cœlum, ſpectat ad illam perfectionem agilitatis, de qua ſatis iam antea diximus. Vnde quia ipſa quoque beatitudo animæ habetur ex ſpeciali participatione Dei, concludit S. Doctor, Primam originem aſcenſionis in cęlum, eſſe virtutem diuinam. Et quia denum hæc ipſa virtus diuina, eſt intrinſeca & ſubſtantialis Chriſto; non autem alijs Beatis: ideo peculiari modo dicitur Chriſtus aſcendiſſe in cœlum propria virtute, ad differentiam aliorum.

Digitized by Google

ſtanti de vno loco ad alium diſtantem abſque tranſitu per medium, & ſe conſtituendi etiam in pluribus ſimul locis. In hoc enim additur talis modus operandi, efficiendo præſentiam immediate in loco diſtanti, aut etiam efficiendi & conſeruandi præſentiam in pluribus locis ſimul: ad quem operandi modum ibidem diximus poſſe Deum aſſumere & eleuare eandem virtutem natiuam cauſæ, quæ alioqui de ſe non poterat taliter operari. Attamen de facto nō oportet tribuere communiter Beatis talem agilitatem ad acquirendum immediate locum diſtantem, & plura loca ſimul. Sed Chriſtus quidem habet hanc vim, ſaltem quoad ſacramentum Euchariſtiæ. Quæ proinde non ſpectat ad ſtatum gloriæ communem Beatis. Nec conuenit Chriſto in ſolo ſtatu gloriæ; ſed conueniebat corpori & ſanguini eius, etiam in triduo mortis. Et qualiter efficiatur hæc Chriſti collocatio & præſentia, proprio tractatu de Euchariſtia videbimus.

Alia conditio corporis glorioſi. Subtilitas ad ſe penetrādum cum alio corpore.

Vlterius, corpus Chriſti glorioſum reſurrexit habile ad tranſeundum ex quocunque loco ad alium, non obſtante quocunque corpore ſolido intermedio: & hæc vocatur inter prærogatiuas corporis glorioſi Subtilitas. Ita corpus Chriſti exijt è ſepulchro, non obſtante ſaxo aduoluto ad oſtium monumenti: intrauit in diſcipulorum cœnaculum ianuis clauſis: ac tandem aſcendit ſuper omnes cœlos. Et hanc eandem virtutem in omnibus Beatis reſurgentibus, ſignificauit Apoſtolus ſpecialiter illo verbo, quo corpus glorioſum vocauit *ſpirituale*: quod ſcilicet ad inſtar ſpiritus poſſit quacunque abſque impedimento ſolidorum corporum pertranſire. Et ſic Beati in corporibus glorioſis cœlos cōſcendent, & poterunt etiam poſtea intra cœlos excurrere, ſupponendo cœlos eſſe corpora ſolida, nec vtique ſcindentur per tranſitum Beatorum. Hoc autem totum Theologi communiter intelligunt fieri per penetrationem corporis glorioſi cum alio naturali corpore in eodem ſpatio & loco: & hanc vim ſe penetrandi cum alijs corporibus vocant in corpore glorioſo ſubtilitatem. Et hoc idem communiter indicant Sancti Patres & Sacri Expoſitores.

Verè corpus Chriſti et aliorum Beatorum habet hāc conditionē.

Verùm Durandus in 4. d. 44. q. 6. & Paludan. q. 3. art. 3. dubitarunt de hac Chriſti & Beatorum proprietate, & ſimpliciter de poſſibilitate penetrationis inter corpora quanta. Et excogitarunt plures modos quibus fieri potuerit & explicari poſſit egreſſus & ingreſſus Chriſti in illis caſibus, abſque vera penetratione: videlicet aut per imperceptibilem apertionem & recluſionem monumenti & cœnaculi, aut per rimulam aliquam, aut per feneſtram non aduertentibus diſcipulis. Qui modi planè diſſonant à verbis Euangelij, ac dedecent Chriſti maieſtatem & gloriam, repugnant menti Sanctorum Patrum & Doctorum. Vnus tamen modus non eſſet ita intolerabilis: ſi nempe diceretur corpus Chriſti egreſſum de ſepulchro, & ingreſſum in cœnaculum, non tranſeundo per medium, ſed immediatè ſe trāſferēdo de vno loco ad alium; quod quidem ſpectaret ad eandem proprietatem agilitatis, de qua iam dictum eſt. Non eſt tamen cur dubitetur de ſubtilitate & penetrabilitate, atque adeo cur non dicatur corpus Chriſti tranſiſſe per medium, & ſic alios Beatos in corporibus glorioſis poſſe tranſire per alia corpora ſolida. Quia ſanè nulla ratio repugnantiæ reſpectu diuinæ potentiæ inuenitur in penetratione, vt tractauimus in Philoſophi q. 27. ſect. 5. vbi diluimus omnes oppoſitas rationes. Et Patres ac Scriptura magis indicāt, corpus Chriſti tranſiſſe per ipſas ianuas clauſas, & per ſepulchrum clauſum. Ac ſic etiam explicari debebat modus natiuitatis Chriſti ex clauſo vtero matris, vt antea vidimus. Et de omnibus Beatis, verbum illud Apoſtoli, *Surget corpus ſpirituale*, magis indicat hanc vim penetrandi & tranſeundi ad inſtar ſpiritus. Et hoc demum eſt magis congruum ſtatui Beatorum, vt poſſint vndequaque inter cœlos & aſtra, cum tota eorum ſoliditate, & abſque ſciſſione, diſcurrere: atque hoc etiam modo verificetur illud Sapientiæ 3. *Tanquā ſcintillæ in arūdineto diſcurrent.*

Supereſt

Digitized by Google

Sit penetratio per ſolam coexiſtentiā in loco.

Supereſt explicandum, qualiter fiat hæc penetratio, & quæ ſit propria cauſa effectiua eius, & quid & quæ ſit ſubtilitatis virtus. Nonnullos quidem dicendi modos circa effectum penetrationis memorauimus ac reiecimus eo loco Philoſophiæ. Atque concludebamus, penetrationem non fieri, auferendo quantitatem, aut extenſionem, aut repletionem loci, aut principiū diſtinctionis corporum: ſed ſolùm efficiendo aut côſeruando præſentiam vnius corporis in loco, ſimul cum præſentia alterius corporis in eodem loco, & impediendo effectum expulſionis inter duo corpora ex eodem loco.

Qua cauſa & virtute fiat.

De cauſa autem effectiua huius coëxiſtentiæ & præſentiæ, S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 2. aſſerit, eſſe ſolam virtutem diuinam, & non virtutem intrinſecam ſubtilitati inditam eidem corpori glorioſo: *Sicut*, inquit, *etiam corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate indita, quòd ad vmbram eius ſanarentur infirmi, ſed hoc fiebat virtute diuina, ad ædificationem fidei; ita faciet virtus diuina, vt corpus glorioſum poſſit ſimul cum alio corpore eſſe ad perfectionem gloriæ*. Idem repetit in ſolut. argumentorum, dicens etiam, quod virtus ipſa diuina in hoc aderit Beatis ad omnia quæ voluerint. Conſentiunt Capreolus & Paludan. ead. diſt. quæſt. 3. Scotus diſt. 49. q. 16. Sotus q. 4. art. 6. & quidam alij. Sed Alenſis hanc actiuitatem & operationem videtur attribuiſſe eidem illi quintæ eſſentiæ & naturæ cæleſti, quam ponebat prædominantē in complexione corporis glorioſi. Bonauent. d. 49. par. 2. in 2. principali art. 3. q. 1. videtur conſtituiſſe peculiarem virtutem intrinſecam, inditam à Deo in corpore glorioſo, operatiuam talis effectus. Et fauet Ambroſ. ſuper Lucæ 24. dicens, Chriſtum per reſurgentis corporis qualitatem ianuas clauſas penetraſſe: & Gregor. Homil. 26. in Euāg. & lib. 14. Moraliū cap. 31. dicens, corpus glorioſum eſſe ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ. Suarez diſp. 48. ſect. 5. vult, Deum quidem eſſe cauſam principalem talis effectus, ſed vti tanquam inſtrumento eadem voluntate ſeu facultate Beati, ſicut ſupponit de-

alijs miraculis Chriſti. Valent. quæſt. 5. de Statu vitæ futuræ puncto 1. ait, ſubtilitatem eſſe eandem realiter virtutem & qualitatem cum agilitate & impaſſibilitate, exercereque hanc operationem penetrationis.

Fit eadem intrinſeca virtute motiua.

Sed certe, cùm penetratio non ſit aliud, quàm coexiſtentia & præſentia vnius corporis in eodem loco vbi eſt aliud corpus; planè illa eadem cauſa quæ efficit motionem & præſentiam vnius corporis ad eundem locum in quo eſt & permanet aliud corpus, eſt propria cauſa effectiua penetrationis; Cauſa autem motionis, & præſentiæ conſequentis motionem, vtique eſt illa virtus motiua & locatiua, quæ motum & translationem efficit. Quare optimè illa ipſa virtus agilitatis, quam diximus conferri à Deo ſingulis Beatis ad tantā facilitatem & promptitudinem motionis, erit etiam propria cauſa illius motionis & præſentiæ, qua Beatus perget ad illum locum, & in illo ſiſtet, in quo inuenitur & permanet aliud corpus; & ſic eſt cauſa penetrationis. Sicut etiam illa ipſa virtute motiua qua Angelus poteſt ſe mouere & in loco conſtituere, eſt cauſa coexiſtentiæ & conpræſentiæ Angeli cum corpore in certo loco: & illa ipſa virtus qua efficitur præſentia ſacramentalis Chriſti in Euchariſtia, efficitur quoque coexiſtentia localis, & velum compenetratio corporis Chriſti cum quantitate panis. Atque adeo rectè dicetur in Beato virtus ſubtilitatis eſſe eadem realiter cum virtute agilitatis: ſed formaliter habere denominationem ſubtilitatis, quatenus poteſt mouere & locare corpus glorioſum in eodem loco & ſpatio cum alio corpore. Non tamen hæc tota virtus dici debebit eadem cum virtute impaſſibilitatis antea dicta: quia habeot prorſus diuerſos effectus, vt per ſe ſatis patet.

Vel vi ſua vel elevatione diuina.

Poteſtque dupliciter intelligi, quòd eadem virtus motiua corporis glorioſi exerceat penetrationis effectum. Vno modo, quod ex natura ſua habeat talem vim, videlicet ſit ab intrinſeco talis ac tantæ efficaciæ, vt poſſit efficere præſentiam ſui corporis cui ineſt, in quocumque loco vbi ſimul ſit aliud corpus, ſicut virtus motiua Angeli habet

per ſe ac naturâ ſua talem vim. Alio modo, quod non ex natura ac vi ſua id perficiat, ſed aſſumatur & eleuetur à Deo ad id efficiendum ſupra naturam ac vim ſuam: ita vt ſimili modo poſſit Deus aſſumere virtutem natiuam cuiuſcunque corporis non glorioſi ad efficiendam motionem & præſentiam ſui in certo loco ſimul cum alio corpore ibi permanente, quod alioqui talis virtus ex natura ſua nullatenus poterat. Eſſentialiter enim eadem eſt motio & præſentia corporis in loco ſimul cum alio corpore, atque abſque alio corpore: vnde hic effectus non eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum: & ſic facile poteſt aſſumi à Deo eadem virtus motiua ad illum exequendum.

Liber eſt vſus huius virtutis Chriſto & Beatis.

Cœterùm circa vſum huius poteſtatis & virtutis addendum eſt, Chriſtum & omnem Beatum habere libertatem non vtendi illa, non exercendi actum penetrationis, atque adeo expellendi aliud corpus è ſuo loco, & reſiſtendi alteri corpori ne ſubintret in ſuum locum. Ita notauit D. Tho. quæſtiuncula 6., & D. Bonau. q. 2. Et quidem hoc pacto potuit Chriſtus, corpus ſuum præbere palpandum, quando dixit, *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere:* vbi poterant diſcipuli diſcernere carnem & oſſa, tangendo corpus Chriſti, ſicut in alijs humanis corporibus. Et ſimiliter quando dixit Thomæ, *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum*. Et quando mulieres tenuerunt pedes eius, Matth. 28. Omnino enim in his caſibus corpus Chriſti non ſinebat ſe compenetrari cum manibus tangentium, qui ſic non potuiſſent tactu diſcernere veritatem corporis eius, & foramina vulnerum: ſed reſiſtebat in loco, ſicut ſolent alia corpora. Item poſſet ſine dubio Beatus lapidem manu ſuſtollere & retinere, ita vt lapis non decideret: non ergo manus Beati neceſſariò penetraretur cum lapide. Et ſic etiam poſſet Beatus quodcunquè aliud corpus propellere, quia non neceſſariò deberet cum illo penetrari. Atque ad hoc tandem reduci debet, quod docet S. Thomas quæſtiuncula 4. & 5, & alij, non fore vt vnum corpus glorioſum penetretur cum alio glorioſo, vel vna pars cum alia parte corporis glorioſi. Debet inquam ad hoc reduci, quòd Beati non vtentur ſua poteſtate & ſubtilitate ad hunc effectum, quamuis non deſit illis eadem poteſtas: quia nempe non indigebunt tali exercitio ſuæ poteſtatis, ſed potiùs conueniens erit, vt ſemper ſeruent debitum ordinem ac diſpoſitionem inter ſe & in ſuis partibus.

Vltima conditio corporis glorioſi: Claritas.

Demum accepit corpus Chriſti reſurgens in ſtatu gloriæ, eximiam claritatem & ſplendorem, & ſic etiam alij Beati in ſuis corporibus glorioſis habebunt huiuſmodi claritatis dotem. Hoc totum expreſſit ſpecialiter Apoſtolus ſub eodem nomine in illis verbis ad Philippenſ. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et idem ſub nomine gloriæ de omnibus Beatis ſignificauit 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate ſurget in gloria:* ignobilitatem ponens pro humilitate ſeu vilitate, & gloriam pro claritate. De qua proxime ſupra dixerat: *Alia cæleſtium gloria, alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum*, & cætera quæ infra referemus. De eadem claritate Chriſti & Beatorum aliqui Patres intelligunt illud Pſalmi 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum*. Et illud Sapientiæ 3. *Fulgebunt iuſti & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Et illud Danielis 12. *Fulgebunt tanquam ſplendor firmamenti, & tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates*. Ac perſpicue Chriſtus Dominus Matth. 13. opponens electos cum damnatis, inquit, *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris mei*. Et ita Sacri Doctores & Patres intelligunt, eximiam claritatem ineſſe corporibus glorioſis Chriſti & aliorum Beatorum.

Verè conuenit ab intrinſeco.

Attamen Scotus in 4. d. 49. q. 15. & Durand. d. 44. q. 8. dixerunt, poſſe claritatem hanc explicari in Beatis, quod non ſit lux eis intrinſeca, ſed quòd ipſa quidem corpora glorioſa ſint in ſe ita nitida ac terſa, vt aptiſſima ſint ad recipiendam lucem & ſplen-

ſplendorem ab intrinſeco, & habeant etiam in ſe exquiſitum colorem, quo cum luce reſplendeant, ſicut videlicet apud nos ſpeculum & gemmæ. Putandum tamen omnino eſt, claritatem in corporibus glorioſis, eſſe lucem per ſe ſingulis inditam, & non ab alio externo agente luminoſo emendicatam. Ita quidem omnes Theologi ſentiunt, & concedunt etiam Scotus & Durand. Et hoc habetur ex verbis Scripturæ propriè acceptis, & ex doctrina Patrum, qui ſic illa accipiunt. Nec ſane erit difficile Deo, infundere lucem ſingulis ipſis corporibus glorioſis. Idque ſine dubio apparet multò magis conueniens ac debitum glorioſo ſtatui Beatorum. Et cenſeri debet corpus Chriſti eſſe multo magis lucidum ac fulgidum, quàm omnia alia cæleſtia corpora: & ſic etiam omnes Beatos fore ſplendidiores cunctis alijs corporibus cæleſtibus: non ergo ab ijs participabunt lucem, ſed in ſeipſis inditam habebunt.

Nec oportet vt ſit in tota profunditate corporis.

Rurſus ijdem Scotus & Durand. & Bonau. d. 49. par. 2. in 2 principale art. 2. q. 1. contendunt, lucem in corporibus glorioſis inueniri ſolùm in extrema ſuperficie, & non in partibus internis ac in profunditate, atque adeo non eſſe tranſparentia & peruia viſui. At S. Thomas d. 44. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1. ad 2., Paludan. ead. diſt. q 5. Riccard. diſt. 49. art. 4 q. 6., Maior q 19., Sotus q. 4. art. 8. opinantur, licet ſub dubio, corpora Beatorum fore lucida in tota ſua profunditate, atque tranſparentia & peruia viſui. Idque defendit Suares diſp. 48 ſect. 2, ſolum dubitans num corpora non glorioſa poſſint immittere ſpecies viſibiles ſui & tranſpici per medium corporis glorioſi. Fauentque huic ſententiæ, D. Gregor. in illa verba Iob. 28, *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, quem affert S. Thoma illo augumento 2., & D. Auguſtin lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. & lib. de Cognit. veræ vitæ cap. 45, & Laurent. Iuſtinian. lib. de Diſciplina & perf. monaſt. conuerſ. cap. 23. Sed poſſibile quidem dici debet, infundi lucem etiam in profunditate corporis glorioſi, atque ſic poſſe fieri tranſparentia & peruia viſui: in quo caſu dubitari non debet, etiam corpora non glorioſa poſſe tranſmittere ſpecies ſuas viſibiles, & conſpici per tale medium. Tamen id non eſt neceſſarium, & ſine vrgenti cauſa inducit magnam mutationem in natura corporis opaci, & in modo viſionis. Nec videtur ſatis commodum: vt nempe dum conſpicitur corpus glorioſum, conſpiciantur etiam viſcera & interiora: ſed congruentius apparet, viſum ſiſtere in extrema ſuperficie & pulchritudine. Mente autem comprehendetur etiam interna compoſitio & harmonia corporis. Quo modo poſſunt exponi illi Patres. Nam Gregor. ait, mentem etiam, conſcientiam, & animum vniuſcuiuſque, ab alijs conſpici, & corde conſpici. Auguſtinus ac Iuſtinianus dicunt, armoniam corporis patentem profuturam ad diuinas laudes, manifeſtando ſapientiam conditoris: ad quod vtique ſatis eſt, mente comprehendi ſimul cum aſpectu exterioris formæ.

Eſt eiuſdẽ rationis cum claritate naturali.

Ad explicandum verò quid & qualis & quanta ſit hæc claritas, Riccard. ibi d. 44. art. 4. q. 6., Albertus 2. par. ſummæ quæſt. de lumine, & Suarez hîc diſp. 48. ſect. 2., opinantur, eſſe diuerſæ ſpeciei ab omni naturali luce, & ex ipſa ſua ſpecifica natura eſſe fulgentiorem luce Solis. Et pro hac parte refert Suarez illud Apocal. 21., *Ciuitas non eget ſole neque luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam.* Et de ipſis Beatis cap. 22. dicitur, *Non egebunt lumine lucernæ neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos*: Quaſi ſcilicet, diuerſæ ſpeciei & maioris fulgoris per ſe ſit lux Beatorum, à luce ſolis & omni alia naturali luce. Ait etiam Riccard, lucem corporis glorioſi non poſſe per ſe conſpici ab oculo mortali, ſed tantùm ab oculo ſimiliter glorificato, & hac ratione inquit cum Auguſt. 22. de Ciuit. cap. 9. non fuiſſe conſpectam ab Apoſtolis lucem glorioſam corporis Chriſti. At S. Thomas ibi diſt. 44. q. 2 art. 4. quæſtiuncula 2. & alij communiter ſentiunt, aut ſupponunt, eſſe eiuſdem ſpeciei & naturæ, quamuis quoad in-

tenſionem excedat omnem aliam lucem.

Hinc rem nos attigimus tractantes de natura lucis q. 54. Philoſ. ſect. 2. Et denuo dicimus, poſſe quidem excogitari differentiam aliquam ſpecificam & eſſentialem in genere lucis: id tamen non eſſe neceſſarium, nec vllam rationem vrgere ad inducendam in re talem differentiam. Et ſine dubio ipſa lux Beatorum dici debet per ſe viſibilis ab omni oculo: vtique enim continetur intra obiectum adæquatum viſus, eſtque qualitas corporea & materialis: neque in hoc poteſt eſſe differentia in genere lucis. Et quando Chriſtus in transfiguratione reſplenduit, potuit bene perſpici ab Apoſtolis, vbi illa lux ſupponi debet fuiſſe de luce gloriæ. Neque certe illa verba Apocal. denotant differentiam ſpecificam inter lucem Beatorum, & lucem Solis aliorumque corporum. Neque ex ratione talis lucis, ſed ex voluntate Chriſti, ſubtracta fuit ab oculis Apoſtolorum, quando poſt reſurrectionē eis apparebat. Et D. Auguſt. ſolùm voluit, non poſſe ab oculis mortalibus ob eorum infirmitatem ferri vehementiam tanti ſplendoris, quantus conueniebat corpori Chriſti glorioſo: ſicut nec etiam lux Solis poteſt communiter oculis noſtris ferri. Quamuis S. Tho. ea quæſtiuncula 2. ad 2. dicat, claritatem corporis glorioſi, non offendere, ſed potius demulcere viſum; quia non agit actione reali calefaciendo & diſſoluendo organum, ſed actione tantùm intentionali & non offenſiua. Cenſetur autem lux cuiuslibet Beati, maior & intenſior luce Solis. Et de omni corpore glorioſo pronunciauit Laurent. Iuſtinian. lib. de Diſcipl. & perfect. monaſt. conuerſ. cap. 23., *Nimia claritate fulgebit, ita vt ſolis ſeptuplum tranſcendat ſplendorem.*

Poteſt ad libitum videri aut occultari à beatis.

Additque D. Thomas ea quæſtiuncula 3., atque hic quæſt. 54. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 1., Beatum habere in ſua poteſtate & dominio, vt ſe videndum præbeat, aut ſe occultet & ab aliorum conſpectu ſubtrahat: quod debet intelligi quamuis in præſentia aliorum realiter permaneat. Quare quando Chriſtus Dominus de repente ex aſpectu diſcipulorum *ſe ſubtrahebat*, poterat id facere non *recedens ab illo loco in quo apparuerat: idque non tantùm ſingulariter virtute diuina, ſed communi poteſtate omnium Beatorū.* Et poteſt explicari, quomodo *hoc fiat:* quod ſcilicet Beatus habeat in ſuo dominio, immittere vel continere ſpecies viſibiles ſui; & continendo ſpecies, non conſpicietur. Addit inſuper D. Bonauent. quæſt. 2., Beatum poſſe ſe manifeſtare plus aut minus quantum voluerit, ideſt magis aut minus de ſua luce oſtendere & aliorum aſpectui exhibere. Et ita quidem Chriſtus Dominus quando apparebat, adhuc occultabat ſuum eximium ſplendorem: & in transfiguratione oſtendit aliquam partem ſplendoris. Ait vero Bonau., Beatum habere talem poteſtatem ratione ſubtilitatis & agilitatis, qua poteſt penetrare aut reſiſtere. Sed non debet intelligi de ſubtilitate & agilitate quoad locum, ſed quoad ſpecies viſibiles, ideſt quatenus poteſt immittere ſpecies in alterius oculum, aut eas impedire & continere. Ideoquè ne confundantur nomina, non debet dici id ſpectare ad ſubtilitatem & agilitatem, ſed potiùs ad talem vim & proprietatem ipſius claritatis.

Ex qua cauſa procedant dictæ perfectiones in corpore glorioſo.

Iam vero quæritur adhuc de ipſa claritate, vnde dimanet in corpore glorioſo, & à quo agente efficiatur. Hoc tamen dubium commune etiam eſt ad alias proprietates corporis glorioſi, ſuppoſito quod dicimus eſſe qualitates quaſdam intrinſecus inhærentes in ijſdem Beatis. Alenſis dicebat, claritatem effectiue prouenire ab illa quinta eſſentia & luce cæleſti, quam ponebat prædominantem in temperatura corporis glorioſi. Sed S. Thomas ibi diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1., reijciens hanc quintam eſſentiam, ait, *Quòd claritas illa cauſabitur ex redūdantia gloria animæ in corpus.* Et D. Auguſt. epiſt. 56., de tota corporis gloria ait, derinari ab anima. Quare videtur, ex eadem gloria animæ dimanare & effectiuè procedere claritatem aliaſquè perfectiones corporis glorioſi. Suarez diſp. 48. ſect. 2. probat, in corpore quidem Chriſti factam eſſe claritatem

per

Digitized by Google

per virtutem animæ; non quidem tanquam cauſam principalis; ſed tanquam cauſæ inſtrumentalis aſſumptæ & eleuatæ à Deo in alijs autem Beatis fieri per virtutem. ſimiliter inſtrumentalem humanitatis Chriſti; & ideo de ipſo Chriſto dixiſſe Apoſtolum, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Verùm non videtur aſſignanda alia cauſa propriè & phyſicè effectiua claritatis & aliarum huiuſmodi perfectionum in corpore glorioſo, præter virtutem ipſam diuinam, ex debito tamen & morali dignitate ac exigentia gloriæ animæ, vt iam diximus 1. 2. q. 4. ſect. 8. Quia cum gloria animæ ſit viſio & fruitio Dei, communis etiam Angelis ſanctis, non habet per ſe, proportionem & aptitudinem connaturalem, vt efficiat tanquam propria principalis cauſa tales perfectiones in corpore: ſed ad ſummum exigit ac requirit, vt ratione ſtatus Beatifici & glorioſi Deus conferat tales perfectiones corpori vnito animæ beatæ. Item nec ipſa gloria animæ, aut eius ſubſtãtia, aut tota humanitas Chriſti, debet aſſumi ac elebari à Deo per modum inſtrumenti, ad producendum talem effectum: quia nec eſt neceſſarium nec etiam poſſibile abſque alia virtute ſuperaddita, vt ſupponimus. Sed ad ſummum poſſet cogitari, quod imprimeretur à Deo virtus quædam in ſubſtantia animæ aut humanitatis Chriſti, effectiua claritatis aliarumque perfectionum. At non oportet multiplicare tot virtutes & qualitates: ſed præſtabit ab initio dicere, ipſam claritatem & alias perfectiones corporis glorioſi, effici & infundi immediatè à Deo: D. Tho. verò & Auguſtinus intelligi debent de ſola morali exigentia, quâ gloria animæ requirit quoque gloriam corporis. Et Apoſtolus ſimiliter de ſola cauſalitate morali, quâ Chriſtus eſt auctor noſtræ ſalutis & gloriæ, non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore.

Qualiter ſit inæquales inter Beatos, & ex-

Poſtremò. Non ſolùm de claritate docet S. Thomas ea diſt. 44. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1. fore inæqualem inter Beatos, iuxta meritum & gloriam ſingulorum; ſicut expreſſit Apoſtolus, ibi 1. Cor. 15. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Sed etiam de impaſſibilitate art. 4. quæſtiuncula 1. docuit, quod licet ſecundùm ſe, prout negationem ſeu priuationem importat, nõ ſuſcipiat magis & minus, ſed debeat eſſe in omnibus Beatis æqualis, tamen ſecundùm ſuam cauſam, prout importat dominium animæ in corpus, futura ſit inæqualis, atque adeo maior in illo Beato qui maiorem gloriam animæ habebit. At loquendo de omnibus quatuor dictis perfectionibus: Manifeſtè quidem claritas ſecundum ſe poteſt eſſe maior aut minor. Et ſic dici debet inæqualis iuxta ſtatum & gloriam ſingulorum Beatorum: Ac proinde maxima & excellentiſſima in Chriſto præ omnibus alijs. Vnde Suarez diſp. 48. ſect. 2. notauit, maiorem fore ſplendorem in corpore Chriſti, quàm in corporibus omnium aliorum Sanctorum, etiã ſi in vnum conferantur. Quoad impaſſibilitatem verò, non poteſt dici maior in vno quàm in alio, carentia omnis corruptionis & afflictionis, quia omnes Beati erunt penitus ſecuri & immunes: ſed ſtante quod hæc impaſſibilitas formaliter conferatur per qualitatem impreſſam corporibus glorioſis, poteſt in hac qualitate cogitari inæqualitas, vt ſit maior & intenſior in vno quàm in alio. Et hoc fortaſſe voluit S. Thomas: quod ſcilicet nõ ſolùm cauſa remotior quæ eſt gloria animæ, ſed cauſa proxima & veluti formalis, quæ eſt hæc alia qualitas, ſit inæqualis. Quoad agilitatem, poteſt cogitari inæqualitas, non ſolùm ſimili modo ex parte huiuſmodi cauſæ, id eſt qualitatis motiuæ: ſed etiã ex parte effectus, id eſt motus localis, quia motus poteſt eſſe magis aut minus velox: ſicut poteſt cogitari talis differentia in virtute motiua & motu naturali Angelorum. Quoad ſubtilitatẽ denique, poteſt cogitari inæqualitas ſolùm ex parte cauſæ & qualitatis diſtinctæ: ſed quantum ad effectum omnis Beatus poterit pariter compenetrari & coexiſtere cum quocunque alio corpore: nec debet ſingularum Beatum poſſe magis quàm alium, videlicet cum quibuſdam.

Digitized by Google

bodam & non cum alijs corporibus, aut alio tali modo. Qualitercunque autem cogitetur inæqualitas in quacunque perfectione corporis glorioſi, ſiue dabo Chriſtus longe excedit omnes alios Beatos.

SECTIO QVARTA.

De Manifeſtatione Reſurrectionis Chriſti.

Non manifeſtè coram alijs reſurrexit Chriſtus.

NON reſurrexit manifeſtè Chriſtus coram alijs, qui viderent eum egere è ſepulchro, ſicut manifeſtè coram populo paſſus fuerat & mortuus in cruce pendens; ſed deinceps manifeſtauit reſurrectionem ſuam, priùs per Angelos, ac deinde per ſe, apparens diſcipulis, & ſe videndum offerens, eiſque committens, vt eam ſimul cum alijs fidei myſterijs, vniuerſis hominibus promulgarent. Redditque rationem S. Tho. q. 55. art. 2., quare non debuerit Chriſtus videntibus alijs reſurgere: quia ordo diuinæ prouidentiæ conſuetus eſt, vt ea quæ ſunt ſupra hominum ſtatum, hominibus per Angelos reuelentur: cùm ergo Chriſtus reſurgeret ad vitam glorioſam ſupra communem hominum ſtatum, non debuit Chriſtus reſurgere coram ipſis hominibus, ſed potiùs ſinere vt per Angelos inciperet eis ſua reſurrectio manifeſtari. Vnde ideo antea Lazarum & alios duos mortuos palàm coram diſcipulis & populo ſuſcitauit, quia illi reſurgebant ad vitā communem & mortalem. Ideo etiam ipſe Chriſtus manifeſte coram diſcipulis aſcendit, *Nam videntibus illis eleuatus eſt*: quia aſcenſio quantum ad terminum à quo, ideſt quantum ad eleuationem à terra; non excedebat communem hominum notitiam. Sed quia quantum ad terminum ad quem, ideſt quantum ad ingreſſum in cœlum, excedebat, ideo hoc non fuit a diſcipulis conſpectum; *Sed nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Adhuc autem Apoſtoli fuerunt teſtes de viſu reſurrectionis Chriſti, quoniam viderunt eum viuum, poſtquam viderunt eum mortuum.

... omni- *bus immediatè debuit ſuam reſurrectionem manifeſtare.*

Reddit etiam S. Thomas art. 1. rationem, quare Chriſti reſurrectio non debuerit immediate toti populo manifeſtari, ſed tantùm teſtibus præordinatis à Deo, manifeſtari ſcilicet per Angelos & per apparitionem ipſius Chriſti, ac deinde hi teſtes reliquis hominibus & toti mundo hoc myſterium publicarent; quia lex diuinæ ſapientiæ eſt, vt ea quæ diuina reuelatione innoteſcere debent, reuelentur priùs immediatè certis miniſtris, & eorum miniſterio ac teſtimonio deducantur in notitiam aliorum. Et ita Actor. 10. dicebat Petrus: *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare omni populo & teſtificare.*

Manifeſtata fuit Chriſti reſurrectio per Angelos ad mulieres.

Manifeſtata ergo primùm fuit reſurrectio Chriſti per Angelos ad mulieres; vt Euangeliſtæ narrant. Sed in modo & circunſtantijs huius manifeſtationis plures difficultates occurrunt, quia euangelicæ narrationes inter ſe differre videntur. Vnde Toletus in cap. 20. Ioan. annotatione 1. præfatur, nulla in re videri Euangeliſtas magis ſibi aduerſari, quàm in hiſtoria reſurrectionis deſcribenda. Nam Ioannes nominat ſolam Mariam Magdalenam, Matthæus Magdalenam & alteram Mariam, Marcus Magdalenam & Mariam Iacobi & Salome, Lucas Magdalenam & Ioannā & Mariam Iacobi, addens & cæteras quæ cum eis erant. Matthæus & Marcus vnum dicunt Angelum, Lucas & Ioannes duos. Matthæus inquit Angelum ſed ſſe ſuper lapidem reuolutum ab oſtio monumenti, Marcus viſum eſſe ſedentem in dexteris, Lucas ſtetiſſe ſecus mulieres, Ioannes ſediſſe vnum ad caput & vnum ad pedes vbi poſitū fuerat corpus Ieſu. Matthæus ſignificat viſum eſſe Angelum à mulieribus extra monumentum, Marcus & Lucas intra monumentum. Ioannes viſos fuiſſe Angelos exiſtentes intra, à Magdalena exiſtente extra. Tres Euangeliſtæ dicunt, annunciatam fuiſſe reſurrectionem Chriſti loquutione & teſtificatione angelica, Ioannes tantùm ait interrogatam fuiſſe Magdalenam ab Angelis

quid

Digitized by Google

quid ploraret, illam verò conuerſam vidiſſe Dominum.

Exponitur ſeries huius manifeſtationis.

In hac tamen tota diuerſitate narrationis, nulla eſt inter Euangeliſtas contradictio, non enim vnus affirmat quod alius negat, ſed ad ſummum vnus affirmat quod alius tacet: ſiquidem neceſſe non erat, vt ſinguli totam & integram narrationem cum omnibus partibus & circunſtantijs contexerent. Ex omnibus autem ſimul tota ſeries hiſtoriæ colligenda eſt. Quod attinet ad mulieres, acceſſit ad monumentum Maria Magdalena, & etiam omnes illæ aliæ mulieres quæ nominantur, & aliæ quæ non nominantur. Et ob maiorem dilectionis feruorem nominatur Magdalena, prima ab alijs Euangeliſtis, ſola à Ioanne: vt notauit D. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 24. dicens: *Venit Maria Magdalena ſine dubio cum cæteris mulieribus quæ Domino miniſtrauerant, plurimum dilectione feruentior, vt non immeritò Ioannes ſolam cõmemoraret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt ſicut alij teſtantur.* Quod attinet ad Angelos & apparitionem eorum: adſtantes mulieres ad oſtium monumenti, viderunt vnum Angelum ſedentem ſuper lapidem reuolutum ab oſtio monumenti, vt narrat Matthæus. Et quia lapis repoſitus erat ad dexteram oſtij, viderunt illum ſedentem in dextris, vt ait Marcus. Et quia etiam ante illud oſtium aderat quædam anterior ſpelunca, vt narrat Beda lib. de Locis ſanctis cap. 2., & atteſtantur alij, mulieres ingreſſæ quidem erant in hanc anteriorem ſpeluncam, non autem in alteram profundiorem cuius oſtium fuerat lapide clauſum: ideo Matthæus ponit hanc viſionem extra monumentum, intelligendo extra illam profundiorem ſpeluncam: Marcus vero intra monumentum, intelligendo intra anteriorem ſpeluncam. Hic Angelus annunciauit mulieribus Chriſti reſurrectionem, vt ambo narrant. Et inuitauit eas vt ingrederētur in illud intimum monumētū, & viderent quòd non ampliùs illic iaceret corpus Domini, vt Matthæus narrat. Et hucuſque hi duo Euangeliſtæ ſuam narrationem perducunt de hac angelica viſione & loquutione. Et ex hinc incipiunt alij duo Euangeliſtæ. Ingreſſæ ergò mulieres in illud internum monumentum, viderunt ibi duos Angelos, qui conteſtati ſunt de reſurrectione Chriſti, vt narrat Lucas: & viderunt illos ſtantes. Tunc mulieres egreſſæ ſunt de monumento, & ſtatim abierunt. Videtur autem, quod inter eas non adfuiſſet tunc Magdalena in hac tota apparitione, quæ priùs ſtatim viſo lapide reuoluto receſſerat, vt infra dicemus. Vnde poſtea iterum ipſa rediens ſtetit ante oſtium monumenti, & inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, ac vidit duos Angelos ſedentes, vnum ad caput & vnum ad pedes loculi in quo poſitus fuerat Dominus: & interrogata fuit ab eis: & cùm ijs reſpondiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Dominum: vt narrat Ioannes. Ita ergo optime omnes Euangeliſtæ concordant.

Manifeſtata fuit per relationē mulierum ad Apoſtolos.

Per mulieres deinde fuit reſurrectio Chriſti manifeſtata Apoſtolis. Sed adhuc difficultas ſupereſt circa relationem datam à mulieribus ad Apoſtolos, de ijs quæ viderant & audierant. Marcus enim ait, mulieres territas aufugiſſe, & nemini quicquam dixiſſe: Matthæus ait, illas citò receſſiſſe, currentes nunciare diſcipulis: & Lucas ait, regreſſas nunciaſſe omnia vndecim diſcipulis & cæteris omnibus: & quidem tàm Marcus quàm alij duo dicunt, iuſſum fuiſſe mulieribus ab Angelis, vt omnia diſcipulis nunciarent. Sed Ioannes narrat, Magdalenam ſtatim viſo lapide ſublato, nulla facta mentione angelicæ viſionis, cucurriſſe & nunciaſſe Petro ac Ioanni dicendo, *Tulerunt Dominum de monumento & neſcimus vbi poſuerunt eum*, & illos ſtatim perueniſſe, & introiſſe in monumentum, & vidiſſe ſine corpore Domini, & reuerſos fuiſſe, ac tum Magdalenam vidiſſe Angelos. Lucas autem de ſolo Petro narrat, cucurriſſe ad monumentum, poſtquam mulieres nunciauerant de viſione & teſtificatione angelica. Augetur difficultas, tangendo aliquid de apparitionibus Domini. Quia Ioannes cùm narraſſet Magdalenam vidiſſe Dominum, ſubdit id retuliſſe diſcipulis, *Venit Maria Magdalena an-*

annuncians diſcipulis quia vidi Dominum & hæc dixit mihi: idemque teſtatur Marcus. Et ſimiliter Matthæus narrat, Chriſtum apparuiſſe mulieribus redeuntibus à monumento, & iuſſiſſe vt ſuo nomine nunciarent diſcipulis. At Lucas narrans id quod duo diſcipuli euntes in Caſtellum Emmaus referebant, tantùm ait, quod dicerent, mulieres vidiſſe viſionem Angelorum, & ab ijs audiſſe Chriſtum viuere, nulla facta mentione quod dicerent ſe vidiſſe etiam ipſum Dominum.

Exponitur ſeries huius relationis. Ad hæc dicendum in primis eſt, Marcum voluiſſe tantùm dicere, mulieres nemini quicquam dixiſſe, nemini ſcilicet de cuſtodibus, vel alijs quibuſcunque quos per viam offendebant: nemini donec peruenirent ad diſcipulos; nemini præter ipſos diſcipulos, quibus iuſſæ fuerant omnia dicere, vt idem Marcus teſtatur. Propter illud verò quod Ioannes interponit de acceſſu, & receſſu Petri ac Ioannis, diſtinguere ſinè oportebit duplicem acceſſum Magdalenæ ad ſepulchrum; primum ſummo mane antequam vocaret Petrum & Ioannem, & ſecundum poſtquam illos vocauit. Et in primo acceſſu non vidit Angelos, ſed tantùm lapidem ſublatum & monumentum vacuum, & ſtatim cucurrit vt nunciaret Apoſtolis, ac iterum rediit ad ſepulchrum. Et interim dum illa iter agit, aliæ mulieres remanſerunt, ac viderunt Angelos, vt ſuprà dictum eſt. Ac tandem cum receſſiſſent Petrus & Ioannes, remanens Magdalena, vidit & ipſa Angelos annunciantes ei reſurrectionem Domini. Lucas autem vel per recapitulationem poſt factum de eodem acceſſu Petri loquutus eſt, quamuis tacuerit de Ioanne. Vel iterum Petrus ſolus rediit ad monumentum, vt infra dicemus. Ac tandem vel illi duo diſcipuli qui poſtea ibant ad caſtellum Emmaus, interfuerunt tantùm, quando mulieres narrabant de viſione Angelorum, antequam dicerent ſe vidiſſe Dominum. Vel ſi interfuerunt etiam quando narrarunt de apparitione Domini, noluerunt id quoque prodere homini peregrino vt putabant & ignoto, ne paradoxum dicere viderentur.

SECTIO QVINTA.

De Apparitionibus Chriſti.

Poſt manifeſtationem ergo factam per Angelos, Chriſtus ipſe ſe ſuamque reſurrectionem manifeſtauit, conſpicue apparendo ac ſe videndum præbendo, & pluries apparuit in eadem die reſurrectionis. *Apparuit manifeſtè Chriſtus ipſe Magdalenæ & alijs mulieribus.* Apparuit primò, Mariæ Magdalenæ, ante ipſum ſepulchrum, quando illa loquens cum Angelis, conuerſa vidit Dominum, quem ab initio hortulanum putauit: vbi aliqui Patres obſeruant, apparente Domino Angelos aſſurrexiſſe, & ſigna reuerentiæ exhibuiſſe, ideoque Magdalenam ſe conuertiſſe, quæ audiens ſe proprio nomine compellari, illum agnouit: vt narrat Ioannes. Et hanc fuiſſe primam Chriſti apparitionem confirmant verba Marci, *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ*. Et ex vtroque Euangeliſta colligitur, Chriſtum apparuiſſe tunc ſoli Magdalenæ, dum ſcilicet aliæ mulieres abſceſſerant, vt ſuprà diximus. Hinc apparuit ſecundo Dominus ijs mulieribus, dum redibant ad nunciandum Apoſtolis de viſione angelica, Et hoc narrat Matthæus dicens, *Exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis eius, & ecce Ieſus occurrit illis dicens Auete*. Et poterat etiam interfuiſſe Magdalena in hac apparitione, cum ſuperueniſſet currens, poſtquam viderat Dominum iuxta monumentum. Vnde Lucas coniunctim ait, *Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc*. Quamuis non ſit neceſſarium dicere, Magdalenam interfuiſſe etiam in hac ſecunda apparitione; quia neceſſe non eſt intelligere, quod ſingulæ mulieres omnia dicerent: Imo Lucas ibi non erat loquutus de vlla apparitione Domini. Redditque ſolet ratio à Sacris Doctoribus, cur Chriſtus apparere prius voluerit mulieribus, quam Apoſtolis: quia ſcilicet, ſicut initium mortis, & perditionis factum fuerat à muliere, ita

Digitized by Google

ita manifeſtatio vitæ Chriſti, & ſalutis noſtræ fieri inciperet per mulieres.

Exponitur ſeries huius apparitionis.

Quædam autem difficultas circa has duas apparitiones eſt: quia in prima Chriſtus Dominus non permiſit ſe à Magdalena tangi, ſed prohibuit dicens. *Noli me tangere nondum enim aſcendi ad Patrem meum*: ſed in ſecunda permiſit ſe tangi ab alijs mulieribus, & fortaſſe ab eadem Magdalena, ſi cũ eis interfuit: vbi Matthæus ait, *Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius & adorauerunt eum*. Ad hanc rem, prætermiſſis varijs Doctorum expoſitionibus & rationibus, maiori ex parte myſticis ac ſpiritualibus: duplex eſt magis propria & litteralis. Vel quòd Magdalena putaret Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam communem ſicut antea, & ſicut viderat ſuum fratrem Lazarum reſuſcitatum, & ita volebat priſtino more Chriſti pedibus adhærere: & ideo Chriſtus illi dixerit *Noli me tangere*, quia licet me videas, tamen non ſurrexi ad priorem vitam communem, ſed ad glorioſam vitam, quamuis nondum aſcendi ad Patrem meum. Vel fortè meliùs, Magdalenæ ex magna ſua deuotione & gaudio volenti diutiùs immorari, Chriſtus dicere voluerit, noli nunc in hoc immorari, quia nondum aſcendi ad Patrẽ meum, ſed adhuc aliquandiù permanebo apud vos in terris, & poteris aliàs tuæ deuotioni ſatisfacere, nunc autem vade citò annunciare ſocijs quæ vidiſti & audiſti: Sed poſtea ab alijs mulieribus, & fortaſſe ab eadem Magdalena, cùm iam ex parte impleſſet hoc officium, nuncians ſocijs mulieribus, permiſit in tranſitu teneri ſibi pedes, abſque diuturna mora: & fortaſſe etiã iterum omnibus dixit, vt non immorarentur, ſed citò pergerent annunciare diſcipulis.

Apparuit Chriſtus Petro.

Apparuit etiam Chriſtus eadem die ſeparatim Petro, & duobus diſcipulis euntibus in caſtellum Emmaus. De apparitione facta Petro, non ſpecificè narrant Euangeliſtæ qualiter facta fuerit: ſed tantùm Lucas narrat, qualiter illi duo redeuntes ex Emmaus, inuenerunt diſcipulos dicentes. *Quod ſurrexit Dominus verè & apparuit Simoni*. Sed fortaſſe apparuit Chriſtus Petro redeunti è ſepulchro, ſicut idem Lucas ſupra narrauerat, Petrum acceſſiſſe ad ſepulchrum, *Et abijſſe ſecum mirans quod factum fuerat*. Vel inquam apparuit Petro redeunti ſimul cum Ioanne. Vel quandò mulieres nunciarunt ſe vidiſſe Angelos, & audiſſe ab ijs reſurrectionẽ Domini, aut etiam ſe vidiſſe ipſum Dominum; iterum Petrus ſolus redijt ad ſepulchrum, & tunc apparuerit illi Dominus. Eratque ſanè valde conueniens & rationabile, vt Chriſtus Petro ſingulariter appareret, tanquam Apoſtolorum Principi, Eccleſiæ capiti, ſuoque Vicario in terris futuro, & ad commendationem eius pœnitentiæ, ac dilectionis eximiæ quam Petrus profitebatur.

Apparuit duobus diſcipulis in via ad Emmaus.

De apparitione facta duobus diſcipulis quam exactè narrat Lucas, & quã breuiter attingit Marcus, præcipuè quæritur, qualiter Chriſtus tanto ſpatio viæ non fuerit agnitus ab ijs diſcipulis, dum eum conſpicerent & loquẽtem audirent. Marcus ait, *Duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie euntibus in villam*. Lucas ait; *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent*, Sed dupliciter hoc fieri poterat: vno modo, per immutationem vultus ipſius Chriſti, alio modo per immutationem factam in oculis diſcipulorum. Priori modo rem explicauit D. Auguſtinus Epiſt. 59. quæſt. 8. Poſteriori modo explicat idem Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangeliſti cap. 25. Et affirmat S. Thomas hic quæſt. 54. art. 1. ad 3. & q. 55. art. 4. ad 2. & 3. Et ſic alij communiter approbant. Etenim non erat neceſſarium, nec decens, vt Chriſtus in ſe ipſo immutaret figuram vultus ſui: ſed ſatis erat immutari diſcipulorum intuitum. Et ita debet intelligi Marcus, & clariùs expreſſit Lucas. Indicauit autem D. Auguſt., & non reprobat S. Thomas, talem immutationem in oculis diſcipulorum factam fuiſſe per aliquam corpoream ſubſtantiam, videlicet per aliquem humorem aut caliginem, ſicut interdum naturali morbo accidit; & fuiſſe procuratam à Dæmone, & permiſſam à Chriſto. Sed ſufficienter ſanè poterat fieri talis immutatio per ſolam ſpeciem intentionalem,

& conuenienter poterat fieri ab ipſomet Chriſto. Quinimò ſi facta fuiſſet per corporeum humorem aut caliginē, immutatus fuiſſet aſpectus diſcipulorū circa omnia alia obiecta: non ergo ſic facta fuit. Sed facillimè poterat Chriſtus talem ſpeciem intentionalem exprimere, quæ non perfectè referret ſuā effigiem, ſed aliquanto diuerſam repræſentaret: Et conuenienter hoc facere poterat, vt explicat S. Thomas eodem art. 4., & ex Gregor. confirmat. Non enim hoc erat mendacium, ſed myſterium: præſertim vt illi magis detegerent vulnus incredulitatis, & verbis Chriſti paulatim ſanarentur, ac tandem eum agnoſcentes perfectè in fide ſolidarentur.

His apparitionibus aliqui crediderunt, & aliqui non.

Agnito Chriſtò reuerſi ſtatim ſunt hi diſcipuli, vt Apoſtolis & reliquis nunciarent quæ audierant & viderant, illoſque certiores redderent de Chriſti reſurrectione. Sed hinc rurſus Euangeliſtæ diſcordare videntur. Marcus enim ait, *Illi euntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt*: ſicut immediatè ante dixit, quod non crediderant Magdalenæ dicenti ſe vidiſſe Chriſtum viuentem. At Lucas ait, illos inueniſſe diſcipulos dicentes, *Quòd ſurrexit Dominus verò & apparuit Simoni*: quare iam ex relatione Petri credebant. Propter hoc Euthymius cap. 48. in Marcum opinatus eſt, aliam diſtinctam eſſe apparitionem, & diuerſos illos duos diſcipulos, apud Marcum, & apud Lucam: & prius quidem factam fuiſſe illam quā narrat Marcus, & illis duobus non fuiſſe fidem adhibitā ab Apoſtolis & reliquis: ſed poſtea ex apparitione facta Petro eos crediſſe, & rurſus confirmatos eſſe ex alia apparitione narrata ab illis duobus apud Lucam. Hoc tamen ſine cauſa excogitatum eſt: & communiter eadem reputatur apparitio hæc apud Marcum & Lucam, vt ſatis ex narrationis conformitate colligitur. Et illa diſcrepantia conciliatur facilè, Marcus enim dicere voluit, nō omnes diſcipuli crediderunt, ſiue aliqui adhuc increduli permanſerunt: vt quidem de Thoma eſt res clara, & ſic veriſimile eſt, aliquos alios fuiſſe ſimiliter duros ad credendum, etiam poſt relationem Petri & horum duorum. Lucas autem narrauit id quod diſcipuli inter ſe conferebant de apparitione facta *Petro*, ob quā multi crediderant verè *ſurrexiſſe Dominum*.

Apparuit demum Chriſtus ſero eiuſdē diei diſcipulis ſimul iunctis.

In hoc verò ſtatu, apparuit Chriſtus Dominus in eodē loco in quo erant diſcipuli congregati, & ſe videndum præbuit omnibus qui ibi aderant, ac etiam ſe palpandum & contrectandū obtulit. Et hæc fuit quinta apparitio facta eadem die reſurrectionis, in principio tamen noctis: quam narrant Lucas & Ioannes. Quamuis enim Angelus & Chriſtus ipſe per mulieres, apud Matthæum, mandaſſet Apoſtolis vt irent in Galilæam, promittens ibi eis apparere: ſicut etiam ante mortem dixerat Marci 14. *Poſtquam reſurrexero præcedam vos in Galilæam*. Tamen hoc non impediebat, quominùs illis citiùs appareret ibi in Ieruſalem vbi tunc inueniebantur. Specialiter autem promittebat in Galilæa apparere, quia publicè & notoriè, & coram plurimis, & ſæpiùs ac familiariùs ibi volebat ſe manifeſtare. Ita notat S. Thomas art. 3. ad 4., & plerique ex Patribus atque Expoſitoribus admonent.

Sed in hac apparitione rurſus Euangeliſtæ diſcordare videntur. Nam Ioannes expreſſit non interfuiſſe Thomam, & Lucas indicabat adfuiſſe omnes Apoſtolos, qui tunc erant vndecim, ait enim illos duos qui ex Emmaus regreſſi erant in Ieruſalem, inueniſſe congregatos vndecim & alios cum eis, & narraſſe quæ geſta erant in via: *Dum autem hæc loquuntur ſtetit Ieſus in medio eorum*. Ideo dici debet cum communiori expoſitione, Thomam in principio quidē inuentum fuiſſe cum alijs, ſed interim dum longiùs protrahebatur ſermo inter diſcipulos de apparitionibus Chriſti, & præſertim de illa apud Emmaus, Thomam abijſſe, & eo abſente aduenifſe Chriſtum. Narrat quoque Ioannes, Chriſtum in hac apparitione contuliſſe diſcipulis Spiritum ſanctum & poteſtatem remittendi ac retinendi peccata, dicendo, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* Sed Lucas ſolùm exprimit, promiſiſſe tunc Spiritum ſanctum, di-

dicendo, *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Ad hoc dici debet, vtrumque optimè verificari, nempe, Chriſtum vere dediſſe tunc Spiritum ſanctum, conferendo gratiam & aliquod ſupernaturale donum; ac ſimul promiſiſſe aliā miſſionem Spiritus ſancti faciendam in die Pentecoſtes cum tot alijs donis gratiæ: quia nimirum pluries, & pluribus modis, & penes plura dona, dari poteſt Spiritus ſanctus.

Aliæ quinque apparitiones narrantur ab Euangeliſtis poſt diem reſurrectionis.

Poſt has quinque apparitiones factas eadem reſurrectionis die, aliæ quinque ab Euangeliſtis narrantur. Sexta ergo in ordine eſt, quæ ponitur à Ioanne poſt dies octo, quando adfuit Thomas cum alijs Apoſtolis, & inuitatus fuit à Chriſto, vt videret & palparet vulnera ſua, & credidit & confeſſus eſt. Et hæc facta fuit in eadem vrbe, & in eodem cœnaculo vbi facta fuerat prior apparitio, vt ſatis claré ex textu colligitur. Et exinde diſcipuli migrarunt in Galilæam iuxta præſcriptum Chriſti. Septima apparitio eſt, quæ ab eodem Ioanne narratur, facta apud mare Tiberiadis, quod eſt mare Galilææ, de quo ſæpe fit mentio in vita Chriſti, & magis proprie vocatur ſtagnum & lacus Geneſareth: eſt enim lacus quidam, per quem tranſit Iordanis fluuius. Interfuerunt in hac apparitione Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedei, & alij duo, quos Euangeliſta non nominat. Hanc autem vocat tertiam Chriſti manifeſtationem: tertiam ſcilicet quām narrat ipſe Ioannes, ex apparitionibus factis ad Apoſtolos. Octaua eſt quam narrat Matthæus, facta in Galilæa, in monte quodam, vbi conſtituerat illis Dominus. Nona eſt quam narrat Marcus, quando recumbentibus illis apparuit. Et hæc videtur facta denuò in Iudæa, reuerſis illuc Apoſtolis: facta enim eſt proxime ante aſcenſionem. Decima tandem eſt, quā narrat Lucas in fine Euangelij & in principio Actorum, quando aſcendit in cœlum, quæ facta eſt in Bethania in Monte Oliueti. Quamuis continuari poteſt hæc cum præcedenti: quia Lucas in Actibus ait de Chriſto aſcenſuro in cælum, *Et conueſcens præcepit eis &c.* & in Euangel. ait, *Eduxit autem eos foras in Bethaniam:* & Marcus dixit, *Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit:* & concludit, *Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cælum.*

Aliæ quoque colliguntur ex Scriptura & ratione.

Sed præter has apparitiones, quæ diſtincte narrantur in Euangelio, pluries ac ſæpius Chriſtum apparuiſſe diſcipulis, colligitur ex eo quod ait Lucas in Actibus, *Quibus & præbuit ſe ipſum viuū poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei.* Et præſertim frequentes apparitiones factæ fuerunt in Galilæa, iuxta promiſſionē ipſius Chriſti. Et ita aduertit S. Tho. art. 3. ad 4. *Quod priùs in Ieruſalem latitantibus ſemel aut bis viſus eſt ad eorum conſolationem, in Galilæa verò non clam aut ſemel aut bis, ſed cum multa poteſtate oſtenſionem ſui fecit, præbens ſe eis viuentem in ſignis multis, vt Lucas teſtatur in Actibus.* Commemorat etiam varias Chriſti apparitiones Paulus 1. Cor. 15., dicens: *Quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc vndecim, deinde viſus eſt plusquā quingentis fratribus ſimul, deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus.* Vbi apparitio facta Iacobo, differt plane ab alijs omnibus narratis in Euangelio: ſed aliæ fortaſſe coincidunt: & illa quæ dicitur facta plusquam quingētis fratribus, fortaſſe eſt illa eadem quam narrat Matthæus in Monte Galilææ, quamuis mentionem non faciat aliorum, quàm vndecim diſcipulorum. Annumerat etiam Paulus apparitionem factam ſibi, *Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi,* ſcilicet poſt aſcenſionem. Sed ante has omnes apparitiones, piè & indubitanter creditur Chriſtus ſtatim reſurgens apparuiſſe Beatiſſimæ Virgini ſuæ matri: quamuis id Euangeliſtæ non narrent, quia proferebant ſolum eas apparitiones quæ faciebant teſtimonium reſurrectionis, quod non ſpectabat ad matrem. Et ita docent Ambroſ. lib. 3. de Virginib., Sedulius lib. 5. Carminum, Anſelm. lib. de Excellent. Virginis cap. 6., Rupert. lib. 7. de Diuin. officij, Bonauent. in Medita-

ditation. de Vita Chriſti cap. 87, & alij ex Sacris Doctoribus. Eſtque per ſe prorſus credibile: ſpectata dignitate & ſanctitate B. Virginis, & acerbitate paſſionis quam participauerat: ſpectata dilectione & pietate Chriſti erga matrẽ. Qualiter autem non oportebat, nec expediebat, vt Chriſtus continuè cum ſuis diſcipulis conuerſaretur hoc tempore, ſicut ante mortem, & quàm conuenienter ac ſufficienter in ſuis apparitionibus per quædam argumenta & ſigna comprobauerit veritatem ſuæ reſurrectionis, ſatis explicat S. Thomas art. 3. & 5. & 6.

SECTIO SEXTA.

De Aſcenſione Chriſti in Cælum.

INter Chriſti reſurrectionem & aſcẽſionem interponit S. Thomas de cauſalitate reſurrectionis Chriſti erga reſurrectionem noſtram: & diſtinguit reſurrectionem corporum, quæ quidem abſolutè dicitur reſurrectio; & animarum, quæ propriè eſt iuſtificatio de morte peccati ad vitam ſpiritualem gratiæ. Sed de ipſa quidem iuſtificatione egimus iam 1. 2. q. 113. Et qualiter reſurrectio Chriſti ſit eius cauſa, attigimus hac 3. parte quæſt. 13. sect. 3. De reſurrectione autem corporum, expedit hoc loco abſolutè tractare, & nõ ſolùm qualiter ſit effectus reſurrectionis Chriſti, ſed de tota ratione eius: Quo pacto magis connexa eſt cum extremo iudicio, de quo idem S. Thomas agit in fine. Ideo illam in hac quidem quæſtione inferemus. Sed ne ordinem myſteriorum Chriſti interrumpamus, proponimus nunc de aſcenſione.

Verè & realiter Chriſtus aſcendit in cælum.

Chriſtum verè aſcendiſſe in cælum, & manere nunc in cælo, ſecundum corpus ſuum glorioſum, negarunt quidam Hæretici, qui apud Nazianz. epiſt. 1. ad Cledonium, de corpore Chriſti dicebant, *In aerem fuſum, dilapſumque eſſe, quemadmodum fere aeris natura, & odoris effluxio, & fulguris curſus minimè conſiſtentes.* Quidam alij dixerunt Chriſtum decuſiſſe corpus ſuum in cæleſtem regionem, ſed ibi illud exuiſſe, ac repoſuiſſe in Sole, & deinceps ſine carne manſiſſe. Ita de Manichæis refert Nazianz. ibidem, & de Hermogene Theodoretus lib. 1. Hæreticar um fabularum, & de Seleucianis ac Hermianis Auguſtinus lib. de Hæreſib. cap. 59. *Negant Saluatorem in carne ſedere ad dexteram Patris, ſed ea ſe exuiſſe perhibent, eamquè in Sole poſuiſſe, accipientes occaſionem de Pſalmo vbi legitur, In Sole poſuit tabernaculum ſuum.*

Notiſſima tamen de fide res eſt, Chriſtum verè ſecundum humanitatem & carnem ſuam aſcendiſſe in cælum, ibiquè in eadem humanitate & carne ſẽper diuinitati coniuncta manere. Ita ſtatuit S. Thomas q. 53. art. 1. & 2., & ſub nomine ſeſſionis q 58. art 1. & 3. Et habetur expreſsè in Euãgelio Marci & Lucæ in fine, & in Actis in principio, vbi narratur aſcenſionis hiſtoria, viſibiliter factæ coram Apoſtolis. Et Chriſtus ipſe antea ſæpius loquutus fuerat de ſua futura aſcenſione ad Patrem, Ioann. 12. & 14. & 16., & alibi, ac ſtatim poſt reſurrectionem cap. 20. De eadem conteſtati ſunt Apoſtoli, ſæpè in Actis, & Paulus in Epiſtolis, ad Epheſ. 1. & 2. & 4., ad Hebr. 4. & 9. Hoc idem prædixerant Prophetæ, vt pleriquè Patres afferunt & intelligunt: Iſaias cap. 53., Michęas cap. 2., & præſertim Pſalmiſta Pſal. 8., 23., 46., 67. Habetur demum hic articulus in Symbolo Apoſtolorum, & Niceno, & Athanaſij, & in tota doctrina Eccleſiæ. Nec alia refutatione indigent illi errores, ſeu potiùs deliria eorum Hæreticorum.

Fuit hæc aſcenſio conueniens Chriſto & vtilis nobis.

Fuitquè hæc aſcenſio Chriſti conueniens, vt optime explicat S. Tho. art. primo. Tum ad gloriam ipſius Chriſti: quoniam ſtatui glorioſo magis proportionatus eſt locus cæleſtis: & omnibus Beatis deſtinauit Deus illum locum, in quo Angeli quidem ab initio ſuam habitationem ſortiti ſunt. Ex hominibus autem, Chriſtus fuit primus, qui in illa cæleſtem patriam ingredi debuit. Cui non ſolùm tanquam Beato, ſed tanquã vero Dei filio, nobiliſſimus ac digniſſimus locus debebatur, qui vtique eſt cæleſtis. Nam quamuis Deus ratione immenſitatis ſit vbique in toto vniuerſo: tamen ſpecialiter dicitur reſidere in

in cœlo, vbi magis eius maieſtas elucet: conuenientiſſimè ergò Chriſtus debebat migrare in cælum, ac deinceps habitare in cælo. Vnde & ipſe dixit Ioann. 14., *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem*. Quamuis non per hoc accreſcebat gloria eſſentialis Chriſto, ſed tamen accreſcebat aliqua gloria quantum ad decentiam, & ſublimitatem loci; & gaudium de illo adepto. Tum etiam conueniens fuit Chriſti aſcenſio ad vtilitatem noſtram. Hoc oſtendit S. Thomas ad 3., penes augmentum noſtræ fidei, & ſubleuationem ſpei, & accenſionem charitatis. Ex quo rurſus art. 6. declarat, quantum aſcenſio Chriſti profuerit noſtræ ſaluti.

Aſcendit Chriſtus ſecundùm naturam humanam, non diuinam.

Aſcendit autem Chriſtus, vtique ſecundùm humanam naturam, & non ſecundùm diuinam. Ita ſtatuit S. Thomas art. 2. Et eſt res clara: quia diuinæ natura per ſe ſemper eſt vbique; & ita non poteſt tranſire de loco ad locum. Specialiter etiam Diuina Maieſtas elucet in cœlo: & ita nec etiam hoc modo dici poteſt Diuinitas aſcendere vel eleuari in cœlum. Benè autem per communicationem idiomatum, dici debet Deus aſcendere in cœlum: vt ita de hoc myſterio rectè proferri poſſit, quod dixit Dauid Pſal. 48., *Aſcendit Deus in iubilo & Dominus in voce tubæ*: & Pſal. 67. *Pſallite Deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem*. Imò etiam penes nouum quendam modum eſſendi, dici poteſt Verbum diuinum aſcendiſſe in cœlum, ideſt quantum ad modum eſſendi per hypoſtaticam vnionem: quia per aſſumptionem humanitatis Chriſti in cœlum, incepit Verbũ eſſe per modum vnionis hypoſtaticæ in illo cœleſti loco: non quidem per mutationem vllam ipſius Verbi diuini, ſed per ſolam tranſlationem humanitatis, ſemper & vbicunque manentis vnitæ cum ipſo Verbo. Hoc quidem pacto dicebatur Dei Filius in incarnatione deſcendiſſe de cœlo: vt dicitur in Symbolo Niceno, *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt*. Et dum Chriſtus ipſe dicere ſolebat ſe deſcendiſſe de cœlo, Ioann. 3. & 6. & alibi, non ſolùm ſcilicet ſecundùm humanam naturam quatenus ſupernaturali virtute formatam à Deo, ſed etiam ſecundùm diuinam perſonam: quia nempe Verbum diuinum incœpit eſſe nouo modo in hoc inferiori mundo, vtpote per vnionem hypoſtaticam in humana natura. Quo pacto etiam dicuntur diuinæ perſonæ, venire, habitare, mitti, & ſimilia. Et Spiritus ſanctus quoque dicitur deſcendiſſe, Ioann. 1., & ſæpè in Actis. Atque ità facilè intelligitur, quod dictum eſt Ioann. 3., & ad Epheſ. 4., eundem eſſe qui deſcendit de cœlo & qui aſcendit in cœlum. Non ſolùm enim hoc verificatur de eodem ſuppoſito, vt cum Auguſt. exponit S. Thomas ad 2., ſed etiam ſecundùm eandem naturam: quia videlicet eadem natura diuina deſcendit per incarnationem, & dicto modo aſcendit per tranſlationem humanitatis Chriſti: & eadem humana natura deſcendit per deriuationem à Deo, & aſcendit per realem ac localem aſſumptionem in cœlum.

Aſcendit propria virtute diuina, & glorioſa.

Aſcendit Chriſtus in cœlum propria & interna ſua virtute. Et quamuis D. Thomas art. 2. videatur hoc referre ad ſolam virtutem diuinam quam Chriſtus tanquam Deus habebat; in quo ſenſu inquit, *Cùm Chriſtus ex virtute Diuinitatis in cœlum aſcenderit, non autem virtute humanæ naturæ, dicendum eſt, quòd Chriſtus aſcendit in cœlum, non ſecundùm quòd homo, ſed ſecundùm quòd Deus*. Attamen art. 3. declarat Chriſtum aſcendiſſe propria virtute, non ſolùm diuina, ſed etiam humana: non quidem naturali, quaſi ex proprijs principijs humanitatis: ſed ſupernaturali & glorioſa, proueniente ex beatitudine animæ. Quæ virtus aſcendendi in cœlum, ſpectat ad illam perfectionem agilitatis, de qua ſatis iam antea diximus. Vnde quia ipſa quoque beatitudo animæ habetur ex ſpeciali participatione Dei, concludit S. Doctor, primam originem aſcenſionis in cœlum, eſſe virtutem diuinam. Et quia demum hæc ipſa virtus diuina, eſt intrinſeca & ſubſtantialis Chriſto, non autem alijs Beatis: ideo peculiari modo dicitur Chriſtus aſcendiſſe in cœlum propria virtute, ad differentiam aliorum.

Digitized by Google

[illegible] rum Beatorum. [illegible]

Aſcendit directè è Monte Oliueti.

Aſcendit Chriſtus directè è monte Oliueti, qui eſt proximus Ieroſolymæ. Sic teſtatur Lucas in Actis, dum poſt Chriſti aſcenſionem, immediate ſubiungit de Apoſtolis; *Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, ſabbati habens iter*, id eſt, diſtans ab vrbe quantum itineris licebat peragere in die ſabbati, nempe mille paſſus. In Euangelio autem dixerat; *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus &c.* Quod quidem in idem redit, quia ibidem ſita eſt Bethania, & mons Oliueti mediat inter Ieruſalem & Bethaniam. Quare vel ſenſus eſt, Chriſtum eos duxiſſe verſus Bethaniam, ſiue ad fines Bethaniæ. Vel fortaſſe peruenit vſque Bethaniam, vnde conuocauit etiam alios fideles, quia ibi erat domus Magdalenæ apud quam frequenter hoſpitatus fuerat, & inde rediit ad montem, è quo tandem aſcendit. Vbi deinceps pie & religioſe colitur locus Dominicæ aſcenſionis. De quo etiam quædam præclara miracula apud veteres memorantur: quæ ſic enarrat Seuerus Sulpit. lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ. *Illud mirum, quòd locus ille in quo poſtremum inſtiterant diuina veſtigia, cùm in cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit, ſiquidem quæcunque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpuerat, excuſſis in ora apponentium ſæpè marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulueris adeo perenne documentum eſt, vt & veſtigia impreſſa cernantur, & cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentiat, & eandem adhuc ſui ſpeciem velut impreſſis ſignata veſtigijs terra cuſtodit.* Idque teſtatus erat Paulinus in Epiſt. ad Seuerum. Et ſimiliter Hieronym. lib. de Locis Hebr. vbi ſic ad dit: *Cùm Eccleſia in ſummo monte ſit, rotundo ſchemate & pulcherrima [illegible] conſtructa, ſummum tamen [illegible] vt perhibent, propter dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concameraui potuit, ſed tranſitus eius à terra ad cœlum vſque patet apertum.* [illegible] eadem poſt plura ſæcula con[illegible] quoque Beda lib. de Locis ſanctis cap. [illegible]

Aſcendit quadrageſimo die à reſurrectione.

Aſcendit quadrageſimo die à reſurrectione. Sic expreſſit Lucas in Actis; *Per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei.* Ac ita deinceps Eccleſia celebrat. Et quidem conuenienter Chriſtus interpoſuit hoc tempus, vt aduertit D. Tho. art. 2. ad. 4. Nempe ad confirmandos & inſtruendos ſuos diſcipulos in fide reſurrectionis alijſque myſterijs, vt deinceps alacriter toti mundo prædicarent: ſicut in illis verbis Lucas ipſe indicauit. Determinauit autem illum numerum quadraginta dierum: *Quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus ſe viuere confirmauit*, vt ex quadam Gloſa refert S. Thomas. Fortaſſe etiam aſcendit Chriſtus hora nona diei, qua antea mortuus fuerat. Nam, vt ex Marco in Euangelio, & ex Luca in Actis colligitur, Chriſtus vltima illa die apparuit diſcipulis recumbentibus, & conueſcens cum eis, conſequenter duxit eos in Bethaniam, ad montem Oliueti: quare veriſimiliter potuit actus aſcenſionis cadere in horam diei nonam.

Aſcendit viſibiliter motu ſucceſſiuo.

Aſcenditque viſibiliter motu ſucceſſiuo: vt ſatis expreſſit Lucas in Euangelio: *Eleuatis manibus ſuis benedixit eis, & factum eſt dum benediceret illis receſſit ab eis, & ferebatur in cælum.* Et in Actis, *Videntibus illis eleuatus eſt, cumque intuerentur in cælum euntem illum.* Vnde colligitur etiam, per aliquantum ſpatij ſupra terram aſcendiſſe motu lento, & non admodum veloci; quia nimia celeritas effugiſſet mortalium oculorum aſpectum: & modus ille loquendi, *Ferebatur in cælum*, & *Videntibus illis eleuatus eſt*, denotat hanc tarditatem motus commodam humano aſpectui. Sed dum adhuc poterat Chriſti corpus conſpici ab Apoſtolis, *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*, vt narrat Lucas. Vbi Caiet. ſuper Acta, & Medina hac quæſt. 57. volunt, non debere intelligi proprie nubem, ſed potius ſplendorem ex corpore Chriſti micantem. Attamen proprietas nominis, & facilitas rei, magis ſuadet vt intelligatur vera nubes, non quaſi caſu incidens, ſed voluntate Chriſti inducta

Digitized by Google

ducta ſub pedibus eius in aere, quæ illum à diſcipulorum intuitu occultaret. Et vt ait D. Thom. art. 4. ad 4. *Nubes illa non præbuit adminiculum Chriſto aſcendenti per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignum Diuinitatis, ſecundum quod gloria Dei Iſrael apparebat ſuper tabernaculum in nube.* Et ex tunc Abulenſis Paradoxo 5. cap. 13. vult, Chriſtum Dominum in inſtanti perueniſſe in cœlum, non tranſeundo per mediū. Sed id non eſt neceſſarium: nec per virtutem ordinariam corporis glorioſi poſſibile, ex dictis ſect. præcedenti. Vnde non potuiſſet fieri niſi ſuprema virtute diuina. Quare S. Thomas art. 3. ad 3. ſimpliciter negat, Chriſtum aſcendiſſe in inſtanti. Et videtur negare, id poſſe fieri etiam virtute diuina, loquendo de corpore exiſtente in loco modo commenſuratiuo: Niſi loquatur de diuina virtute ordinaria, ſiue quoad effectus conſuetos: quo pacto licet de facto corpus Chriſti conſtituatur in inſtanti abſque tranſitu per medium in Sacramento; tamen non conſtituitur modo commenſuratiuo. Satis ergo erit dicere, Chriſtum in illo vlteriori ſpatio aſcendiſſe maxima quadam velocitate: quod & virtute ſuæ glorioſæ agilitatis ipſe poterat.

Secum duxit Sāctos Patres.

Aſcendit, ſecum in cœleſtem patriam ducens Sanctos Patres quos è Limbo liberauerat, & in comitatu etiā omnium Angelorum: Hunc Chriſti triumphum cecinit Dauid dicens Pſalmo 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium. Dominus in eis in Sina in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus:* vt ad hoc myſterium refert Apoſtolus ad Epheſ. 4. Quia nempe Chriſtus aſcendens in cœlum ſecum duxit Sanctos illos quos è captiuitate liberauerat. Ait autem Propheta, *Accepiſti dona in hominibus:* quia gloria quę data fuit hominibus, data fuit ob merita Chriſti, & ita veluti ipſi Chriſto fuit data in hominibus. Sed quia reuera Chriſtus acquiſiuit gloriam ipſis hominibus; ideo Apoſtolus ibi reportat, *Dedit dona hominibus.* Aſcenderunt ergo cum Chriſto animæ Sanctorum in gloriam. Et prætereà in ſententia aſſerente, quoſdam ex illis reſurrexiſſe ſimul cum Chriſto in corporibus glorioſis, dici debebit, ſic etiam aſcendiſſe in anima & corpore. Et rurſus, ſi quæ aliæ animæ intra illud ſpatium quadraginta dierum ex hac vita deceſſerint, vel è Purgatorio eductæ fuerint, ſufficienter expiatæ, pariter aſcenderunt cum Chriſto. Et ſtatim quidem ac expiatæ erant, aſſociabantur Chriſto; quia nulla erat amplius ratio, vt detinerentur in Limbo, ſed per egreſſum Chriſti clauſus fuerat ille Limbus, vt nulli vſui deinceps eſſet.

Peruenit ad ſummū cœlum.

Aſcendens Chriſtus, peruenit vſque ad ſummum cœlum, vt ibi in perpetuum tanquam conuenienti habitaculo permaneret, ſimul inquam cum alijs Sanctis & Beatis. Hoc ſignificauit Apoſtolus ibi ad Epheſ. 4. *Qui aſcendit ſuper omnes cœlos vt impleret omnia.* Et Propheta in illis verbis, *Aſcendiſti in altum*, id eſt, in ſummam vniuerſi altitudinem: & in alijs verbis Pſal. 8. ſi de hoc eodem myſterio accipiantur, *Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, Deus.* Et propter hanc quidem habitationem Chriſti & Beatorum à Theologis aſſignatur ſupremum quoddam cœlum vltra omnes ſphæras mobiles, viſibili ſtellarum curſu cognitas, quod ſuo nomine Empireum nominatur. Vbi S. Thomas hic art. 4. ad 2. & 4. cont. Gent. cap. 87. & 88., Caiet. hic, Ferrar. ibi, Paludan. in 3. d. 22. q. 5. Suarez hic diſp. 51. ſect. 1., volunt, Chriſtum & alios Beatos reſidere penitus ſupra & extra totum cœlum Empireum. Sed ne dicamus manere in ſpatio inani & imaginario, præſtabit dicere, in illo ſpatio inueniri corpus quoddam cœleſte fluidum ac tenue, nobiliſſimum & lucidiſſimum: vt propter actiones ipſas vitales ſenſitiuas Beatorum, ſect. 3. præcedenti notauimus, & etiam de Beatorum loco 1. 2. q. 4. ſect. 9. & in Philoſoph. de cœlorum numero & ſtructura quæſt. 32. ſect. 4. tractauimus.

Obtinuit ſupremum locum

Addit D. Thomas articulo 5. Chriſtum Dominum in cœlo aſſequutum eſſe & poſſidere ſupremum locum inter omnes Beatos, etiam ſcilicet ſupra omnes

omnes Angelos, qui ſunt naturæ puræ ſpirituales. Et Apoſtolus ad Epheſ. 1. ſic inquit, *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, &c.* Et rationem reddit S. Thomas: quia nimirum attendi debebat dignitas hypoſtaticæ vnionis, qua corpus ipſum Chriſti præcellit omnibus alijs creatis ſubſtantijs, quamuis ſpiritualibus. Sed non ſolùm dignitate vnionis, verùm etiam dignitate meritorum, Chriſtus ſuperat omnes Beatos, tam Angelos, quàm homines. Sicut & inter ipſos Beatos, multi homines ſuperant multos Angelos, atque adeo digniorem locum in illa cœleſti Republica obtinebunt. At quia cœlum empireum in ſua rotunditate eſt totum vniforme, eſt æquè diſtans à centro mundi, & non habet vllam partem digniorem vel altiorem alijs: Ideo Caiet. eodem artic. admonet, ſublimitatem loci in illa cœleſti patria, non eſſe ſumendam ex qualitate ſitus, ſed haberi ſolùm ex deſignatione quadam diuina, qua nempe Deus ipſe conſtituerit certum locum tanquam ſupremum, & veluti ſolium Principis, qui ſit locus proprius Chriſti: & inde vlterius ſumi differentiam dignitatis inter alia loca, vt nempe digniora ſint quæ propinquiora ſunt Chriſto. Hoc tamen non eſt ita intelligendum, quaſi ſemper Chriſtus in fixo quodam loco permaneat, & ſic ſinguli Beati in ſuis locis: ſed ad ſummum ſatis erit cogitare deſignationem & poſſeſſionem illam loci, quamuis interdum per amplisſimam illam cœli regionem excurrant.

SECTIO SEPTIMA.

De Seſſione Chriſti ad dexteram Patris.

Rectè dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram Patris.

PErueniens Chriſtus in cœlum, ac deinceps permanens in cœlis, dicitur ſedere ad dexteram Patris, ad dexteram Dei. Ita aſſirmat Marcus in eadem narratione aſcenſionis: *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet ad dexteram Dei.* Et Apoſtolus ſæpè commemorat, Chriſtum manere, ſedere ad dexteram Dei, ad Roman. 8., ad Epheſ. 1., ad Hebr. 1. & 8. & 10. Et in Symbolo ipſo ſub eodem aſcenſionis articulo, *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Et ſimiliter in Symbolo Niceno, & in Symbolo Athanaſij. Et iam olim etiam Propheta in Pſal. 109., *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Eſtque hic loquendi modus frequens apud Patres & Doctores. Difficultate tamen non caret, quid ſignificet, & quomodo intelligi debeat. De qua re agit S. Thomas quæſt. 58. Non ergo intelligitur corporaliter, vt ex Damaſc. & Auguſt. affert S. Tho. art. 1. ad 1. & 2. Non relatiue ad ſiniſtram: *In æterna enim beatitudine, omnis dextera eſt, quia nulla eſt ibi miſeria.* Sed debet ſic intelligi, vt explicat S. Tho. in corpore: Quod Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, denotat, Chriſtum quieſcere in beatitudine & gloria Patris; Chriſtum habitare & reſidere in ſolio & throno Dei Patris, Chriſtum conregnare & conjudicare ſimul cum Deo Patre. Etenim ſedere ſæpè ſignificat quieſcere & manere, Lucæ 24. *Sedete hic in ciuitate.* Significat regnare & iudicare, Prouerb. 20. *Rex qui ſedet in ſolio iudicij.* Item dextera Dei ſignificat æternam beatitudinem. Pſal. 15. *Delectationes in dextera tua vſque in finem.* Significat regiam & iudiciariam poteſtatem, vt ait Auguſt. lib. 2. de Symbolo cap. 7. *Ipſam dexteram intelligite poteſtatem.*

Vno modo intelligitur de Chriſto vt Deus eſt.

Et hoc totum poteſt intelligi vno modo de Chriſto vt Deus eſt, ſiue de Verbo ipſo diuino per ſe ſpectato, & per communicationem idiomatum dicatur etiam de hoc homine. Sic explicat S. Thomas art. 2. Quia nempe Verbum diuinum per eſſentiam ſuam immutabiliter poſſidet eandem prorſus gloriam & beatitudinem ac poteſtatem Dei Patris, dum habet eandem diuinitatem Patris. Et ita hoc explicant plerique Patres, Athanaſ. Orat. 2. cont. Arian., Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 6., Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Hebr., Ambroſ. lib. 2. de Fide cap. 4., Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 2. & alij.

Digitized by Google

& alij. Additquè D. Tho. ad 3., *hunc* loquendi modum denotare ordinem originis vnius perſonæ ab alia: ideſt non poſſe è conuerſo dici Patrē ſedere ad dexteram Filij, vel Patrem & Filiū ad dexteram Spiritus ſancti; ſed benè poſſe dici etiam Spiritū ſanctum ſedere ad dexteram Patris & Filij. Verè autem hoc modo Verbum diuinum ab æterno & per eſſentiam ſedet ad dexteram Patris. Neque id de nouo factum eſt per aſcenſionem Chriſti, aut per incarnationem, vt per ſe patet.

Alio modo de Chriſto vt homo eſt, ratione hypoſtaticæ vnionis.

Alio modo debet id intelligi de Chriſto vt homo eſt, ratione hypoſtaticæ vnionis: vt explicat D. Tho. art. 3. Quia nempe Chriſtus homo, cùm ſit verus Filius Dei per hypoſtaticam vnionem, habet in vnitate ſuppoſiti eandem gloriam & poteſtatem diuinam, communicat in eodem honore cum Deo, & ſimul à nobis eodem cultu eademquè veneratione adoratur, vt antea circa adorationem Chriſti tractauimus. Qua ratione inquit optimè S. Thomas; quòd Chriſtus vt Deus dicitur ſedere ad dexteram Patris, ob identitatem naturæ & diſtinctionem ſuppoſiti; Chriſtus vt homo dicitur ſedere ad dexteram Dei, ob identitatem ſuppoſiti & diſtinctionem naturæ. Quę identitas ſuppoſiti, non vtique refertur ad Patrem, ſed ad Verbum, quod tamen per omnia eſt æquale Patri: & ita ſine dubio S. Doctor accipit vnitatem ſuppoſiti. Ita etiam hanc rem explicant plures Patres, Leo Papa ſerm. 1. & 2. de Aſcenſ., Cyrill. Alexandr. epiſt. 1. ad Presbyteros & Monachos, Theodoret. & Theophilact. ſuper. ad Epheſ. 1., & Chryſoſt. homil. 3. in eandem Epiſt. Hoc autem pacto, in re quidem per incarnationem ipſam factum eſt, vt Chriſtus ſedeat ad dexteram Dei, atque adeo ab initio incarnationis dici debet Chriſtus ſediſſe ad dexteram Dei. Et in hoc potiſſimum ſenſu intelligi debet illud Pſalmi, *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis*. Et ſic intellexit Apoſtolus ad Hebr. 1., & Chriſtus ipſe Matth. 22.

Alio modo ratione excelſa gloria & poteſtatis.

Alio adhuc modo id intelligitur de Chriſto ſimiliter vt homine, ratione eximiæ gloriæ & poteſtatis, quam poſt gratiam vnionis, in ipſa ſua humanitate accepit. Sic explicat S. Thomas eodem art. 3. Quia nempe Chriſtus in ſua humanitate accepit abundantiorem gratiam ſanctificantem præ omnibus Sanctis, & maiorem gloriam ac beatitudinem præ omnibus Beatis, & ſingulariter accepit regiam ac iudiciariam poteſtatem ſuper omnes alios: quare inter omnes creaturas humanitas Chriſti propinquiùs accedit ad ſublimitatem diuinæ maieſtatis. Et hoc totum habet ab intrinſeco, ideſt iure ac debito vnionis hypoſtaticæ ipſi Chriſto ſubſtantialis: habet ab ipſa perſona diuina, cui ipſa humanitas eſt intimè vnita. Ideo ergo ob talem ac tantam excellentiam, ob talem participationem diuinæ felicitatis & poteſtatis, rectè dicitur Chriſtus vt homo ſedere ad dexteram Dei, ideſt habere in ipſa ſua humanitate talem excellentiam, ob quam dicatur quieſcere in beatitudine accepta à Deo, & participare regiam ac iudiciariam poteſtatem Dei, & proximè ſe habere ad ipſum Deum. Et ita rem explicant D. Auguſt. lib. 2. de Fide & Symbolo cap. 7. & de Agone Chriſtiano cap. 16., Iſidor. lib. 1. de Diuinis Officijs cap. de Aſcenſ. Domini, & alij. Quare ſicut de Chriſto ratione poteſtatis ſpiritualis, figuratæ in Dauid & Iacob, dixit Angelus Lucæ 1., *Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum*: ita ratione omnimodę poteſtatis in omnes res, dicitur collocatus in ſolio Dei, & ſedere à dextris Dei.

Chriſtus ab initio dici poteſt ſediſſe ad dexteram Patris.

Sed quia adhuc hanc excellentiam gratiæ & eſſentialis beatitudinis & ſupremæ poteſtatis, Chriſtus in ſua humanitate accepit ab initio in eodem ſuæ conceptionis inſtanti, ex tunc quoque quoad hæc, & non ſolùm quando aſcendit in cælum, dici debet ſediſſe à dextris Dei. Quare oportet vlteriùs aliquid addere, quo alio inſuper modo poſt reſurrectionem & per aſceſionem dicatur collocatus fuiſſe ad dexteram Dei. Nam ſic in Symbolo ponitur ſub articulo aſcenſionis. Et Apoſtolus ad Epheſ. 1. dicebat. *Suſcitans illū à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in excelſis*. Et Marcus, *Aſſumptus eſt in cælum*,

cælum & ſedet à dextris Dei.

Sed ſpeciali modo dicitur id aſſequutus in aſcenſione.

Addendum ergo eſt, manere & ſedere ad dexteram Dei, importare etiam plenam & totalem quietem, & ceſſationem ab omnibus laboribus & incõmodis, ac vitam immortalem, & perfectam gloriam & felicitatem, etiam in corpore. Hunc vtique ſtatum non niſi in reſurrectione Chriſtus adeptus eſt: quare ex tunc dici poteſt hoc alio modo conſtitutus ad dexteram Dei.

Rurſus, manere & ſedere ad dexterã Dei, importat habitare in illa cæleſti patria & ſede, vbi ſingulariter elucet Dei maieſtas. Vnde Deus ipſe dixit, *Cælum mihi ſedes eſt*: & Chriſtus docuit nos orare, *Pater noſter qui es in cælis*. Et vbi reuera eſt perpetuum domicilium Beatorum, & in quo omnes Sancti perennem felicitatem poſſident. Hoc ergo modo, Chriſtus per aſcenſionem aſſequutus eſt, ſedere ad dexteram Dei. Vlterius ſedere ad dexteram Dei ſumi debet pro vſu & exercitio regiæ ac iudiciariæ poteſtatis, & dominij in totum vniuerſum & omnes creaturas. Chriſtus autem, licet ab initio habuerit radicalem poteſtatem, tamen noluit hic in terris aſſumere vſum & exercitium eius: quinimò ipſe dixit, *Filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare*: & ſic etiam non venit iudicare, ſed iudicari. De qua re tractabimus antea quæſt. 27. At deinceps exiſtens in cælo habet pleniſſimum vſum & exercitium ſui dominij & regni ac poteſtatis: ſic ergo ex tunc ſedet hoc modo ad dexteram Dei. Ac demum ſumi poteſt ſedere ad dexteram Dei, pro eo quod eſt cognoſci, celebrari, & adorari, tanquam ſupremum Regem ac Dominum, tanquam in ſe beatiſſimum & glorioſiſſimum, tanquam verum & naturalem filium Dei. Hoc totum aſſequutus eſt Chriſtus poſt aſcenſionem: & ſpeciatim ad celebritatem & exaltationem, quam ſua humiliatione & paſſione promeruit. Et ſicut pro hac re dictum eſt Apocal. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem*, ideſt accipere cultum tanquam Dominus & Deus: ita pariter dici poterat, dignus eſt ſedere ad dexteram Patris: Et ſic reuera in ſua aſcenſione accepit, vt deinceps ſedeat ad dexteram Patris, ideſt recognoſcatur & adoretur tanquam verus & vnicus Filius Dei Patris.

Eſtquè proprium Chriſto, ſed quadam extenſione deriuatur ad alios.

Ex quo patet etiam, qualiter ſedere ad dexteram Patris, ſit ita proprium Chriſto, vt nulli alteri conueniat, vt explicat S. Thomas art. 4. Pluribus enim ex dictis modis eſt peculiariter proprium. Vnde merito dixit Apoſtolus ad Hebr. 1. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando ſede à dextris meis?* Aliquo tamen modo hæc denominatio communicatur & attribuitur etiam alijs Sanctis & Beatis. Sicut Apoſtolus ad Ephes. 2. inquit, *Quòd Deus conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto*. Quod quidem D. Tho. ad 1. explicat, *Quia Chriſtus eſt caput noſtrum, illud quod collatum eſt Chriſto, eſt etiam nobis in ipſo collatum*. Verùm, non ſolùm hoc modo per meram denominationem extrinſecam: ſed etiam ob propriam vitam immortalem & beatitudinem conferendam nobis, poteſt & debet intelligi de futuro, id quod Apoſtolus dicebat ea forma loquendi de præterito: quaſi diceret, Deus ſuſcitabit nos etiam ad vitam immortalem & beatam cum Chriſto, & collocabit nos in cæleſti ſede vbi eſt Chriſtus. Et ſic ipſe Chriſtus dixit Lucæ 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël*. Et Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum Patre meo in regno eius*. Et idem Apoſt. 2. ad Timoth. 2. *Si commortui ſumus & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus & conregnabimus*. Hoc ergo intelligitur, inquantum alij quoque Sancti poſſidebunt ſuam beatitudinem in cælo, ibique perpetua quiete & pace fruentur, immunes ab omni labore & laſſitudine, participabunt felicitatem illius regni cæleſtis, ac etiam iudiciariam poteſtatem, & quandam auctoritatem ſuper reprobos & ſuper alias creaturas.

SECTIO OCTAVA.

De Miſſione Spiritus ſancti.

NON tractat diſtinctè de hoc myſterio S. Thomas, hoc loco. Tamen quia communiter apud Fideles hoc etiam inter glorioſa Chriſti myſteria connumeratur, & conſequitur ad aſcenſionem, conuenienter hîc commemorari debet.

Chriſtus miſit Spiritum ſanctum, die decimo ab Aſcenſione, quinquageſimo à reſurrectione.

Sedens ergo Chriſtus in cælis ad dexteram Patris, poſt paucos ab aſcenſione dies, miſit ad diſcipulos Ieroſolymis congregatos, ſicut antea ſæpè promiſerat Spiritum ſanctum: vt narrat Lucas Actor. 2. Creditúrque locus in quo erant diſcipuli congregati, & in quem deſcendit ad illos Spiritus ſanctus, fuiſſe illud ipſum cœnaculum, in quo Chriſtus cum Apoſtolis ante mortem Paſcha celebrauerat, & in quo poſt reſurrectionem eis apparuit. Et Lucas ſignat quoque tempus. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*. Quod græcum nomen *Pentecoſtes*, ſumi poteſt vel tanquam purum nomen numeri, ſignificat enim numerum quinquagenariũ; vt ſenſus ſit, cùm complerentur dies quinquaginta, ſiue cùm compleretur dies quinquageſimus. Et ita quidem verum eſt, Spiritum ſanctum miſſum fuiſſe quinquageſimo die à reſurrectione Domini, decimo die poſt aſcenſionem, atque adeo prima die hebdomadæ, quæ deinceps in Eccleſia dicitur dies dominica, in qua Chriſtus ipſe reſurrexerat. Et ſic habet Eccleſiæ traditio ac ſolemnitas in celebrando hoc myſterio miſſionis Spiritus ſancti. Et ita frequenter docuerunt antiqui Patres, Clemens Romanus lib. 5. Apoſtolicar. conſtitut. cap. vltimo. Leo Papa ſerm. 1. & 2. Pentecoſtes & epiſt. 81., Auguſt ſerm. 154. de Tempore, Iſidor. lib. 1. de Officijs Eccleſiaſt. cap. 24., Alcuinus, Rupert., Rabanus, & alij tractantes de iiſdem officijs, & expreſsè etiam ſexta Synodus actione 8.

An idem fuerit dies feſtus Pentecoſtes Iudæorum.

Vel ſumi poteſt nomen illud *Pentecoſtes* apud Lucam tanquam nomen cuiuſdam feſti Iudæorum, quod quidem præſcriptum fuerat in veteri lege Leuitici 23. Vbi poſt præmiſſam ſolemnitatẽ paſchalem, in qua inter alias cæremonias iubebatur, vt offerrent Domino faſciculum primarum ſpicarum, qui & vocabatur manipulus primitiarum, exinde ſubditur: *Numerabitis ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, idest quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino*. Et hæc dies ſtatuitur ibi feſtiua atque ſolemnis. Vocabaturquè feſtum hebdomadarum, primitiuorum, nouarum frugum. Vocabatur etiam Pentecoſtes, denominatione ſumpta à dicto numero: & ſic vocatur Actor. 20. & 1. Cor. 16., ac etiam 2. Machab. 12. Et, vt ait Ioſephus Hebræus lib. 3 Antiquit. cap. 10., *Poſt paſchale feſtum elapſis ſeptem ſeptimanis, hoc eſt quadraginta nouem diebus, quinquageſima quam à numero Aſartha Hebræi vocant, offerunt Domino &c.* Communis ergo Doctorum ſententia eſt, Lucam eo nomine intellexiſſe ibi hoc feſtum Iudæorum, & hoc modo ſignaſſe tempus & diem quo aduenit Spiritus ſanctus.

Ratio difficultatis.

Sed hinc ſtatim obuiat difficultas, qualiter numerari deberent ſeptem hebdomadæ, ſiue quinquaginta dies à feſto paſchali Iudæorum. Nam ſi inchoentur à die decimaquarta primi menſis qua immolabatur agnus: cùm eo anno quo mortuus eſt Chriſtus, illa dies fuerit Iouis, & ſic pariter quinquageſima dies poſtmodum cadebat in diem Iouis, antecedentem ad illam Dominicam in qua nos ponimus aduentum Spiritus ſancti. Si autem inchoentur à die decimaquinta ſequenti, quæ ſane erat feſtiua, & vocabatur dies prima azimorum, vt computat Vgo Cardin. eo loco Leuitici: pariter eo anno completi fuiſſent quinquaginta dies in die Veneris. Si rurſus inchoentur à die ſequenti poſt feſtum paſchale, quę erat ſecunda dies azimorum, conſequenter dies quinquageſimus eo anno incidebat in Sabbatum. Et ita quidem computat initium illius quinquagenæ Ioſephus loco allegato, ponens oblationem illam ſpicarum die decimaſexta primi menſis, quæ erat ſecunda azimorum. Eumque ſequuntur Abulenſis in idem cap.

cap. Leuitici quæſt. 11., Lyranus & Caietan. in idem caput, & Suarez ſupra diſp. 46. ſect. 1., tractans de die reſurrectionis Chriſti. Itaque non apparet, quonam modo conſiſtere poſſit, Spiritum ſanctum aduenifſe quinquageſimo die à reſurrectione Chriſti, incidente in die dominica, & aduenifſe in die illo feſtiuo hebdomadarum apud Iudæos, pariter quinquageſimò à die illo paſchali quo offerebatur faſciculus ſpicarum: ſiquidem non eodem die concurrebat reſurrectio Chriſti & hæc oblatio.

Defendi debet fuiſſe idem dies.

Propterea Suarez ibi, Tannerus diſp. 2. q. 3. dub. 5., Bonacina diſp. 3. q. 4. puncto 4., Coninch q. 74. art. 4. dub. 1., reſpondet, reuera non aduenifſe Spiritum ſanctum eadem die feſtiua Iudæorum, ſed die immediatè ſequenti. Et hunc eſſe ſenſum Lucæ, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt circa feſtum Pentecoſtes, vel ſtatim poſt completos dies Pentecoſtes, vel in feſto ipſo Pentecoſtes Chriſtianorum, non Iudæorũ. Sed ſanè modus ille loquendi ſatis denotat, eodem diem Pentecoſtes Iudæorum. Nam in textu græco legitur in ſingulari, ipſe dies Pentecoſtes, ac etiã de præſenti compleretur. Et cùm in eo facto nondum eſſet inſtitutum feſtum Pentecoſtes Chriſtianorum, ſed ex illo myſterio debebat poſtea inſtitui: debebat tunc intelligi die feſto Pentecoſtes Iudæorum. Quidam alij dixerunt, ſolemnitatem Pentecoſtes habuiſſe plures dies, nempe ſeptem, ſicut habebat ſolemnitas paſchalis, quamuis ſolùm prima & vltima dies eſſet feſtiua: & ita ſenſum eſſe, intra illos dies Pentecoſtes aduenifſe Spiritum ſanctum. Sic exponit Tullius Criſpoldus in cap. 2. Actor. Sed certè nec in Sacra Scriptura, aut à Ioſepho, extenditur illa ſolemnitas Pentecoſtes per ſeptem dies, ſicut ſolemnitas paſchalis, & alia ſolemnitas tabernaculorum pro menſe ſeptembri: nec modus loquendi Lucæ, præſertim legendo in ſingulari diem, patitur hanc extenſionem. Et Philo Iudæus in Decalogo, vt refert Baronius ſub eodem anno Domini 58. §. *Poſt oblatum*, teſtatum reliquit, ſolemnitatem Pentecoſtes apud Iudæos fuiſſe ſolùm pro vno die. Quare etiam non rectè Vgo Cardinalis ſuper Leuit. 23. admittit in illa ſolemnitate ſeptem dies.

Feſtum Pentecoſtes apud Iudæos quotannis celebrabatur certo die.

Ideo idem Baronius ſub anno Domini 34. §. *Elapſis*, Bellarm. lib. 3. de Cultu Sanctorum cap. 13., Ribera lib. 5. de Templo cap. 7., Emmanuel Sà in cap. 23. Leuit. & 2. Actor. vt defenderent, Spiritum ſanctum aduenifſe verè eadẽ die feſtiua Pentecoſtes apud Hebræos, dixerunt, quòd licet ordinariè iuxta præſcriptum legis offerretur faſciculus ſpicarum in ſecunda azimorum die, & ex illa computarentur quinquaginta dies: tamen quando ea ſecunda dies incidebat in Sabbato, conſueuiſſe Hebræos oblationem differre in ſequentẽ diem, ne videlicet meterent & deferrẽt faſciculum in die ſabbati, atque ita ex die tertia azimorum ſumpſiſſe initium ſequentis quinquagenæ. Eo autem anno Chriſti ità accidit, quòd ſecunda dies azimorum fuit ſabbatum vt notum eſt. Verùm, nec ſatis conſtat de illa conſuetudine & tranſlatione Iudæorũ: quia potiùs licitum & conſuetum erat apud illos, in die ſabbati peragere ea quæ ad cultum Dei & exercitia templi ſpectabant: & potuiſſent quoque faſciculum metere ac deferre die præcedenti, ac in die ſabbati offerre. Sed etiam ſi fortaſſe differrent oblationem faſciculi, non per hoc debuiſſent etiam differre feſtum Pentecoſtes, ſed adhuc debuiſſent ſumere initium dierum ab illa die, quæ ex lege deſtinata erat ad oblationem faſciculi, & ad inchoandam quinquagenam: & fuiſſet illis magis incommodum differre feſtum Pentecoſtes in diem immediatè ſequentem poſt ſabbatum.

Die quinquageſimo ab oblatione manipuli.

Epiphanius Hæreſi 51. ad finem, ſic deſignat diem quo debebat offerri manipulus, & conſequenter diem quinquageſimum quo debebat celebrari aliud feſtum: *Poſtquam mactatum eſſet Paſcha, intra tres dies, hoc eſt poſt tres dies agni, præcepit manipulum inferri, & ſignificauit benedictum manipulum qui ſurrexit ex mortuis poſt tertium diem, &c.* Itaque deſignat tertium diem azimorũ, in quo ſanè Chriſtus reſurrexit: atque adeo idem efficitur dies quinquageſimus à reſurrectione Chriſti, & ab oblatione

tione manipuli, in quo Iudæi eo anno celebrauerint ſuum feſtum Pẽtecoſtes, & nos agnoſcimus & colimus aduentũ Spiritus ſancti. Verùm non conſonat ſacro textui, illo modo deſignare diem oblationis, ſcilicet ſtatuendo pro ſingulis annis tertium diem azimorum.

Rupertus lib. 2. in Leuit. cap. 34., Heſichius in cap. 23. Leuitici, & quidã alij, aliter abſolute conſtituunt oblationem manipuli, ſcilicet in die immediatè ſequente poſt ſabbatum, quod incidebat in ſeptimana paſchali, quare poterat eſſe, vel ſecunda azimorũ dies, vel tertia, vel alia quæcunque. Eo autem anno Chriſti, ſabbatum incidit in ſecundam azimorum diem; quare oblatio manipuli incidit in tertiam, & ita in eandem diem reſurrectionis Chriſti. Et quidem in textu Leuitici ſic deſignatur dies: *Feretis manipulos ſpicarum ad Sacerdotem, qui eleuabit faſciculum coram Domino altero die ſabbati*: & rurſus, *Numerabitis ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas &c.* Quo quidem nomine ſabbati, Ioſephus & alij ex noſtris, intellexerunt feſtum ipſum paſchale, primum diem azimorum, & ideo conſtituerũt oblationem faſciculi altero die, nempe ſecundo azimorum. Sed Rupert. & Heſichius intelligunt propriè diem ſabbati incidentem in ſeptimana paſchali. Et hoc quidem modo res aptè conſonat: niſi quod illo anno quo ſabbatum contingeret ſeptima die azimorum, oportebat oblationem manipuli cadere poſt totam ſeptimanam paſchalem: & ſingulis annis debuiſſet variari diſtantia dierum inter feſtum Paſchatis & feſtum Pentecoſtes. Quæ adhuc ſunt inconuenientia.

Non includendo diem oblationis, qui fuit proximus ante diem reſurrectionis.

Sed tandem retinendo, quòd manipulus offerretur die ſecundo azimorũ, ſcilicet immediatè ſequente poſt primũ diem feſtiuum Paſchæ: ſanè non oportet, vt in numero ſeptem hebdomadarum, ſiue quinquaginta dierum ſequentium, includatur ille ipſe dies quo offerebatur manipulus, ſed potiùs inchoari debent & computari poſt illum diem. Et ſiuent verba textus, *Numerabitis ab altero die ſabbati in quo obtuliſtis manipulum, ſeptem hebdomadas plenas &c.* ideſt poſt illum diem oblationis, numerabitis ſeptem integras hebdomadas. Et hunc ſenſum admittunt etiam verba Ioſephi, *Poſt paſchale ſacrum,* ideſt poſt illam ſacram oblationem, *Elapſis ſeptem ſeptimanis &c.* Et ita intelligunt Ribera lib. 5. de Templo Salomon. cap. 7., & Lorinus in cap. 2. Actor. Hoc ergo modo res optime quadrat, vt idem fuerit dies quinquageſimus à reſurrectione Chriſti, & ab oblatione manipuli, quamuis manipulus fuiſſet oblatus die præcedenti: quia nimirum nos numeramus quinquaginta dies, includendo ipſum diem reſurrectionis: Iudęi vero numerabant, excludendo ipſum diẽ oblationis, & inchoando à die ſequenti qui erat tertius azimorum. Sic ergo factum eſt, vt quinquageſimo die coincideret miſſio Spiritus ſancti in feſtum Pentecoſtes Iudæorum.

An etiam idem fuerit dies datæ legis.

Sed adhuc ex alio capite redit difficultas: quia hoc feſtum Pentecoſtes apud Iudæos inſtitutum videtur in memoriam datæ eis legis à Deo, vnde vocabatur etiam feſtum datę legis: ſed lex data fuerat quinquageſimo die ab egreſſu ex Ægypto, ſiue à ſacrificio agni; vt docent Leo Papa ſerm. 1. Pentec., Hieronym. epiſt. 127 cap. 22., Auguſt. epiſt. 119. cap. 16., Iſidor. lib. de Offic. Eccleſ. cap 73., Rupert. lib. 10. de Diuin. Officijs cap. 12, Raban. lib. 2. de Inſtit. Clericor. cap. 41., & alij ex Patribus. Et ſumunt ex cap. 19. Exodi, vbi dicitur Hebræi perueniſſe ad montem Sinai in menſe tertio, & accepiſſe legem in die tertio. Et ſimiliter Spiritus ſanctus dicitur aduenisſe eodem die & feſto datæ legis. Vnde aliqui Sacri Doctores obſeruant, ſimul coincidiſſe initium legis nouæ, quæ quidem in eo aduentu Spiritus ſancti promulgari cœpit, in diem qua data fuerat vetus lex, quæ tunc mutabatur in nouam. Non autem apparet, quomodo hæc omnia coniungi poſſint.

Propter hoc præſertim, Suarez non approbauit, vt quinquaginta dies inchoarentur excluſiuè à ſecunda die azimorũ, ſed potiùs deberet includi hęc ſecunda dies. Verùm neque hoc ſufficit, ſed deberet etiam includi prima dies azimorum, imò & alia præcedens dies

Digitized by Google

die mactationis agni, vt patet manifeſte iiſdem verbis Auguſtini: *Numera itaque à quintadecima primi menſis die, quo factum eſt Paſcha, vſque ad diem tertium tertij menſis, & inuenies decem & ſeptem dies primi menſis, triginta ſecundi menſis, & tres tertij, qui faciunt quinquaginta*: vbi patet, debere includi diem ipſum decimumquartum primi menſis. At neque hoc etiam ſufficit: quia Auguſtinus computauit menſes ſolares, qui conſtant quidem ſinguli ex triginta diebus: ſed in Scriptura ibi intelliguntur menſes lunares, qui conſtant ex vigintinouem diebus: quare adhuc addendi eſſent duo alij dies, vel ſaltem vnus, quando alter ex menſibus lunaribus extendebatur ad triginta dies.

Vel non fuit idem dies.

Verè ergo conſiſtere non poteſt totum quod in argumento aſſumitur. Sed vel illud feſtum non fuerat inſtitutum in memoriam datæ legis, ſed tantùm in recognitionem & gratitudinem annuarum frugum. Si quidem, nec in Scriptura, nec apud Ioſephum in inſtitutione illius feſti, fit mentio datæ legis. Nec vocabatur feſtum datæ legis, ſed primitiuorum & nouarum frugum. Nec in toto ritu illius feſti habetur quicquam pro ſignificatione aut commemoratione datæ legis: ſed offerebantur panes primitiarum, cùm antea oblatus fuiſſet faſciculus ſpicarum. Sicut alioqui, quia feſtum primi menſis inſtitutum fuit in memoriam egreſſionis de Aegypto, exercebantur illæ ipſæ ceremoniæ & actiones, quæ tunc factæ fuerant circa aſſationem & comeſtionem agni & eſum azimorum. At ſimiliter in alio feſto menſis ſeptimi, quia inſtitutum fuit in memoriam peregrinationis Hebræorum per deſerta, iubebantur habitare in vmbraculis, & illud vocabatur feſtum Tabernaculorum. Vel feſtum illud Pentecoſtes fuit quoque ordinatum in memoriam datæ legis: ſed non fuit præſcriptum eodem anniuerſario die quo data fuerat lex, ſi data fuit die quinquageſimo ab egreſſu populi ex Aegypto, ſiue etiam ab immolatione agni, ſed poſt quinquaginta alios dies, ſcilicet inchoando numerū quinquagenarium ab illo die, quo poſt Paſcha offerebatur faſciculus ſpicarum.

Vel data non fuit lex die tertio, ſed octauo menſis tertij.

Vel demum, fuit data lex die tertio menſis tertij. Sed Rupertus quidem lib. 2. in Leuit. cap. 34. ſic ait: *Pactio fœderis, non tertio, vt plerique negligenter legentes, ſed quarto die menſis tertij, qui eſt quinquageſimus à quartadecima luna vel die menſis primi, facta eſt.* Idemque ait lib. 10. de Diuin. Offic. cap. 12., vbi addit, vtrunque menſem lunarem habuiſſe triginta dies, vt ita in quarta die tertij menſis compleret numerum illum quinquagenarium. Vlteriùs verò Raby Moyſes, & Aben Ezra apud Abulenſ. in cap. 19. Exodi q. 10., & Caietan. ac Lyranus in eundem locum Exodi, & Bellarm. ibi lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 13., dixerunt, datam fuiſſe legem die ſexto menſis tertij. Vbi ſane eſſent quinquaginta dies, numerando à quintadecima die primi menſis incluſiuè, qui dies erat feſtiuus Paſchatis. Sed iam ſic, vt retineatur idem dies quinquageſimus ab oblatione faſciculi, incipiendo ſcilicet numerare à tertio die azimorum incluſiuè, qui erat decimus ſeptimus menſis primi, poterit extendi datio legis ad diem ſeptimum vel octauum menſis tertij. Et fortaſſe die illo tertio azimorum peruenerunt Hebræi ad mare rubrum, vt ponitur ſaltem pro tertia manſione in Exodo, & repetitur Numeri 33., atque quinquageſimo exinde die data fuerit lex, die nempe ſeptimo vel octauo menſis tertij. Die quidem ſeptimo, ſi ambo menſes præcedentes compleantur per vigintinouem tantùm dies: die autem octauo, ſi alter ex duobus præuijs menſibus computetur per triginta dies.

Sed quoniam Exodi 19. apertè dicebatur, apparuiſſe Dominum in monte Synai, & dediſſe legem Moyſi in die tertio: ideo illi Rabyni dixerunt, non intelligi die tertio, ex quo peruenerunt filij Iſrael ad illum locum & montem, ſupponentes nempe, illos perueniſſe in die primo eius menſis: ſed intelligi ex die quo Moyſes intimauit populo, vt parati eſſent ad accipiendam legem, dicendo *Eſtote parati in diem tertium*; & ſic ſubditur, Iamquè aduenerat dies tertius, vbi non dicitur tertius menſis,

nec

net tertius peruentionis; ſed intelligitur tertius præparationis; & benè poteſt eſſe, vt aliquot diebus antea quieuiſſet ibi populus. Aut dici poteſt, non perueniſſe illuc populum die primo menſis, ſed potiùs die quinto: nec enim Scriptura determinat diem menſis: ſed ſolùm ait, *Menſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Aegypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai*, vbi ly *in die hac*, nō cogit accipere diē primam. Et Ioſephus lib. 3. Antiquit. cap. 2. ſolùm ait. *Tertio menſe poſtquam ex Aegypto mouerant, ad montem Sina peruenerunt*. Sic ergo poterat etiam eſſe, vt die tertio à peruentione ad montem, data fuerit lex. Et hoc pacto fuiſſet dies quinquageſimus à die tertio azimorum incluſiuè. Sic ergo defendi poteſt, miſsionem Spiritus ſancti, atque adeo promulgationem nouæ legis; incidiſſe in eundem diem feſtum datæ olim veteris legis.

Christus vt Deus miſit Spiritum ſanctum, vt homo impetrauit.

Reliqua autem quæ ad theologicam diſcuſſionem ſpectant circa hanc miſsionem Spiritus ſancti, communia ſunt ad miſsionem diuinarum perſonarum: & Chriſtus non niſi tanquam perſona diuina ſimul cum Patre intelligitur miſiſſe Spiritum ſanctum. Vt homo enim dici poteſt ſolùm meruiſſe & obtinuiſſe, ac poſt aſcenſionem in cælum rogaſſe & effeciſſe, vt tunc mitteretur Spiritus ſanctus. Itaque de ſe vt homine dixerat Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis*: de ſe autem vt Deo cap. 15. *Cùm autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis &c.* De ipſa autem miſsione diuinarum perſonarum, & de huiuſmodi miſsione viſibili, qualis fuit hæc, ſicut fuerat & alia ſub ſpecie columbæ, communiter egimus cum S. Tho. ſuo loco 1. par. quæſt. 43.

SECTIO NONA.

De Iudiciaria Chriſti Poteſtate & futuro Iudicio.

Proponit S. Thomas quæſt. 59. de iudiciaria poteſtate Chriſti, & per ſe quidem agit de hanc poteſtate. Remittit autem executionem finalis iudicij conſiderandam in poſtremum huius tertiæ partis tractatum & locum, ad quem tamen morte præuentus non peruenit. Verùm, poteſtas iudiciaria per ſe ſola ſpectaſſet potiùs ad priorem tractationem de officijs & dignitatibus Chriſti, de quibus egimus antea quæſt. 26. Et ad hunc locum magis ſpectit, de executione ipſa & exercitio iudicij, quod eſt vltimum myſteriū pertinens ad glorificationem Chriſti: quod quidem breuiter nunc expediemus, ne alium in fine tractatum hac de re inſtituamus. Et ſimul coniungemus poteſtatem iudiciariam, & executionem iudicij; atque non ſolùm iudicij finalis, ſed etiam præſentis temporis.

An iudicare conueniat Chriſto vt homini.

Et in primis dubitari poteſt, quod non conueniat Chriſto vt homini hoc iudicium. Et ita putaſſe videtur Scotus in 4. diſt. 48. quæſt. 1. Et indicauit Chryſoſt. homil. 38. in Ioann. Et fundatur dubitatio, tum in teſtimonio ipſius Chriſti, tum in ratione. Etenim Chriſtus ipſe Ioannis 3. dixit, *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*: Et cap. 8. *Ego non iudico quemquam*: & cap. 12. *Si quis audierit verba mea & non cuſtodierit, ego non iudico eum, non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum*: & Matth. 20. *Sedere ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*. Et hinc ſumitur ratio; quia iudicium animarum faciendum eſt quoad præmium vel ſupplicium æternum, quod beatitudinem vel damnationem alterius vitæ: ſed certè ad ſolùm Deum, & non ad humanitatem Chriſti pertinebat, taxare ac determinare, quibus & quāta beatitudinis retributio, aut damnationis pœna tribuenda eſſet: ſolius Dei erat, alios prædeſtinare, & alios reprobare: ac tandem ſolus ipſe Deus, & non humanitas Chriſti, immediatè poterit Sanctis conferre beatitudinem, quæ in eius viſione & fruitione cōſiſtit, & ſimiliter ipſe Deus erit qui hanc beatitudinem impijs denegabit: ergo non conuenit Chriſto vt homini poteſtas & officium iudicandi.

Cer-

Digitized by Google

Concluſio affirmatiua.

Certum tamen de fide eſt, Chriſtum fuiſſe à Deo conſtitutum omnium Iudicem, ad ferendam ſententiam de præmio & pœna pro benè & malè factis: idquè debet intelligi de Chriſto, vt homine, ita vt officium & exercitium & poteſtas iudicandi verè competat humanitati eius. Sic habetur expreſſè in Sacra Scriptura. Actor. 10. dixit Petrus: *Et præcepit nobis, prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo, Iudex viuorum & mortuorum*. Quòd planè intelligitur de Chriſto vt homine: ideo enim dicitur cōſtitutus à Deo Iudex. Et ſimiliter cap. 17 dixit Paulus: *Statuit diem in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis*. Quod etiam planè intelligitur de Chriſto vt homine. Et Matth. 25. deſcribit ipſe Chriſtus formam vniuerſalis iudicij, *Cùm venerit filius hominis in Maieſtate ſua, &c.* Et ſimiliter deſcribit Apoſtolus 1. ad Theſſal. 4. Vbi cum dicatur filius hominis venturus & deſcenſurus ad iudicandum, planè denotatur, quòd Chriſtus vt homo ſit iudicaturus.

Habetur ex Scriptura.

Præterea, Ioannis 5. dixit ipſe Chriſtus: *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio*. Vbi licet Chryſoſt. & alij Græci Patres, & S. Thom. etiam q. 59. art. 1. cum Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 31., hoc intelligant de Filio ſecundùm diuinitatem: vt ſenſus ſit, Pater non iudicat immediatè in propria perſona, ſed Filius in propria perſona iudicat: vel Pater non iudicat ſolùs abſque Filio, ſed omne iudicium communicat ſimul Filio. Tamen idem Auguſt. tract. 19. in Ioann. & lib. 1. de Trinit. cap. 13., Cyprian. lib. 3. cont. Iudæos cap. 28., Hieron. in Pſal. 74. & alij Latini Patres atque Expoſitores, vt plurimum intelligunt de Filio ſecundùm humanitatem aſſumptam: vt ſenſus ſit, Pater, ſiue Deus, non exercet ſe ſolo immediatè iudicium de ſalute vel perditione hominum, ſed commiſit Chriſto vt immediatè hoc iudicium exerceat. Ità perſpicuè infrà ſubdit: *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*. Vbi rurſus licet Chryſoſt. in priori ſenſu perſiſtat, & vnam periodum terminet in prioribus verbis, *Poteſtatem dedit ei iudicium facere*, & aliam periodum faciat coniunctim cum alijs ſequentibus verbis, *Quia Filius hominis eſt nolite mirari hoc*: Tamen Auguſtin. & alij communiter ita legunt, vt in Vulgata habetur: & intelligunt, quod Chriſto vt homini data ſit iudicandi poteſtas, vel data ſit ei quia homo eſt, ad hoc vt modo ſenſibili & hominibus accomodato iudicium perficiat. Non quidem quaſi humana natura ſit ratio formalis huius conceſſionis, quia ſic omnibus hominibus facta fuiſſet eadem conceſſio: ſed quia talis ſingularis humanitas Chriſti, eſt ſubiectum cui conceſſa eſt hæc poteſtas. Et ita quidem hæc verba accipit & explicat S. Thom. ea quæſt. art. 2., & inde confirmat iudiciariam poteſtatem competere Chriſto ſecundùm quod homo eſt. Ac tandem alia verba quibus concludit ibi Chriſtus: *Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij: Sicut audio iudico, & iudicium meum iuſtum eſt*: hæc inquam omnia intelliguntur de humanitate Chriſti, & de humana ac ſenſibili voce, qua perficietur iudicium. Neque Chryſoſt. abſolutè negauit, Chriſto vt homini commiſſum eſſe officium iudicandi: ſed ſolùm voluit, in hoc loco Ioannis non eſſe ſenſum de Chriſto ſecundùm humanitatem, ſed ſecundùm diuinitatem.

Ex doctrina Eccleſiæ, & conuenientia rei.

Eadem autem veritas de Chriſto ſecundùm humanitatem, expreſſa habetur in omnibus fidei Symbolis, Apoſtolorum, Niceno, & Athanaſij: cùm enim dicatur Chriſtus venturus ad iudicandum viuos & mortuos, planè ſenſus eſt de Chriſto vt homine: ſicut de eodem dicitur, quòd mortuus ſit, & reſurrexit, & aſcendit in cælum. Eademquè eſt communis doctrina Patrum, & ſenſus Fidelium. Rationes quoque ſecundùm conuenientiam reddit S. Thomas eo art. 2. Tum quia Deus operari ſolet per cauſas medias: & ſic per hominem Chriſtum iudicabit homines. Tum quia in finali iudicio fiet reſurrectio mortuorum per Chriſtum:

Digitized by Google

ſtum; & ſic fiet etiam iudicium per Chriſtum. Tum demum conueniens erat, vt videretur Iudex ab omnibus qui iudicandi ſunt, tàm impijs, quam iuſtis: ſed non videbitur Diuinitas ab impijs, ſed benè humanitas Chriſti: ergo Chriſtus vt homo debebat eſſe iudex. Potiſſima tamen & abſoluta ratio huius rei, eſt voluntas Dei qui ita ſtatuit: quæ voluntas fuit ſummè rationabilis, ob has & alias quæ facile cogitari & afferri poſſunt congruentias. Addit rurſus S. Thomas art. 3., hanc iudiciariam poteſtatem fuiſſe Chriſto debitam, tum propter diuinam perſonã cui vnita erat humanitas, tum propter capitis dignitatem, tum propter plenitudinem gratiæ habitualis, tum etiam propter eius merita. Sicut iam de alijs huiuſmodi Chriſti dignitatibus hactenus dicebamus.

Diluitur dubitatio oppoſita.

Ad fundamentum autem dubitandi pro parte oppoſita, reſpondetur facile, Chriſtum dicere voluiſſe, ſe non fuiſſe miſſum tunc, in illo ſcilicet aduentu ſub cãrne paſſibili, ad iudicandum mũdum, ſed ad redimendum genus humanum: per quod non negauit, ſe in alio ſtatu & officio fuiſſe etiam conſtitutum iudicem, & ſe iterum mittendum eſſe in ſecundo ſuo aduentu ad iudicãdum. Item dicere voluiſſe, ſe non iudicare veluti ſe ſolo, & quaſi ſeorſim & ſeparatim à Deo: ſed non negauit, ſe iudicare cõformiter ad iudicium Dei: quinimò hoc affirmauit, ſubdens ibi Ioan. 8., *Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater.* Et ſimiliter, non ſpectare ad ipſum vt hominem, tanquam ad primum auctorem, & independenter à Deo, dare alijs gloriam: ſed non negauit, ſuum officium eſſe dare ſiue adiudicare gloriam ijs, quibus parata & prædeſtinata erat a Deo.

Deinde, ſola quidem voluntas & ſapientia Dei taxauit menſuram præmij & pœnæ, & prædeſtinauit ac reprobauit, ac poſtea voluntas & potentia Dei conferet beatitudinem Sanctis, & inferet damnationem impijs. Tamen præter hos omnes actus, alius actus erit, iubere, decernere, ſiue ſententiam ferre, vt iuſti aſſumantur ad gloriam, impij detrudantur ad pœnam: in quo actu propriè conſiſtit iudicium. Hunc actum non exercebit ſolùm Diuina Maieſtas, ſed etiam Chriſtus ſecundùm humanitatem, ſecundùm animam ſuam, per intellectum & voluntatem humanam: ſicut etiam in vita mortali, Chriſtus per ſuam humanitatem iubendo & imperando, tot opera miraculoſa & ſupernaturalia perficiebat. Hoc autem iudicium Chriſti, erit penitus conforme ad iudiciũ Dei, & iuxta leges diuinæ iuſtitiæ, ac decreta diuinæ prædeſtinationis. Feretur hoc iudicium à Chriſto, ex conceſſione ſeu commiſſione, & veluti delegatione ipſius Dei, qui contulit ei hanc poteſtatem, hanc participationem ſuæ poteſtatis: ſicut antea diximus de Pontificatu, & Monarchia, & Dominio Chriſti. Sed non propterea hoc iudicium Chriſti, erit ſolùm mera promulgatio diuinæ ſententiæ: quod eſſet potiùs officium præconis quàm iudicis: & in hoc videtur non rectè loquutus Scotus. Sed erit vera ſententia, quæ proferetur à Chriſto per modum iuſſionis & imperij. Sicut & Sacerdotes in hac vita ſunt conſtituti iudices ad abſoluendum à peccatis, & veram ſententiam iudicialem proferunt dum abſoluunt. Atque clariſſimè expreſſa fuit hæc forma ſententiæ ab ipſo Chriſto Matth. 25., *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnũ à conſtitutione mundi:* & ex aduerſo, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.*

Chriſtus iudicabit omnes adultos in fine mundi.

Sic etiam ſtante hac Chriſti iudiciaria poteſtate, vlteriùs dubitatur, ad quos actus, ad quod tempus, ad quas perſonas, ad quas res ſe extendat. Sed certò quidem ex ſacris litteris conſtat, quòd Chriſtus exercebit vniuerſale iudicium, in fine mundi, circa omnes homines, qui in hac vita peruenerint ad vſum rationis, atque adeo vel benè vel malè egerint, & exercebit de omnibus rectè aut praue factis, ac retribuet præmium vel ſupplicium æternum. Hoc enim finale iudicium proponitur in Fidei Symbolis. Et hoc expreſſum eſt in ijs Scripturæ locis quę antea adduximus. Ac præſertim de-

ſcriptum fuit à Chriſto apud Matthæū. Vbi quamuis ſpecialiter commemorauit opera miſericordiæ erga proximum, & eorum omiſſionem: tamen ſine dubio, eodem modo iudicium fiet de omnibus bonis operibus, & de omnibus peccatis. Quamuis etiam dixerit Chriſtus Ioann. 3., *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei*: non per hoc dicere voluit, infideles non fore iudicandos in finali iudicio, & fideles nunquam eſſe iudicandos. Sed vel dicere voluit, vt aliqui Patres exponunt, infideles non fore iudicandos iudicio diſcuſſionis, ſed tanquam diſcuſſione iam facta fore damnandos. Vel vt exponunt alij, indicare voluit, tàm manifeſtam eſſe cauſam damnationis in infidelibus, vt videantur veluti ante ſententiam condemnati. Vel, vt ſumitur ex contextu, diuiſio fiet inter omnes iuſtos & impios, ac ſenſus eſt: Qui credit fide viua, quæ ſcilicet per dilectionem operatur, non iudicatur, ideſt non condemnatur: qui autem non credit fide viua, ſed vel penitus non credit, vel nō operatur ſicut fides exigit, iam iudicatus eſt, ideſt iam ex ſe habet reatum ſuæ damnationis, & non eſt Deus auctor perditionis eius. Sic iterum in fine capitis dicitur: *Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt Filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Verè autem omnes homines qui vſum rationis in hac vita habuerint, iudicandi erunt de omnibus ſuis meritis & peccatis. Sic abſque exceptione pronunciauit Apoſtolus 2. Cor. 5., *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*.

Qualiter dicatur iudicaturus viuos & mortuos.

Dicitur autem Chriſtus in illo finali iudicio iudicaturus viuos & mortuos. Vel intelligendo iuſtos & impios, vt exponunt Chryſoſt. homil. de Symbolo, & Auguſt. lib. de Fide & Symb. cap. 8. Vel intelligendo animas & corpora, quia animæ ſemper viuunt, & corpora moriuntur, vt explicat Ruffin. in Expoſit. Symboli. Vel intelligendo illos qui in fine mundi inuenientur viui, & illos qui toto tempore antecedenti obierint, vt exponunt ijdem Chryſoſtom. & Auguſt. ibi. Quamuis etiam illi qui in fine mundi inuenientur viui, adhuc priùs erunt mortis debitum ſoluturi, & ſtatim ſimul cum alijs ſuſcitandi. Vel demum intelligendo, viuos quidem illos qui inueniuntur viui aut victuri deinceps ſunt, quando ea verba dicuntur; mortuos verò illos qui iam defuncti ſunt.

Qualiter iudicabit etiam paruulos.

Sed præter eos homines qui in hac vita rationis vſum obtinuerint, & præter opera ab ijs facta, occurrunt paruuli qui ante rationis vſum deceſſerint, & inuenitur in eis originale peccatum, ſi per Sacramentum iuſtificati non fuerint. Eos ergo non fore iudicandos, docet S. Thomas in 4. diſt. 47. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. & q. 5. de Malo art. 3., & ſimiliter Albert., Carthuſ., & alij ead. diſt.; & Valentia hic diſp. 11. q. 4. puncto 2. Quia nempe ſupponunt, tales paruulos non habituros vllam pœnam ſenſus, nec etiam triſtitiam, nec notitiam de ſuo ſtatu, & de amiſſione gloriæ. At eos etiam fore iudicandos, affirmant Bonauent., Gregor., Sotus, & quidam alij ibi in 4. d. 47., & Franciſcus Somnius tract. de Extremo iudicio cap. 6., Suarez hîc diſp. 57. ſect. 2., Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 4. dub. 4., Bonacina de Incarn. diſp. 3. q. 5. puncto 2. §. 3., D. Auguſt. etiā lib. 3. de Libero arbitr. cap. 23. & ſerm. 14. de Verb. Apoſtoli, & D. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 12. Imò aliqui ſic intelligunt illud Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni*. Et vel hoc fundant, in eo quòd paruuli habituri ſint etiam aliquam pœnam ſenſus, vt planè voluit Auguſt. Vel quòd habituri ſint triſtitiam de amiſſione beatitudinis. Vel ſaltem notitiam de ſuo ſtatu, licèt ob ſummam conformitatem ad voluntatem Dei, nullum de hoc dolorem habebunt.

Sed ſtatuendum quidem eſt, iudiciariam Chriſti poteſtatem ad hos etiam extendi. Non enim debet exceptio & ſubtractio fieri ex ipſa Chriſti poteſtate: Sed ſi hi non iudicabuntur, erit ex incapacitate eorum, non ex defectu pote-

poteſtatis Chriſti. Cenſendum eſt etiã paruulos defunctos in gratia virtute Sacramenti, habituros gloriam ex ſententia Chriſti iudicis. Nam habuerunt gratiam ex merito Chriſti redemptoris. Neque in hoc vlla obuiat difficultas. Cenſendum etiam videtur, ſuper illos quoque paruulos, qui deceſſerunt in originali peccato, caſuram aliquo modo Chriſti iudicis ſententiam; non quidem de igne æterno & pœna ſenſus, ſed de excluſione à gloria & de pœna damni. Et hoc quidem quoad notitiam aliorum hominum, licet fortaſſe non quoad notitiam eorumdem paruulorum. Etenim, cùm iudiciaria Chriſti poteſtas ad hos etiam paruulos extendatur, & reuera hi paruuli excludantur à gloria ob originale peccatum, optime poterit hoc modo in illos cadere Chriſti ſententia. Sed illos non habituros pœnam ſenſus, & incertum eſſe an habituri ſint notitiam de ſuo ſtatu & amiſſione gloriæ ob originale peccatum, diximus iam ſuo loco 1. 2. q. 87. ſect. 8. Et ita poſſunt conciliari aliqui ex Auctoribus allegatis. Locus autem Apocal. non debet intelligi de magnis & puſillis pro adultis & infantibus, ſed de ſolis adultis: nam ſtatim ſubditur, *Et iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecũdum opera ipſorum*. Diſtinguuntur autem magni & puſilli, vel ob differentiam ætatis inter eoſdem adultos, vel ob differentiam meritorum, vel ob differentiam ſtatus quem in hac vita habuerint.

Qualiter iudicabit etiam Angelos.

Rurſus, præter omnes homines, extant Angeli, tum boni & beati, tum praui & damnati. De quibus docet S. Thomas ea quæſt. art. 6. ſubdi quoque iudiciariæ poteſtati Chriſti vt hominis: tum quantum ad diſpenſationem earũ rerum quæ fiunt iuſſu Chriſti per miniſterium Angelorum: tum quantum ad præmia quædam accidentalia ſanctorum Angelorum, & ſimiliter pœnas quaſdam accidentales Dæmonum: non tamen quantum ad præmium & pœnã eſſentialem. Et ita defendunt magis communiter alij Theologi. Sed Bonauent. in 4. d. 47. art. 1. q. 4. vult etiam quoad premium & pœnam eſſentialem Angelos iudicandos fore à Chriſto in vniuerſali iudicio. Approbat Suarez diſp. 57. citata ſect. 8. Et confirmat ex Script. 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciãdos, in iudicium reſeruari*. Et 1. Cor. 6. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus*. Verum, cum Angeli non habuerint gratiã iuſtificantem & gloriam eſſentialem, cum accidentali etiam illam ab initio comitante, ex meritis humanis Chriſti, ſed potius antecedenter & independenter ad prædeſtinationem Chriſti, nõ oportet vt in hoc ſubdantur iudicio Chriſti vt hominis. Sed quia aliquam retributionem accidentalem recipiunt dependenter ex Incarnatione & myſterijs ac operibus Chriſti, bene quoad hanc partem ſubdentur iudicio Chriſti, vt docet S. Thomas. Et hoc eſt magis cõforme ad doctrinam antea traditam de merito Chriſti reſpectu Angelorum. Et de hoc ſolo iudicio debent intelligi illa verba Scripturæ.

Iudicat etiã nunc ſingulas animas in morte hominum.

Vlterius, præter & ante vniuerſale iudicium quod fiet in fine mundi, docent Sacri Doctores & Patres, fieri particulare iudicium vniuſcuiuſque ſtatim in morte ſingulorum, in ipſo nempe mortis inſtanti. Et ſumitur ex Apoſtolo ad Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium*. Et ſequitur ex eo quod diximus 1. 2. de Beatitudine, ſtatim animas ex corpore recedentes admitti ad cæleſtem beatitudinem, ſi nullum adſit impedimentũ, atque adeo alias vel ſtatim deputari pro aliquo tempore ad Purgatorium, vel damnari ad Infernum. Et ante aduentum Chriſti animæ iuſtæ quæ nihil expiandum haberent, ſtatim deſcendebãtur ad Limbum Patrum, cum ſecuritate & expectatione futuræ gloriæ: tunc ergo ſingulæ animæ iudicantur, & ſtatim in exequutione ponitur ſententia: ac poſtea aliud vniuerſale iudicium erit prorſus conforme cum iudicio particulari iam in ſingulorum morte peracto. Hoc ergo iudicium exercetur etiam per Chriſtum: vt omnes Theologi ſentiunt. Vnde S. Thomas ea q. art. 5. ſupponens hoc proximum & particulare iudicium, affert & explicat plures rationes, quare conueniat fieri aliud

vltimum & vniuerſale iudicium. Et ſine dubio, hoc totum cadit ſub iudiciariam Chriſti poteſtatem. Non exercebatur autem hoc iudicium a Chriſto vt homine, ante eius aduentum: ſiquidem tunc adhuc non erat Chriſtus homo. Nec etiam poſt eius aduentum, tempore vitæ mortalis: quia pro eo tempore ipſe dicebat, *Non veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum*. Sed ex quo Chriſtus conſtitutus fuit in ſtatu glorioſo, cepit hoc iudicium exercere. Neque vero putandum eſt, debere hoc iudicium perfici per corporalem præſentiam. Non enim decens eſſet, aut Chriſtum ad ſingulos morientes deſcēdere, aut omnes animas etiam impiorũ & reproborum deferri realiter ad cælũ ante tribunal Chriſti. Sed ſufficienter & optime poteſt hoc iudiciũ perfici intellectuali modo, qui iam proportionatus & accomodatus erit animæ in ſtatu ſeparationis, ita vt ipſamet poſſit optime audire ac percipere ſuam ſententiã latam a Chriſto iudice, & ſtatim experiri eius exequutionem.

Diſpenſat etiam præmia & ſupplicia in vita hominum.

Poſtremo præter huiuſmodi iudicium quod fit in fine vitæ ſingulorum, & fit quoad præmium & ſupplicium æternũ, conſiderari poſſunt alia præmia & ſupplicia partialia, quæ hominibus in hac vita occurrunt, tum quoad res ſpirituales, tum etiam quoad res temporales, vt notum eſt: ſæpe enim immittuntur à Deo flagella pro peccatis, & conferũtur varia dona pro bonis operibus. Quare hoc etiam eſt genus quoddam iudicij: imò ſub hoc genere continentur illa quæ dicuntur occulta iudicia Dei, quatenus plerunque non conſtat, an & ob quæ peccata vel merita Deus quædam aduerſa vel proſpera in hac vita diſpenſet. Hęc ergo etiam iudicia adminiſtrari quoque per Chriſtum vt hominem, dum eſt in ſtatu glorioſo; & cadere ſub eius plenariam poteſtatem & officium iudicandi, affirmant Theologi cum S. Thom. hac quæſt. 59. art. 4. Et ſumi poteſt ex illo Ioann. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio*. Explicat etiã tribus rationibus S. Thomas. Prima; quia cùm anima Chriſti ſit vnita Verbo diuino, ſitque ita plena veritate Verbi, debet ſuper omnia habere iudicium.

Secunda: quia cùm Chriſtus mortuus ſit pro hominibus, promeruit vt omnes & omnia, eius iudicio ſubdantur. Tertia: quia cùm Chriſtus ſit iudex quoad beatitudinem vel perditionem æternã, & omnes res humanæ ordinentur ad finem beatitudinis, & cui committitur principale committatur etiam acceſſorium; inde concludit S. Thomas; *Quod ad iudiciariam poteſtatem Chriſti pertinent omnes res humanæ*.

SECTIO DECIMA.

De Reſurrectione aliorum hominum.

Connexa eſt hominum reſurrectio, non ſolùm cum finali iudicio, vt patet ex proxime dictis: ſed etiam cum ipſa reſurrectione Chriſti, tãquam cũ ſua cauſa, vt tractauit S. Thom. q. 56. Itaque conuenienter ex vtroque capite hoc loco illam inſerimus.

Error negantium reſurrectionem.

Reſurrectionem mortuorum in vniuerſum negarunt antiqui Philoſophi, vt ait Tertullian. lib. de Præſcript. Hæreticor. cap. 7. Vnde de quibuſdam Epicureis & Stoicis, cum audirent Paulum prædicantem reſurrectionem, refertur Actor. 17., quod dixerint, *Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe; quia Ieſum & reſurrectionem annunciabat eis*. Inter Iudæos negabant etiam Sadducei, vt dicitur Matth. 22, *In illa die acceſſerunt ad eum Sadducæi qui dicũt non eſſe reſurrectionem*. Inter Hæreticos autem negarunt, Simon Magus, Cerdon, Marcion, & quidam alij, vt refert Auguſt. lib. de Hæreſib. cap. 18. Aliquorum verò ex Gentilibus, & Sadducęorum ex Iudæis, fundamentum erat, quia non agnoſcebant remanere animam ſeparatam in morte hominis. Sic refert Ioſephus lib. 18. Antiquit. cap. 2. *Sadducæorum opinio cum corpore extinguit ſimul & animas*. Aliorum autem fundamentum fuit, quòd licet in ſe anima permaneret, tamen ijs videbatur impoſſibile, reparari corpus conſumptum & diſperſum, ac vel in cineres reſolutum, vel à feris deuoratum, vel igne combuſtum, vel aliter diſſipatum. Sed aliqui fundabantur potiùs, quòd quamuis id eſſet poſ-

Digitized by Google

poſſibile, tamen non erat conueniens, nec animæ ipſi commodum, iterum corpori reuniri: reputantes ſaltem impoſſibile, reparari corpus ad nouum ſtatum immortalem & impaſſibilem, non grauantem officia animæ.

Statuitur veritas reſurrectionis ex fide.

Notiſſimus tamen Chriſtianæ fidei articulus eſt, homines poſſe diuina virtute reſurgere, ac reuera ſurrecturos ad immortalem vitam. Ita habetur expreſſum paſſim in nouo teſtamento, Matth. 22., Ioann. 5. & 6., Actor. 17. 24. & alijs capitibus, ad Roman. 6., 1. Cor. 15, 2 Cor. 4. & 5, ad Epheſ. 6., 1. ad Theſſal. 4. & alijs in locis, Apocal. 20. & pluries. Habetur etiam ſatis clare in veteri Teſtamento, Iob 14. & 19., Iſaiæ 20. & 66., Ezechielis 37., Danielis 12., 3. Machabæor. 7. & 12., & alia plura loca ſolent ad hanc rem à Patribus afferri & ponderari. Narranturque in vtraque Scriptura plura miracula de quibuſdam mortuis ſuſcitatis: & ita credendum eſt, in fine mundi fore mortuos ſurrecturos ad vitam. Habetur item hic articulus in omnibus fidei Symbolis, Apoſtolorum, Niceno, Athanaſij: & apud omnes Eccleſiæ Patres ac Doctores.

Ratione naturali oſtenditur poſſibilitas reſurrectionis.

Ratione quoque & lumine naturali cognoſci & oſtendi poteſt, poſſibilem ſaltem eſſe diuina virtute mortuorum reſurrectionem. Ex vno quidem capite, quia in vniuerſum poteſt à Deo facillimè reparari & reproduci idem numero indiuiduum quod corruptum fuerat, ac etiam ſi dicatur annihilatum: vt ſtatuimus iam in Philoſ. quæſt. 37. ſect. 10. Ex alio vero capite, quia ſupponimus, animam noſtram eſſe immortalem, nec in obitu hominis interire, ſed ſeparatam à corpore permanere; idque non ſolùm fide, ſed etiam naturali lumine & ratione: vt ſtatuimus item quæſt. 57. Philoſ. ſect. 4. Compertum quoque eſt, materiam qua corpus conſtabat, non poſſe naturaliter deſtrui, ſed omnino in perpetuum permanere. Optimè ergo fieri poterit, vt iterum talis anima & talis materia vniantur: & per hoc reſurgeret idem homo, etiam ſi non reparentur eadem numero accidentia, quæ corrupta erant, aut modus quoque vnionis qui diſſolutus erat. Et ex hoc quidem capite reſurrectionem defendunt illi Doctores, qui alioqui negant poſſe quicquam ſecundùm eam entitatem qua verè corruptũ eſt, iterum reproduci, vt eo priori loco memorauimus. Quare minùs rectè Medina hic q. 53. art. 1., negat demonſtrari ratione poſſibilitatem reſurrectionis.

Nõ tamen ab vlla cauſa naturali poteſt fieri reſurrectio.

Non per hoc tamen, poſſet naturali virtute ab vlla cauſa creata quiſquam ex mortuis ſuſcitari: nulla enim virtus naturalis, nulla creata cauſa, ad hoc ſe extendit. Vnde, licèt Scotus in 4. d. 43. admiſerit, quòd ſi eadem materia ex qua formatum fuerat corpus alicuius hominis, tranſiret in ſanguinem alterius viri vel feminæ, & in vtero feminæ organizaretur, tunc naturaliter redire deberet eadem anima, & ſic regenerari idem homo: tamen nec naturaliter contingit, vt eadem prorſùs materia iterum formetur in humanum corpus: nec ſi formaretur, deberet per hoc rediere eadem anima: nec ſi rediret, id fieret virtute vllius cauſæ creatæ, ſed ſolùm virtute Dei, cuius eſt inducere animam rationalem in corpus, vt fatetur idem Scotus. Omnino autem eo modo quo fiet reſurrectio, nempe non per modum naturalis generationis, ſed per præſentaneam reparationem corporis, non poteſt fieri niſi miraculosè diuina virtute. Sed benè hoc ipſum poteſt agnoſci naturali lumine & diſcurſu. Quia licet naturalis ratio non pertingeret ad illos effectus qui ſunt in ſubſtantia ſupernaturales, vt vnio hypoſtatica, gratia ſanctificans, & ſimiles: tamen benè poteſt aſſequi illos qui ſunt ſupernaturales quoad modum. Quo pacto homo ſuſcitatus, eſt in ſubſtantia eiuſdem prorſus naturæ cùm homine naturaliter genito, ſed factus eſſet ſupernaturali modo: & naturalis ipſa ratio perſuadet, poſſe id fieri à Deo, qui cognoſcitur eſſe auctor omnium rerum, eſtq; virtutis infinitæ. Sicut naturali ipſo diſcurſu aſſequimur, non potuiſſe eſſe hoc vniuerſum niſi factum à Deo, & verè potuiſſe fieri ex nihilo, & debuiſſe fieri duos primos homines modo ſingulari, non per naturalem propagatio-

gationem. Sic ergo idem diſcurſus oſtendit, poſſe mortuum à Deo ſuſcitari, quamuis id fieri non poſſit naturali modo ab vlla cauſa creata.

Nec ratione naturali ſequitur futurā eſſe reſurrectionem.

Nec etiam ratio naturalis aſſequitur, de facto mortuos ſuſcitandos. Dependet enim hoc ex voluntate diuina, & non debetur naturæ, ſed eſt opus prouidentiæ ſupernaturalis, ſicut nempe ſe habent alia miracula. Conſiderari tamen poteſt in hoc magna conuenientia, ob quam valde congruenter & rationabiliter Deus mortuos ſuſcitabit. Nempe, vt ſicut totus homo in anima & corpore viuens, bene aut praue operatus eſt: ita pariter totus homo, & non ſolum in anima, ſed etiam in corpore præmium aut ſupplicium accipiat. Et hanc conuenientiæ rationem frequenter Sacri Doctores obſeruant.

Reſurgent omnes mortui, non ſolùm electi, ſed etiam reprobi.

Itaque reſurgent omnes prorſus homines. Non ſolùm inquam iuſti & electi, ſed etiam impij & reprobi. De impijs quidem oriri poterat dubitatio ex quibuſdam Scripturæ locis inter ſuperius allegata, in quibus promittebatur reſurrectio, tanquam ſpeciale Dei beneficium, hominibus probis & iuſtis. Et expreſsè etiam Pſal. 1. dictum eſt, *Non reſurgent impij in iudicio.* Et 2. Machab. 7. vnus ex ſeptem pueris Regi Antiocho dixit, *Tibi reſurrectio ad vitam non erit.* Sed certum prorſus eſt, non ſolùm omnes iuſtos & pios, ſed etiam improbos & iniquos, fore ſuſcitandos: iuſtos nempe ad vitam felicem & glorioſam, improbos vero ad vitam miſeram & pœnoſam. Ita profitemur in Symbolo Athan. *Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.* Et ita expreſſit ipſe Chriſtus Ioann. 5. *omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala in reſurrectionem iudicij.* Ex quo patet, quandò aliàs videtur reſurrectio promitti tantùm iuſtis, & pijs, & quando videtur impijs denegari, ſumi reſurrectionem ad vitam glorioſam & felicem, ſicut abſolutè nomine vitæ æternæ, intelligitur cæleſtis gloria & beatitudo.

Nō ſolùm adulti, ſed etiam infantes.

Item reſurgent non ſolùm qui in adulta ætate deceſſerint, ac proinde habentes propria opera vel bona vel mala: ſed etiam qui in infantili ætate obierint, ac proinde vel cum ſola gratia ſacramenti, vel cum originali peccato. De infantibus qui in maternis viſceribus moriuntur antequam naſcantur in lucem, videtur dubitare Auguſt. in Enchirid. cap. 85 & lib. 22. de Ciuit. cap. 13. Attamen de his etiam res pro certa habenda eſt: quia ſuppoſito quod animato ſint anima rationali, non debent excipi à communi reſurrectione. Quare nulla humana anima relinquetur à ſuo corpore ſeparata, nullus homo relinquetur æterna corporali morte ſepultus: ſed quicunque aliquando vixerint & defuncti ſint, iterum ad corporalem vitam reducentur. Vnde, quod dictum eſt Danielis 12., *Multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant ſemper:* dictum inquam eſt, multi, pro omnes: vt aliàs inuenitur in ſacris litteris: & in hac re ex alijs locis eſt apertum.

Omnes qui viuūt morientur, & ita reſurgent.

Et quia reuera omnes qui vnquam vixerint morientur, omnes quoque per reſurrectionem reducentur ad vitam. Apoſtolus quidem 1. Theſſal. 4. indicaſſe videtur, illos ſaltem Sanctos, qui ſub aduentum Chriſti ad finale iudicium, inuenientur viui, fore mortis expertes, atque adeo nec reſurrectione indigere. Sic enim ex perſona eorum loqui videtur, *Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, in aduentum Domini non præueniemus eos qui dormierunt: Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi; deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Imò 1. ad Cor. 15. vbi textus Latinus legit, *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur,* græcus ex aduerſo legit, *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur:* quia ſcilicet illi Sancti qui inuenientur in fine viui, non morientur, ſed abſque morte ad ſtatum gloriæ immutabuntur. Atque ita hæc loca intelligunt, & de re ipſa ſentiunt, Chryſoſt.,

Digitized by Google

ſeſt., Theophil., Theodoret., Oecumen. circa eadem loca, Hieron. epiſt. 148. q. 3., Origen. lib. 5. cont. Celſum; Tertullian. lib. de Reſurrect. carnis cap. 41., & alij ex Patribus.

Aſſertio tamen poſita, eſt Theologorum communis in 4. diſt. 43. & cum D. Tho. 1. 2. q. 81. art. 3. Et ſumitur ex generali loquutione Scripturæ de omnium hominum morte: nec ex locis in contrarium allegatis habetur ſufficiens fundamentum faciendi talem exceptionem: ſed potiùs ex illis eadé generalis aſſertio confirmatur, vt in explicatione patebit. Ac ita quidem vt plurimum intelligunt ac ſentiunt Sacri Doctores & Patres. Nempe per varias concuſſiones orbis, & percuſſiones humani generis præceſſuras proximè ante iudicium, interituros eſſe omnes homines, ac ita omnes fore per reſurrectionem reuocandos ad vitam. Apoſtolus ergo ad Theſſal. dicere ſolum voluit, illos qui inuenientur viui prope diem iudicij, fore quidem tranſituros per mortem & reſurrectionem, ſed non per hoc fore citiùs & priùs ſuſcitandos & glorificandos, quam alios iam quidem mortuos, quorum corpora fuerint antéa diſperſa & in cineres reſoluta: quia potiùs perinde erit facile Deo, omnes ſuſcitare, & ſimul in aera rapere & glorificare. In alio loco ad Corinth. ſatis expreſsè Apoſtolus in diſcurſu eius capitis confirmat, omnes homines fore morituros, & omnes fore ſuſcitandos, ſed non omnes fore immutandos in melius, ſcilicet ad vitam felicem & glorioſam. Et ad lectionem textus græci dicendum eſt, in multis codicibus legi, & a pluribus antiquis Patribus referri, *Omnes quidem dormiemus*. Quod in idem redit cum ſenſu textus latini, quia verè omnes viui morientur, & omnes mortui reuiuiſcent. Et verbum dormiendi in hoc ſenſu dicitur de morte, quia refertur ad proximam excitationem. Iuxta alteram verò lectionem ſic poteſt & debet intelligi, *Non omnes dormiemus*, ideſt non omnes in ſepulchro recondemur & diu immorabimur, nō omnes diuturno mortis ſopore tenebimur: quia nempe aliqui citò de morte excitabuntur: vel legendo ſimpliciter, vt habetur in textu græco, *Omnes non dormiemus*; ideſt omnes non permanebimus in ſomno mortis, omnes excitabimus e mortis ſopore: quod prorſus idem eſt ac *Omnes reſurgemus*, vt legit textus Latinus.

Imò vlteriùs D. Tho. & alij Theologi in 4. d. 43. ſignificant, omnium hominum corpora fore in elementa & cineres reſoluenda, atque ex tali ſtatu reparanda: ſic intelligentes illud Geneſ. 3. *Puluis es & in puluerem reuerteris*. Verè tamen hoc non apparet neceſſarium. Sed potiùs modus ille loquendi Apoſtoli ad Theſſal., denotat, eos qui prope iudicium inuenientur viui, non fore ſic conſummendos, & in cineres ac elementa reſoluendos, ſed vt diximus ex ſimplici mortis ſtatu ſuſcitandos. Et idem indicat de omnibus mortuis in eo ſtatu ſuorum corporum in quo inuenientur, Chriſtus Dominus, Ioann. 5., vbi ait, *Qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei*. Quod autem dictum erat Geneſ. 3., intelligitur ſimpliciter de morte, vt Doctores communiter exponunt: quia cadauer ipſum reputatur vt puluis & terra: & quia eſt in ſtatu vt proximè reſoluatur in cineres & elementa. Satis ergo eſt, quod omnes moriantur, & ita omnes quoque reſurgent.

Nō tamen omnes reſoluentur in cineres.

Reſurgetquè vnuſquiſquè in illo eodem corpore, in illa eadem materia, quàm prius habuerat, & in qua defunctus erat: reſumet vnaquæque anima illud ipſum corpus quod depoſuerat, illam ipſam materiam quam informauerat. Ita docere ſolent Sacri Doctores & Patres: & ſatis apertè habetur ex iiſdem Scripturæ locis, in quibus mortuorum reſurrectio promittitur; Eſtquè ſanè rationi congruum: & facit ad perfectam vnitatem hominis reſurgentis. Dico autem illud corpus & materiam in qua vnuſquiſque defunctus erat: quia cùm in progreſſu vitæ variæ partes corporis identidem reſoluantur, & aliæ acquirantur; præcipuè tamen attenditur illa materia quæ in fine informabatur ab anima, & quæ relicta fuit in ſtatu carnis, oſſis, aliarumque

Singuli reſurgent in ſuis proprijs corporibus.

Digitized by Google

rumque partium humani corporis. Sed quia contingere poteſt, vt corpus tunc ſit nimis attenuatum, nec habeat totam materiam ſufficientem ad iuſtam molem humani corporis: & quia in vniuerſum ij quoque qui in iuniori ætate deceſſerint, reſurgent in iuſta corporis magnitudine: ideo fatendum eſt, ſupplendum fore à Deo ex alia materia quicquid deerit. Et veriſimile eſt, reſumendum eſſe ex illa eadem materia quæ in progreſſu vitæ per reſolutionem abierat, inquantum ſuppetet. Et quia rurſus contingere etiam poterit, vt per varias corporum transmutationes, eadem materiæ pars ſucceſſiue fuerit in diuerſis hominibus: non oportet ſolicite quærere, cui nam tribuetur: ſed hæc determinatio ac diſtributio ad diuinam prouidentiam pertinebit. Veriſimile etiam eſt, eũdem numero vnionis modum reparandum fore inter talem animam & tale corpus: quia licèt id non ſit de neceſſitate veræ reſurrectionis, vt notauit D. Tho. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 2., tamen cùm reuera fieri poſſit, ita faciendum videtur.

Reſurgent in ſua organizatione membrorum.

Reſurgent item omnes & ſinguli homines in illa organizatione corporis & diſtinctione membrorum, quæ connaturalis eſt humanæ naturæ. Origenes quidem ſuſpectus fuit quod hoc negauerit. Sed eum ab hoc errore vindicat Sixtus Senenſis lib. 5. annot. 143. Et planè hic modus reſurrectionis quem dicimus, eſt de mente Scripturæ & Patrum. Vnde & Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem habebat manus, pedes, latus, & ſic vtique omnia alia membra ſicut priùs. Quare notant Theologi in 4. d. 44., reſurrecturos etiam homines cum diſtinctione ſexus, & ſingulos quidem in eodem ſexu quem in vita mortali habuerant. Et de ſingulis quoque partibus & membris cenſendum eſt, reparanda fore in eodem ſtatu organico quem habuerant: nec eſſe conuertendam materiam v. g. capitis in pedes, aut alio modo: ſed potius idem fore caput, eoſdem pedes, & ſic de ſingulis membris. Quamuis enim D. Auguſt. lib. 2. de Ciuit. cap. 19. notauerit, id non eſſe de neceſſitate reſurrectionis & vnitate reſurgentis: tamen erit ſaltem de maiori perfectione & vnitate: & ita ſentit D. Thomas & alij Theologi eadem diſtinctione. Aduertunt autem non oportere, vt eadem numero accidentia reparentur: ſaltem loquendo de illis accidentibus, quæ in ipſomet decurſu humanæ vitæ continuæ mutationi ſubduntur. Alioqui non ſolùm putandum eſt permanere eadem accidentia quæ nunquam variantur, vt eædem potentiæ ſpiritnales in anima, & ſi placet eadem quantitas in materia. Sed etiam veriſimile eſt, reparanda eſſe eadem accidentia quæ in vita quidem variari non ſolent, ſed in morte deperduntur, vt potentiæ vitales corporeæ. Atque ita in ijſdem potentijs quibus homo bene vel male operatus erat, percipiat quoque talium operum præmia vel ſupplicia.

SECTIO VNDECIMA.

Quo tempore ſinguli homines reſurgent.

Omnes reſurgent in eodem extremi iudicij die.

SVſcitabuntur omnes eodem iudicij finalis die, & non antea, niſi qui dicantur reſurrexiſſe iam cum Chriſto ad vitam glorioſam, vt antea retulimus. Difficultatem circa hoc intulit olim quidam locus Apocal., nempe cap. 20., vbi de iuſtis dicitur, *Vixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis, cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni, hæc eſt reſurrectio prima*: Propter quem locum Cherintus, Marcion, & Chiliaſtæ Hæretici, atque ex noſtris Doctoribus, Papias, Irenæus, Tertullian., Lactant. apud Gennadium lib. de Eccleſiaſt. dogmatib. cap. 6., putarunt, iuſtos quidem ſuſcitandos mille annis ante extremum iudicium, vel omnes ſimul, vel ſucceſſiue intra ſpacium mille annorum & victuros cum Chriſto hic in terris, in maxima felicitate & commoditate, & corporalibus etiam delicijs. Hoc tamen eſt prorſus falſum, & contra veram fidem. Et ita ſentiunt omnes Theologi, ac reliqui Sacri Doctores &

Digitized by Google

Atque ex alijs Scripturæ locis & Patres apertè habetur, reſurrectionem tàm iuſtorum quàm impiorum, futuram in nouiſſimo die, quo imminebit extremum iudicium, quo iuſti illicò ſubleuandi erunt ad cæleſtem patriam. Ita prædixit Iob cap. 19., & expreſſit Chriſtus Ioannis 5. & 6., & Apoſtolus 1. Corinth. 15. & 1. Theſſalonic. 4. Alius etiam error eſt, tribuere Sanctis poſt reſurrectionem, corporales delicias & commoditates terrenas, quales in hac vita reperiuntur. Locum autem illum Apocal., ſacri Doctores exponunt de vita & reſurrectione ſpirituali iuſtorum quoad animam, in præſenti ſæculo, ſignificato per millenarium. Hæc eſt enim reſurrectio prima, qua animæ Sanctorum per totum ſpatium huius ſæculi, ſuſcitantur per gratiam à morte, & transferuntur etiã ad vitam æternam gloriæ, quæ quidem non contingit impijs: Sed poſtea in fine mundi fiet reſurrectio ſecunda, ſcilicet ad vitam etiam corporalem: & iuſti quidem ſuſcitabuntur ad vitam felicem & glorioſam traducendam in cælis: impij verò ad vitam infelicem & miſeram detrudendi in infernum, quæ proinde dicitur mors ſecunda, ſcilicet poſt primam mortem ſpiritualem animæ per peccatum & damnationem. Atque hic ſenſus ſatis clarè colligitur ex ipſo contextu illius capitis.

In aurora illius diei.

Adduntque Theologi in 4. d. 43, reſurrectionem faciendam veriſimiliter fore in aurora illius diei, nempe hora qua reſurrexit Chriſtus: & quia conſequenter faciendum erit ſtatim iudiciũ: nec interponi debebit mora temporis inter ſuſcitationem & congregationem hominum ac ipſum finale iudicium. Item Anſelmus in Elucidario, & Lactant. lib. 7. Diuinar. inſtit. cap. 19. dicunt, reſurrectionẽ fore in die Paſchatis quo celebratur reſurrectio Chriſti, vt nempe magis reſurrectio hominum cum reſurrectione Chriſti, etiam quoad tempus, correſpondeat. Hieronym. tamen ſuper Matth. 25., Ambroſ. lib. 8. in Lucam, Auguſt. lib. 83. quæſtionum q. 57., & quidam alij, indicant, reſurrectionem futuram intempeſta nocte, ex illis verbis Chriſti apud Matth., *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit.* Verùm noctem dixit Chriſtus ad ſignificandum tempus repentinum & inexpectatum, quando adueniet Chriſtus ad iudicandum: vt patet ex intento eius parabolę. Quo planè ſenſu dixit Apoſtolus 1. Theſſal. 5., *Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet, cùm enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Vel ſenſus eſt, nocte illa præcedenti interituros fore omnes qui ad illud vſque tẽpus vitam duxerint, vt poſtea illuceſcẽte die omnes reſurgãt.

Reſurgent omnes ſimul.

Reſurgent autem omnes ſimul, & abſque vllo certo diſcrimine vel ordine; vt docere ſolent Theologi in 4. diſt. 43. Caietanus quidem ſuper 1. Cor. 15., putauit, priùs ſuſcitandos eſſe omnes iuſtos & electos, ac deinde impios & reprobos. Idque tradiderant Theodoret., Theophilact., Oecumen. ſuper 1. Theſſal. 4. Propter verba Apoſt. ibi ad Corinth., *In Chriſto omnes viuificabuntur; vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti, deinde finis*: Et rurſus ibi ad Theſſal., *Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi.* Aliter Scotus, Riccard., Durand. in 4. diſt. 43. volunt, priùs ſuſcitandos eſſe illos qui antea defuncti fuerint, & poſtea alios qui prope tempus iudicij viuentes inuenti, interibunt imminente ipſo iudicio. Et ſic intelligunt verba allegata & conſequentia Apoſtoli ad Theſſal., *Deinde nos qui viuimus ſimul rapiemur cum illis.*

Abſque certo diſcrimine temporis.

Certè tamen non oportet talem diſtinctionem & ordinem inducere. Sed potiùs ex verbis Chriſti & eiuſdem Apoſtoli colligitur, omnes ſimul fore ſuſcitandos. Sic enim dixit Chriſtus Ioannis 5., *Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei, & procedent &c.* Et Apoſtolus eodem loco ad Corinth., *In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti*: Et ita ſentiunt Chryſoſt., Cyrill., Rupert., Euthym. in eum locum Ioannis, Hippolitus Martyr lib. de Conſummat. ſæculi, Gennadius lib. de Eccleſiaſt. dogmatib. cap. 6., & alij. Neque enim ad ſu-ſcitationem per te requiretur ſpatiũ temporis

ſcitandos quoſdam poſt alios; nec ad diſparitatem inter electos ac reprobos, ſiue inter eos qui ante aut poſt mortui ſunt, quicquam faciet diſtinctio & pręceſſio temporis, in communi illa reſurrectione. Apoſtolus verò eo loco ad Corinth. loquebatur potiùs de ordine dignitatis, quo pacto reuera ſinguli reſurgent in ſuo gradu & ſtatu, poſt Chriſtum qui eſt princeps omnium; ita tamen vt ſimul tempore cum electis reſurgant etiam reprobi, & deinde ſequatur finis, ideſt finale iudicium. In alio loco ad Theſſalonicenſes, Vel ſimiliter loquutus eſt ordine dignitatis. Vel ordine temporis inter reſurrectionem & raptum, ideſt priùs reſurgent mortui, ac deinde rapientur in aera. Vel etiam comparationem faciẽdo inter ipſos homines, ſcilicet antea & poſtea defunctos; antea defuncti reſurgent primi, ideſt non poſt alios. Quia enim oriri poterat dubium de tardiori reſurrectione eorum qui iam pridem obierant & conſumpti erant; ad remouendam hãc dubitationem dixit, reſurgent primi, dicere volens, non reſurgent tardiùs quã alij qui prope illam horam viui inuenti fuerant. Sicut conſueto modo loquendi, quando dubitari poteſt, num aliqui ſint poſteriores alijs, dicere ſolemus illi ſunt primi & deinde alij, ad denotandum illos non eſſe poſteriores alijs. Et ſicut in parabola operariorum Matth. 20., cùm Paterfamilias iuberet pariter dari denarium diurnum, ijs qui vocati erant vltima hora, ſicut ijs qui vocati erant prima hora, dixit, *Incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.*

Proximè ante reſurrectionem colligentur ſingulorũ corpora ab Angelis cuſtodibus.

Proximè autem ante reſurrectionem, colligi & coadunari debebit integrum corpus vniuſcuiuſq; quoad omnes partes materiæ requiſitas ad integram molem eius; colligi inquam debebit, loquendò de ijs corporibus, quæ reſoluta & in partes diſperſa antea fuerint. Fietque hæc collectio miniſterio Angelorũ, vt omnes Theologi docent, & habetur ex verbis Chriſti, Matth. 24., *Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Vbi quamuis ſenſus ſit de congregatione electorum poſt reſurrectionem; tamen inde deducitur collectionem etiã corporum ante reſurrectionem fieri quoque debere per Angelos. Et credibile eſt, hoc miniſterium perficiendum eſſe per Angelos cuſtodes ſingulorum. Idquè etiam circa homines impios ac reprobos: quia ipſum opus reſurrectionis, eſt opus diuinum ac ſupernaturale, atque adeo dignum talibus miniſtris. Qua ratione ſpectat nunc ad curam eorundem Angelorum, attendere & diſpicere, quæ ſint partes illius materiæ qua ſingulorum corpora conſtabant, & in quæ loca diſpergantur, vt poſſint deinde ab ijs colligi. Et vbi oportebit ſupplere partem materiæ, vel determinare cui corpori certa aliqua pars attribuenda ſit, inſtruentur à Deo. Admittendum autem eſt hoc miniſterium Angelorum in reſurrectione hominum; quamuis in prima formatione humani corporis ex limo terræ, non fuerit opus tali miniſterio, quia in promptu & parata erat tota materia, nempe limus terræ, ex qua formandum erat corpus Adami; vt notauimus 1. par. quæſt. 75. ſect. 1.

Colligẽtur in proprijs locis, & ibi ſuſcitabuntur.

Putauit quoque Sotus in 4. d. 43. q. 2. art. 5., omnia corpora fore priùs ſic ab Angelis colligenda & congerenda in quendam communem locum, videlicet in vallem Ioſaphath, vbi faciendum erit iudicium, & ibi ſimul omnes homines fore ſuſcitandos. Magis tamen conſonum Scripturæ videtur, ſingulos homines ſuſcitandos in ſuis varijs locis, vbi eorum corpora ſiue oſſa, ſaltem pro maiori parte, inuenientur; atque ita per ſingula loca colligendas eſſe alias partes diſperſas quæ deerant; & ſubinde poſt reſurrectionem ex ijs locis conducẽdos eſſe omnes ſuſcitatos in illum communem locum, vbi faciendum eſt iudicium. Ita ſanè colligitur ex pręallegatis verbis Chriſti; cùm enim dicantur cõgregandi omnes electi à quatuor ventis, indicatur quòd priùs erunt ſuſcitati in varijs locis per totum orbem, & tunc congregabuntur. Et ita intelligit Chryſoſtom. homil 8. in Epiſt 1. ad Theſſal., *Quòd dicit congregandos eſſe, reſurrecturos quidem vbique ſimpliciter dicit, congregandos verò ab Angelis.* Itemquè alia verba apud Ioannem, quòd mortui qui in monumentis ſunt, audiẽt vocem

Digitized by Google

vocem Filij Dei, & procedent alij in reſurrectionem vitæ, & alij in reſurrectionem iudicij, idem denotant. Si quæ verò corpora inuenientur penitus in flammam vel in aerem reſoluta, conueniet dicere, fore adhuc in aliquem terreſtrem locum colligenda. Et vel hic erit idem locus in quo tales homines ſepulti aut defuncti fuerant, vt inde etiam viui ad communem locum iudicij deducantur: Vel erit idem locus in quo faciendum erit iudicium, iuxta diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ. Statim autem atque ſuſcitati fuerint, omnes deducentur ab Angelis ad locum in quo faciendum eſt iudicium: quod quidem velociſſime intra modicum tempus fiet. Et electi quidem, ipſimet ſua agilitate ſequentes Angelos ductores ſuos, in eum locum euolabunt: reprobi vero violenter exportabuntur, vel ab iiſdem ſuis Angelis cuſtodibus, vel potiùs a prauis Angelis ſuis oppugnatoribus.

SECTIO DVODECIMA.

Qualiter homines reſurgent virtute Chriſti.

Reſurrectio verè fiet virtute Chriſti.

CÆterùm videndum iam eſt, qualiter hæc hominum reſurrectio fiet virtute Chriſti. Abſolutè enim dici debere quod fiet virtute Chriſti, patet ex illis verbis eius apud Matthæum, *Mittet Angelos ſuos &c.* Et apud Ioannem, *Omnes qui in monumentis ſunt audient vocẽ Filij Dei.* Et eodem cap. 5., *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat.* Idem expreſſit Apoſtolus 1. Corinth. 15., *Quoniam quidem per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

Qualiter Chriſtus efficiet noſtram reſurrectionem.

Iuxta hæc D. Thomas quæſt. 56 art. 1. docet, Chriſtum eſſe cauſam effectiuam noſtræ reſurrectionis plane loquens de Chriſto ſecundùm humanitatem; & ſpecialiter docet, reſurrectionem ipſã Chriſti eſſe cauſã reſurrectionis noſtræ. Idquè aliqui Thomiſtæ, & Valent. hic q. 5. de Myſterijs Chriſti puncto 1. intelligunt: & defendunt per veram & propriam cauſalitatem phyſicam: Suarez verò diſput. 50. ſect. 4. explicat & defendit, cauſam phyſicam effectiuam noſtræ reſurrectionis, eſſe quidem humanitatem Chriſti: ſed reſurrectionem eius non eſſe hoc modo cauſam, ſi ſumatur formaliter pro actione qua ſuſcitatus eſt Chriſtus, ſed tantùm ſi ſumatur pro termino eius actionis, nempe pro humanitate ipſa viuente: quod non eſt dicere quicquam diuerſum ab ipſa humanitate. Addit autem, inſtrumentum quo mediante Chriſtus efficiet reſurrectionem noſtram, fore vocẽ illam formandam iuſſu Chriſti, & miniſterio Angelorum: de qua dixit Apoſtolus eo loco ad Theſſal., *Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi*: & alio loco ad Corinth., *In nouiſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti*, & Chriſtus ipſe eo loco Ioannis, *Qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei.* Bonacina demum diſp. 3. q. 5. puncto 1. num. 21. ait, Chriſtum fore cauſam phyſicam inſtrumentalem noſtræ reſurrectionis mediante ſua voluntate.

Non efficiet cauſalitate phyſica ſecundùm ſuam humanitatẽ.

Verùm, iam antea quæſt. 13. circa virtutem Chriſti ad operanda miracula, ex doctrina generali à nobis tradita 1. par. q. 48., ſatis diximus, non oportere nec poſſe fieri, vt humanitas Chriſti ſit proprie & directè cauſa phyſica effectiua talium operum, ad quæ non habet per ſe vim & proportionem. Rurſus ſpecialiter impoſſibile eſt, vt reſurrectio ipſa Chriſti, ſi ſumatur pro actione quæ tranſiuit & præterijt, adhibeatur poſtea tanquam principium ſeu inſtrumentum phyſicum ad efficiẽdam noſtrã reſurrectionem: quia prorſus cogitari non poteſt, vllam rem quæ actu non ſit, ſed tantùm antea fuerit, eſſe principium phyſicum vllius effectus vel operationis. Inſuper de nouo nunc impoſſibile eſt, vt vox formanda per Angelos, adhibeatur tanquam principium ſeu inſtrumentum phyſicũ humanitatis Chriſti ad efficiendam noſtram reſurrectionem. Vel enim id fieret, quia Chriſti humanitas immitteret &

Digitized by Google

& imprimeret qualitatem & virtutem aliquam in illa voce, operatiuam talis effectus. Et nec res ipſa patitur talem qualitatem & virtutem: nec Suarez admittit, hoc modo eleuari inſtrumentum ad effectus improportionatos & ſuperiores, per virtutem ſuperadditam. Vel id fieret, quia humanitas Chriſti vteretur immediatè ipſa voce, ratione virtutis eius intrinſecę obedientialis, ad ſuſcitandos mortuos. Et nec reſpectu Dei nos agnoſcimus talem vſum inſtrumenti, & talem virtutem obedientialem ad effectus improportionatos; nec Suarez hactenus talem vſum conceſſerat niſi ſoli Deo, nec poſuerat talē virtutem obedientialem niſi reſpectu Dei. Quare non debet nunc dici, quod humanitas ipſa Chriſti, vel vlla res creata, poſſit aſſumere huiuſmodi inſtrumentum improportionatum, ad efficiendum phyſicè ſuperiorem effectū: neque in ſono & voce, aut alia re creata, debet induci virtus obedientialis reſpectu alterius agentis creati, quæ ab illo adhiberi & eleuari queat ad producendum effectum improportionatum ſibi & ipſi agenti creato. Et hæc omnia ſimiliter procedunt de voluntate Chriſti.

Efficiet cauſalitate phyſica ſecundùm Diuinitatem. Aliter ergo explicandum eſt, qualiter Chriſtus ſit cauſa noſtrę reſurrectionis. Eſt cauſa primaria & principalis, inquantum eſt Deus, & per diuinam virtutem, nempe indiuiſim, cum Patre & Spiritu ſancto: vt habetur ex illis verbis Chriſti, *Sicut Pater ſuſcitat mortuos ſic & Filius*. Et res eſt clara de omnibus operibus Dei ad extra. Neque de hoc vlla ſuperat difficultas.

Secundùm humanitatem erit cauſa meritoria ratione ſuæ paſſionis. Deinde Chriſtus vt homo, & per ſuā humanitatem, eſt cauſa noſtrę reſurrectionis meritoria moralis. Hoc præſertim expreſſit Apoſtolus cum illa comparatione, vt ſicut per primum hominem Adamum inducta eſt mors, ſcilicet cauſalitate morali per modum meriti, ita per meritum Chriſti inducta eſt reſurrectio mortuorum. Et ſpecialiter quidem reſurrectio electorum eſt effectus reſurrectionis Chriſti, cùm ſit illis magnum beneficium, & fundamentum completę felicitatis & glorię corporis. Reſurrectio autem damnatorum, quatenus redundat in maius eorum ſupplicium, non dicetur hoc modo effectus meritorum Chriſti: ſed tamen quatenus redundat in gloriam ipſius Chriſti, oſtendens & manifeſtans dominium eius, & ſpectans ad vindictam inimicorum eius, cadit quoque ſub meritum Chriſti. Dici autem debebit Chriſtus eſſe cauſa meritoria reſurrectionis noſtræ, non quidem per reſurrectionem ſuam, ſed per paſſionem & mortem ſuam, vt etiam aduertit S. Tho. hic q. 56. art. 1. ad 3. & 4. Quia Chriſtus verè non meruit ampliùs reſurgendo, ſed omne ſuum meritum conſummauit in morte.

Erit cauſa effectiua moralis ratione ſuæ poteſtatis. Rurſus, Chriſtus vt homo eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, effectiua moralis, eo nempe modo quo diximus, effeciſſe miracula; & quo, dum vitam mortalē duxit in terra, aliquos mortuos ſuſcitauit. Sic enim dixit Athanaſ. ſerm. 4. cont. Arian., quod ſicut Chriſtus ſuſcitauit olim Lazarum, ita ſuſcitabit ſuo tempore omnes. Quæ cauſalitas conſiſtit in hoc, quod cum Deus ſtatuerit & promiſſerit Chriſto facere quæcunque ille vellet, Chriſtus volens efficaciter vt aliquid fiat, eſt cauſa vt ita fiat; volens vt mortui reſurgant, eſt cauſa vt mortui reſurgant: & hoc Deus non faciet niſi conſequenter ex voluntate Chriſti. Atque hoc pacto poteſt intelligi illud Chriſti, ſi ad humanam voluntatem referatur, Ioannis 5. *Filius quos vult viuificat*. Volet autem Chriſtus viuificare omnes, nō ſolùm inquam electos, ſed etiam damnatos: & ita ſub hoc genere cauſalitatis eodem modo ſuſcitabit omnes. Hoc item genere & modo cauſalitatis dici poteſt & debet concurrere reſurrectio ipſa Chriſti, quãuis præterita, ad reſurrectionem futuram noſtram: quia nempe Deus ſtatuerit, vt non niſi ſuppoſita reſurrectione Chriſti, ſuſcitarentur alij ad vitam immortalem: & Chriſtus ipſe non niſi ſuppoſita reſurrectione ſua, vult & facit vt alij reſurgant. Quare reſurrectio ipſa Chriſti ſe habet vt conditio neceſſaria ad reſurrectionem aliorum; neceſſaria inquam non ex natura rei, ſed ex voluntate Dei & Chriſti, fundata tamen in conuenientia ipſius rei. Vnde Chri-

Digitized by Google

Chriſtus dictus eſt Primogenitus mortuorum, Primitiæ reſurgentium. Sic Caiet. hic q. 56. art. 1. reſurrectionem Chriſti vocat conditionem inſtrumentalem ad reſurrectionem noſtram. Et S. Tho. ipſe non aliter explicat, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam reſurrectionis noſtræ: niſi quia debito ordine, *Verbum Dei primò tribuit vitam immortalem corpori ſibi naturaliter vnito, & per ipſum operatur reſurrectionem in hominibus alijs*. Dici quoque poteſt ac debet fore hoc modò inſtrumentum ad reſurrectionem hominum, vocem illam ſeu ſonitum tubæ, ſiue proferendam immediate à Chriſto, ſiue formandam ab vno aut pluribus Angelis, more præconis, iuſſu & nomine Chriſti: & creditur quidem fore vox & oratio articulata, vtpote *Surgite mortui & venite ad iudicium*, aut alio ſimili modo. Eo nempe pacto, quo vox Chriſti fuit inſtrumentum ad ſuſcitandum Lazarum, cui dixit, *Lazare veni foras*: & adoleſcenti, cui dixit, *Adoleſcens tibi dico ſurge*: & ſicut vnctio oculorum cæci, fuit inſtrumentum ad illum illuminandum. Quia nempe ex voluntate Chriſti, facta tali actione, prolata tali voce, ſequitur effectus. Et ſic dictum eſt, *Qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei*, & ideo reſurgent. Non quidem quòd corporaliter audire dicuntur. Sed metaphoricè dicuntur audire ſeu obedire, pro eo quod eſt in ipſis fieri quod Chriſtus iuſſerit, ſicut dicitur de alijs rebus inſenſatis. Vel quia verè animæ ſpiritualiter audient, & ſtatim ſua corpora ſument.

Demum humanitas, & propriè reſurrectio ipſa Chriſti, erit cauſa exemplaris reſurrectionis noſtræ. Hoc ſatis explicat S. Thomas. Et ad hoc facit illud pronunciatum, *Primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum*. Et in re præſenti, ad hoc ſpectat quod dixit Apoſtolus ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et alia quæ dicuntur de ſimilitudine & ſocietate electorum cum Chriſto in gloria. Quare, vt aduertit S. Thomas, hoc genus cauſalitatis de reſurrectione Chriſti propriè dicitur in ordine ad reſurrectionem electorum, qui ſcilicet ad vitam glorioſam reſurgent. Et conſiſtet hæc conformitas in illis perfectionibus naturalibus, & præcipuè glorioſis, nempe Impaſſibilitate, Agilitate, Subtilitate, & Claritate, de quibus tractauimus circa reſurrectionem ipſius Chriſti.

Erit cauſa exemplaris ratione eiuſdem ſuæ reſurrectionis.

QVÆ

QVAESTIO SEXAGESIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Et Primò De Eſſentia Sacramenti.

Ordinis ratio.

OPTIMA ordinis ratione, poſt præcedentem tractationem de Chriſto Domino eiuſque Myſterijs, ſequitur præſens de Sacramentis. Adæquatè quidem de omnibus, non ſolùm nouæ, ſed etiam antiquæ legis, ſiue ſcriptæ, ſiue naturalis: quoniam dicebant quoque ordinem ad Chriſtum venturum, ab eoque efficaciam ſiue ſignificationem habebant. Propter quod conſultò videtur S. Thomas in huius quæſtionis præfatione dixiſſe, conſiderandum eſſe de Eccleſiæ ſacramentis, quæ ab ipſo Verbo incarnato efficaciam habent. Principaliter verò & ſpecialiter agendum eſt de ſacramentis euangelicis nouæ legis, quæ ab ipſo Chriſto Domino non ſolùm totam ſuam efficaciam & valorem habent, ſed & inſtituta ſuæque Eccleſiæ tradita fuere, nobiſque maximè ſalutaria extant.

Totaque hæc tractatio ſic optimè diſponitur, vt priùs de ſacramentis in genere, poſtmodum de ſingulis in ſpeciali tractetur. Atque in primis, de ſacramentis in genere non curauit diſtinctè quærere S. Tho., an ſacramenta ſint & olim fuerint: tanquam rem notiſſimam ſupponens, eſſe & fuiſſe. Sed ſtatim incipit ſacramenti eſſentiam perſcrutari. In huiuſmodi tamen rebus moralibus, ad quæſtionem An eſt, propriè ſpectat de neceſſitate & conuenientia earum. Non prætermiſit de hac agere S. Thomas: agit tamen quæſtione ſequenti. Quoniam oportebat priùs perſpectam habere eſſentiam ſacramenti, ad videndam hanc neceſſitatem. Quamuis alioqui, quæſtio de neceſſitate videretur præcedere debuiſſe, ſicut ſolet in alijs moralibus materijs obſeruari: & ſicut ab initio huius tertiæ partis, priùs tractatum erat de conuenientia, quàm de eſſentia & quidditate Incarnationis. Sed nihilominus, tum ob præfatam rationem, tum ne præſentem D. Tho. ordinem immutemus, priùs etiam nos de ſacramenti eſſentia aggredimur pertractare.

Sacramenti nomen.

Sacramenti nomen, non vtique in primæua ſui origine impoſitum fuit ad ſignificanda ſpecialiter & præcisè, ea quæ modò nos hîc intelligimus ſacramenta. Quin potiùs amplè dicebatur ſacramentum, quaſi ſacrum quid; & ſignificabat rem quamcunque ſacram. Vnde etiam depoſitum & pignus concreditum loco ſacro, olim apud Romanos dicebatur ſacramentum. Frequenter etiam Iuramentum, tàm apud Gentiles, quàm apud Fideles, & in iure tàm ciuili quàm canonico, appellatum inuenitur ſacramentum. Aut ſacramentum dicebatur quaſi ſecretum, & ſignificabat rem abſconditam & occultam. Quo ſenſu in Scriptura ipſa dictum eſt Tobiæ 12., *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Aut vtranque acceptionem coniungendo, dicebatur ſacramentum, quaſi ſacrum ſecretum,

ſacrum

Digitized by Google

ſacrum arcanum: quod & præcipuè denotatur Græca voce *Myſterium*. In hoc ſenſu inuenitur ſæpè nomen ſacramenti in textu latino, & myſterij in textu græco Scripturæ. Sapient. 2. *Neſcierunt ſacramenta Dei*. Et 1. ad Timoth. 3. *Magnum pietatis ſacramentum*. Itemque ad Epheſ. 1. & 3. & alibi. Et rurſus, non ſolum accipitur pro re ipſa ſecreta, quæ per ſigna aliqua innoteſcere poteſt: ſed etiam pro ipſo ſigno indicante & inuoluente rem abſconditam & ſecretam: vt colligitur ex Daniel. 2. & Apocal. 1. & 17. Et quia rationabiliter ſignum ipſum indicans rem ſacram ſecretam, dici etiam poteſt ſacrum ſecretum.

Hinc à Sanctis Patribus & Fidelibus ſumptum hoc nomen eſt, & peculiariter applicatum & attributum illis cæremonijs & rebus, quæ communiter in Eccleſia ſacramenta vocantur. Quia cùm actiones ipſæ ſacramentorum, apparentes & conſpicuæ ſint, tamen claudunt res reconditas & arcanas, habentque virtutem & ſignificationem occultam. Quamuis hoc ſacramenti nomen, non in ſacris litteris inueniatur ſpecialiter de his noſtris ſacramentis, videlicet Baptiſmo, Eucharistia, & cœteris: niſi fortè de Matrimonio, ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*. Vnde noui huius ſæculi Hæretici, non contenti totam de rebus in hac materia catholicam turbare doctrinam; ne nomen quidem ſacramenti reliquerunt intactum. Satis tamen eſſe debet, amplam illam acceptionem ſacramenti, quæ in ſacra Scriptura inuenitur, noſtris ſacramentis optimè conuenire, & iam ab antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, apud ſacros Doctores omneſque Fideles, in vulgari etiam idiomate, ſic eſſe adaptatum atque receptum. Sacramenti ergo ſic ſumpti eſſentiam & conſtitutionem, per octo articulos in ſua quæſtione S. Thomas exponit.

Primò docet, ſacramentum poſſe dici, vel quia in ſe habet aliquam ſanctitatem, vel quia habet ordinem per modum ſigni: & hoc vltimò modo hic ſumi, & ita poni ſub genere ſigni. Secundo, non omne rei ſacræ ſignum, ſed tantùm rei ſacræ inquantum ſanctificantis hominem, eſſe ſacramentum de quo hic agitur. Tertio, hoc ſacramentum, quia propriè dicitur, quod ordinatur ad ſignificandam noſtram ſanctificationem, tria inuoluere: cauſam ſanctificationis, quæ eſt paſſio Chriſti; formam, quæ eſt gratia; & finem, idest vitam æternam. Quarto, ad ſacramenta requiri res ſenſibiles, vt proportionata ſint homini, qui ſenſuum miniſterio regitur. Quinto, res has à Deo ipſo determinatas eſſe in ſacramentis: quia cùm referantur ad ſanctificationem hominis, hæc non eſt niſi in poteſtate Dei. Sexto, præter res, conuenienter in ſacramentis adhiberi verba: tum vt magis conformentur Verbo incarnato: tum vt magis accomodata ſint homini, qui corpore & anima conſtat: tum vt expreſſiorem ſignificationem habeant, quia verba inter homines ſunt præcipua ſigna. Septimò, hæc verba in ſacramentis debere eſſe determinata: eo magis quia ipſa verba determinant res, tanquam forma materiam. Octauò demum docet, ſi talis mutatio fiat in verbis ſacramentorum, qua vel tollatur debita intentio miniſtri, vel corrumpatur ſubſtantialis ſenſus formæ, ſiue addendo ſiue detrahendo aliquod verbum; tunc non confici ſacramentum: ſi autem mutatio non ſit ſubſtantialis, non reddi irritum ſacramentum. *Articulorum ſumma.*

SECTIO PRIMA.

Vtrum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile ſacrum diuinitùs inſtitutum.

AD deſignandum quid ſit ſacramentum, plures definitiones excogitatæ ſunt, & excogitari poſſunt: quas omnes congerere non oportet. Sed per plures gradus atque conditiones inueſtiganda eſt eſſentia ſacramenti: ex quibus tandem apta & completa definitio colligetur.

Primò. Sacramentum eſt ſignum. Ita S. Tho. art. 1. Magiſter in 4. diſt. 1. aliique Theologi omnes. Sumitur ex Script. Nam Geneſ. 13. circumciſio, quod erat præcipuum inter vetera ſa[illegible] era[illegible] *Sacramentum eſt ſignum.*

Digitized by Google

cramentum, dicitur, *Signum fœderis*. Et ad Roman. 4. *Signaculum iuſtitiæ fidei*. Et Sacri Doctores ſemper ſacramenta appellant ſigna. Pro explicatione verò huius particulæ, ſtatim Theologi afferunt illam definitionem ſigni ex Auguſtino depromptam: *Signum eſt, quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*.

Diuiditur ſignum in cognoſcendi & ſignum faciendi.

Verùm, quia hinc dependet vt rectè explicetur propria eſſentialis ratio ſacramenti, opportunum eſt prænotare, ſignum poſſe dici non ſolùm in ordine ad cognoſcendum, ſed etiam in ordine ad faciendum id quod ſignificatur. Et primo modo dicetur ſignum cognoſcendi: ſecundo modo ſignum faciendi. Primo modo ſigna ſunt illa quæ ſupponunt res ſeu veritates ſignificandas, & tantùm faciunt vt ab alijs cognoſcantur. Secundo modo ſigna dicentur illa, quæ non ſupponunt, ſed faciunt vt fiant res ſignificatæ. Primo modo voces ſunt ſigna noſtrorum conceptuū: & in rebus diuinis creaturæ ſunt ſigna diuinæ poteſtatis, ſapientiæ, bonitatis, & aliorum attributorum: & miracula paſſim in Scriptura vocantur ſigna, quia manifeſtant & cognoſcere ſeu credere faciunt veritatem myſteriorum Fidei, in quorum atteſtationem fiunt. Secundo modo ſigna ſunt illa, quando inter aliquos conuenit, vel ex pacto ſuo, vel ex mandato ſuperioris, vt dato tali ſigno certa quædam operatio fiat: vel ex promiſſione alicuius ſtatuentis, vt quandocunque certum ei ſignum exhibeatur, ipſe quoddam aliud opus facere vel donum largiri promittat. Ad ſignum primo modo maximè ſpectat illa definitio ſigni ex Auguſtino: nam illa declarat tantùm vim ſigni ad faciendum vt res ſignificata innoteſcat: non autem ad hoc vt res ſignificata efficiatur. Signum ſecundo modo poterit quadam forma ſimili definiri: *Quod præter ſe ipſum aliquid aliud fieri facit* ſiue *Quod habet ex inſtitutione vim aliam rem cauſandi*. Vbi cauſalitas ſumi debet latiſſimo modo. Sicut enim ſignum cognoſcendi, non eſt propriè & directè cauſa effectiua cognitionis, ſed tantùm eſt motiuum quoddam cognoſcendi: ita ſufficit, quod ſignum faciendi, ſit ſimili modo cauſa rei, id eſt motiuum faciendi. Atque de ſigno hoc modo ſumpto accipiendum eſt, quod ait S. Tho. infra q. 63. art. 1. dum quis afferens denarium plumbeū, accipit ex ordinatione Regis centum libras, hoc non tranſcendere rationem ſigni. Hoc inquam non tranſcendit rationem ſigni ordinati ad faciendum, ſed vtique tranſcendit rationem ſigni ordinati ad merè cognoſcendum. Item Scotus in 4. d. 1. q. 2. §. *De ſecundo principali*, explicans rationem ſigni, ponit hanc acceptionem, quando quis inſtituit & promittit ad exhibitionem certi ſigni certam operationem facere: quando inquit, res ſignificata ſequitur ordine naturæ exhibitionem ſigni, & non è conuerſo. Idque vocat ſignum efficax, ad diſtinctionem ſigni ſimplicis.

Sacramentū dicitur ſignum in communi.

Hoc poſito, ſignum in definitione Sacramenti, ſumi non debet pro mero ſigno cognoſcendi: ſed potiùs in prima illa particula debet accipi in communi, vt conſequenter per alias definitionis particulas, & Sacramenti conditiones, determinetur quonam modo Sacramentum ſit eſſentialiter ſignum. Non quidem negando eſſe ſignum cognoſcendi: ſiquidem etiam ſignum faciendi, poteſt eſſe ſignum cognoſcendi, vt facilè patet. Sed ſolùm volumus, non debere intelligi ſignum merè cognoſcendi, quaſi negando ſiue excludendo ſignum faciendi.

Importat rem & ſignificationem.

Rurſus, dum Sacramentum dicitur ſignum, duo intelliguntur ſub hoc nomine ſigni. Primum eſt, res ſiue actio quæ ſignificat: ſecundum eſt ſignificatio ipſa. Res quæ ſignificat, eſt ſine dubio realis, & in omnibus Sacramentis aliquam actionem concernit, & vt plurimum in actuali ſolùm aliqua operatione conſiſtit. Videlicet in Baptiſmo, actio quædam eſt ablutio aquæ, & prolatio verborum: & ſic in alijs. In aliquo tamen Sacramento, non inuenitur ſolùm actio tranſiens, ſed etiam res quædam permanens, tranſacta actione, tanquam Sacramentum in facto eſſe: nempe in Euchariſtia. Significatio verò ipſa formalis, quid ſit, & qualiter ſe habeat, dependet ex dicendis, &

deo

Digitized by Google

ideo infra determinabitur.

Eſt ſignum ſenſibile. Secundò. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile. Circa hanc particulam, Ochamus & Aliacenſis in 4. diſt. 1., Ioannes de Carthagena tract. de Sacrament. in genere diſp. 1. difficul. 2., & quidam alij Recentiores hoc loco, contendunt hàc conditionem non eſſe de eſſentia ſacramenti. Tum quia poſſet Deus ſignum merè ſpirituale & intelligibile inſtituere. Tum quia de facto contritio in ſacramento Pœnitentiæ, Chriſtus in Eucharistia, conſenſus contrahentium in Matrimonio, non eſt res ſenſibilis: ſed tamen eſt pars ſacramenti. Verùm, quamuis potuiſſet Deus ſignum merè ſpirituale inſtituere, quamuis etiam de facto aliqua pars alicuius ſacramenti non ſit per ſe ſenſibilis: tamen abſolutè loquendo totum ſacramentum prout de facto inſtitutum eſt, omnino eſt ſignum ſenſibile. Prima pars patet: quia poterat ſine dubio Deus ſtatuere, quandocunque Angelus vel homo certum quendam actum ſpiritualem eliceret, gratiam ei conferre ex opere operato: ſicut de facto actui contritionis promiſit remiſſionem peccatorum, & alijs actibus internis meritorijs augmẽtum gratiæ, ex opere operantis. Secunda pars patet etiam exemplis allatis. Et ideo fortaſſe S. Tho. art. 4. non dixit abſolutè, ſacramentum eſſe ſenſibile, ſed ſolùm dixit, ad ſacramentum requiri res ſenſibiles. Tertia ergo pars eſt de mente D. Tho. & aliorum Theologorum communiter, tàm hìc quàm in 4. diſt. 1. vbi ſacramentum in eodem ſenſu definiri quoque ſolet: *Eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma*: & viſibile ſumitur pro ſenſibili. Eademquè eſt frequens doctrina Patrum. Et manifeſtè patet. Tum inductione in omnibus ſacramentis, tàm antiquæ quàm nouæ legis. Tum quia illa ipſa definitio ſigni, *Quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus*, hoc apertè declarat. Et hæc conditio communis eſt, tàm ſigno faciendi, quam merè cognoſcendi inter homines. Tum quia varijs rationibus conueniebat, Sacramenta in his ſenſibilibus actionibus inſtitui. Videlicet vt eſſent proportionata humanæ ſocietati, conſuetudini, & cognitioni. Vt ſicut res ſenſibiles fuerunt occaſio humanæ ruinæ, ita eſſent inſtrumenta noſtræ ſalutis. Vt extollatur diuina potentia, quæ rebus his infimis & per ſe inhabilibus, vtitur ad tàm ſublimes effectus. Vt humilietur humana ſuperbia, dum ijs rebus quodammodo ſubditur, ijſque indigeat ad æternam ſalutem. Vt communia ſint in Eccleſia, quæ viſibilis eſt, & viſibili communicatione coadunatur. Vt confici & conferri poſſent per miniſterium & conſortium hominum inter ſe. Aliæquè congruentiæ ſic excogitari poſſunt.

Eſt ſignum ſacrum. Tertiò. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ſacrum. Sacrum hìc dicitur, ad diſtinctionem profani & naturalis. Sacrum dicitur, quod ſit ordinis diuini & ſupernaturalis. Poteſtquè duplici ex parte dici ſignum ſacrum: vel ſcilicet ex parte rei ſeu actionis ſignificantis, vel ex parte rei ſeu formæ ſignificatæ. Aliqui ergo voluerunt, Sacramentum eſſe ſignum ſacrum primò modo, vt refert & ſequitur Suarez diſp. 1. ſect. 1. concl. 1. Et colligitur ex Scriptura, & Patribus, & ratione. Quia idcirco vſus Sacramentorum pertinet ad virtutem Religionis & cultum Dei. Sed certè, neceſſe non eſt, vt actio ipſa Sacramentalis ſit ex ſe intrinſecè ſacra: Imò actio ſenſibilis, eſt in ſe actio naturalis. Sic ablutio in Baptiſmo, olim circunciſio carnis, itemquè prolatio verborum, & ſimiliter aliæ actiones. Tamen quatenus actio ſenſibilis eleuatur & aſſumitur ad effectum & finem ſupernaturalem, ac refertur ad cultum Dei & ſanctificationem hominis, vt ſic eſt maximè ſacra. Sed hoc iam refunditur in ſecundum modum. Et ſic debent intelligi Script., Patres, & Theologi. Et hoc tantùm probat illa ratio. Secundò ergo modo præcipuè intelligitur Sacramentum eſſe ſignum ſacrum. Ideo definiri ſolet, *Sacræ rei ſignum*. Eſtquè omnino certum ac notum, Sacramentum eſſe hoc modo ſacrum ſignum. Et patet ex ipſo nomine Sacramenti, ex fine ad quem inſtitutum eſt, ex diſtinctione à ſignis communibus & profanis.

Quartò. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ſacrum, diuinitùs inſtitutum. Hæc

Digitized by Google

Hæc noua particula importat, Sacramentum ſignificare, non quidem naturaliter, ſed ad placitum ſeu ex impoſitione. Ita omnes notant. Et ideo Magiſter dixit, Sacramentum eſſe ſignum datum, non verò natum. Et patet maniſeſtè: quia res humanæ & ſenſibiles, non vtique ex vi ſua natiua, ſed tantùm ex inſtitutione & beneplacito Dei poterant vim ſacramentalem habere. Sic ablutio corporis in Baptiſmo, non vtique ex natura ſua, ſed ſolùm ex ordinatione diuina denotat ſanctificationem animæ: & ſic aliæ actiones in alijs ſacramentis.

Habens tamen proportionem cum re ſignificata.

Quinto. Licet ſacramenta non ſignificent naturaliter ſuum effectum: tamen poteſt in illis conſiderari ſimilitudo aliqua & proportio ad rem ſignificandam. Hinc Magiſter in 4. diſt. 1., Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. par. 9. cap. 1., volunt hãc ſimilitudinem eſſe de eſſentia ſacramenti. Et Magiſter in ſacramenti definitione poſuit, vt gratiæ imaginem ferat. Et Vgo vt ſimilitudinem repræſentet. Imo D. Auguſt. Epiſt. 23. dixit: *Sacramenta quandam ſimilitudinem habent earum rerum quarũ ſunt ſacramenta, alioqui ſacramenta non eſſent.* Nihilominus alij Theologi communiter docent, hanc ſimilitudinem non fuiſſe in rigore de neceſſitate & eſſentia ſacramenti, ſed tantùm de congruentia ad prudentem & conuenientem inſtitutionem.

Quare dicendum eſt, ſacramentum habere quidem hanc ſimilitudinem in ſignificando & repræſentando: vt patet inductione in ſingulis ſacramentis. Ablutio corporis in Baptiſmo, figurat internam ablutionem animæ per gratiam à ſordibus & maculis peccati. Manducatio in Euchariſtia, figurat internam refectionem animæ per gratiam. Et ſic in alijs ſacramentis, etiam antiquæ legis. Idque erat ſanè conſentaneum diuinæ ſapientiæ & prouidentiæ, ac vtile ad inſtructionem noſtram. Et magis adhuc hæc aptitudo reperitur in verbis quibus ſacramenta conſtant, ſuppoſita tamen prima ſignificatione & impoſitione vocum ex placito hominum. Sic verba conſecrationis in Euchariſtia, *Hoc eſt corpus meum*, abſolutionis in Pœnitentia, *Ego te abſoluo à peccatis*, expreſſè ſignificant ſuum effectum. Sed tamen adhuc eorum ſacramentalis ſignificatio, eſt ex diuino beneplacito & inſtitutione: quia ſacramentalis ſignificatio eſt, vt vere conferant talem effectum: quod vtique non habent ex ſua humana impoſitione, ſed ſolùm ex ordinatione diuina. Fatendum etiam eſt, nomen ſacramenti poſſe in tali rigore & proprietate accipi, vt eſſentialiter dicat talem ſimilitudinem & proportionem, ita vt ſine illa non appellaretur ſacramentum. Iuxta dictum illud D. Auguſtini: quamuis Vaſquez hic diſp. 128 num. 38. in alio ſenſu id interpretari conetur. Abſolutè tamen dici debet, de facto à Theologis non ita accipi nomen ſacramenti, formaliter denotando hanc ſimilitudinem, ſed potiùs denotãdo ſignificationem ad placitum ex inſtitutione diuina. In quo ſenſu ea ſimilitudo non eſt formaliter de eſſentia ſacramenti, ſed tantùm fuit de congruentia quadam. Vnde nec debuit diſtinctè explicari in eius definitione; ſed ſatis eſt poſſe ſubintelligi & inferri, dum ſacramentum dicitur diuinitùs inſtitutum: quia ſic apparet fuiſſe ſapientiſſimè deſignatum & ordinatum.

Eſt ſignum inſtitutum communi lege.

Sextò. Dum dicitur ſacramentum diuinitùs inſtitutum, ſenſus redditur, vt ſtatutum fuerit communi & vniuerſali lege ad vſum hominum, & non ſolùm in priuato aliquo & peculiari caſu pro certa aliqua perſona. Et ratio eſt: quia ſacramenta traduntur Eccleſię in communem vtilitatem fidelium, & ita inſtitui debuerunt lege communi. Vbi nullus negat, potuiſſe etiam à Deo exerceri & præcipi quædam particularia opera & ſigna in quibuſdam certis caſibus, ad ſanctificandum interiùs vel exteriùs certum hominem: & de facto quædam ſic exercuiſſe; vt notari ſolet, quando Chriſtus dixit Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata tua*, ſiue quando de illa dixit Simoni Phariſæo, *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*; & ſic in alijs ſimilibus caſibus. Sed hæc nõ veniunt ſub nomine ſacramenti, prout jam ſumitur, ſcilicet pro ſigno ſtabiliter inſtituto in beneficium Eccleſiæ, & ad vſum communitatis fidelium.

Septimò.

Digitized by Google

Inſtitutum à Dei, & cõmiſſum hominibus.

Septimò. Per ſe etiam ex hac particula intelligitur, vt ſacramentum ſit inſtitutum à Deo. Ita communiter omnes docent. Et ratio eſt: quia non niſi à Deo, qui au&or eſt rerum ſpiritualiũ & ſupernaturalium, poterat dari ſacramentalis vis & ſignificatio noſtris actionibus humanis. Imò ſacramenta omnia immediatè fuerunt ab ipſo Deo inſtituta & ordinata. Antiquæ legis quidem per diuinam reuelationem hominibus factam: nouæ autem legis à Chriſto Domino vero Deo & homine. De qua re plura infra quæſt. 64. de ſacramentorum cauſis. Sed tandem, dum ſacramentum dicitur inſtitutum à Deo, ſubintelligitur inſtitutum vt adminiſtretur ab hominibus, quibus hoc exercitium commiſſum eſt: & ideo non dicitur ſacramentum confici ab ipſo Deo, ſed tantùm inſtitutum à Deo, vt ſcilicet conficiatur & conferatur per miniſterium hominum.

Significatio eſt denominatio realis extrinſeca.

Cœterum circa hanc ſacramenti rationem dubitari ſolet: quia ſi ſacramentum eſt ſignum ad placitum, ex inſtitutione ſignificans, erit ens rationis: ſiquidem huiuſmodi ſignificatio, quæ aſſignatur formalis ratio ſacramenti, videtur eſſe relatio rationis. Quæ difficultas, communis eſt ad ſignificationem nominum, & ad omnem aliam ſignificationem ex voluntatis placito inſtitutam. Et quidem plerique Theologi vltrò concedunt, ſacramentum formaliter, ideſt quantum ad ſignificationem, eſſe ens rationis. Et Vazquez hic diſp. 128 cap. 4. miratur vllos Theologos id negaſſe. Sed certè non oportet, nec expedit, huiuſmodi myſteria explicare per relationes rationis mẽte cõfictas, & quæ in re nõ ſunt, ſed tantùm ab intellectu finguntur. Potiùs dici debet ſacramentalis ſignificatio conſiſtere in denominatione extrinſeca, ſumpta ex diuina ordinatione & inſtitutione. Quæ quidem denominatio, vera & realis eſt, ex reali forma deſumpta: nec ab intellectu fingitur, ſed cognoſcitur & concipitur prout verificatur in re. Ex imperfectione autem intellectus interdum concipitur tanquam relatio exiſtens in ipſa re denominata: quæ relatio eſt mentis fictio, eſt opus rationis,

ſed nihil facit ad rem ipſam, quæ quæritur vera quidditas & eſſentia r...

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Sacramentum ſit propriè inſtitutum ad ſanctificationem hominis, & quam ſanctificationem.

QVia innumera & admodum varia ſacra ſigna, & res ſacræ ſignificatæ, conſiderari poſſunt; non vtique omne ſacrum ſignum omnis ſacræ rei, eſt ſacramentum: ſed determinare oportet, quod ſignum, & cuius ſacræ rei, ſit ſacramentum.

Communis & vera Theologorum ſententia docet, ſacramentum propriè eſſe illud quod ſignificat ſanctificationem hominis: & in hoc ſenſu hic propriè ſacramentum ſumitur. Eſtque res ſatis nota ex communi conceptu & exiſtimatione ipſorum fideliũ: hac enim ratione excluduntur plurima alia ſacra ſigna ſacrarum rerum, quæ propterea non dicuntur ſacramenta, in ſenſu quo nunc loquimur.

Verùm S. Thomas art. 3. declarat, qualiter ſacramentum in ordine ad noſtram ſanctificationem ſignificet etiam paſſionem Chriſti, & futuram gloriam. Vnde ait, ſacramentum eſſe ſignum rememoratiuum eius quod præceſſit, ſcilicet paſſionis Chriſti: & demonſtratiuum eius quod in nobis de præſenti efficitur, ſcilicet gratiæ: & prænunciatiuum eius quod in nobis expectatur, ſcilicet futuræ gloriæ. In qua deſignatione alij quoque Theologi conueniunt. Idquè totum ex Sacra Scriptura colligitur. Apoſtolus ad Roman. 6. conſiderauit in Baptiſmo ſignificationem paſſionis Chriſti & futuræ gloriæ: *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmũ in mortem, vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c.* D... Euchariſtia hi clariſſimè habetur Lucæ 22., Ioann. 6., 1. ad Cor. 11. Vnde Eccleſia canit: *Recolitur memoria p... ſionis eius, mens impletur gratia, & fu...*

Digitized by Google

ra gloria nobis pignus datur. Sic & alia ſacramenta in ſuo gradu hanc totam ſignificationem participiant. Ac etiam antiqua ſacraméta præfigurabant Chriſtum venturum. Et in promptu eſt ratio, quare ſacramenta hanc totam ſignificationem habeant: quia certè ſanctificatio noſtra, & oritur ex paſſione Chriſti, & refertur ad futuram gloriam. Vnde patet quidem, ſignificationē magis immediatam & eſſentialem ſacramenti, eſſe circa ſanctificationem hominis. Et in hoc etiam omnes conueniunt. Euchariſtia tamen inter reliqua ſacramenta, excellit in eo quod immediatè & per realem præſentiam continet Chriſtum, ac etiam per modum ſacrificij repræſentat paſſionem eius. Sed nihilominus rationem propriam ſacramenti, de qua tunc loquimur, formaliter habet, inquantum ſignificat ſpiritualem refectionem animæ, ideſt ſanctificationem noſtram.

Contradiſtinguitur ab alijs ſacris ſignis.

Hinc ergo patet, qualiter omnia alia ſacra ſigna, quæ non per ſe & primariò inſtituta ſunt ad ſanctificationem noſtram, excludantur à ratione ſacramenti: videlicet ſacræ imagines, templa, altaria, ſacræ veſtes, & ſimilia. Item patet, qualiter propriè differant ſacramentum & ſacrificium: quia nempe ſacrificium per ſe & primariò eſt ſignificatiuum diuinæ excellentiæ, quatenus Deus eſt auctor vitæ & mortis, ac immediatè refertur ad Dei honorem & cultum: ſacramentum vero ex inſtitutione ſua immediate ac directè ſignificat ſanctificationem noſtram, & ad hanc refertur.

Alia eſt ſanctificatio interna, & alia externa.

Rurſus, quia duplex ſanctificationis genus occurrit. Vna enim eſt ſanctificatio animæ interna per gratiam, ad quam reducuntur alia diuina auxilia & dona infuſa. Altera eſt ſanctificatio externa, per quandam legalem deputationem, quæ maximè familiaris erat in antiqua lege; dum videlicet deputabantur Leuitæ per certam vnctionem aliaſq; cæremonias ad miniſterium templi; dum homines qui maculis vel defectibus quibuſdam arcebantur ab ingreſſu templi vel participatione ſacrificiorum, per certas expiationes & legales cæremonias mundabantur, vt admitti poſſent in templo, & ad ſacrificia. Dubitatur ergo, quamnam ſanctificationē ſacramenta eſſentialiter importent & ſignificent. Ac ratio dubitandi oritur ex differentia inter noua & vetera ſacramenta.

Sacraméta vetera nō conferebāt ſanctitatē internam.

Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacrament. par. 9. cap. 18., quem alij quidam ſequuti ſunt, & in re conſentit Valentia q. 1. de Sacrament. punct. 1., dixit, ſacramentum in communi eſſentialiter importare ſanctificationem internam per gratiam, homini collatam in exercitio & ſuſceptione ipſius ſacramenti. Vbi ſupponit, vetera etiam ſacramenta habuiſſe aliquo modo vim conferendi gratiam ex opere operato. Sed tamen pro comperto ſupponimus, hoc non rectè dici de veteribus ſacramentis, ſed propriè verificari de ſacramentis nouæ legis, vt poſtea tractabimus de ſacramentorum effectu: dici ergo non poteſt, ſacramentum in communi eſſentialiter importare hoc modo talem ſanctificationem.

Erant adhuc vere & vniuocè ſacramenta.

Magiſter in 4. d. 1. dixit etiam, ſacramentum eſſentialiter importare ſanctificationem internam animæ per gratiam: ſola tamen noua, non autem vetera ſacramenta, habuiſſe vim conferendi gratiam: ideoque vetera non eſſe vere & propriè & vniuocè ſacramenta cum noſtris. Adhærebat S. Thomas ibi q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 5. Verùm, debet omnino aſſignari aliqua definitio & eſſentialis explicatio ſacramenti, quæ directè conueniat etiam veteribus. Et communis ſententia eſt, vetera cum nouis in ratione ſacramenti vniuocè conuenire. Sumitur ex D. Auguſtino lib. 19 cont. Fauſtum, vbi probat, vetera fuiſſe verè & propriè ſacramenta. Item ex Concil. Florent. & Trident., dum vetera abſolutè vocant ſacramenta. Et quidem, cùm olim quoque fuerit vera Eccleſia, debebat quoque habere vera ſacramenta: ſicut & habuit vera ſacrificia: quamuis ſimul eſſent figura eorum quæ gerenda erant in lege euangelica.

Sententia affirmans, ſacramentū in communi importare eſſentialiter ſanctificationē internam, alijque plures.

Propter hæc Sotus in 4. diſt. 1., Suarez hîc diſp. 1. ſect. 2. concl. 3., Vazq. diſp. 128. cap. 5., Carthag. diſp. 1. diſt. ficul. 4., Lugus diſp. 1. ſect. 2., alijquè plures.

omni conſtitui per ordinem ad ſanctitatem internam.

plures, defendunt adhuc ſacramentum in communi ſignificare ſanctificationẽ internam per gratiam; dicunt tamen, non ſignificare omnino gratiam quæ tunc actu conferenda ſit in exercitio ipſius ſacramenti, eidem homini illud ſuſcipienti: ſed quæ vel tunc actu conferatur, & ſic conferunt ſacramenta nouæ legis: vel quæ poſtea alio tempore alijs hominibus conferenda eſſet, & ſic vetera ſacramenta ſignificabant & præfigurabant, ſeu dicamus etiam promittebant, gratiam conferendam tempore nouæ legis per noſtra euangelica ſacramenta; quorum illa vetera erant ſymbola & figuræ. Idquè totum afferunt, quia putant, non ſufficere ad rationem ſacramenti ſignificationem ſolius externæ & legalis ſanctitatis. Aliqui autem ex ijs ſimul volunt, de ratione veterum ſacramentorum fuiſſe etiã ſignificare ac de præſenti conferre eam legalem ſanctitatem: ſed aliqui eam per ſe non requirunt, quaſi ad rationem ſacramenti per accidens ſe habuerit.

Probant ſuam ſententiam in qua conueniunt. Primò auctoritate: quia Sancti docent, vetera ſacramenta fuiſſe figuram noſtrorum ſacramentorum. Imo Concil. Florent. & Cathechiſm. Roman. in hoc diſtinguunt noua & vetera ſacramenta, quod noua conferunt gratiam, vetera ſignificabant conferendam.

Secundò ratione. Niſi de ratione ſacramenti ſit ſignificare perfectã ſanctitatem, ſed ſufficiat ſignificare legalem: ſequitur, in lege noua eſſe plura quàm ſeptem ſacramenta. Extant enim in Eccleſia plures ſacri ritus & cęremonię, quæ dici poſſunt externam & legalem quandam ſanctitatem conferre: videlicet prima clericalis tonſura, profeſſio religioſa, abſolutio à cenſuris, conſecratio Abbatum, aſperſio aquæ benedictæ, & aliæ eccleſiaſticæ benedictiones.

Tertiò. Sacramentum ſignificare debet arcanum quid & ſecretum: ſed tota legalis ſanctificatio non eſt quicquam reconditum; quinimò non erat aliud, quàm illud ipſum quod exteriùs apparebat: ergo ſacramentum ſignificat potiùs ſolùm ſanctificationem internam, quæ verè eſt occulta & non apparens ſenſibus. Item ſacramentum debet ſignificare aliquid à ſe diſtinctum realiter: ſed legalis ſanctificatio non ſic diſtinguitur ab ipſa cæremonia per quam confertur, & ad ſummum ſe habet tanquam effectus formalis reſpectu ſuæ formæ: ergo hæc ſanctificatio non ſufficit ad rationem ſacramenti.

Quartò demum. Sacramentum dici debet vniuocè de noſtris ac veteribus ſacramentis: ergo ſignificare debet ſanctitatem vniuocè dictam, quæ contineatur etiam ſuo modo ſub veteribus ſacramentis: ſed ſanctificatio legalis & externa, non niſi analogicè dicitur comparatione veræ ſanctitatis internæ: ergo omnia ſacramenta, etiam inquam vetera, debent conſtitui in ordine ad veram ſanctitatem internam.

Sententia affirmans per ordinē ad ſanctitatem in communi.

Ex aduerſo Canus in Relect. de Sacrament. par. 1. circa finem, Ledeſma 1. par. quarti art. 1. & 2., Bellarm. lib. 1. de Sacrament. cap. 12. propoſ. 2., & alij plures, volunt, de ratione ſacramenti in communi, abſtrahẽdo à nouis & veteribus, eſſe importare ſanctificationem in communi abſtrahendo quoque ab interna & externa. Qui proinde declarant, vetera habuiſſe rationem ſacramenti, non quia ſignificabant gratiam ſanctificantem conferendam per noua ſacramenta, ſed quia ſignificabant & tunc conferebant legalem illam ſanctitatem.

Vetera ſacramenta diuerſo modo dicere ordinem ad ſanctitatem internam & externam.

Pro reſolutione, in hac re conſtat quidem, ſacramenta nouæ legis verè importare perfectam ſanctitatem internam animæ per gratiam: in hoc enim omnes Catholici concordant. Item dubitari non debet, quod vetera ſacramenta verè perfigurabant noſtra ſacramenta, atque adeo præſignabant gratiam per hæc conferẽdam: nam omnia in figura contingebant illis. Et hoc ad minus conuincũt auctoritates adductę. Et ſic explicauit S. Tho. 1. 2. q. 102, art. 1., qualiter circuncitio fuerit figura Baptiſmi, agnus paſchalis Euchariſtiæ, conſecratio Leuitarum ordinationis noſtræ, & ſic de alijs. Similiter dubium non eſt, quod eadem vetera ſacramenta importabant & tunc conferebant ſanctitatem quandam legalem externam. Ita vt, quædam antiquæ cæremoniæ,

monię, quæ præfigurabant tantùm noſtra myſteria, & non ſimul conferebant legalem aliquam ſanctitatem, non dicantur ſimpliciter ſacramenta. Erantque plures huiuſmodi res: vtpote varia ſacrificia, manna è cælo fluens, aqua ex petra ſcaturiens, tranſitus maris rubri, exaltatio ſerpentis ænei, & pleraquè alia, quæ ita præcise configurabant noſtra futura myſteria, vt nec legalem & externam vllam ſanctificationem de præſenti præberent.

Solùm ergo dubium remanet, quŭdam ratione ex his duabus, vetera illa dicenda ſint ſacramenta. Ex quo conſtabit, num de ratione ſacramenti in communi ſit, importare ſanctitatem internam, abſtrahendo à duplici modo importandi, vel conferendo de præſenti, vel præfigurando in futurum, aut de ratione communi ſacramenti ſit, importare ſanctitatem in communi, abſtrahendo à duplici genere ſanctitatis, internæ vel externæ, & conferendo illam de præſenti.

Veterant dici ſacramenta per ordinem ad ſanctitatem internam.

Vbi adhuc negandum non eſt, veteres cæremonias dici poſſe ſacramenta, ſub illa ratione quatenus præfigurabant noſtra myſteria: tamen accipiendo ſacramentum latiori modo. Nam cùm nomen ſacramenti tàm latè ſumi poſſit, vt conueniat omnibus ſacris ſeu ſacrarum rerum ſignis: vtique ſic conuenit illis veteribus cęremonijs. Quo tamen pacto, non ſolùm illa quæ propriè à Theologis ſacramenta appellantur, ſed etiam plura alia dicenda erunt ſacramenta. Et ſic intelligenda videntur quædam dicta S. Thomæ hìc art. 2. ad 2. & 3., & aliorum, dum abſolutè dicant, ſacramenta dicere ordinem ad perfectam animæ ſanctitatem.

Propriè dicuntur in ordine ad externam.

Ex alia parte videtur, ſi ſacramentum propriè accipiatur, ſic veteres cæremonias habuiſſe rationem ſacramenti, potiùs inquantum de præſenti ſanctificationem legalem hominibus conferebāt, atque adeo de ratione ſacramenti in communi prout hìc ſumitur, eſſe, vt importet ſanctificationem in communi, abſtrahendo à perfecta & imperfecta, interna & externa: & importet de præſenti illam conferendo.

Quia eam per ſe conferebant.

Probatur primò: quia ſacramentum quatenus ſanctificationem ſignificat, propriè eſt ſignum practicum, ſiuè eſt ſignum faciendi, ſcilicet faciens ſeu operans quod ſignificat, vt ex profeſſo oſtendemus ſect. ſequenti. Item ſignificat ſanctitatem reſpectu eiuſdem hominis qui ſuſcipit ſacramentum: ſtante ergo quod vetera ſacramenta non conferebant de præſenti gratiam internam ſuſcipientibus: planè ſequitur, non iam dici ſacramenta, eo quod præfigurabāt gratiam nobis conferendam per euangelica ſacramenta, ſiue etiam quia illam promittebāt, quæ promiſſio in illis realiter non apparet alia quàm eadem præfiguratio: ſed potiùs dici ſacramenta, eo quod tunc conferebant ſanctitatem legalem hominibus illorum temporum, ea ſuſcipientibus.

Et omnes ac ſola illæ cæremoniæ quæ eã conferebant, erãt ſacramenta.

Secundo. Omnes antiquæ cæremoniæ quæ conferebant ſanctitatem legalem, dicuntur propriè ſacramenta: vt notum eſt, & ab omnibus admittitur. Itemquè ſolæ illæ ſic propriè dicuntur: ita quod aliæ quæ non conferebant de præſenti talem ſanctitatem, ſed tantùm præfigurabant noſtra ſacramenta, ſeu promittebant gratiam per hæc conferendam, non dicantur in rigore ſacramenta. Vera ergo & propria ratio ſacramenti in communi, adæquatè conſiſtit in reſpectu ad ſanctificationem dictam in communi, quam de præſenti confert, & non determinatè ad internā animæ ſanctitatem. Suarez quidem, quem in hoc ſequutus eſt Lugus, vult ad rationem ſacramenti in veteribus cęremonijs, non ſufficere ſignificare de futuro perfectam animæ ſanctitatem, ſed per ſe etiam ſpectare vim conferēdi tunc ſanctitatem imperfectam externam: ne tribuere cogatur nomen ſacramenti plurimis ex antiquis cæremonijs, quæ tamen inter ſacramenta non computatur. At non recte hoc pacto, vtramque ſanctitatem, & vtrumque modum ſignificationis, ſimul in veteribus ſacramentis ad rationem ſacramēti conſtituendam pertrahit. Vazquez vero fatetur, non debere, præter ſignificationem internæ ſanctitatis conferendæ de futuro, includi etiam ſignificationem externæ ſanctitatis collatæ de præſenti in ratione veteris ſacramenti.

menti. Sed incidit in aliud inconueniens: quia debebit longè plura & alia admittere vetera ſacramenta, quàm à Theologis ſoleant agnoſci & nominari.

Sic etiam veteribus ſacrificijs comparantur.

Tertiò vetera ſacrificia erant vtique vmbra & figura noſtri ſacrificij, erâtquè ſimul verè & propriè ſacrificia: at non penes hunc reſpectum figuralem & repræſentatiuum habebant formaliter ſacrificij rationem; ſed intrinſecè & per ſe, quia de præſenti in ſuo gradu exhibebant cultum Deo, proteſtando diuinam excellentiam & ſupremum dominium; quæ eſt eſſentialis ratio ſacrificij. Eodemque prorſus modo ſentiendum eſt de veteribus ſacramentis quantum ad ſanctificationem.

Sic vniuocè conueniunt cum noſtris ſacramentis.

Quartò. Antiquæ cæremoniæ, inquantum figurabant noſtra ſacramenta, eorumquè virtutem & effectum, non conueniunt vniuocè, ſed tantùm analogicè cum noſtris ſacramentis: & ex alia parte, inquantum tunc per ſe conferebant legalem ſanctitatem, vniuocè in ſuo ordine cum noſtris conueniunt: ergo communis & vniuoca ratio ſacramenti, aſſignari debet per reſpectum ad ſanctificationem in communi, potiùs quam per reſpectum ad ſanctitatem internam. Aſſumptum probatur. Tum quia Magiſter & S. Tho. in 4. inde prorſus dixerunt, vetera non eſſe verè & vniuocè, ſed tantùm analogicè ſacramenta, quia erant figura noſtrorum: ſicut homo pictus non eſt vniuocè ſed analogicè homo. Et S. Thomas afferebat exemplum ſani, quod nomen analogicè dicitur, de eo quod habet, & de eo quod ſignificat ſanitatẽ: ſic enim ait, noſtra ſacramenta habere & continere, vetera ſignificaſſe ſanctitatem noſtrorum. Tum quia certè in vniuerſum, figura non niſi analogicè conuenit cum figurato in eodem nomine: & cæteræ antiquæ figuræ ſolùm analogicè conueniunt cum illis myſterijs Chriſti & operibus nouæ legis, quæ præfigurabant. Eſt quidem imago imaginis tàm vniuocè imago, ſicut imago prototypi, & nomen nominis tàm vniuocè nomen, ſicut nomen rei: quia ſcilicet conueniunt in eodem prorſus modo repræſentandi & ſignificandi. At imago cum re repræſentata non niſi analogicè conuenit, quia longè diuerſo modo ab illa ſe habet, in participatione ſuæ denominationis. Et ita planè ſe habent vetera ſacramenta reſpectu noſtrorum, inquantum ſunt eorum figura, & gratiæ quæ in ijs confertur. Tum præterea, conuenientia analogica aut vniuoca ſignorum inter ſe, non tam ſumitur ex conuenientia rerum ſignificatarum inter ſe, quàm potiùs ex modo ſignificandi. Nam certè nomina ſubſtãtiæ & accidentis, item entis realis & rationis, atque entis & non entis, conueniunt inter ſe vniuocè in ratione ſigni & nominis, quia habent eundem modum ſignificandi, quamuis res ſignificatæ adeo diſtent. E contra medicina & color cũ animali analogicè conueniunt in nomine ſani: quia licet dicantur in ordine ad eandem ſanitatem, tamen dicuntur longè diuerſo modo. Sic ergo vetera ſacramenta, quatenus figurabant & promittebant eandem ipſam ſanctitatem quæ confertur in noſtris ſacramentis, analogicè ſolùm dicuntur ſacramenta, ob diuerſum ſignificandi modum. Sed quatenus ſignificabant & conferebant legalem ſanctitatem, ſunt vniuocè ſacramenta, quia in modo ſignificandi conueniunt: licèt externa ſanctitas non niſi analogicè cum interna conueniat.

Sol. opp. arg.

Hinc facilè patet ad argumẽta partis aduerſæ. Ad primum: aſſignatur quidem illa differentia inter noua & vetera ſacramenta, quæ veriſſima eſt. Neutiquam tamen Sancti & Concilia dicunt, vetera ſacramenta habuiſſe hanc ſacramenti rationem & denominationem, per illum reſpectum ad gratiam internam ſanctificantem quam præfigurabant. Sed integrum relinquunt, dicere, habuiſſe propriam ſacramenti rationem, per ſuum præſentem legalis ſanctificationis effectum.

Ad ſecundum. Poteſt adhuc idem contra oppoſitam ſententiam retorqueri. Quia huiuſmodi noſtræ eccleſiaſticæ cæremoniæ, non tantùm hominì conferunt ſanctitatem quandam legalem, ſed etiam ſuo modo ſignificant gratiam in ſacramentis alijs conferendam. Dixerunt ergo aliqui, nunc in Eccleſia extare quædam ſacramenta ad

Digitized by Google

ad inſtar veterum, diuerſa ab ijs ſeptẽ ſacramentis, quæ conferunt gratiam, & quæ abſolute loquendo intelliguntur quando nominantur noſtra ſacramenta; alia verò eſſe imperfecta ſacramenta. Sed certè non debet nomen ſacramenti in Eccleſia nunc attribui alijs quàm ſeptem notis ſacramentis conferentibus gratiam: nec admitti debent apud nos alia ſacramenta ad inſtar veterum. Et quidem omnibus huiuſmodi eccleſiaſticis cæremonijs deeſt alia eſſentialis conditio ſacramenti, quæ tamen in veteribus maximè reperiebatur. De ratione enim communi ſacramenti eſt, vt ſit immediatè inſtitutum à Deo, iuxta ſuperiùs dicta: & ſic noſtra ſacramenta inſtituta ſunt à Chriſto vero Deo, & vetera inſtituta erant ab ipſo Deo, qui legem illam Moyſi & populo tradidit. At aliæ noſtræ cæremoniæ, extra ſeptẽ ſacramenta, inſtitutæ ſunt humano iure ab Eccleſia, ideſt à Pontificibus, vt notum eſt. Neque hoc ſe habet tantùm materialiter ad rationem ſacramenti, vt opponit Suarez: ſed conditio hæc eſt ita formaliter de eſſentia ſacramenti, vt quamuis ea ſola deſit, deficiat quoque, ratio ſacramenti.

Ad tertium. Vetera ſacramenta, etiam quatenus conferebant legalem illam ſanctitatem externam, adhuc importaſſe arcanum quid & occultum, licèt non tam occultum, ſicut eſt gratia interna quam noſtra conferunt. Arcanum enim aliquid erat; vt illi qui certis ritibus initiabantur, fierent miniſtri idonei ad ſeruiendum in templo & ſacrificia offerenda; vt alij qui certis ritibus expiabantur, fierent habiles ad ingrediendum in templum & participandum de ſacrificijs; & ſic de alijs veteribus ſacramentis. Eratquè illa legalis ſanctitas, aliquid ab ipſis ſacramentis diſtinctum, ſaltem moraliter: videlicet vt Leuitæ initiati ſacris ritibus, poſſent licitè & dignè miniſtrare in templo: & ſic de alijs.

Ad quartum demum patet, potiùs iuxta oppoſitam ſententiam vetera ſacramenta analogicè tantùm conuenire cum noſtris, & iuxta noſtram concluſionem propriè conuenire vniuocè, vt iam ſatis explicauimus.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Sacramentum in ſua eſſentiali ratione dicat tantùm ſignificare, vel potiùs conferre hominibus ſanctitatem.

NOtum quidem & exploratum apud Theologos eſt, vere & realiter ſacramentum non tantùm ſignificare, quaſi ſupponens penitus rem ſignificandam, eamque manifeſtans & faciens cognoſci: ſed reuera etiam conferre rem ſignificatam, ideſt aliquam ſanctitatem, ita vt per ſuſceptionem ſacramenti ſanctificetur homo qui ſuſcipit. Et noua quidem ſacramenta conferre perfectam & internam ſanctitatem per gratiam, vetera autem cõtuliſſe imperfectam & externam legalem. Dubitatur ergo, num eſſentialis ratio ſacramenti conſiſtat in eo tantùm quod ſignificet, vel in eo quòd conferat hominiſanctitatem.

S. Thomas hìc art. 1. in corp. & ad 1., docere videtur, rationem eſſentialem ſacramenti conſiſtere tantùm in eo quòd ſit ſignum, & non in eo quòd ſit cauſa ſanctitatis. Et ita defendunt Thomiſtæ frequenter, Sotus in 4 diſt. 1., Nugnus & Cabrera hoc loco. Item Matthæus Kelliſonus eodẽ artic. Ægidius Conink ibidem, Alanus par. 2. de Sacrament. cap. 2. & 3., Carthag. diſp. 1. diſſicul. 3., & alij hoc loco. Aut dicunt, de ratione ſacramenti ad ſummũ eſſe, vt ſit ſignum practicum, non verò vt ſit cauſa ſanctitatis. Habet hæc ſententia pro ſuo fundamento, communem definitionem & explicationem ſacramenti, quæ traditur per rationem ſigni, & non per rationem cauſæ. Vnde inferunt, ſacramentum nec etiam ad ſuas ſpecies contrahi ac determinari per rationem cauſandi: quia differentiæ nõ debent eſſe à ſuo genere alienæ, ſed potiùs intra latitudinem ſui generis contineri. Vnde ſignum, non per cauſalitatem, ſed per diuerſos ſignificandi modos contrahi debet: ſicut è contra cauſa, non per ſignificationem, ſed per diuerſos cauſandi modos.

Sententia conſtituens rationem ſacramenti in ſignificatione.

Dicen-

Concluſio conſtituens in cauſatione.

Dicendum tamen omnino eſt, de ratione eſſentiali ſacramenti, vt hic ſumi debet, non eſſe merè ſignificare, ſumendo ſignificationem vt contradiſtinctum à cauſalitate: ſed eſſe, cauſare & conferre, ſiue ſignificare conferendo ſanctitatem, abſtrahendo tamen à diuerſis modis cauſandi & conferendi. Ita clare videtur ſentire D. Tho. hîc art, 2. in corp. & ad argumenta, & in alijs articulis, & rurſus q 62. art.1., vbi expreſſè ait, ſacramenta nouæ legis habere perfectè rationem ſacramenti, inquantum ordinãtur ad aliquid ſacrum, non ſolum per modum ſigni, ſed etiam per modum cauſæ. Idem perſpieuè docent Magiſter, Albert., D. Bonau., Durand., Richard., Gabriel, Carthuſian., Marſil., Capreol., Palud., alijque Scholaſtici in 4. d. 1. Et Scotus q. 2. definiuit ſacramentum; *Signum ſenſibile, gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans*: & declarauit efficaciter, *Quod eſt cauſa ponende effectum ſignificatum*. Idem tenent Petr. Soto lect. 7. Inſtitutionis, Petr. Caniſius par. 2. Cathecheſis cap. 3., Canus par. 1. de Sacram., Angelus, Tabiena, Roſella, alijquè Summiſtæ verbo *Sacramentum*, Bellarm., Valent. Suarez, relati ſect. præcedenti, & alij Theologi hoc loco.

Ex Scriptura.

Probatur primò auctoritate. Sacra Scriptura, quando loquitur de ſingulis, quæ modò a nobis ſacramenta vocantur, vti ſolet verbis denotantibus cauſalitatem & vim conferendi effectum. Ita in nouo Teſtamento, Baptiſmus dicitur regenerare, Euchariſtia reficere, viuificare, Pœnitentia remittere peccata. Similiter in veteri Teſtamento, de illis cæremonijs quæ modo à nobis ſacramenta vocantur, dicebatur, conſecrare, ſanctificare, initiare, mundare homines. Imò etiam quando dictum eſt ſignificare, videlicet circuncifio dicta fuit ſignum fœderis, ſumptum eſt ſignum pro ſigno cauſante, & non tantùm manifeſtante rem: ideſt ſignum fœderis, quo fiebat vt conſtitueretur homo confœderatus Deo.

Conciliis.

Similiter Concilia, ſecundùm hanc maximè cauſalitatis rationem de ſacramentis loquuta ſunt. Ita Florent. in decreto de Sacramentis ſeſſ. vltima. Et Trident. in præfatione de ſacramentis ſeſſ. 7. Præmittit: *Conſentaneum viſum eſſe de Sanctiſſimis Eccleſiæ ſacramẽtis agere, per quæ omnis vera iuſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur*. Quæ verba cauſalitatem prorſus exprimunt, non alia facta ſignificationis mentione. Et præclarè can. 6. *Si quis dixerit, ſacramenta nouæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa iam accepta per fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quadam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema ſit*.

Patribus.

Hinc etiam Cathechiſmus Romanus ſacramentum definiuit: *Eſt res ſubiecta ſenſibus, quæ Dei inſtitutione, ſanctitatis & iuſtitiæ, tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*: Loquens ſpecialiter de ſacramentis nouæ legis. Et fruſtra Valentia voluit, hanc definitionem etiam ad vetera ampliare, vt probaret ea quoque habuiſſe vim conferendi gratiam. Eodem pariter modo Sancti Patres frequenter loquuti ſunt. Vnde & in canonico iure, cap. *Multi ſecularium* 1. q. 1., ex D. Gregor., vel Auguſt., vel potiùs Iſidoro lib 6. Etimolog. cap. 8., ſacramentum definitur: *Per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretiùs ſalutem operatur*: quæ definitio indicat etiam vim cauſandi, & non tantùm ſignificandi. Et Vgo de S. Victore in ſua definitione ſacramenti poſuit, *Vt ſignificet, repræſentet, & conferat gratiam*. Aliaque ſimilia apud Sacros Doctores frequentia ſunt.

Ex nomine Sacramẽti.

Probatur ſecundò ex nomine ipſo ſacramenti. Sacramentum enim dicitur, quia ſacrat, vt notauit Durand. ea d. 1. q. 1. num. 9.; & alij communiter. Vnde plane cauſalitatem denotat. Sicut & alia ſimilia nomina eandem vim habẽt: Medicamentum, quia medetur & ſanat; veſtimentum, tegumentum, impedimẽtum, fundamentum, & ſimilia: quæ vtique non meram ſignificationem, ſed potius cauſalitatem important. Saltem inquam per modum cauſæ formalis: vt firmamentum quia per ſe firmat, ornamentum quia per ſe ornat. Quæ proinde

de nomina fruſtrà in contrarium affert Vazq. diſp. 128. num. 57. Quamuis non per hoc oporteat, omnia huiuſmodi nomina habere hanc vim cauſalitatis: ſed aliqua ſic dicantur potiùs ex deriuatione paſſiua. vt fragmentum à frangendo quia frangitur: pauimentum à pauiendo: & alia quædam. Nec rectè dicunt aliqui, ſacramenti nomen ſumptum ſolùm eſſe à cauſalitate, ſed non ad denotandam cauſalitatem. Nam multò magis inductum eſt ad denotandam ipſam cauſalitatem. Nec rurſus obſtat diſparitas ſumpta ex S. Tho. art. 1. ad 1. inter ſacramentum & medicamentum, quia medicamentum dicitur à medicina quæ eſt cauſa efficiens ſanitatis, ſacramentum verò à ſanctitate quæ non ſignificatur per modum cauſæ efficientis. Nam potiùs par ratio eſt: quod ſicut medicamẽtum dicitur quia medetur, & ſimiliter fundamentũ quia fundat; ita ſacramentum quia ſacrat.

Ex differentia ſigni & cauſa.

Probatur tertiò ex differentia ſigni & cauſæ. Sumendo enim ſignum, quod eſt merum ſignum, diſtinctum à cauſa: ſic ſignum eſt illud quod præciſè facit cognoſcere rem ſignificatam, cauſa verò eſt quæ facit ipſam rem. Sed certè ſacramentum non tantùm habet, vt faciat cognoſcere ſanctitatem; ſed multò magis & principaliùs habet vt faciat hominem eſſe ſanctum: ergo ſacramentum eſſentialiter dicit non tantùm rationem ſigni, ſed potiùs rationem cauſæ. Vel ſic: ſignum contradiſtinctũ à cauſa, eſt ſignum tantùm cognoſcendi, & ſupponit rem ſignificatam exiſtere, eamquè ſolummodo manifeſtat: ſed certè ſacramentum non ſupponit ſanctitatem quam ſignificat, ſed potiùs confertur vt hominem ſanctificet: ergo de eſſentiali ratione ſacramenti, non eſt ſignificatio mera, ſed potiùs cauſatio ſanctitatis. Et dum ſacramentum dicitur ac definitur ſignum, debet hoc determinari, vt intelligatur de ſigno faciendi, & non de puro ſigno cognoſcẽdi. Atq; hoc ipſum ſignum faciendi, vocamus cauſam: & ſignificare ad faciendum, vocamus cauſare.

Ex inſtitutione & ritu ſacramentorum.

Probatur quartò ex inſtitutione ipſa & ritu ſacramentorum. Ordinata ſunt enim ſacramenta à Deo, non vtique principaliter vt faciant cognoſci, ſed vt faciant eſſe hominem ſanctum. Nec oportebat, Deum eſſe ita ſollicitum de inſtituendis ſignis cognoſcendi, neque humana indigẽtia poſcebat talia ſigna. Sed diuina prouidentia debebat inſtituere, & humana indigentia debebat recipere talia media, quibus homo fieret re ipſa ſanctus. Et ita patet in ritu ipſo ſacramẽtorũ. Nam actiones, & præcipue verba, quibus ſacramẽta cõſtant, multo potiùs præſeferũt vim cauſatiuã, quam ſolùm ſignificatiuam ſanctitatis.

Ex humana æſtimatione & vtilitate.

Quintò ex humana æſtimatione. Præcipuè enim magnificimus & veneramur ſacramenta, eo quod per illa conſequimur gratiam & alia ſpiritualia dona. Et Fideles ad hunc finem ſuſcipiunt ſacramenta, vt acquirant gratiã & alia ſpiritualia dona. Et Miniſtri ad hoc maxime præbent ſacramenta, vt ijs medijs conferant hæc ſalutis ſubſidia. Et Concionatores ideo exhortantur populum ad ſuſcipienda & frequentãda ſacramenta, ad hoc vt conſequantur ſpiritualia lucra. Et parentes qui mittunt, ſiue quicunque deferunt paruulos ad Baptiſmum, & pueros ad Cõfirmationem, & ſic de alijs ſacramentis; vtique reſpiciunt ſacramẽta, quatenus habent vim conferendi, & non mere ſignificandi gratiam.

Inductione.

Sextò inductione de omnibus ſacramentis. Olim enim principalis ratio Circumciſionis, maximè erat vt conſtitueret hominem de populo Dei, vt faceret conſortem diuinæ legis, ſiue vt remitteret originale peccatum, & conferret iuſtificantem gratiam. Et ſic etiã quodcunq; aliud erat antiquum remedium pro ſalute paruulorum. Principalis ratio Leuiticæ ordinationis erat, vt faceret & conſtitueret idoneos miniſtros diuini cultus. Et ſic de alijs veteribus ſacramentis. Vt planè expreſſit S. Thomas 1.2. q. 102 art. 5 Et multò magis in ſacramentis nouæ legis, principalis ratio Baptiſmi eſt, vt hominem mundet, renouet, regeneret per gratiã ſanctificantem: Confirmationis, vt hominem roboret: Euchariſtiæ, vt reficiat: Pœnitentiæ, vt peccata deleat: Extremæ vnctionis, vt aduerſus mortis pericula muniat: Ordinis, vt ad diuina miniſteria

Digitized by Google

niſteria peragenda præparet: Matrimonij, vt ad coniugalia onera ſubeunda & prolem educandam adiuuet. Quare hæc verè eſt eſſentialis omnium ſacramentorum ratio.

Ex theologica tractatione. Septimò ex theologica ipſa tractatione. Cùm enim quæramus quid ſit eſſentialiter ſacramentum prout hîc ſumitur, multum confert videre, qua ratione hîc de ſacramentis agatur. Certè ſacramenta hîc maximè conſiderantur, quatenus habent vim & efficaciam ad conferendam gratiam, & non præcisè ad ſignificandam, ſeu ad faciendum vt cognoſcatur. Sic S.Tho. ipſe, hanc tractationem aggrediens, in præfatione huius quęſtionis, ſtatim dixit, conſiderandum eſſe de ſacramentis, quæ ab ipſo Verbo incarnato efficaciam habent, ideſt vim cauſandi & conferendi. Deinde ſequenti quæſtione tractat de ſacramentorum neceſſitate, non vtique ad hoc vt ſacramenta merè ſignificent, ſeu cognoſci faciant, ſed ad hoc vt ſanctificent conferendo ſanctitatem. Rurſus quæſt 62. & 63. agit de ſacramentorum effectibus; non dicit de rebus ſignificatis, ſed de effectibus: quod planè eſt tractare de ſacramentis ſecundùm rationem cauſę. Similiter Magiſter in quarto, ſtatim in principio, tractare proponit de ſacramentis, quatenus ſũt remedia humanæ ſalutis. Et ſecundùm hanc rationem ac formalitatem, cæteri Theologi hanc tractationem proſequuti ſunt. Deinceps, pro ſingulis ſacramentis in ſpecie, ſemper quæritur de eorum effectibus, ſub hac formalitate & ratione effectus & cauſę, non verò ſigni & ſignificati, referendo ſignificatiõnem ad cognitionem. Sacramentum ergo hîc ſumitur, potiùs quatenus habet vim ſanctificandi, quàm ſignificandi; potiùs conferendi quàm oſtendendi ſanctitatem.

Ex diſtinctione ſacramentorum ab alijs cæremonijs. Octauò ex diſtinctione ſacramentorũ ab alijs ſacris cæremonijs. Nam olim inſtitutæ erant aliæ multę cęremoniæ, quæ conueniebant in ſignificatione cũ ſacramentis, ſed tamen non erant ſacramenta, vt notauit Magiſter in 4. d. 1. & S.Tho. 1. 2. q.101. art. 4., vbi diſtinxit antiquas cæremonias in quatuor genera, videlicet ſacrificia, ſacramenta, ſacra, & obſeruantias. Sed certè nulla potior ratio diſtinguendi ſacramenta ab alijs cæremonijs excogitari & aſſignari poteſt, niſi quia ſacramentum propriè eſt quod ſanctificat hominem, quæ eſt vis cauſatiua: ergo hæc eſt formalis & eſſentialis ratio ſacramenti.

Ex directione ſignificationis. Nonò. Si eſſentia ſacramenti in ſignificando conſiſteret, ſumendo ſignificationem prout refertur ad cognoſcendũ: petendum eſt, in ordine ad quem dirigatur hęc ſignificatio, ſiue à quonam faciat cognoſci ſuam rem ſignificatam? Num ab eodem ſuſcipiente ſacramentum? Et hoc nullatenus dici poteſt, quod ſcilicet eſſentia ſacramenti conſiſtat in eo, vt ille qui ſuſcipit ſacramentum, cognoſcat ſanctitatem ſeu gratiã. Vel vt cognoſci faciat à Miniſtro qui præbet ſacramentum. Et hoc minùs dici poteſt: ſiquidem poteſt confici aliquod ſacramentum, ſine alio miniſtro à ſuſcipiente: ſicut olim Abraham circumcidit ſe ipſum, & modò idem Sacerdos conficit & recipit Euchariſtiam, & idẽ contrahentes conficiunt & recipiunt ſacramentum matrimonij. Sed etiam quando adeſt quiuis miniſter, vtique inſtitutio ſacramenti nõ tendit ad hoc, vt faciat rem cognoſci ab ipſo miniſtro. Vel ſignificatio ſacramenti dirigitur vt faciat rem cognoſci ab alijs. Et neque hoc dici poteſt: quia per accidens eſt, ſi alij adſint, vel de tali re cogitent. Vel demum, vt cognoſci faciat à Deo. Et hoc longè abeſt vt dici poſſit: quia nec Deus poteſt quicquam de nouo cognoſcere aut cogitare, nec illi poteſt hoc modo quicquam ſignificari. Non ergo eſſentia ſacramenti conſiſtit in eo quod cuipiam ſignificet, ideſt cognoſci faciat ſanctitatem ſeu gratiam. Optimè autem nos dicemus, cum ſacramentum eſſentialiter ſit ſignum cauſatiuũ, ideſt ſignum faciẽdi; ſic eſſe ſignum ipſi Deo, ſcilicet vt Deus de nouo faciat & infundat gratiam: eſt ergo ſignum hoc modo, non ad præbendam cognitionẽ, ſed ad ponendam operationem.

Ex vi cauſalitatis. Decimò. Signum cognoſcendi magis propriè eſt illud quod eſt effectus, non vero quod eſt cauſa rei ſignificatæ; etiã ſi cauſa ipſa ſit ſenſibilis & manifeſta, effectus vero occultus. Sic non dici-

mus; Solem eſſe ſignum generationis metallorum, ſed eſſe cauſam. Et ita S. Tho. ipſe notauit q. 62. art. 1. ad 1. Si ergo ſacramenta reuera ſunt cauſa gratiæ, imò Thomiſtæ volunt eſſe cauſam phyſicam; quomodo eſſentialis ratio ſacramenti poteſt conſtitui in ſignifica-tione directa ad cognoſcendum? Reſpondet S. Tho. ibidem, cauſam quidem principalem non poſſe dici ſignum effectus, at bene poſſe cauſam inſtrumentalem dici ſignum; quia ipſa met eſt ſi-mul quodammodo effectus, inquantum mouetur à principali agente: & ſic ſacramenta eſſe inſtrumenta & ſigna gratiæ. Verùm in rebus naturalibus & artificialibus, nec etiam inſtrumentalis cauſa dicitur eſſe ſignum ſui effectus: videlicet ſux & calor Solis reſpectu formæ ſubſtantialis, ſerra reſpectu ſcaṁni, & ſic de ſimilibus. Nec iuuat, quod inſtrumentum ſe habet vt effectus reſpectu cauſæ principalis: quia hoc tantum faceret vt dicatur ſignum ſuæ cauſæ, non autem vlterioris ſui effectus. At, vt nos dicemus ſacramentum eſſe cauſam moralem gratiæ, propriiſſimè dicetur ſignum, ſcilicet ſignum faciendi.

Ex ratione ſignificationis practica.

Poſtremò. Ab illis qui dicebant, rationem eſſentialem ſacramenti eſſe, vt ſit ſignum practicum, non verò quod ſit cauſa gratiæ, petendum eſt, quid intelligant per ſignum practicum. Vel quod gignat cognitionem practicam. Et hoc in caſu noſtro dici non poteſt; quia non apparet, quæ cognitio practica, & in quo intellectu, gignatur per ſacramentum. Vel quod gignat effectū ſeu operationem ipſam. Et ſic vltrò contendimus, hanc eſſe rationem eſſētialem ſacramenti, hoc intelligimus per vim cauſandi & conferendi gratiam, per ſignum cauſandi & faciendi. Ita dicimus, ſacramentum eſſe ſignum cauſatiuum potiùs quàm oſtenſiuum gratiæ. Item dum negant, rationem eſſentialem ſacramenti conſiſtere in cauſando: vel id negare volunt de quacunque cauſalitate, & ſic deſtruunt quod fatentur conſiſtere in ſignificando practicè. Vel tantùm volunt, non eſſe de eſſentia ſacramenti cauſalitatē phyſicam, quam aliàs tribuunt ſacramentis nouæ legis. Et tunc, ſi ſacramenta ſunt hoc modo cauſa gratiæ, dicere non debebant eſſe ſigna practica: quia ſignum practicum dici tantùm debebat ratione cauſalitatis moralis: cauſa enim moralis eſt, quæ per modū ſigni inducit effectum: Dicere quoque debebant potiùs, hanc vim cauſandi phyſicè, eſſe rationem eſſentialem ſacramentorum nouæ legis. Ita quod ſi putent, quædam ſacramenta eſſe cauſas phyſicas, quædam morales, communis ratio ſacramenti eſſet vis cauſandi in communi; ſub qua duæ ſpecies diſtinguerentur, penes duos cauſalitatis modos.

Quomodo ſignificatio & cauſalitas in ſacramēto ſe habeāt.

Iam verò ex his colligendum eſt, qualiter in ſacramento ſe habeant ſignificatio & cauſalitas. Nam alij ſupponere videntur, ſe habere tanquam rationes diuerſas & veluti diſparatas. Suarez ſect. 2. ait, alteram eſſe de genere actionis, & alteram de genere relationis, & vtranque includi in eſſentia ſacramenti, ſed magis formaliter ſignificationem. Thomiſtæ vero, ſupponentes ſignificationem eſſe qua conſtituatur eſſentia ſacramenti; aliqui dicunt, cauſalitatem coniungi per accidens: aliqui ſe habere tāquam proprietatem conſequentem: aliqui ſe habere tanquàm modum completiuum. Sed hæc omnia non rectè dicuntur, vt ex dictis manifeſtè concluditur. Dicique debet, ſignificationem in communi ſumptam, abſtrahendo à ſignificatione faciendi & cognoſcendi, ſiue à ſignificatione cauſatiua & oſtenſiua, ſe habere tanquam genus quoddam ſuperius ſacramento: ſignificationem autem cauſatiuam, ſiue ad faciendum, eſſe differentiam eſſentialem determinatam ſacramenti, in ordine ſcilicet ad ſanctificationem hominis: ſignificationem demum oſtenſiuam ſe habere tanquam proprietatem conſequētem ad eſſentiam; ex eo enim quod ſacramentum facit hominem ſanctum, facit conſequenter vt id cognoſcatur.

Vera definitio ſacramenti.

Colligendum quoque eſt, qualiter tandem debeat ſacramentum completè definiri. Et hæc erit optima eius definitio: *Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ſacrum diuinitus inſtitutum ad ſanctificandum.*

Digitized by Google

eandum hominem. Vbi, cùm definiatur ſacramentum in communi, debet intelligi ſanctificatio in communi, ſub ſe complectens non ſolùm internam, ſed etiam externam. Et dum dicitur, inſtitutum ad ſanctificandum, planè denotatur cauſalitas ſacramenti, & determinatur ratio ſigni ad ſignum faciendi. Iuxtà hanc definitionem, facilè etiam definietur in ſpecie ſacramentum nouæ legis. Poſſet enim hæc ipſa definitio per excellentiam intelligi de euangelicis ſacramentis, quibus nempe homo ſanctificatur perfectè per internam gratiam. Poteſt ad omnimodam claritatem addi, à Chriſto Domino inſtitutum, ad perfectè ſanctificandum hominem per internam gratiam. Fatendum etiam eſt, poſſe quoque ſacramentum ſatis benè definiri abſque nomine ſigni. Vel abſolutè dicendo, eſt aliquid ſenſibile ſacrum &c. Vel ſub nomine cauſæ, eſt inſtrumentum, eſt medium, diuinitus inſtitutum ad ſanctificandum hominē. Neque hoc videatur nouum. Nam & ſupra relatæ ſunt quædam definitiones abſque nomine ſigni, ſed ſub nominibus denotantibus potiùs cauſalitatem. Imo iuxta ſententiam eorum qui volunt ſacramenta eſſe cauſam phyſicam gratiæ, magis ſub nomine cauſæ, quàm ſub nomine ſigni, debebat ſacramentum definiri. At dicendo eſſe cauſam moralem, vt tractabimus q. 62, ſic aptè definitur ſub nomine ſigni: quia hoc nomen ſatis commodum eſt, vt determinetur per cauſalitatem moralem.

Explicatur S. Thomas. Ad auctoritatem S. Thomæ, qui videbatur eſſentiam ſacramenti in ſignificatione, non in cauſalitate conſtituere, dicendum eſt: S. Tho. apertè dixiſſe, ſacramentum dici poſſe, vel per ordinē ſigni, vel per ordinem cauſæ ad ſanctitatem. Sed quia tunc in illo articulo quærebat an ſacramentum eſſet ſignū, affirmauit dicendo, ſe ſumere illud tanquam ſignum, & ſecundùm hoc poni in genere ſigni: tractaturus poſtea multò magis de ſacramento in quantum habēt rationem cauſæ. In ſolutione vero ad 1. afferre voluit diſparitatem inter medicamentum & ſacramentum: non ad negandam omnem ſacramenti cauſalitatem, ſed propter diuerſos cauſandi modos, vt ſatis ex verbis eius apparet.

Soluitur oppoſitum fundamentum. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, ſumptum ex conſueto modo definiendi ſacramentum ſub nomine ſigni, dicendum eſt: in primis inueniri ſacramentum alijs quoque modis definitum, abſque nomine ſigni, & potiùs per nomina cauſalitatis, vt dictum eſt. Deinde, interdum definitum eſt ſacramentū ſub nomine ſigni, quatenus ſacramentū per ſimilitudinem externarum rerum, repreſentat quodammodo illud quod interiùs geritur. Atque ſic planè ſacramentum ſumpſit Auguſtinus lib. 10 de Ciuit. Dei cap. 5., ex quo ſumpta eſt communis illa definitio ſacramenti, *Sacra rei ſignum*. Nam Auguſt. ibi propriè de ſacrificio loquebatur: & hæc ſunt eius verba, *Sacrificium viſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt ſacrum ſignū eſt*. At iam ab initio diximus, modò non tàm ſumi ſacramentum, prout formaliter dicit illam ſimilitudinem & repreſentationem, quàm potiùs prout dicit inſtitutionem diuinam ad placitum. Demum, cùm dictum ſit, ſignum in definitione ſacramenti debere ſumi communiter ad ſignum cauſatiuum & practicum, ac determinari per alias ſequentes particulas ad ſignum cauſatiuum: nihil iam præiudicat nomen ſigni, quominùs eſſentia ſacramenti formaliter in eo quod habet vim ſanctificandi conſtituatur.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Sacramentum conſtet Rebus & Verbis, tanquam Materia & Forma.

POteſt vno modo deſignari conſtitutio ſacramenti ad inſtar compoſitionis ex materia & forma: dicendo, materiam ſacramenti eſſe omnem actionem, quæ in illo interuenit; formam eſſe ſignificationem ſeu vim cauſatiuam ſanctitatis. Tamen quia plures actiones ſacramentum conſtituunt, vt in Baptiſmo ablutio & verborum prolatio: ideo in hoc præcipuè conſideratur compoſitio ſacramenti ex his pluribus actio-

actionibus : & dicitur ſacramentum conſtare rebus & verbis, per verba intelligendo quæ ore proferuntur, & per res, alias actiones ſeu res interuenientes.

Num hæc compoſitio ſpectet tantum ad actiones vel etiam ad ſignificationem ſacramenti.

Primo ergo volunt aliqui, compoſitionem hanc ſpectare ſolum ad entitatem realem & ſenſibilem ſacramenti, à ſignificatione diſtinctam, non verò ad ipſam ſignificationem. Ità contendit Caietan. hic art. 6. Quia nempe, non vult, in ablutione & verborum prolatione, v. g. Baptiſmi, ineſſe duas partiales ſignificationes, conſtituentes vnã totalem, ſed potiùs eſſe vnam ſimplicem, conſurgentem ex vtraque illa actione coniunctim, ſiue ex toto ſacramentali compoſito. Putatque hoc eſſe de mente S. Thomæ. Adhærent Conink eodem art. 6. nu. 36., & Vazq. diſp. 129. cap. 2.

Ex oppoſito volunt alij, compoſitionem ex rebus & verbis pertinere etiam ad ipſam moralem ſignificationem, ideſt ineſſe duas partiales ſignificationes, alteram ablutioni, & alteram prolationi verborum, conſtituentes vnam totalem ſignificationem. Ita Suarez diſp. 2. ſect. 2., Bellarm. lib. 1. de Sacrament. cap. 18. propoſ. 3, & in re Valent. q. 1. puncto 2. aſſert. 2. Et putant, hoc potiùs eſſe de mente S. Tho., qui ſanè art. 6. in corp. & ad 2. huic parti magis fauere videtur.

Pro reſolutione diſtinguendum eſt. Aut ſignificatio ſacramenti ſumitur pro ſimilitudine & proportione in repræſentando effectum ſacramenti. Et in hac ſignificatione inuenitur compoſitio dicta duplicis partis : tàm enim in ablutione per ſe, quàm in prolatione verborum per ſe, adeſt partialis aliqua ſimilitudo ad repreſentandum effectum Baptiſmi. Et in hoc præcipuè ſenſu loquutus eſt S. Thomas, vt legenti patebit. Aut ſumitur pro inſtitutione facta ex beneplacito Dei, ſiue pro diuina promiſſione de conferenda ſanctitate, pro vi cauſatiua ſacramenti erga certum effectum. Sic certe non inſtituit Deus, non promiſit, non indidit hanc vim, niſi ſumpto toto ſacramento ſimul, includente res & verba, per modum ſimplicis ſignificationis ſeu cauſalitatis inuiſibilis. Vnde ſic non poſſunt diſtingui duæ partiales ſignificationes in rebus & verbis : neque erit vna ſignificatio compoſita ex duabus partibus : ſed eſt vna ſimplex conſiſtens in inſtitutione diuina. Et hæc propriè ſignificatio eſt de ratione & eſſentia ſacramenti, prout hîc ſumi debet. Quædam verò argumenta quæ Bellarm. pro ſua parte affert, probant tantùm de ſignificatione ſacramenti primo modo ſumpta, vt explicauimus.

Num omnia ſacramenta cõſtent rebus & verbis.

Secundò. Vt videamus, num omnia ſacramenta, aut quænam, rebus & verbis conſtent : communis quidem Theologorum ſententia docet, vetera legis ſcriptæ ſacramenta, in ſolis rebus & actionibus ſenſibilibus, non autem in verbis vllis inſtituta fuiſſe, ſacramenta autem omnia nouæ legis conſtare rebus & verbis. Ita S. Thom. hîc art. 6., alijque tum hoc loco, tum in 4. diſt. 1. Durandus tamen ea diſt. quæſt. 3. num. 5. admittit in aliquo ex veteribus ſacramentis, præter res interfuiſſe verba, ſcilicet in ſacrificio Zelotipiæ, in libro Numeri cap. 5., vbi præter varias actiones debebat Sacerdos plura verba dicere, *Adiurabitque eam & dicet, ſi non dormierit vir alienus tecum, &c.* Aſſerit deinde Durand. num 6. & 7., omnia nouæ legis ſacramenta conſtare verbis, excepto matrimonio, quod etiam litteris & nutibus perfici poteſt. Demum num. 8. docet, non omnia ſacramenta conſtare rebus præter verba : quia Pœnitentia ſolis verbis perficitur, & Matrimonium ſolis verbis perfici poteſt & ſolet.

Vetera ſacramenta non conſtabant verbis, niſi fortè aliqued.

Dicendum ergo eſt, vetera ſacramenta vt plurimum in rebus ſine verbis inſtituta fuiſſe, forte tamen aliquod etiam in verbis : noua autem ſacramenta abſolutè loquendo dici debent omnia conſtare rebus & verbis : ita tamen, quòd plurima in toto rigore, quædam æquiualenter. De veteribus ſacramentis patet inductione. Nam in circumciſione Geneſ. 17., ſola actio deſignatur, nulla facta mentione verborum. Similiter in ritu agni paſchalis Exodi 12., in conſecratione Leuitarum & Sacerdotum Leuitici 8., vt ſic in alijs. Cuius inſtitutionis optima etiam ratio redditur à Theologis : quoniam antiqua lex

erat

erat imperfecta, erat vmbra futurorum, habebat imperfecta ſacramenta. Quæ proinde imperfectam ſignificationem habebant, ſcilicet in rebus ſine verbis: quoniam verba ſunt præſtantiora inter humana ſigna. Sed fortè aliquod ex veteribus ſacramentis inuoluebat etiã verba. Non quidem in exemplo illo Durandi: quia illud erat ſolùm ſacrificium, non verò proprie ſacramentum, cùm non eſſet per ſe inſtitutum ad ſanctificandum. Extat tamen aliud exempli Numeri 6., vbi in conſecratione Nazaræi, in quodam caſu, præter alios ritus, ponitur, *Et deprecabitur pro eo Sacerdos*: & fortaſſe aliquod aliud ſimile exemplum reperietur. Vbi talis deprecatio fieri debebat per aliqua externa verba, & erat ſuo modo de ſubſtantia illius ſacramenti. Siquidem & in aliquo noſtro ſacramento adhibentur verba per modum deprecationis, ſcilicet in Extrema vnctione. Poterat etiam ſacramentum & remedium paruulorum in lege naturæ exerceri per verba, in quo non erat præſcripta certa actio, vt ſect. ſequenti dicemus.

Nouæ ſacramenta verè conſtant rebus & verbis.

De euangelicis ſacramentis, conſtare rebus & verbis, ſatis quidem patet traditione & vſu Eccleſiæ, & inductione in ſingulis. In Scriptura verò habetur expreſſe de Baptiſmo Matt. vlt., *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*: vbi res eſt ablutio, verba ſunt hæc ipſa quæ à miniſtro proferuntur. Vnde & Apoſt. ad Epheſ. 5. dixit, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Item de Euchariſtia Chriſtus accepit panem & vinum, & dixit atque inſtituit conſecratoria verba. De Extrema vnctione Iacobi 5., *Vngentes eos oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum*. Rurſus SS. Patres idem frequenter docent. Inter quos D. Auguſt. tract. 8. in Ioann. ſcriptum reliquit, *Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum*: vbi elementum vocauit, non phyſico more, ſed pro rebus ſeu actionibus ſenſibilibus, ſuper quas verba cadunt. Et tandem Concilium Florentinum ſimpliciter & abſolutè de noſtris ſacramentis expreſſit, conſtare rebus & verbis. Ratio à priori huius inſtitutionis, fuit voluntas Chriſti, qui cùm multis modis potuiſſet ſua ſacramenta inſtituere, maluit hoc modo pro ſua excelſa ſapientia. Et plures congruentiæ rationes adducit & ſatis explicat D. Thomas in textu: aliæque facilè excogitari poſſunt.

Aliqua ſaltem æquiualenter.

Sed quædam ex his noſtris ſacramentis, ſi non in toto rigore, ſaltem æquiualenter conſtant rebus & verbis, ſcilicet Pœnitentia & Matrimonium. Nam in Pœnitentia, omnino quidem interueniunt verba abſolutionis: ſed tamen etiam confeſſio perficitur verbis; & licet poſſit etiam aliter perfici, vtpote nutibus, tamen optimè fit per verba. Et hæc confeſſio, tàm verbis, quàm alio modo facta, ſe habet in hoc ſacramento tanquam res. Et adeſt quoque pro re & materia, actus contritionis vel attritionis internus. Et peccata quoque dicuntur materia remota. Matrimonium verè poteſt, aut ſolis verbis, aut ſolis nutibus perfici: tamen vel verba ſeu nutus vnius coniugis ſe habent vt res, alterius vt verba: vel vtriuſq; coniugis ſub ratione traditionis vt res, ſub ratione acceptationis vt verba: vel magis propriè conſenſus internus eſt res, expreſſio externa eſt verba: vt proprio tractatu de Matrimonio inquiremur. De Euchariſtia autem eſt alia ſpecialis difficultas: quomodo in fieri per res & verba conſtituatur, ſed in facto eſſe per ſolas res ſine verbis permaneat: de qua etiam ſuo loco tractabimus.

Verba adhibentur per modũ conſecrationis, non verò concionis.

Tertiò. Vt videamus, qualiter ſacramenta ita conſtent ex rebus & verbis, vt ſe habeant ad inſtar compoſiti ex materia & forma: ſtatuendum eſt, verba eſſe prorſus de ſubſtantia & eſſentia ſacramenti, aduerſus quoſdam recentiores Hæreticos, qui in conficiendis ſacramentis verba admittunt ſolùm per modum concionis ad populum docendum & exhortandum, ſiue ad excitandum motum fidei in mente audientium, & ideo dicunt, verba in ſacramentis eſſe concionatoria, non conſecratoria. Statuendum inquam de fide eſt, in ſacramentis, verba eſſe conſecratoria, non concionatoria. Hoc enim habetur ex Scriptura, ex doctrina & conſuetudine Eccleſiæ. Itaque verba

ex

Digitized by Google

ex hac parte omnino ſunt de eſſentia ſacramenti. Pluribus id probat contra Hæreticos Bellarmin. lib. 1. de Sacramentis, & ſimiliter alij Catholici Scriptores.

Sacramentum eſſentialiter & directè cõſtat vtraque parte tanquam materia & forma.

Ex Theologis verò Sotus in 4. d. 3. loquens de Baptiſmo, & d. 14. loquens de Pœnitentia, indicauit, eſſentiam ſacramenti per ſe & directe in ſolis rebus ſeu materia conſiſtere, connotare autem verba ſeu formam. Sequitur Cabrera hîc art. 6., immerito tamen dicens hanc eſſe communem Theologorum ſententiam. Ex aduerſo Scotus in 4. d. 14. agens de Pœnitentia, indicauit huius ſacramenti eſſentiam in ſolis verbis Sacerdotis, ideſt in ſola abſolutionis forma conſiſtere; ſupponere autem rem & materiam, ideſt pœnitentis confeſſionem. Sed Vaſq. diſp. 129. cap. 5, explicat Sotũ, quod ſolum voluerit, ſacramentum importare in recto materiam, & in obliquo formam: Scotum è conuerſo: ita tamen vt vtraque pars, ſit intrinſeca & eſſentialis.

Dicendum itaque eſt, eſſentialiter & intrinſece conſtare rebus & verbis, tanquam materia & forma. Hæc vere eſt communis Theologorum ſententia. Et patet, tum ex communi modo loquendi: omnes enim appellant res & verba, materiam & formam ſacramenti: & Concilium Florent. eodem modo loquitur. Quare ſicut materia & forma ſunt per ſe de eſſentia compoſiti, ita res & verba de eſſentia ſacramenti. Tum quia vere tàm res quàm verba, ſunt de neceſſitate & ſubſtantia ſacramenti, ſunt inſtituta à Deo, habent ſacramentalem ſignificationem, & vis conferendi gratiam in vtraque parte coniunctim exiſtit: ergo ſacramentum directe & eſſentialiter includit vtranque. Tum etiam dici non poteſt, alterutram ſe habere vt conditionem requiſitam, non vt partem intrinſecam: ſicut intentio conficiendi in miniſtro, & ſuſcipiendi in recipiente, eſt conditio requiſita, non autem pars intrinſeca & eſſentialis. Nam huiuſmodi intentio ſe tenet ex parte cauſæ effectiuæ & ſubiectiuæ, quæ ſunt cauſæ extrinſecæ, & non ſunt de eſſentia rei: ſed materia & forma ſunt prorſus de intrinſeca conſtitutione & eſſentia compoſiti, vt patet in omni naturali & artificiali compoſito. Tum demum recte hæc conſtitutio ſacramenti aſſimilatur compoſitioni ex materia & forma: non vtique quaſi ſacramentum ſit quid per ſe vnum, ad inſtar compoſiti ſubſtantialis: ſed quia eſt vnum artificiale, ſicut v. g. domus, aut nauis, & ſimilia. Et res quidem ſe habent in ſacramento, velut quid indeterminatum, verba velut quid determinans: ideoque res vt materia, verba vt forma. Quare dici etiã debet totum ſacramentum in recto importare vtranque partem, tanquam quid compoſitum ex vtraque.

Vtraque pars debet moraliter coniungi.

Quarto tandem. Vt videamus, an ſacramentum requirat intrinſece & eſſentialiter vnionem talium partium, ſicut in omnia alia compoſitione: certum eſſe debet, requirere coniunctionẽ aliquam inter res & verba, non vtique per informationem, ſed per temporis ſimultatem. Nam ſi notabili interuallo temporis diſiungantur, non perficitur ſacramentum. At non propterea requiritur phyſica & indiuiſibilis ſimultas temporis: ſed ſufficit moralis & humano modo. Quæ autem & quanta eſſe debeat: Caietan. tomo 1. Opuſculor. tract. 26., agens de ſacramento Ordinis, contendit oportere, vt ſaltem in aliqua parte actio ſenſibilis & verborum prolatio, ſimul in vno communi ſpatio temporis coniungantur: ne videlicet vna abſoluatur antequam altera inchoetur. Sequitur Nugnus hic art. 6., & Zambran. de Caſib. occurrentib. temp. mortis cap. 1. dub. 2. Idemquè indicarunt Scotus in 4. d. 6. q. 2. art. 2., Riccard. d. 5. art. 4 q. 2. Nauar. in ſum. cap. 22. num. 7. Sed neque hoc eſſe ſimpliciter neceſſarium, aduertunt Suarez diſp. 2. ſect. 2., Henriq. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 9. num. 10., Layman lib. 5. Moral. Theolog. tract. 2. cap. 7. nu 5, Villalobos tomo 1. Summæ. tract. 4. difficul. 2., Bonacina de Sacram. in gen. q. 2. puncto 2., Fernandez de Heredia de Sacram. in gen. par. 6. dub. 2. num. 6., Diana in Reſolutionib. moralib. par. 3. tract. 4. reſolut. 6. Sufficit ergo tanta coniunctio ſeu propinquitas tempo-

ris,

Digitized by Google

ris, quanta moraliter requiri videbitur ad verificandum ſenſum verborum determinantem applicationem materiæ. Quod totum prudenti iudicio & humano more æſtimandum eſt, ſicut in alijs ſimilibus humanis rebus & negotijs cenſeretur. Vnde iuxta diuerſitatẽ ſacramentorum, poterit maior aut minor propinquitas temporis eſſe neceſſaria & ſufficiens. Videlicet in ſacramento Pœnitentiæ & Matrimonij, poteſt maior diſtantia admitti, inter accuſationem pœnitentis & abſolutionẽ Sacerdotis, inter conſenſum vnius atque alterius coniugis, quàm in alijs ſacramentis. In praxi autem obſeruandum eſt, vt materia & forma ſacramẽti taliter coniungantur, quòd ſine periculo & dubio, ſed modo certo & tuto ſacramenta adminiſtrentur.

In pluribus non refert quæ præcedat vel ſequatur.

Item non oportet, vt ordine temporis præcedat aut priùs incipiat actio quæ eſt materia, quàm verborum prolatio quæ eſt forma ſacramenti. Quinimo etiam ſi miniſter priùs incipiat verba proferre, & conſequenter alteram actionem exerceat, videlicet ablutionem in Baptiſmo, vnctionem in Confirmatione & Extrema vnctione, traditionem inſtrumentorum in Ordine, pariter validum conficit ſacramentum. In Matrimonio nihil refert, viri an feminæ conſenſus præcedat vel ſequatur: & fortaſſe etiam ſi conſenſus internus ſequatur poſt expreſſionem externam, quando hęc antea fuiſſet ficta, valet matrimonium, vt ſuo loco tractabimus. Sed ex obligatione ſaltem debet præcedere ſeu adeſſe internus conſenſus, quando ad extra exprimitur. In Pœnitentia tamen debet omnino accuſatio pœnitentis præcedere abſolutionem Sacerdotis: quia ſic poſcit ordo iudicij. Et in Euchariſtia debet adeſſe præſens materia panis & vini, quando incipiunt verba proferri, vt verificetur pronomen demonſtratiuum ex quo incipit conſecratio. Sed in alijs prædictis ſacramentis id non requiritur. Quamuis enim in cõpoſito naturali & artificiali, materia præcedat formam: tamen in hoc morali compoſito ſufficit quicunque coniunctionis ordo. Et dictum illud Auguſtini, *Accedit verbum ad elementum*, non tàm refertur ad ordinem realis exequutionis, quàm potiùs noſtræ conſiderationis, qua conſideramus per verba determinari materialem actionem ſenſibilem.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Res & Verba Sacramentorum determinata ſint ex inſtitutione diuina, ita vt mutari non poſſint.

Verè ſunt determinata ex inſtitutione diuina.

PRimò. Certum eſt, fuiſſe ex diuina inſtitutione determinatas certas res & verba, quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti. Ita S. Tho. art. 5. & 7., alijque Theologi communiter. Patet in veteribus ſacramentis: actio circunciſionis fuit deſignata à Deo: & ſic alij ritus in quibus inſtituta fuerunt ſacramenta Moſaycæ legis. Non extendit autem hanc determinationem S. Thomas ad ſacramenta quæ erant in lege naturę ante inſtitutam circunciſionem. Nam art. 5. ad 5. concedit, homines olim ſolo interiori inſtinctu determinari conſueuiſſe ad illa ſigna ſenſibilia, quibus vti debebant ad remedium ſalutis paruulorũ. Sed de hoc dicemus quæſt. ſequenti. Præcipuè in lege noua conſtat, determinatum fuiſſe à Chriſto, quicquid eſt de ſubſtantia noſtrorum ſacramentorum, nempe res & verba. Ità habetur ex perpetuà traditione & communi ſenſu Eccleſiæ, ex doctrina Conciliorum & Patrum, tum loquendo in genere de his ſacramentis, tum de ſingulis in ſpecie. Et de quibuſdam habetur expreſsè in ipſa Scriptura noui Teſtamenti: videlicet vt Baptiſmus perficiatur ablutione aquæ & inuocatione Trinitatis: Euchariſtia ex pane & vino & verbis conſecrationis. Sed tamen non de omnibus ſacramentis ſcripto accepimus ab ipſis Apoſtolis, quæ ſint res & quæ ſint verba, quibus confici debeant. Iidem tamen Apoſtoli didicerunt à Chriſto, & conſequenter voce ſua Eccleſiæ tradiderunt, ea quæ erant de ſubſtantia ſingulorum ſacramentorum, vt de ſingulis tractando

Digitized by Google

dicemus. Et ratio huius denominationis eſt, quia ſignificatio & vis ſacramẽtorum, eſt diuinæ inſtitutionis: nullæque res aut verba ex vi ſua aut ex vlla humana poteſtate, habuiſſent hanc ſacramentalem ſignificationem & vim. quare ipſemet Chriſtus determinare voluit, quænam res & verba in ſingulis ſacramentis adhiberi deberent: neque reliquit vt hæc determinatio ab hominibus ſeu Eccleſia fieret. Et quidem conuenientiſſimè ita factum eſt, tum ob dignitatem ſacramentorum, tum ob certiorem conformitatem in Eccleſia conſeruandam.

Nõ poſſunt, etiam ab Eccleſia ſubſtantialiter mutari.

Secundo. Hinc ſequitur, non poſſe res aut verba ſacramentorum ſubſtantialiter mutari aut variari, non ſolum inquam priuato cuiuſquam arbitrio, ſed nec etiam totius Eccleſiæ auctoritate. Quare ſi quis mutet res aut verba determinata, non cõficeret validum ſacramentum. Sic poſtquam in antiqua lege, pro ſacramento paruulorum fuit circuncìſio deſignata, nulla humana diſpoſitione vel auctoritate poterat hæc actio in aliam commutari: & ſic de alijs. Similiter in lege noua; quia à Chriſto Domino deſignata fuit ablutio aquæ; nulla alia actio ſufficeret vel poſſet ab Eccleſia adhiberi loco ablutionis, pro ſacramento Baptiſmi. Et cùm determinata etiam ſit ablutio per aquam, ex illis verbis Chriſti Ioann. 3., *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.*, iam non poteſt hæc ablutio per alium liquorem fieri. Et ſic in rebus aliorum ſacramentorum. Sic etiam in verbis, non poteſt ſubſtantialis mutatio fieri extra determinationem factam à Chriſto Domino. Non poteſt perfici ſacramentum abſq; talibus certis verbis, quæ reddant ſenſum à Chriſto inſtitutum, ac deinceps in Eccleſia retentum & vſitatum: ſed ſi taliter varientur verba vt tranſeant in alium ſenſum, non perficitur ſacramentum.

Non eſt facta ſubſtantialis mutatio in ſacramento matrimonij.

Aduerſus tamen hanc doctrinam, aliqua difficultas occurrit de ſacramento Matrimonij. In quo nempe non apparet certa determinatio, quæ fuerit facta à Chriſto Domino. Quinimò poteſt perfici coniugalis contractus varijs verbis & modis, vtpote etiam per procuratorem, etiam per litteras, etiam per nutus, vt ſupponimus. Et in quo potius apparet quædam ſubſtantialis mutatio, facta auctoritate Eccleſię, ſcilicet Concilij Tridentini. Olim enim valebat matrimonium clam contractũ inter coniuges: ſed poſtmodum in hoc Concilio decretum eſt, vt validum non ſit, niſi contrahatur coram Parocho & quibuſdam teſtibus.

Sed ad hoc facile dicitur, ſubſtantiam huius ſacramenti fuiſſe determinatam à Chriſto Domino in contractu humano coniugali valido: & ideo, quia validitas humani contractus eſt res moralis, non autem phyſica & naturalis, reliquiſſe rationem huius contractus in ſuo ſtatu ſub humana poteſtate & variabilitate: ſolùm faciendo & inſtituendo, vt humanus contractus coniugalis validus, qui inter quaſcunque nationes & ſectas iniri poteſt, aſſumeret inter Fideles ſtatum etiam ſacramenti; qualicunque modo fieret talis contractus, dummodo eſſet humana inſtitutione validus. Quia ergo hic cõtractus poteſt pluribus modis iniri validè, non ſolùm per verba inter præſentes, & per qualiacunque verba exprimentia coniugalem conſenſum; ſed etiam per nutus, per procuratorem, per litteras, exprimentes eundem conſenſum: ideo his omnibus modis perfici poteſt hoc ſacramentum. Et quia rurſus, humana poteſtas vltrò variare poteſt ea quæ ſpectant ad validitatem contractus; & optimè potuit Eccleſia requirere certas conditiones ad validitatem tàm huius quàm aliorũ contractuum: inde potuit cadere hæc mutatio in hoc ſacramentum. Non quidem per ſe & directè vt ſacramentum eſt; ſed vt humanus contractus eſt. Nullatenus autem potuiſſet Eccleſia facere, vt contractus validus matrimonij; non eſſet validum ſacramentum: quia hoc erat inſtitutum ac determinatum à Chriſto Domino. Sicut certè, nulla humana poteſtate fieri poteſt, vt aqua non ſit ſufficiens & apta materia ad Baptiſmum, vel vt alius liquor præter aquã ſit ſufficiens: tamen ſi fiat, vt certa aqua mutetur in alium liquorẽ, ſic fieri poteſt vt nõ ſit apta materia: & è contra ſi fiat vt alius liquor

mute-

mutetur in aquam, ſic fieri poteſt vt ſit apta materia. Et ad ſacramenta Confirmationis & Extremæ vnctionis, vnguentum & oleum, quod adhuc non erat apta materia, pontificali benedictione Epiſcopi fit apta materia: quia Chriſtus inſtituit vnguentum & oleum ſic benedictum.

Determinatio diuina habet intra ſe quandã latitudinem.

Tertiò vlterius addendum eſt, determinationem factam inſtitutione diuina de rebus & verbis ſacramentorum, habere latitudinem aliquam, intra quam poſſit abſque præiudicio ſacramenti aliqua variatio reperiri. Videlicet in rebus ſacramentorũ determinauit Chriſtus pro Euchariſtia panem triticeũ & vinum de vite: poteſt autem intra latitudinẽ huius panis & vini, talis variatio reperiri, quod panis ſit azimus aut fermentatus, quod ſit ex vna aut alia ſpecie tritici, quod vinum ſit album aut rubrum: etiam ſi inquam hæc cenſeantur ſpecie ſubſtantiali phyſica differre. Hanc ergo totam latitudinem rerum, quæ intra determinationem factam à Chriſto cadere poteſt, Chriſtus ſub arbitrium Eccleſiæ, ſeu miniſtrorum reliquit. Ita tamen quod non poteſt conſecrari panis ex alio genere frumẽti quàm ex tritico; nec vinum expreſſum ex pomis aliiſue fructibus præter vuas ex vite: quia hunc panem & hoc vinũ Chriſtus determinauit. Item in verbis ſacramentorum, determinauit quidem Chriſtus verba quantum ad ſenſum, id eſt vt proferantur verba reddentia talem ſenſum: non tamen determinauit, vt proferantur in hoc vel illo idiomate. Quare non in ſolo idiomate Hebraico vel Syriaco in quo loquebatur Chriſtus, poſſunt valide verba proferri. Quinimo etiam ſi quis vnius nationis, velit alio quouis idiomate ſacramentorum verba proferre, aut permiſceat quædam verba ex vno idiomate, quædam ex alio, adhuc validum perficit ſacramentum, vt notauit Caiet. art. 7. circa ſolutionem ad 2. Non tamen valeret, ſi quiſpiam ſuo arbitrio vellet nouas confingere voces, eiſque ſignificationem imponere, eaſque proferre: quoniam oportet accipere verba, quæ communiter apud aliquam nationem, ſiue in aliquo conſueto idiomate impoſita ſunt. In ſingulis autem ſacramentis videndum erit, quænam determinatio proprie facta fuerit à Chriſto, quænam res, quæ verba quoad ſenſum determinata ſint, vt appareat quæ variatio intra latitudinem eius inſtitutionis incidere poſſit. Nam videlicet in ſacramento Confirmationis determinauerit Chriſtum talem vnctionis ritum, tale vnguentum ex oleo & balſamo confectum, & ab Epiſcopo benedictũ: in ſacramento Ordinis, traditionem talium inſtrumentorum, aut impoſitionẽ manuum: in ſacramento Extremæ vnctionis verba per modum deprecationis: & ſic de ſingulis.

Mutatio accidentalis non vitiat ſacramentum.

Quarto. Hinc ſequitur, poſſe ex induſtria aut incuria miniſtrorum de facto accidere mutationem aliquam in rebus aut verbis ſacramentorum, ab eo ritu & more quem de facto Eccleſia ſeruat, quæ non vitiet ſubſtantiam ſacramenti. Videlicet mutatio accidentalis erit, ſi Sacerdos pro pane azimo in Eccleſia latina præſcripto & conſueto, ſumat ad conſecrandum panem fermentatum: ſi pro aqua baptiſmali benedicta, ſumat aquam communem aut marinam: & ſimilia in rebus. Item in verbis mutatio accidentalis erit, ſi quis ſumat alia ſynonima cum illis quibus de facto Eccleſia vtitur: vt ſi quis pro baptizo dicat abluo. Poteſt etiam accidentalis mutatio fieri, tranſponendo verba præter ordinem conſuetum: vt ſi quis dicat, Ego in nomine Patris &c. baptizo te. Vbi Durand. in 4. d. 3. q. 2. num. 9. notauit, quòd etiam ſi quis mutato ordine inter ipſas diuinas perſonas verba proferat dicendo, in nomine Spiritus ſancti Filij & Patris, non erit mutatio ſubſtantialis, ſed accidentalis: quia licèt de fide ſit, non ſolùm diſtinctio, ſed etiam ordo perſonarum; tamen hic ordo eſt originis, qui ſufficienter denotatur ipſiſmet nominibus ſingularum perſonarum: vnde non variatur ſenſus quoad ſubſtantiam. Rurſus poteſt eſſe mutatio accidentalis per interpolationem aliquam verborum, ſi ſit ita modica quæ non variet ſenſum: quod morali modo & prudenti iudicio diſcernendum eſt.

Inſuper poteſt eſſe accidentalis mu-

Digitized by Google

... mutatio in verbis, ſit ſubſtantialis aut accidentalis.

tatio, ſi vitioſa pronunciatione corrũpantur verba. Exemplũ eſt ex Zaccaria Papa cap. *Retulerunt* de Cõſecr. diſt. 3., ſi in Baptiſmo cõtingat verba ſic corruptè pronunciari, in nomine Patria & Filia. In hoc ergo genere mutationis obſeruandũ eſt, ſi humano more cenſeatur retineri idem ſenſus quoad ſubſtantiam, tunc perficitur ſacramentum. Alioqui talis poterit eſſe mutatio, quãuis in vna tantùm littera, vt moraliter cenſeatur peruertere ſenſum, & tunc non perficitur ſacramentum. Ita aduertit S. Tho. art. 7. ad 3., ſi v. g. quis diceret in nomine matris &c., vbi licet vna tantùm littera varietur: tamen quia prudenti exiſtimatione variatur apud audientes legitimus ſenſus, non perficitur ſacramentum.

Quã additio & detractio ſit ſubſtãtialis aut accidentalis.

Demum poteſt accidentalis mutatio fieri, addendo aut detrahendo aliquod verbum, permanente adhuc eodem ſenſu verborum. Sic notauit optime S. Thomas, verum perfici ſacramentum, ſi quis baptizando dicat, in nomine Patris omnipotentis & Filij vnigeniti & Spiritus ſancti paracliti: aut ex alia parte ſi prætermittat particulam ego, ſicut & in conſecratione Euchariſtiæ particulam enim. Si autem per additionem aut detractionem varietur legitimus ſenſus verborum, tunc mutatio erit ſubſtantialis, & ſacramentum reddetur irritum; ſi v. g. Arianus quis baptizaret dicendo, in nomine Patris maioris & Filij minoris, ſiue Patris increati & Filij creati: quo pacto non exprimeretur vera ſubſtantia Trinitatis. Similiter ſi quis taceret nomen alicuius perſonæ, aut in conſecratione prætermitteret ly hoc, aut meũ, vel aliam huiuſmodi particulam: quæ etiam eſſet ſubſtantialis mutatio, reddens irritum ſacramentum.

Explicatur dictũ Zaccaria Papa & S. Thomæ.

Difficile tamen eſt, quod adiungit Zaccarias Papa eodem cap., & S. Thomas art. 7. ad 3., ſi quis ex induſtria, & non ex imperitia, corruptè proferat verba, non conficere ſacramentum. Et quod aſſerit etiã S. Tho. art. 8. in corp., ſi quis aliquod verbũ addat aut diminuat intendens alium, ritũ inducere præter vſum Eccleſiæ, non conficere ſacramentum. Hoc totum inquam difficile eſt: quia vel talis aut tanta eſt verborum mutatio, quæ ſenſum vitiet; & tunc etiam ſi ex proferentis imperitia accidat, reddet irritum ſacramentum: vel eſt leuis mutatio, quæ ſenſum non vitiet; & tunc etiam ſi ex induſtria accidat, aut ex intentione inducendi nouum ritum, non eſt cur dicatur vitiare ſacramentum.

Propter hoc, fatendum eſt: ſi ille qui ſic malitioſè verba proferret, adhuc habeat legitimam intentionem conficiendi ſacramentum, ſiue faciendi quod facit Eccleſia, verè conficeret ſacramentum. Si autem ſic ex contemptu vel dolo verba proferret, vt non intenderet facere quod facit Eccleſia, tunc ex defectu intentionis non perficiet ſacramentum. Et hoc præſertim eſt, quod voluit ibi Pontifex, & in vtroque articulo S. Thomas, qui idcirco ait, *Quòd talis non videtur intendere facere quod facit Eccleſia, & ideo non videtur perfici ſacramentum*. Dixit, *videtur*: quia quando exteriùs apparet, quempiam ex induſtria & dolo verba mutare, ſuſpectam reddit ſuam intentionem, & conſequenter ſacramenti validitatem.

Quod ſi talis ſit mutatio formæ, vt ſenſus verborum reddatur ambiguus, ita vt poſſint quidem verba vno modo accipi in ſenſu legitimo, & alio modo in ſenſu peruerſo: tunc ſane multum faciet intentio proferentis. Si enim quis intendat verba in falſa ſeu aliena acceptione proferre, non conficiet ſacramentum: ſi autem verum ſenſum intendat, conficiet. Iuxta hoc S. Thomas art. 8. notauit, quod ſi quis baptizet dicendo, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti & B. Virginis; ſi intelligat ita in nomine B. Virginis, ſicut aliarum diuinarum perſonarum; talis ſenſus eſſet contrarius veræ fidei, & per conſequens vitiaret ſacramentum. Si autem ſolùm intelligat per modum inuocationis, implorando patrocinium B. Virginis; tunc adhuc conficeret verum ſacramentum.

Peccat miniſter mutationem faciens.

Cæterum, miniſter conficiens ſacramentum, quandocunque ita ſubſtantialiter res aut verba mutaret, vt illud irritum redderet, vtique mortale peccatum committeret, de genere ſacrilegij, aut etiam iniuſtitiæ, vel contra charitatem.

Digitized by Google

ritatem, ob damnum ſpirituale alterius cui confertur ſacramentum, debebitque repeti tale ſacramentum modo legitimo & valido. Peccabit etiam mortaliter, ſi ita res aut verba mutaret, vt valorem ſacramenti redderet dubium & incertum; quia exponit ſe periculo inualiditatis: & ſacramentum eſſet ſub conditione repetendum. Quando demum mutatio fit ſolùm accidentalis, ſaluo certo valore ſacramenti: tunc peccabit etiam miniſter id ex induſtria aut incuria faciens, ob irreuerentiam ſacramenti, vel inobedientiam Eccleſiæ. Non tamen ſemper hoc erit mortale peccatum: ſed erit mortale aut veniale pro grauitate aut leuitate mutationis: dari enim poteſt etiam in hac materia leuitas. Quando autem ſit mutatio grauis aut leuis, item ſubſtantialis aut accidentalis, & certa vel dubia, in multis caſibus particularibus dubitari contingit. Quare non poteſt id totum ſic in genere definiri, niſi iuxta regulas traditas: ſed magis in ſpeciali circa ſingula ſacramenta diſcutiendum ac definiendum erit.

SECTIO SEXTA.

De Alijs Cæremonijs & Sacramentalibus, quæ Sacramentis adiuncta ſunt.

Extāt plurima cæremonia & ſacramentalia in Eccleſia.

IN primis exploratum eſt, ſolere in Eccleſia adhiberi plurimas cęremonias, varias nempe res & actiones ſactas, tum in ipſa adminiſtratione ſacramentorum, Baptiſmi & aliorum, tum in celebratione ſacrificij Miſſæ, quæ cęremoniæ non ſint de eſſentia, & conſtitutione ipſius ſacramenti aut ſacrificij: tum etiam extra omne ſacramentum & ſacrificium, vt benedictio aquæ eiuſque aſperſio, benedictio candelarum, palmarum, & ſimilia. Et in lege Moſayca plura huiuſmodi erant. Quæ communi nomine Cæremoniæ appellantur: cęremonia enim dicitur actio religioſa & ſacra. Vnde etiam ipſa ſacramenta dicuntur cæremoniæ. Sed vt à ſacramentis cæremoniæ diſtinguantur, imuntur pro illis actionibus, quæ vltra ſacramentorum ſubſtantiam adiunguntur. Hæc autem omnia, quæ ſunt præter ſacramenta, ſiue ſint actiones & cęremoniæ, ſiue res ſacræ & benedictæ, alio nomine ſacramentalia appellātur.

Sunt laudabiles & vtiles.

Secundò. Non defuerunt Hæretici, qui omnes eccleſiaſticas cęremonias, præter eſſentiales ſacramentorum partes, audacter ſpreuerint. Et recentiores Sectarij, cęremonias quas Romana Eccleſia ſeruat, non ſolùm contemnere, ſed & tanquam ſuperſtitioſas damnare auſi ſunt. At meritò Eccleſia exercet, ac Theologi omnes commendant huiuſmodi ſacras cæremonias. Et Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 13. de Sacrament. in genere, oppoſitum damnauit errorem, ſic definiens: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Pluresque ſunt conuenientiæ rationes, ob quas hę cęremoniæ piè inſtitutæ ſunt, & ſtudioſe ſeruari debent: tum videlicet ad reuerentiam & decorem eorundem ſacramentorum: tum ad ornatum & ſplendorem ipſius Eccleſię: tum ad excitandam deuotionem Fidelium: tum ad ſignificanda per externos ritus quædam occulta myſteria & inuiſibiles effectus: tum ob alias huiuſmodi vtilitates.

Potuerunt ſub obligatione imponi.

Tertiò. Iidem Hæretici dixerunt, nō debuiſſe nec potuiſſe Eccleſiam inſtituere nouas cęremonias quæ nō eſſent inſtitutæ à Chriſto; aut ſaltem non debuiſſe obligare Fideles ad earum obſeruantiam, ad quam ipſa Chriſti lege obligati non erant. Hic etiam error damnatur ibi à Concilio, damnante eos qui dixerint, tales cęremonias poſſe à Miniſtris abſque peccato omitti. Nam etiam in veteri Synagoga, præter tot cæremonias quæ præſcriptæ & inſtitutæ erant ab ipſo Deo in lege quam tradidit per manum Moyſis, ad ditæ etiā fuerunt quædam aliæ ex decreto Superiorum: vtpote Iudith 16. in fine, Heſter 9., 1. Machab. 4. inſtituti fuerūt quidam dies feſtiui; in populo obſeruādi,

di. Et in Eccleſia Chriſti, antiquiſſimo iuſſu & vſu conſtat, certas ceremonias introductas fuiſſe, quamuis non eſſent inſtitutæ & iniunctæ ab ipſo Chriſto. Et multæ quidem excogitatę fuerunt ab ipſis Apoſtolis, & inueniuntur apud Dionyſium Areopagitam & Clementem Romanum, qui eas ab Apoſtolis acceperunt, & ſuis ſcriptis conſignarunt. Aliæ additæ ſunt à ſequentibus Pontificibus, qui omnes ad hoc habuerunt legitimam poteſtatem, traditam ab ipſo Chriſto ſuæ Eccleſiæ. Quæ omnia latiùs probat ac defendit præter alios Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 31. & 32.

Quos effectus habeant.

Quartò. Præcipuè videndum eſt, an & quem effectum, & quomodo, hæ eccleſiaſticæ cæremoniæ, & hæc ſacramentalia, dici debeant habere ad vtilitatem Fidelium. Conſtat autem, non habere propriam & peculiarem vim ad conferendam ex opere operato gratiã: quia hæc virtus ſolùm à Chriſto attribui poterat, & ſic attributa fuit ſolis illis, quæ dicimus ſacramenta. Sed alij plures receuſentur effectus, quidam ſpirituales, & quidam temporales. Spirituales, dare quædam auxilia, excitare pios motus in anima, remittere venialia peccata, delere pœnæ reatum, pellere & impedire Dæmones ne noceant. Temporales, liberare à morbis, arcere tempeſtates, extinguere animalia noxia, alijque ſimiles. Ad huiuſmodi effectus referuntur res ab Eccleſia benedictæ, exorciſmi, & alia ſacra remedia, quæ proinde piè & vtiliter ſolent à Fidelibus adhiberi.

Quomodo illos conferant.

Recognoſcunt ergo Fideles, & in confeſſo eſt apud Catholicos, hæc remedia multum iuuare & conferre ad hos effectus. Non quidem quaſi ſingula valeant ad omnes dictos effectus, ſed ſingula ad illos ad quos accomodata & ordinata ſunt. Dubium verò eſt, quonam modo operentur hos effectus. Ex vna enim parte videtur, non poſſe aliter conferre, quàm ex mero opere operantis, ideſt per meritum ſiue impetrationem eorum qui talibus remedijs vtuntur: quoniam non apparet maior poteſtas fuiſſe quoad hoc ipſi Eccleſiæ attributa: & experientia conſtat, non ſemper & infallibiliter per hæc remedia obtineri optatos effectus. Ad idem ſpectat, quod huiuſmodi res externæ valeãt per modum ſigni & motiui ad excitandas pias cogitationes, & conſequenter deuotos affectus & preces, quibus mereri & impetrare poſſumus apud Deum: ſicut ſanè præſtant ſacræ imagines. Ex alia parte videtur aliqua maior vis huiuſmodi remedijs tribuenda. Communi enim exiſtimatione Fidelium, plus hæc valere, & efficaciora cenſentur, quàm alij actus meritorij & impetratorij, qui priuato cuiuſque arbitrio & inſtinctu exercentur. Vnde Bellarm. cap. 31. citato propoſ. 3. ait, probabile eſſe, Chriſtum non ſolùm inſtituiſſe ſacramenta ad conferendam gratiam, ſed etiam dediſſe poteſtatem Eccleſiæ ad inſtituenda hæc alia remedia, quæ ad hos alios effectus, non ſolùm per modum meriti & impetrationis ex parte operantis, ſed etiam ex opere operato valerent. Idque defendit Carthagena hic diſp. 3. de Sacrament. Et Suarez diſp. 15. ſect. 6. ad finẽ, id probabile reputauit quoad aliquem effectum, ſcilicet expulſionem Dæmonum. Imo S. Thom. infra q. 71. art. 3. & q. 83. art. 3. ad 3. indicauit, hæc remedia habere hoc modo vim, tum ad expulſionem Dæmonum, tum ad præbenda auxilia gratiæ, ſeu excitandos pios motus in animo. Et ſpecialiter dici ſolet, valere hæc remedia ad remiſſionem venialium peccatorum.

Conferunt per intercessionem Eccleſiæ.

Propter hæc, fatendum eſt, huiuſmodi remedia non ſolùm habere vim per modum merę impetrationis & meriti, ipſius particularis hominis qui ijs vtitur: ſed nec oportet admittere, habere vim propriè & in rigore ex opere operato: ſed media quadam via habere peculiarem vim per applicationem & interceſſionem ipſius Eccleſiæ. Conſiderare enim debemus in vſu talium remediorum, non ſolùm deuotionem, & orationem, & meritum perſonæ priuatæ, ſed etiam merita & interceſſionẽ totius Eccleſiæ. Eccleſia enim, dum inſtituit aut exercet illas actiones, aut benedicit illas res, quæ ad certos referuntur effectus, applicat ad id ſua merita, rogat Deum, vt illa beneficia largia-

giatur, vt patet in iiſdem orationibus ſuper tales res ab Eccleſia inſtitutis: & Miniſter qui benedicit, agit nomine publico, tanquam legitime aſſumptus & ordinatus. Eccleſia autem, digniſſima eſt, quæ exaudiatur a Deo. Sic ergo talia remedia hanc peculiarem vim habent ad ſupradictos effectus. Concedi etiam poteſt aliquid plus ad expulſionem Dæmonum: nempe non ſolùm per modum interceſſionis ad Deum, ſed etiam per modum imperij & auctoritatis ſuper ipſos Dæmones. Præterea ad delendum reatum pœnæ temporalis qui ex culpa remiſſa relinquitur, Eccleſia habet directam poteſtatem, Indulgentias largiendo, de quibus proprio tractatu agendum erit. Ac demum, qualiter dicta remedia valeant ad remiſſionem venialium peccatorum, poſtea circa modum huius remiſſionis ſub Pœnitentiæ ſacramento, ex profeſſo videbimus.

QVÆSTIO SEXAGESIMAPRIMA

De Conuenientia & Neceſſitate Sacramentorum.

NECESSITATEM Sacramentorum non vltra differendam ratus Thomas, quam non primo loco poſuit, ſaltem ſecundo inter has generales de ſacramentis quæſtiones iam conſtituit. Et per quatuor articulos expediuit. Primo, ſacramenta fuiſſe ad humanam ſalutem neceſſaria, affirmat triplici ratione: tum vt homo corporalibus & ſenſibilibus ſignis ad ſpiritualia & intelligibilia deducatur: tum, vt ſicut peccando, ſe per affectum corporalibus rebus ſubdidit, ita ibi remedium inueniat, vnde morbum contraxit: tum quia, cùm homo corporales exerceat actiones, proponi ei debebant corporalia exercitia, vt factum eſt in ſacramentis. Secundò, negat homini in ſtatu innocentiæ ante peccatum fuiſſe neceſſaria ſacramenta: quia in illius ſtatus rectitudine & integritate non debebat anima perfici corporalibus adiumentis. Tertiò rurſus affirmat, ſacramenta fuiſſe neceſſaria poſt peccatum, etiam ante aduentum Chriſti: quia tunc etiam iuſtificari debebant homines in fide Chriſti venturi; & ideo oportebat inſtitui quædã ſigna, quibus homo proteſtaretur ſuam fidem de futuro Saluatoris aduentu. Quartò demum, poſt aduentum Chriſti fuiſſe & eſſe neceſſaria ſacramenta: quoniam nos ſaluamur per fidem Chriſti iam nati & paſſi, quem ſacramenta repræſentant.

SECTIO PRIMA

Vtrum Sacramenta ſint homini conuenientia & neceſſaria ad ſalutem.

Sunt vtilia & conuenientia. PRimò. Certum de fide eſt, ſacramenta eſſe vtilia & conuenientia hominibus ad ſalutem. Patet ex ipſa inſtitutione diuina. Rationes huius conuenientiæ, tres affert S. Thomas art. 1., plures congerunt alij Sacri Doctores & Theologi. Quæ omnes tendunt ad hoc vt declarent, conuenienter factum eſſe, quòd ſub corporalibus & ſenſibilibus actionibus ac rebus, diuina myſteria exercerentur, occultæ res ſignificarentur, & ſpirituales effectus hominibus conferrentur. Quas congruentias & nos quæſt. præcedenti ſect. 1. adduximus.

Fuerunt inſtitut. neceſſaria. Secundò dicendum eſt, fuiſſe aliquo modo neceſſarium, inſtitui ſacramenta. Non quidem neceſſitate ſimpliciter & abſoluta, ſed ad melius eſſe ob hominum ſpiritualem vtilitatem & ſalutem. Fuiſſe aliquo modo neceſſarium, omnes Theologi docent. Non fuiſſe ſimpliciter & abſolutè, plures notant. Vtrumque facilè demonſtratur: quia poterat

vtique

vtique Deus alio modo abſque ſacramentis ſaluare homines: poterat conſtituere, vt per ſolos actus ex opere operantis homines ſaluarentur. Tamen multò melius & vtilius fuit, inſtitui ſacramenta: tum, propter adultos, vt abundantiorem reciperent gratiam, & cum maiori certitudine ac ſolatio: tum ſpeciali neceſſitate propter paruulos, qui cùm non poſſent actu proprio iuſtificari, optimè illis prouiſum, eſt, vt per aliquod externum remedium eis applicandum, iuſtificari poſſent atque ſaluari.

Eorũ vſus eſt neceſſarius.

Tertiò dicendum eſt, ſuppoſita iam inſtitutione, ſacramenta eſſe hominibus neceſſaria quantum ad vſum, & exercitium, hoc eſt neceſſarium eſſe ijs vti, eaque exercere. Ratio eſt: quia inſtituta ſunt tanquam media & remedia neceſſaria, ſine quibus, vel ſine ordine ad quæ, homo iuſtificari & ſaluari nõ poteſt. Vbi duplex neceſſitas adeſt, prout communiter diſtingui & aſſignari ſolet, neceſſitas medij, & neceſſitas præcepti: quia ſacramenta & ſunt media ſine quibus non aſſequimur finem: & cadunt ſub obligationem & præceptum, quia tenemur illis vti. Non quidem omnia ſacramenta ſunt omnibus & ſingulis neceſſaria. Sed iuxta ſacramentorum diuerſitatem, diuerſi gradus neceſſitatis diſtinguendi ſunt. Et quidem aliqua ſunt omnibus neceſſaria: nempe in lege noua Baptiſmus, & olim remedium inſtitutum pro paruulis. Item in lege noua omnibus adultis neceſſarium eſt Euchariſtiæ ſacramentum. Et omnibus peccato mortali adſtrictis Pœnitentiæ ſacramentum. Hoc totum definiuit Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 4. de Sacrament. in genere: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto, per ſolam fidem, homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci; licèt omnia ſingulis neceſſaria non ſint; anathema ſit.* Sed plura adhuc de conuenientia & neceſſitate ſacramentorum, in ſequentibus dicenda ſunt, & maximè in ſpeciali tractando de ſingulis.

SECTIO SECVNDA

Vtrum in omni ſtatu & tempore Sacramenta fuerint homini conuenientia & neceſſaria ad ſalutem.

Plures humanæ naturæ ſtatus, plura tempora, diſtinguere oportet. Primus fuit ſtatus innocentiæ ante lapſum Adami: alius naturæ lapſæ poſt peccatum Adami. Rurſus lapſa natura, alius ante Chriſtum Redemptorem, & alius poſt Chriſtum. Denium ante aduentum Chriſti, alius legis naturalis, & alius legis ſcriptæ.

Primò dicendum eſt, in ſtatu innocentiæ non fuiſſe neceſſaria ſacramenta: & ita nec de facto fuiſſe, nec apparere inſtituenda fuiſſe etiam ſi felix ille ſtatus Adamo non peccante duraſſet. Ita S. Thomas art. 2. & alij magis communiter. Addendum tamen eſt, potuiſſe à Deo, ſi voluiſſet, ſine inconuenienti, etiam in illo ſtatu inſtitui ſacramenta. Hoc non exprimit S. Thomas. Quinimò art. 2. ſignificat, cõtra rationẽ illius ſtatus futurum fuiſſe inſtitutum & vſum ſacramentorum: quia tunc ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis: ſed ſpiritualia corporalibus ſuperiora ſunt: non ergo debebat anima quantum ad ſpirituales effectus à ſignis corporalibus dependere. Et ita defendere ſolent hoc loco Thomiſtæ: & cum ijs Vazq. diſp. 130., & Cartagena diſp. 2. de Sacramentis, Bonacina diſp. 1. q. 1. puncto 3. propoſ. 1., & alij.

In ſtatu innocentiæ non erant neceſſaria, nec inſtituta aut inſtituenda.

Probatur ergo prima aſſertionis pars: quia planè de ſtatu innocentiæ non procedunt tot rationes & congruentię, quæ potiùs ſpectant ad ſtatum naturæ lapſæ, pro inſtitutione ſacramentorum. Ac de facto in omnibus ſacramentis ad ſalutem hominum inſtitutis, conſiderari poteſt, ordinata eſſe in remedium peccati, & in ſubſidium humanæ imbecillitatis: non ergo hęc ſacramenta tunc eſſe debebant. Nullum prætereà de facto indicium extat, alicuius ſacramenti

menti quod in eo ſtatu primis hominibus datum fuerit. Imò, cùm tempus illud fuerit breuiſſimum, & Deus prævidebat optimè non eſſe duraturum; non erat cur vllum ſacramentum pro tunc inſtitueret. Solùm de Matrimonio poteſt moueri aliqua dubitatio: quia vere ante peccatum, celebratum fuit Adami & Heuæ coniugium: & Apoſtolus ad Epheſ. 5., propter illa verba Adami, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* dixit, *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia*. Vbi plures Sancti declarant, Adamum per ſimilitudinem ſui coniugij, ſpiritu prophetico prænouiſſe vnionem faciendam Verbi diuini cum humana natura, & Chriſti cum Eccleſia. Propter hoc libenter admittendum eſt, coniugium illud fuiſſe ſignum repræſentatiuum futuræ Incarnationis: atque adeo, ſi ſacramentum pro omni rei ſacræ ſigno ſumatur, fuiſſe ſacramentum. Sed non per hoc fuit vere & propriè, vt nunc loquimur: ideſt ſignum ſanctificans: quia non fuit tunc inſtitutum & contractum ad hunc finem & effectum ſanctificandi. Verba autem Apoſtoli, intelligenda ſunt, ſi referantur ad illud primum coniugium, de ſacramento amplè dicto. Vel ſi intelligantur de ſacramento propriè dicto, referenda ſunt ad Matrimonium quod in lege noua inter Chriſti fideles celebratur. Hinc tandem ducitur coniectura, nec etiam inſtituenda fuiſſe ſacramenta, ſi ſtatus ille duraſſet: quia ob excellentiã illius ſtatus credibile eſt, homines victuros fuiſſe ad inſtar Angelorum, abſque ſenſibilibus ſacramentis inſtitutis ad ſanctificandum. Quamuis veriſimile ſit, non defutura externa ſacrificia, quæ nempè ad cultum Dei directè referuntur, vt tractat Suarez diſp. 3. ſect. 1. & 2.

Potuiſſent tamen inſtitui. Suadetur deinde altera aſſertionis pars, potuiſſe adhuc in illo ſtatu non inconuenienter inſtitui ſacramenta. Quæ eſt de mente Alenſis 4. par. q. 1. memb. 2. ar. 1., Durandi in 4. d. 1. q. 2. Et ſequuntur Suarez vbi ſupra, Alanus de Sacram. cap. 28., Zecchius de Sacrament. cap. 3. cond. 2., & alij. Suadetur inquam: quia nulla repugnantia contra talem inſtitutionem pro eo ſtatu apparet. Nec poteſt poſitiuum aliquod inconueniens opponi. Quinimo poterant etiam pro illo ſtatu conſiderari aliquæ congruentes rationes, quibus illi ſtatui ſacramentorum inſtitutio aliquatenus conueniret: Licèt non talis ac tanta eſſet tunc conuenientia, ſicut in ſtatu naturæ lapſæ. Et ita S. Thomas docere tantùm voluit, magis conueniens fuiſſe, in illo ſtatu non inſtitui ſacramenta. Et ad hoc ſolùm acceptanda eſt ratio quam adduxit.

In ſtatu naturæ lapſæ fuit ſemper neceſſarium, ac de facto inſtitutũ aliquod remedium ſalutare. Secundò dicendum eſt, in ſtatu naturæ lapſæ fuiſſe omni tempore neceſſarium, ac de facto inſtitutum à Deo ab initio illius ſtatus, remedium aliquod ad ſalutem hominum, ſaltem ob originale peccatum in paruulis. Ita docent cõmuniter Theologi, S. Thomas & alij hoc loco, Magiſter & alij in 4. d. 1. Et hoc remedium, non ſolùm in lege ſcripta, ſed etiam antea in lege naturæ, habuiſſe veram ſacramenti rationem. Hoc negarunt Bonau. in 4. d. 1. art. 1. q. 2., Sotus d. 1. q. 2. art. 3. & d. 2. q. 1. art. 4., Vaſq., Cabrera, Kelliſonus, & quidam alij hic circa art. 3. Vel dicendo, tale remedium, ante circumciſionem, non fuiſſe ſignum ſenſibile externum; vel non fuiſſe ſignum taxatum ac determinatum à Deo; vel non habuiſſe vim ex opere operato, ſed tantùm ex merito & fide operantis: & ideo defeciſſe à vera ſacramenti ratione.

Habuit veram rationem ſacramenti. Sed probatur, ſemper fuiſſe verum ſacramentum. Tum auctoritate Sanctorum, Auguſt. lib. 5. cont. Iulian. cap. 9 & lib. 2. de Peccator. merit. & remiſſ. cap. 9 & de Nuptijs & concupiſc. cap. 10., Cypriani lib. de Cardinalib. Chriſti operib. cap. de Circunciſ., Gregor. lib. 4. Moral. cap. 2., Bernardi epiſt. 77., Bedę lib. 2. in Lucam cap. 8., Hugonis de S. Victore lib. 1. de Sacram. parte 12. cap. 3., & aliorum, qui de tali remedio loquuti ſunt tanquam de ſacramento quodam. Tum ratione neceſſitatis, ſpecialiter ex parte paruulorum; cùm enim hi non poſſent proprio actu iuſtificari atque ſaluari, & omnes in originali peccato naſcerentur, erat illis neceſſarium tale remedium. Neque congruebat diuinæ pietati, ſuppoſita ordinatione redemptionis Chriſti, relinquere totum

illud tempus, ante inſtitutam circuncilionem, abſque tali remedio. Nam Deus adhuc poſt lapſum Adami voluit omnes homines ſaluos fieri. Quæ voluntas etiam ad infantes præmaturè decedentes extenditur. Et ſaltem hanc vim habet, vt Deus inſtituerit remedia generalia etiam pro paruulis ad ſalutẽ. Vnde, licèt Deus quoſdam in particulari mori ſinat, ante quam ijs poſſit remedium applicari: tamen de vniuerſali quodam ſtatu, & diuturno tempore, dici non poteſt fuiſſe genus humanum omni remedio deſtitutum. Tum præterea ex inſtitutione circuncifionis idem poteſt oſtendi. Inſtituta fuit circuncifio quibuſdam ſæculis ante legem ſcriptam datam Moyſi, videlicet per reuelationem factam Abrahamo, ac præcipuè pro tota ipſius poſteritate. Eſtquè ſatis recepta ſententia, circuncifionem valuiſſe in remedium originalis peccati, & fuiſſe propriè ſacramentum. Ex quo licebit inferre, etiam ante Abrahamum extitiſſe in lege naturæ aliquod ſimile remedium. Eo magis, quia etiam tunc non fuit circuncifio indicta vniuerſaliter pro toto humano genere, nec vnquam fuit inſtituta pro feminis: non eſt autem credibile, omnes feminas deſcendentes ex Abrahamo, & totum reliquum genus humanum quod non vtebatur circuncifione, caruiſſe neceſſario remedio ſalutari.

Erat ſignum externum ſenſibile.

Vt autem appareat, tale remedium fuiſſe verè & propriè ſacramentum: de triplici conditione ſacramenti dubitari contingit: videlicet an eſſet ſignum ſenſibile, an diuinitùs inſtitutum, an ad ſanctificandum ex opere operato. Circa primam, Sanctus Thomas in 4. d. 1. q. 2. art. 6. quæſtiunc. 1. & 2., Bonauent. art. 2. q. 1. & 2., Sotus diſt. 2. q. 1. art. 4., Vaſquez hîc diſp. 165. cap. 3., Abulenſ. in cap. 25. Matth. q. 677., & quidam alij volunt, fuiſſe ſufficientem in remedium paruulorum, actum merè internum fidei, elicitum tamen cum aliqua relatione & ordinatione ad ſalutem pueri, vel à parentibus quibus præcipuè incumbebat cura filiorum, vel à quocunque alio. Inde autem ſequitur, non oportuiſſe tale remedium eſſe ſignum ſenſibile, atque adeo ſacramentum. Fauet Gregor. loco allegato dicens, *Solam parentum fidem fuiſſe remedium filiorum*. Et Bernardus dicens, *Paruulis ſolam profuiſſe imò & ſufficiſſe fidem*. Communis quoque modus loquendi eſt, *Paruulos iuſtificari ſolitos in fide parentum*. Accedit ratio: quia in pura lege naturæ, nulla erat doctrina, nullum præceptum, præter purum inſtinctum internum & lumen rationis ac fidei: ſed certè non niſi per legem poſitiuam externam determinari potuiſſet ſignum ſenſibile pro remedio paruulorum: ergo potiùs ſola interna fides ſufficiebat.

Communior tamen & vera Theologorum ſententia docet, etiam tunc adhiberi debuiſſe ſignum aliquod externũ ſenſibile in remedium paruulorum. Ita S. Tho. hîc art. 3., & q. præced. art. 5., & alij hoc loco, Alenſis par. 4. q. 2. mẽb. 5. art. 1. & 2., Scotus, Durand., Gabriel, Maior, Palud., aliijquè Scholaſtici in 4. d. 1. & 2., dicentes, debuiſſe paruulis applicari fidem parentum per aliquam proteſtationem externam, ad hoc vt illis prodeſſet. Neque oportet hoc ampliùs de nouo probare: ſed ſufficiunt illę ipſę congruentiæ quas ab initio adduximus, cur ſacramenta in ſignis ſenſibilibus externis conſtitui debuerint. Illud enim procedit de omni ſtatu & tempore. Quia verò per actum externum cenſebatur applicari paruulis fides parentum: ideo Gregor. & Bernard. dixerunt, ſolam fidem fuiſſe remedium paruulorum, ſolam ſufficiſſe fidem: ideo dicebantur paruuli iuſtificari in fide parentum. An autem verè requireretur fides interna miniſtri, nec ſufficeret ſolus actus externus, commodiùs videbimus quæſt. 70. ſect. 3. In pura demum lege naturæ, non extabat quidem doctrina aut lex ſcripta: tamen ſicut illo tempore extabat fides, vtique ex reuelatione diuina, conſeruata ſaltẽ in traditione hominum: ita poterat eſſe eadem reuelatione determinatũ ſignum externum, & hominibus notificatum, pro ſalute paruulorum.

Erat ſufficienter inſtitutum à Deo.

Circa ſecundam conditionem, S. Tho. q. 60. art. 5. ad 3. & q. 70. art. 4. ad 2. ſignificat, in pura lege naturæ, ante inſtitutam circuncifionem, non fuiſſe ta-

xatum

Digitized by Google

zatum ac deſignatum à Deo certum actum aut ritum pro hac re, ſed relictũ fuiſſe parentum arbitrio. Et ita magis communiter alij ſentiunt. Et fundamentum eſt: quia non conſtat de determinatione talis remedij, neque ex Scriptura, neque ex traditione. Nec etiam poſt inſtitutam circuncifionem conſtat de vlla determinatione remedij adhibendi pro fem inarum ſalute. Sed etiam hoc admiſſo, dicēdum adhuc eſt, tale remedium fuiſſe verum ſacramentum: quia ſufficit, à Deo inſtitutum fuiſſe in genere, quamuis non fuerit determinatum in ſpecie. Exerceri autem poterat aliquis actus externus, vel verbis profitendo fidem erga paruulum, vel fundendo preces ad Deum, vel eleuatione aut alio geſtu offerendo ad Deum, vel alio ſimili modo. Vnde rectè D Auguſtin. lib. 5. cont. Iulian. cap. 9. dixit, *Non eſſe dubitandum, tale remediũ extitiſſe, licet quod illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa, Scriptura latere voluerit.*

Habebat vim ſanctificandi.

Circa tertiam conditionem, Durandus in 4. d. 1. q. 8 art. 7. dixit, tale remedium non habuiſſe vim per modum ſacramenti iuſtificandi paruulos, ſed tantùm per modum meriti: non ſolùm tamen ex merito parentum, ſed totius Eccleſiæ, cuius nomine adhibendum erat illud remedium. Et Vaſq. Inf a diſp 165. cap. 4. contendit, habuiſſe vim tantùm per modum meriti de congruo ex ſolo merito miniſtri. Aſſerendum tamen eſt, verè illud remedium habuiſſe vim per modum ſacramenti: ſicut & de ipſa circunciſione putandum eſt. Qualiter autem haberet hanc vim iuſtificandi, quęſtio eſt de veteribus ſacramentis poſtea diſputanda. Interim ſatis eſt dicere, tàm remedium legis naturæ, quàm circunciſionem, fuiſſe verum ſacramentum: & ita omni tempore extitiſſe ſacramentum quoddam neceſſarium ad ſalutem.

In lege natura nõ apparent alia ſacramenta.

Tertiò vlteriùs, præter hoc ſacramentum quæri poteſt, num in lege naturæ fuerint & alia ſacramenta. Sed certè non habetur fundamentum ad id affirmandum: quia nec ex Scriptura, aut traditione, aut neceſſitate, id poteſt oſtendi. Habemus quidem in Scriptura, extitiſſe olim & ſemper ſacrificia: nam Cain, & Abel, Noe, Melchiſedech, Abraham, Iacob, Iob, in lege naturę, oblationes & ſacrificia exercebant. Et, vt notauit Scotus in 4 d. 1. q. 7. in fine, poſſibile erat, vt aliquod ſacrificium ſimul etiam eſſet ſacramentum. Sed nulla ratio cogit affirmare, ſic de facto fuiſſe: quia non conſtat, vllum ex ijs ſacrificijs, præter rationem diuini cultus, fuiſſe etiam ordinatum ad ſanctificandos ipſos homines: quod eſt de ratione ſacramenti.

In lege ſcripta erant quædam alia ſacramenta.

Quartò deinde, num in lege ſcripta fuerint alia ſacramenta præter circunciſionem, negauit Baſſolis in 4. d. 1. q. 3. art. 3. Sed alij communiter plura ſacramenta in illa lege agnoſcunt. Et Patres interdum, in magno numero fuiſſe ſignificant. Vnde D. Auguſt. lib. 9. cont. Fauſtum cap. 13. dixit, *Noſtra ſacramenta eſſe veteribus virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Dicendum tamen eſt, ſi ſacramentum præcisè ſumatur pro eo quod confert gratiam iuſtificantem; ſic non oportere, præter circunciſionem, aliudue remedium ſimile, alia huiuſmodi ſacramenta in veteri lege concedere. Si autem ſacramentum nimis amplè ſumatur pro omni cęremonia ſignificante res ſacras; ſic velut innumera fuiſſe legis Moſaycæ ſacramenta, ideſt ſacras cęremonias; & hoc præcipuè voluerunt Patres. Si demum ſacramentum propriè ſumatur pro ſigno, aliquo modo ſanctificante hominem, prout verè ſumi debet; ſic fuerunt nonnulla legis veteris ſacramenta. Quæ ad quatuor capita reducit S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. Aſſignat enim Circuncifionem, aliudue remedium ſimile, ad inſtar noſtri Baptiſmi: Agnum paſchalem, correſpondentem Euchariſtiæ: Conſecrationem Leuitarum, correſpondentem Ordini: Expiationes atque luſtrationes inſtitutas ad expurgandos homines à quibuſdam maculis ſeu impedimentis legalibus, correſpondentes Sacramento Pœnitentię. Matrimonium verò fuit quidem ſemper per modum contractus, non autem ſecundùm vim ſacramenti. Aitque S Thomas, non oportuiſſe tunc reperiri alia ſacramenta, ad inſtar noſtræ Confirmationis, & Extremæ vn-

ctionis: quia per Confirmationem datur nobis plenitudo gratiæ, per Extremam vnctionem aperitur cæleſtis ianua: ſed antiqua lex erat vacua, nec ei patebat ianua cæli: & ideo non debebant tunc adeſſe aliqua huiuſmodi ſacramenta.

Quorum inſtitutio & exercitatio fuit conuenies & neceſſaria.

Fuit tamen inſtitutio eorum ſacramentorum in ſcripta lege conueniens & neceſſaria! tum ad exercitationem illius populi: tum ad præfiguranda noſtra myſteria & ſacramenta. Factaquè eorum inſtitutione, erat conſequenter neceſſaria ſeu debita eorum exercitatio & obſeruantia, ex iuſſione diuina. Quare debebat hæc obligatio intelligi reſpectiue, iuxta varietatem ceremoniarum & perſonarum: aliæ enim ceremoniæ alijs perſonis ex obligatione incumbebant. Specialiter de circumciſione obſeruandum eſt, illam fuiſſe quidem ſub præcepto iniunctam pro omnibus Abrahami poſteris maſculini ſexus: ſed non pro cæteris populis & gentibus: quinimo illis liberum fuiſſe relictum remedium legis naturæ, ſicut erat ante circumciſionis introductionem. Data tamen fuit poteſtas omnibus qui vellent circumciſione initiari, & Hebræorum populo aggregari, totiquè ſe ſubijcere legi, vt patet Exodi 12., Iudith 14. & alibi. Et inducebat circumciſio obligationem ſeruandi totam Moſaycam legem, quæ tamen alioqui non adſtringebat alias nationes & gentes. Indeque dixit Apoſtolus ad Galat. 5., *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.*

Maximè in lege noua ſacramenta ſūt conuenientia & neceſſaria.

Quintò tandem, qualiter in lege euangelica extent ſacramenta, fuerintquè conuenientia & neceſſaria, non oportet pluribus inſequi aut declarare, præter ea quæ ſect. 1. communiter dicta ſunt. Illa enim principaliter de his noſtris ſacramentis procedunt. Qualiter autem hæc ſint longè excellentiora omnibus veteribus ſacramentis, conſtabit ex dicendis de eorum effectu.

Non in ſtatu futura vita.

Non omiſit quoque S. Thomas mentionem facere de ſtatu futuræ vitæ, & de Beatis in gloria. Sed art. 4. ad 1. rectè notauit, nulla in illo ſtatu & tempore ſacramenta futura: quando nude & apertè omnis veritas apparebit: nec vllum incrementum ſanctitatis & gratiæ erit ampliùs expectandum.

QVÆSTIO SEXAGESIMASECVNDA

De Principali Sacramentorum Effectu, Qui eſt Gratia.

MAXIME per ordinem ad effectus, ſacramenta conſideranda ſunt, eorumquè vis & efficacia inſpicienda. Duos effectus generaliter S. Thomas aſſignat: primus & principalis eſt Gratia, ſecundus eſt Character. Per gratiam præcipuè quidem debet intelligi gratia iuſtificans habitualis: non tamen ſola, ſed etiam complectendo alia auxilia & beneficia ſalutaria, vt videbimus. De hoc ergo effectu gratiæ per ſex articulos agit S. Doctor. Primò docet, ſacramenta nouæ legis cauſare & conferre gratiam, non tantùm per modum ſigni, neque verò per modum cauſæ principalis, ſed per modum cauſæ inſtrumentalis: quoniam ſic ex diuina ordinatione adhibentur hominibus, ad gratiam in ijs cauſandam. Secundò, gratiam ſacramentalem addere diuina auxilia, ſupra gratiam communiter dictam & virtutes & dona: quoniam ſacramenta ordinantur ad ſuos ſpeciales effectus, ad quos debet homo ſpecialibus auxilijs adiuuari. Tertiò, ſacramenta continere etiam gratiam, non ſolùm per modum ſigni, ſed per modum cauſæ; non tamen ſecundùm ſimilitudinem

Digitized by Google

nem vniuocam, neque per formam propriam & permanentem, ſed ſecundùm quandam virtutem inſtrumentalem fluentem & incompletam. Quartò, ſacramenta habere virtutem cauſatiuam gratiæ, ſuppoſito quod dicebat, non cauſare tantùm per quandam concomitantiam, ſed potiùs per inſtrumentalem influentiam. Quintò, ſacramenta habere virtutem ex humanitate & paſſione Chriſti: quoniam ſacramentum ſe habet vt inſtrumentum ſeparatum, humanitas Chriſti vt inſtrumentum coniunctum Diuinitatis, & Chriſtus per ſuam paſſionem liberauit nos à peccatis, & inſtituit ritum ſuæ Religionis. Sextò tandem docet, vetera ſacramenta non habuiſſe vim conferendi gratiam: quia non habebant ex ſe, alioqui non fuiſſet neceſſaria paſſio Chriſti; nec ex ipſa paſſione Chriſti, quæ nondum peracta erat, ſed ſolùm fuiſſe quædam ſigna paſſionis futuræ, & proteſtationes antiquæ fidei.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato.

VEteres quidam Hæretici, nomine Meſſaliani, referuntur negaſſe ſacramentis omnem vim conferendi gratiam, ac dixiſſe ſolùm precibus & orationibus debuiſſe homines iuſtificari atque ſaluari. Recentiores autem Hæretici, licèt auſi non ſint, omnem vim ſacramentis auferre: tamen dixerunt, ſolùm excitando fidem poſſe iuuare, volentes per ſolam fidem homines iuſtificari. Et primus Lutheri articulus, à Leone decimo damnatus, hic erat: *Hæretica eſt, ſed vſitata ſententia, ſacramenta nouæ legis dare gratiam illis qui non ponunt obicem.*

Sacramenta omnia nouæ legis conferunt gratiam. Ex Sacra Scriptura.

Certiſſimum tamen de fide eſt, ſacramenta nouæ legis habere vim & efficaciam conferendi gratiam ex opere operato, iuxta communem & in Eccleſia receptum loquendi morem. Patet primo ex Sacra Scriptura, quæ hanc vim planè tribuit ſingulis ſacramentis. Matth. 3. & Marci 1. Ioannes Baptiſta dicebat, *Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto,* ſcilicet baptizando daturus erat gratiam Spiritus ſancti. Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: Baptiſmus ergo eſt cauſa ſalutis, vtique non aliter quã conferendo gratiam. Ioann 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et Actor. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*: quæ peccatorum remiſſio, per gratiam iuſtificantẽ confertur. Ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Primæ ad Timoth. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Deinde ad ſacramentum Confirmationis ſpectat, quòd Apoſtoli, vt refertur in Actis, per impoſitionem manuum dabant Spiritum ſanctum. Et ad Euchariſtiam quod dictum eſt Ioann 6., *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Ad ſacramentum Pœnitentiæ. Ioan 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ad Extremam vnctionem, Iacobi 5. *Vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit remittentur ei.* Ad ſacramentum Ordinis, 1. Timoth. 3. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij.* De Matrimonio verò, licèt non habeatur locus expreſſus, niſi adducatur illud ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*: tamen qua certitudine tenetur eſſe ſacramentum, teneri etiam debet conferre gratiam. Alia Scripturæ teſtimonia, ex vaticinijs & figuris veteris Teſtamenti, colligit Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 4.

Ex Concilijs.

Secundò. Eadem veritas ex definitionibus Conciliorum habetur. Nam de ſacramento Baptiſmi ideò in Symbolo Niceno, ab alijs quoque Concilijs approbato, dicitur, *Vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Et in Mileuit. cap. 2., Arauſic. 2. can. 28, Lateran. ſub Innoc. tertio, & refertur cap. *Maiores* de Baptiſmo & eius effectu, idem perſpicuè definitum eſt. Ac tandem vniuerſaliter de omnibus ſacramentis, in Concil. Florent. ſeſs. vlt. Et in Concil. Trident.

Trident. ſeſ. 7., vbi poſt canonem 6. & 7., in quibus decernit, ſacramenta nouæ legis continere & conferre gratiam, & ex parte Dei ſemper & omnibus ea rite ſuſcipientibus: ſubdit can. 8., *Si quis dixerit, per ipſa nouæ legis ſacramēta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiā conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Idem etiam patet perpetua exiſtimatione & traditione Eccleſiæ, communi doctrina Patrum, & perſuaſione Fidelium.

Conferunt ex ſua inſtitutione. Tertiò. Conſtat contra Recentiores Hæreticos, ſacramenta conferre gratiam, non ſolùm excitando fidem, ſed per ſe & propriè ex inſtitutione diuina. Tum quia teſtimonia Scripturæ id clarè demonſtrant; & per ſe præter fidem, ex ſacramentis promittunt remiſſionē peccatorum, ipſamque animæ ſalutem, quæ non niſi per iuſtificantem gratiam obtinetur. Tum quia alioqui ſacramenta non plus valerent, quàm prædicatio Euangelij, aliaque ſigna externa, quibus fides in animo audientium & videntium excitatur. Tum quia infantibus rite & vtiliter ſacramentum exhibetur, in quibus tamen non excitatur actus fidei. Tum quia etiam dum adulti ſacramenta ſuſcipiunt, non minùs in alijs circunſtantibus, quàm in ipſis ſuſcipientibus, poteſt excitari fides. Tum demum, quia in modo illo iuſtificationis per fidem, alios ſuos errores Hæretici inuoluunt: quos tamen proprijs in locis, & præſertim in tractatu de Gratia, reiectos eſſe ſupponimus.

Conferunt ex opere operato. Quartò. Dicimus ſacramenta conferre gratiam ex opere operato. Dupliciter enim poteſt homo conſequi gratiam. Vno modo ex opere operantis, id eſt ex opere proprio, prout habente rationē meriti ſeu diſpoſitionis & valoris moralis, inquantū eſt ab ipſo homine operante ex auxilio Dei. Alio modo ex opere operato, id eſt ex opere prout exteriùs exercetur, quatenus ſignum inſtitutum à Deo: ita vt etiam ſi ille cui tale ſignū applicatur, nō mereatur ex parte ſua, adhuc gratiam conſequatur, vt contingit in paruulis. Si verò ſimul ipſe mereatur, inquantum voluntariè tale bonum opus exercet; non ſolùm recipiat gratiam correſpondentem huic ſuo merito, ſed etiam ſtatutam ex pacto & inſtituto Dei ratione talis ſigni exhibiti. Sacramenta ergo conferunt gratiam ex opere operato. Hoc enim eſt, quod allatis teſtimonijs demonſtratur: quia alioqui ex opere operantis, per alios quoſcunque virtutum actus, factos cum debitis conditionibus, poteſt & ſolet homo conſequi gratiam, ſeu augmentum gratiæ: quare non eſſet quicquam proprium & peculiare ſacramentis, ſic conferre gratiam. Alio ergo modo proprio, ſacramenta habent ſuam vim: & ideo conferunt gratiam etiam paruulis nil merentibus: conferunt adultis præter & vltra illam gratiam quam ex merito proprio poſſunt acquirere.

Habent hanc vim ex voluntate Dei & Chriſti. Quinto. Ratio à priori huius rei non eſt alia, quàm voluntas Dei & Chriſti: ſiquidem non eſt natura ipſa talium ſignorum, rerum & verborum, quæ ſanè de ſe ad hunc effectum nullam vim habebant. Deus autem decreuit, & Chriſtus inſtituit, vt talia ſigna hominibus concederentur, quibus poſſent hoc modo diuinam gratiam obtinere.

Dici debēt cauſare gratiam. Sextò deinde. Cum ſacramenta dicantur conferre gratiam, dici omnino debent cauſare gratiam, eſſe cauſa gratiæ. Ita communiter Theologi loquuntur. Et ſic notauit S. Tho. art. 1. omnino eſſe loquendum, abſtrahendo à modo quo ſacramenta conferant ſeu cauſent gratiam. Non ſunt autem cauſa principalis gratiæ, vt ibidem probat S. Thomas: quia cùm gratia ſit ſublimis quædam participatio diuinæ naturæ, ſolus Deus poteſt eſſe principalis cauſa & auctor gratię. Sed dici debent inſtrumenta, ſiue cauſæ inſtrumentales, vt aſſerit S. Tho., & alij communiter ſic loquuntur: quia videlicet ſacramenta aſſumuntur à Deo ſupra omnem eorum virtutem, & ſupra omnem naturæ ordinem, ad conferendam gratiam.

Et continere gratiam. Septimò præterea dicuntur ſacramēta continere gratiam. Ità S. Tho. art 3., alijquè Theologi communiter. Imò & Concil. Florent. ac Trident. ſic loquuntur. Debetquè hoc intelligi de continentia virtuali, ſicut cauſa dicitur continere

tinere effectum, etiam inquam cauſa instrumentalis. Propter quod & aliqui inſignes Theologi dixerunt, ſacramenta eſſe ſicut vaſa continentia ſpiritualem medicinam animæ. Quod S. Tho. ad 1. explicat, debere intelligi, prout vas dicitur inſtrumentum alicuius operis faciendi: vt Ezechielis 9. *Vaſa interfectionis*, & Pſal. 7. *Vaſa mortis*, & Iudith 16. *Vaſa bellica*, & Iſaiæ 21. *Vaſa muſica*. Sic ergo ſacramenta dicuntur vaſa gratiæ.

Et conferre ex virtute humanitatis ac paſſionis Chriſti.

Octauò. Dici debent ſacramenta conferre gratiam ex virtute humanitatis & paſſionis Chriſti. Ita S. Tho. art. 5. & alij Theologi omnes. Quod aliqui intelligunt, vt non ſolùm moraliter, ſed phyſice per veram efficientiam, ſacramenta accipiant virtutem à paſſione Chriſti. Sed hoc eſt impoſſibile: quia cùm paſſio Chriſti iàm pridem tranſierit, non poteſt actualiter eſſe cauſa phyſica influens in ſacramenta; quod pluribus proſequitur Vaſq. hic diſp. 133. Debet ergo tantùm intelligi in genere cauſæ moralis: quia per meritum & ſatisfactionem ex paſſione Chriſti factum eſt, vt traderentur hominibus ſacramenta ad conferendam gratiam. Aliqui verò intelligunt, ſaltem ab humanitate Chriſti per phyſicam influentiam & cauſalitatem deriuari virtutem in ſacramenta. Ita rem explicat Suarez diſp. 9. ſect. 2. Hoc autem dicitur, ſupponendo, ipſa ſacramenta, phyſica cauſalitate efficere gratiam. Si ergo non hoc modo dicantur efficere, vt poſtea tractabimus: nec etiam dici debet, ab humanitate Chriſti per phyſicam cauſalitatem infundi virtutem effectiuam in ſacramentis ad producendam gratiam. Dicitur etiam, ſupponendo humanitatem Chriſti fuiſſe cauſam phyſice effectiuam miraculorum & operum ſupernaturalium. Quod etiam ſuo loco de potentia Chriſti refutauimus.

Qualiter conferant primam gratiam, vel augmentum gratiæ.

Poſtremo. Quia ſacramenta dicuntur conferre gratiam, aliqui Theologi putarunt, hoc debere intelligi de prima gratia iuſtificante, & non de ſolo augmento gratiæ, quod dari ſolet homini exiſtenti iam in ſtatu gratiæ. Et ſpecialiter Negnus hic. art. 1. dificul. 2. ait, ſacramentum nouæ legis ſecundùm rationem genericam eſſentialiter habere vt conferat primam gratiam; ſed tamen diuerſa ſacramenta in ſua ratione ſpecifica, alia habere vt conferant primam gratiam, alia augmentum gratiæ. Meliùs tamen dicendum eſt, ſacramenta quædam inſtituta eſſe principaliter ad conferendam primam gratiam, ſiue iuſtificationem à peccato; quædam vero principaliter ad conferendam gratiam in augmento: & ita ſacramentum in communi ad conferendam abſolute gratiam, abſtrahẽdo à prima gratia & à gratia in augmento. Sed rurſus per accidens fieri poſſe, vt illa quæ inſtituta ſunt ad conferendam primam gratiam, conferant augmentum gratiæ; & illa quæ inſtituta ſunt ad augmentum, conferant quoque primam gratiam.

Hoc totum magis communiter à Theologis aſſeritur. Et declaratur per ſingulas partes. Quia quædam ſacramenta per ſe inſtituta ſunt ad remiſſionem peccati, vel originalis, vel actualis, vt Baptiſmus & Pœnitentia: hæc ergo ex vi ſua habent conferre primã gratiam. Alia vero per ſe inſtituta ſunt ad perficiendam magis animam, videlicet Confirmatio ad roborandam animam, Euchariſtia ad reficiendam, & ſic de reliquis. Quare ſupponunt, per ſe loquendo, & iuxta ſuam inſtitutionem, animam eſſe in gratia. Hinc illa duo dicuntur ſacramenta mortuorum; quia inſtituta ſunt ad præbendam vitam ſpiritualem ijs qui ſpiritualiter mortui ſunt per peccatum. Alia dicuntur eſſe ſacramenta viuorum; quia inſtituta ſunt ad iuuandos illos qui ſupponuntur iam viuere vita ſpirituali per gratiam. Inde etiam fit, vt illi qui volunt ad hæc ſacramenta viuorum accedere, debeant eſſe ita diſpoſiti, vt ſaltem in ſua exiſtimatione ſupponantur eſſe in ſtatu gratiæ. Quod non requiritur in ijs qui accedunt ad ea duo ſacramenta dicta mortuorum. At vero contingere adhuc poteſt, vt accedens quis ad Baptiſmum aut Pœnitentiam, ſupponatur eſſe in gratia, per actum videlicet perfectæ contritionis: & tunc hæc ipſa duo ſacramenta conferent gratiam in augmẽto: de quo ſane dubitari non

Pe

Et è contra accidere poteſt, vt putans quis bona fide ſe eſſe in gratia, tamen re vera habens aliquod mortale peccatum oblitum, accedat cum attritione ad ſacramentum aliquod viuorum: & tunc per accidens ex virtute talis ſacramenti recipiat primam gratiam, & iuſtificetur a peccato: vt de omnibus fatetur Suarez diſp. 7. ſect. 2. dub. 3., & Bonacina q. 4. de Sacrament. puncto 2. Sed quia hoc non eſt ita certum, quinimo pro varijs ſacramentis, varios habebit probabilitatis gradus: ideo in ſingulis ſpecialiter oſtendendum erit. Vnde tandem patet, de ratione ſacramenti in communi eſſe, conferre gratiam, abſtrahendo à prima gratia & ab augmento gratiæ. Nec enim neceſſe eſt, vt conferre gratiam intelligatur præciſe de prima gratia: ſiquidem & gratia quæ augetur, eſt vera gratia, & vere per virtutem ſacramenti confertur.

Cæterùm argumenta Lutheri in aſſert. articuli primi, & aliorum Hæreticorum, contra catholicam veritatem, ſolùm ad hoc tendunt, vt probare conentur, iuſtificationem etiam in ſacramentis ſola fide perfici. Sed certè id non probant. Et ad ſummum verificatur, requiri fidem in adultis tanquam diſpoſitionem ad gratiam, & paruulis ſimul cum gratia iuſtificante fidem habitualem infundi.

SECTIO SECVNDA.

Quam & quantam Gratiam Sacramenta conferant.

Conferunt gratiam ſanctificantem.

IN primis. Iam ex dictis ſatis patet, ſacramenta conferre gratiam habitualem iuſtificantem, quæ & præcipuè intelligitur nomine gratiæ. Et quia hanc gratiam comitantur alij habitus infuſi, virtutes ſupernaturales, & dona Spiritus ſancti: conſequenter ſacramenta conferunt quoque hos habitus. Et ita communiter Theologi docent: & nos ſuo loco de virtutibus infuſis 1. 2. tractauimus.

Conferunt ſacramen-

Secundò. Putarunt aliqui apud Paludan. in 4. d. 1. q. 3., non aliam vlteriùs gratiam per ſacramenta conferri. Communis tamen & vera Theologorum ſententia docet, aliquam aliam gratiam per ſacramenta conferri, Ita S. Tho. art. 2. & alij hoc loco, & Scholaſtici in 4. d. 1. Et intelligitur, vltra omnes habitus infuſos qui iuſtificantem gratiam comitantur: & vltra ſpiritualem animæ characterem, qui per quædam ſacramenta imprimitur, de quo nunc non loquimur, quia non venit ſub nomine gratiæ: ſed de eo altera ſequenti quæſtione agendum erit.

talem gratiam.

Fundamentum verò præſentis aſſertionis eſt: quia tot diſtincta ſacramenta, non fuerunt a Chriſto Domino inſtituta ob vnum ſolum finem & effectum omnibus communem, ſed vtique ob diſtinctos alios ac ſpeciales fines & effectus. Ad hos ergo fines ſingula ſacramenta conferunt ſuam peculiarem gratiam. Vniuerſaliter quidem gratia ſacramentorum appellatur gratia ſacramentalis: quo nomine intelligitur ſanè principaliter gratia iuſtificans: tamen prout ſimul connotans vlteriorem gratiam, quam eadem ſacramenta conferunt. Ipſa enim gratia iuſtificans, eſt radix & principium exigitiuum vlterioris gratiæ. Sicut enim eſt radix virtutum & donorum: ita etiam illa gratia quæ per ſingula ſacramenta confertur, eſt radix vlterioris gratiæ ſpecialis per ipſa ſacramenta conferendæ. Non quaſi diuerſæ rationis ſit habitualis gratia quæ diuerſis ſacramentis acquiritur: ſed quia ipſamet gratia quatenus acquiſita per hoc vel illud ſacramentum, exigit vt vlterius homini detur gratia ſpecialis huius & illius ſacramenti. Idquè ex ſpeciali ordinatione Dei, qui tali modo conſtituit ſacramenta, ad communem quidem effectum gratiæ ſanctificantis, & ad alios ſpeciales quibus homo ſpiritualiter indigebat.

Non conferunt aliam ornatum.

Tertiò. Ad aſſignandum quænam ſit hæc alia gratia. S. Tho. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. dixit, illa ſacramenta quę nõ imprimunt characterem, conferre quandam aliam gratiam quæ etiam habitualiter animæ inſit, quam vocauit ornatum. Approbant & ſequuntur Capreol., Paludan., Palat., ibi in 4., Ferrarienſ. 4. cont. Gent. cap. 57.

Digitized by Google

77., & quidam alij. Et hoc fundamento inducti ſunt: quia cùm ex vna parte vellent, ſacramenta per veram efficientiam & phyſicam cauſalitatem influere ad cauſandam gratiam; & ex alia parte ſupponerent gratiam fieri per creationem, & creationem ita eſſe propriam Dei, vt nulla creatura aſſumi poſſit nec etiam vt inſtrumentum ad creandum: ideo cogitarunt, ſacramenta efficere diſpoſitionem quandam in anima, ad quam conſequatur gratia. Et hanc diſpoſitionem dixerunt eſſe, vel charácterem, vel in defectu characteris dictum ornatum.

Sed iam communiter Theologi negant, talem ornatum per ſacramenta conferri, negant etiam characterem ſe habere tanquam diſpoſitionem ad gratiam. Itaque in vniuerſum non agnoſcunt aliam habitualem qualitatem ex ſacramentis in anima, præter gratiam ſanctificantem cum ſuis virtutibus & donis, & characterem ex quibuſdam ſacramentis, nec vllam habitualem diſpoſitionem ad gratiam. Ità Caietan. hic art. 2., Valent. q. 3. puncto 2., Suarez diſp. 7. ſect. 3., Vaſq. diſp. 132. cap. 3., Sotus in 4. diſt. 1. q. 3. art. 2., & alij etiam antiquiores Theologi. Eademq; cenſetur ſententia S. Thomæ hic, qui nullam talis ornatus aut diſpoſitionis mentionem fecit, ſed alio modo ſacramentalem gratiam aſſignauit. Hæc ergo ſententia retinenda omnino eſt. Tum quia non eſt neceſſaria, nec vtilis, huiuſmodi diſpoſitio habitualis ad gratiam. Tum quia character, in ſacramētis quibus imprimitur, nullatenus ponitur ad hoc officium, vt diſponat animam ad gratiam; ſed longe aliud munus habet, vt videbimus quæſt. ſequēti. Tum etiam omnis alius ornatus, gratis excogitatus eſt, nec aſſignari poteſt, quid propriè ſit, vbi inſit, ad quid proſit. Tum præcipuè, non poteſt deſeruire ad illum effectum ad quem dicebatur; ſi enim gratia iuſtificans dicitur fieri per creationem, ſequitur etiam, characterē, & ornatum, ſiue omnem aliam qualitatem ſupernaturalem, fieri pariter per creationem; eadem enim eſt de omnibus ratio: quare ſi ideo ſacramentum non poterat efficere gratiam, nec etiam poteſt efficere huiuſmodi aliam qualitatem. Tum demum, vel character aut ornatus ipſe effectiuè produceret gratiam: & ſic redit eadem difficultas, quomodo aliqua res creata poſſit efficere gratiam, ſi gratia fit per creationē. Vel ſolùm diſpoſitiuè ſe habet, ita vt gratia à ſolo Deo immediatè fiat: & tunc melius erat dicere ab initio, ad exhibitionem ipſius ſacramenti, abſque illo ornatu medio, infundi à Deo gratiā. Benè autem in adultis requiritur diſpoſitio moralis penes actus proportionatos elicitos: de qua diſpoſitione nunc non agimus, ſed agemus poſtea pro ſuſcipientibus ſacramenta.

Quartò. Palud. ibidem indicauit, ſingula ſacramenta conferre diuerſos alios & peculiares habitus gratiæ, præter communem gratiam iuſtificantem. Sed certè, nec explicari poteſt, quinam ſint ij peculiares habitus: nec ad quicquam oportet vel prodeſt eos ponere. Quidam alij Thomiſtæ dixerunt, ſacramenta conferre quendam modum realem, permanētem in anima poſt ſuſceptum ſacramentum, & ab omnibus alijs habitibus diſtinctum. Excogitaruntquè hunc modum, vt explicarent, qualiter quando ſacramentum in actuali exercitio non confert gratiam ob indiſpoſitionem ſuſcipientis, ſed confert poſtea, recedente vt dicitur fictione; tunc mediante tali modo dicatur conferre gratiam. Verùm talis modus, vt nouiter adinuentus, ita ſpernendus eſt. Et eo magis, quia explicari non poteſt, quidnam ſit, vbi proprie inſit. Sed nec etiam ad talem effectum neceſſarius eſt: quia ſine illo optimè ſaluari poteſt & debet, conferri gratiam recedente fictione, virtute præcedentis ſacramenti. *Aut alium certum modum.*

Quintò ergo, gratia quam ſacramenta addunt ſupra communem gratiam cum virtutibus infuſis & donis, conſiſtit in auxilijs actualibus, iuuantibus ad fines ſpeciales, ob quos ſingula ſacramēta inſtituta ſunt. Ita ſatis clarè S. Thomas art. 2., alijque communiter. Et patet, non ſolùm quia iam nihil aliud poterit aſſignari. Sed præſertim, quia his auxilijs homo indiget, hæc auxilia maxime opportuna ſunt ad proprios fines ſingulorum ſacramentorum. Et oſten- *Conferunt ſpecialia auxilia.*

oſtenditur magis inductione. Per ſacramentum Confirmationis ſpecialiter conferuntur auxilia ad fortiter perſeuerandum in fide. Per ſacramentum Euchariſtiæ ad feruenter exercenda opera bona, ad perſeuerandum in gratia. Per ſacramentum Ordinis ad dignè adimplenda miniſteria ſacra. Per ſacramentum Matrimonij, ad ſuſtinenda eius onera, & rectè educandam prolé. Per ſacramentum Extremæ vnctionis, ad euadenda pericula mortis. Per ſacramenta verò Baptiſmi & Pœnitentiæ, dixerunt aliqui, nō oportere peculiaria auxilia aſſignari: quia per ſe ſatis videntur habere ſuos proprios ac ſpeciales effectus, videlicet remiſſionem peccati originalis & peccatorum actualium. Sed his etiam ſacramentis poſſunt ac debent ſua propria auxilia aſſignari, vt ſuis locis videbimus. Ac demum, præter hæc auxilia, confertur etiam per hæc duo ſacramenta, & per Extremam vnctionem, remiſſio pœnæ debitæ peccatis, vt pariter ſuis locis videbimus.

Addunt Sotus & Valent. locis citatis, & Alanus de Sacrament. cap. 40. huiuſmodi auxilia quæ per ſingula ſacramenta conferuntur, ita eſſe ijs propria & alligata, vt alioqui non darentur ſine tali vel tali ſacramento. Hoc tamen non eſt neceſſarium: quin potiùs dantur huiuſmodi auxilia a Deo, etiam independenter à ſacramentis; & poſſunt eſſe ita proficua & ſalutaria, ſicut ſi per ſacramenta darentur. Nec propterea ſequitur, ſacramenta ad hos effectus eſſe ſuperflua. Sunt enim vtiliſſima: quia per virtutem ſacramentorum ſolet Deus abundanter talia auxilia elargiri. Sicut vtique non ſunt ſuperflua ſacramenta in ordine ad conferendam gratiam ſanctificantem: quamuis etiam extra ſacramenta poſſint homines ex opere operantis talem gratiam adipiſci.

Diuerſa ſacramēta conferunt inæqualem gratiam.

Deinde, quantam gratiam ſacramenta conferant, vtique non poteſt à nobis vlla certa menſura taxari. Solùm poſſet comparatiuè diſquiri, num omnia æqualem, vel diuerſa ſacramenta & quænam, maiorem aut minorem gratiā conferant. In qua comparatione, dici quidem debent, ſacramenta, ſicut ſunt inter ſe dignitate diſparia, vt defini Trident. ſeſſ. 7. can. 3. ita etiam inæquales ex vi ſua effectus conferre. Qua ratione Paludan. in 4. d. 26. q. 4. art. 2. concl. 1., Maior q. 1., Supplem. Gabrielis q. 1. concl. 9., & Petr. Soto lect. 1. de Matrim., notant, ſacramentum Matrimonij inter omnia conferre minimam gratiam. Sed hoc totum magis explicandum erit infra q. 65. de Sacramentorum numero & comparatione, & ſpecialiter poſtea de ſingulis pertractando.

Idem ſacramentū confert æqualem in ſubiecto æquè diſpoſito.

Item quæri poteſt, num idem ſacramentum, vel a diuerſis hominibus ſuſceptum, vel ſæpiùs ab eodem ſi ſit iterabile, ſemper æqualem gratiam conferat, vel maiorem aut minorem. Vbi quidam Theologi admittunt, fieri poſſe, vt abſque inæqualitate diſpoſitionis in ſuſcipiendo, adhuc ſacramentum conferat inæqualem gratiam. Sic Paludan. in 4. d. 4. q. 1. concedit, Baptiſmū conferre alicui infanti maiorem, & alicui minorem gratiam: quia ſupponit, omnes eſſe prædeſtinatos ad inæqualē gloriam. Et Scotus in 4. d. 4. q. 7. ait, poſſe inæqualem gratiam conferri paruulis per Baptiſmum, vel ex inæquali prædeſtinatione ad gloriam, vel ex inæquali applicatione meritorum Chriſti, vel ex diſpari probitate & merito miniſtri baptizantis, imo & circunſtantium qui aſſiſtunt. Sed tamen admittendum non eſt, vbi æqualis ſit diſpoſitio ſuſcipientium, inæqualem conferri gratiā per idem ſacramentum. Quia ſane non adeſt fundamentum ad talem inæqualitatem inducendam. Nec inconueniens eſt dicere, plures eſſe prædeſtinatos ad æqualem gloriam.

Inæquale in ſubiecto inæqualiter diſpoſito.

Ex alia tamen parte certum eſt, ob inæqualem diſpoſitionem in ſuſcipiendo ſacramento, illum qui meliùs diſpoſitus accedit, maiorem etiam recipere gratiam. Quod proinde conuenit ſolis adultis, qui capaces ſunt huiuſmodi diſpoſitionis. Et habetur expreſsè ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi loquens de iuſtificatione, etiam quæ fit mediante Baptiſmo, ait, ſingulos recipere gratiam, *Secundùm propriam cuiuſquè diſpoſitionem & cooperationem.*

Et

Digitized by Google

Et ratio eſt: quia, licèt ſacramentum conferat gratiam ex opere operato; tamen adhuc ex diuina inſtitutione, ſicut requirit diſpoſitionem aliquam in adultis, ita pro maiori aut minori diſpoſitione inæqualem gratiam confert. Nam & cauſæ ipſæ naturales, quæ ex virtute ſua natiua, & propria cauſalitate phyſica agunt, adhuc magis aut minùs in ſubiecto operantur, iuxta maiorem aut minorem eius diſpoſitionem.

SECTIO TERTIA.

Quando & quibus Sacramenta conferant gratiam.

Conferunt gratiam ſemper omnibus dignè ſuſcipientibus.

IN primis certum eſt, ſacramenta conferre gratiam ſemper & omnibus, quando & à quibus dignè ſuſcipiuntur, ſiue non ponendo obicem ipſi gratiæ. Ita definitum eſt in Tridét. ſeſſ. 7. can 7. de Sacrament. in genere: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando & aliquibus, anathema ſit.* Et fundamentum huius veritatis eſt, promiſſio & inſtitutio Dei & Chriſti, quæ cum hac certitudine & amplitudine facta eſt. Et conſtat adequate de omnibus ſacramentis, ex traditione & vniuerſali exiſtimatione Eccleſiæ. Et in ſpeciali de quibuſdam expreſſis Euangelij teſtimonijs: vtpote, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*: & ſimiliter, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Quæ dicta ſunt ſine exceptione aut limitatione vlla temporis aut perſonarum. Et ſic de ſingulis ſacramentis. Dico autem dum ſacramenta dignè recipiuntur: quia ſi indignè ſuſcipiantur, dicemus concluſione ſequenti, non conferre tunc gratiam. Explicatur magis, non ponendo obicem: quia non ſemper eſt neceſſaria dignitas ſeu diſpoſitio poſitiua, ſed ſatis eſſe poteſt negatiua, dum ſcilicet non apponitur voluntarium aliquod impedimentum. Sic enim paruulis, in quibus nulla poteſt eſſe diſpoſitio poſitiua, vere confertur gratia per ſacramenta. Adulti autem indigent aliqua diſpoſitione. Sed quia effectus gratiæ in ipſis impediri non poteſt niſi per aliquod actuale peccatum, ſtante validitate ſacramenti: ideo vniuerſaliter de omnibus dicitur, ſemper ſacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem.

Et conferunt gratiam ſanctificanté, tunc de præſenti in ipſo actuali exercitio & ſuſceptione, abſque alia mora temporis. Hanc enim vim habet diuina promiſſio & inſtitutio. Nec eſt quid aut cur expectetur. Sicut pariter in ſacramento Euchariſtiæ, abſque dilatione temporis, tunc de præſenti, quãdo conſecratur panis & vinum, fit ibi tranſubſtantiatio de pane & vino in corpus & ſanguinem Chriſti. De cętero, auxilia peculiaria, quæ diximus per ſingula ſacramenta conferri, non eſt neceſſe, imo nec opportunum, vt ad idem tempus reſtringantur: ſed potiùs conferenda erunt temporibus congruis & adaptatis, iuxta diſpoſitionem diuinę prouidentiæ, & exigentiam humanæ indigentiæ; ex virtute tamen præteriti ſacramenti.

Non conferunt indignè ſuſcipientibus.

Secundò. Certum etiam eſt, poſſe & ſolere contingere, vt ſacramenta interdum non conferant gratiam, tunc ſcilicet quando indignè ſuſcipiuntur, quando ſuſcipiens accedit indiſpoſitus, & opponit obicem gratiæ. Hoc ipſum indicauit ibi Concilium. Et can. 6. dicens. *Sacramenta gratiam ipſam non ponentibus obicem conferre.* Quare ſupponit, non conferre ponentibus obicem. Idem etiam antea expreſſit Concil. Florentinum. Similiter D. Auguſt. in Pſal. 77. & 103. & lib. 6. de Baptiſmo cap. 3. aliique Patres, idem perſpicuè docuerunt. Ac denique Theologi omnes. Et ratio ſumitur ex eadem promiſſione & inſtitutione diuina, quæ conuenientiſſimè ſic facta eſt, vt homini ponenti obicem nõ conferatur gratia. Quænam verò ſit diſpoſitio requiſita ad recipiendam gratiam, quodué impedimentum obſtans, attingemus poſtea de ſuſcipiẽtibus ſacramenta.

Non conferunt ex opere operato ſolùm

Tertiò vlteriùs videri poteſt, ſacramenta non ſolùm conferre gratiam tunc & illis, quando & à quibus in facto ritè ſuſcipiuntur, ſed etiam quando

Digitized by Google

In voto deſiderantibus.

do. & à quibus deſiderantur ſuſcipi, ſaltem in caſu quo exteriùs recipi non poſſunt. Dici enim ſolet, hominem iuſtificari per ſacramentum in voto. Idque indicat S. Tho. infra q. 68. art. 2., & q. 77. art. 3., & q. 80. art. 1. ad. 3., & clariùs Quodlib. 4. art. 10., explicans, ſacramentum in voto non conferre quidem omnem effectum, ſed conferre aliquem: vtpote Baptiſmum in voto non imprimere characterem, nõ remittere pœnam; ſed tamen præbere gratiam, licet non tam copioſam, ſicut ſi re ipſa ſuſciperetur. Et hanc ſententiam vt valde probabilem tenet Cabrera hic art. 1. v. 3. Aliter Ledeſma 1. part. quarti q. 21. art. 1. aſſerit, per deſideriũ ſacramenti, non obtineri quidem gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis: obtineri tamen maiorem quàm per deſiderium alterius ſimilis obiecti boni, cæteris paribus.

Vere tamen ſacramentũ in voto, non confert gratiam proprie ex opere operato: ſed ſolùm iuxta meritum ſeu valorem ſui actus, homo deſiderans ſuſcipere ſacramentum, acquirit gratiam ex opere operantis. Ita vt plurimum Theologi hoc loco ſupponũt, & Adrian. Quodlib. 5. art. 5., Ruardus Artic. 1. contra Luther., & alij. Et fundamentum eſt: quia promiſſio conferendi gratiam ex opere operato, non eſt facta niſi pro ſacramento realiter ſuſcepto, vt colligi poteſt ex ipſis Scripturæ verbis. Sed tamen, dum homo conteritur, deſiderans, vel explicitè, vel implicite, ſuſcipere ſacramentum, iuſtificatur ex opere operantis. Nec oportet dicere, quòd maiorem conſequatur gratiam per deſiderium ſacramenti, quàm per deſiderium ſimilis obiecti cæteris paribus. Quo ſenſu autem dicatur homo iuſtificari per ſacramentum in voto, explicabimus poſtea de Baptiſmo. S. Thomas vero, ſaltem in locis ex hac 3. par. citatis, commodè intelligi poteſt de conſequutione gratiæ ex opere operantis.

In qua menſura temporis conferant gratiam.

Quartò deinde. Quando ſacramenta conferunt gratiam ritè ſuſcipientibus, ſubtiliter dubitatur, in qua præcisè durationis menſura infundatur gratia. Non enim dici poteſt infundi ab initio quo incipit confici ſacramentum. Vel ſucceſſiue per totum ſpatium quo durat ſucceſſiua actio in qua conſiſtit ſacramentum. Vel in aliqua certa parte antecedenti aut intermedia ipſius ſacramenti. Certe enim, ſi ex aliquo impedimento contingat non perfici totũ ſacramentum, non adimpleatur totum quod eſt de ſubſtantia ſacramenti, v. g. ſi in Baptiſmo non pronuncietur vltimum formæ verbum, ſcilicet *Spiritus ſancti*, & ſic in alijs: vtique in tali caſu non confertur effectus ſacramenti, & homo nequaquam recepiſſet gratiam: ſed omnino non infunditur gratia quandiu non perficitur ſacramentum. Quare dicetur ſolum infundi in termino & complemento ipſius ſacramenti. Quod ſi miniſter priùs formam compleat, & adhuc proſequantur actionem quæ eſt materia ſacramenti, vt in Baptiſmo ablutionem, in Confirmatione & Extrema vnctione ipſam vnctionem, ſignificat Paludan. in 4. diſt. 5 q. 5. ad finem, non intelligi perfectum ſacramentum, nec conferri effectum illius in fine prolationis formæ, ſed potiùs in fine alterius actionis materialis. Putãdum tamen eſt, verè compleri ſacramentum, & conferri illius effectum ſtatim in termino prolationis, dummodo tunc adhibita quoque ſit ſufficiens alioqui actio materialis, quamuis adhuc ſucceſſiuè continuetur. Ita notant Granad. controu. 4 tract. 1. diſp. 4. num. 14., Hurtad. diſp. 1. de Baptiſmo difficul. 6., Ochagauia q. 2. num. 9., alijque plures. Etenim iam tunc adeſt tota eſſentia ſacramenti: ita vt ſi non continuetur ampliùs ablutio, & vnctio, vere ſit perfectum ſacramentum: ergo etiam ſi continuetur materialis actio: vt ſi miniſter velit adhuc infundere aquã, non per hoc retardatur perfectio & operatio ſacramenti. Sic ergo ſemper dum completur ſacramentum, infunditur gratia. Supponi etiam ſolet, inueniri vltimum quoddam inſtans indiuiſibile terminatiuum totius actionis ſucceſſiuæ præcedentis, ſiue dicatur terminus intrinſecus, ſiue extrinſecus: ſicut & ſupponuntur alia inſtantia & indiuiſibilia continuatiua partium diuiſibilium in toto progreſſu motus. Et nos

etiam

Digitized by Google

etiam loquemur priùs iuxta hanc ſuppoſitionem. Sed poſtea dicemus, quid abſolute ſentiendum ac ſtatuendum ſit.

Non in aliqua parte determinata ante vltimum inſtans.

Facta ergo tali ſuppoſitione, dixerunt adhuc aliqui, gratiam conferri in parte quadam determinata, ante vltimum inſtans terminatiuum, & poſt aliquod inſtans continuatiuum actionis ſucceſſiuæ ſacramentalis. Hunc dicendi modum laborioſe defendit Lugus hîc diſp. 4. ſect. 6. à num. 123. Sed prætermiſſis alijs difficultatibus, hanc vnam ſolùm contra hunc modum vrgeo. Quia certè hoc pacto dicitur infundi gratia, antequam compleatur & perficiatur totum ſacramentum. Et quodcunque inſtans continuatiuum accipiatur, vtique inter illud & aliud inſtans terminatiuum, mediant infinita alia inſtantia continuatiua, in quibus omnibus exiſteret iam gratia, cùm adhuc non eſſet peractum ſacramentum, ſed adhuc ſupereſſet aliqua pars eius. Pars inquam intrinſeca de neceſſitate & ſubſtantia ſacramenti. Conſideramus enim ſacramentum præciſe ſecundùm partes eius neceſſarias ac ſubſtantiales. Atque adeo omne inſtans continuatiuum ita ſe habet, vt poſt illud ſequatur aliqua huiuſmodi pars. Et vltimum inſtans terminatiuum erit, ante quod immediatè præceſſit aliqua pars neceſſaria & ſubſtantialis ſacramenti, & poſt quod non ſequatur alia talis. Quare prorſus dici non poteſt, in aliqua huiuſmodi certa ac determinata parte, & immediatè poſt aliquod certum ac determinatum huiuſmodi inſtans continuatiuum, infundi gratiam. Si vero miniſter ex induſtria protraheret vltimam ſyllabam ſiue litteram vocalem formæ ſacramentalis, v. g. in Baptiſmo litteram, i, Spiritus ſancti: talis protractio non habebitur pro parte neceſſaria & ſubſtantiali ſacramenti, ſed tanquam ſuperflua erit extra ſubſtantiam ſacramenti. Itaque ſacramentum perficitur ſtatim in ipſa expreſſione illius ſyllabæ ſeu litteræ, ſecluſa omni vlteriori protractione, quæ per accidens ſe habebit. Atque adeo vltimum & terminatiuum inſtans ſacramenti eſt, in quo primum perficitur ſufficiens & neceſſaria expreſſio vltimæ ſyllabæ ſeu litteræ; quia tunc habetur totum id quod eſt neceſſarium de ſubſtantia & valore ſacramenti.

Non in vltima parte indeterminata.

Hinc dixerunt alij, gratiam infundi in vltima parte ſacramenti. Et quia non poteſt dari vltima pars determinata, in qua non diſtinguatur rurſus alia particula prior & alia poſterior, cùm omnis pars ſit diuiſibilis in infinitum: dixerunt, in vltima parte indeterminata. Ita quidem, vt nullum ſit certum inſtans, in quo dici queat, nunc primò eſt gratia, & antea non erat, vel nunc vltimo non eſt gratia, immediate poſt erit. Sed alio modo dici debeat in vltimo inſtanti quo perficitur ſacramentum, nunc eſt gratia & immediatè antea erat, & non plus antea, ſed in quocunque alio anteriori inſtanti valeret adhuc dicere, nunc non eſt gratia. Atque hunc dicendi modum excogitarũt, ſicut & alij præcedentem: quia inconueniens reputarunt, non conferri gratiam niſi vſque ad vltimum inſtans ſacramenti, vt deinceps videbimus.

Sed tamen hic modus, non ſolùm maiorem inconuenientiam & difficultatem patitur, ſed etiam impoſſibilis apparet. Tum generali ratione, quia non videtur poſſibilis talis incipiendi modus, præter illos duos, per primum eſſe, & per vltimum non eſſe, hactenus a Philoſophis agnitos: vt iam ſuo loco oſtendimus q. 30. Philoſophiæ ſect. 1. Tum etiam addi poteſt: ſicut non poteſt cogitari magnitudo aliqua ita in ſpatio collocari, vt dicere non valeat, in hoc puncto intrinſece aut extrinſecè incipit; ſed dicere valeret, in hoc puncto eſt, & immediate citra illud eſt, & non plus: ita pariter non poteſt intelligi duratio alicuius rei in ſpatio temporis, de qua dici non poſſit, in hoc inſtanti incipit, aut intrinſece per primum eſſe, aut extrinſecè per vltimum non eſſe. Tum demum, ille modus ſpeciali ratione adaptari non poteſt in ſententia eorum qui volunt, ſacramenta cauſare gratiam phyſica actione: eo magis enim impoſſibile eſt, vt pars indeterminata & non ſignabilis dicatur hanc efficientiam exercere. In ſententia vero dicente, ſacramenta moraliter tantum cauſare gratiam, id eſt ad exhibitio-

bitio-

Digitized by Google

bitionem ſacramenti Deum infundere gratiam; pariter oportet fateri, Deum diſcernere quando nam infundat gratiam, ac proinde non eo modo in parte indeterminata illius actionis & temporis infundere.

Conferre dicuntur in vltimo inſtanti terminatiuo.

Communiter ergo Theologi docent, gratiam infundi in vltimo inſtanti quo perficitur ſacramentum. Et ita notauit S. Thomas infra q. 77. art. 7. ad 1. & 3., & q. 78. art. 4. ad 3., ſacramentum Euchariſtiæ perfici, & tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti fieri in vltimo inſtanti prolationis verborum. Et ſine dubio eadem ratio eſt de aliorum ſacramentorum effectu, ſcilicet infuſione gratiæ, & pariter impreſſione characteris in iis ſacramentis quibus imprimitur. Ita vt in eodem inſtanti in quo dicere valet, nunc primò completum eſt ſacramentum, ſiue nunc primò non eſt actio ſucceſſiua ſacramentalis, tunc ſimul dicere valeat, nunc primò eſt gratia. Et fundamentum huius rei eſt: quia hic modus & facile intelligitur, & accomodatus eſt naturę ipſius gratiæ & ſacramenti: & quia non videtur aliter dici poſſe. Adhuc tamen in quadam ſubtilitate diſcordant huius ſententiæ aſſertores. Plerique enim volunt, in illo vltimo inſtanti terminatiuo inueniri poſitiuum quoddam indiuiſibile intrinſecum ipſi ſacramento, tanquam vltimum mutatum eſſe, & hoc multum conferre ad operationem ſacramenti: idquè defendit Suarez diſp. 8. ſect. 2. & ſequitur Conink hac q. 62. art. 1. dub. 4. Aliqui autem negant, dari tale indiuiſibile, ſeu talem terminum poſitiuum, & quicquam conferre ad operationem ſacramenti: & ita contendit Vaſq. diſp. 132. cap. 4. At certe, ſuppoſita illa doctrina de indiuiſibilibus in quantitate, admitti debet indiuiſibile terminatiuum in motu & tempore, ſicut indiuiſibilia continuatiua in progreſſu. Parum tamen aut nihil conferret ad operationem ſacramenti, vt mox proſequemur in difficultate ſequenti.

Præſertim diſcedo cauſare tantū moraliter.

Duplex precipuè difficultas occurrit circa hunc modum conſtituendi infuſionem gratiæ in vltimo inſtanti temporis quo perficitur ſacramentum. Prima in opinione eorum qui volunt ſacramenta phyſice cauſare gratiam: quia vel in illo vltimo inſtanti nihil eſt ampliùs ſacramenti: vel ſi eſt aliquod indiuiſibile, non ſufficit, cùm indiuiſibile non poſſit agere. Ad hoc non pauci Thomiſtæ, admittentes in eo inſtanti nihil vere eſſe ſacramenti, dicunt adhuc, totum ſacramentum quod immediate ante præceſſit, aptum eſſe tunc efficere gratiam. Sed quia per ſe impoſſibile apparet, vt id quod non eſt, quamuis immediatè antea fuerit, aſſumatur ad operandum & efficiendum phyſice quicquam. Ideo Suarez vbi ſupra, & plures alij, ſtatuunt, in eo inſtanti eſſe aliquid ſacramenti, terminū ſcilicet indiuiſibilem, quod dicitur mutatum eſſe, & per illud dicunt proximè effici gratiam: quia licet hic terminus non ſit proprie motus, tamen eſt aliquid ipſius motus, tanquam complementum eius: ſicut punctum non eſt quantitas, tamen eſt aliquid quantitatis, & ſuo modo intrinſece pertinet ad illam. Et ita hunc terminum intrinſecum ſacramenti dicunt, aſſumi à Deo ad producendam phyſice gratiam: quia licet indiuiſibile non poſſit naturaliter agere, tamen poterit ſupernaturali virtute eleuari à Deo ad operandum. Hoc quidem poteſt tolerabiliùs ſuſtineri: ſed adhuc incommodum eſt, cauſalitatem ſacramenti tribuere ſoli vltimo termino indiuiſibili eius. Attamen hoc incommodum incurritur in modo illo phyſicæ cauſalitatis: & ideo potiùs inducere debet ad negandum in ſacramentis talem modum phyſicæ cauſalitatis, vt ſect. ſequenti tractabimus. Et de reliquo euaneſcit hæc difficultas quantum ad inceptionem gratiæ in vltimo dicto inſtanti.

An deficiente vltimo termino adhuc conferant.

Altera difficultas, communis in omni ſententia eſt: quia contingere poteſt, vt in tali vltimo inſtanti quo perficiendum erat ſacramentum, & conferenda gratia, deſit ille vltimus terminus ſacramenti. Si videlicet per primum ſui non eſſe tunc deficeret miniſter qui conficiebat ſacramentum. Aut ſi in eo inſtanti ſimiliter per primum non eſſe deficeret aer in quo recipiebatur ſonus verborum. Vel ex alia parte, eſto perficiatur

ciatur

Digitized by Google

ciatur ſacramentum, fieri poteſt, vt ille qui ſuſcipiebat ſacramentum, in eo inſtanti per primum non eſſe moriatur. In his inquam caſibus difficile apparet, an virtute ſacramenti conferatur gratia.

Adrianus in 4. q. 3. de Confeſs., Maior diſt. 16. q. 1., & quidam alij, non dubitarunt concedere etiam in his caſibus conferri gratiam. Quia ſiue deſit vltimus terminus ſacramenti, viuente illo qui ſacramentum ſuſcipit, poterit conferri gratia: eo quod ille vltimus terminus non erat per ſe neceſſarius, ſed ſolummodò deſignatum erat illud inſtans tanquam aptum in quo conferretur gratia. Siue in eo inſtanti deficiat ille qui ſuſcipiebat ſacramentum, non erit inconueniens, in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore, infundi gratiam ipſi animæ, etiam ſi toto tempore antecedenti homo manſerat in peccato: quia cùm viuente homine perficiatur ſacramentum, debebit in illo vltimo inſtanti conferri gratia. Ex aduerſo Suarez, Vaſquez, Bonacina q. 4. de Sacrament. puncto 7. num. 4., & alij volunt, in his caſibus non fore conferendam gratiam. Quia ſi deſit vltimus terminus ſacramenti, ſacramentum nō eſt omnino perfectum atque completum: vnde non poteſt habere ſuum effectum. Si autem in eo inſtanti deficit homo ſuſcipiens ſacramentum, abſurdum eſt conferri gratiam animæ in ſtatu ſeparationis, quæ toto antecedēti coniunctionis tempore manſerat in peccato.

Videntur conferre deficiente ex parte miniſtri, nō ex parte ſubiecti.

Sed certè hoc totum ex diuina inſtitutione dependet. Potuit enim Deus vno vel alio modo promittere infuſionē gratiæ per ſacramentum: vt vel vltimus terminus ſacramenti eſſet omnino neceſſarius; vel non eſſet ſimpliciter neceſſarius, dummodo tota actio diuiſibilis & ſucceſſiua, abſque defectu alterius partis, eſſet antecedenti tempore peracta. Et ſimiliter, vt vel in eo ipſo inſtanti adhuc homo viuat, vel ſufficiat vixiſſe toto tempore antecedenti. De facto autem putandum eſt, tales caſus adeo præciſos non contingere, diuina prouidentia ita res diſponente. Quod ſi vnquam contingant, quicquid quiſque arbitretur fieri, an infundatur vel non infundatur gratia: firma remanebit regula poſita de infuſione gratiæ in vltimo inſtanti terminatiuo ſacramenti, concurrentibus debitis requiſitis. Et vt dicamus, quid nos in ijs caſibus ſi contingerent arbitremur: veriſimilius videtur, in caſu quo deficiat ſolùm vltimus terminus ſacramenti, adhuc in eo vltimo inſtanti infundi gratiam, & conferri effectum ſacramenti: quia non requiritur ex hac parte cauſalitas phyſica, vt ſupponimus: & promiſſio diuina optimè ſic poteſt intelligi, vt quandocunque peracta ſit tota actio ſucceſſiua ac diuiſibilis ſacramenti, ſemper in vltimo inſtāti infundatur gratia, quamuis deficiat ipſe terminus vltimus indiuiſibilis ſacramenti. Si autem deficiat ipſe homo qui ſuſcipit ſacramentum, & recipere debet gratiam: tunc fortaſſe non infundendam illi gratiam: quia in eo inſtanti quo exercenda eſſet hæc actio deficit ſubiectum. Quamuis enim, anima non deficiat, ſed immortalis permaneat: tamen ſubiectum deſtinatum à Deo, eſt anima coniuncta corpori, nō verò ſeparata: quare iuxta hāc Dei legē deficit ſubiectū. Et hoc eodem pacto in ſacramento Euchariſtiæ: ſi deficiat vltimus terminus prolationis per mortē Sacerdotis, adhuc in eo ipſo inſtanti fieri tranſubſtantiationē. Si verò in eo inſtanti deficerent ſpecies panis, ita vt dicere valeret, nunc primo nō ſunt, nequaquam fieret tranſubſtantiatio.

Hæc quidem dicta ſint ex hypoteſi & ſuppoſitione inſtantium & indiuiſibilium in tēpore & in actibus ſucceſſiuis. Sed ijs ſublatis, & aliter explicando iuxta ceptionem rerum, prout iam tractauimus ibique in Philoſophiæ; abſolutè loquendo dicemus, gratiam in exercitio ſacramentorum produci & incipere ad inſtar aliarum rerum permanentium, qualis reuera eſt gratia, per totum ſuū eſſe ſimul; ita vt totus ille gradus gratiæ, qui debetur homini per tale ſacramentum, ſimul tunc infundatur. Et infundi immediatè poſt illud tempus in quo peractum eſt ſacramentum. Ita quod conſideretur quoddam tempus antecedens in quo valebat dicere non eſt gratia; & aliud tempus ſequens, in quo

Abſolutè loquendo ſacramentum confert gratiam immediatè poſt ſuā exiſtentiā.

quo valet dicere, eſt gratia, abſque vllo inſtanti intermedio. Et ſimiliter conſideretur tempus in quo ſucceſſiuè exercebatur actio ſacramenti, & in toto illo non erat gratia, quia adhuc non erat completũ ſacramentum. Et aliud tempus immediatè ſequens poſt actionem ſucceſſiuam ſacramenti, & in hoc eſt gratia. Sic quidem incipiens immediatè poſt ſuum non eſſe, & poſt actionem ſucceſſiuam ſacramenti: ac deinceps durans, quandiù per aliquod mortale peccatum non deperdatur.

An ſacramentum conferat gratiam remoto obice. Quinto demum. Quando ſacramentum ob indiſpoſitionem ſuſcipientis non confert in ipſo actuali exercitio de præſenti gratiam, dubium eſt, an dum poſtea tempore ſequenti talis homo per actum pœnitentiæ ritè diſponitur, ſiue vt dici ſolet recedente fictione, & remoto obice, conferat tunc illum effectum gratiæ, quem priùs in actuali adminiſtratione conferre debebat. Sed quia hæc res non æqualem in omnibus ſacramentis certitudinem habet; ideo in ſpeciali tractatione de ſingulis examinanda erit.

SECTIO QVARTA.

Quonam modo, an phyſicè efficiendo, vel ſolùm moraliter cauſando, Sacramenta conferant gratiam.

HÆc eſt præcipua in hac re & celebris controuerſia, de modo quo ſacramenta conferãt gratiam. Duplex enim modus occurrit. Vnus, ita vt ſacramentum per veram & propriam efficientiam, directè egredientem & emanantem ex ipſa ſubſtantia ſacramenti, producat in anima gratiam; ſicut v. g. oculus efficit actum viſionis, & aliæ ſimiles cauſæ taliter operantur. Alius modus eſt, ita vt gratia immediatè à ſolo Deo producatur & infundatur in anima, ad præſentiam & exhibitionẽ ipſius ſacramenti tanquam ſigni: quæ actio productiua gratiæ non egreditur directè ab ipſo ſacramento, ſed immediatè à Deo ad exhibitionem ſacramenti. Primus modus dicitur phyſicæ cauſalitatis: ſecundus dicitur cauſalitatis moralis. Sic enim communiter recentiores Theologi loquuntur, licèt antiqui non ſub his terminis cauſalitatis phyſicæ & moralis, ſed aliter loquuti ſint.

Sententia aſſerens phyſicam cauſalitatem. Prima ergo ſententia aſſerit, ſacramenta per phyſicam efficientiã & cauſalitatem conferre gratiam. Habetque tres dicendi modos. Primus fuit olim S. Thomæ in 4. ſententiarum, quem ſecuti ſunt Capreol., Paludan., Ferrarienſ., ſacramentum immediatè efficere diſpoſitionem quandam in anima, præuiam ad gratiam: vt memorauimus ſupra ſect. 2. Secundus dicendi modus eſt, quem excogitauit Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1., & probabilem putat Ledeſma 1. par. quarti q. 3. art. 1., ſacramentum per modum cauſæ phyſicæ efficere vt homo ſit gratus Deo, non verò efficere ipſam gratiam ſecundùm ſe. Tertius & præcipuus dicendi modus eſt, ſacramentum immediatè efficere ipſam gratiam in anima. Et hic rurſus in duos alios explicandi modos diuiſus eſt. Primus eſt, ſacramentum recipere in ſe virtutem quandam ſuperadditam à Deo, qua per modum inſtrumenti eleuatur ad producendum effectum gratiæ. Ita videtur ſentire S. Tho. hic art. 1. & 4. Et in hoc ſenſu eius ſententiam communiter Thomiſtæ defendũt, Caietan., Nugnus, Cabrera, Peſantius hoc loco. Item Valent. q. 3. puncto 1., Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 11., Vega lib. 7. ſuper Concil. cap. 10. & ſequentibus, Henriq. lib. 1. de Sacrament. cap. 16. num. 4., Sayrus lib. 5. cap. 3. q. 1. art. 5. 6. & 7. Secundus modus eſt, ſacramentum abſque alia virtute ſuperaddita, per ſuam ſolam entitatem, aſſumi & eleuari à Deo, ad attingendã effectiuè gratiam. Ita rem explicat Suarez hic diſp. 9. Qui tribuit omnibus rebus creatis potentiam obedientialem intrinſecam actiuam, vt poſſint hoc modo in genere cauſæ efficientis eleuari & aſſumi à Deo ad quemcunque effectum ſupernaturalem producendum. Sequitur Bonacina de Sacrament. q. 4. puncto 2.

Eius fundamentũ. Et fundamentum huius ſententię ad tribuendam hanc phyſicam cauſalitatem

Digitized by Google

tem ſacramentis, præcipuè fuit: quia hoc modo meliùs verificatur & explicatur, ſacramenta conferre gratiam, cauſare gratiam, facere quod ſignificāt, & ſimiles loquutiones, iuxta doctrinam Scripturæ, Conciliorum, & Patrum.

Sententia conſtituit ſolam moralem cauſalitatem.

Secunda ſententia oppoſita docet, ſacramenta nō hoc modo phyſice cauſare gratiam, ſed tantùm ita quod ad eorum exhibitionem Deus immediate infundat gratiam: quod dicimus cauſare moraliter. Ita re ipſa ſentiunt omnes fere antiqui Theologi, Altiſiodoreuſ. lib. 4. Summæ tract. 4., Henric. Quodlib. 4. q. vlt., Guhelm. Pariſienſ. lib. de Sacrament. in genere cap. 1., Scotus in 4. d. 2. q. 5., Durand. d. 1. q. 1., Bonauent. art 1. q. 4., Riccard. art. 4. q. 2., Ocham. & Gabriel q. 1., Aliacenſ., Marſil., & alij ead. diſt. Atque iuxta illam Durandus intelligit etiam Magiſtrum ſententiarum. Atquè, eſſe ſententiam antiquam & receptam, magis conſonam dictis Sanctorum. Ex Recentioribus eandē ſequuntur: Melchior Canus in Relect. de Sacrament. in gen. par. 4., Ledeſma vbi ſupra, Molina 1. par. q. 45. art. 5, diſp. 2. ad 2., Vaſqu. 1. par. diſp. 176. cap. 3. & 4. & hic diſp. 132., Coninch hac q. art. 4., Cartagena diſp. 3. difficul. 1. & 2., Matthæus Kelliſonus hic art. 1., Carolus Franciſcus Abra tract. de Sacrament. diſp. 1. ſect. 4. art. 6., Lugus diſp. 4. ſect. 4., aliique frequenter, Quamuis autem antiquiores Theologi diuerſimodè loquuti ſint: aliqui dicendo, ſacramenta cauſare per modum conditionis; aliqui, per modum cauſæ ſine qua non: tamen omnes in re idem voluerunt: quod explicatur optimè ſub nomine cauſalitatis moralis.

Concluſio approbans.

Cum hac ſententia dicendum nobis eſt, ſacramenta non phyſicè & directè efficiendo, ſed tantùm moraliter ex pacto & promiſſione Dei, conferre & cauſare gratiam. Hæc aſſertio probari poteſt primò auctoritate Sacræ Scripturæ. Cùm enim dicit, *Saluos nos fecit per lauacrū regenerationis*, & ruſus, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, videtur efficientiam gratiæ tribuere immediatè & proximè ipſi Deo, per miniſterium tamen & exhibitionem ſacramenti.

Probatur ex Script.

Et 1. Petri 3., *Saluos vos nunc facit ſimilis formæ Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Qui locus, vt obſcurus eſt, ita commodè poterit in hoc ſenſu intelligi: Baptiſmus iuſtificat hominem, non quaſi materialis ablutio corporis à ſordibus, per ſe gratiam ſanctificantem tribuat: ſed interrogatio facta à Deo de conferenda gratia homini accedenti cum bona conſcientia, ſiue non ponenti obicem, facit vt homo qui baptizatur iuſtificetur.

Ex Patribus.

Secundo probatur auctoritate Patrū. Auguſtin. Epiſt 23. & lib. 15. de Trinit. cap. 26., Ambroſ. lib. 1. de Sacrament. cap. 3., Ieronym. ſuper Iſaiæ 4., Cyprian. ſerm. de Baptiſ. Chriſti, Bernard. ſerm. de Cœna Domini, Iſidor. lib. 6. Etimolog. cap. 8., Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 15., Cyrill. lib. 2. in Ioann. cap. 42., Niſſen. lib. de Baptiſ. cap. 5., & alij aperte dicunt, in ſuſceptione ſacramentorum, Deum ſolum eſſe, Spiritum ſanctum eſſe, qui animam ſanctificat, mundat, ſaluat, dum exteriùs perficitur ſacramentum. Item ſacramentum ſignificare viſibiliter, quod Deus agit inuiſibiliter. Elementum lauare extrinſecùs, Deum mundare intrinſecùs. Et alia ſimilia. Per quæ ſatis perſpicuè denotant non ipſum ſacramentū per modum cauſæ phyſicæ efficere gratiam, ſed Deum ipſum immediatè ad exhibitionem ſacramenti. Nec ſatisfaciunt aduerſæ partis Auctores, dicentes, Patres docere voluiſſe, Deum ſolū, non autem ſacramentum, eſſe cauſam principalem noſtræ ſanctificationis. Nam verba Sanctorum in rigore plus demonſtrant, ſcilicet Deum nedum eſſe cauſam principalem, ſed etiam immediatam; & ſacramentum non phyſice & directè efficere gratiam, ſed ſolùm concurrere ſignificando, & materialiter attingendo corpus, vt Deus ipſe interiùs operetur in anima.

Ratione: quia non eſt poſſibilis eleuatio ad talem operationem.

Tertiò ratione probatur: quia in primis impoſſibile videtur, res creatas aſſumi & eleuari à Deo, tanquam inſtrumenta phyſica, ad hoc vt ſecundùm proprias entitates producant effectus ſibi omnino improportionatos. Nec videtur dari illa potentia obedientialis actiua

Digitized by Google

actiua, ita ampla in omnibus rebus creatis. Quod totum iam probauimus 1. par. q. 48 ſect. 2. quare non eſt nunc denuo probandum. Idque eſt etiam de mente S. Tho. & aliorum communiter, qui per virtutem ſuperadditam conati ſunt defendere vim & cauſalitatem phyſicam, quam voluerunt tribuere ſacramentis.

Nec eſt poſſibilis talis virtus in ſacramentis.

Quarto: Nec etiam poſſibile videtur, ſacramentum per virtutem ſuperadditam eleuari ad efficiendam gratiam: quia gratia eſt tam ſublimis & excellens participatio diuinæ naturæ, vt non videatur poſſibilis vlla virtus creata phyſice effectiua ipſius gratiæ. Sicut nec videtur poſſibilis aliqua talis virtus effectiua vnionis hypoſtaticæ, aut luminis gloriæ. Et ſpecialiter non eſt poſſibilis talis virtus in ſacramentis corporeis. Aut enim eſſet ſpiritualis, aut corporea. In hoc nimis diuiſi ſunt Thomiſtæ. Sed nec ſufficiet virtus corporea ad producendam formam taliter ſpiritualem & ſupernaturalem, ad quam erit ita improportionata, ſicut ipſa ſubſtantia ſacramenti: quare nihil proderit talis virtus. Nec poterit virtus ſpiritualis collocari in ſubiecto corporeo, cui tanquam accidens debeat inhærere. Vbi nec iuuabit dicere ex S. Tho. art. 4. ad 5. virtutem ſpiritualem non poſſe quidem eſſe in ſubiecto corporeo permanenter, poſſe tamen eſſe inſtrumentaliter: ſicut in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandam hominis mentem. Nam certè par ratio eſt, ne accidens poſſit ineſſe ſubiecto corporeo, ſiue per modum formæ permanentis, ſiue per modum tranſeuntis. Nec certè in voce ſenſibili ineſt ſubiectiuè vis aliqua ſpiritualis, vt planè conſtat: ſed tota vocis vis, eſt humana impoſitio & inſtitutio. Sic ergo dicimus nos, vim quam ſacramenta habent, eſſe diuinam inſtitutionem & ordinationem, quæ applicatur quodammodo ipſis ſacramentis. Et ſicut per voces fit, vt ille qui audit, acquirat notitiam, & exerceat cognitionem rei ſignificatæ: ita per exercitium ſacramenti fit, vt Deus in virtute ſuæ inſtitutionis infundat gratiam in anima.

modū qualitatis, ſiue motus artificioſi.

Quintò præterea: Caietan. art. 4. & alij Thomiſtæ, Bellarm. etiam & Valentia, ex mente S. Thomæ dicunt, virtutem impreſſam ſacramenti, non eſſe qualitatem, ſed potius eſſe motum quendam, quem vocant virtuoſum & artificioſum, quo dicunt ſacramentum applicari a Deo ad producendam gratiam. Verùm, ſi in ſacramentis adeſſet virtus productiua gratiæ, non poſſet eſſe niſi qualitas: ergo ſi hæc eſſe non poteſt, nulla erit. Et dum dicunt eſſe motum artificioſum, non poſſunt intelligere niſi actionem. Vnde quærendum eſt, num hæc actio habeat terminum, & quem. Si dicant non habere terminum, erit potius actio quæ dicitur grammaticalis, quæ non eſt de prædicamento actionis, ſed qualitatis, & ſolum habet nomen actionis. Si dicant habere terminum. Tunc vel hic terminus ineſt eidem ſacramento, & non poterit eſſe niſi qualitas. Aut non eſt alius terminus, niſi ipſa gratia quæ infunditur in anima. Et ſic dici non poteſt, actio effectiua gratiæ ineſſe eidem ſacramento, cùm non poſſit omnino ſeiungi ab ipſa gratia eiuſque ſubiecto.

Sicut nec eſt poſſibilis ad exercendam creationē.

Sexto deinde probatur, nec cum virtute ſuperaddita, nec ſine illa, fieri poſſe, vt ſacramenta phyſicè producant gratiam. Fieri non poteſt, vt res aliqua creata aſſumatur tanquam inſtrumentum creationis ad producendam aliam rem creandam: vt fatetur S. Thomas 1. par. q. 45. art. 5. ac defendunt alij Theologi frequenter, & nos probauimus ea quæſt. 45. ſect. 5. Hoc ſuppoſito, duobus modis poteſt inde duci argumentum pro præſenti concluſione. Vno ſic: ſed gratia fit per creationem (quod quidem plerique affirmant, & ad illos hoc argumentum valebit) ergo gratia non poteſt effici per ſacramentum. At quia alij ſunt qui negant, gratiam fieri propriè per creationem, vt & nos ſuo loco de gratia diximus: ideo alio modo conficietur ſic argumentum. Sed par ratio eſt de productione gratiæ, ac de creatione alicuius ſubſtantiæ: ergo nec poteſt gratia per cauſalitatem phyſicam effici mediante ſacramento. Hanc paritatem iam in communi pro huiuſmodi effectibus deduximus 1. par. q. 45. & 48. nec oportet nunc plura addere.

Septimo

Septimò vlteriùs. Etiam ſi poſſibilis eſſet hic modus cauſalitatis, non debet de facto tribui ſacramentis. Nam ſacramentum ſucceſſiuè exercetur, gratia verò in fine infunditur. Vel nempe poſt peractum totum ſacramentum, quando nihil eius adhuc exiſtit: & ita prorſus non poteſt aſſumi tanquam inſtrumentum phyſicum ad operandum. Vel ad ſummum gratia infunditur in vltimo inſtanti, vt communiter dicitur, quando vix quidam terminus indiuiſibilis ſacramenti reperitur. Et plerumque non continget, coniungi ſimul tàm vltimum terminum actionis ſenſibilis, quàm prolationis verborum, ſed potiùs alterutrum ſolùm reperiri. Non poteſt autem tota entitas ſacramenti ſecundùm omnes ſuas partes immediatè efficere gratiam, in eo inſtanti quo iam non eſt, quamuis immediatè antea fuerit. Neque conuenit totam ſacramenti actiuitatem & operationem reducere ad illum vnicum & vltimum terminum indiuiſibilem. Sed omnino præſtabit dicere, totum ſacramentum adæquatè & æqualiter ſecundùm omnes ſuas partes per modum moralis cauſæ concurrere, quatenus ad eius exhibitionem Deus ipſe immediatè infundit gratiam.

Sacramentum etiam tempore & loco diſtāti eodē modo cōfert gratiam.

Octauò. Sacramentum, quando indignè ſuſcipitur, habet vim conferendi gratiam pro alio tempore quo homo diſponitur. Et ſemper peculiarem gratiam ſacramentalem conſiſtentem in auxilijs actualibus proportionatis ad finem proprium ſacramenti, cōfert deinceps pro occaſione & opportunitate rerum occurrentium. Specialiter Matrimonium poteſt per procuratores cōtrahi inter abſentes: & tunc adhuc tanquam verum ſacramentum confert gratiam ipſis coniugibus. Aliqui ergo dicunt, ſacramentum etiam poſt multū tempus, & in abſentia, efficere adhuc gratiam per modum cauſæ phyſicæ. Sed hoc per ſe apparet impoſſibile. Alij fatentur, in his caſibus ſacramenta moraliter tantùm, & non phyſicè cauſare gratiam. Verùm hinc inferendum eſt, ità ſemper cauſare: quia cauſalitas ſacramenti ſemper eodem modo ſe habet.

Non aliter

Nono. Ex his impugnati manent omnes tres illi dicendi modi, in quos diuidebatur prima ſententia. Præcipuè quidem tertius. Sed etiam alij duo, contra quos omnia ferè argumenta facta pariter vrgent. Et præterea ſpecialiter contra primum faciunt quoque alia, quibus ſect. 2. eam diſpoſitionem præuiam reprobauimus. Contra ſecundum rurſus facit: quia non aliter fieri poteſt vt homo ſit gratus Deo, niſi dum efficitur gratia in anima. Nec iuuat quod ait Sotus, intelligi poſſe, hominem eſſe gratum Deo ſine infuſione gratiæ inhęrētis in anima, videlicet per acceptationē & beneuolentiam extrinſecā ipſius Dei. De facto enim non niſi per gratiam inhærentem homo fit gratus Deo. Sed nec etiam poteſt fieri verè & propriè iuſtus & Deo gratus, niſi per formam inhærentem intrinſecam, vt ex ſuo tractatu de iuſtificatione ſupponimus. Quòd ſi homo fieret gratus Deo per acceptationem & beneuolentiam extrinſecam, multò magis repugnabit, ſacramentum eſſe cauſam phyſicam huius diuinæ acceptationis & beneuolentiæ. Nec item iuuabit dicere, fieri poſſe, vt ſacramentum efficiat ſolum vnionem gratiæ cum anima, & non ipſā gratiam: ſicut homo generans hominē, efficit vnionem inter corpus & animā, quæ tamen à ſolo Deo immediatè creatur. Nam gratia eſt forma accidentalis inhærens animæ: quare dici nō poteſt, ab vna cauſa effici ipſam gratiam, & ab alia eius vnionem ſeu inhærentiam. Et adhuc eadem ferè inconuenientia vrgent, in dicendo, ſacramenta efficere vnionem gratiæ cum anima, atque ipſam gratiam.

Efficit præuiam diſpoſitionē, aut reddit animam gratam.

Per ſolam moralem cauſalitatem, omnia benè ſaluantur.

Vltimò tandem. Omnia benè ſaluari poſſunt ſine illo modo phyſicæ cauſalitatis: & fruſtrà illa ſententia tot ſe difficultatibus inuoluit, obſcurioraque reddit myſteria fidei. Sed omni ex parte ſatis erit dicere, ſacramenta moraliter ſe habere cauſando, iuxta ſecundā ſententiam: ergo præſtat ſic dicere. Aut ſi omnino placeat ſacramentum vocare cauſam phyſicam: poterit id cum ſufficienti explicatione admitti, Ita videlicet, quòd hæc cauſalitas debeat quoq; reduci ad aliquod ex quatuor cauſarum generibus, quæ in Phyſi-

ca & Metaphyſica deſignantur. Et propriè reducetur ad genus cauſæ efficientis. In hoc genere dici potent cauſa phyſica, non quidem directè, ſed indirectè & per aſſiſtentiam efficiens gratiam. Sicut in re ſimili de humanitate Chriſti in patrandis miraculis, antea quæſt. 13. dicebamus. Poſſe autem hoc modo omnia rectè ſaluari, ex argumentorum ſolutione conſtabit.

Sic benè explicātur dicta Scriptura, Conciliorum & Patrū.

Ad fundamentum primæ ſententiæ, ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, dicendum eſt: omnia quæ Scripturæ, Concilia, & Patres, de virtute ſacramētorum affirmant, poſſe optimè ſaluari penes moralem cauſalitatem dictam. Nam ſolùm docere voluerunt, ſacramēta eſſe media efficacia & infallibilia, inſtituta à Deo, per quæ homines gratiā conſequantur. Nec oportet intelligere, ſacramenta eſſe cauſas phyſicè & directè effectiuas gratiæ. Quod inſuper ſuadetur. Tum quia ex modo ipſo loquendi Scripturæ & Patrum colligitur, ſolùm Deum immediatè, virtute ſuæ promiſſionis & pacti infundere gratiā. Et facilius poſſumus nos explicare dicta Sāctorum in ſenſu cauſalitatis moralis; quàm aduerſarij poſſint explicare in ſenſu cauſalitatis phyſicæ inſtrumentalis. Tum præterea, in Scriptura, & apud Sanctos, & apud Theologos, & in communi hominum vſu, ſimiles loquendi modi paſſim vſurpantur de cauſis, quas conſtat ſolùm moralem vim ad ſuos effectus habere. Merita & opera bona dicuntur cauſa gloriæ, dicuntur ſaluare hominem. Et Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.1. de Iuſtificat. dixit, Chriſtū eſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis. Meritum autem & cauſa meritoria, non eſt niſi cauſa moralis. Item paſſio Chriſti, ſanguis Chriſti, dicitur ſaluare nos, ſanctificare nos, lauare & mundare à peccatis, vtique per cauſalitatem moralem. Sancti viri dicuntur miracula facere: quæ tamen non niſi moraliter faciunt, impetrando vt Deus omnipotens illa faciat. Magi per incantationes dicuntur mira opera facere: quæ tamen ſolùm morali modo faciunt, adhibendo ſigna in virtute pacti initi cum Dæmone. Dum ergo ſacramenta dicuntur conferre gratiam, iuſtificare animam, mundare à peccatis; optimè id poteſt & debet in ſenſu moralis cauſalitatis intelligi.

Sic ſacramentum non eſt merum ſignum, ſed cauſa gratiæ.

Obijcies præterea primò ex S. Thoma. Si ſacramentum moraliter ſolùm concurrit: ſequitur, non tranſcendere rationem ſigni. Sicut qui affert denarium plumbeum, accipit centum libras ex ordinatione Regis: & ſicut Canonicus inueſtitur per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum. Sed ex doctrina Patrum habetur, ſacramenta nouæ legis non ſolùm ſignificare, ſed cauſare etiam gratiam: ergo modus ille non ſufficit. Reſpondetur, ſacramentum non eſſe merum ſignum, quaſi tantùm cognoſcendi, & quaſi à Deo inſtitutum ad oſtendendum quando infundit gratiam: ſed propriè eſſe ſignum faciendi, quod eſt ſignum cauſatiuum: quia exhibendo hęc ſigna facimus vt Deus infundat gratiam. Vnde differt ſacramentum ab exemplis allatis. Nam denarius plumbeus non debet effici, ſed tantùm deferri ab illo qui accepturus eſt centum libras; & centum libræ non fiunt de nouo, ſed tantùm tribuuntur ex mandato Regis: at ſacramentum per ſe efficitur & exercetur ab ipſo miniſtro; & gratia de nouo efficitur & infunditur à Deo in illo qui ſuſcipit. Denarius plumbeus deſeruit ſolùm vt cognoſcatur ille qui eum defert, tanquam aliàs ex contractu, vel ſuo labore, aut Regis ſtatuto, creditor centum librarum; & ideo dicitur merum ſignum: at ſacramentum deſeruit, vt ob eius ſuſceptionem, tunc debeatur ac detur homini à Deo, ex vi talis inſtitutionis, tanta gratia: & ideo eſt moralis cauſa. Item liber non eſt cauſa vt ille fiat Canonicus, nec dicere valet ideo hic fit Canonicus quia accipit librum: ſed eſt merum ſignum Canonicatus; ita vt potiùs è conuerſo, ideo datur illi liber, quia fit Canonicus. Et ſimiliter de baculo Abbatis, & annulo Epiſcopi. At in ſacramentis, non valet dicere ideo hominem baptizari quia recipit gratiam; ſed verè ideo dari illi gratiam quia baptizatur: non datur Baptiſmus conſequenter ad gratiam, ſed gratia conſequenter ad Baptiſmum. Sicque ſacramentum

mentum non eſt merum ſignum, ſed moralis cauſa gratiæ. Et hoc ſane eſt, quod Patres voluerunt, dicendo, ſacramenta non ſignificare tantùm, ſed conferre gratiam. Quòd ſi S.Thomas quoque hoc ſolùm voluit, ſuoquè diſcurſu probare intendit; & virtutem quam tribuit ſacramentis, intellexit diuinam inſtitutionem & pactum, vt indicauit art. 4. ad primum: id quidem gratiſſimum eſſe debet.

Aliæ obiectiones ſoluuntur.

Obijciunt ſecundò alij. Si poſſibile eſt, vt ſacramenta phyſicè & directè efficiant gratiam, hic dicendi modus magis extolleret vim & excellentiam noſtrorum ſacramentorum: ergo præferendus & approbandus eſt. Reſpondetur, nec id eſſe poſſibile, vt oſtendimus. Nec ſi eſſet poſſibile, oportet aut expedit hoc modo extollere vim noſtrorum ſacramentorum. Sed id quod verè refert, & maximè æſtimare debemus, eſt, vt per ſacramenta detur nobis gratia, vt habeamus hæc certa media per quæ gratiam conſequamur: quod ſine illa cauſalitate phyſica faciliùs & meliùs intelligitur.

Obijciunt tertiò. Humanitas Chriſti tanquam cauſa phyſica efficiebat miracula: ergo & ſacramenta tanquam inſtrumenta Chriſti per cauſalitatem phyſicam efficiunt in anima gratiam. Reſpondetur primò, negando antecedens, vt ſuo loco tractauimus quæſt. 13. Vnde potiùs ſumitur argumentum à paritate pro noſtra concluſione. Secundò negando conſequentiam: quia etiam ſi tribueretur illa vis humanitati Chriſti, non propterea deberet tribui ſacramentis.

Obijciunt quartò. Si noſtra ſacramenta non efficiunt phyſicè gratiam, non inuenietur aliud ſufficiens diſcrimen inter hæc & vetera ſacramenta: quia illa etiam habebant vim cauſandi gratiam, ſaltem moraliter. Reſpondetur, imò hoc diſcrimen non eſſet ſufficiens: ſed vera differentia aſſignari debet, quòd vetera ſacramenta ſimpliciter non conferebant gratiam, vt ſect. ſequenti videbimus.

Obijciunt quintò. Sequeretur nullū eſſe diſcrimen, inter modum quo Magi per incantationes efficiunt opera prodigioſa, & modum quo ſacramentorum miniſtri efficiunt gratiam. Reſpondetur, conuenire quidem in hoc, quod vtrique operantur exhibendo ſigna, in ordine ad cauſam ſuperiorem. Sed diſcrimen eſſe, quòd dum exhibentur magica ſigna Dæmoni, hic non propriè efficiendo, ſed applicando naturales cauſas, facit prodigioſa opera reſultare, vel apparere. Nec oportet maius diſcrimen in modo operandi conſtituere.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Sacramenta vetera habuerint vim conferendi gratiam.

Variæ ſententiæ.

LVtherus in aſſert. Articuli primi, & lib. de Captiuit. Babilonica cap. de Baptiſmo, & Caluin. lib. 4. Inſtit. cap. 14. §. 18., non tàm ſtudio extollēdi vetera ſacramenta, quàm potiùs deprimendi noſtra, dixerunt, vetera habuiſſe parem vim conferendi gratiam iuſtificationis, quo noſtra, ſcilicet excitando fidem. Inter Doctores Catholicos, ſupponendo, noſtra ſacramenta non per modum excitandi fidem, ſed verè ex opere operato habere propriam vim conferendi gratiam, non deſūt qui dixerint, vetera etiam talem vim habuiſſe. Ita Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacrament. par. 9. cap. 1. & par. 11. cap. 5. & par. 12. cap. 4., Bonauent. in 4. d. 1. art. 1. q. 5., & ex parte Durand. & Paludan. ead. diſt. q. 5. Accedit Valent., qui cùm quæſt. 3. puncto 3. neget, vetera ſacramenta habuiſſe vim conferendi gratiam eodem modo quo noſtra: tamen eadem q. 3. puncto 1. opin. 4. & q. 1. puncto 1. contendebat, illa quoque habuiſſe vim ſuo modo cōferendi gratiam, tanquam cauſas ſcilicet morales, non verò phyſicas. Alia extrema ſententia eſt, vetera ſacramēta nec etiam ex opere operantis valuiſſe ad acquirendam gratiam. Ita indicauit Magiſter in 4. d. 1. cap. 2. dicens: *Nunquam ex operibus legis aliquis iuſtificatus eſt, etiam ſi in fide & charitate fierent, quia impoſuit illa Deus in ſeruitutem, non in iuſtificationem.*

Pro reſolutione, neceſſarium nobis vide-

Digitized by Google

remedium legis naturæ & circuncisio ab alijs veteribus ſacramentis.

videtur, ſegregare ex vna parte ſacramentum illud legis naturæ, cum eo coniungendo etiam circuncisionem, quæ & ipſa iniuncta fuit Abrahamo quibuſdam ſæculis ante legem ſcriptã, & poſtea confirmata in ipſa lege ſcripta; quod inquam ſacramentum ſupponitur inſtitutum in remedium originalis peccati: & ex alia parte cætera legis Moſaycæ ſacramenta. Et quia de ſacramento illo eſt valde peculiaris ratio: vnde & de circuncisione per reductionẽ ad Baptiſmum tractat S. Tho. ſeparatim quæſt. 70. Ideo de tali ſacramẽto nos etiam ibi tanquam proprio loco tractabimus. Et nunc loquemur ſolùm de cæteris veteribus ſacramentis, non niſi in lege Moſayca inſtitutis.

Vetera ſacramenta augebant gratiam ex opere operantis.

Dico ergo primò, optimè potuiſſe in exercitio illorum ſacramentorum homines ſibi comparare augmentum gratiæ ex opere & merito operantis. Ita communiter Theologi aſſerunt vel ſupponunt. Quod quidem non erat ſingulare de illis ſacramentis, ſed commune de omnibus bonis operibus, quæ & olim fieri poterant ab hominibus iuſtis, cum circumſtantijs, & conditionibus requiſitis. Et dubium non eſt, etiam tunc fuiſſe propoſitam à Deo omnibus Fidelibus rectè operantibus mercedem gloriæ, & fuiſſe pro qualitate eorundem operum adauctam gratiam per infuſionem à Deo, tanquam pignus gloriæ. Neque certè de numero bonorum operum quibus homines in dies mereri poterant apud Deum, ſubtrahi debent illa vetera ſacramenta & alia inſtituta legalia. Sicut ergo per alia bona opera, ita prorſus per exercitium illorum ſacramentorum aliarumque cæremoniarum antiquæ legis, poterant homines gratiam & gloriam promereri. Et ideo non minùs conferendo, quàm ſuſcipiendo illa ſacramenta: quia vtrunque pariter erat bonum & meritorium. Erantque ſacræ illæ cæremoniæ & ſacramenta, opera Religionis, quæ eſt inter morales virtutes dignitate ſuprema.

Nullatenus conferebant ex opere operato.

Dico ſecundò. Illa vetera ſacramenta nullo modo habebant vim conferendi gratiam ex opere operato, nec etiam inquam per modum cauſæ moralis, aut conditionis: ſed in illorum exercitio & ſuſceptione, non plus poterant homines conſequi de gratia, quàm ex ſolo valore & merito operantis, & quàm ex alijs ſimilibus operibus bonis. Hæc eſt communis Theologorum ſententia, S. Thomæ hic art. 6., & aliorum hoc loco, & Scholaſticorum in 4. diſt. 1.

Habetur ex Sacra Scriptura.

Probatur primò perſpicuis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, in quibus planè denegatur antiquæ legi cum ſuis præceptis & obſeruantijs, omnis vis iuſtificandi, & ſaluandi, ſeu remittendi peccata, & conferendi gratiam. Ioan. 1. *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: quaſi diceretur, non dabatur gratia per legem Moyſis. Clariùs & frequentiùs Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Roman. & ad Galat. docet, legem & opera legis non fuiſſe idonea ad iuſtificandum & ſaluandum. Et præterea aliquando appellat, *Litteram occidentem, Miniſtrationem mortis* 2. ad Corinth. 3. Iterum appellat, *Mandatum carnale, infirmum, & inutile, ideoquè reprobatum, nihilquè ad perfectum adduxiſſe*, ad Hebr. 7. Et clariſſime ad Hebr. 9. ſic inquit: *Munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodò in cibis & potibus & varijs baptiſmatibus & iuſtitijs carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitis*. Item ſubdit, *Sanguis hircorum, & taurorum & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*: ideſt ſolum externam & carnalem quandam ſanctificationem conferebat. Et rurſus cap. 10., *Vmbram habens lex futurorum bonorum*: & ſic docere proſequitur, non habuiſſe vim remittendi peccata. Accedunt & alia loca. Ad Galat. 4., *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſeruire vultis?* Ad Philippenſ. 3., *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta: Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti*. In quibus duobus locis, nonnulli quidem per infirma & egena elementa, intelligunt creaturas quas Gentiles antea colebant: & per illa quæ appellantur detrimenta, intelli-

gunt

gunt bona temporalia huius vitæ. Alij verò in vtroque loco intelligunt omnia opera & cæremonias antiquæ legis, ſed pro tempore poſt aduentum Chriſti. Alij intelligunt abſolute pro omni tempore: & hæc expoſitio confirmat concluſionem noſtram.

Ex Concilijs Florentino & Trident.

Probatur ſecundò ex definitione Conciliorum. Florent. in decreto fidei ad ſeſs. vltimam §. *Quintò eccleſiaſticorum* ſic inquit: *Sacramenta nouæ legis multum differunt à ſacramentis antiquæ legis; illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc verò noſtra, & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Idem docere voluit Tridentinum ſeſs. 7. can. 2. *Si quis dixerit, nouæ legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, anathema ſit.* Vbi, licet intentum Concilij fuerit præcipuè definire, noſtra ſacramenta conferre gratiam, & non ſignificare tantùm, vt declarat can. 6. tamen ſimul plane ſupponebat, vetera ſacramenta non habuiſſe vim conferendi gratiam, ſed ſignificandi tantùm. Et hanc conſtituere voluit inter vtraque ſacramenta differentiam, præter diuerſitatem externorum rituum.

Ex Patribus.

Probatur tertiò communi traditione Patrum. Dionyſ. cap. 5. de Eccleſiaſt. Hierarch., Origenes lib. 2. cont Celſum, Chryſoſt. homil. 7. in Epiſt. ad Roman., Irenæus lib. 4. cont. Hæreſ. cap. 28., Baſil lib. de Spiritu ſancto cap. 14., Euſeb. Cæſarienſ. lib. 1. Demonſtr. euangel. cap. 10. & lib. 1. Hiſtor. cap. 1., Euſeb. Emiſſen homil. in Sabbat. poſt Dominic. 1. Quadrag., Ambroſ. lib. 1. de Sacrament., Ieronym. in cap. 1 Iſaiæ, Auguſt. ſæpe, Epiſt. 19., in lib. Numeri q. 25., in Pſalm. 77., in Ioann. tract. 45. aliique Patres paſſim docere ſolent, ſacramenta antiquæ legis non habuiſſe vim iuſtificandi & ſaluandi, ſed fuiſſe meras figuras myſteriorum Chriſtianæ fidei.

Nec per modũ cauſæ moralis aut conditionis conferebant.

Quartò. Ex his inferri debet, huiuſmodi ſacramenta nec etiam per modũ cauſæ moralis ſeu conditionis habuiſſe vim conferendi gratiam. Tum quia ex his teſtimonijs habetur, habuiſſe ſolùm vim figurandi & præſignandi noſtra myſteria. Tum quia ſi habuiſſent vim conferendi gratiam per modum cauſæ moralis ſeu conditionis, non potuiſſent vtique vocari infirma & inutilia & egena elementa, littera occidens, miniſtratio mortis, aliiſque ſimilibus modis. Tum quia ex Apoſtolo habemus, ad ſummum valuiſſe, externam quandam ac legalem munditiem tunc de præſenti conferre. Tum quia modica eſſet differentia inter noſtra & vetera, ſi vtraque habeant vim conferendi gratiam, tamen diuerſo modo cauſandi. Quinimò noſtra ipſa ſacramenta, non alio modo quam cauſalitate morali conferunt gratiam, vt oſtenſum eſt. Ac certè nullus prudens dicet, de noſtris ſacramentis, in ſententia tàm recepta quæ ſolam moralem cauſalitatem eis tribuit, enunciari potuiſſe illa quæ ad deprimendam antiquam legem & vetera ſacramenta dicta ſunt.

Rationibus comprobatur.

Quintò. Ratione hanc rem probat S. Tho. art. 6. Quia ſacramenta ſuam vim habent ex paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa noſtræ iuſtificationis: ſed non poterat hæc vis deriuari in vetera ſacramenta quæ fuerant olim ante aduentum Chriſti, ſicut in noſtra quæ inſtituta ſunt ab ipſo Chriſto: ergo vetera ſacramenta non conferebant gratiã. Hæc ratio videtur difficilis. Quia ſi vis ſacramentorum dicatur per cauſalitatem phyſicam prouenire ex paſſione Chriſti: tam impoſſibile eſt prouenire nunc ex paſſione præterita, quàm olim erat ex futura. Quod enim actu non eſt, non poteſt phyſicam actiuitatem exercere, ſiue antea fuerit, ſiue poſtea futurum ſit. Si autem ſacramentorum vis dicatur ſolùm moraliter prouenire ex paſſione Chriſti per modum meriti, vt verum eſt: ſic etiam antea poterat. Nam reuera de facto tota gratia antiquis Patribus fuit adhuc collata ex merito paſſionis Chriſti. Ea ergo ratio accipienda tantùm eſt per modum congruentiæ cuiuſdam. Et hoc indicauit S. Tho. ipſe, dicens: *Quod à paſſione Chriſti quæ eſt cauſa humanæ iuſtificationis, conuenienter deriuatur virtus iuſtificatiua ad ſacramenta nouæ legis, non autem ad ſacramenta veteris legis.* Et ratio conue-

pientiæ

bientiæ ſtat in hoc, quia opportunum erat, poſt paſſionem Chriſti dari abundantiam gratiæ, & inſtitui hæc ſalutaria remedia tantæ virtutis & efficaciæ.

Sextò. Vera ratio à priori huius rei eſt: quia non fuit à Deo facta promiſſio conferendi gratiam in exercitio illorum ſacramentorum, ſicut facta eſt pro noſtris ſacramentis. Non fuiſſe autem olim factam promiſſionem pro veteribus ſacramentis, ſcimus, quia non habebatur in ipſo veteri Teſtamento, & quia Apoſtolus Paulus apertè docuit nõ fuiſſe. Vnde & ad Hebr. 8. in ſpecie explicauit differentiam diuinæ promiſſionis in nouo & veteri teſtamento, dicens: *Melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*. Et cap. 9. declarat, quæ ſint hæ promiſſiones noui teſtamenti, *Vt repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*. Quæ promiſſio habet vim conferendi de præſenti gratiam, & de futuro gloriam.

Opera antiqua legis valebant ad augendam gratiam per modum meriti.

Sed contra primam concluſionem Obijcies primò ex Magiſtro ſententiar. Apoſtolus ſæpè docet, non potuiſſe homines ex operibus legis iuſtificari, vt præſertim patet in Epiſt. ad Romanos: ſed inter opera legis vtique continentur vetera ſacramenta: ergo nec etiam ex opere operantis valebant ad acquirendam gratiam. Reſpondetur cum communi expoſitione, Apoſtolum negare voluiſſe, opera legis per ſe & nudè ſumpta, ſeu independenter à ſpiritu fidei & auxilio gratiæ, habuiſſe vim iuſtificandi: non autem negaſſe, quòd facta ex ſpiritu fidei & auxilio gratiæ, eſſent vere meritoria, & valuiſſent ad acquirendam ſeu augendam gratiam. Nam ipſemet ad Roman. 2. dixit, *Factores legis iuſtificabuntur*. Et Iacobi 2. dictum eſt, *Abraham nonne ex operibus iuſtificatus eſt?*

Erant meritoria mercedis ſpiritualis & æternæ.

Obijcies ſecundò. In veteri teſtamento promittebatur ſolùm merces temporalium bonorum obſeruatoribus illius legis: ſed ad meritum ex opere operantis requiritur etiam diuina promiſſio: ergo opera illius legis non erant meritoria gratiæ & gloriæ. Reſpondetur, frequentiùs quidem tunc repetitas & inculcatas fuiſſe promiſſiones temporalium bonorum: idque ob ruditatem illius populi carnalis. Tamen interdum inueniri quoque promiſſiones mercedis ſpiritualis & æternæ hominibus iuſtis & probis: vt Iſaiæ 56. & 64. & alibi. Quæ promiſſio, inter alia legis opera, vtique etiam exercitium veterũ ſacramentorum amplectabatur.

Non valebant per ſe ad remittenda peccata & cõferendam gratiam.

Obijcies tertiò contra 2. concl. In veteri lege inſtituta erant & exigebantur quædam peculiaria ſacrificia pro peccatis, vt patet præſertim in Leuitico; & dicebantur per illa ſacrificia dimitti peccata: ſed peccatorum remiſſio non fit niſi per gratiam iuſtificantem: ergo in illis conferebatur gratia. Et Apoſtolus quoque 1. ad Corinth. 10. loquens de antiquis Patribus, dixit, *Illos eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe, & eundem potum ſpiritualem bibiſſe*: quod indicat, quoſdam ſacros cibos & potus, ſiue manna de cælo & aquam de petra, tunc illis valuiſſe ad ſalutem ſpiritualem, ſcilicet conferendo gratiã: ſicut apud nos valet Euchariſtia. Reſpondetur, fuiſſe olim ordinata quædam ſacrificia ad expiationem peccatorum, non quaſi haberent vllam vim ex opere operato remittendi peccata quantum ad culpam, conferendo gratiam: ſed ſolùm quantum ad præbendam munditiem quandam cæremonialem iuxta ritum illius legis. Aut etiam ad auertendum ſupplicium aliquod temporale comminatum à Deo: vt rectè probat Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 17. ad 2. Et Apoſtolus, vt idem Bellarm. exponit, nequaquam dicere voluit, antiquos Patres habuiſſe eundem ſpiritualem cibum & potum cum nobis, ſed ſolummodò eundem inter ſe: ideò enim ſubdit, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*. Nec appellauit ſpiritualem, quaſi haberet vim conferendi gratiã, ſed quia vi ſupernaturali, id eſt miraculosè, & ad ſignificationem rerum ſpiritualium habebatur. Alioqui Chriſtus ipſe Ioann. 6. indicauit, antiquum manna non habuiſſe vim ſpiritualem ſanctificandi, quam ipſe ſuæ Euchariſtiæ attribuere volebat: ideoque dixit, *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto & mortui ſunt, qui*

man-

Erãt olim vtilia & pia, & figurabant noſtra ſacramenta.

manducat hunc panem viuet in æternum.

Obijcies quartò. Alij Sacri Doctores explicant, fuiſſe vetera ſacramenta ab Apoſtolo appellata infirma & egena elementa, pro ſtatu nouæ legis poſt promulgatum Euangelium: de reliquo admittentes, vel ſupponentes, fuiſſe antea vtilia & ſalutaria. Et D. Auguſt. ipſe q. 24. in Leuit. & q. 25. in Numer. planè dixit, vetera ſacramenta habuiſſe vim ſanctificandi homines, & purgandi peccata. Et tract. 26. in Ioann. *Noua & vetera ſacramenta eſſe in ſignis & ſpecie viſibili diuerſa, in virtute ſpirituali ſimilia, & in re paria.* Reſpondetur, illos Doctores ſic explicaſſe mentem Apoſtoli: quia ante aduentum Chriſti veteres cæremoniæ erant vtiles & ſalutares iuxta ritum antiquæ legis, tanquam opera pia & religioſa: ſed non amplius poſt aduentum Chriſti, quando abrogata fuit antiqua lex. Non quaſi vnquam habuiſſent vim conferendi gratiam ex opere operato. Sic etiam D. Auguſt. ſolùm voluit, vetera ſacramenta habuiſſe illam vim quantum ad ſanctitatem & munditiam legalem. Dixit, eſſe cum nouis virtute ſimilia & in re paria: quia vetera ſacramenta, habebant virtutem ſignificandi, & reipſa ſignificabant eandem gratiam quam noua conferunt, & ita erat in re ſignificata paria. Vetera tamen ſignificabant ſolùm per modum figuræ, noſtra verò dant per modum cauſæ. Et ita planè loquebatur Auguſtinus de huiuſmodi ſignificatione.

Non conferebant ſanctitatẽ internam ſed externam.

Obijcies quintò ex Valentia. Cathechiſmus Romanus vniuerſaliter ait, ſacramenta eſſe inſtituta ad iuſtificationem. Item Gregor. ſeu Iſidorus dixit, noſtra eſſe ſacramenta, eo quòd in illis diuina virtus ſalutem operatur: vnde etiam ſequitur, hanc eſſe vniuerſalem ſacramenti rationem. Inſuper vetera ſacramenta erant ſigna practica: ergo non ſolùm ſignificabant, ſed conferebant gratiam. Et hoc modo demum rectè diſtingui poterunt inter vetera inſtituta, illa quæ erant, & illa quæ non erant ſacramenta. Reſpondetur, Cathechiſmum eſſe loquutum ſpecialiter de ſacramentis nouæ legis. Illos Patres aſſignaſſe etiam rationem ſpecialem noſtrorum ſacramentorum. Cæterùm vetera ſacramenta erant ſigna practica quantum ad ſanctitatem legalem, quã de præſenti tunc conferebant. Sed reſpectu noſtræ gratiæ erant ſolùm ſigna figuratiua. Et per eam vim conferendi ſanctitatem legalem, diſtinguenda erãt inter vetera inſtituta, illa quæ erant ſacramenta, ab illis quæ non erant ſacramenta.

Sexto demum. Maior difficultas eſt, qualiter hæc quæ dicta ſunt generaliter de veteribus ſacramentis, non extendantur etiam ad circuncifionem & remedium legis naturæ: quia videtur par & communis omnium ratio. Verùm, de hoc, vt diximus, ſeparatim proprio loco tractabimus.

SECTIO SEXTA.

Num Vetera Sacramenta habuerint vim aliquam ſanctificandi, & quonam modo.

Excluſa ſanctificatione interna per gratiam: ſolùm ſupereſt ſanctificatio quædam legalis & externa, quæ poſſit attribui veteribus ſacramentis tanquam proprijs cauſis. Sed dubitari poteſt, quod nec etiam aliquam huiuſmodi ſanctitatem conferendi vim habuerint. Nam Patres & Concil. ipſum Florent. docent, ſacramenta illa non habuiſſe vim efficiendi quod ſignificabant: ſed habuiſſe ſolam ſignificandi vim, inquantum ſignificabant ſanctitatem Chriſti, quæ eſt radix ſanctificationis noſtræ. Præterea non apparet, quidnam eſſet talis externa ſanctificatio, nec quomodo per virtutem ſacramenti conferretur. Et præſertim non apparet, quam ſanctificationem conferret Agnus paſchalis, quem S Thomas numerat inter vetera ſacramenta. Item panes propoſitionis, & quædam ſimilia, quæ etiam inter ſacramenta antiquæ legis recenſet S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5.

Ratio dubitandi.

Affirmandum tamen eſt, illa quæ erant propriè legis veteris ſacramenta, habuiſſe vim tribuendi ſanctitatem aliquam legalem & externam. Dico quæ

Verè conferebant ſanctitatẽ quandam

externam. quæ erant propriè ſacramenta: quia alioqui magis ample loquendo, omnes illæ cæremoniæ quæ figurabant futura myſteria, dici poſſunt ſacramenta, id eſt ſacra ſigna, etiam ſi nullam ſanctificationem de præſenti conferrent. Sed loquimur de ſacramento propriè dicto, iuxta definitionem antea traditam. Concluſio ſic intellecta, eſt expreſſè S. Thomæ 1. 2. q. 100. art. 4. & q. 102. art. 5. dicentis, olim illa fuiſſe ſacramenta, quę erant inſtituta ad quandam conſecrationem, vel populi, vel miniſtrorum, & per hoc diſtincta fuiſſe à ſacrificiis & aliis obſeruantiis. Idem docent alij Theologi communiter.

Probatur & explicatur: quia Deus in antiqua lege conſtituerat, vt non admitterentur ad conſortium & communicationem ſui populi, vel ad ſacras quaſdam functiones, niſi homines certis ritibus & cæremoniis initiati. Inſtituit etiam in illa lege impedimenta quædã, & quaſi irregularitates, & maculas, quibus homines arcebantur, vel à conuictu aliorum, vel ab ingreſſu templi, vel à participatione ſacrarum rerum. Et conſequenter ad has maculas expiandas, ordinauit certa remedia per ſuos ritus & cæremonias: quibus mundari quodammodo valebantur homines, vt acquirerent liberam facultatem exercendi illos actus à quibus alioqui impediti & excluſi erant. His ergo modis dicebantur tunc homines conſecrari & ſanctificari: illique ritus quibus homines ita ſanctificabantur, ſunt illa quæ dicuntur propriè, legis veteris ſacramenta. Ratio …

Quod totum inductione magis oſtenditur per illa quatuor ſacramentorum genera, quæ S. Tho. in antiqua lege diſtinxit, vt antea vidimus. Non cenſebantur homines eſſe de populo Dei, nec admittebantur ad participandum cum Hebræis, niſi qui circuncisi erant: & alioqui dicebantur immundi. Hoc ergo legali modo circuncisio ſanctificabat tunc homines, præſcindendo nunc, an etiam haberet vim conferendi gratiam, quod videbimus poſtea ſub Baptiſmo. Rurſus, non omnes Hebræi admittebantur promiſcuè ad cultum templi, ad miniſteria ſacra, ad oblationem ſacrificiorum: ſed ſolùm Leuitæ certis ritibus antea initiati. Sic ergo Leuitica ordinatio quodammodo ſanctificabat homines. Præterea plurimæ erant inhabilitates & maculæ per illam legem introductæ: multæ etiam & variæ expiationes. Exemplum quoddam affert Innocent. verbis D. Auguſt. q. 33. in lib. Numeri: *Nihil aliud intelligo*, inquit, *inquinationem quam lex minatur, niſi contactum mortui hominis, quem qui tetigerat immundus erat ſeptem diebus, ſed purificabatur ſecundum legem, & ita mundus fiebat, vt iam intraret in templum.* De agno paſchali, negarunt aliqui fuiſſe propriè ſacramentum: quia non ſatis apparet, in quo ſanctificaret homines. Sed dici debet, fuiſſe etiam ſacramentum, ſicut cætera illius legis: quia nempe non admittebantur homines ad celebrandum Paſcha, quæ erat præcipua ſolemnitas illius legis, niſi per eſum agni: ſic ergo dici poterant aliquo modo per illum ſanctificari. De panibus tamen propoſitionis, aliiſque cibis deſumptis ex oblationibus & ſacrificiis, & conceſſis ad vſum Sacerdotum & miniſtrorum aut etiam aliorum de populo, non ita aſſignari poteſt, qualiter dici poſſent ſanctificare. Sed ſolùm minùs propriè dici poterant ſacramenta: ſi non concedebantur niſi hominibus ordinatis, aut purificatis ſecundum legem.

Conſtat inductione in omnibus.

Hinc patet facilè, quidnam eſſet huiuſmodi ſanctificatio, quam ſacramenta vetera conferebant. Non erat aliqua forma realis intrinſeca inhærens homini, ſicut eſt gratia interna ſanctificans animam. Sed ſolùm erat denominatio quædam deſumpta ex ipſa lege, illiſque ritibus & cæremoniis inſtitutis à Deo, cum habilitatione & conceſſione faciendi alia opera legis. Sicut etiã maculæ legales non erant aliud quam denominationes ortæ ex conſtitutione legis, & actionibus illis quibus contrahi dicebantur, cum prohibitione faciendi certos alios actus.

Hæc ſanctitas erat quædam denominatio & habilitatio.

Patet etiam facilè, quonam modo illa ſacramenta ſic ſanctificabant homines. Dici enim debent habuiſſe vim in ſuo genere ſanctificandi ex opere operato: quia non per conſiderationem valoris & meriti ex parte operantis, ſed ſolùm per

Cōferebatur à ſacramentis per modū cauſæ formalis & moralis.

per vſum & applicationem operis & ritus conſtituti à Deo, homines ſortiebantur talem effectum. Item ſi accipiatur ſola illa denominatio quæ ex ijs cæremonijs reſultabat, illa ſacramenta tribuebant talem denominationem per modum cauſæ formalis; ita quòd dicere valeret, hic homo eſt ſanctificatus per ipſam circuncisionem, ordinationem, expiationem. Si autem accipiantur vlterius, vt certe accipi debent, alij effectus morales qui ex his denominationibus oriebantur; vtpote poſſe licite communicare cum populo, exercere ſacras actiones, & reliqua: ſic illa ſacramenta inducebant hos effectus per modum cauſæ moralis, ſcilicet tanquam ſigna conſtituta ex pacto Dei, vt ijs adhibitis poſſent homines ritè & dignè admitti ad alia conſequentia exercenda, à quibus alioqui abſtinere debebat.

Demum patet ad totam dubitandi rationem initio propoſitam. Et præſertim ad modum loquendi Patrum & Concilij: nempe ſic dixiſſe ſpecialiter per reſpectum ad veram ſanctificationem animæ per gratiam, quam noſtra ſacramenta conferunt. Sic enim verum eſt, vetera ſacramenta habuiſſe tantùm vim ſignificandi, ſiue figurandi & repræſentandi huiuſmodi ſanctitatem; & nō habuiſſe vim efficiendi hoc quod taliter ſignificabant. Quam vim ex inſtitutione Chriſti habent propriè noſtra ſacramenta. *Diluitur ratio dubitandi.*

QVÆSTIO SEXAGESIMATERTIA

De Altero Sacramentorum Effectu, qui eſt Character.

CHARACTERIS nomen in ſua ampla impoſitione propriè denotat ſignum firmiter impreſſum in aliquo ſubiecto; vt diſcernatur ab alijs rebus, ſiue vt deputetur ad certum vſum; vel vt cognoſcatur cuius ſit. Character eſt nota illa, ſigillum ſiue figura, quæ imprimi ſolet nummis, item animalibus, ſeruis, & fundibus. Et S. Tho. art. 1. notat, olim conſueuiſſe talem notam imprimi etiam militibus. Habetur hoc nomen in hac acceptione in ſacris litteris, Apocal. 13. vbi de Antichriſto dicitur; *Et faciet omnes habere characterem in dextera manu ſua aut in frontibus ſuis*; Hinc factum eſt; vt hoc nomen à Theologis aſſumptum ſit, pro nota qua inſignitur homo ad Chriſtianam Religionem: & præſertim ex Diuo Auguſt. ad hanc rem inductum eſt. Quia ergo hæc nota & ſigillum eſt ſacramentorum effectus: ideò hic de charactere agitur. Et quoniam character hic ſacramentalis, eſt Chriſtianæ Religionis index, meritò appellatur character Chriſti. Non quaſi fuerit in Chriſto; qui nullatenus illo egebat; nec debebat ipſe ſignari, qui ſignabat ſequaces & milites ſuos, vt aduertit S. Tho. art. quinto. Sed quia deriuatur à Chriſto, & conſignat homines ad obſeruantiam & perfectionem legis Chriſti.

1 Præſentem ſuam quæſtionem in ſex articulos diſtribuit S. Doctor. Primò ſtatuit, per noſtra ſacramenta imprimi characterem: quia non ſolùm ordinantur in remedium contra peccata, ſed etiam ad perficiendam animam in cultu Dei ſecundùm ritum Chriſtianæ vitæ. Quare ſicut illi qui deputantur ad certum gradum inter homines, ſolent quibuſdam characteribus corporalibus inſigniri: ſic debebant Chriſtiani per ſacramenta ſpiritualibus characteribus inſigniri. Secundò docet, ſacramentalem characterem eſſe ſpiritualem quandam poteſtatem: vel paſſiuam ad recipiendum, vel actiuam ad miniſtrandum quædam diuina: eſſeque virtutem quandam inſtrumentalem, & ideo ſpectare ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Tertiò admonet, hunc eſſe dicendum characterem Chriſti: quia eſt participatio quædam Sacerdotij Chriſti, ab ipſo deriuata. Quartò docet, hunc characterem eſſe immediatè in aliqua potentia non in eſſentia animæ: quia ordinatur ad actus diuini cultus; qui per potentias exercentur. Quartò

Digitized by Google

aſſerit, eſſe indelebilem: quia imitatur Sacerdotium Chriſti, quod eſt æternum. Sexto demum explicat, qualiter non omnia ſacramenta, ſed tantùm tria, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, imprimant characterem: & qua ratione hæc præ alijs habeant hunc effectum.

SECTIO PRIMA.

An & quæ Sacramenta imprimant in anima characterem.

Nullum ex veteribus ſacramentis imprimebat characterem.

IN primis, de veteribus ſacramentis, Scotus in 4. diſt. 6. q. 9. §. *Ad rationes principales* concedit, circuncisionem habuiſſe vim imprimendi ſpiritualem characterem in anima. Vnde infert, quando in promulgatione Euangelij baptizabantur illi qui antea circuncisi erant, non debuiſſe denuò imprimi characterem, quia inueniebatur impreſſus: ſed differentiam fuiſſe inter vtrumque, ſicut inter perfectum & imperfectum. Meliùs S. Thomas hîc art. 1. ad 3. alijque Theologi nõ agnoſcunt, vel aperte negant ſpiritualem characterem in omnibus veteribus ſacramẽtis, etiam circuncisione ipſa.

Probaturque hæc aſſertio: quia non habetur fundamentum ad tribuendam talem vim illis ſacramentis, aut ſpecialiter circuncisioni. Nec imperfectio illorum ſacramentorum compatitur hunc effectum. Et Ordinatio olim ſacerdotalis, ſi non habebat vim conferendi gratiam, vt iam demonſtrauimus; nec etiam dici debet habuiſſe vim imprimendi characterem in anima, ad inſtar ordinationis noſtræ. Circuncisio autem, quamuis haberet vim conferẽdi gratiam, tamen cùm conſignaret & deputaret homines ad illam antiquam legem, quæ non aliam ſpiritualem vtilitatem per cætera ſacramenta ex opere operato allatura erat; non oportebat vt aliùm characterem in anima imprimeret: ſicut modò præſtat Baptiſmus, qui conſignat homines ad ſpiritualem & ſalutarem Euãgelij legem, & ad participanda alia ſacramenta conferentia ex opere operato gratiam. Eo magis quod ipſa exterior circuncisio erat quidam character in corpore, ſufficiens ad conſignandum populum, & proportionatus ad ſtatum & reliqua ſacramenta illius legis. Vnde plerique Patres docent, circuncisionem fuiſſe hoc modo ſignum & ſigillum. Et præclarè Ieronym. circa illa verba ad Galat. 3. *Qui ex fide ſunt, ſunt filij Abraha*, inquit: *Gregem Iſraeliticum Deus quondam circuncisionis cauterio denotauit.*

Quædam ex noſtris ſacramentis imprimunt characterem, Baptiſm⁹, Confirmatio, Ordo.

Secundò. De noſtris ſacramentis, Vuicleff. & alij recentiores Hæretici, negarunt imprimere characterem: eo quod dicerent non haberi in ſacris litteris. Inſuper Durand. in 4. d. 4. q. 1. dicens num. 4. ſe velle loqui cum cæteris, & concedere characterem: tamen num. 11. declarat, characterem non eſſe aliud quàm relationem rationis: quia ſcilicet qui baptizatur, fit ex diuina ordinatione idoneus ad recipienda ſacramenta, & qui ordinatur fit idoneus ad miniſtranda. Vnde in re videtur abſtuliſſe characterem qui realiter in anima inſit. Vaſqu. diſp. 134 cap. 2. contendit, hanc Durandi ſententiam non eſſe cenſura dignam, quamuis ipſe eam non approbet.

Ex Concilijs.

Sed non ſolùm ex communi Theologorum ſententia, verùm ex doctrina ipſa fidei, certum eſt, aliqua ex noſtris ſacramentis, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, imprimere realiter characterem, ideſt reale quoddam ſignum in anima eius qui ſuſcipit ſacramentum. Eſt in primis hæc res manifeſta ex definitione Eccleſiæ. Nam Innocentius tertius cap. *Maiores* de Baptiſmo, id definiuit quantum ad ipſũ Baptiſmum. Deinde Concil. Florent. quantum ad omnia tria dicta ſacramẽta. Ac denique Trident. ſeſſ. 7. can 9. *Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale indelebile, vnde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.*

Scripturæ.

Deſumitur etiam ex quibuſdam Scripturæ locis. 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Similiter ad Epheſ. 1. & 4. *Fideles dicuntur ſignati in*

in Spiritu ſancto. Hæc autem conſignatio, hoc ſignum, appellatur character. Et hæc quidem Apoſtoli loca & verba, ſpectant non ſolùm ad Baptiſmum, ſed etiam ad Confirmationem: vt Sacri Doctores communiter intelligunt. Pro ſacramento autem Ordinis, afferri poteſt illud, 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quod non ſolùm videtur intelligendum de gratia ſanctificante, ſed etiã de poteſtate ordinis: hoc enim faciebat ad mentem Apoſtoli. Qui & dicendo, *Quæ eſt in te*, indicauit firmitatem eſſendi, quæ eſt perfectio propria characteris, vtpote indelebilis.

Patribus. Ex Patribus frequenter eadem veritas habetur. Dicunt enim, hominem in Baptiſmo ſignari: in anima baptizati imprimi ſignaculum & ſigillum: & aliqui aperte nominant characterem. Ita docent Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 12., Nazianz. orat. 40. Cyrill. Hieroſol. in lib. Cathecheſum, Damaſc. lib. 4. Fidei cap. 10. Epiphan. Hęreſi 8. & 20., Auguſtin. ſæpe, Epiſt. 23. & 50., in libris contra litteras Petiliani, contra Creſcon., cont. Gaudent., & alibi. Item de ſacramento Confirmationis hoc indicarunt Auguſt. lib. 2. conc. litter. Petiliani cap. 104. Ieronym. ſuper illa verba Apoſtoli, *Qui vnxit & ſignauit nos*. Cyprian. in ſerm. de Ablut. pedum, Cyrill. Hieroſol. Cath. 3. Demum de ſacramento Ordinis Auguſt. lib. 2 cont. litter. Petilian. cap. 13., & lib. de Bono coniugali cap. 4., Niſſen. lib. de Baptiſmo. Et in vniuerſum hæc tota res conſtat antiqua & perpetua traditione ac exiſtimatione Eccleſiæ.

Ratione. Ratione quoque a poſteriori, per illa tria ſacramenta characterem imprimi, ſuadetur; quia idcirco iterari non poſſunt, quoniam character ſemel impreſſus, ampliùs deleri non poteſt. Quæ ratio in iiſdem Concilijs allegatis attingitur. Ratio verò à priori, alia eſſe non poteſt, niſi conſtitutio Dei & Chriſti. Addi tamen poteſt conuenientia, quæ ita ordinatum ſit. In Baptiſmo homo adſcribitur Chriſtianæ familiæ, ſegregaturque ab alijs hominibus cuiuſcunque alterius ſectæ: conuenientiſſimum ergo erat, aliquo permanente ſigno notari in anima. Sicut enim dum Deus ſanctificat, infundit gratiam inhærentẽ animæ: ita etiam dum ſignat ſuos fideles, aliquam formam infundit in anima. Neque ſufficiebat gratia ipſa & fides: quia hæc aliquando ob indiſpoſitionem ſubiecti non confertur, & poſtquam collata fuerit poteſt amitti: ſed ſignum illud debebat eſſe indelebile. Similiter in Confirmatione homo ſignatur vt ſit miles Chriſti ad propugnandam fidem. Demum per ſacramentum Ordinis deputantur ſpeciales miniſtri, qui Eccleſiam regere, & ſacramenta ex officio conficere & diſpenſare debeant, ſiuntque tanquam Præpoſiti in familia, Paſtores in grege. Conuenientiſſimum ergo erat, peculiari aliqua nota ſignari.

Tertio, Non omnia noſtra ſacramenta imprimunt characterem, non alia quatuor ſacramenta, præter dicta tria; Ità S. Tho. art. 6. & alij omnes. Colligitur ex iiſdem Concilijs allegatis: dum illis ſolis tribus adſcribunt hunc effectum: ſic enim tacitè negant de cæteris. Et nec ex Script. aut Patribus poteſt character attribui vlli ex ijs quatuor ſacramentis. Nec adeſt ratio quæ id ſuadeat. Quinimò illa ſacramenta iterari poſſunt, & ſolent. Nec deputant Fideles ad aliquos peculiares gradus, qui debeant charactere ſignari. Quod explicauit optimè Scotus in 4. d. 6. q. 10. §. *Sed rectius*, ab exemplo humanæ Politiæ. Non enim habet quis peculiarem gradum in domo Regis, quia comedat & bibat, quia reconcilietur Regi poſt offenſam, quia multiplicet perſonas in Republica. Sed ſolùm peculiares quidam gradus ſunt, primò fieri de familia Regis, ſecundo de militia Regis, tertio de regimine familiæ & militiæ Regis. Cùm ergo in receptione Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Matrimonij, ſe habeat homo, ſicut ille qui manducat, qui reconciliatur, qui perſonas multiplicat; non debebat per hæc ſacramenta peculiari inſigniri charactere. Nec tandem per Extremam vnctionem. Sed ſolùm per illa tria priùs dicta ſacramenta.

Alia quatuor ſacramenta non imprimunt characterem.

Quartò. Hæc tria ſacramenta, ſemper & omnibus imprimunt characterẽ; quando

Illa tria ſemper &

omnibus imprimit

quando & à quibus validè ſuſcipiatur. Dico validè; quia ſi ſacramentum non ſit validum, verè non eſt ſacramentum. Stante autem validitate ſacramenti, nullo impedimento, nulla ſuſcipientis indiſpoſitione, fieri poteſt, vt non imprimatur character: Sed etiam quando homo ponens obicem non recipit gratiam, adhuc recipit characterem. Eſt res certa: quia ideirco ea ſacramenta non amplius iterantur. Et ratio à priori eſt: quia character non requirit illam prædiam diſpoſitionem, quæ in adulti requiritur ad gratiam. Vnde Innocentius tertius cap. *Maiores* de Baptiſmo, dixit: *Characterem ſacramentalis imprimit operatio, quem non obicem contrariæ voluntatis non inhibitat*: ſolùm docere voluit, quòd ſi homo non habeat voluntatem & intentionem ſuſcipiendi ſacramentum, tunc non recipiat characterem: quia ſacramentum non eſt validū, cùm ad ſui valorem in adultis requirat intentionem ſuſcipiendi ſacramentum. Quia etſi quis diceret, ſe nolle recipere effectum, ſe nolle ſignari charactere: tamen habeat voluntatem ſuſcipiendi ipſum ſacramentum, adhuc verè recipit characterem; quia ea voluntas ſufficit ad valorem & ſubſtantiā ſacramenti. Cæterùm, eodem cauſalitatis genere & modò, quo diximus, ſacramentum conferre gratiam, putandū eſt eſſe cauſam characteris: nec enim vlla diſparitatis ratio adeſt, quæ diuerſum cauſalitatis modum inducat. Eſtque ſemper & in omnibus æqualis character qui imprimitur per conſimile ſacramentum: quia nulla etiam inæqualitatis ratio occurrit.

Character impreſſus, e deinceps indelebilis.

Quintò deinceps, character ſemel impreſſus, ſemper durat, vnde dicitur indelebilis. Ita S. Tho. art. 5., & omnes Theologi, & Concil. Florent. & Tridēt. Probat S. Thomas: quia character eſt quædam participatio Sacerdotij Chriſti, quod eſt æternum. Vnde ſicut ſemper durat conſecratio, v.g. calicis, & altaris, quandiu ipſæ res in ſua forma permanent: ita character permanet ſemper in anima. Itaque etiam in illis qui per Apoſtaſiam à Fide recedunt, & qui ab Eccleſia expelluntur, permanet adhuc character, vt notauit Auguſtin. lib. 2. cont. Epiſt. Parmen. cap. 13. Sicut in feruis ac militibus ſemel ſignatis, etiam ſi aufugiant, aut expellantur, ſemper remanet character impreſſus. Imò etiam poſt hanc vitam in anima ſeparata remanet character, tam in Damnatis, quàm in Beatis, vt docet S. Thom. ad 3. aliįque Theologi omnes, in ipſis quidem Beatis ad gloriam in Damnatis ad ignominiam. Vnde fit, vt ſi baptizatus quis, confirmatus, aut ordinatus, & poſtea defunctus, ad vitam redeat, non debeat nec poſſit iterum hæc ſacramenta recipere. Ratio autem à priori totius huius rei eſt, inſtitutio diuina, & natura ipſius characteris ſic animam conſignantis. Sed hæc omnia non obſtant, quominus de potentia abſoluta Dei character poſſit auferri atque deleri. Quod tamen nunquam de facto contingit.

Sextò demum quærendum reſtat, quinam ex his duobus effectibus illorū ſacramentorum, quæ & conferunt gratiam, & imprimunt characterem, ſit magis principalis & alteri præferendus. S. Thomas hic, art. 4. ad 1. indicat, characterem eſſe magis principalem, & priorem effectum. Tamen Thomiſtæ communiter, Caiet. eod. art., Gabriel diſp. 2., Sotus in 4. d. 1. q. 4. art. 4., & alij nolunt ſic debere intelligi S. Tho. Sed reuera gratiam eſſe principaliorem & priorem effectum. Et quidem ipſe S. Thom. in præfat. quæſtionis 62. plane dixit, gratiam eſſe effectum principalē, characterem vero ſecundarium. Sed cum diſtinctione Suar. ex diſp. 11. ſect. 1. reſpondet, Baptiſmum & Confirmationem magis principaliter referri ad ipſā gratiam, Ordinem vero magis principaliter ad ſuum characterem. In omnibus autem his ſacramentis, characterem prioritate quadam morali præcedere ad gratiam.

Dicendum tamē eſt, cōparatione quidem dignitatis & excellentiæ potiorem effectum eſſe gratiam: eſt enim nobilior quàm character. Neque de hoc videtur eſſe dubium & contentio. Comparatione autem intentionis in inſtitutione diuina, diſtinctè conſiderari debet communis ratio ſacramenti, & propria ratio talis ſacramenti. Et hic gratia e-

quoque

Digitized by Google

quoque principalis effectus & primò intentus in omnibus ſacramentis ſecundùm communem rationem ſacramenti. Sed character tanquam effectus proprius dici poteſt magis intentus in talibus ſacramentis, quatenus talia in ſpecie ſunt. Comparatione deinum executionis ſiue cauſalitatis in re, non apparet, quare vnus vel alius ex his duobus effectibus dicatur prior aut poſterior: quia neuter videtur ex altero dependere. Niſi quis aliquo modo dicat, characterem Baptiſmi præcedere ad gratiam: quia ſicut Baptiſmus per ſe ſupponi debet ante alia ſacramenta; ita in eodem Baptiſmo, character videtur ex diuina ordinatione præire ad gratiam in ipſo Baptiſmo conferendam.

SECTIO SECVNDA.

Quid ſit Character.

Eſt forma realis ſupernaturalis.

Svpponendum primò eſt contra Durandum, characterem eſſe aliquid reale. Hinc rurſus eſſe formam inhærentem animæ: imprimitur enim in anima tanquam in ſubiecto. Sotus verò in 4. d. 1. q. 4. art. 2. probabile putauit, non eſſe formaliter realiter diſtinctam, ſed potius eſſe tanquam modum in re. Valentia q. 4. puncto 3. Suarez diſp. 11. ſect. 2. & alij volunt characterem eſſe formam verè realiter diſtinctam à ſuo ſubiecto. Et certè putandum eſt, ita ſe habere, ſicut ſe habet ipſa gratia in anima, eodemque pacto eſſe formam verè realiter diſtinctam ab anima. Item ſupponendum eſt, eſſe formam ſpiritualem & ſupernaturalem, qualis eſt eadem gratia.

Dicitur eſſe res & ſacramentũ ſimul.

Secundò. Character ſacramentalis dicitur à Theologis eſſe res & ſacramentum ſimul: Diſtingui enim ſolet in ſacramento, id quod eſt ſacramentum tantùm, id quod eſt res ſacramenti tantùm; & id quod eſt ſacramentum & res ſimul. Sacramentum tantùm dicitur id quod ſignificat & non ſignificatur: res ſacramenti tantùm, dicitur id quod ſignificatur & non ſignificat. Sacramentum & res ſimul dicitur, id quod ſignificat & ſignificatur, eſt ſimul ſignum & res ſignificata. Hinc actio externa ſenſibilis, dicitur eſſe ſacramentum tantùm, quia eſt ſignum, & ſignificat gratiam. Gratia, dicitur eſſe res ſacramenti tantùm, quia eſt res ſignificata, & non eſt ſignum. Character, dicitur res & ſacramentum ſimul: quia ſignificatur vtique per eandem actionem ſacramentalem externam: & in ſe eſt ſignum quoddam, conſignans animam, & denotans alios effectus ad quos deputat hominem.

Non eſt relatio, ſed qualitas.

Tertiò. Ad explicandum magis, quid & quæ ſit hæc forma quæ dicitur character: Scotus in 4. d. 6. q. 10. dixit eſſe relationem, de genere tamen illarum quas ipſe vocabat extrinſecus aduenientes. S. Tho. & alij communiter affirmant, eſſe qualitatem. Et ſic eſt omnino dicendum: quia character non poteſt eſſe relatio prædicamentalis de prædicamento Ad aliquid, vt per ſe patet. Solùm ergo poſſet dici relatio tranſcendentalis. Sed hæc per alia prædicamenta vagatur & diſtribuitur. Ac certè non apparet, in quo prædicamento præter qualitatem, conſtitui poſſit & debeat character: ergo propriùs eſt de prædicamento qualitatis. Verùm S. Thomas art. 2. ait, non eſſe propriè & directè, ſed tantùm reductiuè in hoc genere, eo quia eſt virtus quædam inſtrumentalis. Hanc rationem Valentia puncto 3. reſtringit ad ſolum Ordinis characterem. Sed ſimpliciter hæc ratio non perſuadet. Nec eſt negandum, characterem directè in tali genere collocari. Supponimus enim, etiam qualitates ſupernaturales directè in hoc prædicamento reponi. Et licet character dicatur virtus inſtrumentalis: non propterea excluditur è directa ſerie prædicamentali. Nam etiam potentiæ naturales & vitales, ſunt virtutes inſtrumentales naturæ & animæ. Et character eſt forma permanens in anima, non verò motio quædam fluens & tranſiens, qualis diceretur eſſe in ſacramentis ad producendam gratiam. Sed quamuis character ſit qualitas, non tamen ſuſcipit magis & minus per modum intenſionis. Non enim neceſſe eſt, omnem qualitatem habere latitudinem intenſiuam. Nam potentiæ natura-

turales, & aliæ etiam ex qualitatibus inueniuntur, quæ ſunt intenſionis expertes. Solùm reſtat videre, ad quam nam ſpeciem qualitatis dici debeat pertinere character. Sed hoc dependet ex munere characteris.

Non habet diſponere ad gratiã.

Quarto ergo, vt appareat formalis ratio huius qualitatis, videre oportet ad quid propriè deſeruiat & ordinetur. S. Thomas in 4. Sententiar. dicebat, characterem diſponere ad gratiam: & ideo in ſuſceptione illorum ſacramentorum quibus non imprimitur character, ſubſtituebat ornatum. Sed hoc loco aliter loquutus eſt. Et expreſsè art. 4. ad 1. fatetur, characterem non habere per ſe & propriè, vt diſponat ad gratiam. Et iam ex dictis ſect. præcedenti ſatis conſtat, non ad hoc conſtitui characterem. Conſtat etiam ex dictis quæſt. ſuperiori, præſertim ſect. 2.

Habet cõſignare animam.

Proprium itaque & certum officium characteris eſt, conſignare animam: vt manifeſtum eſt ex ipſo nomine characteris, ex modo loquendi Sanctorum Patrum, & ex communi Theologorum ſenſu, iuxta ea quę hactenus dicta ſunt. Vnde character definiri ſolet, *Signum communionis ſanctæ fidei*. Vel clarius definiri poteſt, *Signum alicuius certi gradus in Chriſtiana Religione, impreſſum in anima*. Et quamuis non ſit ſignum ſenſibile quod pateat ſenſibus: tamen eſt intelligibile ſignum:

Eſt quadã moralis poteſtas.

Præter hæc, S. Thomas docet, characterem eſſe poteſtatem, aut recipiendi, aut exercendi, ea quæ pertinent ad diuinum cultum. Et ita characterem Ordinis eſſe poteſtatem actiuam: Baptiſmi paſſiuam. Et art. 6. ait, ad idem quodammodo pertinere characterem Confirmationis: de quo tamen poſtea q. 72. art. 5. addit, *Eſſe poteſtatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei*. Ac etiam de charactere Baptiſmi ibidem ait, ordinari ad ſacras actiones: *Nam in Baptiſmo*, inquit *accipit homo poteſtatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent ſalutem, prout ſcilicet ſecundùm ſe ipſum viuit*. Vnde ſentire videtur, eſſe etiam poteſtatem actiuam. Hinc Sotus in 4. d. 1. q. 4. art. 2. concl. 2., Lelius Zecchius de Sacram. in gen. cap. 14. concl. 6., Cabrera hic art. 2. diſp. 2.; explicant & defendunt, characterem eſſe potentiam phyſicam, & non ſolùm moralem.

Dici tamen non debet character eſſe potentia propriè & phyſicè paſſiua aut actiua, ſed ſolùm eſſe moralis quædam poteſtas & habilitas. Ita notant Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 19., Suarez hîc diſp. 11. ſect. 3., & alij plures. Ac breuiter ſuadetur: quia aſſignari non poteſt, quam formam in ſe per modum ſubiecti, ſeu potentiæ ſubiectiuæ & paſſiuæ, character recipiat: nec ſimiliter quem effectum per modum cauſæ phyſicæ effectiuæ producat. Eoquè magis in noſtra ſententia, quod ſacramentum non ſit cauſa phyſicè efficiens gratiam. Benè tamen per Baptiſmum eiuſquè characterem, homo redditur moraliter capax & habilis ad validè & licitè recipienda alia ſacramenta: per Ordinem eiuſquè characterem redditur moraliter aptus & habilis ad conficiendum & diſpenſandum alijs ex officio ſuo ſacramenta. Vnde character Baptiſmi eſt poteſtas moralis paſſiua, Ordinis actiua. Character verò Confirmationis poteſt explicari, tum per modum poteſtatis paſſiuæ, tum actiuæ. Paſſiuæ quia ſcilicet, non de neceſſitate, ſed de congruentia & decentia quadam præparat hominem ad reliqua. Actiuæ, quatenus conſtituit hominem ſtrenuum propugnatorem fidei.

Iuxta hæc debet intelligi S. Thomas, quando dixit, characterem eſſe poteſtatem: ſcilicet moralem, non phyſicam. Et fruſtra Suarez in fine ſect. citatæ hanc expoſitionem reprobat: quia, inquit, ſic S. Thomas non reſpondiſſet quæſtioni, nec debuiſſet impugnare opinionem collocantem characterem in ſpecie figuræ. Adhuc enim optimè poteſt intelligi S. Tho. de poteſtate morali: quia nihil dicit, quo requirat phyſicam poteſtatem. Et benè reſpondet quæſtioni: quærens enim an character ſit poteſtas, reſpondet eſſe poteſtatem. Et meritò potuit illam aliam opinionem impugnare, ſicut facit in ſolut. ad. 1. Quia ſolùm per metaphoram poterat character appellari figura: per quod non debebat ſub figuræ ſpecie collocari. At non per metaphoram, ſed

propriè

Digitized by Google

propriè character dicitur poteſtas, tamen poteſtas moralis. Quando demum S. Doctor, dixit, characterem Baptiſmi ordinari ad ſacras actiones, per has intellexit actus ipſos hominis accedentis ad ſuſcipienda alia ſacramenta: & actionem ſacrã vocauit ipſam ſuſceptionem aliorum ſacramentorum: & hoc intellexit, agere ea quæ ad propriam pertinent ſalutem, ſecundùm quod homo ſpiritualiter viuit in ſe ipſo. Qua ratione adhuc character Baptiſmi ſe habet tanquam paſſiua poteſtas, eo modo quo explicatum eſt, ad differentiam characteris Ordinis.

Ad quam ſpeciem pertineat qualitatis.

Quintò. Hinc iam colligendum eſt, ad quamnam ſpeciem qualitatis pertineat propriè character. S. Tho. in 4. d. 4. q. 1. art. 1 refert, quoſdam dixiſſe, ad nullam, licèt pertineat ad genus. Quoſdam dixiſſe, ad quartam, ſcilicet figuram, quia character configurat nos Chriſto. Et ita defendunt Marſil. in 4. q.4. art.1. concl.3., Cartagena de ſacramentis diſp. 5. difficul. 2. cap. 4., & Salas 1.2. tract.2. diſp. 8. ſect. 3. Item S. Thomas refert, quoſdam dixiſſe, characterem ſpectare ad tertiam qualitatis ſpeciem, quia character eſt veluti paſſio, ſeu paſſibilis qualitas. Et ita defendunt Riccard. in 4. d. 5. art. 2. q.14 & Lugus hîc diſp. 6. ſect. 3. num. 48. Rurſus refert, quoſdã dixiſſe, ſpectare ad primã ſpeciem, quia ſe habet tanquã diſpoſitio ſiue habitus. Et hoc defendunt Suarez ſect. cit. cum Alenſi & Bonau. quos refert, Vaſq. diſp. 134. cap. 3., Conink hac q. art. 2, Bellarm lib. 1. de Sacram. cap. 9. Ipſe S. Thomas, non ſolùm ibi in 4., ſed etiam hîc art. 2., docet, characterem reduci ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quæ eſt potentia. Et ita defendunt Caiet., Nugn., alijquè Thomiſtæ, Valent. puncto 3., Henriq. lib. 1. de Sacram. cap. 13. §. 3. & 4.

Pertinet ad ſecundam vel quartam.

Dicendum videtur, characterem debere directè collocari, vel in ſecunda, vel in quarta ſpecie qualitatis. Debet in primis directè ſub aliqua ſpecie collocari: quia directè continetur ſub ipſo genere qualitatis, vt dicebamus: & omnes qualitates adæquatè in quatuor illas ſpecies diſtribuuntur. Determinare autem ad quam ſpeciem propriè pertineat, dependet ex modo diſtinguendi & explicandi eas quatuor ſpecies. Ex modo ergo quo nos ſuo loco in Logica eas ſpecies deſignauimus: character non debet in prima ſpecie collocari: quia illa ſpecies erat earum qualitatum quæ adiuuant potentias ad ſuos actus exercendos: cuiuſmodi non eſt character, qui non eſt operatiuus, ſicut ſunt alij habitus aut diſpoſitiones. Nec poteſt in tertia ſpecie collocari: quia illa ſpecies erat earum qualitatum quę ſub ſenſum cadere poſſunt: & non omnium quæ dantur primariò ad perficiendum ſubiectum. Secunda autem ſpecies poteſt dupliciter explicari: vel ita vt ſolam phyſicam potentiam importet, vel vt etiam moralem complectatur. Hoc ſecundo modo character ad eam pertinet: ſed primo modo non pertinet. Et tunc optimè poterit ſub quarta ſpecie collocari. Non quidem ſub nomine figuræ: quia figura propriè eſt quæ conuenit quantitati ſeu magnitudini corporeæ. Sed ſub nomine formæ: forma enim propriè dicebatur pro illis qualitatibus, quæ non erant operatiuæ nec ſenſibiles, ſed in ſe ipſis erant ſecundùm proprias rationes conſtitutæ, & conſiſtebant in actuando & perficiendo ſubiecto. Et ita iam in Logica quæſt. 20. ſect 4. notauimus, intra quartam ſpeciem ſub nomine formæ collocari poſſe characterem ſacramẽtalem.

SECTIO TERTIA.

In quo ſubiecto propriè ſit Character.

SVppoſito quòd character ſit in anima, & non in corpore, vt ſatis oſtendunt quæcunque hactenus de charactere dicta ſunt: in anima diſtinguimus, eſſentiam, & duas potentias, ſcilicet intellectum & voluntatem. D. Bonau. in 4. d. 6. art 1. q. 3. indicauit, characterem immediatè in his omnibus reſidere. Et aliqui cum diſtributione dixerunt, characterem Baptiſmi eſſe immediatè in eſſentia animæ, Confirmationis in voluntate, Ordinis in intellectu. Scotus in 4. d. 6. q. 11. vniuerſaliter dixit, characterem eſſe in-

voluntate: quia & eſt diſpoſitio ad gratiam, quam ipſe in voluntate conſtituit, & à charitatis habitu non diſtinguit: & quia eſt ſignum noſtræ obligationis, quæ obligatio ſuper voluntatem proprie cadit. S. Thomas in 4. d. 4. q. 1. art. 3. & hic art. 4. ad 3. docet, characterem eſſe in intellectu: quia ordinatur ad diuinum cultum, qui eſt proteſtatio quædam fidei, quæ fides vtique eſt in intellectu. Et hanc partẽ ſequuntur Capreol., Paludan., Sotus, Ledeſma in 4., Caiet., Nugn., & alij recentiores Thomiſtæ hoc loco, Valent. q. 4. puncto 4., Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 8. ſect. 9.

Eſt immediatè in eſſentia animæ.

Sed conuenientius videtur, characterem immediate in eſſentia animæ conſtituere. Ita ſentiunt Gabriel in 4. d. 6. q. 2. art. 2. dub. 2., Marſil. q. 4. art. 1., Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 19. propoſ. 4., Suarez hic diſp. 11. ſect. 4., Conink art. 4., Cartagena diſp. 5. diffic. 3. cap. 4., Abra diſp. 1. ſect. 4. art. 7., Vaſq. diſp. 134. cap. 4., Bonacina q. 5. puncto 2. num. 2., Lugus diſp. 6. ſect. 4., aliique plures. Et probatur primò

Ex ratione characteris.

ex dictis, Character principaliter ex ſui ratione & quidditate habet, conſignare animam; ſed hoc non tam pertinet ad potentias, quàm potiùs ad eſſentiam & ſubſtantiam animæ; ergo.

Ex potentiarum excluſione.

Secundò, Character non datur, vt per ſe adiuuet potentiam vllam, ad recipiendum, vel ad agendum, vt iam diximus; ſed in potentijs præter actus, non debent aliæ formæ collocari, niſi habitus aliaque auxilia tali modo adiuuantia potentias ad ſuas functiones: ergo character, non in potentijs, ſed ſolùm in ſubſtantia animæ dici debet proximè reſidere.

Ex paritate gratiæ.

Tertio. Gratia in ſententia S. Thomæ, immediatè ineſt eſſentiæ animæ, quia habet ſanctificare, quod primariò refertur ad ſubſtantiam; nec ſe habet tanquam immediatum principium operandi, ſed tanquam prima forma conſtitutiua in eſſe ſupernaturali: ſed ita quoque character ſe habet tanquam forma conſtitutiua animæ in tali gradu, non eſt immediatum principium operandi, habet primario conſignare animam, quod magis pertinet ad ſubſtantiam animæ: ergo pariter eſt in eſſentia animæ. Et eo magis ſi dicebatur aliquo modo diſponere ad ipſam gratiam.

Ex ratione poteſtatis.

Quarto. Character, quatenus dicitur poteſtas, ſe habet quaſi potentia; ſed potentiæ ſunt immediate in eſſentia animæ, & conſequenter in ipſis potentijs inueniuntur habitus; ergo character potiùs eſt in eſſentia animæ, quã in potentijs. Nec refert, quod ait S. Tho. art. 4. ad 2. characterem eſſe potentiam extrinſecùs aduenientem, & ita differre à potentijs vitalibus. Nam, licet extrinſecus adueniat, dum tamen aduenit per modum potentiæ, conuenientiùs collocatur in eadem eſſentia, quam in alia potentia animæ.

Ex ordinatione characteris.

Quinto, Nulla eſt ratio quæ perſuadeat, characterem immediate ineſſe debere potentijs. Nam potiſſima eſt ratio quam affert S. Tho., quia character ordinatur ad exercitium diuini cultus, qui in actibus conſiſtit, & per potentias exercetur, & vel agendo, vel recipiendo perficitur. Sed hæc ratio non obſtat. Tum quia character principaliter ordinatur ad conſignandum; & non niſi conſequenter ad exercitiũ diuini cultus. Tum quia etiam ad hoc exercitium ordinatur per modum potentiæ, & non per modum habitus aliarum potentiarum. Tum demum, quia cultus Dei per vtramque potentiam exercetur, ſcilicet per intellectum & voluntatem: ergo ex hoc ipſo capite debet eſſe in ſubiecto vtrique communi, nempe in ſubſtantia animæ.

Ex duplicitate potentiarum.

Sexto. Non eſt maior ratio, cur character in vna vel altera potentia collocetur. Non in voluntate, vt dicebat Scotus: quia nec gratia ipſa eſt ſubiectiuè in voluntate: nec character dicit principaliter illam obligationem cadentem ſuper voluntatem. Non in intellectu: quia licèt cultus Dei ſit proteſtatio fidei: tamen formaliter ſpectat ad voluntatem. Sicut virtus Religionis quæ habet pro obiecto & exercitio ſuo cultum Dei, non eſt in intellectu, ſed in voluntate. Neque tandem poteſt character in vtraque potentia collocari: quia non componitur ex duabus partibus: neque poteſt vna ſimplex qualitas in duplici ſubiecto immediatè diſtrahi.

Digitized by Google

diſtrahi. Omni ergo ex parte præſtat dicere, immediatum characteris ſubiectum eſſe ipſam animæ ſubſtantiam. Et hoc de omni charactere trium ſacramentorum quæ illum imprimunt: cùm non ſubſit ratio illos ſeparandi. Et quæcunque obijci poſſent, iam ex his ſoluta manent.

QVÆSTIO SEXAGESIMAQVARTA

De Sacramentorum Cauſis.

DE cauſis intrinſecis materiali & formali ſatis egimus q. 61. circa eſſentiam ſacramenti. Inter cauſas extrinſecas, pro cauſa finali ſufficiunt quæ hactenus diximus de ſacramentorum effectibus: nam ſacramenta ad conferendos ſuos effectus proximè ordinantur. Solùm ſuperſunt cauſa effectiua & ſubiectiua. Effectiua duplex eſt, prima inſtituens, ſecunda conficiens & conferens ſacramentum. Cauſa ſubiectiua eſt is quis ſuſcipit ſacramentum. S. Thomas de cauſa hac ſubiectiua, id eſt de ſuſcipientibus ſacramenta, hic expreſsè non agit: de duplici vero dicta effectiua per decem tractat articulos.

Primo docet, Deum operari per modum principalis agentis, hominem verò per modum miniſtri ad effectum ſacramenti. Secundò, ſolùm Deum inſtituiſſe ſacramenta: quia ſolus ipſe potuit illis dare virtutem. Tertiò, Chriſtum etiam vt hominem operari ad interiores ſacramentorum effectus. Quartò, potuiſſe etiam alijs hominibus communicare ſuam poteſtatem excellentiæ quam habuit vt homo, non vero poteſtatem auctoritatis quam habuit vt Deus. Quintò, prauos etiam miniſtros poſſe valida ſacramenta conferre: quia non agunt virtute ſua, ſed virtute principalis agentis. Sexto tamen grauiter peccare, dum in tali ſtatu ſacramenta miniſtrant: quia cùm ſint miniſtri Dei, debent eſſe illi in ſanctitate conformes. Septimò, ad ſolos homines, non vero ad Angelos de facto pertinere hoc miniſterium: ſed tamen poſſe abſolute etiam Angelis à Deo demandari. Octauo, ad perfectionem ſacramenti requiri etiam intentionem miniſtri: quia hæc intentio determinat actionem ſacramentalem. Nono, non requiri fidem miniſtri ad valorem ſacramenti: ſicut nempe ſupra non requirebatur charitas ſeu probitas. Decimò tandem, etiam ſi miniſter ob prauum ſinem operetur, adhuc conficere validum ſacramentum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Deus ſolùm & Chriſtus inſtituerit Sacramenta.

Deus ſolus inſtituit vetera ſacramenta.

VEtera ſacramenta ſolus Deus immediatè inſtituit. Circuncisionē, Geneſ. 17. quam tradidit Abrahamo. Alia ſacramenta legis ſcriptæ, in libro Exodi & Leuitici, quæ tradidit Moyſi. Ipſe etiam ſine dubio antea inſtituerat ſacramentum legis naturæ, & primis hominibus tradiderat: licet non per ſe determinauerit certam actionem, in qua tale ſacramentum deberet perfici. Ratione patet, ſolum Deum potuiſſe inſtituere ſacramenta. Quia vel habebant vim conferendi gratiam: & ſic, cùm ſolus Deus ſit auctor gratiæ, ſolus poterat hanc vim tribuere ſacramentis. Aut non habebant hanc vim, ſed tantùm perſignrabant gratiam, & conferebant ſanctitatem legalem: & vt ſic etiam ad Deum eorum inſtitutio pertinebat. Et ſicut Deus ipſe condidit legem, inſtituit ſacrificia: ita etiam conſtituit ſacramenta. Quamuis potuiſſet etiam ſi voluiſſet, talem poteſtatem Moyſi vel alteri delegare: vt iam de noſtris ſacramentis concedendum eſſe dicemus.

Chriſtus ſolus inſtituit euangelica ſacramenta.

De noſtris ſacramentis Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. par. 15. cap. 2., Magiſter in 4. d. 23. cap. 2., Alenſis 4. par. q. 24. memb 1. & q. 59. memb. 3., Bonau. in 4. d. 7. art. 1. q. 1. & diſt. 17. art. 1. q. 3., & quidam alij ex antiquis indicarunt, non omnia fuiſſe immediate inſtituta à Chriſto, ſed quædam ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia. Certum tamen eſt, omnia noſtra ſacramenta fuiſſe ab ipſo Chriſto Domino immediatè inſtituta. Ita S. Tho. art. 2, & alij communiter. Et primò patet ex definitione Concilij Tridentini ſeſſ. 7. can. 1 de Sacram., vbi ſic ait: *Si quis dixerit, ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, &c. anathema ſit*: & intellexit vtique, fuiſſe immediatè ab ipſo Chriſto inſtituta. Atque ſeſſ. 14. can. 1. de Extrema vnctione, declarauit in ſpecie, hoc ſacramentum, de quo alioqui dubitari potuiſſe videbatur, fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, à Iacobo Apoſtolo promulgatum. Hic etiam de omnibus noſtris ſacramentis eſt communis Eccleſiæ ſenſus. Idemque docuerunt Sancti Patres, Auguſtin. Epiſt. 118., Ambroſ. lib. 4. de Sacrament. cap. 4., Cyprian. in ſerm. de Lotione pedum, & alij.

Ex Concil. & Patribus.

Ex Sacra Scriptura.

Secundò ex Scriptura probatur. Nã 1. Corinth: 3. & 4., & 1. Petri 4. dicuntur Apoſtoli fuiſſe miniſtri & diſpenſatores myſteriorum Dei: non ergo fuerunt inſtitutores. Rurſus habemus expreſſa Euangelij loca, in quibus ipſe Chriſtus inſtituit & tradidit hæc ſacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, & loca ſunt nota, ac in ſuperioribus indicata. Item Ordinis ſacramentum, quando diſcipulis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, tunc enim eos ordinauit. De alijs verò tribus, ſicut fide credimus eſſe verè & propriè ſacramenta, habereque vim conferendi gratiam: ita perſuaſum eſſe debet, fuiſſe pariter ab ipſo Chriſto inſtituta: licèt non ea habeamus in Euangelio ſcripta: quia communis eſt eorum ratio & vis cum cæteris ſacramentis. Vnde Hæretici qui negant, ea fuiſſe à Chriſto inſtituta, ſimul negant eſſe vera ſacramenta. Apud Catholicos ergo, agnoſcentes veritatem horum ſacramentorum, dubitari non poteſt de eorum inſtitutione à Chriſto facta.

Ratione.

Tertiò. Idem ratione probatur: quia ſi non ipſemet Chriſtus inſtituit omnia ſacramenta, ſed Eccleſia ſeu Apoſtoli inſtituerunt aliqua; vel id fecerunt ſola auctoritate propria, vel ex mandato Chriſti. Primum dici non poteſt: quia certe nullus alius poterat inſtituere ſigna efficacia gratiæ ad ſanctificandum hominem, niſi Chriſtus. Si dicatur ſecundum, iam præſtabit dicere, Chriſtum ipſum per ſe inſtituiſſe ſacramenta, quam Apoſtolis mandaſſe vt inſtituerent. Et præterim, ſi in veteri Teſtamento ſacramenta illa antiqua, quæ alioqui erant inutilia ad conferendam gratiam, fuerunt immediatè ab ipſo Deo inſtituta: eo magis in nouo Teſtamento hæc euangelica ſacramenta dici debent fuiſſe omnia ab eodem Chriſto immediatè inſtituta. Et confirmatur magis: quia idcirco non poteſt ab Eccleſia immutari quicquam pertinens ad ſacramentorum ſubſtantiam: quia ſcilicet, non Eccleſia, ſed Chriſtus ipſe ſacramentorũ ſubſtantiam deſignauit.

Congruentijs.

Quartò. Addi poſſunt aliæ congruentiæ. Tum quia ſacramenta ſunt fundamenta Chriſtianæ Religionis, ſunt veluti fontes gratię: ergo Chriſtus ipſe, qui fundauit Eccleſiam, & acquiſiuit nobis gratiam, debuit inſtituere ſacramenta. Tum etiam ad certitudinem ipſorum ſacramentorum, & vniformitatem Eccleſiæ, ita expediebat. Tum demum ſatis erat, Eccleſiæ relinqui & committi à Chriſto poteſtatem inſtituendi alias cæremonias & ſolemnitates, tum circa ipſa ſacramenta, tum circa alias ſacras actiones: ergo inſtitutio ſacramentorum quantum ad ſubſtãtiam, ab ipſo Chriſto perfici debuit.

Chriſtus per voluntatem diuinam & humanam inſtituit ſacramenta.

Quintò. Dum dicimus, ſacramenta fuiſſe inſtituta à Chriſto, debet hoc intelligi, non ſolùm per voluntatem diuinam Chriſti, ſed proximè, & immediatè per voluntatem humanam. Sic enim S. Thomas alijque Theologi duplicem poteſtatem in Chriſto diſtinguunt; vnã auctoritatis, inquantum Chriſtus eſt Deus: alteram excellentiæ, inquantum Chriſtus eſt homo. Cogitandum eſt enim, voluntati humanæ Chriſti datam fuiſſe:

Digitized by Google

fuiſſe poteſtatem, & commiſſum arbitrium, conſtituendi ac diſponendi ſacramenta. Cùm enim Chriſtus paſſione ſua redemerit humanum genus, acquiſierit nobis gratiam, & fundauerit Eccleſiam: ad ipſius maximè dignitatem hæc poteſtas excellentiæ pertinebat. Addit S. Thomas art. 3., Chriſtum, ſiue paſſionem Chriſti operari in ſacramentis ad noſtram iuſtificationem, meritoriè & effectiuè. Verum non debet alia cauſalitas realis & phyſica, præter cauſalitatem moralem ſecundùm rationem meriti, attribui humanitati Chriſti, eiuſquè paſſioni: quia ſatis eſt dicere, Chriſtum ſua paſſione meruiſſe gratiam, & ſua voluntate inſtituiſſe ſacramenta collatiua eiuſdem gratiæ.

Potuiſſet hæc inſtitutio alijs demandari.

Sexto deinde. Scotus in 4. d. 1. q. 3. §. *De ſecundò dico*, & d. 2. q. 1. §. *Ex his duobus*, & Gabr. q. 2. art. 3. dub. 2., dixerunt, poteſtatem inſtituendi ſacramenta nec etiam potuiſſe alijs communicari. Durand. vero diſt. 2. q. 1. hoc magis explicauit: non potuiſſe communicari poteſtatem inſtituendi ſacramenta, quantum ad virtutem conferendi gratiam, ſed bene potuiſſe communicari quantū ad determinationem rerum & verborum in quibus conſiſterent. Quod idē defendit Vaſq. hic diſp. 135. cap. 2. Melius S. Thomas art. 4. docet, non potuiſſe quidem cuicunque alij communicari poteſtatem auctoritatis, benè tamen poteſtatem excellentiæ: & ſic alij magis communiter loquuntur. Et res eſt facilis. Quia poteſtas auctoritatis inuoluit pactum & promiſſionem de conferenda gratia per ſacramenta: quod pactum non niſi ab ipſo Deo ſtatui poterat: quia nullus alius poteſt conferre gratiam. Sed tamen bene potuiſſet alteri homini communicari poteſtas, non ſolùm determinandi res & verba ſacramentorum, ſed etiam inſtituendi plura aut pauciora, inſtituendi aut non inſtituendi quædam ſacramenta: in hoc enim nulla repugnantia apparet. De facto tamen nulli alteri data eſt hæc poteſtas: quia non oportebat, nec expediebat.

Qualiter quædam dicantur ab Apoſtolis inſtituta.

Cæterùm. Illos Auctores qui dicebant, quædam ſacramenta non fuiſſe immediatè à Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtituta; aliqui exponunt, docere ſolùm voluiſſe, quòd non fuerint à Chriſto ſed ab Apoſtolis promulgata. Verùm, ſi hoc intelligatur de manifeſtatione & publicatione ſacramentorum in ordine ad Eccleſiam: ſic non ſolum quædam, ſed omnia fuerunt ab Apoſtolis & Euangeliſtis per prædicationem & ſcriptionem promulgata. Debent ergo ſic intelligi: quædam ſacramenta haberi expreſſa in Euangelio per dicta & facta ipſius Chriſti, videlicet Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Ordinem: alia vero tria haberi per dicta & facta & traditionem Apoſtolorum; ita tamen vt hæc quoque accepta ſint ex inſtitutione & doctrina ipſius Chriſti, Apoſtolis communicata. Vel dicere voluerunt, materiam & formam, res & verba quorundam ſacramentorum, fuiſſe penitus determinata ab ipſo Chriſto, vtpote aquam naturalem & illa præciſa verba in Baptiſmo, panem triticeum & vinum de vite ac certa conſecrationis verba in Euchariſtia. In quibuſdam verò ſacramentis, fuiſſe remiſſam Eccleſiæ ſeu Apoſtolis, talem determinationem quoad aliquam partem. Vt in ſacramento Matrimonij. Chriſtus inſtituit quidem pro eius ſubſtantia cōtractum humanum validum: ſed quis eſſet contractus humanus validus, reliquit ſub determinationem Eccleſiæ. Et an in aliquo alio ſacramento, præſertim Ordinis, idem factum ſit, in peculiari ſingulorum tractatu videbimus.

SECTIO SECVNDA.

An & qui poſſint Sacramenta conficere & miniſtrare.

Requiritur Miniſter diſtinctus à ſuſcipiente.

PRimò. Tàm neceſſarius eſt Miniſter qui conficiat ſacramenta: vt Concil. Florent. dixerit, ſacramenta tribus perfici. ſcilicet materia, forma, & miniſtro. Et quidem miniſter debet eſſe diſtinctus ab eo qui ſuſcipit ſacramentum: videlicet non poteſt quis à ſe ipſa baptizari, confirmari, abſolui, ordinari, vngi. Attamen in Euchariſtia, idem Sacerdos conficit, & ſibi ipſi præbet, &

ſuſcipit

ſuſcipit corpus & ſanguinem Domini. In Matrimonio, quamuis omnino duæ perſonæ interueniant, vir & femina; tamen ſimul ambo miniſtrant & ſuſcipiunt ſacramentum, vt ſuo loco videbimus. De circunciſione etiam olim *Abraham circumcidit carnem præputij ſui*, Geneſ. 17. Debet etiam vnus eſſe miniſter qui perficiat totum ſacramentum, ideſt qui adhibeat materiam & formā, & qui omnia verba proferat. Quare non valeret Baptiſmus, in quo vnus aquam infunderet, & alter verba proferret: vel vnus quandam partem, & alter aliam partem verborum proferret. Attamen in Euchariſtia poteſt eſſe, vt vnus Sacerdos faciat conſecrationem corporis, & alter ſanguinis Domini: In Extrema vnctione, vt vnus Sacerdos illam perficiat in quadam parte corporis, & alius vel alij in alijs partibus. Quod totum proprijs in locis ſpecialiter adnotabimus.

Merito autem appellatur Miniſter, ille qui conficit ſacramentum: agit enim virtute & nomine Chriſti, & tanquam miniſter Chriſti. Dicitur etiam cauſa inſtrumentalis ſacramenti: quia licet ſit cauſa principalis illius actionis ſenſibilis in qua conſiſtit ſacramentum, puta prolationis verborum in omnibus, ablutionis in Baptiſmo, & ſic in reliquis: eſt tamen inſtrumentum quantum ad virtutem ſacramenti, eſt inſtrumentum eius actionis inquantum eſt actio ſacramentalis. Sed nec eſt inſtrumentum phyſicum ad producendam virtutem ſacramentalem, ſed morale per deputationem diuinam: quia ad exhibitionem eius miniſterij Deus operatur ſpiritualem & ſupernaturalem effectum: ſicut iam diximus de ipſis ſacramentis.

Miniſter concurrit moraliter ad effectū ſacramēti.

Secundò vlteriùs. S. Thomas art. 1. aſſerit, miniſtrum concurrere etiam ad effectum ſacramenti. Itaque dici debet miniſter conferre & cauſare gratiā: dicitur Sacerdos conficere corpus & ſanguinem Domini in Euchariſtia. Colligitur hic loquendi modus ex ipſa Scriptura: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: & ex forma ipſa abſolutionis, *Ego abſoluo*, *Ego remitto*. Si ergo Sacerdos peccata remittit, vtique confert gratiam. Et *ſic in cæteris ſacramentis*.

Quia verò S. Thomas ait, ita miniſtrum, ſicut ſacramentum, operari ad hunc effectum: Caiet. *ibidem* indicat, ineſſe virtutem effectiuam gratię eidem miniſtro, ſicut ſacramento. Et quidam Thomiſtæ clarius ad hunc explicant, miniſtrum phyſicè efficere gratiam per virtutem in ipſo exiſtentem. Capreol. verò & Paludan. in 4. d. 1. q. 1. dicunt, miniſtrum quidem *conſecratum concurrere* hoc modo *per characterem* Ordinis, ſed miniſtrum non conſecratum nequaquam *hoc modo* concurrere. Verùm hoc totum non eſt neceſſarium: nec ſanè oportet, miniſtrum aliter concurrere, quàm applicando & præbendo ipſum ſacramentum. Ita explicauit S. Thomas ipſe eodem art. ad. 1. & art. 2. Et colligi poteſt ex illis verbis Apoſtoli 1. ad Corinth. 3., *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*: itaque *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*. Circa quæ verba Auguſt. lib. 3. cont. Litter. Petiliani cap. 54. ſic inquit: *Ad miniſtrandum ac diſpenſandum verbum & ſacramentum aliquid eſt, ad mundandum autem & iuſtificandum non eſt aliquid, quia hoc non operatur in interiori homine, niſi per quem creatus eſt totus homo, & qui Deus manens factus eſt homo*. Similia habet lib. 83 Quæſtionum q. 53., & lib. de Peccator. merit. & remiſs. cap. 14. Alijque Patres ſic etiam loquuntur. Quare etiam in ſententia tribuente ſacramentis virtutem phyſicam effectiuam gratiæ, ſatis erit dicere, miniſtrum concurrere ſolùm applicando ipſum ſacramētum. Et per hoc verè dicetur, peccata remittere, gratiam conferre. Sicut medicus præbens remediū dicitur ſanare; & hoſtis præbēs venenum dicitur necare.

Soli homines poſſunt ſacramēta conficere & miniſtrare.

Tertio. Vt videamus, quinam ſint idonei ſacramentorum miniſtri: Lutherus apud Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 24. dixit, non ſolùm ab hominibus, ſed etiam ab Angelis, & ab ipſis Dæmonibus, poſſe validè quæcunque ſacramenta conferri. Scotus in 4. d. 6. q. 1., loquens ſpecialiter de Baptiſmo, dixit, tam Angelū in corpore aſſumpto, quam homi-

Digitized by Google

hominem per ſe eſſe idoneum huius ſacramenti miniſtrum. Idemque indicauerat Auguſt. lib. 2. cont. Parmen. cap. 15. Optime tamen S. Tho. art. 7., alijque communiter doceat, ex ordinaria inſtitutione diuina, ſolos homines poſſe ſacramenta conferre. Quod ſatis patet ex modo loquendi Scripturæ, & ſenſu Eccleſiæ. Tamen per extraordinariam commiſſionem Dei, poſſe etiam Angelum conferre, non ſolùm Baptiſmum, ſed & alia ſacramenta. Vnde ſi quando conſtaret, bonum Angelum perfeciſſe aliquod ſacramentum: credendum eſſet omnino ex diuina commiſſione feciſſe: & ſic tale ſacramentũ valere. Et ita aliquando factum eſſe narratur. Si autem malus Angelus ſe ingereret, nihil eſſet illi credendum. Inſuper, ſicut non poteſt Angelus: ita etiam nec anima ſeparata, quamuis habens Ordinis characterem: quia nimirum non eſt in ſtatu habili ad miniſtrãda ſacramenta. Benè tamen ſi anima redeat ad corpus: talis homo reſuſcitatus, poſſet eſſe habilis ſacramentorũ miniſter, ſicut olim erat. Vnde & de facto, Beatum aliquem in corpore & anima exiſtentem, videlicet B. Virginẽ, non carere poteſtate miniſtrandi ſacramentum, ſicut ſi eſſet in hac vita, indicat S. Thomas art. 7. ad 2., dicens, Sanctos qui ſunt in cælo, non eſſe ſimiles Angelis quantum ad miniſterium ſacramentorum. Negat id tamen Lugus diſp. 8. ſect. 1. Eo quod de ſacramento Extremæ vnctionis Iacobus expreſſit, debere miniſtrari per Presbyteros Eccleſiæ, & ex oratione fidei: ſed Beati non ſunt de hac Eccleſia, nec poſſunt proinde orationem ex fide, cùm polleant clara viſione. Et poſt diem Iudicij Sacerdotes non poterunt ampliùs conſecrare Euchariſtiam. Nec Epiſcopi in Inferno Damnati poterunt alios Damnatos confirmare aut ordinare. Sed fatendum quidem eſt, poſt diem Iudicij non poſſe ampliùs ſacramenta confici: quia inſtituta ſolùm ſunt pro hoc ſeculo. Tamen nunc aliquis Beatus in corpore glorioſo, poſſet ex hac parte validum ſacramentum conficere & miniſtrare viatori. Iacobus autem ibi nominauit Presbyteros, quos infirmi poſſunt ad ſe vocare & inducere, qui vtique ſunt de hac Eccleſia: nõ tamen quaſi ſtatus viatoris, aut conditio fidei, per ſe requiratur in Miniſtro.

Quarto præterea, idem Lutherus dixit, omnia ſacramenta poſſe validè à quocunque homine miniſtrari, etiam à pueris & feminis, omneſque Chriſtianos eſſe ipſo iure euangelicos ſacerdotes. Certum tamen de fide eſt, non omnes homines poſſe validè quæcunque ſacramenta conferre. Ita definiuit Tridentinum ſeſs. 7. can. 10., *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes, in verbo, & in omnibus ſacramentis adminiſtrandis, habere poteſtatem, anathema ſit*. Sed, vt in ſingulis ſacramentis videbimus, quædã à ſolo Epiſcopo, tanquam ordinario miniſtro, validè conferri poſſunt, ſcilicet Confirmatio & Ordo. Quædam à ſolo Sacerdote ritè ordinato, cõprehendẽdo etiam nomine Sacerdotis Epiſcopum; nempe Euchariſtia quando conficitur, Pœnitentia, & Extrema vnctio. Matrimonium verò à viro & femina habilibus ad contrahendum. Baptiſmus denium poteſt à quolibet abſque exceptione validè miniſtrari, ſeruata debita materia & forma & intentione. Hoc enim totum ſic inſtitutum eſt à Chriſto Domino; cuius inſtitutionis fundamenta & rationes, proprijs locis afferemus. Oppoſita argumenta Lutheri vana ſũt, quæ ſatis ſoluit idem Bellarm. eo lib. 2. de Sacramentis cap. 25. & Vaſqu. hic diſp. 138. cap. 1.

Nõ omnes homines validè poſſunt.

Quintò rurſus, Non omnes qui poſſunt validè, poſſunt etiam licitè ſacramenta præbere. Eſt res certa & nota. Extant enim in Eccleſia diſtincti gradus & officia, ex quibus certis miniſtris competit ſacramenta miniſtrare, ita vt qui aliter ſe ingereret, graue peccatum committeret. Et ſic vtique rectè regimini Eccleſiæ congruebat. Itaque in vniuerſum ſoli Sacerdotes poſſunt licitè miniſtrare ſacramenta. Excepto Matrimonio, cuius proprij miniſtri ſunt iidem contrahentes. Et excepto Baptiſmo in caſu neceſſitatis, quando nullus adeſt Sacerdos, quia tunc poteſt etiam ab alijs licitè conferri. Sed nec etiam omnes Sacerdotes, [illegible] Epiſcopi licitè poſſunt quæcunque ſacramenta

Nõ omnes qui poſſũt validè poſſunt etiã licitè.

cramenta quibuslibet miniſtrare. Quinimò debent ad hoc miniſterium peculiarem iuriſdictionem habere. Vel ordinariam, qualem habeat Epiſcopi & Parochi reſpectu ſuorum ſubditorum, ideoquè dicuntur animarum paſtores. Vel delegatam, ideſt ex commiſſione & licentia eiuſdem proprij paſtoris, qualis ſæpè conceditur alijs Sacerdotibus, qui non ſunt animarum paſtores. Et huiuſmodi iuriſdictio, vel ordinaria, vel delegata, in ſacramento Pœnitentiæ, non ſolùm eſt neceſſaria ad licitè, ſed etiam ad validè abſoluendum. Et quia in ſacramento Matrimonij, licet ijdem contrahentes ſint miniſtri, tamen debet aſſiſtere Parochus, vel de eius licentia alius Sacerdos, eſt etiam hæc iuriſdictio neceſſaria ad valorem Matrimonij ex decreto Concilij Tridentini. Vnde & hic dicitur minùs propriè miniſter, ſcilicet tanquam aſſiſtens, quamuis non tanquam conficiens ſacramentum Matrimonij. Quiſnam verò inter Epiſcopos & Parochos, ſit proprius ſingulorũ paſtor, ſeparatim videbimus alia ſectione. Demum, præter hanc iuriſdictionem, debet miniſter ſacramenti eſſe expeditus & liber ab omni eccleſiaſtica cenſura & impedimento. Alioqui ſi eſſet excommunicatus aut interdictus, ſuſpenſus aut irregularis, grauiter in miniſtrando delinqueret: vt in propria de cenſuris materia conſtat. Alias quoque conditiones ad hoc miniſterium requiſitas, mox diſtinctè proſequemur.

SECTIO TERTIA.

An & quæ Intentio requiratur ex parte Miniſtri ad conficiendum Sacramentum.

DVO ſunt in quolibet ſacramento conſideranda: & entitas realis ſenſibilium actionum, & formalis ratio ſacramenti. Lutherus & Caluinus dixerunt, non requiri in miniſtro intentionem de formali ipſa ratione ſacramenti; atque adeo etiam ſi per iocum exerceantur actiones illæ reales, valere ſacramentum. Vnde Lutherus Artic. 12. dicebat: *Si Sacerdos non seriò, ſed ioco abſolueris, ſi tamen credat quis ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.* Inter Catholicos etiam Cathetin. Opuſc. de intent. miniſtri, dixit, ſufficere intentionem exercendi actiones illas reales, ſine alia intentione de formali ratione ſacramenti, etiam ſi illæ actiones exerceantur per iocum. In eandem ſententiam inclinat Syluester in Summa verbo *Baptiſmus* 4. quæſt. 12. & 16. Et probabilem putauit Paludan. in 4. d. 6. q. 2. art. 3. Imò S. *Tho.*, non ſolum in 4. d. 6. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2., ſed hic art. 8., cùm aſſeruiſſet requiri intentionem; tamen inſinuauit, ſaluari exteriùs intentionem in ipſa prolatione verborum. Et clarè ad 2., ponens caſum, ſi deſit interior miniſtri intentio, refert quoſdam dixiſſe, haberi adhuc effectum ſacramenti, quamuis non perficiatur ſacramentum: & ipſe limitat ad effectum iuſtificationis. Sed addit, alios meliùs dicere, perfici adhuc ipſum ſacramentum, ob ſenſum ipſum verborũ, & intentionem Eccleſiæ quæ in verbis exprimitur, quando miniſter non promit exteriùs contrariam intentionem.

Dico primò. Ad conficiendum ſacramentum, requiritur miniſtri intentio voluntaria & per ſe libera, de exercendis illis exterioribus actibus in quibus conſiſtit eſſentia ſacramenti. Hæc concluſio eſt omnium communis. Fatentur enim vel ſupponunt, hanc ad minimũ intentionem eſſe ſimpliciter neceſſariã. Et patet primò: ſi quis caſu ſine cognitione, & inuoluntariè ſine applicatione, fundat v. g. è feneſtra aquam, quæ incidat ſuper quempiam prætereuntẽ; & ſimul etiam canendo vel recitando verba pronunciet; non vtique perficit ſacramentum. Item ſi quis nihil ſciens de his noſtris ſacramentis, ſuper aliud aquam effundat, & quia fortaſſe aliquãdo audiuit, aut quia ſibi in mentem veniant, proferat verba Baptiſmi; nec etiam perficit ſacramentum.

Requiritur intentio de exercendis realibus actionibus ſacramẽti.

Secundò. Si ebrius quis, aut delirans, aut dormiens, ſiue quocunque modo non mentis compos, actus ſacramentales exerceat, non etiam conficit ſacramentum: quia non liberè & humano modo operatur. Quod ſi quis antequam ſe inebriaret, aut ſomno dederet, præ-

Intentio per ſe voluntaria & libera.

præuidiſſet ſe prolaturum verba & facturum opera ſacramentalia, & maximè ſi habuiſſet etiam expreſſam voluntatẽ conficiendi ſacramentum, & ex hac intentione ſe inebriaſſet; probabile cenſet Cabrera quæſt. 68. art. 7., valere ſacramentum: ſicut id ſufficit ad peccatum: & præſertim ſicut ſimilis intentio ſufficit in ſuſcipiente. Sed ad maiorem ſecuritatẽ vult reiterãdũ eſſe ſacramẽtum, ſub conditione tamen ob eam probabilitatem. Verùm abſolutè cenſendum eſt, non valere tale ſacramentum, & ſimpliciter eſſe repetendum: vt hoc loco communiter alij indicant, vel ſupponunt, & attingit Sanchez lib. 1. de Matrim. diſp. 8. num. 20., & Diana par. 3. tract. 4. reſol. 12. Ac de communi Theologorum omnium ſententia teſtatur Lugus hoc loco diſp. 8. ſect. 6 num. 102., quamuis duplici numero præcedenti dixiſſet fuiſſe ab Auctoribus prætermiſſum caſum quando quis ex ea ipſa intentione ſe inebriaſſet. Ratio huius rei eſt. Quoniam ad hanc rem non ſufficit voluntarium in cauſa, ſicut ſufficit ad peccatum. Et non ſufficit intentio habitualis non retractata, ſicut in ſuſcipiente, vt poſtea de illo dicemus: ſed ex parte miniſtri debet hoc opus eſſe per ſe voluntarium, & ab illo exerceri in ſtatu libertatis, vt valeat ſacramentum. Et non ſufficit voluntarium remotum, quando poſtea deficit vſus rationis: quia maximè in ipſo actu ſacramenti, debet miniſter agere humano modo.

Quando de nouo conficitur ſacramentum.

Tertio. Dixi, ad conficiendum ſacramentum: quia alioqui ſi ſacramentum non de nouo conficitur, ſed præexiſtens alteri præbetur, quod quidem ſolùm in Euchariſtia contingere poteſt; hæc doctrina non habet locum: quia vtcumque præbeatur alicui hoſtia conſecrata, ſi ex parte eius non obſtet aliquod peccati impedimentum, non ſolùm valebat ipſum ſacramentum in ſe permanẽter, ſed etiam conferet ſuum effectum gratiæ ſic ſuſcipienti. Et ſic à fortiori, non requiritur intentio de formali ratione, aut effectu ſacramenti, in eo qui miniſtrat ſolùm præbendo alteri hoſtiam præconſecratam: de qua intentione deinceps loquemur.

Dico ſecundò: Ad conficiendum ſacramentum, non ſufficit ſola intentio iam dicta, ſed requiritur etiam intentio de conficiendo ſacramento formaliter ſumpto, ſiue de exercendis actibus externis quatenus ſacramentales ſunt. Hæc concluſio ſemper fuit Theologorũ communis, & nunc eſt omnium abſque dubitatione. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 6. cap. 13., Magiſter ſententiar., D. Bonauent., Scotus, Durand., Gabriel, Riccard., Sotus, & alij in 4. d. 6., Alenſ. 4. par. q. 13. memb. 1. art. 2., Adrian. q. 3. de Baptiſmo, Caiet. & alij hoc loco, ac etiam Morales Auctores, ſimiliter Roffenſ. Artic. 12. cont. Luther., Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 28., & alij ſcribentes contra Hereticos. Eadem cenſetur ſententia S. Thomæ qui non ſolùm art. 8 requirit intentionem miniſtri, ſed art. 10. planè ait: *Cùm aliquis non intendit ſacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere, talis peruerſitas tollit veritatem ſacramenti, præcipuè quando ſuam intentionem exteriùs manifeſtat*: vbi dicendo, *præcipuè*, ſatis inſinuauit, etiam ſi non manifeſtet, nullum conficere ſacramentum. Loca verò oppoſita, licet Syl'u., Palud., & Adrian. in illo ſenſu intelligant; & Alanus lib. de Sacram. cap 55. dixerit, verba S. Tho. eſſe ſuſpicionis plena; & Vaſq. hic diſp. 138. cap. 4. nullam expoſitionem accepter: tamen alij, ne tàm abſurdam ſententiam illi tribuant, piè explicare conantur. Caiet. exponit, ſolum voluiſſe, ſacramentum in illo caſu perfici quantum ad externam apparentiam & exiſtimationem in facie Eccleſiæ: Sotus exponit, fuiſſe loquutum de intentione relata ad effectum ſacramenti, quæ non eſt explicitè neceſſaria. Alij dicunt, non fuiſſe ex ſuo ſenſu loquutum, ſed tantũ voluiſſe aliorum dicta referre: Alij denique reſoluunt, art. 10. correxiſſe quidquid in oppoſitum ante docuerat.

Requiritur intentio de formali ratione ſacramenti.

Concluſio ergo poſita, probatur primò ex Concilijs. Florentinum ſeſſ. vlt. Ex ... in decreto de Sacramẽtis, apertè dixit, ... *Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus ... verbis, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia.* Trident. ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in miniſtris dum ſacramenta* ...

Digitized by Google

ta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit. Et ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 9. de Pœnit. declarat, ſi Sacerdos nō ſerio, ſed ioco abſolutionis verba proferat, nequaquam valere talem abſolutionem. Idem inſinuauit Concil. Conſtant. ſeſſ. vltima. Et Leo decimus damnauit oppoſitum Lutheri articulū. Vbi quamuis aliqui dicant, intentum etiam Concilij Tridentini, fuiſſe damnare Hæreticorum errorem, qui nec etiam externam apparentiam intentionis requiri dicebant, volentes valere ſacramentum, quamuis miniſter oſtenderet & diceret, ſe non ſerio, ſed deluſoriè agere. Tamen ſatis clarè Concil. voluit, internam etiam intentionem requiri, ac proinde non valere ſacramentum, ſi hæc deſit in mente, quamuis hic defectus non appareat exteriùs. Quare hæc aſſertio, eſt iam certa de fide.

Scriptura. Secundò. Ex Scriptura quoque colligitur. Dum enim Chriſtus dixit Apoſtolis, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*, & pro ſacramento Pœnitentiæ, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis* & pro ſacramento Euchariſtiæ, *Hoc facite in meam commemorationem*: dedit miniſtris euangelicis poteſtatem, vt ipſi humano modo perficerent hæc ſacra myſteria. Cùm ergo actus externi, alioqui per ſe ſint actus quidam naturales, poſſintque pluribus rationibus exerceri; requiritur omnino, vt miniſtri illos exerceant formaliter ſub hac intentione perficiendi ſacra myſteria. Et hinc ſumitur ratio à priori ex ipſa inſtitutione Chriſti: quia ad hoc miniſterium homines aſſumpti ſunt tāquam inſtrumenta animata: vt ait D. Thomas, & tanquam miniſtri quibus commiſſum eſt arbitrium hæc myſteria perficiendi.

Et ratione. Tertiò. Suadetur etiam à poſteriori: quia alioqui plura inconuenientia ſequi poſſent, ſi hæc intentio non eſſet neceſſaria. Nempe, vt interdum perficerentur ſacramenta, quando & ſicut nō expedit. Si v. g., vt notauit Vgo Victorinus, dum lauatur infans ab obſtetrice vel parentibus, ſimul deuotionis aut otioſitatis cauſa dicatur, Ego te abluo &c. Item ſi Sacerdos ad menſam legat illum Euangelij aut Apoſtoli textum, in quo continentur verba conſecrationis. Et quando in Miſſa Sacerdos legit Epiſtolam Pauli, vel Euangelium, vbi eadem verba continentur. Valde inquam inconueniens eſſet, ſi his & ſimilibus modis ſine intentione perficerentur ſacramenta.

Quartò. Hinc oritur, vt non perficiatur ſacramentum, niſi iuxta determinatam intentionem miniſtri circa talē perſonam aut materiam. Quare ſi determinatè intendit baptizare, ſiue abſoluere certum hominē, ſupponatur alius, non confertur huic ſacramentum. Si intendat conſecrare ſolùm certum panem, & apponatur alius, hic non conſecrabitur. Et rurſus, ſi indefinitè intendat abſoluere vnum è duobus ſibi confeſſis, conſecrare vnum è duobus panibus ſibi appoſitis, non determinans vnū vel alterum; neuter pœnitens erit abſolutus: neuter panis erit conſecratus; ſiquidem ad neutrum determinatur intentio. Si tamen contingat error ſolùm in intellectu & opinione, ſed non deſit intentio in volūtate, tunc quidem perficitur ſacramentum: vtpote, ſi miniſter putans hunc eſſe filium Petri, illum baptizat vel abſoluit, cùm reuera ſit alius, hic erit baptizatus aut abſolutus: quia voluntas miniſtri erat baptizare vel abſoluere hunc ſibi præſentem, quamuis per errorem putabat eſſe filium Petri. Et Sacerdos conſecrans panem quē in manu tenet, putans eſſe vnam hoſtiam, vel particulas poſitas in Pyxide, putans eſſe decem, & poſtea inuenit eſſe duas hoſtias, eſſe plures particulas; verè quidem omnes conſecrauit: quia totam illam materiam intendebat conſecrare, quamuis per errorem putaret, non eſſe pluſquam vnam hoſtiam, decē particulas. In Matrimonio tamen, error perſonæ vitiat contractum & ſacramentum: quia intentio contrahentis alligatur ac determinatur ad certam perſonam, vt ſuo loco tractabimus.

Quintò ſequitur, grauiter peccare miniſtrum, qui rogatus ad conferendum ſacramentum, perficeret actum externum fictè & abſque intentione: peccare inquam, non tantùm contra proximum quem decipit, ſed & contra ſacramentum quod eludit. At Ioannes Sancius

in Diſputationib. ſelectis diſp. 33. num. 6. admittit, ob grauem cauſam licitum fore interdum fingere: vtpote ſi Sacerdos adigatur timore mortis conſecrare tantū panem in foro exiſtentem, vel abſoluere indiſpoſitum, aut rogetur à ſcrupuloſo, vt eum abſoluat cùm non oportet. Hæc tamen admittenda non ſunt: quia licet excuſari poſſit iniuria proximi, non tamen iniuria ſacramenti. Vnde Caſtrus Palaus in Opere morali tomo 1. tract. 2. diſp. 1. puncto 13. num. 8. oppoſitum audaciæ ac temeritatis accuſat. Et ſimiliter non eſſe licitum Sacerdoti Euchariſtiam diſpenſanti, ſupponere & porrigere hoſtiam non conſecratam pro cōſecrata, ſuo ſpeciali loco dicemus.

Sufficit intentio actualis, aut virtualis.

Dico tertio. Ad explicandum quæ & qualis intentio requiratur atque ſufficiat: ſatis quidem erit intentio actualis vel virtualis, explicita vel implicita, particularis vel vniuerſalis, abſoluta vel etiam conditionata. Hæc concluſio eſt etiam Theologorum communis, & explanatur per ſingulas partes.

Primò ſufficit intentio actualis vel virtualis. Intentio actualis eſt, quando miniſter actualiter dum exercet actiones externas, habet attentionem & animum perficiendi rem illam ſacram. Hæc quidem intentio eſt per ſe optima: non tamen eſt neceſſaria, ſed ſufficiet virtualis, vt omnes docent. Virtualis ergo eſt, quando antecedenter quis habuit intentionem, & ex virtute eius ſe applicauit ad operandum, videlicet Sacerdos ad celebrandam Miſſam, & ſic de ſingulis ſacramentis, poſtea autem in ipſa actuali conſecratione mente diſtractus, non ampliùs attendit: tunc inquā etiam perficit ſacramentum, & hæc dicitur intentio virtualis. Et hanc intellexit S. Thomas art. 8. ad 3., quam vocauit habitualem. Alioqui intentio merè habitualis, id eſt habitus exiſtens in anima, certe non ſufficit: ſiquidem etiam in ebrijs ac dormientibus reperitur. Dubitari tamen poteſt, qualiter exerceri & continuari poſſit actio externa, abſque actuali & continua intentione mentis interna, ex virtute ſolùm intentionis præcedentis & præteritæ. Conink hoc loco q. 64. art. 8. dub. 2. num. 71, ſupponit exerceri & continuari ex motu imaginationis applicatæ iam ex priori intentione voluntatis. Sed tamen, vel diſtractio mentis diuertit etiam imaginationem: vel ſi adeſt motus imaginationis, concedi quoque poteſt ac debet adeſſe aliquis motus & actus rationis. Et in vniuerſum actus externi & imperati in homine, non videntur fieri poſſe ex ſolo motu & imperio partis ſenſitiuæ, abſque motu & imperio partis rationalis. Potiùs ergo dici debet permanere aliquis ſaltem tenuis & confuſus actus in intellectu & voluntate hominis, relictus ex virtute actus perfecti antecedentis; permanere inquam abſque reflexione quâ homo aduertat ad talem actum, & abſque expreſſa conſideratione ad formalitatem ſacramēti, ſed quātum ſufficit ad continuationem actus externi ex præuia deliberatione.

Explicita vel implicita.

Secundò ſufficit intentio explicita vel implicita. Explicita eſt, dum cogitans quis, Baptiſmum eſſe ſignum inſtitutum ad ſanctificandum hominem, Euchariſtiam eſſe ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, intendit hoc totum perficere. Sed hæc etiam non eſt per ſe neceſſaria, & ſufficiet quoque implicita: nempe qua quis velit abſolutè conficere Euchariſtiam, conferre ſacramentum Baptiſmi, non aliud explicitè cogitando.

Particularis vel vniuerſalis.

Tertiò ſufficit intētio particularis vel vniuerſalis. Particularis eſt in exemplis modò adductis. Vniuerſalis autem, ſi quis ſolùm cogitet & intendat facere quod Chriſtus inſtituit, quod Chriſtiani obſeruant, quod Eccleſia facit, aliouè ſimili modo. Hæc ſanè intentio ſufficit: ideo enim Concil. dixit, requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia.

Abſoluta vel conditionata.

Quartò demum ſufficit intentio abſoluta vel conditionata. Abſoluta eſt, quando ſine conditione miniſter vult & intendit perficere ſacramentum: & hæc quidem optima eſt. Conditionata eſt, quando quis ſub conditione intendat aut dicat, ſe baptizare, & ſic de alijs ſacramentis. Quæ conditio poteſt apponi, vel de re præterita ſeu præſenti, vel de euentu aliquo futuro. Primo modo perficitur reuera ſacramentum, quando conditio re ipſa verificatur: quia tunc inten-

Digitized by Google

intentio, ſicut & enunciatio, tranſit in abſolutam. Non tamen debet miniſter huiuſmodi conditionem apponere, niſi neceſſitate cogente, vtpote quando dubium eſſet num aliquis eſſet rite baptizatus, num ſit mortuus vel adhuc viuat; tunc enim licitum imò & debitum eſt, adhibere talem conditionem, ſi non es baptizatus, ſi es viuus, & ſimilia. Et abſque rationabili cauſa grauiter peccaret miniſter, adhibendo vllam conditionem. Secundo modo, ſub conditione ſcilicet de futuro, vtique adhuc non perficitur ſacramentum pendente conditionis euentu, quia ſimpliciter deeſt intentio, vt per ſe patet. Etiam ſi alioqui conditio erat neceſſariò euentura, & miniſter intendit ſuſpendere ſacramentum ad talem euentum futurum. Sed nec etiam ſuccedente tempore, & eueniente conditione, perficietur tale ſacramentum: quia nempe non poteſt ſuſpendi validitas ſacramenti ab euentu futuro. Quare præter graue miniſtri delictum, deberet etiam ſimpliciter & abſolute repeti ſacramentum. Et hæc eſt communis doctrina. Niſi quod aliqua exceptio in ſacramento Matrimonij ſolet admitti: de qua in proprio tractatu dicemus. Quod ſi quis accomodaret ſuam intentionem ad præſens de euentu futuro, videlicet, ſi Deus præſcit talem effectum eſſe futurum ego te baptizo in hoc caſu Suarez diſp. 13 ſect. 3. notauit, præter grauiſſimum ſacrilegium, reddi ſacramentum adeo dubium & incertum, vt omnino debeat ſub certa intentione & forma reiterari. Et rectè Conink art. 8. dub. 2. concl. 4. abſolutè docet, & de communiori ſententia teſtatur, ſacramentum ita collatum, eſſe ſimpliciter inualidum.

Non requiritur alia diſtincta intentio de effectu ſacramenti.

Dico quarto. Præter intentionem dictam de conficiendo ſacramento, non requiritur alia vlterius miniſtri intentio de conferendo effectu ſacramenti. Hanc concluſionē ponimus, quia aliqui Hæretici, vt refert Bellarm. vbi ſupra, imputabant Catholicis, quòd exigerent intentionem de effectu & fine ſacramenti, quaſi hoc ſit quod Concil. Trident. definierit. Et quia de facto inter Catholicos, Alenſis & Gabriel locis citatis, & Valentia hic q. 5. puncto 3., dixerũt, requiri intentionem de fine & effectu ſacramenti. Imò nomen ipſum intentionis hoc videtur innuere: quia intentio propriè eſt circa finem. Sed concluſio noſtra eſt de mente Catholicorum & Theologorum communis. Et primo patet; quia per intentionem hactenus dictam, ſaluatur optime modus loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, & modus ipſe quo regulariter ſolent miniſtri hoc officium exercere. Et eo ipſo quòd miniſter vult conficere ſacramentum, iam implicitè & virtualiter vult conferre effectum ſacramenti. Quare non eſt, cur de hoc alia diſtincta intentio requiratur.

Secundo præterea. Si quis nihil ſciẽs aut credens de ſacramentorum virtute & effectu, intendat ſolùm conferre ipsũ ſacramentum, ſiue facere quod facit Eccleſia, adhuc vere conficit ſacramentum. Vt olim Pelagiani qui non agnoſcebant originale peccatum, atque adeo non credebant Baptiſmum eſſe remediũ talis peccati; alijque Hæretici non agnoſcentes gratiam ſanctificantem in anima, ſiue characterem quem nos dicimus imprimi; adhuc conficiebant & conficiunt verum ſacramentum, per quod confertur etiam totus illius effectus: per Baptiſmum ab illis datum remittebatur originale peccatum, & per omnia ſacramenta de reliquo rite collata & dignè ſuſcepta, confertur gratia ſanctificans, & per quædam imprimitur character. Vnde Eccleſia non reiterabat, nec reiterat, Baptiſmum, aliaue ſacramenta, data à Pelagianis alijſue Hæreticis.

Neque Catholici hæc requirunt.

Tertiò. Immeritò oppoſitum imputabatur Catholicis. Nam Concilium dixit ſolùm requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ideſt conferendi ſacramentum ſicut confert Eccleſia. Illi etiam Theologi docuerunt ſolùm, nõ ſufficere intentionem de exercendis conſuetis actionibus materialibus, ſed requiri etiam intentionem de formali ratione ſacramenti. Quam ipſam appellarunt de effectu & fine ſacramenti: quia ſaltem virtualiter & implicitè talis eſt. Non debebat tamen Valentia hoc tempore ita loqui. Nomen demum intentionis non aliud perſuadet: tum

quia

Digitized by Google

quia intentio hoc loco ſumitur pro voluntate ipſa faciendi ſacramentum: tum quia formalis ratio ſacramenti dici poteſt finis proximus, ob quem fiunt actiones externæ ſenſibiles: & hunc finem miniſter debet intendere.

Intentio non eſt pars intrinſeca ſacramenti, ſed conditio cauſæ.

Dico tandem quinto. Intentio prædicta non eſt per ſe pars intrinſeca ſacramenti, ſed ſe tenet ex parte cauſæ efficientis ſacramentum, tanquam conditio ſimpliciter neceſſaria. Ita communiter loquuntur Theologi. Lugus tamen diſp. 2. ſect. 7. contendebat eſſe partem intrinſecam: eo quod illa ablata, & manentibus omnibus alijs, non remanet eſſentia ſacramenti: & Concil. Florentinũ ſimul cum materia & forma poſuit intentionem miniſtri. Sed recedendum non eſt à communi modo loquendi, quo aſſignantur quidem materia & forma tanquam partes intrinſecæ, intentio verò tanquam neceſſaria ex parte miniſtri. Nam certè neceſſaria etiam eſt certa poteſtas & iuriſdictio in quibuſdam ſacramentis; & ſimiliter in adultis requiritur intentio ſuſcipiendi ſacramentum. Et tamen hæ non dicuntur partes intrinſecæ ſacramenti, ſed conditiones neceſſariæ ex parte cauſæ.

Ideò ergo, ſublata intentione tollitur ſacramentum, quia tollitur cauſa, ſiue conditio neceſſaria ex parte cauſæ efficientis, ad ponendum ſacramentum. Et tunc ſubtrahitur ac deficit de ipſa eſſentia ſacramenti, formalis ſignificatio ſeu vis conferendi gratiam, quæ vtique eſt eſſentialis & formaliſſima ratio ſacramenti, ſine qua non adeſt ſacramentum, quantumuis adſint actiones externæ ſenſibiles, alioqui conſtitutiuæ ſacramenti. Et hæc inquam vis ac formalis ratio, deeſt ex defectu cauſæ efficientis, quando deeſt intentio, ſicut etiam quando deeſt poteſtas miniſtri. Et Concil. Florent. ſimul cum materia & forma nominauit perſonam miniſtri habentis intentionem: quæ perſona non perinde ponitur tanquam pars intrinſeca ſacramenti, ſed tanquam cauſa efficiens: quare ſic etiã ſe habet intentio.

Explicatur quidam Auguſtini loca.

Sed contra neceſſitatem dictæ intentionis Obijcitur primò. D. Auguſt. tract. 5. in Ioann. dixit, valere Baptiſmum datum ab ebrioſo: ſed in hoc videtur deficere etiam prima illa intentio, quam in prima concl. poſuimus. Et lib. de Baptiſ. cap. 53. dubitauit, num valeat Baptiſmus per ſimulationem datus.

Reſpondetur ad primum locum: Auguſtinus non dixit, ab ebrio, ſic enim Baptiſmus non valeret: ſed ab ebrioſo, id eſt qui ſe inebriare ſolet, tamen alias poteſt & ſolet eſſe ſui compos. Solũ nã docere voluit, non obſtare vitioſitatem & malos mores miniſtri, quominus valeat ſacramentum. Sic enim dixit: *Si ebrioſus, homicida, adulter, baptizat, valere baptiſmum.* Ad ſecundum locum: quamuis Auguſt. ibi dubitauerit: nunc tamen res non eſt dubia, ſed ſatis certa. Imò ipſemet ibi proteſtatus eſt, ſe nolle quicquam aſſerere de re, quæ tunc non erat in aliquo Concilio definita: *Tamen ſecura voce eſſe aſſerendum, quod vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum fuerit.* Quod vtique nunc eſt per plura Concilia generalia.

Explicatur facta Athanaſij & Geneſij.

Obijciuntur ſecundò facta quædam quæ ab Hiſtoricis narrantur. Athanaſius, dum eſſet puer, ludens in littore maris cum alijs pueris, creatus ab illis per iocum Epiſcopus, ipſe etiam per iocum alios pueros baptizauit. Et hic baptiſmus per ludum datus, fuit poſtea ab Alexandro Patriarcha Alexandrino tanquam validus approbatus. Geneſius quidam, cùm in ſcena luderet, & irriſionis gratia Chriſtianorum ſacra repræſentarentur, Baptiſmum ſuſcepit, & ab Angelo, didicit ſe per illum Baptiſmum ſaluum fore. Vnde exclamans ſe ex animo Chriſtianum eſſe, Martyrio etiam affectus fuit.

Reſpondetur. Putandum eſſe, Athanaſium puerum habuiſſe ſinceram intentionem faciendi quod faciebat Eccleſia, quod ſolebat facere Epiſcopus: quamuis recreationis cauſa ita pueri luderent. Nam refert Nicephorus lib. 8. cap 44. & alij etiam Hiſtorici teſtantur, Alexandrum Patriarcham diligenter examinaſſe quicquid ad factum pertinebat, & ita re diſcuſſa pronunciaſſe Baptiſmum validum. Geneſius autem Martyr, ab Angelo fuit proximè [illegible] Baptiſmum admonitus,

Digitized by Google

ſincera intentione, ſed etiam recta fide & diſpoſitione baptizatus fuit. Sed quia difficultas eſt de miniſtro: Aliqui dubitarunt, vocatum fuiſſe Chriſtianum Sacerdotem, qui proinde vero animo Baptiſmū contulerit. Aliqui putarunt, ſuppletum fuiſſe per contritionem à Deo infuſam, defectum Baptiſmi. Sed commode etiam dici poteſt; eundem Paganum qui Baptiſmum dedit, habuiſſe in mente animum faciendi quod Chriſtiani faciebant, quamuis non crederet eſſe remedium ſalutare, ſed ex contemptu faceret.

Deficiente intentione an Deus ſuppleat effectum ſacraméti.

Objicies tertio. Non vacat periculo, vt malignus miniſter habeat in mente contrariam intentionem, ſcilicet nõ conficiendi ſacramentum. Aut negligens miniſter non ſtudeat habere debitam intentionem de formali ratione ſacramenti. Ex quo ſequeretur, ſacramentum eſſe inualidum, & ſuſcipienté fraudari eius effectu. Quod præſertim in Baptiſmo & Ordine eſſet damnum irreparabile: quia hæc ſacramenta non repetuntur; & tamen ſunt adeo neceſſaria pro gubernatione Eccleſiæ, & validitate aliorum actuum, & ſalute populi, & Baptiſmus etiam pro ſalute propria. Ac præterea nullus de facto poſſet eſſe certus & ſecurus de validitate ſacramenti à ſe ſuſcepti; quia poteſt dubitare de interna intentione miniſtri: vnde magna anxietas omnibus fidelibus incuteretur.

Propter hæc dixerunt aliqui, in tali caſu Deum ſupplere defectum occultum intentionis miniſtri, & per ſe conferre effectum ſacramenti, ſaltem gratiam, quamuis non characterem. Ita opinantur Valentia hic q. 5. puncto 3., Syluester verbo *Baptiſmus* 6. num. 3., Angelus eodem verbo 7. num. 12., Zanard. in Director. Confeſſ. par. 2. de Sacram. Baptiſmi cap. 4., Bartholom. de Angelis in Examine Confeſſ. de Sacram. in communi dialogo 1. §. 31. Et fauet S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3., & hic art. 8. ad 2. Sed alij Theologi magis communiter hoc non admittunt. Imò Cabrera hîc art. 3. diſp. 1. num. 65. & 66. oppoſitum reputat temerarium & erroneum. Alioſque morales Auctores pro hac parte refert & ſequitur Diana par. 3. tract. 4. reſolut. 17. Quia nempe nullum habetur ex Scriptura vel Patribus fundamentum ad dicendum, in defectu ſacramenti Deum ſupplere, & infundere gratiam abſque medijs ordinarijs. Eademque ratio eſt de intentionis defectu, ac ſi defectus committeretur in materia vel forma eſſentiali; ſiue id contingeret ex malignitate miniſtri, ſiue ex negligentia, aut imperitia. Sed potiùs putandum eſt, Deum non permittere, vt miniſter in intentione deficiat; aut in adultis ſuſcipientibus ſacramentum ſupplere, tribuendo illis auxilia ad perfectam contritionem qua mediante iuſtificentur. Quòd ſi vnquam permittat, id reuera magnum detrimentum eſſet: ſed ſicut Deus permittit alia peccata & perditiones hominum, & in ſpecie vt plurimi paruuli decedant abſque remedio; ita etiam permitteret talem defectum. Neque verò poſſibilitas phyſica huius defectus, debet anxietatem inducere: quia moraliter poſſumus & debemus eſſe ſecuri & certi de debita intentione miniſtri; qua ſecuritate in humanis rebus debemus eſſe contenti. Credibile enim aut dubitabile non eſt, quempiam ex malignitate in miniſterio ſacramenti contrariam intentionem habere: & ſine malignitate & intentionis contrarietate, moraliter non continget, quempiam rationis compotem, & humano modo liberè operantem, in intentione ex negligentia aut obliuione deficere: cùm ſufficiat intentio virtualis, & implicita, & vniuerſalis.

Sub duplici contraria intentione an perficiatur ſacramentum.

Objicies tandem quartò. Fieri etiam poteſt, contrarietatem aliquam & perplexitatem in intentione miniſtri contingere, ob quam videretur ſimul perfici & non perfici ſacramentum, quod repugnat. Vtpote ſi quis habeat intentionem faciendi quòd Chriſtus inſtituit, nõ autem quod facit Eccleſia: ſiue faciendi quod facit Eccleſia aliqua aut ſecta particularis, v. g. Lutheranorum, non tamen quod facit Eccleſia vniuerſalis ſiue Romana. Aut ſi quis intendat quidem conficere ſacramentum, ſed expreſsè nolit conferre effectum ſacramenti. Et in matrimonio, ſi vir & femina velint quidem inire contractum,

nolint

Digitized by Google

nolint tamen facere ſacramentum. Si demum quis incipiat adminiſtrare ſacramentum ſine debita intentione, & in progreſſu actionis mutato propoſito debitam intentionem concipiat.

Reſpondetur. Si contrarietas intentionis, talis ac tanta ſit, quæ ſimpliciter deſtruat intentionem hactenus deſignatam; tunc non perficietur ſacramentum. Sed reuera non poteſt talis contrarietas intentionis contingere, niſi ſolùm materialiter ex errore quo quis putet illa obiecta eſſe diuerſa; ſcilicet diuerſum eſſe quod Chriſtus inſtituit, & quòd facit Eccleſia. Vnde in tali caſu communis regula eſt, conſiderandum eſſe, quænam intentio in mente miniſtri præualeat. Ideſt ſi is taliter affectus ſit, vt ſi idem eſſet quod Chriſtus inſtituit, & quod facit Eccleſia, non recuſet facere quod facit Eccleſia vt faciat quod Chriſtus inſtituit: tunc præualet intentio affirmatiua, & perficitur ſacramentum. Si verò taliter affectus ſit, vt potiùs nollet facere quod Chriſtus inſtituit, ne faciat quod facit Eccleſia: tunc præualet intentio negatiua, & non perficitur ſacramentum. Quod ſi fingatur caſus quo neutra intentio præualet, pariter non perficitur ſacramentum, quia ſimpliciter deeſt intentio neceſſaria. Et ſimiliter ſi ſub dubio maneat quæ intentio præualebat, debebit ſub conditione repeti ſacramentum. Regulariter tamen, & quando oppoſitum non appareat, cenſebitur potiùs præualere intentio affirmatiua, & ex ſolo errore intellectus admiſceri intentio negatiua contraria. Et ſic in alijs caſibus memoratis. In matrimonio tamen ſuo loco tractabimus, num ex intentione contrahentiũ, aliouè capite, ſeparari poſſit ratio ſacramenti à ratione contractus inter ipſos Fideles. Et in caſu illo mutatæ intentionis, ſi ante debitam intentionem præceſſit pars aliqua ſubſtantialis & neceſſaria ſacramenti, iam totum ſacramentum erit nullum & irritum: quia ſine pro tota ſacramentali actione requiritur ſincera intentio.

SECTIO QVARTA.

An & qualiter requiratur fides & probitas miniſtri ad conficiendum ſacramentum.

FVit olim D. Cypriani & Agrippini eius prædeceſſoris ſententia, atque Donatiſtarum in Aphrica error, requiri fidem in miniſtro ad validitatem ſacramenti: ita vt nullum & irritum cenſerent Baptiſmum datum non ſolùm à Paganis aut Iudæis, ſed etiam ab Hæreticis & Schiſmaticis; ideoq; rebaptizandos putabant omnes ab Hæreticis baptizatos. Fuerunt etiam alij quos refert D. Bernard. ſerm. 66. in Cantica, qui præter rectam fidem, ad validitatem ſacramenti requirerent etiam miniſtri probitatẽ & ſtatum gratiæ: ita vt ſi peccator aliquis quempiam baptizaret, Baptiſmus eſſet quoque nullus & irritus, atque adeo iterum repetendus. Quos errores copioſiùs refert Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 26., & Vaſq. hic diſp. 136. cap. 1. Extrema ex oppoſito ſententia eſſe poteſt, nec etiam ad licitè miniſtrandum ſacramentum requiri fidem & probitatem miniſtri; atque adeo etiam ſi quis exiſtens in peccato mortali exerceat hoc miniſterium, non videatur per hoc denuo peccare mortaliter. Et ita refertur Paludan. in 4. d. 5. q. 2. art. 2. Qui tamen, vel ſolùm voluit, non requiri confeſſionem, vel nec etiam contritionem in miniſtro non conſecrato.

Dico primò. Non requiritur fides & probitas miniſtri ad valorem ſacramenti: ſed dummodo cætera neceſſaria adhibeantur quoad materiam & formam & intentionem, etiam ſacramenta data ab improbis & Hæreticis aliiſque Infidelibus, erunt rata & valida. Hæc concluſio eſt Theologorum omnium communis, S. Thomæ hic art. 5., & aliorum hoc loco, & in 4. ſententiar., & vbi de ſacramentis tractant. Conſtat primò ex definitione Concilij Trident. ſeſſ. 7. can. 12. de Sacram. *Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia ſacra*[illegible] *ſeruauerit.*

Non requiritur ad valorem ſacramenti ...

Digitized by Google

nerit, non conferre aut conficere ſacramentum, anathema ſit. Et can. 4. de Baptiſmo, *Si quis dixerit, Baptiſmum qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit*: Idem antea in alijs antiquioribus Concilijs & à ſummis Pontificibus, vt copioſe referunt Bellarm. & Vaſq., definitum erat, ſpecialiter pro Baptiſmo. Et ſancti Patres idem communiter defendebant: & præcipue Auguſt. plures libros hac de re contra Donatiſtas conſcripſit. Vſu etiã totius Eccleſiæ, tàm ante tempora Cypriani & Agrippini, quam poſtea extra partem Donati, quæ & ipſa citò corruit, ſemper receptum fuit, vt ſacramenta ab Hæreticis data, ſeruatis ritibus neceſſarijs, rata & valida haberentur, nec reiterari ſolerent.

Secundò. Idem ex Scriptura colligitur. Chriſtus enim abſolute dixit, *Baptizantes eos, Quorum remiſeritis peccata, Hæc quotieſcunque feceritis*. Quæ ita ſemper Eccleſia intellexit, vt non ad ſolos probos fideleſque miniſtros, ſed indiſcriminatim abſque tali exceptione & limitatione. Alijs etiam Scripturæ exẽplis & documentis oſtendi poteſt, etiam à prauis miniſtris ſacra myſteria non amittere ſuam vim, vt aſſert eo loco Bellarm. Et hinc non alia quærenda eſt ratio huius rei, quàm inſtitutio Chriſti: qui non alligauit poteſtatem conferendi ſacramenta ſolis iuſtis & fidelibus. Idque ſane conuenientiſſimum erat: quia alioqui valdè incertus redderetur valor ſacramenti: cùm ſæpè contingere poſſit, veram ſanctitatem, & interdum etiam integram fidem in miniſtro deeſſe.

Nec ad effectum ſacramenti.

Tertiò. Hinc apparet, has conditiones in miniſtro, nec etiam requiri ad effectum ſacramenti, dummodo ex parte ſuſcipientis non opponatur obex. Vnde character quidem ſemper imprimitur per ſua ſacramenta, quia nullo obice impeditur ſtante valore ipſius ſacramenti. Gratia item ſemper dabitur paruulis, vtpote nullo obice in ijs locū habente. Adultis quoque ſemper dabitur, ſi cum debita diſpoſitione accedant. Ex hac tamen parte fieri poteſt, vt petens quis vel acceptans ſacramẽtum ab improbo vel infideli miniſtro, grauiter peccat, eoquè ipſo ponat obicem gratiæ: & ſic ſacramentum in illo erit validum & informe, ideſt carens effectu gratiæ. Hoc tamen continget directè quidem ex defectu & culpa ſuſcipientis, quamuis indirectè & remotè ex indignitate miniſtri, quatenus eſt occaſio peccati alterius cum illo communicantis. Quando autem liceat aut non liceat ſuſcipere ſacramentum de manu impij miniſtri, ſeparatim poſtea videbimus.

Nec datur maior effectus ex meliore miniſtro.

Quarto præterea. Benè S. Tho. art. 1 ad 2. addit, nec etiam meliorem effectum ſacramenti dari per meliorem miniſtrum. Itaquè quantum ad hunc effectum, pér accidens ſe habet maior aut minor probitas miniſtri. Idem alij Patres docent, & colligitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 1. & 3. Et ratio eſt clara: quia effectus ſacramenti non datur ex merito miniſtri, ſed Chriſti. Concedit tamen S. Tho., impetrari poſſe aliquid annexum effectui ſacramenti ex merito & deuotione miniſtri. Et Caietan. hoc intelligit, quod maior gratia conferatur ob maiorem ſanctitatem miniſtri. Verùm, duo circa hoc dicenda ſunt. Vnum eſt, hoc non eſſe peculiare in ſacramenti miniſtro; ſed commune, quatenus propter orationes & merita iuſtorum, ſolet Deus alicui dona ſuæ gratiæ elargiri. Alterum eſt, hoc modo dari quidem à Deo auxilia gratię, quibus mediantibus poſſit quis recipiẽs talia auxilia, vlteriorem gratiam ſanctificantem & gloriam promereri: non tamen dari immediate ob interceſſionem alterius ipſam gratiam ſanctificantem, ſeu aliquem eius gradum. Nam ex cõmuni lege Dei, gratia ſanctificans non confertur, niſi vel ex opere operato per ſacramenta, vel ex opere operantis per contritionem & merita condigna eiuſdem hominis cui infunditur gratia. Paruulis ergo, qui non ſunt tunc capaces aliorum auxiliorum ad operandum, nec poſſunt ſuis actibus gratiam promereri, Deus non dat gratiam niſi iuxta virtutem & efficaciam ſacramenti. Ratio autem diſparitatis, quare Deus non det intuitu melioris miniſtri maiorem gra-

tiam

Digitized by Google

tiam ſanctificantem, ſicut interdum dat maiora auxilia, (quam diſparitatem Caietanus inquirit) eſt manifeſta: quoniam auxilia gratiæ paſſim ſolet Deus ipſe ex ſe elargiri: non ergo mirum ſi ob orationes & interceſſiones alterius abũdantiùs largiatur: ſed gratiam ſanctificantem, non niſi ea ratione qua dictum eſt, ſolet infundere.

Requiritur probitas miniſtri ad licitè conficiendum ſacramentum.

Dico ſecundò. Requiritur fides & probitas miniſtri ad licitè conficiendum & conferendum ſacramentum: ita vt qui cũ conſcientia mortalis peccati miniſtrat, in hoc peccet mortaliter peccato ſacrilegij. Ita S. Thomas art.6., & alij omnes. Probari ſolet primò ex Sacris Canonibus, Pontificibus, & Patribus. Cap. *Sacroſancta* 1. q.1., quod ſumptum eſt ex Gelaſio Papa in Epiſt. ad Elpidiũ. Cap. *Neceſſe* eadẽ cauſa & quæſt, quod ſumptum eſt ex Gregorio magno lib. 2. Epiſtolarũ Epiſt. 24 Cap. vltimo de Tẽpor. ordinat., & cap vlt. de Cohabit. Clericor., quæ ſumpta ſunt ex Gregorio nono. Item decreto quodam Nicolai Papæ titulo 11 cap. 5. in tomo 3. Concilior. Doctrina etiam Dionyſij cap. 1. de Eccleſiaſt. Hierarch. & Epiſt. 8., Auguſtini lib 2. cont. Epiſt. Parmeniani cap. 10. & lib 4. de Trinit. cap.14, & aliorũ. Aliqui tamen non recipiunt omnia vel aliqua ex his teſtimonijs ad hanc veritatem comprobandam. Cenſetur quoque manaſſe primæua traditione à Chriſto & Apoſtolis. Quare hoc non reputatur humanum & eccleſiaſticum præceptum: ſed ad minùs diuinum Chriſti.

Secundò probatur præcipuè ratione, ex ipſa inſtitutione & virtute ſacramenti. Cùm enim miniſter in hoc ſacro officio agat vice & nomine Chriſti, exerceat opus diuinum per ſe ordinatum ad ſanctificandam animam, ad conferendã ſanctificantem gratiam: non debet tàm ſanctum miniſterium iniqua conſcientia vſurpare: & alioqui grauem irreuerentiam & iniuriam irrogat ſacramento, ſeque proinde ſacrilegij reum facit. Vnde, ſuppoſita hac ſacramentorum inſtitutione, hoc præceptum cenſetur etiam & dicitur naturale: non vtique ad differentiam præcepti ſupernaturalis, ſed ad differentiam præcepti merè poſitiui.

Non tamẽ requiritur præuia confeſſio.

Tertiò. Hinc dixerunt aliqui, miniſtrum antequam conferat ſacramentũ, ſi habeat conſcientiam peccati mortalis, teneri præmittere confeſſionem, nec ſatisfacere ſuæ obligationi per ſolam contritionem. Ita Adrian. in 4. q. 3. de Confeſs., & Marſil. in 4. q.12. art.1. par. 5. caſu 6. Communis tamen & prorſus tuta ſententia eſt, ſatis eſſe, ſi miniſter ſtudeat per actum perfectæ cõtritionis ſe reponere in gratia: quia nempe huiuſmodi contritiò eſt medium ſufficiens, cum voto ſcilicet explicito vel implicito confeſſionis, ad obtinendam ſtatum iuſtificationem à mortali peccato: ſed miniſter non tenetur ad aliud, quàm ne conferat ſacramentum in ſtatu iniquæ conſcientiæ, nec de reliquo extat peculiare præceptum, vt ſe præparet per confeſſionem: ergo benè ſatisfaciet ſuæ obligationi, ſiue confiteatur, ſiue conteratur, ante miniſterium ſacramẽti. Niſi quod ſpecialiter ad celebrandam Miſſam in qua conficitur Euchariſtia, tenetur Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, præmittere confeſſionem: non tamen ex eo formaliter quod conficere debet ſacramentum, ſed ex eo præcisè quod etiam ſuſcipere debet, ſumendo corpus & ſanguinem Domini: quia ſpecialiter ad ſuſcipiendã Euchariſtiam tenentur omnes Fideles exiſtentes in peccato, ſe expiare per præuiam confeſſionem, & nõ per ſolam contritionem, vt ſuo loco dicemus.

Non requiritur ſtatus gratiæ in miniſtro non conſecrato.

Quarto. Hinc etiam contendunt aliqui, non ſolùm miniſtrum ex officio conſecratum, ſed etiam quemcunque alium exercentem hoc miniſterium, teneri ex hoc capite eſſe in gratia. Et ita defendit hoc loco Vaſq. diſp. 136. cap. 3., ſequuntur Cartagena diſp. 6. difficul. 5., & Lugus diſp. 8. ſect. 9. Id tamen non videtur neceſſarium. Sed ſatis eſt dicere, miniſtrum per ſe cõſecratum ad hoc, quando illud officium, teneri eſſe in gratia quando illud exercet: & alioqui non teneri hac obligatione. Quia quæ adducta ſunt pro hac miniſtrum, ſpecialiter attingunt ... indicat S. per ſe conſecratum. Et ita ... plures Thomas hic art.6. ad 3., alij ... defendunt. Sed hæc adminiſtratio ſacramenti à miniſtro non conſecrato, ſcilicet in contingit niſi in duobus caſibus:

Nun

in Baptiſmo, quando vrgente neceſſitate priuatim confertur. Et ſemper in Matrimonio quod inter virum & fœminam contrahitur. & non ſolùm ab iis ſuſcipitur, & ex hoc capite requirit in iis ſtatum gratiæ: ſed etiam tanquam proprijs eius miniſtris in quos non cadit conſecratio celebratur. Ideo iiſdem in locis ſeparatim circa hæc duo ſacramenta id iterum attingemus.

Nec ad præbendū, ſtatū gratiæ in miniſtro non conſecrato

Quinto: In quodam caſu, miniſter conficit tantùm & alteri præbet, ſed non tunc conficit ſacramentum; nempe quando Sacerdos extra Miſſam præbet alijs Euchariſtiam ex hoſtijs iam antea conſecratis. Vel tangit tantùm ad reponendum, aut defert de loco ad locum, vt præſertim in Sacris Proceſſionibus. Tunc quam plures ſentiunt, vel ſupponunt, non minus teneri Sacerdotem eſſe in gratia, & ſaltem per contritionem debere ſe à peccatis mortalibus expurgare, quàm dum de nouo conficit quodcumque ſacramentum. Aliqui tamen eximunt Sacerdotem in hoc miniſterio ab huiuſmodi graui obligatione. Sed quia hæc eſt res particularis in ſolo ſacramento Euchariſtiæ, quod permanet in facto eſt, & poſt factum alijs exhibetur: ideo etiam in proprio loco definienda erit.

Requiritur ad omnem partem ſubſtantialem ſacramentis

Sexto: Quia ſacramentum ſucceſſiuè conficitur; ſiquidem verba cum ſucceſſione proferuntur, & in quibuſdam actio etiam materialis eſt ſucceſſiua, vt ablutio, vnctio: ac etiam inter materiam ipſam & formam poteſt eſſe aliqua modica ſucceſſio: Hinc videri poteſt, ſatis eſſe, ſi miniſter ſtudeat actum contritionis elicere antequam perficiat totum ſacramentum, nec teneri in omni parte ſacramenti & ſtatim ac illud inchoare vult, ſe conſtituere prius in gratia: quia nimirum gratiam ſacramentalem non conferet niſi in fine & complemento ſacramenti. Sed tamen abſque hæſitatione & diſtinctione dici debet, teneri miniſtrum ante inchoationem ſacramenti, quoad quamcunque partem eſſentialem eius, ſe reponere in gratia. Quia certè omnis & tota actio ſubſtantialis ſacramenti, eſt eodem modo diuina & ſancta, ac per ſe inſtituta ad ſanctificandam animam. Quare licet non conferat gratiam niſi in vltimo ſuo complemento: tamen etiam dum exercetur & inchoatur, non niſi à miniſtro ſancto exerceri debet, & ſic obligat illum vt ſit in gratia. Et ita videntur omnes ſupponere, dum abſolutè damnant ſacrilegij miniſtrantem in peccato mortali. Niſi quod dubitatur, an teneatur Sacerdos, non ſolùm quando abſoluit, ſed antecedenter dum confeſſionem excipit, aut etiam dum ſatisfactionē imponit, præſſe in gratia. vel ſatis ſit ſi ante abſolutionem cõteratur: eo quod confeſſio magis eſt actus pœnitentis quàm Confeſſarij, & impoſitio ſatisfactionis eſt pars integralis, non verò eſſentialis ſacramenti. Quod etiam dubium, cum ſit peculiare circa obligationem Confeſſarij, in proprium tractatum remittimus.

An requiratur ad alias ſacras actiones.

Poſtremò, Quia præter ſacramentorum adminiſtrationem, extant aliæ ſacræ actiones, quæ à miniſtris conſecratis fiunt: vtpote aliæ cæremoniæ quæ adhibentur circa ipſa ſacramenta, vt in conferendo Baptiſmo, Ordine, & ſimilibus: miniſterium Clericorum in ſuis ordinibus infra Sacerdotium: functiones Sacerdotum aut aliorum Clericorum in benedicendis varijs rebus, in exercendis certis ſolemnitatibus in Choro vel in Eccleſia, vt in canendis orationibus, alijſque ſacris ritibus peragendis: functiones etiam pontificales Epiſcoporum, in conferenda prima tonſura, in benedicendis & conſecrandis Eccleſiaſticis indumentis, vaſis, altaribus, templis, in conficiendis ſacris oleis, Chriſmatis & Infirmorum & Cathecumenorum, & alijs ſimilibus actionibus. De his nunquam omnibus actionibus, aliqui opinati ſunt, debere ex graui obligatione, & ſub reatu noui peccati mortalis, non niſi in ſtatu gratiæ exerceri. Ita indicant Caiet. 2.2. q. 60. art. 2. Syluester in ſum. verbo *Clericus* 1. Angelus verbo *Clericus* 8. Nauarr. in ſumma cap. 27 num. 163. & de Horis canonicis cap. 11. num. 4. Philippus Faber in 4. d. 20. q. 1. diſp. 1. cap. 3. num. 82. Quia ſancta ſanctè tractanda ſunt. Et videtur ita decreuiſſe Gregorius nonus cap. vlt. de Tempor. Ordin. Addunt Caietan. hac q. art. 6. §. *Hanc doctrinam*, & 2.2. q. 187. art. 3. &c.

& in

& in ſumma verbo *Prædicatorum peccata*, Nauar in ſum. cap. 21. num. 141., Angelus verbo *Prædicator*, num. 7.; Paludan. in 4. d. 19 q 3. art. 3.; & fauet S. Tho. eadem diſt. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4.; teneri etiam Concionatores in exercendo prædicationis officio eſſe in gratia; & alioqui peccare mortaliter. Quod Caietan reducit etiam ad munus Epiſcopale ex inſtitutione Chriſti, & Sacerdotale ex inſtitutione & conceſſione Eccleſiæ.

Aliqui verò cum diſtinctione docent, ad quoſdam ſolùm ex dictis actibus ſacris, teneri miniſtrum eſſe in ſtatu gratiæ. Ad actus Maiorum ordinum, incipiendo à Subdiaconatu, & ad actus Epiſcopales, affirmat Syluius hac q. art. 6. quæſito 1. concl. 5., Cabrera eod. art. diſp. 1. § 8. num. 48., Nugnus difficul. 2. concl. 3. Ioannes Medina Cod. de Pœnit. tract. 1. q. 6. § *Eſſet etiam*; Emanuel Sa in ſumma verbo *Ordo* num. 31., & quidam alij: Eo quòd hi actus maiorum ordinum, vtpote miniſterium Subdiaconi & Diaconi, proxime accedunt ad Sacroſanctum Euchariſtiæ myſterium: & actus Epiſcopales ſunt maximæ dignitatis in Eccleſia. Et ſaltem ad frequentiam horum actuum hanc obligationem admittit Filliucius tomo 1. tract. 1. cap. 6. num. 87. Quia frequenter eos exercere in ſtatu peccati, non eſſet abſque formali vel virtuali contemptu. Aliqui verò, relicto etiam Subdiaconatu, à miniſterio Diaconi hanc obligationem inchoant, vt refert Vaſq. diſp. 136. num. 50. Aliqui relicto quoque Diaconatu, ad ſolos actus Sacerdotales & Epiſcopales. Et Lugo hic diſp. 8 ſect. 9. num. 156. ad ſolam conſecrationem Chriſmatis & Olei infirmorum: eo quòd hæc ſacra olea ſint materia neceſſaria Sacramentorum Confirmationis & Extremæ vnctionis; & conſecratio Epiſcopalis ſit de neceſſitate & ſubſtantia, quare ſuo modo concurrit ad effectum horum ſacramentorum.

Non videtur requiri ſub reatu peccati mortalis, ſed venialis.

Sed in vniuerſum potiùs dicendum eſt, ad nullos huiuſmodi ſacros actus extare talem obligationem, atq; adeo non peccare mortaliter ex hac parte miniſtrum, eos exercentem in ſtatu peccati mortalis: ſecluſo ſcilicet contemptu & ſcandalo. Ita ſtatuunt ac defendunt Suarez hic diſp. 16. ſect. 3., Vaſq. diſp. 136. cap. 4., Conink præſenti quæſt. art. 6. dub. 1. num. 38., Valentia diſp. 9. q. 1. puncto 4., Heredia de Sacramentis in gen. par. 10. dub. 3. num. 4., Villalobos in ſum. tomo 1. tract. 4. difficul. 10. num. 7., Diana par. 3. tract. 4. reſol. 195. & duabus ſequentibus & tract. 6. reſol. 67., & alij plures. Quia non habetur ſufficiens fundamentum ad imponendam huiuſmodi obligationem, ſicut in propria ſacramentorum adminiſtratione. Et Vaſq. contendit, nec etiam eſſe veniale peccatum, exercere tales actus in ſtatu peccati mortalis. Alijs tamen ſolent admittere ſaltem veniale peccatum. Et hoc quidem ſuadere videntur ea quæ pro tali obligatione indicata ſunt. Sic ſancta ſanctè tractari debent: pro diuerſitate tamen miniſterij, ſacramenta quidem ſub reatu peccati mortalis, alia tamen ſacra officia ſub reatu peccati venialis. Et ſic debet intelligi decretum Gregorij noni. Et hæc obligatio ſub veniali poteſt etiam ad officium prædicationis extendi. Et rurſus inter Sacros Ordinum actus, quo magis ſublimiores ſunt, eo grauior erit hæc venialis culpa, quia maior irreuerentia: & ſimiliter quo frequentior abuſus, quia maior contumacia. Sed non per hoc ſola frequentia conſtituet contemptum. Et ſimiliter in genere venialis culpæ, maxima erit Epiſcopi conficientis Chriſma & Oleum infirmorum in ſtatu peccati. Sed non videtur attingere gradum peccati mortalis; quia hoc miniſterium remotè ſolùm concurrit ad effectum ſacramenti & ſanctificationem animæ; nempe tanquam præparatio materiæ; quamuis neceſſariæ. Additque Diana ibi tract. 6. reſol. 67., nec etiam peccare mortaliter Epiſcopum conferentem minores Ordines in ſtatu peccati. Pro qua parte fruſtrà refert quoſdam, qui ſolùm dixerunt, non peccare mortaliter ipſos Clericos exercentes functiones minorum Ordinum in ſtatu peccati. Et ſupponendo, minores Ordines habere rationem ſacramenti, vt ſuo loco tractabimus; ita ſanè Epiſcopus illos conferens, ſicut Clericus ſuſcipiens tenetur

Quædam auctoritates explicantur, & validitas ſacramenti defenditur.

tur ſub mortali eſſe in gratia.

Iam contra primam concluſionem obijciuntur quædam auctoritates. Eccleſiaſtici 34., *Ab immundo quid mundabitur?* Quare prauus miniſter non poterit conferre gratiam mundantem & ſanctificantem a peccatis, non poterit conferre validum ſacramentum habens vim ad huiuſmodi effectum. Ioannis 20., *Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis.* Quare ſimiliter, miniſter non habens Spiritum ſanctum, non poterit peccata remittere. In Canone 45. & 46 Apoſtolorum iubebatur, non admitti Baptiſmum & ſacrificium Hæreticorum, ſed repeti Baptiſmum. Et ſimiliter à Clemente primo lib. 6. Apoſtolicar. conſtit. cap. 15. In Concil. Niceno can. 19 iubebatur, rebaptizari Hæreticos venientes ad Eccleſiam ex ſecta Pauli Samoſateni. Athanaſ. in ſerm. 3. contra Arianos, Ieronym. in Dialogo cõtra Luciferian., Ambroſ. lib. de iis qui myſterijs initiantur cap. 4., & Leo primus Epiſt. 77. dixerunt, Baptiſmum Hæreticorum eſſe inutilem, non prodeſſe, non ſanctificare, & potiùs polluere quàm mundare animam. Demum in Concil. quodam Aphricano in ſententiam Cypriani decretum fuit, vt baptizati ab Hæreticis deberent denuò Baptizari, eo quòd ille Baptiſmus non valeret.

Reſpondetur. Immundum ſuis prauis moribus, exemplis, & conſilijs, vtique non mundare, ſed inficere ſuos ſequaces. Et de hoc ſolùm loquebatur Eccleſiaſticus, & non vtique de noſtris ſacramentis, quibus mediantibus poteſt fieri, vt etiam immundus & impius, non quidem virtute ſua, ſed virtute diuina, tanquam miniſter concurrat ad conferendam gratiam mundantem & ſanctificantem. Et impius etiam miniſter, habet aſſiſtentiam Spiritus ſancti ad remittenda aliorum peccata, quantum ſcilicet ad poteſtatem Ordinis, non quantum ad gratiam ſanctificantem: & hæc poteſtas, non autem gratia, eſt neceſſaria in miniſtro ad hũc effectum. Sed etiam quando miniſter ordinatur, recipit per ſacramentum Ordinis gratiam Spiritus ſancti, ſi non ponat obicem. Quòd ſi hanc ex ſuo defectu non recipiat, vel receptam ſuis poſtea peccatis amittat, adhuc retinet characterem & poteſtatem Ordinis, vt valide poſſit alijs abſolutionem à peccatis impendere, & ſacramenta alia miniſtrare. Quando autem prauus miniſter non ſeruat ritum ſubſtantialem ſacramenti; tunc ſanè non valet ſacramentum, & eſt repetendum. De quo planè caſu ſermo erat in Canonibus Apoſtolorum, & apud Clementem, & in Concilio Niceno, & interdum apud alios Patres. Et rurſus quando quis ſua ſponte ſuſcipere vult ſacramẽtum à miniſtro impio & hæretico, communicans & conſentiens cum illo; quamuis ſacramentum valeat ſeruatis ritibus neceſſarijs; atque adeo imprimat characterem; tamen pro tunc non confert gratiam, quia inuenit obicem in ſuſcipiente, eumque potiùs grauat noui delicti & ſacrilegij in tali ſuſceptione. Et hoc etiam docuerunt Patres, & nos poſtea tractabimus. Concilium demum illud Aphricanum cum Cypriano oppoſitam ſententiam tenuit, quando res non erat adeo dilucidata & definita, nec pertinaciter contra definitionem Eccleſiæ Catholicæ & Sedis Apoſtolicæ retinuit, ſed D. Auguſt. Epiſt. 48. indicat, Cyprianum ante mortem reuocaſſe ſententiam, & proprio cruore per Martyrium illam maculam diluiſſe. Et D. Ieronym. in Dialogo contra Luciferianos idem de alijs Epiſcopis Aphricæ Cypriani ſocijs atteſtatur.

Cæterùm, hactenus de ſolis ſacramentis nouæ legis loquuti ſumus: An verò etiam ad conferenda vetera ſacramenta eſſent neceſſariæ hæ conditiones in miniſtro, quia ſpecialiter debet inquiri da ſacramento circumciſionis, & remedio legis naturæ, in quantũ habebat vim iuſtificandi; commodiùs ad proprium locum ſub quæſt. 70. per reductionem ad Baptiſmum remittimus.

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Quæ & qualis Iuriſdictio requiratur in Sacramentorum Miniſtro, An ſufficiat putatiua.

QVia, vt ſect. 2. notauimus, requiritur in ſacramentorum miniſtro peculiaris ad hoc exercitium iuriſdictio, vel ordinaria, vel delegata; & in quibuſdam ſacramentis requiritur ad valorem: hoc communi loco attingenda eſt, inquantum ad plura ſacramenta communis, remittendo de reliquo ad proprios ſacramentorum tractatus, inquantum varia & peculiaris ad ſingula determinatur. Ac præſertim quæritur, num in ijs ſacramentis in quibus requiritur ad valorem, non ſolùm ſufficiat vera & ſubſiſtens iuriſdictio, ſed etiam putatiua & apparens cùm reuera non adſit. Quæ quidem falſa exiſtimatio pluribus modis contingere poteſt: ſi nempe quis fingat ſe legitimum miniſtrum, cùm reuera non ſit, & ita alios decipiat: vel ſi acceperit à Superiore tale officium & miniſterium, cùm tamen non eſſet eius capax: vel ſi poſt acceptum à ſuperiore amiſerit, idque adhuc alios lateat.

Ex iure ſufficit putatiua. In quibuſdam ergo iuribus deciſum eſt, interdum valere actus factos ex iuriſdictione putatiua & non vera. In iure ciuili l. *Barbarius* ff. de Officio Prætoris, & l. 2. Cod. de Sentent. & interloquut., vbi definitur, valere actus iudiciales factos a ſeruo fungente officio Prætoris: quamuis ſcilicet ſeruus eſſet alioqui incapax talis auctoritatis. Et in iure canonico cap *Infamis* 3. q. 7, vbi ſimiliter dicitur: *Si ſeruus dum putaretur liber, ex delegatione ſententiam dederit, ſententia ab eo dicta res iudicata firmitatem tenet*. Et cap. *Ad probandum* de ſentent. excommun., reprobatur ſententia lata ab excommunicato publico, non aut ab occulto. Hinc ſumitur etiam regula ad ſacramẽtorum adminiſtrationem, vt valere poſſit ex iuriſdictione ſolùm putatiua, quamuis nõ vera. Quod per varios caſus diſtinguendum & examinandum eſt.

Nõ tamen ſufficit, quando error eſt tantùm particularis. Primò; videri poteſt, quandocunque quis ſuſcipiens ſacramentum, putat miniſtrum eſſe legitimè deputatum, & habere ſufficientem iuriſdictionem, & ex hoc errore, abſque culpa, & bona fide accedit, valere ſacramentum: vtpote validè abſolui, validè contrahere matrimonium. Quia congruum videtur, vt Eccleſia tunc ſuppleat defectũ, & in fauorem ipſius ſuſcipientis, ne fraudetur abſolutionis fructu, ne priuetur matrimonij beneficio, cenſeatur conferre iuriſdictionem neceſſariam miniſtro. Certum tamen & exploratum eſt, non ſemper talem exiſtimationem ſufficere, ſed potiùs quandocunque eſt error priuatus talis perſonæ, & non publicus populi, non valere geſta à tali miniſtro, non valere ſacramentum ab illo miniſtratum. Ita omnes docent vel ſupponunt. Et patet: quia dicta iura ad ſummum conualidant actus factos à miniſtro reputato legitimo, quando talis exiſtimatio & error eſt communis populi, & non quando eſt ſolùm alicuius priuatæ perſonæ. Quare ſi Sacerdos quiſpiam priuatim decipiat alterum, dicens, ſe eſſe eius Epiſcopum, aut Parochum, vel ſe habere facultatẽ audiendi eius confeſſionem, aſſiſtendi eius matrimonio: nequaquam hæc ſacramenta valebunt, ſed erunt omnino repetenda ſub legitimo miniſtro. Neque congruum erat, vt Eccleſia ſuppleret hunc defectum ex priuato errore profectum, & vt ita faueret ſuſcipienti, quòd eo ipſo veram iuriſdictionem miniſtro conferret. Quod à fortiori ex ſequenti concluſione conſtabit.

Nec quandocunque miniſter ... omnis error. Secundò, videri poteſt, valere geſta facta & ſacramenta adminiſtrata à miniſtro ex iuriſdictione putatiua, quandocunque ſaltem exiſtimatio & error eſt communis populi, etiam ſi talis miniſter non ſit à ſuperiore conſtitutus, ſed ipſe non acceperit ab eo titulum, ſed legitimũ ſe intrudat, & fingat eſſe miniſtrum: vtpote ſi quis falſis litteris iactet ſe Parochum vel delegatum ad ſacramenta miniſtranda. Et ita indicat Abbas in Clement. Dudum de Sepul. tur., dicens valere abſolutionem datam confitenti bona fide, ab eo qui ſe finxit deputatum ad confeſſiones audiendas. Et

Et alij ſunt qui docent, valere alios actus factos ab ijs qui ſe finxerint legitimos miniſtros. Et ita defendit Baſilius Pontius lib. 5. de Matrim. cap. 20. Adhæret Ioannes Sancius in Selectis diſp. 44. num. 3., & probabile cenſet Diana par. 2. tract. 16. reſolut. 43. Sed certum etiam videtur, non valere, quamuis exiſtimatio & error ſit communis populi, quando talis miniſter non fuerit à ſuperiore legitimo conſtitutus, & ab eo titulum acceperit. Hæc eſt communis Theologorum ac Iuriſtarum ſententia, vt refert & atteſtatur Thomas Sáchez lib. 3. de Matrim diſp. 22. q 5., dicens, oppoſitum non eſſe probabile. Sequuntur Coninck de Pœnit. diſp. 8. dub. 3. & de Matrim. diſp. 27. dub. 2., Salas 1. 2. tract. de legib. diſp. 10. ſect. 3., Gutierez in Quæſt. Canonicis cap. 62. num. 26., Auila de Cenſuris par. 2. cap. 6. diſp. 7. dub. 7., Bonacina de Matrim. q. 2. puncto 8. num. 25., Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 29. dub. 8. nu. 68., Reginald. tom. 1. lib. 1. num. 102., Filluc. tomo 1. tract. 7. cap. 9. nu. 227., Fagundez de Præcept. Eccl lib. 7. cap. 2. num. 73., Valerus de Differ. vtriuſq; fori, verbo *Nullitas* differ. 7. num. 2. Et patet: quia iura conualidantia actus factos ex iuriſdictione putatiua, loquuntur ſolum, quando ea appareat à ſuperiore collata. Sic enim eo cap. *Infamis* dicebatur. *Si ſeruus dum putaretur liber, ex delegatione ſententiam daret*, Et ſimiliter in l. *Barbarius* ſermo erat de ſeruo conſtituto à Romano Populo in officio Prætoris. Si ergo quis nullatenus à ſuperiore deputatus, ſeméť intrudat, & fingat quaſi eſſet deputatus, nullo modo eius geſta hoc validationis beneficio gaudent. Quare debet etiam deputatio eſſe facta à vero & legitimo ſuperiore, habenteque poteſtatem deputandi: quia de hoc ſolo citata iura loquuntur. Et alioqui ſi deputatio non ſit facta à legitimo ſuperiore, vel à ſuperiore non habente talem poteſtaté deputandi: perinde ſe habet, ac ſi non eſſet facta.

Niſi quòd ſi talis ſuperior deputatus, fuiſſet quidem electus ad ſuum officiũ ab alio maiori, & legitimo ſuperiore, ſed tamen eius electio ob ipſius incapa-

citatem eſſet nulla, & commun
reputaretur valida; tunc depu
illo facta valeret iuxta ſequent
ctrinam: & ita alter ab eo dep
eſſet legitimus miniſter, vt eius
valeant. Qua ratione, Parochu
trudens, aut à non legitimo E
electus, nulliter exercet actus
rentes iuriſdictionem ad ſui valo
nulliter deputaret alterum Vi
chum, & nulli etiam eſſent ſim
tus qui fierent ab hoc Vicepa
Parochus tamen electus à l
Epiſcopo, ſed nulliter ob aliqu
incapacitatem, communi error
tam; ſicut validè per ſe ſuos act
ceret, ita etiam validè Vicepar
deputaret, qui proinde validos
actus efficeret.

Tertio, videri poteſt, valere g
cta, & ſacramenta adminiſtrat
niſtro ex facultate putatiua, q
cunque is fuerit à legitimo Su
poteſtatem habente electus,
cunque capite eius incapacitas
niat, etiam ſi ex aliqua inhabili
iure diuino. Ità opinatus eſt laſ
Barbarius num. 63. & 64., dicen
lere abſolutionem datam ab co
fiſtione & communi errore pop
putatur Sacerdos cùm nõ ſit; &
geſta facta à femina, quæ comm
rore reputata vir fuiſſet ad Põtif
aſſumpta: Per ſe tamen certum
tet, non valere quæcunque fian
niſtro inhabili iure diuino, quam
communem errorem reputato
Etenim humana iura poterant
ſupplere illos defectus, qui ex
dé iurium diſpoſitione inducti
nullo modo illos defectus & inh
tes, quæ ſuperiori iure fundantu
re cùm Ordo ſacerdotalis iure
ſupponatur in miniſtro vt poſſi
uere à peccatis; nullatenus vale
ſolutio data à non Sacerdote,
uaret communis error. Item,
iure diuino non niſi vir ſit ha
eccleſiaſticã ordinationem & p
tem, nullatenus valerent geſta
minam communi errore aſſumpt
ſic in omni alio ſimili caſu.

Quarto deinde, ex alia parte
poteſt, nunquam valere geſta fa

fa

Digitized by Google

Iuriſdictio putatiua ad valorẽ ſacramentorum.

ſacramenta adminiſtrata ex iuriſdictione putatiua, quamuis communi errore & per titulum à legitimo Superiore collatum exiſtimetur quis legitimus miniſter: Quia dum ſupponitur requiri iuriſdictio ad valorem talium actuum, in eo miniſtro reuera non adeſt, quamuis putetur adeſſe. Et ea iura quæ videbãtur in tali caſu ſuccurrere, & ob communem vtilitatem conferre iuriſdictionem, loquuntur ſolum in foro externo & certis caſibus, non in foro interno & ſacramentorum adminiſtratione. At tamen certa res eſt, valere etiam in foro interno, talia geſta & ſacramenta adminiſtrata. Ita ſtatuunt Paludan. in 4. d. 17. q. 6. art. 2. & 3., Palat. in 3. d. 17. diſp. 7., Caiet. in ſum. verbo *Confeſſionis iteratio* & verbo *Abſolutionis impedimenta*, Sylueſter verbo *Confeſſio* 1. q. 19., Angelus eodem verbo 4. num. 12., Tabiena & Armilla verbo *Abſolutio*, Nauarr. cap. 9 num. 11., Petr. Soto lect. 6. de Confeſſ., Ioann. Medina Cod. de Pœnit. quæſt. de Confeſſione Confeſſori excommunicato ſcienter facta, Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 5. num. 2. & cap. 7. num. 2., Sanchez lib. 3. de Matrimon. diſp. 22. q. 1., Bonac. q. 2. puncto 8., Pontius lib. 5. cap. 19., Aragon. 2. 2. q. 60. art. 6., Innocent., Hoſtienſ., Abbas, Cardinal. in cap. *Dudum* 2. de Electione, aliique communiter. Et fundamentum eſt: quia in fauorem communitatis, ob publicum errorem, & ob titulum collatum à legitimo Superiore, & ad euitanda grauiſſima incommoda & detrimenta; iura ipſa ſubueniunt, & in tali caſu veram iuriſdictionem conferunt, vt expreſſum eſt in iure canonico & ciuili. Siquidem cum inhabilitas & incapacitas ſimplex eſſet ſolo humano iure, de quo nunc loquimur, poteſt eodem humano iure tolli vel ſuſpendi ad hunc effectum. Quod non ſolum intelligitur quoad certos caſus & in foro externo, ſed abſolutè, ac etiam in foro interno, & quoad adminiſtrationem ipſorum ſacramentorum iuxta communem Doctorum interpretationem. Et quidem ſufficit communis populi error in eo loco vbi talis miniſter exercet officium: quamuis forte eius inhabilitas ſit nota in alio loco; Dummodo tamen communis error in illo loco, ſit iuſtus & rationabilis, & non craſſus ac irrationabilis. Dummodo etiam inhabilitas non ſit nota in alio loco ita propinquo, ex quo facilè potuiſſet deuenire in notitiam illius etiam loci. Quæ ſunt conditiones regulariter in communi errore contingent.

Siue miniſter agat vt ordinarius, ſiue vt delegatus.

Quintò hoc ſuppoſito, putarunt aliqui, valere tantum geſta à miniſtro ex iuriſdictione putatiua ordinaria, quando ſcilicet publico errore & titulo reputatur proprius paſtor: non autem valere geſta ex iuriſdictione ſolum delegata; quando hæc vera non eſt. Et aliqui hoc aſſerunt ſaltem quando delegatio data eſt ad vnum aut alium actum particularem, & non amplè ad omnes actus. Sed tamen etiam de iuriſdictione delegata intelligi debet, valere geſta à tali miniſtro ex publico errore. Ita de Confeſſario delegato affirmant Paludan. in 4. d. 17. q. 6. art. 2. num. 11., Sotus d. 1. q. 5. art. 6. concl. 5., Petr. Soto lect. 6. de Confeſſ., Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 6. num. 2., Caiet. in ſum. verbo *Abſolutionis impedimenta*, Nauarr. cap. 9. num. 10. Et de miniſtro delegato aſſiſtente ad matrimonium affirmant Pontius cap. 19. citato, Bonacina num. 30., & Sanchez diſp. cit. num. 61., etiam in caſu quo Laicus communi errore reputatus Sacerdos, de licentia Parochi aſſiſteret matrimonio; quamuis alioquin ex decreto Concilij ſolus Sacerdos ſit capax huiuſmodi licentiæ & delegationis. Et hoc totum ſumitur ex eodem Canone allegato, in quo ſermo erat de ſeruo qui per delegationem erat deputatus. Et ratio huius diſpoſitionis procedit tam in miniſtro delegato, quam ordinario. Ac etiam in delegato ad aliquem particularem actum; quia licet tunc intereſt ſolum alicui priuatæ perſonæ, tamen in vniuerſum intereſt Reipublicæ & communitati, vt valeant geſta à miniſtro ex delegatione, communi errore reputata valida.

Sextò. Si ſtante communi errore, aliquis particularis priuata ſcientia nouerit vera ſcientia, ſciat, miniſtrum non habere iuriſdictionem, adhuc aliqui conſecedunt poſſe

Dummodo ſuſpiciens ... miniſtrũ ... legitimum

Digitized by Google

poſſe ab illo validè ſuſcipere ſacramenta. Ita de omnibus geſtis affirmat Bonacina nu. 35. Et de matrimonio affirmat Sanchez eodem num. 61. Et de abſolutione ſacramentali, idem affirmat num. 46. quantum eſt ex parte iuriſdictionis, & niſi ex alia parte pœnitens peccet accedêdo ad talem miniſtrum, ſicut aiunt non peccare quando ex neceſſitate ad illum accederet. Attamen hoc non videtur admittendum. Et ita non valere abſolutionem datam à Confeſſario tolerato, reſpectu illius qui ſciat defectum, docent Palud. q. 6. cit. art. 1. concl. 4., Sylueſter verbo *Confeſſor* 1. num. vlt., Tabiena verbo *Confeſſio* 2. q. 23. Et alij plures idem tenent in vniuerſum de actibus factis à Iudice putatiuo, reſpectu eorum qui ſciant defectum. Et ſuadetur concluſio: quia iura fauere voluerunt bonæ fidei, quando miniſter reputatur legitimus & habere veram iuriſdictionem: quod non habet locum reſpectu eorũ qui nouerint defectum. Et ſicut dictum eſt, errorem craſſum & irrationabilem non ſufficere ad validandum actum, ita nec ſufficiet error aliorum, apud illum qui habeat veram inhabilitatis ſcientiam. Et alioqui planè abſurdum apparet dicere, poſſe ità conuenire & concordare inter ſe, Parochum aut delegatum inhabilem, & contrahere volentes matrimonium, vt ſcienter hi contrahant coram illo. Et quoad ſacramentum Pœnitentiæ, ſi neceſſitas pœnitentis talis ſit, vt poſſet etiam à ſimplici Sacerdote petere & recipere abſolutionem; tunc quidem aliunde Sacerdos pro tali caſu haberet veram Iuriſdictionem. Si autem non adſit talis neceſſitas, perinde illicitum erit pœnitenti accedere ad miniſtrum quem ſcit non habere veram iuriſdictionem, atque ad aliũ ſimplicem Sacerdotem: quare tàm ex defectu iuriſdictionis ſibi noto, quàm ex nouo peccato quod committeret, non reciperet validam abſolutionem.

An ſufficiat ſi miniſter iuriſdictionẽ amiſit.

Septimò. Quando miniſter ab initio habuit veram iuriſdictionem, vel ordinariam vel delegatam, ſed poſtea vel per reuocationem ſuperioris, vel in pœnam ſui delicti, vel quouis modo illam amiſit, publico tamen errore reputatur adhuc habere, aliqui volunt tunc non valere geſta per illum, nempe ac ſi illam nunquam habuiſſet: ſicut iam dicebamus non valere geſta per miniſtrũ qui non habuerit titulum à legitimo Superiore. Et aliqui hoc aſſerunt, ſaltem quando miniſter per Iudicis ſententiam fuerit ab officio depoſitus ſeu iuriſdictione priuatus. Et ita non valere abſolutionem datam à Parochis poſt Iudicis priuationem, quamuis cõmuniter ignoratam, tenent Sylueſter verbo *Confeſſor* 1. q. 19., Armilla verbo *Abſolutio* num. 30., & quidam alij. Eademquè ratio eſt de aſſiſtentia ad matrimonium. Et ſic de Parocho videtur expreſſum cap. *Dudum* 2. de Elect. Aliqui idem aſſerunt, quando quis per excommunicationem iuriſdictione priuatur. Et videtur expreſſum cap. *Aduerſus* de Immunit. Eccleſ. Et aliqui hoc reſtringunt ſaltem ad miniſtrum delegatum, qui non eſt Parochus. Atque adeo non valere abſolutionem datam à tali Confeſſario excommunicato, ſentiunt Angelus verbo *Confeſſio* 4. num. 12. Angles q. 3. de Confeſſ. art. 7. difficul. 9.

Sufficit, ſi communiter ignota ſit amiſſio.

Sed etiam in omni caſu amiſſionis, quandiù communi errore ignota ſit, putandum eſt geſta valere. Ita quoad ſacramentum Pœnitentiæ, quando Parochus priuationem incurrit, docent Abbas, Innocent., Hoſtienſ., Cardinal., & alij in idem cap. *Dudum*. Et quando etiam per ſententiam Iudicis priuatus fuerat, Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 6 num. 2. Et quando per excommunicationem remanet priuatus, Doctores communiter apud Sanchez diſ. 22. cit. q. 3. concl. 3. Ac etiam quando delegatus excommunicationem incurrit, Paludan. & alij quos ſupra pro concluſione quinta adduximus. Et in ordine ad ſacramentum matrimonij & pœnitentiæ, id totum confirmat Sanchez ibi & quæſt. 7. Suadetur: quia in tali caſu amiſſionis occultæ, cenſetur pariter ius ſupplere defectum, & conualidare actus qui ſub titulo legitimo antea à Superiore collato fiunt. Et donec talis amiſſio & priuatio in communitatis notitiam deducatur, non ſortitur effectum

Digitized by Google

ctum inualiditatis actuum: licet ſortiatur effectum prohibitionis, quo nō niſi illicitè & cum peccato, miniſter priuatus officio & facultate, adhuc continuaret in exercitio.

Etiam ſi amiſſio oriatur ex delicto & excommunicatione miniſtri.

Imo. Si amiſſio officij contingat ex delicto, cui impoſita ſit pœna priuationis ipſo facto incurrenda: etiam ſi res publica ſit, non tamen per Iudicis ſententiam inflicta ſit pœna poſt factum; ſuccedit alia doctrina, quod adhuc vt obliget in conſcientia, requirit ſententiam Iudicis, ſaltem declaratoriam facti, vt iam in generali tractauimus circa huiuſmodi pœnam humanæ legis, 1.2 q. 96. ſect. 3. Quare ex hoc etiam capite valebunt omnia geſta. Item, quando prouenit ratione excommunicationis: etiam ſi publica ſit, iam poſt decretum Martini quinti in Extrauag. *Ad euitanda*, non niſi in caſu notoriæ percuſſionis Clerici, vel publicæ denũciationis per ſententiam Iudicis, amittitur iuriſdictio. Et alioqui non redditur nec inualida, nec illicita, communicatio, ex parte aliorum cum excommunicato: licet ipſe excommunicatus ex parte ſua peccet ſe ingerendo. De qua re proprio loco de excommunicatione erit agendum. Sed ante illud decretum, in omni excommunicationis caſu habebat locum illa regula, vt cum publica excommunicationis atq; adeo priuationis notitia, non valerent geſta quæ fierent, ſed cum publica ignorantia valerent. Et poſt illud decretum, adhuc locum habet hæc regula, vt ſi excommunicatio publica in vno loco per iuridicam denunciationem, aut notoriam percuſſionem Clerici, ſit ignota in alio loco diſtanti, valeant geſta in hoc alio loco. Et fortaſſe quoad hoc, etiam ſi quis priuatim haberet eius notitiam, poſſet frui hoc beneficio, vt ſuo loco videbimus. Quamuis alioqui, is qui priuatim ſciret inhabilitatem antecedentem miniſtri, ob quam tituli collatio ſit reuera inualida, non participaret conualidationis beneficio ob publicam ignorantiam inhabilitatis, vt ſupra dicebamus. Sed ſpecialiter quoad matrimonium, poſſe ſimpliciter validè cōtrahi, etiam coram miniſtro excommunicato vitando, eo quia miniſter non concurrit propoſitè tanquam iuriſdictionem exercens, ſed potiùs tanquam teſtis ex officio aut delegatione, ſuo loco de Matrimonio dicemus.

In capite vero *Dudum*, ſermo erat de Parocho, qui per ſententiam Iudicis depoſitus & priuatus fuerat, idque notum in populo erat: & ſic geſta per illum, dicuntur non habuiſſe valorem. In cap. *Aduerſus* explicabatur ius excommunicationis, quæ per ſe de iure antiquo iuriſdictione priuabat, & geſta ab excommunicato reddebat nulla & irrita. Sed idipſum limitandum erat, dummodo non ſuffragaretur communis error & ignorantia. At poſt decretum Martini quinti limitatur, dummodo excommunicatio ſit publica in tali loco per denunciationem Iudicis, aut per notoriam percuſſionem Clerici, vt dictum eſt.

Non videtur ſufficere poſt ipſum tempus limitatum iuriſdictionis.

Octauò. Si miniſter deputatus fuerit ad certum ac determinatum tempus, & poſtea elapſo tali tempore, adhuc communi errore populi putetur in eo munere perdurare, valere ab eo geſta, & ſpecialiter abſolutionem datam à Confeſſario poſt tempus pro quo fuerat approbatus, concedit Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 6. num. 2. in commento littera L, & Pontius cap. 19. cit. num. 16. Hoc tamen non videtur admittendum: quia cùm miniſter nullatenus acceperit auctoritatem pro eo ſubſequenti tempore, nec vere, nec apparenter; idem eſt reſpectu eius temporis, ac ſi nunquam eam habuiſſet. Quare ſicut diximus non valere geſta ab eo qui ſimpliciter titulum nec apparenter accepit: ita non videntur valere, quando accepit ſolùm ad certum tempus, & nullatenus pro alio ſubſequenti tempore. Et ita aduertit Bonacina q. 2. de Matrim. puncto 8. num. 29.

Nonò. Si quis à legitimo ſuperiore ſufficienter ad talia ſacramenta miniſtranda deputetur, ſed ſuperior non ex animo, ſed ſolùm ficte & cum tali intentione faciat eam externis verbis aut ſignis deputationem, vtpote ad audiendas confeſſiones, ad aſſiſtendum matrimonio; non valere talia ſacramenta ſentit Petr. Ledeſma de Matrim. q. ... dub. 4. Ceuall. q. 6 ... puncto 3.

Ooo

Digitized by Google

num. 121. & Ioann. Medina Cod. de Pœnit. tract. 2. de Confeſs. q. de Multiplici licentia alieno confitendi. Sed admittendum videtur valere, vt concedit Sanchez diſp. 22. cit. num. 64., & Bonacina nu. 33. & 34. Quia apparenter confertur titulus ſeu iuriſdictio & poteſtas. Et non ſolùm eſt publicus & iuſtus ac rationabilis error, ſed moraliter neceſſarius, quo putatur ſerio & animo conferri. Quare ſicut non obſtante incapacitate eius cui confertur, valent ab illo geſta, ſtante publico errore: ita etiam non obſtante fictione conferentis valere videntur.

Qualiter ſufficiat iuriſdictio probabiliter reputata.

Demum, ſi extent contrariæ opiniones de iuriſdictione alicuius miniſtri, altera concedens & altera negans, ambæ ſapientum & prudentum iudicio probabiles, & miniſter operetur iuxta opinionem affirmatiuam, Suarez tomo 4. in 3. par. diſp. 26. ſect. 6., Leſſius lib. 2. de Iuſt. & iure cap. 29. dub. 8., Henriq. lib. 5 de Pœnit. cap. 14. nu. 4, Sanchez diſp. 22. citata nu. 65.; Bonacina q. 5. de Pœnit. ſect. 2. puncto 3. nu 11. & q. 2. de Matrim. puncto 8. num. 26., affirmant valere ſacramenta ex tali iuriſdictione putatiua, quamuis talis opinio in re falſa ſit: quia non ſolùm adeſt publicus & iuſtus error ex parte populi & eorum qui ſuſcipiunt ſacramenta, ſed etiam ex parte ipſius miniſtri. Quare ſi valebant in caſu quo miniſter cõſcius ſuæ inhabilitatis, malignè ex parte ſua ſacramenta miniſtrabat; à fortiori valebunt, quando vltra iuſtum errorem & bonam fidem populi & ſuſcipientium, accedit quoque ipſius miniſtri. Vnde & poſtea, etiam in foro externo deberet Iudex pronunciare pro validitate ſacramenti, quamuis ipſe ſpeculatiue loquendo contrariam opinionem teneret: vt præſertim contingere poteſt in ſacramento Matrimonij. An verò licitum ſit vti tali opinione probabili in adminiſtratione ſacramentorum, quia res eſt communis ad varias partes, ex quibus poteſt incidere opinionum perplexitas, id communiter ſect. 7. circa obligationes miniſtri reſoluemus.

SECTIO SEXTA.

Quiſnam ſit legitimus ſingulorum Paſtor, habens iuriſdictionem ad ſacramenta ijs adminiſtranda.

EPiſcopus quidem, & Parochus, eſt ordinarius animarum Paſtor, cui incumbit ſacramenta miniſtrare, & licentiam quoque miniſtrandi alijs concedere. Sed quia diuiſæ ſunt in Eccleſia variæ Diœceſes pro Epiſcopis, & Parochiæ pro Parochis; non habet vtique vnus Epiſcopus vel Parochus auctoritatem adminiſtrandi ſacramenta alienis ſubditis, ſed tantùm proprijs. Hinc in quibuſdam caſibus aliquæ difficultates emergunt, pro deſignando proprio ſingulorum paſtore.

Eſt Epiſcopus & Parochus loci in quo habent ſinguli firmum habitationis domicilium.

Et primo quidem, per ſe conſtat, Epiſcopum & Parochum eſſe proprium paſtorem, & ſacramentorum miniſtrũ, reſpectu omnium qui in ſua Diœceſi vel Parochia habent firmum domicilium & habitaculum, in quo nati ſunt, ac deinceps ordinariè commorantur. Sed ſi quis in vno quidem loco natus ſit, vbi eius parentes habebant firmum domicilium, ſed poſtea in alium locum tranſierit in quo firmiter habitet; tunc dicitur habere vnum domicilium originis, & aliud habitationis. Quorum ſanè illud eſt immutabile ac ſemper idem permanet: aliud verò poteſt ſæpius mutari & variari; dum quis aliquo tempore firmiter habitat in vno loco, poſtea in alio, & rurſus in alio. Et in hoc conſtat etiam, proprium paſtorem à quo ſuſcipienda ſint ſacramenta, eſſe illum ſub quo de præſenti habet quis habitationis domicilium, & non eſſe alium ſub quo forte antea habuit: etiã inquam à prima die qua quis ſe tranſtulit de loco ad locum, animo mutandi domicilium: quia quoad hoc non requiritur certum habitationis tempus. Sed dubitari poteſt, an ſit etiam ille ſub quo is ortus erat; atque adeo habebat originis domicilium, quia in iure expreſſum eſt, vt poſſit Epiſcopus ad

Ordi-

Ordines promouere eos qui de eius Diæceſi oriundi ſunt, cap. *Nullus* de Tempor. Ordin. in ſexto. Sed ſatis etiã exploratum eſt, ad reliqua ſacramenta, præter Ordiné, proprium paſtorem & idoneum miniſtrum nõ eſſe Epiſcopum vel Parochum originis. Patet communi exiſtimatione & praxi. Et quia in iure, proprius paſtor à quo ſacramenta miniſtranda dicuntur, ſimpliciter intelligitur reſpectu habitationis, & non reſpectu originis. Quoad ſacramentum tamen Ordinis, conceditur hoc miniſterium Epiſcopo originis, eo capite allegato. Sed hæc ibi ponitur tanquam conceſſio ſpecialis. Quæ proinde quoad reliqua potiùs firmat regulam in contrarium. Sicut etiam conceditur Epiſcopo in cuius Diæceſi quis habet beneficium, vt proprio de Ordine tractatu videbimus.

Vel etiam in quod ad tempus diuertunt. Secundo. Quando quis habet firmum habitationis domicilium in vno loco, & ad tempus diuertit ad alium locum, negotij, vel ſtudij, vel refugij, vel alia cauſa, dubitatur, quiſnam ſit proprius paſtor ad ſacramenta miniſtranda, an firmi domicilij, vel tranſitoriæ habitationis. Eſſe eundem Epiſcopum & Parochum domicilij, & non tranſitoriæ habitationis, docent Nauar. in cap. *Placuit* de Pœnit. d. 6. num. 91. 96. & 101., Angel., Syluester, Roſella, Tabiena, verbo *Domicilium*, & verbo *Parochia*, Gloſa, Ioann. Andræas, Dominicus, in cap. *Is qui* de Sepult. in 6, Abbas in cap. *In noſtra* eodem tit., & cap. *Omnis* de Pœnit. & remiſs. & cap. *Nullus* de Parochijs, Hoſtienſ. in ſum. titulo *De Parochijs* §. penultimo n. 7., & tit. *De Pœnit. & remiſs.* §. *Cui ruſtici* num. 44. Aliqui tamen hoc limitant quoad ſacramenta voluntaria: dicentes, ſacramenta neceſſaria & obligatoria ſuo tempore, id eſt Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, poſſe ratione huius neceſſitatis miniſtrari à Parocho temporaneæ habitationis. Et aliqui hoc magis explicant, quando hic locus eſt adeo diſtans à loco domicilij, vt non poſſit quis commode ad hunc redire, vt hæc ſacramenta ſuſcipiat. Fundant hanc ſententiam in eo cap. *Is qui* de Sepult. in ſexto, vbi dicitur: *Is qui habet domicilium in ciuitate ...* *ad villam ... ſe vel caſtro & quam* *vel vt ruri alium tranſferre recreationis gratia* *pultura decedat, exercens, ſi non electa ſe-* *la, ſed in ſua Parochiali non in Eccleſia dicti ciui-* *Vnde idem ... Sepeliri debebit.*

Vnde idem intelligi debet de ſacramentis ſuſcipiendis. Et ratione: quia ille qui in alium locum diuertit animo ad proprium redeundi, dicetur potiùs hoſpes & peregrinus, quàm incola illius loci: quare non deſinit eſſe ſubditus prioris ſui paſtoris, nec ſit ſubditus alterius. Ac ſpecialiter quoad Ordines exploratum eſt, non poſſe Scholaſticos ordinari ab Epiſcopo loci in quo ſtudiorum gratia, quamuis diuturno tépore, cõmorantur: & ſic de alijs in alienã Diæceſim profectis. Et ſumitur ex eodem cap. *Nullus* de Tempor. Ordinat.

Meliùs tamen alij plures affirmant, proprium paſtorem ad ſacramenta miniſtranda, eſſe illum in cuius Diæceſi vel Parochia quis de præſenti, ad notabile tempus habitat, ſcilicet pro maiori parte anni: alioqui ſi ad breuius ſpatium ibi moraturus ſit, tunc proprium paſtorem eſſe adhuc illum, cui ratione firmi domicilij ſubdebatur. Ita docent Gabriel in 4. d. 17. q. 2. art. 3. dub. 2., D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 54., Angel. in ſum. verbo *Excommunicatio* 5. num 18., Syluester 7. num. 31. Tabiena 5. num. 5., Roſella verbo *Abſolutio* 1. num. 41., Gloſa, Cardinal., Bonifac. in Clement. 1., Abbas in cap. *Cùm contingat* de Foro compet., Federic. de Senis Conſil. 254., Sanchez lib. 3. de Matrim. diſp. 23. q. 2., & alij apud ipſum. Suadetur: quia per talem habitationem pro maiori parte anni, acquirit quis quaſi domicilium in ea Vrbe vel Parochia, in qua de nouo habitat. Et multo commodius atque conuenientius eſt, vt ibi ſacramenta ſumat, vbi poteſt eſſe vt ad plures annos commoretur, ſicut Scholaſtici, milites, mercatores, mercenarij ſæpè faciunt. Non ſolum inquam ſacramenta neceſſaria, & quæ ſuo tempore ex obligatione tenetur ſuſcipere: ſed etiam voluntaria. Excepto tamen Ordine, de quo mox dicemus. Neque, vt ibi ſuſcipere poſſit, requiritur quòd iam habitauerit maiori parte anni: ſufficit enim quod

Digitized by Google

eò commigrauerit animo ſic habitandi. Siquidem etiam domicilium perpetuũ acquiritur ſtatim ac quis peruenit in locum vbi deinceps perpetuo habitare intendit, vt ſupra notauimus. Poterit tamen is qui in aliena vrbe vel parochia habitauit ſeu habitare intendit, ſuſcipere etiam ſi velit ſacramenta à paſtore alterius loci in quo habet firmum domicilium: non ſolùm ob probabilitatẽ prioris ſententiæ relatæ, quã proinde ſequi etiam poterit; ſed quia ſimpliciter ſe habere videtur, ſicut ille qui habet firmum domicilium in duplici vrbe vel parochia, de quo ſequenti concl. dicemus.

Requiritur tamen habitatio vel intentio habitandi pro maiori parte anni, ad acquirendam ſubiectionem erga nouum illum paſtorem: nec alioqui cenſetur ſufficere. Idque ſuadetur ex eo cap. *Is qui*, vbi Pontifex de breui tranſitu loquebatur. Et tunc talis ſe habet tanquam hoſpes & peregrinus: ſed dum diutiùs habitare intendit, ſe habet potius vt incola & inquilinus. Sed etiam in breui tranſitu, & pro hoſpitibus & peregrinis, quoad ſacramenta neceſſaria, communi vſu & paſtorum conſenſu introductum eſt, vt quiſque vbi reperitur ea ſuſcipere poſſit. Idquè ad ſacramentum etiam Matrimonij extendit Baſilius Pontius lib. 5. de Matrim. cap. 13. § 1. Nititur auctoritate Emanuelis Sà verbo *Parochus* nu. 2. & verbo *Matrimonium* num. 2., obſeruans id adhuc contineri in codice expurgato. Magis nititur in declaratione ſacræ Congregationis apud Farinaccium in Nouiſſimis ad ſeſſ. 24. Concil. cap. 1. num. 2. & num. 4. & cap. 7. num. 2. Verùm Sanchez num. 9. tanquam certum notauit oppoſitum, & ex Menochio quatuor Rotæ deciſionibus definitum. Idem docent Barboſa de Po eſt. Epiſc. par. 2. allegat. 32. num. 66., Riccius in Praxi tomo 1. reſol. 214. num. 2., Cened. q. 30 num. 60., Diana par. 3. tract. 4. reſol. 231. Et Emanuel Sà ibi verbo *Matrimonium*, ſic expreſsè ait: *Si rus petas animi gratia, & ibi contrahas matrimonium coram illius ruris Parocho ſine licentia, inualidum eſt matrimonium*. Declarationes autem Sacræ Congregationis debent intelligi, quando contrahentes habitauerint, vel ſaltem habeant animũ habitandi pro maiori parte anni in illa Parochia. Et Diana ait, de illis non conſtare authenticè. Demum ad ſuſcipiendos Ordines requiritur etiam animus perpetuo habitandi, vt ſcilicet ob domicilium habitationis poſſit ab eo Epiſcopo ordinari: quia ſic ſpecialiter de ſacramento Ordinis cautum eſt. Per quæ ſatis patet ad fundamenta prioris ſententiæ.

Tertio. Aliqui ſunt, qui habent duplex firmum domicilium in duplici vrbe vel parochia, & pro aliqua parte anni habitant in vno, pro aliqua in alio, videlicet æſtate in vno & hyeme in alio. His poteſt vterlibet Paſtor ſacramenta miniſtrare. Ita docent vbi ſupra, Palud. ead. diſt. 17 q. 3 art. 2. cõ. 17, D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 4., Nauarr. in cap. *Placuit* num. 77., Syluester verbo *Confeſſor* 1. q. 3. & 12., Angelus verbo *Confeſſio* 3. num. 12., Tabiena verbo *Abſolutio* 1. num. 45., Henriq lib. 6. de Pœnit cap. 7. num. 2., Sanchez lib. 3. de Matrim. diſp. 24., & alij. Sumitur ex cap. 2. de Sepultur. in ſexto, vbi ſupponitur, poſſe fieri, vt quis habeat duo domicilia, ratione quorum æqualiter ſubdatur duplici Parochiæ, ita vt ſi moriatur electa ſibi ſepultura in alia tertia Eccleſia, debeat canonica portio debita pro ſepultura, æqualiter diuidi inter duas illas Parochias. Dicitur autem requiri, vt ille pro æquali parte anni eſſet ſolitus in vtroque domicilio habitare. Hoc tamen non intelligitur mathematice & phyſice, ſed moraliter, id eſt fere vel circiter æquali, ſiue prout ordinarie conſuetum eſt.

Vel etiam ſi æqualiter habitet in duplici domicilio & loco.

Aduertunt autem vt plurimum Auctores allegati, non indifferenter poſſe vtranque Parochum quolibet anni tẽpore ſacramenta talibus miniſtrare, ſed quemlibet pro eo anni tempore quo tales in eius Parochia habitant. At Nauarr., Henriq., & Sanchez, volunt, poſſe indifferenter vtranque quolibet anni tempore: quia ſic ex textu adducto colligitur. Et alioqui non gauderet quis ſimul beneficio duplicis domicilij & Parochię, ſed ſucceſſiuè per partes anni, quod non ſufficit. Admittunt tamen.

Digitized by Google

men, conuenientius eſſe, vt ſacramenta miniſtret ille in cuius parochia quis actu inhabitat. Sed dicendum eſt, liberum quidem eſſe, vt ille qui vult ſuſcipere ſacramentum, accedat ad vnam vel alteram Parochiam, vt ab vno vel altero Parocho ſuſcipiat ſacramentum: quia ſic gaudet beneficio duplicis domicilij & Parochiæ. Non tamen liberum eſſe vtrique Parocho accedere ad alterius Parochiam abſque eius licentia ad miniſtranda ſacramenta. Hinc enim potiùs non modica perturbatio ſequeretur, ſi vnus Parochus vellet in Parochiam alterius deferre & miniſtrare infirmo alicui Euchariſtiam, aut Extremã vnctioné: neque id ſane permittitur, Debetque tandem hoc totum iuxta receptam conſuetudinem obſeruari. Valebit tamen ſacramentum Pœnitentiæ, & ſacramentum Matrimonij, in aliena Parochia, a competenti alioqui Parocho miniſtratum. Et poterit etiam licitè, ſi fiat abſque ſtrepitu, miniſtrari, vt propriis loci ſpecialiter attingemus.

Vagorum eſt quem ipſi voluerint.

Quarto. Aliqui ſunt, qui nullum certum & firmam habitationis domicilium habent, ſed hinc inde vagantur: ſiue id faciant animo ſic ſemper tranſigendi vitam, ſiue animo adinueniendi locum ſibi commodum in quo pedem figant, ſiue animo determinato perueniendi ad certum deſtinatum locum in quo deinceps permanere intendunt: deſerto alio priori loco & domicilio, ſi quod fortè habuerant. De his ergo, Cardinalis in cap. *Omnis* de Pœnit. & remiſ. opinatus eſt, non poſſe ab vllo particulari paſtore ſacramenta recipere, ſed tantùm à Legato Summi Pontificis: quia adhuc nulli particulari ſubduntur. Syluester verbo *Confeſſor* 1. q. 12. Anton. in cap. 1. de Sepultur. num. 8, & quidam alij indicant, poſſe & debere recipere ab Epiſcopo, ſiue in Eccleſia Cathedrali ab eius Parocho: quia ei tunc ſubduntur, & non alicui particulari Parocho. Gabriel vbi ſupra, & Petr. Soto lect. 5 de Confeſſ. ſignificant, poſſe & debere recipere ab illo Parocho in cuius Parochia ſic per tranſitum inueniuntur. Riccard. in 4 d. 17. art 3. q. 1., Palud q. 3. art. 3. nu. 22. Palat. diſp. 7. D. Antonin. 3. par. tit. 12. cap. 9. caſu 3., Caietan. in Sũma verbo Abſolutio ex parte abſoluentis, Nauarr. in cap. ... erit num. 80. ... Bartholom. Ledeſma Pœnit. dub. 23. caſu 2., Henriq. de Matrim. lib. 11. cap. 3. num. 3., Sanchez lib. 3 diſp. 25. & alij plures aſſerunt, poſſe indifferenter recipere à quolibet Parocho voluerint, donec ſtatuant in certa Parochia habitare: quia interim non ſunt addicti illi Parochiæ in qua per modum hoſpitij vagantur, & ita non adſtringuntur illius Parocho. Et ita quidem ſentiendum eſt, ſi ipſi vagi poſſint & velint accedere ad ſacramenta percipienda. Si autem domi detineantur, fas non erit alijs Parochis præter licentiam illius cui ea domus ſubditur, adire ad miniſtranda ſacramenta in aliena Parochia: ſed tunc miniſtrandum erit ſacramentum à proprio illius Parocho, vel de eius licentia. Neque enim hi vagi deſtituti ſunt ſacramentorum beneficio. Nec adire coguntur Legatum Pontificis. Nec Epiſcopum. Nec Parochum Eccleſiæ Cathedralis, qui ſane gerit curam animarum ſolùm pro certa regione ciuitatis, ſicut quilibet alius particularis Parochus. Neque adhuc adſtringitur adire illam Parochiam & illum Parochum, in qua & ſub quo per modum hoſpitij vagatur. Sed tamen vnus Parochus non debet ingredi Parochiam alterius inconſulti ad ſacramenta miniſtranda.

Idem eſt paſtor ad alios actus ſpirituales ſacramentis.

Quinto. Ex his colligitur, quiſnam habeat propriè ſpiritualem iuriſdictionem beneficium animarum ad alios actus in beneficium miniſtrum ſacramentorum. Nempe eundem miniſtrum ſacramentorum qui eſt ordinarius paſtor ad ſacramenta miniſtranda, eſſe etiam legitimum ad alios actus ſpirituales eiuſdem iuriſdictionis exercendos, vtpote eundem ad abſoluendum à Pontificijs cenſuris, ad diſpenſandum in irregularitatibus in quibuſdam impedimentis matrimonij, vel ad petendum debitum, vel interdum ad contrahendum: ad diſpenſandum etiam in votis, & in quæ ſunt familiariter ... quantũ in quam illi de iure conceditur. Item colligi poteſt, ad quem Parochum ſpectet ius ſepeliendi defunctum, ſcilicet quis non elegerat ipſe certam ſepulturam, & tunc ...

Digitized by Google

ipſum Parochum ſpectat canonica portio, ſeu quarta quæ dicitur funeralis, id eſt emolumenta funeris. Spectare enim ad eundem Parochum, ad quem pertinebat ſacramentorum adminiſtratio. ſumitur ex cap. *Ex parte* & cap. *In noſtra* de Sepultur. Quando ergo quis habebat domicilium in vna Parochia, ſed habitat ac decedit in alia, abſolute ſpectare ad Parochiam domicilij, ſi commode deportari poſſit, affirmat Abbas cap. *In noſtra* de Sepultur. num. 10., & ſequitur Pontius lib. 5. de Matrim. cap. 13. §. 2., & colligit ex ijſdem capitibus indicatis de Sepultur. in ſexto. Idque conſonum eſt eorum ſententiæ, qui dicebant abſolutè propriū Parochum eſſe eundem domicilij. At potius videtur ius ſepulturæ, ſicut & adminiſtrationis ſacramentorum, ſpectare ad Parochum habitationis, quando hæc non eſt adeo breuis, ſed ad maiorem anni partem: prout ſentiunt alij Doctores pro noſtra concluſione allegati: & ſic intelligunt ſacros Canones: & præſertim colligunt ex cap. *In noſtra* Sed etiam quando quis ad breue tempus ſeceſſerat in alium locum, debet ibi ſepeliri, & non in Parochia domicilij, quando ad illam commodè deportari non poteſt, vt habetur ex cap. *Is qui* de Sepult. in ſexto, & vſu ipſo ſeruatur. Quando verò quis habebat æqualiter duplex domicilium in duplici Parochia, deciſum eſt cap. 2. de Sepult. in ſexto, *Domiciliorum Eccleſia habeant inter ſe diuidere canonicam portionem*: corpus autem debebit ſepeliri in Eccleſia ſub qua ille deceſſit, ſi non aliam ſibi elegerat. De vagis demum & peregrinis, Sylue. verbo *Sepultura* q. 8. concl. 2., Innocent., Hoſtienſ., Cardinal. in cap. 1. de Sepult., volunt, debere ſepeliri in Eccleſia cathedrali. Angelus verbo *Sepultura* num. 19., Armilla num. 10., Abbas cap. 1. de Sepult., Archidiac., Dominicus in cap. 1. de Sepultur. in 6., Hoſtienſ. in Sum. tit. de Sepult. nu. 3., & alij volunt, debere ſepeliri in Eccleſia parochiali. Et quidem ex dictis ſequi videtur, potuiſſe per ſe determinare, ad quam Parochiam pertinere vellet quartam funeralem vna cum cadauere. Vel nulla facta determinatione,

pertinere ad Parochiam in qu
dit. Attamen hoc totum in pr
gulandum erit iuxta locorum c
tudinem, & iuxta proprias Sy
aut Epiſcopales leges vbi fuerun

Poſſet quoque hic attingi; ac
Parochum ſpectent primitiæ &
mæ a Fidelibus perſoluendæ. N
cap. *De decimis*, & cap. *Quaſi*,
In ſacris 16. q. 1., ſpectant ad e
Eccleſiam, in qua ſacramenta
piuntur. Sed quia decimæ rea
ſe ſpectant ad illam Parochiam
cuius continia extant prædia
bus percipiuntur: decimæ aut
ſonales non ſunt ampliùs in vſu
alio proprio loco tractatur de p
oblationibus, & decimis, 2. 2.
87. Ideo non oportet nunc in
morari.

Sexto. Præter Epiſcopos &
chos, ſunt quidam alij Prælati
tes ſimilem ordinariam iuriſdi
ad ſacramenta miniſtranda, & a
tiam miniſtrandi alijs concede
Idque conſtat de iure, & in pr
Abbates exempti, id eſt non ſu
cui Epiſcopo, qui loco Epiſco
habent Epiſcopalem iuriſdictio
ex cap. *Ioannes* de Teſtam.,
eorum ſubditos poteſtatem
bent Epiſcopi, ſicut nec vnus
pus in ſubditos alterius Epiſco
Presbyteri & Diaconi Cardinal
Eccleſijs titularibus: ex cap.
de Maioritate & obedientia. Su
Regularium erga ſuos ſubditos
tutione ipſa talium Ordinum
lum Eccleſiæ Cathedralis Sed
te: ex cap. *Cùm olim* de Maio
bedientia. Videtur etiam de
chipresbyter Eccleſiæ Cathe
ga omnes ad ſe confluentes
Diœceſi, ſaltem quoad ſacram
Pœnitentiæ: ex cap. *Officium*
Archipresbyteri. Sed, vt n
chez lib. 3. de Matrim. diſp. 2
do non eſt in vſu.

Septimo. Supra Epiſcopo
non ſolùm Summus Pontifex
vniuerſalis paſtor, imo & à qu
tur tanquā à primo capite or
tualis iuriſdictio, miniſtrare q
que fidelibus ſacramenta, &

Digitized by Google

pus in tota Prouincia.

miniſtrandi alijs concedere. Sed etiam id poteſt Legatus Pontificis in ſua Prouincia: ex cap. 2. de Officio Legati in ſexto: quia eſt tanquam ordinarius, & poteſt omnia iuriſdictionis exercitia, quæ poteſt Epiſcopus. Non ſolùm Legatus qui dicitur à latere, ſed etiam qui dicitur Nuncius, vt aduertit Pontius lib. 5. de Matrim. cap. 10 num. 7 Poſſe etiam Archiepiſcopum in tota ſua Prouincia, & erga omnes ſubditos Epiſcoporum ſuffraganeorum, indicauit Gloſa in cap. *Per ſingulas* 9 q. 3. Sed certum eſt id non poſſe. & ſimiliter nec Patriarcham, aut Primatem, aut quouis ſimili nomine nuncupetur: extra ſcilicet ſuam particularem Diœceſim, quam per ſe habet non ſubiectam alteri ſuffraganeo. Nempe quia nec iure aut vſu id ei conceditur: nec ipſe habet immediatam iuriſdictionem in ſubditos ſuorum ſuffraganeorum. Quia tamen per viam appellationis ad eum deuoluitur iuriſdictio, & in cauſis matrimonialibus datur appellatio: ſi Epiſcopus iniuſte nollet permittere vt aliqui matrimonio coniungantur, & ij appellarent ad Archiepiſcopum, tunc is valide & licite poſſet eos coniungere, vel licentiam coniungendi alteri Sacerdoti concedere. Sed non niſi poſt cauſam cognitam, & ſententiam à ſe latam: & poſtquam hæc ſententia tranſierit in rem iudicatum, vel per acceptationem partis aduerſæ, vel per lapſum decendij, ideſt ſpatium decem dierum, quod in iure conceditur decuo ad appellandum. Atque ſi pars aduerſa appellauerit, nec etiam poteſt illos coniungere pendente appellatione, prout de iure. Si tamen Epiſcopus ipſe in ſua Diœceſi; lite mota, & appellatione pendente, coniungeret aliquos in matrimonio, quamuis iniuſte faceret, tamen valeret matrimonium, dummodo non inueniatur reipſa aliquod impedimentum dirimens. Ita de hac tota re tractant Sanchez diſp. 28. concl. 2. & Pontius cap. 10. citato.

Eandem habet Vicarius generalis Epiſcopi.

Octauò demum. Infra Epiſcopum adeſt eius Vicarius. De quo aliqui negant habere per ſe ex officio ſuo ordinariam iuriſdictionem adminiſtrandi ſacramenta, & præbendi alijs licentiam. Idquè defendit Iacobus Sbrozzius lib. 2. de Vicario Epiſcopi cap. 15. & 14. Quia in iure ipſo, cap. 2. de Officio Vicarij in ſexto, expreſſe dicitur, Vicarium ex ſuo officio habere iuriſdictionem tantum in ciuilibus: quare non videtur habere in adminiſtratione ſacramentorum. Dici tamen debet etiam hanc habere; vt defendunt Sanchez lib. 3. de Matrim. diſp. 29. & Pontius lib. 5. cap. 11. & alij apud ipſos. Quia Vicarius eſt verè Prælatus & Paſtor animarum, participatque eandem iuriſdictionem cum Epiſcopo. Et in eo cap. dicitur habere iuriſdictionem tantum in ciuilibus, non ad excludendam adminiſtrationem ſacramentorum & iuriſdictionem ſpiritualem in foro conſcientiæ: ſed ad excludendam criminalem cauſarum cognitionem, niſi ei ſpecialiter ab Epiſcopo committatur. Intelligitur autem hæc concluſio de Vicario generali Epiſcopi, non de Vicarijs Foraneis, aut deputatis ad aliqua officia vel loca particularia. Sed intelligitur quoque de Vicario Abbatis, & de Vicario Capituli Sede vacante, vtpote habentis munus Epiſcopale.

SECTIO SEPTIMA.

Qualiter teneantur animarum Paſtores alijque Miniſtri ad Sacramenta miniſtranda.

Tenentur Paſtores ... ſubditis tenentur ſuſcipere.

IN primis per ſe patet, teneri animarum Paſtores ſacramenta petentibus miniſtrare, quandocunque hi tenentur ſuſcipere. Nam omnino hæc obligatio debet eſſe reciproca. Tenenturque Paſtores ex iuſtitia, ratione ſui officij: quia ad hoc deputati ſunt, & propter hoc ſtipendia & emolumenta accipiunt. Ac etiam illi qui non accipiunt alia ſtipendia; quales ſunt Superiores Regularium: quia ſaltem à ſubditis accipiunt honorem & obſequium, & gradum, dignitatem ipſam, vt adhuc ex iuſtitia obligentur.

Secundò. Extra caſus obligationis de ſuſcipiendis ſacramentis, non tenentur animarum paſtores, illa petentibus miniſtrare ...

Poſſunt interdum delegare hanc adminiſtrationem.

Quintò tamen, hæc non impediunt, quominus poſſit Parochus interdum ſemper vices, committere & licentiam concedere alteri Sacerdoti, ad ſacramentum aliquod ſuis ſubditis miniſtrandum. Et res certa in iure & praxi. Eſt enim Paſtor ordinarius, habens iuriſdictionem ordinariam: & ita poteſt alterum ſubſtituere, eique ſuam iuriſdictionem delegare. Sed Delegatus non poteſt vlterius alterum ſubdelegare, niſi id ipſum ei à Paſtore ordinario delegāte conceſſum ſit. Quoad ſacramentum tamen Pœnitentiæ, non poteſt Parochus alterum Sacerdotem ſimplicem delegare: ſed omnino requiritur approbatio Epiſcopi ad confeſſiones audiendas, ex decreto Concilij Tridentini, vt ſuo loco videbimus. Quoad alia vero ſacramenta, non requiritur de iure communi alia Epiſcopi approbatio. Sed ipſe Parochus delegans aduertere debet, vt alter Sacerdos ſit ſufficienter inſtructus, ne in hoc miniſterio aberret. Et in quibuſdam Eccleſijs extant particulares ordinationes & leges, in Synodis vel ab Epiſcopis latæ, ne Parochus quenquam ſimplicem Sacerdotem ad miniſtrandū ſacramentum Baptiſmi, vel Extremæ vnctionis, vel ad aſſiſtendum Matrimonio admittat, abſque præuia Epiſcopi approbatione. Quæ leges vbi fuerint, obſeruari debebunt. Sed adhuc ſi Parochus licentiam daret alicui ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, vt aliquorum matrimonio aſſiſteret, licet male fieret, tamen valeret matrimonium: quia illę particulares ordinationes & leges, non habent vim inducendi nouam conditionem ad valorem matrimonij vt ſpecialiter proprio loco dicemus.

Poterit etiam Parochus titularis aſſumere ſibi Vicarium vel Coadiutorem ad breue tempus pro tota cura animarum & adminiſtratione ſacramentorū. Quod quidem tempus per tres hebdomadas computatur, vt notat Sanchez lib. 3. de Matrim. diſp. 31. num. 11. ex cap. *Si quis in Clero* 7. q. 1. Item poterit Curatus delegatus, idem vel ad breue tempus ab eodem Parocho titulari conſtitutus, vel auctoritate Epiſcopi ad longum tempus [illegible] approbatus, vel etiam abſolute & indefinite deputatus, vt in quibuſdam Eccleſijs in quibus ius parochiale reſidet penes communitatē aliquam, videlicet Capitulum Canonicorum, aut Conuentum Religioſorum, vel penes particularem aliquem, & ab ijs deputari debet Curatus aliquis, non in titulum, ſed ad nutum amouibilis. Poterit inquam, hic etiam Curatus ſic delegatus, interdum per vices ſubſtituere alterum Sacerdotem ad ſacramentum aliquod miniſtrandum, comprehendendo ſub hoc miniſterio aſſiſtentiam etiam ad matrimonium. Non tamen poterit, nec ad breue tempus ſubſtituere alterum ad totam animarū curam & ſacramentorum adminiſtrationem, ſicut conceditur Parocho titulari. Quia nimirum, delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, poteſt quidem per vices ſubdelegare alterum ad vnā vel aliam cauſam, non tamen ample ad totam vniuerſitatem cauſarum, nec etiam ad breue tempus. Niſi tamen conſuetudine introductum ſit, vt etiam ad totam curam pro eodem breui tempore ſubſtituere poſſit: vt cum alijs comprobat Sanchez diſp. 31 citata.

Sexto dubitatur, num etiam cum periculo vitæ, vt contingit tempore peſtis, teneantur animarum Paſtores ſacramenta ſubditis miniſtrare. Negare videntur Armilla verbo *Epiſcopus* num. 6. & Tabiena nu. 5. Niſi in extrema proximi neceſſitate. Quæ neceſſitas adeſt pro infantibus, quando non inuenitur præſens alius qui poſſit & ſciat & velit baptizare. Ac etiam pro adultis, qui ſuę ſaluti non poſſent per actum contritionis conſulere. Nam extra hanc extremam neceſſitatem, non videtur imponenda obligatio exponendi vitam corporalem pro ſalute alterius, qui ſibi poteſt aliter prouidere. Et ſuadetur magis: quia Fideles ipſi non tenentur ad ſacramenta cum vitæ periculo accedere: vt ſi non adeſſet alius Sacerdos, niſi peſte infectus, aut in loco infecto, à quo poſſet ſuſcipi ſacramenta: ergo eo minus videtur obligari Sacerdos pro ſalute illorum. Ex oppoſito tenentur miniſtrare omnia ſacramenta, ſcilicet tempore opportuna

tiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis, affirmant Syluius in Addit. ad 3. par. q. 32. art. 3., & Nugnus q. 33. art. 2. difficul. 2. Quia ob magnam indigentiam in articulo mortis, videtur officium Parochi, & ſtipendium quod tota vita accipit pro ſua ſubſtentatione, eum obligare, vt omnia hæc ſalutis remedia à Chriſto Domino inſtituta, ſubminiſtret. Cum diſtinctione tamen inter hæc ſacramenta, alij partim negant, partim affirmant, teneri Parochum ea miniſtrare. De ſola Confeſſione affirmant Maior in 4. diſt. 7. q. vlt. & dist. 3. q. 1., & Molfeſius tomo 1. Summæ tract. 4. cap. 3. num. 51., niſi tamen appareret magna neceſſitas ægroti, & periculum de eius ſalute ſi viatico priuaretur. De Confeſſione & Communione ſimpliciter affirmant, ſed de Extrema vnctione negant, Suarez tomo 4. tertiæ partis diſp. 44. ſect. 3., Villalobos tomo 1. Summæ tract. 10. difficul. 6. num. 7., Rodriq. tomo 2. cap. 87. nu. 8. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 174. & alij.

Tenentur ad quædã ſacramenta, non ad omnia.

Et hæc quidem ſententia, quæ inter Recentiores magis recepta eſt, videtur per ſe loquendo approbanda. Etenim, non ſolùm tenetur Parochus ex officio ſubuenire extremæ neceſſitati ſpirituali ſubditorum, cum periculo vitæ ſuæ corporalis, vt in miniſtrando Baptiſmo Infantibus; ſed etiam tam graui neceſſitati & indigentiæ, qualis eſt in Adultis, de ſacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Hæc enim ipſi Adulti tenentur iure diuino ſuſcipere. Et alioqui valde periculoſum eſſet fidere ſoli contritioni, quia difficilius eſt illam habere. Imò ſimplices & idiotæ, nec etiam ſciunt, nec fortaſſe tunc inſtrui poſſunt, quænam ſit perfecta contritio. Quare eſt maxima indigentia, in ſingulis vt ſacramentalis abſolutionis beneficio ſuorum peccatorum veniam obtineant. Et reſpectu populi dici poteſt extrema indigentia; quia ſine hoc remedio, moraliter certum & inęuitabile eſſet, pleriſque non conſequuturos gratiam. Quare omnino non poteſt excuſari Parochus ab obligatione miniſtrandi hoc ſacramentum. De ſacramento verò Euchariſtiæ, licèt non ſit tanta neceſſitas & indigentia, ſuppoſita ſacramentali abſolutione; tamen talis quoque ac tanta eſt, vt merito cenſeatur ſufficiens ad obligandum. Et ita in praxi conſtat, ſolere ab Epiſcopis compelli Parochos ad hoc ſacramentum etiam miniſtrandum. Et ipſi quoque Fideles in mortis periculo conſtituti, tenerentur hæc ſacramenta ſuſcipere, etiam à miniſtro infecto, ex quo augeretur eorum periculum. Et alioqui, ſi non ſint in periculo, non viget paritas. Ex alia parte, de ſacramento Extremæ vnctionis, neque Fideles tenentur per ſe illud ſuſcipere, nec apparet tanta neceſſitas, maximè ſuppoſitis iam duobus dictis ſacramentis: quare poteſt excuſari Parochus ab obligatione illud adminiſtrandi. Optime tamen faciet, & hoc omnino conſulendum & procurandum eſt, vt hoc quoque nõ deneget: ſicut re ipſa conſtat, à probis & pijs Parochis aliiſque Sacerdotibus, peſtis tempore obſeruari.

Et hoc totum dicimus per ſe loquendo. At in aliquo particulari caſu contingere poſſet, vt tanta moralis certitudo haberetur de bono alicuius ſtatu, quòd non habeat mortalia peccata, aut ſaltem perfectè contritus ſit, & tam magnum eſſet periculum in audienda illius Confeſſione, aut tanta penuria Sacerdotum, quod decedente ex infectione tali miniſtro, non ſuppeterent alij qui ſubuenirent alijs, vt excuſari poſſet Parochus in tali caſu. Et ex alia parte, tanta poſſet eſſe indigentia Extremæ vnctionis, vt ſi aliquis repentè ſenſibus deſtitutus, nullum confeſſionis ſignum præbuiſſet quo poſſet abſolui, & hoc ſolùm remedio iuuari poſſet; nec tam magnum inſtaret infectionis periculum; vt obligaretur Parochus in tali caſu hoc miniſtrare ſacramentum.

Hinc verò clarius patet, teneri Parochos peſtis tempore apud ſuum populum reſidere, vt ſacramentorum adminiſtratione & alijs ſpiritualibus ſubſidijs animarum curam gerant. Et Suarez loco citato explicat, qualiter teneantur etiam Epiſcopi tali tempore in ſua Diœceſi vel ſaltem propè reſidere, & ſolicitè pro eorum ſalute conſulere ac prouidere. Admonentur tamen, vt ijs remedijs præſeruatiuis muniantur, & ita

Digitized by Google

ita cautè ſe gerant in ſacramentis adminiſtrandis & communicando cum alijs, vt quoad fieri poſſit infectionis periculum euitare aut ſaltem minuere ſtudeant. Propter quod aduertit Suarez num. 13. teneri Epiſcopum ipſum prouidere Parochis de antidotis & remedijs neceſſarijs ad eorum præſeruationem, quando extraordinaria ſunt & valde onoroſa: ipſos verò Parochos debere ſibi de facilioribus prouidere. Permittitur quoque ſacramentorum miniſtris, ad eorum cautelam, vt aliquam commoditatem in hoc miniſterio ſibi capiant: videlicet audire confeſſionem aliquantum à longe, imò & abſoluere non auditis omnibus peccatis: vngere infirmum mediante virga oblonga, ne manibus eum tangat: vt de his ipſis ſacramentis ſuo loco dicemus.

Qui non ſunt paſtores, tenentur ex charitate in caſu neceſſitatis.

Septimò deinde, præter animarum Paſtores, non tenerentur alij per ſe & ex iuſtitia ſacramenta petentibus miniſtrare. Niſi tamen ſint à Paſtoribus ſubſtituti, vt eorum vices ſupplere debeant, ita vt in eos translata ſit illorum obligatio. Per ſe etiam, occurrente neceſſitate, & in defectu proprij paſtoris, ex charitate tenebitur quiſquis fuerit habilis ad miniſtrandum ſacramentum: Vtpote occurrente neceſſitate Baptiſmi, quiſquis ſciat adhibere materiam & formam neceſſariam: ſeruato tamen debito ordine inter plures, ſi adſunt, vt ſuo loco dicemus. Occurrente neceſſitate confeſſionis, quiſquis Sacerdos, etiam alioqui non approbatus, deficientibus Confeſſarijs approbatis, erit habilis, atque adeo erit obligatus, vt etiam ſuo loco conſtabit. Et ſimiliter de ſacramentis Euchariſtiæ & Extremæ vnctionis.

An teneãtur ſacramentorum miniſtri ſequi partem tutiorem.

Octauò demum: Quicunque miniſtraturus ſit ſacramentum, tenetur ſine dubio adhibere omnia quæ ſunt neceſſaria ad valorem, quoad materiam, & formam, & intentionem, & quamcunque aliam conditionem. Tenetur etiã quoad modũ & cæremonias, ſeruare ritum Eccleſiæ quantum poteſt. Et ſecus faciendo peccabit mortaliter. Ex leuitate tamen mutationis poterit contingere veniale peccatum, vt iam in ſuperioribus adnotauimus. Sed præcipuè dubitatur, num ſit licitum vel illicitum, in ſacramentorum adminiſtratione vti opinione probabili, relicta parte tuta, aut probabiliori: ſicut in alijs moralibus materijs licitum eſſe conceditur, & nunc ſupponitur. Sed hoc tractari ſolet communi loco de humanis actibus 1. 2. vbi & nos q. 18. ſect. 17. concl. 3. id expedinimus. Et modo confirmamus quod ibi diximus: ſcilicet teneri miniſtrum operari iuxta partem tutam & certam quoad ſubſtantialia ſacramenti, ex præcepto Eccleſiæ: & quando alioqui imminet damnum irreparabile proximi, vt in ſacramento Baptiſmi: & quando ſacramentum non amplius iteratur; vt in Confirmatione, & Ordine. Dummodo nempe poſſit ſeruare partem tutam. Alioqui, ſi non poſſit, & vrgeat neceſſitas, vt occurrere poſſet in Baptiſmo, poſſet & deberet præbere ſacramentum, non ſolum in materia probabili, aut minùs probabili, ſed etiam merè dubia, quam ſolam in promptu haberet: & poſtea ſi ſic baptizatus ſuperuiueret, eſſet iterũ ſub conditione baptizandus in materia tuta. Ad quod procurandum teneretur etiam ipſe qui ſacramentum ſuſcepit, ſi ſit adultus, & rei conſcius: quamuis oppoſitum indicet Hurtad. de Baptiſmo diſput. 1. difficul. 12. Certè enim fidendum nõ eſt ſoli probabilitati, vbi imminet damnum irreparabile, & haberi poteſt remedium certum ac tutum. De reliquo non videri mortale peccatum, ſi miniſter aliquando vtatur opinione probabili, præſertim quando ſi quod damnum inde immineat, faciliè per alia ſacramenta ſequentia reparetur: vt in ſacramento pœnitentiæ, ſi quis defectus bona fide in vna confeſſione contingat, per alias ſequentes ſaltem indirectè faciliè reparatur.

Addunt aliqui, ſi probabilitas & opinionum diuerſitas ſit de iuriſdictione miniſtri, quæ quidem in ſacramento Pœnitentiæ & in aſſiſtentia Matrimonij requiritur ad valorem, licitum prorſus eſſe tali Sacerdoti ex huiuſmodi opinione probabili audire cõfeſſiones, & aſſiſtere matrimonio: quia etiam ſi fortaſſe in re eſſet falſa, tamen communis

error faceret, vt abſolutio eſſet inualida, & matrimonium eſſet validum. Et hoc cum alijs quos refert, affirmat Diana par. 2. tract. 13. reſol. 2. Quod totum intelligendum eſt iuxta ea quæ diximus ſupra ſect. 5.

SECTIO OCTAVA.

An & qui poſſint ac debeant ſuſcipere Sacramenta.

Requiruntur qui ſuſcipiant ſacramenta.

SIcut pro cauſa effectiua ſacramentorum conſiderauimus Inſtitutorē & Miniſtrum: ita pro cauſa ſubiectiua conſiderare debemus ſuſceptorem qui recipit ſacramenta. Sed in primis, quando Concilium Florent. numerauit illa quæ ſunt in ſacramentis neceſſaria, & præter materiam & formam aſſignauit etiam miniſtrum, non etiam nominauit ſuſcipientem; vnde videri poteſt, hunc non eſſe ſimpliciter neceſſarium. Et quidem reuera non in omnibus ſacramentis conficiendis ita requiritur, vt ſine illo confici non poſſint. Nam certe Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, etiam ſi à nullo ſuſciperetur: & quando ſuſcipitur, antea iam confectū erat. Sed hoc excepto, in reliquis alijs prorſus requiritur: quæ ſane non niſi in ipſo actuali vſu & ſuſceptione conficiuntur. Et ita inductione patet in omnibus alijs ſacramentis. Concilium vero ibi non diſtinctè connumerauit ſuſcipientem. Vel hac dicta ratione, quia non ſimpliciter in omnibus requirebatur. Vel quia cùm directè ageret de ſacramentis ſuſcipiendis, ſupponebat iam ſuſcipientem. Vel quia tantùm numerare voluit ea de quibus agere intendebat, & ita prætermiſit ſuſcipientem. Verùm, licet ipſa Euchariſtia poſſit confici ſine præſentanea ſuſceptione in ipſo conſecrationis actu: tamen refertur etiam ad ſuſcipientes. Conficitur enim à Sacerdote, vt ab ipſomet & ab alijs Fidelibus ſuſcipiatur.

Sola creaturæ rationales ſunt ſacramentorum capaces.

Secundo, videri poteſt, non ſolas rationales creaturas, ſed etiam inanimes & inſenſatas poſſe ſuſcipere ſacramenta, poſſe ſcilicet iis præberi & conferri ſacramenta. Nam etiam huiuſmodi res ſacris cæremonijs benedicuntur & conſecrantur. Ac ſaltem in veteri lege hæ cæremoniæ erant ſacramenta. Nam de ratione illorum ſacramentorum ſatis erat, conferre ſanctificationem & conſecrationem externam, cuius huiuſmodi res ſunt planè capaces: vnde appellantur loca ſancta, olea ſacra, & ſimilia. Certe tamen ſolis rationalibus creaturis conferri poſſunt ſacramenta propriè dicta: licet ſumendo latiori ſignificatione nomen ſacramenti, etiam irrationalibus creaturis dici poſſint applicari ſacramenta, idest ſacræ cæremoniæ. Concluſio patet: quia ſacramentum proprie dictum definiebatur, quod erat inſtitutum ad ſanctificandum hominem: igitur ſanctificatio ſeu conſecratio quæ rebus inſenſatis adhiberi poteſt, non ſufficit ad denominationem ſacramenti propriè dicti. Quia verò nomen hoc poteſt latiùs vſurpari: ſic etiam illæ cæremoniæ & ſacri ritus, quibus creaturæ irrationalos inſigniri poſſunt, dici poterant ſacramenta.

Soli homines.

Tertio, videri poteſt, non ſolùm homines, ſed etiam Angelos poſſe ſuſcipere ſacramenta. Non enim apparet impoſſibile, ipſos etiam Angelos ſignis externis ſanctificari. Sed tamen, licèt fuiſſet poſſibile, inſtitui à Deo talia ſigna: tamen de facto ſoli homines, & non Angeli, ſunt ſacramentorum capaces. Patet: tum quia omnes Angeli, vel ſunt Beati, vel ſunt Damnati: & neutri poſſunt de nouo gratiam & ſanctificationem recipere. Tum etiam dum fuerunt in via, Angeli ſuis ſolis actibus debebant ex opere operantis beatitudinem & augmentum gratiæ promereri, à peccatis autem non poterant expurgari: quare ſacramentis nō indigebant. Tum inſuper, cùm Angeli ſint ſpirituales, non erant illis proportionata ſigna ſenſibilia & externa, ſicut hominibus. Tum demum illæ actiones in quibus de facto inſtituta ſunt ſacramenta, non poſſunt exerceri circa Angelos. Non enim poſſunt Angeli lauari, vngi, & cætera. Niſi forte in corporibus aſſumptis: Sed nec ſic vllum effectum circa Angelos ex ſua inſtitutione haberent ſacramenta.

Quartò,

Soli viatores.

Quartò, videri poteſt, ita omnes homines poſſe ſuſcipere ſacramenta, quod non ſolùm viatores, ſed etiam poſt hac vitam, ſaltem illi qui in corpore & anima in ſtatu beatitudinis vel damnationis viuerent, ſint ſacramentorum capaces. Et inſuper, quod infantes nondum nati, ſed tantum concepti & animati, ſint ſacramentorum capaces. Certè tamen ſoli viatores, id eſt in hac vita mortali degentes; & ſoli nati, id eſt extra matris vterum aliqua ſaltem parte egreſſi, vt tangi poſſint; ſunt ſacramentorum capaces. Patet: quia ſolùm in beneficium & ſalutem viatorum inſtituta ſunt ſacramenta: & poſt hanc mortalem vitam, non eſt ampliùs locus nec tempus proficiendi per hæc remedia, ſicut nec per quæcunque opera. Si tamen aliqui mortui reducantur denuò ad hanc mortalem vitam, vt per miraculum toties factum eſt, ijs nonminùs deinceps poterunt ſacramenta applicari & prodeſſe, quia adhuc ſunt verè & propriè viatores. Infantes autem nondum nati, ſed adhuc intra matris vterum exiſtentes, ita vt nulla ſui parte tangi poſſint; non poſſunt pro tali ſtatu ſacramētali remedio adiuuari, non ſunt Baptiſmi capaces, vt in ſpecie circa hoc ſacramentum videbimus.

Omnes Viatores, ſed non omnium ſacramentorum.

Quintò, ex oppoſito videri poteſt, non omnes viatores eſſe idoneos ad ſacramenta ſuſcipienda, ſed tantùm illos qui ſunt compotes rationis: & ita infantes non poſſe validè & vtiliter baptizari. Qui error fuit Hæreticorum quorundam, præſertim eorum qui dicti ſunt Anabaptiſtæ, eo quod baptizatos in infantili ætate, iterum baptizandos cenſerent. Aut ex alia parte videri poteſt, omnes viatores eſſe omnium ſacramentorum ſine exceptione capaces: quibus realiter & phyſicè adhiberi poſſint actiones externæ, in quibus ſacramenta conſiſtunt. Omnes enim ſunt capaces gratiæ & ſpiritualiũ donorum: & ſacramenta ſunt remedia communia pro omnibus inſtituta. Verè tamen omnes viatores ſunt ſacramētorum capaces, ſed non omnes omniũ. Prima pars patet ex poſteriori ratione propoſita. Et quia in ſpecie Baptiſmus nõ ſolùm poteſt, ſed debet etiam infantibus adhiberi: nec infantes ſunt poſtea rebaptizandi. Idq; totum eſt de fide, vt in proprio tractatu de Baptiſmo videbimus. Item ſecunda pars patet. Quia aliorum omnium ſacramentorum non ſunt capaces, niſi homines iam baptizati: & alioqui ſine Baptiſmo alia ſacramenta non proſunt, non valent. Omnibus autem baptizatis poſſunt validè quædam ſacramenta præberi, nempe Confirmatio & Euchariſtia. Sed ſacramentum Pœnitentiæ non niſi illis qui poſt Baptiſmum propria voluntate peccauerint. Extremæ vnctionis non niſi adultis ægrotis in mortis periculo exiſtentibus. Ordinis tantùm viris & non feminis. Matrimonij non niſi viro & feminæ habilibus ad contrahendum. Nec aliter neceſſe aut expediens erat, vt omnia ſacramēta omnibus præberi poſſent. Quinimò ideo inſtituta ſunt varia ſacramenta pro varijs ſtatibus perſonarum, & effectibus gratiarum.

Non omnes qui poſſunt validè, poterunt etiam licitè ſuſcipere.

Sexto deinde, non omnes qui poſſunt validè, poterunt etiam licitè ſuſcipere ſacramenta: nec miniſtris licebit indifferenter illa præbere omnibus quibus validè poſſent. Quinimo ad hoc vt licitè ſuſcipiatur ſacramentum ab ijs qui ſuſcipere volunt, & ad hoc vt licitè a miniſtris præbeatur ſuſcipere volentibus, ſiue ad ſuſcipiendum habilibus, plura requiruntur. Quæ quidem partim mox in ſequentibus attingemus: partim & multò magis diuiſim de ſingulis ſacramentis pertractando, pro varietate diſpoſitionis ad varia ſacramenta requiſitæ.

Quis obligatio ſit ad ſuſcipienda ſacramenta.

Septimò demum, adeſt etiam obligatio ſuſcipiendi ſacramenta. Quæ quidē ſolùm cadit in eos qui moraliter poſſũt præceptis adſtringi, quales ſunt Adulti compotes rationis. Sed in infantes cadit neceſſitas, quæ proinde inducit obligationem in alijs ad miniſtrandum ijs ſacramentum. Certè autem non omnes tenentur omnia ſacramenta ſuſcipere. Quinimo nullus per ſe loquendo in particulari tenetur ad Matrimonium vel Ordinem. Sed Baptiſmus quidem eſt omnibus neceſſarius. Euchariſtia obligat omnes baptizatos qui

Digitized by Google

ad annos diſcretionis peruenerint. Pœnitentia omnes qui poſt Baptiſmum commiſerint mortale peccatum. Confirmatio & Extrema vnctio per ſe non cadunt ſub obligationem, niſi fortè ex aliqua circumſtantia. Quare in ſingulis ſacramentis ſpecialiter videndum erit, qualiter ſint neceſſaria aut debita ad ſalutem. Nec aliud generaliter de hac obligatione determinari poteſt.

SECTIO NONA.

Quæ conditiones requirantur in ſuſcipientibus ſacramenta.

Non requiritur in omnibus, nec reperitur in paruulis, intentio ſuſcipiendi ſacramentū.

IN primis videri poteſt, ſemper & in omnibus requiri intentionem ſuſcipiendi ſacramentum: ſicut dictum eſt, in miniſtro requiri intentionem conficiendi. Vnde Lutherus & ſequaces, apud Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 10., cogitarunt in infantibus dum baptizantur, excitari diuina virtute quoſdam voluntarios motus, & præſertim actum fidei. Sic ergo in ijs poteſt requiri & reperiri huiuſmodi intentio & conſenſus. Imò in ipſa Eccleſia catholica moris eſt, vt Sacerdos baptizaturus infantem, eum interroget, an baptizari velit, an credat: & patrini pro ipſo reſpondeat, volo, credo. Certum tamen eſt, non in omnibus requiri, nec in infantibus reperiri intentionem ſuſcipiendi ſacramentum. Rectè enim in Eccleſia baptizantur infantes, qui vtique non cognoſcunt quid circa eos agatur, non ex ſua intentione recipiunt ſacramentum. Neque fingendum eſt, diuina virtute vllos in eis rationis aut voluntatis motus reperiri. Quin potius fatendum eſt, ita fuiſſe ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta, vt etiam infantibus abſque vllo eorum conſenſu & intentione prodeſſe poſſint, gratiamque & ſalutem conferre. Diuerſaque ratio eſt de miniſtro: tum ex inſtitutione ipſa Chriſti: tum ex proportione ipſa rerum: quia plus requiritur ad agendum quàm ad recipiendum. Dum vero Sacerdos baptizaturus interrogat, non vtique exigit conſenſum aut fidem ab ipſis infantibus. Nec etiam eſt neceſſaria reſponſio patrinorum. Sed hæc eſt ſolum eccleſiaſtica quædam cæremonia, quæ non eſt de ſubſtantia ſacramenti.

In adultis requiritur hæc intentio.

Secundò, hinc videri poteſt, nec etiā in adultis neceſſariam eſſe intentionem ſuſcipiendi ſacramentum. Et quidem Gloſa in cap: *Soler* de Conſecrat. d. 4., & in cap: *Maiores* de Baptiſmo, ſignificat, etiam ſi quis gerat contrariam voluntatem, id eſt nolit ſuſcipere ſacramentum, adhuc valere Baptiſmum. Et Caiet. infra q. 68. art. 7. ait, ad Baptiſmum ſatis eſſe ſi homo non habeat contrariam voluntatem, etiam ſi non habeat poſitiuam intentionem ſuſcipiendi ſacramentum. Conſtat tamen, in adultis per ſe requiri hanc voluntatem & intentionem; id eſt non ſolum conſenſum vt circa ſe agantur illæ actiones reales, videlicet ablutio & prolatio verborum, ſed etiam formaliter ſub ratione ſacramenti. Ita S. Tho. q. 68. art. 7. agens de Baptiſmo, Scotus, Durand., Bonau., Riccard., & alij in 4. d. 4., & hoc loco, tractantes de Sacramentis in genere, vel de Baptiſmo. Et definiuit expreſſè Innocentius tertius cap. *Maiores* de Baptiſmo, vbi ſatis explicauit, non ſolùm oportere vt ſuſcipiens ſacramentum non habeat cōtrariam voluntatem, ſed etiam vt poſitiuum conſenſum adhibeat. Idem expreſſit Concil. Cartag. 3. can. 34., & Arauſicanum primum can. 12., & D. Auguſtin. lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. & lib. 7. cap. 13., & refertur cap. *Cùm pro paruulis*, & cap. *Soler* de Conſecr. d. 4. Ratio verò eſt inſtitutio Chriſti. Cuius maxima quidem cōuenientia fuit: quia hominum ſaluti, ſacramentorum dignitati, & diuinæ prouidentiæ, conſentaneum erat, vt non niſi ſua voluntate & conſenſu, homines rationis compotes, ad hæc ſacra remedia admitterentur: & aliter nec in ijs effectum haberent, nec applicata valerent.

Sufficit habitualis.

Tertiò, videri poteſt, hanc intentionem cum tanto rigore requiri in ſuſcipiente, ſicut dictum eſt in miniſtrante ſacramentum: quia par videtur ratio, cùm loquamur de ſuſcipientibus adultis. Exploratum tamen eſt, non cum tanto rigore requiri: ſed dicitur ſuffi-

cero etiam habitualis intentio, quę nec ſit actualis, nec virtualis. Et ex inſtitutione ipſa Chriſti cenſetur diuerſa ratio ſuſcipientis ac miniſtrantis. Nam in primis, ſi quis poſtulauit Baptiſmũ, nec retractauit talem petitionem & in animo intentionem, ſed poſtea incidit in amentiam, alioue modo vſu rationis amittit, poteſt adhuc & debet, & ex conſuetudine Eccleſiæ ſolet baptizari. Etiam ſi fortè in ipſo actu reſiſtere videatur: quia hic non eſſet actus humanus & liber; vt aduertit Diana par. 3. tract. 4. reſol. 12. Et paſſim contingit, vt alicui qui poſtulauit abſolutionem, ſeu dedit ſigna confeſſionis, præbeatur abſolutio ſacramentalis, quamuis tunc ſit ſenſibus deſtitutus. Ac ſufficit teſtimonium vnius ſolius, ac etiam Pagani dicentis, moribundum volamentem petijſſe antea ſacramentum, etiam loquendo de Baptiſmo, ad hoc vt illi tribui debeat. Et in dubio debebit ſub conditione conferri, vt notauit Sancius in Selectis diſp. 44. n. 40. Deinde, etiam ſi quis non in virtute ſuæ intentionis & conſenſus admoneatur ad ſuſcipiendum ſacramentum; ſufficit ſi reuera intentionem habuerit, & non retractauerit, vt valeat ei exhibitum ſacramentum. Et vlterius, etiam ſi quis non expreſsè & in particulari petierit aut deſiderauerit quoddam ſacramentum, ſed ſolùm in genere præſumatur habuiſſe deſiderium & intentionem vtendi remedijs & ſacramentis Eccleſiæ, quibus alij Fideles vtuntur: (quod quidem de Catholicis omnibus ſemper præſumitur, quando aliunde non conſtet oppoſitum:) hoc inquam cenſetur ſufficere, vt homini ſubita infirmitate correpto, & ſenſibus deſtituto, præbeatur ſacramentum Vnctionis extremæ. Et in praxi Eccleſiæ ita ſeruatur. Et ſimiliter ſufficeret ad ſacramentum Confirmationis: quia omnes baptizati præſumuntur habuiſſe deſiderium huius etiam ſacramenti ſub illa generalitate ſuſcipiendi remedia conſueta. Non eſt tamen in vſu, vt hoc ſacramentum præbeatur tali ſenſibus deſtituto: quia non confertur niſi ab Epiſcopo, & cum maiori ſolemnitate: & non eſt tantæ neceſſitatis, nec per ſe inſtitutum pro moribundis, ſicut Extrema vnctio.

Quæ intentio requiratur ad Baptiſmum.

Extendit etiam Conink art. 8. num. 103. hoc idem ad Infideles in ordine ad Baptiſmum, dicens, quòd ſi conſtaret quempiam habuiſſe veram contritionem, aut ſaltem attritionem de ſuis peccatis, quamuis nihil cogitando aut cognoſcendo de Baptiſmo & Chriſtiana Religione, tamen in illomet actu includendo voluntatem generalem ſeruandi omnia præcepta; iam cenſeretur pariter habuiſſe implicitè votum Baptiſmi; & ſic fore baptizandum. Sed hoc non eſt admittendum. Et ſanè in praxi, nunquam Eccleſia dabit Baptiſmum vlli adulto, qui non expreſsè petierit baptizari, aut fieri Chriſtianus. Et in rigore diuerſa planè ratio eſt de homine Fideli in ordine ad reliqua ſacramenta conſueta, ac de Infideli in ordine ad Baptiſmum: quia Fidelis cẽſetur habuiſſe voluntatem determinatam ſuſcipiendi ipſa ſacramenta ſeu remedia ſalutis alijs Fidelibus conſueta. Non ſic Infidelis, qui nihil cognouit de Baptiſmo & Chriſtiana Religione.

Quæ ad Ordinem & Euchariſtiam.

Rurſus aliqui etiam extendunt inter Fideles ad ſacramentum Ordinis, & ſacramentum Euchariſtiæ, ſi cui ſenſibus deſtituto conferatur Ordo, vel præbeatur Euchariſtia. Verùm de Ordine nullatenus eſt id admittendum: quia cùm non ſoleat dari omnibus, ſed tantùm paucis, & ſub pluribus circumſtantijs & conditionibus, non præſumitur illa intentio, vbi non fuerit expreſſa. De Euchariſtia autem, nec etiam in vſu eſt, vt præbeatur vlli ſenſibus deſtituto. Quod ſi præberetur alicui in tali ſtatu imminente morte: admitti poterit, conferre illi ſuum effectum gratiæ ob eam generalem intẽtionem, ſuppoſita quoque ſufficienti diſpoſitione præuia. Non tamen ſi præbeatur alicui dormienti, aut ſi caſu ſumatur ab aliquo putante eſſe panem non cõſecratum: quia ſanè non ad talem ſumptionis modum referebatur illa generalis intentio.

Non requiritur ad valorem.

Quartò deinde, videri poteſt, ad valorem ſacramenti requiri probitatem etiam, aut ſaltem fidem ſuſcipientis, quando

Digitized by Google

& melior diſpoſitio ſuſcipientis.

Peccat grauiter qui indignè ſuſcipit ſacramentum. Sexto ex his infertur, grauiter delinquere, & ſacrilegij reum eſſe, quemcunque accedentem ad ſuſcipiendum aliquod ſacramentum, ſi non adhibeat quicquid ex parte ſua requiritur ad eius valorem. Similiter ſi non adhibeat diſpoſitionem requiſitam ad recipiendum effectum gratiæ, ſi ponat obicem quominus recipiat gratiam ſacramenti. Ita patet ex Apoſtolo 1. Cor. 11., *Qui indignè manducat & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit*: ideſt qui abſque debita diſpoſitione, ſed cum conſcientia peccati mortalis ſuſcipit Euchariſtiam. Eademque regula eſt de reliquis ſacramentis. Ita quòd ſi quis ſuſcipiat Baptiſmum vel abſolutionem ſacramentalem, abſque attritione ſaltem ſuorum peccatorum, committat nouum mortale peccatum de genere ſacrilegij. Similiter ſi quis ſuſcipiat quodcunque ex alijs ſacramentis cum conſcientia peccati mortalis, committit graue ſacrilegium. Quę obligatio oritur ex ipſa natura rei, nõ ex ipſa vi & inſtitutione ſacramentorum. Quoniam, cùm ſacramenta habeant vim conferendi gratiã, illi qui indiſpoſiti accedunt, grauem irreuerentiam committunt, dum impediunt eorum virtutem; & quantum eſt de ſe irritam reddunt vim & ſignificationem ſacramentorum: atque indignè tractant tàm ſancta & reuerenda myſteria. Sed non propterea, quicunque habet conſcientiam peccati mortalis, tenetur præmittere confeſſionem ſacramentalem ante quodcunque aliud ſacramentum ſuſcipiendum. Sed ad hoc quidem tenetur ſpeciali præcepto ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, vt ſuo loco videbimus. Ad alia autem quatuor ſacramenta, ſatis erit per ſe loquendo præmittere, vel confeſſionem, vel contritionem, qua prudenter quis putet ſe repoſitum eſſe in gratia: quia de reliquo non extat ex hac parte præceptum ſpeciale ac determinatum de præmittenda confeſſione.

Quod ſi quis bona fide & prudenter putans ſe eſſe in gratia, ſuſcipiat aliquod ex his ſacramentis, planè nõ peccat. Imo videtur ex tunc recipere primam gratiam iuſtificantem & peccatorum remiſſionem, vt dicebamus q. 62. ſect. 3., ſi ſcilicet habeat illorum attritionem. Ac etiam quando indiſpoſitus, & cum ſacrilegio ſuſcipit Baptiſmum, ſed poſtea ſe diſponit, recipiet quoque effectum gratiæ baptiſmalis, vt de Baptiſmo videbimus. Et an idem verificetur in alijs ſacramentis, p. op ijs locis examinabimus.

Demum tenetur etiam quicunque vult ſuſcipere ſacramentum, eſſe liber ab excommunicatione & interdicto, impediente ex inſtituto Eccleſiæ hanc ſuſceptionem. Et alioqui etiam ſi quis eſſet in ſtatu gratiæ, vt quidem eſſe poteſt per actum contritionis ſimul cũ huiuſmodi cenſura, graue peccatum ſacrilegij committeret, accedendo ad ſacramentum. Quarè debet prius procurare & obtinere abſolutionem à cenſura, vt dignè poſſit deinceps ſuſcipere ſacramenta.

SECTIO DECIMA.

Qualiter teneantur Miniſtri non præbere Sacramenta indignis.

Svppoſita obligatione non miniſtrandi nec ſuſcipiendi indignè ſacramenta, quia miniſtrare & ſuſcipere correlatiua ſunt: videndum ſequitur, qualiter miniſtrans & ſuſcipiens mutuò teneantur aduertere, ne miniſter præbeat ſacramẽtũ indigno ſuſcipiẽti, & nè ſuſcipiens recipiat ab indigno miniſtro.

Tenentur miniſtri non præbere ſacramenta indignis. Et primò quidem, manifeſtè apparet, per ſe loquendo, teneri miniſtrum non præbere ſacramentum illi quem ſcit eſſe indignum, ideſt peccatori indiſpoſito, ſiue aliqua eccleſiaſtica cenſura ligato: neque ſcilicet inuitando illum ad ſuſcipiendum, neque etiam præbendo illi ſi petat. Ita S. Thomas infra q. 68. art. 4. loquens de ſacramento Baptiſmi, & q. 80. art. 6. loquens de ſacramento Euchariſtiæ, alijque Theologi & Morales Auctores tractantes de ijſdem ſacramentis, Suarez hîc diſp. 18. & quidam alij de ſacramentis in genere. Eadem enim communiter regula eſt de omnibus ſacramentis. Patet ex verbis Chriſti, Matth. 7., *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*. Et ex doctrina Patrum circa ſacramentum Euchari-

 ſtiæ:

Digitized by Google

ſtiæ: ex quo idem extendi debet ad reliqua ſacramenta. Patet etiam ratione ex duplici capite. Vnum eſt generale ex debito charitatis, ad non cooperandum peccato alterius, illudquè impediendum, quando commode fieri poteſt. Quamuis enim alter ſit iam paratus ad peccandum, & in voluntate & petitione ſua iam peccauerit: tamen adhuc charitas obligat, non coadiuuare illum ad exequẽdum opus peccati, ſed potiùs impedire quantum commode fieri poſſit. Aliud caput eſt, ſpeciale ex debito religionis, ob commiſſionem huius miniſterij ſacramentorum. Commiſſum enim eſt hoc exercitium miniſtris, tamen vt dignè & fideliter illud adimpleant. De quo merito dici poteſt: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei: hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Infideliter autem ageret miniſter, qui ſcienter ſacramentum indigno præberet, & contra reuerentiam debitam his ſacris myſterijs. Quare hæc obligatio oritur ex ipſa natura & inſtitutione ſacramentorum. Et pertinet ad omnem miniſtrum, ſiue ex paſtorali officio, ſiue ex delegatione & voluntaria exhibitione. Sed Ioannes Præpoſitus infra q. 80. art. 5. dub. 6. num 23. & Diana par. 4. tract. 4. reſol. 103. non improbabile putant, ex vtroque capite vnum formaliter committi peccatum. Quamuis tamen duo formaliter ſint peccata, id eſt duæ deformitates in vno actu: ſatis totum explicatur in confeſſione vno dicto, miniſtraui ſacramentũ cuidam indignè recipienti.

Secundò, tenetur etiam miniſter ex parte ſua inuigilare, & diligentiam adhibere, ad diſcernendum, num illi qui ſacramenta petunt & ſuſcipere volũt, digni ac diſpoſiti ſint. Hæc tamen diligentia diuerſa eſſe debet, pro varietate & qualitate ſacramentorum: & in omnibus ſeruanda eſt Eccleſiæ conſuetudo. Videlicet, ad præbendum ſacramentum Baptiſmi adultis, oportet illos examinare de fide, & inſtruere de rebus Chriſtianæ Religionis, & præmonere de præceptis ſeruandis in poſterum, & de peccatis præteritis deteſtã-

Tenentur inuigilare vt præbeãt tantùm dignis.

dis. Ad impendendam abſolutionem ſacramentalem, debet Sacerdos aduertere, vt pœnitens integrè confiteatur, habeatquè veram pœnitentiam de peccatis, ſitquè ad abſolutionem ritè diſpoſitus. Ad conferendum ſacramentum Ordinis, debet Epiſcopus examinare ordinandos de eruditione aliiſquè conditionibus requiſitis. Ad præbendum autem ſacramentum Euchariſtiæ, pro ſufficienti diligentia reputatur, videre quod alius petat ſacramentum, ſiue accedat ad ſuſcipiendum, quando aliunde Sacerdoti non conſtet de prauo ſtatu & indignitate petentis: quia debet præſumi digno accedere: cùm ſit res adeo nota inter Chriſtianos, non debere quemquam ad Euchariſtiam accedere cum conſciẽtia peccati mortalis non præmiſſa confeſſione. Et ſic etiam ad alia ſacramenta præbenda, regulariter ſatis eſt ipſa petitio aut acceſſus ad ſuſcipiendum. Sed quia, non omnes ſciunt obligationem accedendi ad hæc alia ſacramenta in ſtatu gratiæ: expedit præmonere ſuſcepturos ſacramentum Confirmationis, & contracturos Matrimonium, vt ſi indigent confiteantur, vel conterantur.

Tertio, ex quibuſdã circunſtantijs & per accidens cõtingit, vt miniſter poſſit aut etiam debeat præbere ſacramẽtum petenti, quem ſcit eſſe indignum. Nempè poteſt, ſi denegando timeat, ſibi graue damnũ, vt notant Suar. diſp 67. ſect. 1. ad finem, Nugnus q. 80. ar. 6. diffic. 4. Bonacina q. 6. de Sacram. puncto 4. n. 15. Diana par. 3. tract. 6. reſ. 48. & alij. Præſertim ſi indignitas petentis ſit alijs occulta, ſed nota ipſi miniſtro, petitio autem ſit publica & corã alijs adſtantibus. In hoc inquam caſu, poſſe imò teneri miniſtrum, præbere ſacramentũ ſic petenti, aſſeritur à D. Thoma q. 80. art. 6. alijſq; Theologis & Moralibus Doctoribus cõmuniter, ſpecialiter loquẽdo de ſacramẽto Euchariſtiæ. Et quamuis aliqui id limitauerint ad ſolũ Paſtorẽ, qui ex officio & iuſtitia tenetur miniſtrare ſacramenta: tamen communiter idem affirmant de miniſtro ex delegatione & ſua voluntate, dum publicè ſacramentum diſpenſat. Et hæc concluſio ſumitur ex cap. ſi tantum, & cap. Pla-

Non debent in publico negare peccatoribus occultis.

cuit. c

Digitized by Google

cauſ. 6. q. 2., & cap. *Si Sacerdos* de Offic. Ordinarij. Et colligitur eodem cap. ex facto Chriſti Domini, qui non denegauit ſuum corpus & ſanguinem Iudæ proditori, cuius peccatum erat tunc occultum. Eademque ratio erit de reliquis ſacramentis, in quibus occurrat idem caſus. Qui tamen faciliùs occurrere poteſt in diſpenſatione publica Euchariſtiæ, ad quam plures ſimul accedunt. Poteſt etiam facilè occurrere in Confirmatione, quæ publicè & ſolemniter ſolet ab Epiſcopo celebrari. Poſſet etiam occurrere in Extrema vnctione, ſi moribundus, quem Parochus occultè ſciret manere obſtinatum in peccato, notoriè coram alijs inſtaret pro hoc ſacramento recipiendo.

In Baptiſmo autem fortè non poteſt occurrere: quia poterit Parochus, aut excuſatione aliqua negare ſeu in dies differre, aut rem Epiſcopo reuelare, qui opportunum conſilium capiet. Et omnino minus eſt ius Infidelis ad petendũ Baptiſmum à miniſtro ſciente eius indiſpoſitionem: maior eſt auctoritas & libertas Eccleſiaſtici Paſtoris ad diſpiciendam, imò & inquirendam diſpoſitionem petentis, & denegandum Baptiſmum indignè petenti: minor etiam obligatio ad conſulendum famæ illius: & maius periculum plurium inconuenientium ex collatione Baptiſmi homini indiſpoſito. In ſacramento Pœnitentiæ certè non poteſt caſus occurrere: quia totum peragitur in ſecretiſſimo foro: in quo non habet locum publica denegatio abſolutionis. Sed potiùs dubitatur, num poſſit Sacerdos ex notitia quam habet extra confeſſionem, & aliundè quam ex accuſatione confitentis, denegare abſolutionem. De qua re ſpecialiter proprio loco dicemus.

In ſacramento Ordinis vix poteſt occurrere. Quia ſolet & debet antecedenter Epiſcopus diſquirere de qualitate ordinandorum: ac tunc determinat quem velit aut nolit admittere: quare poterit magis commodè repellere, & ſecretò admonere, quem noſcit non eſſe dignum. Tenetur etiam ſpeciali diligentia Epiſcopus pro bono regimine Eccleſiæ inuigilare, ne indignos admittat. Et cùm hoc ſacramentum non niſi paucis & electis conferatur: eo faciliùs ob ſuam temeritatem debet expelli, qui indignus audet illud petere. Sed tamen, quia poteſt eſſe, vt quis ratione Eccleſiaſtici beneficij, aut alterius gradus, inſtet ad Ordines promoueri, & publicè appareat dignus; tunc non deberet ob occultam indiſpoſitionem à Prælato repelli, vt habetur cap. *Ex tenore* de Tempor. Ordin. In ſacramento demum Matrimonij, non ſolùm conſtat, ob occultam indiſpoſitionem alicuius partis, non debere nec poſſe Parochum denegare ſuam aſſiſtentiam, & ſimiliter non teneri alterum ex contrahentibus deſiſtere à cõtrahendo matrimonio, & ſic à miniſtrando ſacramento, quando ſibi commodum eſt contrahere: ſed idem fatendum eſt, etiam ſi indiſpoſitio ſit notoria; nec qui indiſpoſitus eſt, velit tunc admonitus ſe corrigere: vt ſpecialiter circa rationem Matrimonij dicemus, eo quòd per ſe ac directè conſideratur tanquam ciuilis contractus. Dummodo tamen inter contrahentes non adſit aliquod impedimentum dirimens, & ambo vel eorum alter non ſint excommunicati vitandi.

Ob plures rationes.

Ratio autem quare in quocunque ſacramento ex dictis, poſſit ac etiam teneatur miniſter, illud præbere quando publicè petitur, & ipſe ſecretò ſolùm ſcit indignitatem petentis; multiplex reddi ſolet. Tum ne lædat famam & exiſtimationem petentis. Tum ne gignat perturbationem aut ſcandalum apud alios. Tum ne priuet de facto petentem, iure quod habet ad ſuſcipiendum ſacramentum. Tum quia non debet miniſter publicus priuata ſcientia duci ad alterum publicè plectendum. Tum quia poteſt eſſe, vt ſub ipſam ſacramenti ſuſceptionem alter per contritionem diſponatur. Et ſi quæ ſint alia huiuſmodi motiua. Vbi, quamuis circa has rationes afferantur aliquæ difficultates, quibus conantur ſatisfacere Suarez de Euchariſtia diſp. 67 ſect. 4, & alij eodem loco, & Lugus hic de Sacramentis diſp. 8. ſect. 11. Tamen non oportet, has omnes rationes, vel eandem ſemper occurrere: ſed pro varietate rerum ſatis eſt quod ali-

Digitized by Google

qua ex ijs occurrat.

Neque in tali caſu peccabit contra charitatem miniſter præbens ſacramẽtum indigno, quaſi cooperans peccato illius: quia non poſitiue cooperatur, ſed tantùm negatiuè permittit, ſeu non impedit. Miniſter enim facit actũ per ſe licitum & ſanctum, præbendo ſacramentum, quod alter poſſet quoque dignè & ſanctè recipere: ſed ex ſua prauitate hic indigne & ſacrilege recipit. Cuius ſacrilegij non eſt cauſa ipſe miniſter, niſi permittens ſeu non impediens. In quo non peccat, dum commodè & prudenter impedire non poteſt. Item non peccat contra Religionem, quaſi irreuerenter & non fideliter tractans & diſpenſans ſacramentum. Quia etiam Religio & reuerentia debita ſacramentis, non obligat miniſtrum ad denegandum ſacramentum indigno, niſi quando commode denegare poteſt, & quando habet talem notitiam indignitatis, qua iuſtè & rationabiliter vti queat.

Debent in ſecreto negare.

Quarto, addebat Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 6. teneri etiam miniſtrum qui ex officio habet miniſtrare ſacramenta, eſtq; proprius paſtor, præbere ſacramentum peccatori occulto, etiam ſi occulte & ſecretò petat: quia adhuc non debet priuata auctoritate & ſcientia, inaudita parte, ſpoliare alterum iure ſuo, eique denegare id quod alioqui ex iuſtitia ipſi debet. Rectè tamen alij communiter notant, non teneri, nec licitè poſſe miniſtrum, quamuis alioqui ex officio obligatum, in tali caſu præbere ſacramentum peccatori occulto, dummodò tamen ſibi certò moraliter conſtet de eius indignitate, & præſcindendo nunc à notitia habita in confeſſione ſacramentali. Etenim ſacramentorum miniſter, debet per ſe proſpicere reuerentiæ debitæ ipſis ſacramentis: quod quidem ipſi conuenit ex eodem paſtoris officio quo fungitur. Quare bene poterit ac debebit ſua met auctoritate, non interpoſita iudiciali forma, vtpote in re ſpectante ad conſcientiam & forum animæ, denegare indignè petenti, id quod alioqui ex iuſtitia deberet dignè petenti: dum ſcilicet totum ſecretò tranſigitur, nec illi irrogatur infamia aut aliud damnum. Neque ei tollitur quicquam ipſi vtile & proficuum: quinimo eius etiam vtilitati conſulitur, ne perficiat tale ſacrilegium. Neque debet in hoc diſtingui inter miniſtrum voluntarium & ex officio obligatum. Debet tamen certò conſtare miniſtro indignitas petentis: alioqui non debet illi negare ſacramẽtum. Et loquimur nunc de notitia habita extra confeſſionem: alioqui, ſi ſolum in confeſſione nouerit, de hoc dicendum erit ſuo loco circa confeſſionis ſigillum.

Interdum debent cõpellere vt reſipiſcãt.

Quintò. Aduertunt aliqui, tantò magis teneri miniſtrum non inuitare & inducere quemquam indignum ad ſuſcipiendum ſacramentum. Si enim tenetur denegare petenti, eò magis tenebitur non inuitare & inducere. Sed quia Chriſtus Dominus Euchariſtiam inſtituens, non ſolùm præbuit Iudæ ſicut cæteris, ſed etiam illum ſicut cæteros inuitauit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus,* Matth. 26. Ideo plures rationes huius facti affert Suarez diſp. 67. cit. ſect. 1. Sed tamen peccabit quidem grauiter miniſter, inuitando & inducendo quemquam ad indigne ſumendum ſacramentum. Item inuitando ſine cauſa quempiam quem ſcit indigne ſumpturum. Interdum vero ex iuſta cauſa poteſt, imò & debet, non ſolùm inuitare, ſed compellere renitentes ad ſuſcipienda ſacramenta, quamuis timeat aut putet indigne ſumpturos, dum tamen hi poſſent ſi vellent dignè ſumere. Sic fatebatur Suarez diſp. 18. ſect. 2. §. *Sed quæres*, ex iuſta cauſa aut neceſſitate id fore licitum. Vt ſi populus in die feſtò debeat audire Miſſam, nec adſit alius Sacerdos niſi improbus, licere illum inducere ad celebrandum, quamuis putetur id facturus cum peccato. Et ſimiliter, ſi valde expediret quoſdã contrahere matrimonium, licere eos ad id inducere, quamuis credantur id facturi in peccato. Præmiſſa tamen admonitione & exhortatione vt ſe diſponant ad dignè recipiendum ſacramentum, prout reuera facere poſſunt. Et præcipuè animarum paſtores tem-

pore

pore Paſchatis compellunt etiam cenſuris aut alijs pœnis renitentes, ad confitendum & communicandum: quamuis forte aliqui obſtinati in peccato, ad euadendas cenſuras & pœnas, inualidè confitebuntur & indignè communicabunt. Tamen quia tenetur poſſunt ac tenentur ritè & dignè hæc ſacramenta ſuſcipere, meritò paſto es procurant illos inducere & ijs medijs compellunt: intendentes, vt illi piè ac ſanctè præceptis Eccleſiæ ſatisfaciant: ſed hi ex ſua malitia & peruerſitate maiori ſe ſacrilegio illigabunt. Et Chriſtus in illo facto inuitauit omnes, vtiquè vt dignè & ſanctè communicarent. Quod quidem ita Iudas, ſicut cæteri, facere poterat ſi volebat, præmiſſa contritione de ſuis peccatis, quãdo adhuc non erat inſtitutum Pœnitentiæ ſacramentum, nec latum præceptum de præmittenda confeſſione ante communionem.

SECTIO VNDECIMA.

Qualiter teneantur Fideles non ſuſcipere ſacramenta ab indigno Miniſtro.

Tenentur ſuſcipientes non recipere à miniſtro qui no poteſt dignè conferre.

PRimò. Ex alia parte conſtat etiam, illum qui vult ſuſcipere ſacramentum, teneri non illud petere aut ſuſcipere à miniſtro indigno, qui non poteſt id licitè miniſtrare, ſiue qui impeditur ab Eccleſia miniſtrare. Quo nomine intelligitur, non ſolum qui ſimpliciter nõ habuiſſet poteſtatem & iuriſdictionem ad ſacramenta miniſtranda: ſed etiam qui habebat, ſed fuerit ab Eccleſia per ſententiam aut cenſuram præciſus & impeditus, vtpote degradatus, depoſitus, ſuſpenſus, excommunicatus, interdictus. Ita notat S. Thomas hac quæſt. art. 6. ad 2, & rurſus q. 82. art. 9. alijque Doctores communiter. Et propterea talem vocant miniſtrum non toleratum, Ideſt quem Eccleſia non tolerat, non permittit, ſed prohibet & impedit miniſtrare. Sed poſt conſtitutionem Martini quinti *Ad euitanda*, non omnis excommunicatus, aut alia cenſura vel inhabilitate ligatus, ſed tantùm notorius Clerici percuſſor, aut ob aliud delictum publicè denunciatus, habetur tanquam præciſus & non toleratus, qui dicitur vitandus: alij autem non ſunt vitandi, vt ſuo loco de Cenſuris tractandum erit. Patet ergo illicitum prorſus eſſe petere à tali miniſtro, vel etiam à ſponte parato, imo & actualiter diſpenſante, ſuſcipere vllum ſacramentum. Idquè tum ex obligatione charitatis, ad non cooperandum peccato illius, in tali acta, quem ille rectè & licitè facere non poteſt. Tum ex obligatione Religionis, ſiue ex prohibitione Eccleſiæ, quæ concomitanter cadit quoque in ipſos Fideles, ne in ſacramentorum receptione participent cum talibus miniſtris ab Eccleſia præciſis & non toleratis. In caſu tamen neceſſitatis poſſet id eſſe licitum: vt ſi quis in periculo mortis non habeat copiam alterius miniſtri à quo recipiat ſacramentum. Vbi etiam tali miniſter piè & licitè poſſet, imo teneretur ſacramentum neceſſarium miniſtrare. Se diſponendo tamen per contritionem, ſi erat in ſtatu peccati mortalis, iuxta regulam antea traditã.

An poſſint recipere ab indigno qui tamen poſſit dignè conferre.

Secundo, ſi miniſter ſit quidem indignus & improbus, qui proinde cum peccato collaturus ſit ſacramentum, non ſit tamen ab Eccleſia præciſus, ſed toleratus, non teneri quenquam abſtinere à ſuſcipiendis & petendis ab illo ſacramentis, abſolute ſignificant S. Thomas ijſdem locis, Durand. in 4. d. 5. q. 2. Palud. q. 3. art. 1. Riccard. ead. diſt. art. 3. q. 4. Syluester in Summ. verbo *Baptiſmus* 3. num. 7. Et defendunt Ledeſma 1. par. quarti q. 5. art. 6. dub. 12. propoſ. 8. Diana par. 4. tract. 4. reſol. 21. & quidam alij. Plures ſub varijs diſtinctionibus docent, licitum vel illicitum eſſe, ſuſcipere & petere ſacramentum à tali iniquo miniſtro. Scotus in 4. d. 5. q. 2. art. 1. licitum eſſe à miniſtro peccatore occulto, & à publico, qui ex officio tenetur, & etiam à miniſtro voluntario, quando non adſit alius miniſter probus: ſi verò adſit alius probus, non licere à tali improbo. Adrian. in 4. q. 3. de Baptiſmo ait, licitum eſſe à miniſtro qui ex officio tenetur, & à miniſtro voluntario per ſe parato, non licere

licere autem petere à miniſtro voluntario, non per ſe parato & expoſito. Caietan. hic art 6. ait, licere à miniſtro parato, & occurrente neceſſitate aliqua tunc recipiendi ſacramentum, & in hoc ſenſu intelligit S. Thomam: aliter non licere. Sotus in 4. d. 1. q. 5 art 6. verſic. *Prima itaque*, ait, licitum eſſe petere ab improbo miniſtro, quando non adeſt alius: aut ſi adſit alius, & improbus quoque ſit de ſe paratus, eſſe tantum veniale ab eo petere. Idque probabile cenſet Sanchez tom. 1. Operis moralis lib 3. cap. 8. num. 13.

Poſſunt recipere ob ſuam neceſſitatem.

Meliùs tamen Suarez hic diſp. 18. ſect. 1. Conink hac qu. art 6. dub. 2, Nugn. eodem art., Bonacina quæſt. 6. de Sacram. puncto 6. & alij magis cōmuniter, ſub vnica diſtinctione docēt, licitum eſſe ſuſcipere & petere ſacramentum ab iniquo miniſtro, ob neceſſitatem aliquam ipſius ſuſcipientis, vt potel quia adeſt tempus præcepti, vel ſimilis: non licere autem ſecluſa omni neceſſitate. Etenim miniſter poteſt piè & ſanctè adminiſtrare ſacramentū, ſe diſponendo vt ſupponimus. Quare poteſt etiam alter licitè & piè ab eo ſuſcipere & petere ſacramētum. Quòd ſi exiſtimet, talem miniſtrum eſſe obſtinatum in prauo ſtatu, atque adeo cū ſacrilegio miniſtraturum ſacramentum: tunc ob ſuam neceſſitatem poteſt adhuc licitè petere ſacramentum, ſed ſecluſa neceſſitate non poteſt. Nimirū iuxta regulam generalem de ſcandalo: non teneri quempiam cum ſuo notabili detrimento vitare ſcandalum paſſiuum, ſeu impedire peccatum proximi; teneri tamen quādo commodè poteſt. Et ſic dicitur de petendo iuramento à Gentili, qui iuraturus eſt per falſos Deos: de petendo mutuo ab vſurario, qui exiget lucrum vltra ſortem: & ſic de ſimilibus. Neceſſitas autem ſacramenti ſuſcipiendi à tali iniquo miniſtro dicetur, quando quis non poteſt commodè ſuſceptionem differre, & interim non adeſt alius probus miniſter. Et hæc regula valet: ſiue ille improbus miniſter ſit ex officio obligatus, ſiue non: item ſiue erat per ſe paratus, ſiue non: ac etiam ſiue ſit occultus ſiue publicus peccator. Neque in hoc eſt facienda exceptio de publico Concubinario: quia & ſi olim erat ſpecialiter prohibitum, cum tali in ſacramentis percipiendis communicare, vnde is habebatur tanquam præciſus & non toleratus: tamen deinceps ceſſauit hæc prohibitio, & reducta eſt ad terminos communes. Admittendum tamen eſt, quòd minor neceſſitas poterit ſufficere, quando miniſter ſit ex officio obligatus, ſit ſponte paratus & expoſitus, ſit occultus & non publicus peccator. Habita etiam ratione ne ſequatur ſcandalum aliorum. Quantā verò & qualis neceſſitas ſufficiat, prudenti iudicio diſcernendum eſt, pro varietate rerum & circumſtantiarum. Et iuxta variam etiam conditionem ſacramentorum, peculiares regulæ tradendæ erunt in proprijs tractatibus ſingulorum.

Non debēt inquirere aut facilè dubitare de dignitate miniſtri.

Notari quoque communiter ſolet, non teneri nec debere quemquam ſuſcepturum ſacramentum, diſquirere aut diligentiam vllam facere de probitate miniſtri: quia certe non hoc illi incumbit. Sed potiùs debere reputare illum probum, dum non ſibi contrarium conſtet. Item non ex eo quod audierit aut viderit miniſtrum paulò ante in peccatum aliquod cecidiſſe, debere credere illum permanere in ſtatu peccati, & in eo ſtatu abſque conuenienti diſpoſitione miniſtraturum: quin imò potiùs concipere ac ſperare poſſe illum per contritionem diſponendum, ne nouum peccatum per ſacrilegam ſacramenti adminiſtrationem committat. Sed ſolùm quando ſciat, illum habitualiter in aliqua praua conſuetudine abſque emendationis ſigno permanere; tunc debere hanc regulam ſeruare, vt non recipiat ab illo ſacramentum abſque ſua neceſſitate. Notant demum Suarez & Bonacina, ſimilem rationem eſſe de inſeruientibus miniſtro conficienti ſacramentum, vt iniquo Sacerdoti celebranti, Epiſcopo ordinanti. Niſi quòd vix moraliter continget, vt inſeruiens poſſet commodè impedire ſacrilegium talis miniſtri, & ab inſeruiendo deſiſtere: ideoque non eſſe hos ſcrupulos his inſeruientibus iniiciendos.

Tertiò

Qui ſumit & miniſtrat indignè; quot formaliter peccata committat.

Tertio demum, quia in aliquo ſacramento, idem eſt miniſter & ſuſcipiens, vt in Euchariſtia quando idem Sacerdos communicat ſe ipſum, & in ſacramento Matrimonij ambo contrahentes ſuſcipiunt & miniſtrant: ex dictis ſequi videtur, ſi id fiat abſque debita diſpoſitione, inueniri in tali peccato quatuor diſtinctas ſpecie malitias. Vnam quia indignus miniſtrat ſacramentum, ſecundam quia indignus ſuſcipit ſacramentum, tertiam quia miniſtrat ſacramentum indigno, quartam quia recipit ſacramentum ab indigno. Si tamen dicatur, in his ſacramentis non committi mortale peccatum ex parte miniſtri formaliter, eo quod præbere Euchariſtiam non eſt conficere ſacramentum, & contrahere matrimonium non eſt officium miniſtri conſecrati; vt ſuis locis videbimus: non id totum ſequitur. Sed ſolùm duæ remanent deformitatis rationes, ſcilicet quia indignè ſuſcipitur ſacramentũ, & quia miniſtratur ſuſcipienti indigno. Sed adhuc Vaſquez diſp. 109. cap. 1. negat, has eſſe duas malitias ſpecie diſtinctas: quia tota malitia conſiſtit in eo quod impediatur ſacramentum a ſuo effectu gratiæ, & reddatur vana eius efficacia; ac veluti falſa eius ſignificatio. Quę malitia eiuſdem rationis eſt, in eo qui ſic ſuſcipit ſacramentum, & in eo qui præbet ſuſcipienti. At Suarez diſp. 67. sect. 1. vult, in eo actu eſſe duas ſpecie diſtinctas malitias. Et defendit Lugus diſp. 8. de Sacram. ſect. 12. Non quia, quatenus miniſtrans ſibi ipſi ſacramentum, diſtinctam malitiam contrahat, tanquã cooperans peccato ſuo: non enim habet locum cooperatio reſpectu ſui ipſius. Sed quia non ſanctè & fideliter vt debet, exercet officium miniſtri; & non ſeruat reuerentiam debitam ſacramento in miniſtrando. Et ſane non ſatisfaceret confeſſioni Sacerdos, qui ſe ipſum indignè communicauit, ſi tantùm diceret, ſuſcepi Euchariſtiam indignè, vel miniſtraui Euchariſtiam cuidam indigno. Sed omnino fateri debet vtrunque, ſcilicet à me ipſo ſumpſi Euchariſtiam indignè. Et quamuis tota malitia dicatur conſiſtere in hoc, quod impediatur ſacramentum à ſuo effectu: tamen in hoc ipſo erat diuerſitas: quia aliud eſt ſumere ſacramentum ponendo obicem eius effectui; & aliud præbere ſacramentum homini ponenti obicem.

QVÆSTIO SEXAGESIMAQVINTA

De Numero & Ordine Sacramentorum.

AB initio iam ſatis conſtat de diuerſitate Sacramentorum veteris & nouę legis: & quantum euangelica ſacramenta præſtent ac præcellant antiquis. Item quot & quæ fuerint vetera ſacramenta, ſufficienter notauimus quæſt. 61. ſect. 2. Sæpius etiam in ſuperioribus attigimus, quot & quæ ſint euangelica ſacramenta. Sed modo ſpecialiter ſtabilire debemus horum ſacramentorum numerum & ordinem, vt deinceps de ijs ſingulis pertractemus. Et per reductionem etiam ad noſtra ſacramenta conſiderabimus ſimul & trahemus antiqua, inquantum illis correſpondent. Et ita S. Thomas non niſi de ſacramentis nouæ legis hic per quatuor inquirit articulos.

Primò ſtatuit, tribus rationibus conuenienter inſtituta fuiſſe à Chriſto Domino ſeptem Sacramenta. Secundo declarat rationem ordinis inter ipſa ſacramenta. Tertiò docet ſacramentum Euchariſtiæ eſſe potiſſimum inter omnia ſacramenta: tum quia continet Chriſtum ſubſtantialiter; tum quia ad Euchariſtiam cætera ſacramenta quodammodo referuntur: tum quia in ipſa Euchariſtia ferè omnia alia ſacramenta conſummantur. Quartò demum declarat, qualiter diuerſa ſacramenta ſint diuerſimodè neceſſaria.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Quot & quæ ſint noſtra Sacramenta.

NOn ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Hæreticos, in confeſſo quidem eſt, non vnum tantum, ſed plura eſſe Eccleſiæ ſacramenta. Sed ad deſignandum quot & quæ ſint, mirum in modum & per varias ſectas recentiores Hæretici diuiſi ſunt. Dum alij tantùm duo, alij tria, & ſic deinceps vſque ad ſeptem, agnoſcunt ſacramenta. Et aliqui etiam conuenientes in numero quot ſint ſacramenta, non concordant in rebus quænam ſint ſacramenta. Ita refert Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 25.

Septẽ ſunt Eccleſiæ ſacramẽta

Eſt autem de fide, ſeptem eſſe legis euangelicæ ſacramenta, quæ in Eccleſia extant. Videlicet, *Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.* Intelligendo per hæc nomina, illas res & actiones, quæ in vſu & praxi Eccleſiæ celebrantur & appellantur ſacramenta, & in Romana Eccleſia exercentur. In hac fidei veritate omnes Theologi conſentiunt, S. Thomas art. 1., & alij hoc loco, Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 2., Morales Auctores tractantes de Sacramentis, & Catholici ſcriptores contra Hæreticos. Eſtquè res ſolemniter definita in Concil. Tridentino ſeſſ. 7. can. 1., & antea in Florentino ſeſſ. vltima, & a Lucio Papa tertio cap. *Ad abolenda* de Hæreticis, alijſquè antiquioribus Pontificibus & Concilijs.

Habentur ex ſacra Scriptura.

Ex Scriptura, non habemus in vno certo loco, ſimul collecta & deſignata, hæc ſeptem ſacramenta. Tamen ex varijs locis ſatis habemus, hæc eſſe ſalutis noſtræ remedia, in quibus datur nobis gratia, quæ appellantur ſacramenta. Huiuſmodi Scripturæ loca, iam in ſuperioribus ſparſim allata ſunt: ſed præſertim quæſt. 62. ſect. 1. Ex veteri etiam Teſtamento poteſt afferri, quod in antiquis illis expiationibus, frequenter ſeptenarius numerus ſeruabatur. Exodi 29., Leuitici 4., 8., 13., 14., 15., 16., & 23., Numeri 19., Deuteron. 15., 2. Paralip. 29., Iob vltimo. Et 4. etiam Reg. 5. ſepties lauari iuſſus eſt Naaman Syrus vt mundaretur à lepra. Quo ſane conſilio, ſeptenarium noſtrorum ſacramentorum numerum Deus præfigurare voluiſſe videtur.

Ex Patribus & traditione.

De iiſdem ſeptem Eccleſiæ ſacramẽtis, ſancti Patres & Doctores ſæpe loquuti ſunt. Qui etiam, licèt non omnia in vno loco ſimul ſoleant numerare: tamen ſparſim in diuerſis locis omnia agnouerunt & aſſignarunt, vt in proprio ſingulorum tractatu aſſeremus. Inſuper primæua & perpetua traditione, hæc ſeptem ſacramenta Eccleſia tenet. Non enim noſtri Theologi illa excogitarunt. Sed Magiſter ſententiarum & alij deinceps, theologica methodo tractare inſtituerunt, quæ in Eccleſia extare inueniebant. Nullumque initium, nullum tempus poſt Chriſtum apparet, quo hæc ſacramentorum introductio in Eccleſia cœperit: quare omnino ab Apoſtolis, imo ab ipſo Chriſto Domino accepta eſt. Ratione nõ poteſt hęc veritas efficaciter comprobari. Nõ enim alia eſſe poterat efficax ratio huius inſtitutionis, niſi voluntas Dei & Chriſti. Solùm poſſunt rationes conuenientiæ aſſignari. Et quidem tres optimas ponit S. Thomas art. 1.

Ex proportione vitæ ſpiritualis ad corporalem.

Prima eſt per analogiam & proportionem vitæ ſpiritualis ad vitam corporalem. Sicut enim in vita corporali perficitur homo, tum quantum ad perſonam propriam, tum quantum ad communitatem: ita quædam ſacramẽta inſtituta ſunt ad perfectionem propriæ animæ, ſcilicet priora quinque; & alia ad commodum communitatis, ſcilicet vltima duo. Et ſicut in propria perſona perficitur homo, vel per ſe acquirendo aliquam perfectionem, vel remouendo impedimenta, puta ægritudines: ita inter illa quinque priora ſacramenta, prima tria valent ad perfectionem vitæ ſpiritualis in ſe, alia duo ad remouenda impedimenta. Sicut demum in propria perſona per ſe homo perficitur, primò dum naſcitur, ſecundo dum augetur, tertiò dum nutritur: ita per illa tria ſacramenta, homo in Baptiſmo ſpiritualiter renaſcitur, in Confirmatione augetur, in Communione nutritur. Et ſicut in remouendo

ægri-

Digitized by Google

ægritudinis impedimenta, priùs ex morbo recuperat ſanitatem, deinde perfectiùs conualeſcit: ita per alia duo ſacramenta, priùs homo à peccato ſanatur per Pœnitentiam, deinde per Extremam vnctionem à peccatorum reliquijs emundatur. Tandem, ſicut communitas tota perficitur, tum per aptũ regimen, tum per propagationem: ita ſpiritualiter per ſacramentum Ordinis Eccleſiæ gubernatio, & per ſacramentum Matrimonij Fidelium multiplicatio diſponitur. Hanc totam rationem expreſſit præclarè Concil. Florent. dicens. *Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, roboramur in fide, renati autem & roborati nutrimur Diuina Euchariſtia alimonia: quòd ſi per peccatum ægritudinem incurrimus, ſpiritualiter per Pœnitentiam ſanamur, ſpiritualiter etiam & corporaliter prout expedit animæ per Extremam vnctionem. per Ordinem verò Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter, per Matrimonium corporaliter augetur.*

Ex remedio contra peccatum.

Secunda ratio S. Thomæ eſt, per reſpectum ſacramentorum contra defectum peccati. Nam Baptiſmus ordinatur contra carentiam vitæ ſpiritualis, Confirmatio contra infirmitatẽ animi, Euchariſtia contra labilitatem animi, Pœnitentia contra actualia peccata poſt Baptiſmum commiſſa, Extrema vnctio contra reliquias peccatorũ, Ordo contra diſſolutionem multitudinis, Matrimonium contra concupiſcẽtiam perſonalem, & contra multitudinis defectum contingentem per mortẽ.

Ex correſpondentia ad virtutes.

Tertia ratio eſt, per analogiam ſacramentorum ad ſeptem virtutes, tres Theologales & quatuor Cardinales, ac etiam per vim quam ſacramenta habent contra defectus & pœnalitates huius vitæ. Nam Baptiſmus correſpondet fidei, & ordinatur contra labẽ originalem. Spei Extrema vnctio, quæ & ordinatur contra culpam venialem. Charitati Euchariſtia, quæ & ordinatur contra malitiam. Prudentiæ correſpõdet Ordo, qui & ordinatur contra ignorantiam. Iuſtitiæ Pœnitentia, quæ & ordinatur contra peccatum mortale. Temperantiæ Matrimonium, quod & ordinatur contra concupiſcentiam. Fortitudini Confirmatio, quæ & ordinatur contra infirmitatem. Præter has, aliæ & ſimiles rationes ab alijs excogitatæ ſunt. Sed hæ ſufficiunt.

Non eſt aliud ſacramentũ extra ſeptem.

Denique, cùm dicimus, de fide conſtare, ſeptem hæc eſſe Eccleſiæ ſacramenta: non ſolùm intelligi debet, non eſſe pauciora: & omnia hæc eſſe vera ſacramenta. Sed etiam non eſſe plura, non extare aliud præter hæc ſeptem. Nam Tridentinum vtranque partem expreſsè definiuit: *Si quis dixerit, ſacramenta nouæ legis eſſe plura vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum &c. anathema ſit.* Dum enim ex Scriptura & Apoſtolica traditione habemus determinatè hæc ſeptem ſacramenta; conſequenter habemus, non eſſe alia aut plura. Sicut, cùm fides docet, tres eſſe Diuinas perſonas: non ſolùm intelligitur, non eſſe pauciores, ſed etiam nec eſſe plures. Quæri tamen poteſt, num aliquod ex dictis ſeptem ſacramẽtis, poſſit rurſus in plura diuidi, ita vt ſit veluti genus, continens ſub ſe plures ſpecies: præſertim an Euchariſtia debeat diuidi in ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, an ſacramentum Ordinis in ſeptem vel octo Ordines. Sed hoc iam ſpectat ad propriam rationem ac diſtinctionem horum ſacramentorum, quam proinde ſuis locis conſiderabimus. Modo ſatis conſtat, non extare aliud ſacramentum extra illa ſeptem.

Non ſunt pauciora ſacramenta quam ſeptem.

In contrarium, ad probandum non hæc omnia ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta, Obijciunt Hæretici ex Scriptura: quia in nullo loco hæc omnia ſacramenta aſſignantur. Et præterea, cùm ex latere Chriſti Domini ſanguis & aqua profluxerint Ioann. 19., Sancti declarant denotari Eccleſiæ ſacramenta, quæ veluti ex latere Chriſti manauerint. Et aliqui etiam myſticè intelligunt, Euchariſtiam per ſanguinem, Baptiſmum per aquam: quare non vidẽtur eſſe alia quàm hæc duo ſacramenta. Item ex Patribus, qui etiam nuſquam illa omnia ſeptem ſacramenta coniunctim numeraſſe inueniuntur. Et præterea D. Auguſt. Epiſt. 118. & lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 9. ſolùm aſſi-

Rrr gnauit

gnauit Baptiſmum & Euchariſtiam. Ambroſ. lib 3. de Sacrament. ſolùm addidit Confirmationem. Dionyſ. Areopagita in libris de Eccleſiaſt. Hierarch. addebat tantùm Ordinem.

Reſpondetur, ſatis eſſe, quòd in diuerſis Scripturæ locis omnia ſeptem ſacramenta habeantur. Et quamuis in illo myſterio ſanguinis & aquæ, ſpiritualiter deſignata dicantur duo illa ſacramenta, Baptiſmi & Euchariſtiæ, quia hæc ſunt præcipua: non per hoc excluduntur alia quinque. Sed etiam plerique Patres aliter myſterium illud exponunt: & per ſanguinem intelligũt prætium & meritum redemptionis Chriſti, & per aquam omnia Eccleſiæ ſacramenta; in quibus applicatur nobis prætium redemptionis noſtræ. Ideoque priùs nominari ſanguinem quàm aquam, *Exiuit ſanguis & aqua*. Et benè per aquam poterant ſacramenta omnia figurari: tum quia omnia mundant animam: tum quia Baptiſmus qui in aqua inſtitutus eſt, eſt ianua aliorum ſacramentorum, eſt primum ſacramentum quo Chriſtiani initiantur, ad quod ſequuntur alia ſacramenta. Patres etiã allegati, licèt in illis locis non plura ſacramenta nominauerint: tamen nec ibi nec vnquam dixerunt, illa ſola eſſe ſacramenta, nec intendebant vno in loco omnia recenſere: ſed iuxta varias occaſiones quædam ſolùm commemorabant. Et ſatis eſt, quod in varijs locis omnia ſacramenta à Sanctis Patribus numerata ſunt.

Non ſunt plura quã ſeptem.

Ex oppoſito obijci poteſt, ad probandũm, plura & alia eſſe ſacramenta, præter ſeptem quæ conſtituta ſunt. Lotió pedum facta à Chriſto Ioan. 13. videtur fuiſſe ſacramentum. Dixit enim Chriſtus, *Si non lauero te non habebis partem mecum*: & inſtituit etiam vt deinceps quoque fieret inter Fideles, *Sicut ego feci, ita & vos debetis alter alterius lauare pedes*. Vnde expreſsè Ambroſ. lib. 3. de Sacrament. cap. 1. Cyprian. in Serm. de Ablut. pedum, Bernard. ſerm. in Cœna Domini, aſſerunt illud fuiſſe ſacramentum. Inſuper Auguſt. lib. 19. cont. Fauſtum cap. 14. ſignum crucis vocat ſacramentum. Et lib. 2. de Peccator. merit. & remiſs. ſimiliter ſacramenti nomine vocat quendam panem benedictum qui dabatur cathecumenis. Et Alexander primus Epiſt. 1. aquam benedictam vocauit ſacramentum.

Reſpondetur ad locum Scripturæ, illam actionem Chriſti non fuiſſe propriè ſacramentum, in ſenſu quo nunc hoc nomen ſumimus. Sed tantùm fuiſſe eximium quoddam humilitatis exercitiũ. Dixit autem Dominus Petro, *Si non lauero te &c.* quia eo ipſo præcipiebat illi vt ſineret lauari ſibi pedes. Vel, vt aliqui exponũt, quia illa pedum ablutio denotabat abſterſionem venialiũ peccatorum, à quibus debent iuſti emundari, vt admittantur ad cæleſtis regni ingreſſum. Dum verò dixit, *Sicut ego feci &c.* non per hoc illam inſtituit tanquam ſolemnem ceremoniam deinceps in Eccleſia obſeruandam; ſed tantum illo exemplo dare voluit humilitatis documentum. Ad Sanctos Patres dicẽdum eſt, latiori ſignificatione vſurpaſſe ſacramenti nomen, prout ad omnia ſacra ſigna ſeu ſacras actiones poteſt extendi. Sed quando dicimus, illa ſola ſeptem eſſe ſacramenta, ſumitur ſacramentum propriè pro illis ſignis quæ inſtituta ſunt à Chriſto ad conferendam gratiam.

SECTIO SECVNDA.

Quem ordinem inter ſe Sacramenta teneant.

MVltiplex ordo inter Sacramenta conſiderari poteſt. Primus eſt ordo numerationis ſeu connexionis. De hoc agit S. Thomas art. 2. Et benè docet, ſacramenta rectè eo ordine numerari, quo iam numerata & aſſignata ſunt. Alijque Theologi communiter eodem ordine numerant. Imò & Concil. Florent. ac Trident. Nempè primò Baptiſmum, ſecundò Confirmationem, tertiò Euchariſtiam, quartò Pœnitentiam, quintò Extremam vnctionem, ſextò Ordinem, ſeptimò Matrimonium. Et ratio hui⁹ ordinis præcipuè ſumitur ex analogia illa & proportione vitæ ſpiritualis ad corporalem, quam primo

Ordo numerationis.

loco

loco propoſuit S. Thomas art. 1., & iam ſatis explicauimus.

Ordo dignitatis. Secundus eſt ordo dignitatis & perfectionis. Vbi recentiores Hæretici contendunt, ſacramenta eſſe inter ſe paria, vt refert Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 28. Certum tamen eſt, inter ſacramenta reperiri hunc ordinem dignitatis, quo aliquod ſit alijs dignius & excellentius. Ita definiuit Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 3. *Si quis dixerit, hæc ſeptem ſacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.* Et in primis, Euchariſtiæ ſacramentum, abſolute loquendo, eſt inter omnia ſacramenta digniſſimum. Ita S. Thomas art. 3., & alij omnes. Probat tripliciter S. Doctor, vt videri poteſt in textu. Sed manifeſtiſſima & præcipua ratio huius præeminentiæ eſt, quia hoc ſacramentum continet realiter & ſubſtantialiter Chriſtum ipſum. Deinde, inter cætera ſacramenta aduertit optime S. Thom. eod. art. ad 4., poſſe ſecundùm varias rationes & conſiderationes alia alijs in dignitate præferri: vnde vix poſſit certa aliqua regula ſimpliciter ſtabiliri. Quia ita poſſunt varijs modis inter ſe ſacramenta conferri, vt ferè ſingula ſingulis penes aliquā rationem præferenda videantur: vt benè deducit Bellarm. loco citato: & in tractatione ſingulorum ſacramentorum plenius apparebit. Inſinuat tamen S. Thomas, poſt Euchariſtiam cui primus datus eſt locus, ſecundum dignitatis locum competere Ordini, tertium Confirmationi, quartū Baptiſmo, quintum Extremæ vnctioni, ſextum Pœnitentiæ, ſeptimum Matrimonio.

Ordo neceſſitatis. Tertius eſt ordo neceſſitatis, quo ſcilicet vnum ſacramentum eſt præ alijs neceſſarium. Sic ex S. Thomas art. 3. & 4., primum ſacramentum ordine neceſſitatis eſt Baptiſmus, qui videlicet eſt neceſſarius omnibus & abſolutè. Secundum eſt Pœnitentia, quæ nempe eſt neceſſaria omnibus qui poſt Baptiſmum in aliquod peccatum mortale labuntur. Tertium eſt Ordo, qui neceſſarius eſt reſpectu totius Eccleſiæ. Alia tria ſunt neceſſaria ad melius eſſe. Confirmatio poſt Baptiſmum. Extrema vnctio poſt Pœnitentiam. Matrimonium ad Eccleſiæ multitudinem. Dicitquè S. Thomas, hoc non eſſe ſimpliciter neceſſarium: non quaſi neceſſaria non ſit filiorum procreatio ad conſeruationem Eccleſiæ: aut quaſi neceſſaria non ſit coniugalis coniunctio ad legitimam & licitam filiorum procreationem: ſed quia ſimpliciter poteſt ſine Matrimonij ſacramento fieri, vt filij procreantur. Siquidem inter non baptizatos gignuntur filij ex Matrimonio quod non eſt ſacramentum: & inter Fideles quoque gignuntur ex illicito concubitu abſque matrimonio: & aliqui volunt poſſe etiam inter Fideles inueniri Matrimonium ſufficiens ad licitum concubitum, quod non ſit ſacramentum. De Euchariſtia non meminit S. Thomas in hoc neceſſitatis ordine: tamen in ſoluti ad 2. indicat, non eſſe ſimpliciter neceſſariam ſacramentalem Euchariſtiæ ſumptionem: ſed ſpecialiter de huius ſacramenti neceſſitate tractat proprio loco quæſt. 73. Et quidem in vniuerſum de neceſſitate ſingulorum, proprijs locis erit in ſpecie pertractandum.

Ordo ſuſceptionis. Quartus præterea eſt ordo executionis ſiue ſuſceptionis. Sic ex parte, eodem ordine ſuſcipiuntur ſacramenta, quo antea numerata ſunt. Nam ante omnia ſuſcipitur Baptiſmus, qui eſt ianua cæterorum, & ſine quo nec proſunt nec valent alia. Secundò ſuſcipi ſolet, quamuis non de neceſſitate, ſed de congruentia, Confirmatio. Tertiò per ſe loquendo ſequitur Euchariſtia. Dico per ſe loquendo: id eſt niſi interponatur impedimentum peccati mortalis, quia tunc debet ſacramentum Pœnitentiæ mediare. Vnde hic mos in Eccleſia ſeruatur: vt adulti qui baptizantur, ſtatim confirmentur, & ad communionem admittantur. Sed quia filij qui ex parentibus fidelibus naſcuntur, ſtatim in infantili ætate baptizantur, & non niſi poſt plures annos ad communionem admittuntur, & interim ex humana imbecillitate peccata contingunt: ideo inter Fideles ſolet præcedere Pœnitentiæ ſacramentum, ante Euchariſtiæ ſumptionem. Tandem ſequitur Extrema vnctio, quæ ab-

Digitized by Google

ſtergit reliquias peccatorum. Et hæc ſunt quinque ſacramenta, quæ propter vnamquanque ſingularem perſonam inſtituta ſunt, & per ſe in eodem ſuſcipiente ordinem habent. Inter ſacramenta vero Ordinis & Matrimonij, non eſt hic ſuſceptionis ordo quærendus: quia non per ſe in eodem ſubiecto iunguntur. Sed per accidens fieri poteſt, vt quis antea ordinatus, minoribus ſcilicet ordinibus, poſtea contrahat Matrimonium: aut e conuerſo coniugatus, decedente ſcilicet aut conſentiente vxore, promoueatur ad Ordines. Cum alijs vero ſacramentis poſt Baptiſmum, non habent per ſe certum ordinem: niſi quod Ordinis ſacramentum debet ſupponere etiam Confirmationem: & ratione prouectioris ætatis, tam Matrimonij quam Ordinis ſacramentum, ſolent Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſuſceptionem ante ſupponere.

Ordo tractationis.

Quintus demum eſt ordo tractationis & doctrinæ in conſiderandis deinceps ſingulis ſacramentis. Aliqui primo loco conſiderandum putarunt, ob præcellentiam dignitatis, ſacramentum Euchariſtiæ. Et ita ſeruauit Vualdenſis tomo 2. de Sacramentis. D. Dionyſius libris de Eccleſiaſt. Hierarch. primo egit de Baptiſmo, ſecundo de Euchariſtia: tertio de Confirmatione. Nuper Concilium Senonenſe, ante Euchariſtiam præmiſit Ordinem. Vaſquez tomo 3. in tertiam partem, poſt Euchariſtiam tractauit de Ordine ante Pœnitentiam. Concilium Colonienſe præmiſit Pœnitentiam Euchariſtiæ. Et ſane non deerant rationes, ad vno vel alio modo hanc totam tractationem diſponendam & ordinandam. Optima tamen omnium ratione, idem ordo ſeruandus erit tractationis & doctrinæ, quo ſuperius ſacramenta enumerata ſunt. Quem communiter Theologi retinent, Magiſter & Scholaſtici in 4. Sententiar., S. Thomas & alij hoc loco, atque Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacrament. & Concil. ipſum Tridentinum hoc eodem ordine de ſacramentis ſingulis pertractauit. Conſiderando enim ſimul, & vſum ſuſcipiendi, & neceſſitatem ſacramentorum, & dignitatem eorum, aliaſque comparationes, omnibus penſatis, commodiſſimum apparet, hoc modo ſacramenta diſponere. Sumendum eſt ergo initium à Baptiſmo.

QVÆSTIO SEXAGESIMASEXTA

De Sacramento Baptiſmi.

BAPTISMI nomen, ſicut & baptizandi verbum, græcæ originis eſt. Et vt ad latina vocabula reducantur, proprie ſonant ablutionem, lauacrum, abluere, lauare. Et ſic in textu latino Apoſtoli ad Epheſ. 5. & ad Titum 3. nominatur lauacrum. Recte tamen, nomen Baptiſmi, & verbum baptizandi, in textu ipſo latino Scripturæ, & in vſu latinæ Eccleſiæ, retenta ſunt, & tanquam latina vocabula ad hoc myſterium ſpecialiter appropriata. Id enim ad reuerentiam quandam ipſius ſacramenti conferebat, vt etiam in loquendo à communibus vocabulis ſecerneretur. Nomen ergo Baptiſmi denotat primum Eccleſiæ ſacramentum, quod corporis ablutione & certorum verborum prolatione perficitur. Habet tamen hoc ſacramentum alia quoque nomina apud Patres, quæ explicat S. Tho. art. 1. ad 1. Diuidit S. Doctor hanc tractationem in plures quæſtiones. In præſenti tractat de inſtitutione & conſtitutione Baptiſmi. Nos pariter quæ ad exiſtentiam & eſſentiam Baptiſmi pertinent cõplectemur. Suam quæſtionem in duodecim partitur articulos S. Thomas.

Primo declarat, qualiter Baptiſmus ſit ablutio corporis facta ſub certa forma verborum. Secundo, qualiter fuerit inſtitutus à Chriſto. Tertio, quàm conuenienter materia huius ſacramenti ſit aqua. Quarto, qualiter aqua non debeat

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſubſtantialiter immutata, poſſit tamen accidentaliter. Quintò quàm conueniens ſit conſueta forma Baptiſmi. Sexto, quam neceſſaria ſit expreſſa inuocatio Trinitatis. Septimo, an & qualiter debeat Baptiſmus perfici per immerſionem corporis in aqua, vel poſſit per aſperſionem & infuſionem aquæ in corpus. Octauo, qualiter non ſit de neceſſitate trina immerſio in aqua. Nonò, quare Baptiſmus iterari non poſſit. Decimò, quàm conueniens ſit cæremoniarum ritus, quem in Baptiſmo Eccleſia ſeruat. Vndecimo, qualiter præter Baptiſmum aquæ aſſignentur, Baptiſmus ſanguinis, id eſt Martyrium; & Baptiſmus Flaminis ſeu Spiritus ſancti, id eſt fides & diſpoſitio interna hominis. Duodecimò tandem, qualiter inter hæc excellat Baptiſmus ſanguinis per imitationem paſſionis Chriſti.

SECTIO PRIMA.

Vtrum & quando Baptiſmus fuerit inſtitutus à Chriſto.

Baptiſmus fuit omnino inſtitutus à Chriſto.

PRimò. Baptiſmum fuiſſe verè & immediatè ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum, omnes Chriſtiani nominis profeſſores vltro agnoſcunt. Et habetur expreſſe in Euangelio, Ioannis 3. dixit Chriſtus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

Fuit etiam miniſtratus à Chriſto.

Secundo quæri poteſt, num ipſemet Chriſtus proprijs manibus hoc ſacramentum miniſtrauerit, ſicut in vltima cœna Euchariſtiam. Ex vna parte videtur id planè affirmari in Euangelio. Nam Ioannis 1. & Matth. 3. dicebat Ioannes Baptiſta de Chriſto, *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Et Ioann. 3. ipſe Euangeliſta ſic narrat; *Venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terram, & baptizabat.* Ex alia parte id expreſſe negatum videtur in eodem Euangelio, Ioann. 4. *Et audierunt Phariſæi quod Ieſus plures diſcipulos facit & baptizat quàm Ioannes, quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Verùm ex Scriptura nihil certi de hac re colligi poteſt. Vbi enim affirmatur, ſenſus potiùs eſt, Chriſtum eſſe auctorem & inſtitutorem Baptiſmi: vt declaratur in eo loco quo dicitur, non Chriſtum, ſed diſcipulos eius ſolitos baptizare. Vbi verò negatur, ſenſus ſolùm eſt, quòd non paſſim & communiter Chriſtus ſuis manibus baptizaret. An verò aliquem baptizauerit, nec affirmatur nec negatur in ipſa hiſtoria euangelica. Sed ſi alias hiſtorias conſulamus: Euodius Apoſtolorum ſucceſſor, in Epiſt. quam Lumen inſcripſit, apud Niceph. lib. 2. cap. 3., teſtatum reliquit, Chriſtum Dominum manibus ſuis baptizaſſe tantummodò Petrum: & Petrum baptizaſſe Andream & quoſdam alios ex Apoſtolis, & illos baptizaſſe reliquos. Eo magis putandum erit, Chriſtum proprijs manibus baptizaſſe B. Virginem: vt notauit Euthimius in cap. 3. Ioann.

Fuerit inſtitutus ante vel poſt paſſionem & reſurrectionem.

Tertio præcipuè quæritur, quandonam Chriſtus hoc ſacramentum inſtituerit. Ex vna parte videtur non niſi poſt paſſionem & reſurrectionem inſtituiſſe, quando Apoſtolis dixit, Matth. vlt., *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ex alia verò parte, aliæ loca ex Euangelio Ioannis adducta, perſuadent, Baptiſmum fuiſſe iam antea ab initio prædicationis Chriſti inſtitutum. Priorem partem tenet Albert. in 4 d. 3., & indicat S. Thomas infra q. 73. art. 5. ad 4., & Leo Papa epiſt. 4. cap. 3. Idemque putaſſe videntur, Tertullian. lib de Baptiſmo cap. 11., Chryſoſt. homil. 28. in Ioann., Theophilact. & Rupert. ſuper illa loca Ioannis: dicunt enim Apoſtolos tunc baptizantes, non dediſſe illum Baptiſmum qui eſt ſacramentũ nouæ legis; ſed vel eundem quem dabat Ioannes Baptiſta, vel alium qui eſſet ſolùm figura, & quaſi inchoatio Baptiſmi inſtituendi à Chriſto. Poſteriorẽ partem tenet S. Thom. hic art. 2. At etiam illo loco pro parte oppoſita allegato: nam duas ſolutiones adhibet argumento cuidam præmiſſo, & ſecundò loco reſpondet iuxta hanc poſteriorem partem. Idem tenent alij Theologi hoc loco communiter, & Magiſter alijque Scholaſtici in 4. d. 4., Bellarm. de

Bap-

Baptiſmo cap. 5., & cæteri qui de hoc ſacramento ſcripſerunt, Ita inſuper docuerunt Vgo de S. Victore lib. 7. de Sacrament. par 8. cap. 4., D. Auguſt., Cyrill., & frequenter alij Patres & Expoſitores circa illa loca Ioannis.

Fuit inſtitutus ante.

Hæc ergo ſententia retinenda eſt: quæ ſatis aperte ex euangelica narratione colligitur. Nam Apoſtoli iam tunc verum Chriſti Baptiſmum conferebant: quare iam erat hoc ſacramentum vere inſtitutum. Probatur aſſumptum: quia Apoſtoli non dabant eundem Baptiſmum Ioannis Baptiſtæ, ſed alium omnino diuerſum. Ille enim Apoſtolorum Baptiſmus, æmulationem & contentionem excitauit inter Diſcipulos & Phariſæos, ſcilicet propter Baptiſmum Chriſti ex vna parte, & Ioannis ex altera. Rurſus Chriſtus ipſe dicebatur baptizare, non quia proprijs manibus baptizaret; ergo quia erat auctor & inſtitutor illius Baptiſmi. Non ergo Apoſtoli dabant Baptiſmum Ioannis: alioqui dici debuiſſet Ioannes non Chriſtus in illis baptizare. Demum non vtique decebat, vt Apoſtoli diſcipuli Chriſti, præberent populis Baptiſmum Ioannis. Nec etiam Baptiſmus ille Apoſtolorum dici poteſt inſtitutus quidem à Chriſto, ſed diuerſus à vero ſacramento. Nam ille Baptiſmus dabatur in Spiritu ſancto, vt atteſtabatur ipſe Ioannes Baptiſta: ergo conferebat gratiam, eratque verum ſacramentum. Et præterea, non conueniebat, vt Chriſtus ipſe antea vteretur Baptiſmo, qui eſſet ſolùm vmbra & figura veri ſacramenti: ſiquidem per Chriſtum ceſſare potiùs debebant vmbræ & figuræ.

Poteſt etiam rationibus ſuaderi, Chriſtum iam antea inſtituiſſe Baptiſmum. Tum quia putandum eſt, Apoſtolos ipſos fuiſſe iam baptizatos, antequam in nocte vltimæ cænæ perciperent ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, & inſtituerentur Sacerdotes. Tum etiam quia Baptiſmus erat exordium Chriſtianæ Religionis: ergo debebat initio prædicationis euangelicæ; & ante alia ſacramenta, inſtitui & celebrari. Quamuis eius neceſſitas non ex tunc inciperet, ſed ſolùm poſt Chriſti reſurrectionem, & Apoſtolorum miſſionem ad prædicandum; vt dicemus ſect. ſequenti. Et hoc ſolùm voluerunt aliqui ex ijs qui pro altera parte facere videbantur.

Dicitur inſtitutus, quando et ipſe Chriſtus in Iordane baptizatus fuit.

Quarto demũ, vt determinetur præciſum tempus quo hoc ſacramentum creditur inſtitutum: Scot. in 4 d. 3. q. 4., & Gabriel q. 1. art. 3. dub. vlt., volunt eſſe incertum. S. Tho., Magiſter Sentent., alijque Theologi communiter, & Cathechiſmus Roman tractat. de Baptiſmo, docent, fuiſſe proprie inſtitutum, quando Chriſtus in Iordane à Ioanne baptizatus eſt. Et plerique Patres hoc ipſum ſignificant, dicentes, Chriſtum tunc ſuæ carnis contactu dediſſe aquis vim ſpiritualem: quod non aliter poteſt intelligi, niſi per inſtitutionem Baptiſmi. Ita loquuti ſunt Nazianz. Orat. 38. & 39., Auguſt. ſerm. 36. de Temp. & lib. 3. de Mirabil. ſacræ Script. cap. 5., Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. vlt., Hieronim. in Dialogo contra Luciferianos num. 12., Hilar. can. 2. in Matth., Beda in cap. 3. Matth., Damaſc. lib. 4. Fidei cap. 10., & alij. Et Vaſq. diſp. 140. cap. 6. cum Maldon. in cap. 3. Matth. id colligit ex Euangelio: quia cùm Ioannes Baptiſta recuſaret baptizare Chriſtum, & diceret, *Ego à te debeo baptizari & tu venis ad me*: Chriſtus replicauit, *Sine modo*: Quaſi diceret nunc me baptiza, quia poſtmodum ego baptizabo te. Vnde videtur, quod Chriſtus immediate poſt, baptizauerit Ioannem, atque adeo inſtituerit & cõtulerit ſuum Baptiſmum.

At verò Suarez diſp. 19 ſect. 2. in fine, & Conink hac quæſt. art. 2. n. 14., declarant, hoc non eſſe cum tanto rigore accipiendum, vt in eo temporis articulo Baptiſmus fuerit a Chriſto perfectè & adæquate inſtitutus: quia tunc non adhuc Chriſtus inchoabat ſuam prædicationem, nec habebat diſcipulos quibus notificaret inſtitutionem Baptiſmi. Sed debere intelligi, tunc fuiſſe quodammodo inchoatam & præſignatam inſtitutionem Baptiſmi, & fortaſſe Chriſtum ex tunc habuiſſe intra ſe efficacem voluntatem inſtituendi Baptiſmum; atque ita non multo poſt expreſſe & complete inſtituiſſe, quando cæpit Apoſtolos conuocare, & ante illud

illud factum quo narratur Apoſtolos baptizaſſe: nec de reliquo ſciri poſſe certum diem & horam, qua Baptiſmus fuerit realiter inſtitutus. Valentia autem quæſt. 1. de Baptiſmo puncto 4. cenſet, non eſſe improbabile, ſi iſſe tunc inſtitutum, quando Chriſtus dixit Nicodemo, Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* Quamuis Scotus id veriſimile non putauerit. Et quidem non ſatis conſtat ex factis & verbis Chriſti apud Iordanem, tunc præciſe fuiſſe ab eo inſtitutum ſacramentum Baptiſmi: quia id in Euangelio non narratur. Et verba illa Chriſti *Sine modò*, non perſuadet, Chriſtum immediatè poſt baptizaſſe Ioannem, atque adeo inſtituiſſe & contuliſſe ſuum Baptiſmum. Attamen ob auctoritatem Theologorum & Patrum retineri poteſt, tunc quoque fuiſſe ſuũ Baptiſmum inſtitutum à Chriſto, & fortaſſe aliquibus manifeſtatum, & paulò poſt Apoſtolis commiſſum ſtatim atque conuocati fuere. Certè autem in ipſa inſtitutione Baptiſmi, Chriſtus ipſe expreſſe ex tunc determinauit ſubſtantialem eius ritum, & non ſolùm aquæ materiam, ſed etiam formam illorum verborum ſub quibus poſtea dixit. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

Data fuit ſacramentalis gratia ante paſſionem & reſurrectionem Chriſti.

Sed ad probandum, non fuiſſe Baptiſmi ſacramentum inſtitutum ante paſſionem & reſurrectionem Chriſti, Obijciebat Chryſoſtom. illud Ioann. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia nondũ Ieſus erat glorificatus.* Vnde videtur ſequi, nondum fuiſſe datam gratiam Spiritus ſancti, ex opere operato per aliquod ſacramentum, ante paſſionem & reſurrectionem Chriſti.

Reſpondetur facile. Cùm aliunde in Euangelio planè conſtet, etiam ante paſſionem datam fuiſſe gratiam per Chriſtum, videlicet ipſis Apoſtolis, Magdalenæ, & alijs quibus fuerunt peccata remiſſa: & datam quoque fuiſſe gratiam per aliquod ſacramentum, ſaltem Eucharistiæ in vltima cœna: ſequitur, dictum illud debere intelligi, iuxta communem aliorum expoſitionem, de plenitudinem gratiæ, & viſibili communicatione Spiritus ſancti, quæ vtique non niſi poſt reſurrectionem Chriſti data fuit.

SECTIO SECVNDA.

Num & qualiter Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem.

Attingit S. Thomas hic art. 2. hanc Baptiſmi neceſſitatem: ſed plenius infra q. 68. art 1. & 2. de hac neceſſitate & obligatione ſuſcipiendi Baptiſmum tractat. Benè autem ad hunc locum ſpectat agere de neceſſitate Baptiſmi, quæ ſimul cum inſtitutione pertinet ad quæſtionem An eſt. Quare hic quærimus de neceſſitate ex parte ipſius Baptiſmi, & deinde ibi q. 68. dicemus de obligatione ex parte ſuſcipientis.

Sententia negans.

Circa neceſſitatem ergo Baptiſmi, fuit quorundam Hæreticorum error dicentium, ipſum Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem. Vel quia non agnoſcebant originale peccatum. Quales erant Pelagiani, qui propterea dicebant, ſine Baptiſmo homines poſſe conſequi vitam æternam, licèt non poſſent ingredi Regnum cælorum. Vel quia ſpecialiter in filijs Chriſtianorum non agnoſcebant originale peccatum, & ideo dicebant ijs non eſſe neceſſarius Baptiſmum: vt ſentit Caluinus alijque inter recentiores Hæreticos, & iam commemorauimus 1. 2. q 81. ſect. 4. Vel tandem ſuppoſito originali peccato, adhuc non eſſe neceſſarium Baptiſmum, opinatus fuit quidam Vincentius Victor apud Auguſtin. lib 1. de Anima & eius Origine cap. 9. Præterea inter Catholicos, Caietan. infra q. 68. art. 2., & 11. & ante ipſum Gerſon in Serm. de B. Virg. par. 3 conſid. 2., auſi ſunt dicere, ſi infantes caſu aliquo nequeant baptizari, poſſe adhuc iuſtificari in fide parentum, aliquo externo ſigno, vt ſigno crucis & inuocatione Trinitatis: ſicut olim hoc genere remedij poterat ſubueniri paruulis in lege naturæ. Quidam alij quoq; dixerunt, ſi contingat caſu aliquo non perfici verum Baptiſmum, piè eſſe credendum, ſaltem ex priuilegio à Deo ſuppleri defectum, ſine à

à Chriſto ſummo Sacerdote. Et ita indicant Altiſiodor. lib. 3. Summæ tract. 3. cap. 4. q. 2., Bonau. in 4. d. 3. par. 1. art. 2. q. 7. ad 2., Riccard. q. 3. ad 5.

Sententia extrema affirmans.

Oppoſita extrema ſententia fuit, Baptiſmum eſſe ita ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, vt oporteret omnino eſſe reipſa ſuſceptum; & alioqui non ſufficere in voto, etiam quando adulti cupiunt ſed non poſſunt illud conſequi. Ita quoſdam opinatos fuiſſe, refert D. Bernard. Epiſt. 77., qui ita dicebant: *Abſque eodem percepto actualiter viſibili ſacramento, vel eius vice Martyrio, neminem potuiſſe ſaluari, ſed etſi fortè illud quiſpiam cum vera fide et contritione cordis expectaret, ſed præueniens mortis articulo aſſequi quod cuperet non valeret, tamen omnino damnari*. Et nuper Michael Baius inter propoſitiones à Pio quinto damnatas aſſeruit, ſine reali ſuſceptione Baptiſmi non poſſe remitti peccatum, licèt poſſet haberi charitas. Et Pamelius ſuper epiſt. 54. Cypriani putauit, ſolùm in neceſſitate quando non poteſt haberi Baptiſmus, adultos poſſe per contritionem iuſtificari, & non alias.

Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem.

Dico primò. Baptiſmus, abſolutè loquendo, eſt medium neceſſarium ad ſalutem omnibus hominibus, ex quo fuit promulgatum euangelium. Eſt rès certa de fide. Patet primò ex ſacra Scriptura, Ioann. 3., *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt intreire in regnum Dei*. Quod idem eſt, ac dicere, non poteſt conſequi vitam æternam, non poteſt ſaluari: hæc enim omnia idem ſunt. Et ex alijs Scripturæ documentis hæc eadem Baptiſmi neceſſitas planè colligitur.

Secundo ex definitione & traditione Eccleſiæ. Concil. Trident. ſeſs. 5., agens de originali peccato, & ſeſs. 7. agens de Baptiſmo, & antea Concil. Florent. & olim alia Concilia contra Pelag., & plerique ſummi Pontifices, & paſſim Sancti Patres, hanc Baptiſmi neceſſitatem propoſuerunt. Idemquè eſt notiſſimus Fidelium ſenſus.

Hæc neceſſitas incepit poſt promulgationem Euangelij.

Tertiò. Hæc neceſſitas incępit poſt promulgationem Euangelij: quia licèt Fulgent. lib. de Fide ad Petr. cap. 3. indicauerit, ex tunc cæpiſſe neceſſitatè Baptiſmi, quando Chriſtus illa verba dixit Ioann. 3. circa ſuæ prædicationis initium: & eandem ſententiam ex Vgone de S. Victore refert D Bernard. epiſt. 77. citata: Tamen rectè S. Thomas hic art. 2. in corp. & ad argum., alijquè communiter docent, non cæpiſſe niſi poſt reſurrectionem Chriſti, & prædicationem Euangelij: idquè ex profeſſo probat etiam ibi Bernardus. Et fundamentum eſt commune de tota euangelica lege: non enim cæpit obligare & eſſe neceſſaria, nec ceſſauit antiqua lex cum ſuis ſacramentis, niſi dum promulgatum fuit Euangelium. Et certè ita conueniebat diuinæ prouidentiæ & gubernationi. Imo eſt de ratione legis in vniuerſum. Idque totum ſupponimus ex 1. 2 proprio tractatu de Legibus, de lege diuina veteri & noua. Quando ergo Chriſtus dixit, *Niſi quis renatus fuerit &c.*, noluit ex illo temporis articulo hanc neceſſitatem inducere, ſed retulit ad futurum, loquens pro illo tempore quo promulganda erat ſua lex. Et ſimiliter poteſt exponi Fulgentius. Cæterùm videri poteſt hæc promulgatio facta, atque adeo hæc neceſſitas incępiſſe, quando Chriſtus dixit Matth. vlt., *Baptizantes eos &c.* Verùm illa non tàm fuit promulgatio, quàm potiùs miſſio facta Apoſtolis de promulgando. Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 5 propoſ. 4. notat, promulgationem ſolemnem factam fuiſſe in ipſo die Pentecoſtes: vt communiter Theologi docent adæquatè loquendo de euangelica lege. Et quidem ſaltem tunc incæpit: quando verò & quomodo completa fuerit, quia communiter ſpectat ad promulgationem euangelicæ legis, iam eo proprio loco tractauimus.

Orta eſt ex voluntate Dei & Chriſti.

Quartò. Propria ratio quare Baptiſmus ſit ita neceſſarius ad ſalutem, fuit ſimpliciter voluntas Dei & Chriſti. Et quidem, etiamſi non extitiſſet originale peccatum, cùm tamen homines non per naturam ſuam ordinentur ad gloriam, nec per naturam ſuam habeant gratiam; poterat adhuc ex diuina ordinatione eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Sed de facto ſpecialiter inſtitutus eſt in remedium originalis peccati, & concomitanter actualium etiã

pec-

Digitized by Google

peccatorum. Quare, cùm omnes homines, etiam inquam qui ex parentibus Chriſtianis & baptizatis enaſcuntur, ſecum trahant originale peccatũ, eſt illis hoc Baptiſmi remedium neceſſarium.

Non excludit Martyrium.

Quintò. Non per hæc negamus, poſſe Baptiſmum ſuppleri per Martyrium. Eſt enim hæc ſpecialis dignitas & prærogatiua Martyrij: quod etiam propter hoc habet Baptiſmi nomen, ſicut & vim; vocaturque Baptiſmus ſanguinis. Quanam vero ratione & quo modo Martyrium hanc vim habeat, poſtea tractabimus.

Neceſſaria eſt realis ſuſceptio Baptiſmi ijs qui nõ ſunt compotes rationis.

Dico ſecundo. Baptiſmus omnibus ijs qui non poſſunt proprios actus ſalutares elicere, qui ſcilicet aſſequuti non ſunt vſum rationis, eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, re ipſa & validè collatus. Ita ſupponit S. Thom. q. 68. art. 2. & q. 73. art. 3., & communiter alij docent. Vnde Recentiores, Caietani ſententiam, tanquam temerariam vel erroneam, aut errori proximam, notare ſolent. Patet concluſio ex ipſis verbis Chriſti, quæ abſolutè & ſine limitatione dicta ſunt. Nec patiuntur reſtrictionem, ad excludendos illos caſus, in quibus non poteſt paruulis adhiberi Baptiſmus.

Secundo ex definitione ipſius Eccleſiæ ac doctrina Patrum, non ſolùm in ijs teſtimonijs quæ iam allegata ſunt. Sed præterea Tridẽt. ſeſs. 6. cap. 4. apertè dixit: *Tranſlatio de peccato originali ad gratiam, poſt Euangelium promulgatũ, ſine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non poteſt.* Item Concil. Conſtant. ſeſs. 5, & Innocent. tertius cap. *Maiores* de Baptiſmo, in ſpecie de paruulis declarant, ſine Baptiſmo non poſſe ſaluari. Et iuſſu Pij quinti expuncta fuit illa ſententia Caietani in impreſſione eius tempore facta. Præterea Sancti Patres, in ſpecie de paruulis paſſim docent, ſine Baptiſmo non poſſe ſaluari, etiam in caſu quo baptizari non poſſunt.

Tertiò ratione probatur: quia iam ex præcedenti concluſione abſolute Baptiſmus eſt neceſſarius: ergo vel in re ſuſceptus, vel ſaltem in voto: ſed illi qui non adhuc ratione vtuntur, non poſſunt habere Baptiſmum in voto: ergo non poſſunt ſaluari ſine Baptiſmo realiter ſuſcepto. Nec dici poteſt, illis prodeſſe Baptiſmum in voto parentum: quia certè non iuſtificatur quiſquam per Baptiſmum in voto, niſi ex opere operantis per actum perfectæ dilectionis ſeu contritionis: non ergo prodeſt voluntas parentum. Nec vllatenus dici poteſt, nunc etiam prodeſſe remedium legis naturæ, in quacunque neceſſitate: quia certè antiqua ſacramenta iam prorſus abolita ſunt.

Et Baptiſmus debet eſſe validus.

Quartò. Dicebamus etiam, Baptiſmus validè collatus. Quia alioqui ſi forte committatur ſubſtantialis aliquis defectus, perinde eſt ac ſi non eſſet datus Baptiſmus. Aut ſi non obſtante tali defectu prodeſſet: iam defectus nõ eſſet ſubſtantialis; & illud quod deficit, non eſſet ſimpliciter neceſſarium ad valorem. Si ergo verè deeſt aliquid de requiſitis ad ſubſtantiam Baptiſmi, omnino non proderit, & ſimpliciter non erit Baptiſmus.

Nullus infans abſque Baptiſmo ſaluatur.

Quinto. Nec etiam dici poteſt, ex Dei miſericordia & priuilegio, paruulos non rite baptizatos ſaluari. Cùm enim habeamus ordinariam Dei legem in Script. & doctrina Eccleſiæ expreſſam, non debet fingi diſpenſatio aut priuilegium, niſi ex alia reuelatione diuina innoteſcat. Non enim negamus, poſſe Deum de potentia abſoluta ſine Baptiſmo iuſtificare atque ſaluare; ſicut Ieremiam & Ioannem ſanctificauit in vtero matris: tamen aſſerendum non eſt, id de facto fieri. Circa quod Valent. q. 3. de Baptiſmo puncto 4. aſſert. 4. probat. 4. ait, non poſſe abſque errore & temeritate id in particulari de aliquo affirmari: tamen in genere & vagè opinari, aliquem interdum ex miſericordia Dei, & ob pietatem parentum, ſine Baptiſmo ſaluari, non eſſe erroneũ aut temerarium. Sed nec etiam ſic in genere id videtur cogitandum.

Adultis interdum ſufficit votum Baptiſmi.

Dico tertiò. Illis qui proprium actũ ſalutarem elicere poſſunt, ſufficere poteſt Baptiſmus in voto, & vere ſufficit votum Baptiſmi incluſum in actu perfectæ contritionis ſeu dilectionis Dei. Ita S. Thom. q. 68. art. 2, & alij Theo-

Digitized by Google

ligi communiter. Probatur primò ex Sacra Scriptura. Marci vlt., cùm Chriſtus Dominus dixiſſet, *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*, ſubdit; *Qui verò non crediderit condemnabitur*. In quibus verbis rectè D. Bernardus Epiſt. 77. obſeruat, ideo non repeti; & qui nō baptizatus fuerit: quia nempe fides cū alijs conditionibus, etiam ſine reali ſuſceptione Baptiſmi, poteſt ſufficere ad ſalutem. Sic enim ait: *Vide ne fortè ob hoc Saluator cùm diceret; Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, cautè & vigilanter non repetierit; qui verò baptizatus non fuerit, ſed tantùm qui verò nō crediderit. condemnabitur, nimirum innuens ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem*. Planè etiam ex Actor. 10. colligitur, Cornelium Centurionem iuſtificatum fuiſſe ante Baptiſmum: & alios quoque ſuper quos dicebatur cecidiſſe Spiritus ſanctus. Idem conuincitur ex illis Scripturæ locis, in quibus verè pœnitentibus promittitur remiſſio peccatorum: inde enim conſtat, perfectam contritionem eſſe ſufficientem & vltimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem. Quæ contritio haberi ſine dubio poteſt ante realem ſuſceptionē Baptiſmi, cum voto tamen ſuſcipiendi.

Secundò ex definitione Eccleſiæ & doctrina Patrum. Nam in iure canonico, præſertim de Conſecrat. d. 4. per plura capita, & cap. *Ad Apoſtolicā* de Præsbyt. non baptizato, habetur, poſſe hominem ſaluari per Baptiſmum in voto. Et Clemens Papa Epiſt. 4. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. idem affirmant. Et Sancti Patres frequenter docere ſolent. Eſtque communis Fidelium ſenſus.

Tertiò ratione probatur; quia Deus non præcluſit hominibus ſalutis aditū, quominus per proprios actus ex opere operantis iuſtificari & ſaluari poſſint: neque in lege noua per inſtitutionem ſacramentorum abſtulit hoc remediū. Ita homo baptizatus, peccans mortaliter, poteſt adhuc iuſtificari ante realem ſuſceptionem ſacramentalis abſolutionis, per actum ſcilicet contritionis & votum ſacramenti: & ſic pariter ante Baptiſmum.

Quando

Quartò explicatur magis, quomodo poſſit homo ſic iuſtificari atque ſaluari. Si quis morti propinquus, non poſſit conſequi Baptiſmum antequam decedat, habeat autem perfectam contritionem ſeu dilectionem Dei, & voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, ſeu adimplendi omnia quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, hic omnino iuſtificabitur atque ſaluabitur. Inſuper ſi citra mortis articulum aliquis habeat veram fidem & contritionem antequam habeat copiam & commoditatem ſuſcipiendi Baptiſmum; ſimiliter ex tunc iuſtificatur. Tenebitur tamen poſtea procurare & ſuſcipere Baptiſmum. Quando vero & quomodo obliget præceptum Baptiſmi, quæſt. 68. dicemus.

non adeſt copia vel tempus Baptiſmi.

Quinto, ſufficit votum incluſum in actu contritionis: quia non omnino requiritur explicitum votum Baptiſmi, ſed ſufficit implicitum. Ita S. Thomas q. 68. art. 2. & q. 69. art. 4. ad 2., alijque communiter. Et indicauit Tridēt. ſeſſ. 14. cap. 4. Nam perfecta contritio eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam: in ea autem includitur votum Baptiſmi, quia includitur propoſitum ſeruandi omnia præcepta, & adimplendi omnia neceſſaria ad ſalutem: Et vt adhuc dicatur homo ſaluari per Baptiſmum: etiam ipſa interior contritio cum voto ſacramenti appellatur Baptiſmus, & propriè dicitur Baptiſmus Flaminis, id eſt Spiritus ſancti; ad differentiam Baptiſmi fluminis, id eſt aquæ. Vnde ſimul cum Baptiſmo ſanguinis, id eſt Martyrio, tria Baptiſmi genera diſtinguuntur: vt explicat S. Thomas art. 11.

Sufficit votum implicitum in actu contritionis incluſum.

Sed contra primam & ſecundam concluſionem obijci poteſt: quia inde ſequitur, magis difficile eſſe remedium paruulorum nunc in lege gratiæ, quàm fuerit olim in lege naturæ, ac ſub lege circuncifionis: quod videtur abſurdū. Sequela probatur: quia in lege naturæ remedium non erat determinatum ac reſtrictum ad certum aliquem actum externum: ac etiam poſt inſtitutam circuncifionem, adhuc feminis, & illis maſculis qui caſu aliquo circuncidi nō poterant; ſufficiebat commune remedium legis naturæ.

Poſt inſtitutum Baptiſmum, non iuuat remedium legis naturæ.

Reſpondetur, Baptiſmum non eſſe remedium difficile, quinimò maximè

faci-

Digitized by Google

facilitate confici & conteri poſſe, vt notum eſt. Aliunde vero expediebat, vt in lege gratiæ hoc remedium eſſet determinatum & certum. Propter quā cauſam permitti potuit, vt qui paruuli baptizari non poſſent, remedio carerent. Diuerſaque ratio erat de circuncisione: tum quia circuncisio non erat remedium generale pro omnibus inſtitutum, vnde non penitus derogabat communi legis naturæ remedio: tum quia circunciſio erat in ſe difficilis ac periculoſa: tum quia non erat in vſu niſi octaua die à natiuitate, & interim poterat vrgere neceſſitas. Quæ rationes non militant in Baptiſmo.

Qualiter iuuet votū Baptiſmi, & differat à voto aliorum præceptorum.

Contra tertiam concluſionem obſtare videntur quædam dicta Patrum, aſſerentium omnino requiri Baptiſmum ad ſalutem, nec ſufficere internam hominis diſpoſitionem. Ita loquuti ſunt D. Auguſt. lib. 4. de Baptiſm. cap. 11. & tract. 13. in Ioann., Ambroſ. lib. de His qui initiantur cap. 4., Nazianz. Orat. de Baptiſmo, Fulgent. de Fide ad Petr. cap. 3., & alij. Et præterea accedit ratio; quia ſi Baptiſmus non eſt neceſſarius niſi in voto, & ſufficit etiam votum implicitum in contritione incluſum: iam non eſſet magis neceſſarius quàm obſeruatio quorumcunque præceptorum, quia vtique neceſſarium eſt votum obſeruandi omnia præcepta: & non plus dici deberet iuſtificari homo per Baptiſmum in voto, quàm per quæcunque alia præcepta in voto.

Reſpondetur, ea dicta Patrum eſſe explicanda de neceſſitate Baptiſmi in re vel in voto; ita vt non ſufficiat interna diſpoſitio, niſi ſit perfecta, continens votum Baptiſmi ſicut oportet. Vel etiam explicari poſſunt de neceſſitate Baptiſmi in re ad completam & perfectam remiſſionem peccatorum, non ſolùm quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam. Vel quia realis Baptiſmi ſuſceptio, affert maiorem certitudinem ſalutis, & quietem animi. Vel quia homo adhuc remanet cum obligatione ſuſcipiendi realiter Baptiſmū. Vnde etiam ſi antea iuſtificetur, adhuc eſt illi neceſſarius Baptiſmus, ne ſcilicet voluntariè prætermittat, ſi ſaluari velit. Ad rationem adiunctam, aliqui magis laborioſe quàm vtiliter, vel adſtruere vel impugnare conantur differentiam aliquam inter votum Baptiſmi & propoſitum ſeruandi alia præcepta. Sed certe de re conſtat, ad iuſtificationem eſſe pariter neceſſarium hoc propoſitum, eamque obtineri per hoc votum & propoſitum in perfecta contritione vel dilectione Dei incluſum. Specialiter tamen Baptiſmus dicitur neceſſarius, & homo dicitur iuſtificari per Baptiſmum in voto: quia Baptiſmus inſtitutus eſt, non ſolùm tanquam ex præcepto ſuſcipiendus, ſed etiam tanquam medium per ſe ordinatum ad iuſtificandum. Et votum ſeu voluntas & propoſitum, fertur in vnumquodque obiectum ſicuti eſt: quare in Baptiſmū fertur tanquam in medium inſtitutum ad iuſtificandum, & ideo impoſitum ſub obligationem præcepti; ſiue inquā votum ſit explicitum, ſiue implicitum. Ideoque ſpecialiter dicitur homo iuſtificari in voto Baptiſmi, ſiue per Baptiſmum in voto: & Baptiſmus vel in re vel in voto, dicitur neceſſarius ad iuſtificationem & ſalutem. Ac ſimiliter poſt Baptiſmum dicetur de Pœnitentiæ ſacramento pro ijs qui in mortalia peccata labuntur.

SECTIO TERTIA.

Quid ſit Baptiſmus.

Quædam Baptiſmi definitiones.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. parte 8. cap. 2., Baptiſmum ſic definiuit: *Eſt aqua diluendis criminibus ſanctificata*. Magiſter Sententiar. in 4. diſt. 3. ſic definiuit: *Eſt ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta forma verborum*. S. Thomas hic art. 1. reijcit definitionem Vgonis, & approbat definitionem Magiſtri. Quoniam inquit, Baptiſmus meliùs definitur per ablutionē, quam per aquam. In ſolut. tamen ad 2. exponit definitionem Vgonis, eſſe datam veluti per cauſam. Probat autem, Baptiſmum potiùs dici debere ablutionem quàm aquam: quia ibi inquit perficitur ſacramentum, vbi perficitur ſanctificatio: at ſanctificatio non perficitur in aqua, ſed in applicatione

aquæ ad corpus hominis, quæ eſt ablutio.

Rectè definitur Baptiſmus per ablutionē.

Hæc doctrina D. Thomæ, vera vtique eſt. Et ſic alij communiter Baptiſmum definiunt per ablutionem, non per aquam. Et Baptiſmus dicitur ablutio, lauacrum; & non dicitur in recto aqua. Ratio tamen S. Thomæ videtur difficilis, quam Caietan. eodem art. intelligit, quaſi ſenſus ſit; illud eſſe ſacramentum, in quo perficitur ideſt recipitur ſanctificatio. Vnde, quia ſanctificatio reuera, nec in aqua, nec in ablutione recipitur tanquam in ſubiecto, ſed in anima: laborat in explicanda ratione S. Thomæ. Verùm, quando S. Thom. ait, ibi perfici ſacramentum vbi perficitur ſanctificatio, non debet eo modo intelligi: quia certe de ratione ſacramenti non eſt, vt ſit ſubiectum, ſed vt ſit cauſa effectiua ſanctificationis: & hoc notauit S. *Thom.* dicendo, ſacramenta operari ſanctificationem. Senſus ergo eſt, illud eſſe ſacramentum in quo perficitur ſanctificatio cauſaliter ſeu effectiue, ideſt in quo perficitur vis ſanctificandi: ſed hæc perficitur in applicatione aquæ, ideſt in ablutione: ergo Baptiſmus dici debet ablutio potius quàm aqua. Et hoc modo intellecta ratio S. Thomæ optima eſt.

Definiri etiam debet directè per prolationē verborum.

Deinde, circa totam definitionem Magiſtri, dubitauit Scotus in 4. d.3. q.1. Quia ſi de eſſentia Baptiſmi directè ſit ſolùm ablutio, non autem verba, ſed hæc per modum tantùm conditionis ſe habeant; ſiue ſi ſacramentalis ſignificatio directè in ſola ablutione reſideat: ſic benè Baptiſmus eo modo definietur. Si autem etiam verba directè ſint de eſſentia Baptiſmi, & fundamentum adæquatum ſacramentalis ſignificationis ſit prolatio verborum & ablutio ſimul: tunc non benè eo modo definietur Baptiſmus, in definitione ponendo directè ſolam ablutionem, & indirectè verba. Hinc Sotus in 4. ead. d.3. eſſentiam Baptiſmi in ſola ablutione, & non in verbis, directè conſtituit. Alij vero ſupponentes, eſſentiam ſacramẽti etiam in verbis directè conſiſtere, non approbant definitionem Magiſtri.

Sed Riccard. in 4. d.1. art. 1. q.1. ad 9. & quidam alij, volentes ſimul defendere, & verba eſſe de eſſentia ſacramenti, & definitionem Magiſtri eſſe bonam, dixerunt, conſuetum eſſe, vt concretum accidentale, ſeu compoſitũ artificiale, eo modo definiatur, directè per materiam ad modum generis, & indirectè ſiue adiectiuè per formam ad modum differentiæ. Sic v.g definitur album, eſt corpus diſgregatiuum viſus: definitur ſtatua, eſt corpus figuratum ad repræſentandum. Sed hoc ipſum Scotus ibi refellit: quia licet ſoleat concretum accidentale hoc modo definiri; tamẽ in definitione poni directè debet tota materia, & non ſolùm aliqua pars. Vnde non rectè diceretur, domus eſt lapides, aut domus eſt ligna. Sed in ſacramento, forma ad inſtar formæ artificialis, eſt ſignificatio; & tota materia inuoluit res ſimul & verba. Quare in Baptiſmo, ablutio non eſt tota materia, ſed ſolùm pars: ergo non benè Baptiſmus definitur ablutio.

In vtraque parte conſiſtit eſſentia Baptiſmi.

3 Verùm, quantum ad rem attinet, ſupponendum eſt, eſſentiam Baptiſmi reuera non in ſola ablutione, ſed ſimul in prolatione verborum intrinſecè & directè conſiſtere. Ita patet ex dictis in genere q. 60. ſect. 4. Et hoc voluit Magiſter, apertè dicens, de ſubſtantia Baptiſmi eſſe vtrunque. Item ſupponendum eſt, rationem eſſentialem formalem conſiſtere in ſignificatione ſeu in virtute cauſatiua, quam ſacramentũ habet ad conferendum ſuum effectum.

Quoad modum verò loquendi & definiendi, Magiſter quidem perinde dicere voluit, eſt ablutio ſub forma verborum, ac ſi dixiſſet eſt ablutio & prolatio verborum, ſiue eſt compoſitum ex ablutione & prolatione. Hunc enim ſenſum planè intendebat. Sed dixit, eſt ablutio ſub forma verborum, reſpiciendo vim nominis: quia Baptiſmi nomen propriè ſonat ablutionem, lauacrum. Vnde ſimiliter D. Auguſtin. tract. 18. in Ioann. dixit: *Quid eſt Baptiſmus? Eſt lauacrum aqua in verbo: tolle aquam, non eſt Baptiſmus: tolle verbum, non eſt Baptiſmus.*

Adæquatus modus definiendi Baptiſmũ.

4 Vt autem magis rigoroſè loquamur, & ſic definiamus Baptiſmum; præſtabit taliter definire: Vel per genus & differentiam dicere, *Baptiſmus eſt ſacramentum.*

Digitized by Google

mentum regenerans ſpiritualiter hominẽ. Sicut enim ſacramentum in genere apte definiebatur ſignum ſanctificans: ita explicando peculiarem effectum Baptiſmi, optimum erit dicere, eſt ſacramentum ſpiritualiter regenerans. Vel per expreſſionem materiæ & formæ: *Eſt ſacramentum conſtans ex ablutione per aquam & prolatione certorum verborum*. Vel denium coniungendo ſimul vtrumque, ideſt propriam vim ſacramentalem, & compoſitionem ex tali materia & forma, ſicut in Cathechiſmo Romano definitur: *Eſt ſacramẽtum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ*. Quæ tota definitio, ex verbis ipſius Scripturæ, præſertim ad Tit. 3. & ad Epheſ. 5., compacta eſt.

Non requiruntur alia conditiones in ipſa definitione.

Plures alias particulas & conditiones in definitione Baptiſmi, Scotus eo loco addendas cenſuit: nempe vt ablutio ſit hominis aliqualiter conſentiẽtis, facta ab alio, & vt verba cum intentione debita proferantur. Verùm, ſicut in definitione ſacramenti in communi, non oportebat ponere has conditiones quæ ſe tenent ex parte recipientis aut conferentis ſacramentum; & licèt ſint neceſſariæ, tamen ſunt velut extrinſecæ, & non tanquam per ſe incluſæ in ipſa ſubſtantia ſacramenti: ita etiam non debent in definitione Baptiſmi per ſe apponi. Ac præterea, hoc ipſo quod dicitur Baptiſmus eſſe ſacramentum, & regenerare hominem; in hoc inuoluuntur omnes cõditiones, quæ ad vim ac valorem ſacramenti communiter requiruntur.

Ablutio actiuè & paſſiuè ſumpta, eſt de eſſentia Baptiſmi.

Poſtremo, quia ablutio poteſt conſiderari ex duplici parte, & quatenus actiuè exercetur ab illo qui abluit, & quatenus paſſiuè recipitur in eo qui abluitur. Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 1. §. *Ex quo fit*, dixit, eſſentiam Baptiſmi cõſiſtere in ablutione paſſiuè ſumpta. Approbat id Suarez diſp. 20. ſect. 2. Itẽ Valentia puncto 1 prope finem: dicens eſſe extra controuerſiam, quia conſtat, ablutionem habere rationem ſacramẽti, quatenus in baptizato recipitur. At Scotus in 4. d. 3. q. 3. §. *Hic dicendum*, ait, ablutionem potiùs prout eſt actiuè à miniſtro abluente, conſtituere rationem ſacramenti: (quamuis d. 6. q. 2. § *Reſpondeo* indicet oppoſitum.) Sed deniqueid poteſt: quia prolatio verborum, vtique prout eſt actiue à proferẽte conſtituit ſacramentum. ergo ſimiliter ablutio. Hinc Tannerus tomo 4. diſp. 4. q. 1. dub. 2. num. 44., infert, valere quidem Baptiſmum ex niue aut glacie, ſi in aquam reſoluatur in manibus baptizantis, antequam applicetur corpori eius qui baptizatus eſt, non tamen ſi reſoluantur poſt applicationem: quia tunc eſſet ablutio paſſiua tantùm.

Melius tamen Riccard. eadem d. 3. art. 1. q. 2., Conink præſenti quæſt. art. 3. dub. 2., Vaſq. diſp. 44. cap. 2., Abra diſp. 2. de Sacrament. ſect. 1. q. 3. art. 1., aſſerunt, ablutionem ſecundum vtrunque reſpectum, videlicet & quatenus receptam in baptizato, & quatenus exercitam à baptizante, eſſe ſubſtantialiter de ratione Baptiſmi. Patet: quia pariter de neceſſitate Baptiſmi eſt, vt aliquis abluat, & aliquis abluatur: ergo pariter penes vtrunque reſpectũ dici debet ablutio eſſe de ratione Baptiſmi. Et adhuc ſi magis formaliter loqui velimus, ſacramentum ipſum poteſt ſic conſiderari dupliciter, & quatenus ſuſcipitur, & quatenus conficitur. Sacramẽtum ergo quatenus ſuſcipitur, directè dicit ablutionem prout recẽptam in baptizato: quatenus conficitur, directè dicit ablutionẽ prout exercitam à baptizante. Neque vero hæc diſtinctio & conſideratio cadit etiam in prolationem verborum: quia hæc ita exercetur à proferente, vt non recipiatur in ſuſcipiente ſacramentum: nec etiam neceſſe eſt, vt is audiat verba quæ proferuntur. Sed quia ſonus verborum recipitur quoque in ſuo ſubiecto, ſcilicet in aere: dici adhuc poterit, ſi placeat, de ratione ſacramenti eſſe prolationem verborum, & quatenus efficitur à proferente, & quatenus idẽ ſonus in ſuo ſubiecto recipitur. Quoad praxim verò valeret adhuc Baptiſmus, ſi nix aut glacies per applicationem ad corpus baptizãdi reſoluatur in aquam, dummodo rite coniungatur prolatio formæ: quia ſane ipſe miniſter applicando niuem aut glaciem, iam ſuo modo actiuè ablueret, & ſic non deeſſet ablutio etiam actiua. Sequitur, vt iam

de-

Digitized by Google

de materia & forma Baptiſmi diſtinctè tractenus.

SECTIO QVARTA.

De Materia Baptiſmi.

PRimò. Non defuerunt Hæretici qui dixerint, vel non eſſe neceſſariam certam materiam, ſed ſola verba ſufficere ad hoc ſacramentum conficiendum: vel loco aquæ debere aut poſſe Baptiſmum igne aut ſanguine perfici. Certum tamen de fide eſt, neceſſariam Baptiſmi materiam eſſe aquam, fine qua nullatenus perfici poſſit hoc ſacramentum. Ita definiuit Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo, & Florent. ſeſſ. vlt., & Lateran. cap. *Firmiter* de ſum. Trinit. Habetur perſpicuè ex Scriptura, Ioann. 3. & ad Epheſ. 5., vbi expreſsè pro materia Baptiſmi conſtituitur aqua. Et in Actis Apoſtolorum, ſemper ad baptizandum tanquam materia neceſſaria aſſumebatur aqua. Certumque eſſe debet, aquam eſſe nominatam, non per metaphoram aliquam, ſed verè & propriè. Sic ex verbis Scripturæ colligitur, & ſic ſemper intellexit Eccleſia, vſuque ſeruauit. Sic Sacri Doctores, & omnes Fideles agnoſcunt. Sic Trident. eo can. 2., *Si quis verba illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.* Ratio huius rei fuit voluntas & inſtitutio Chriſti. Et quidem multis rationibus conueniens: quas affert S. Thomas art. 3., & videre eſt in textu.

Vnica Baptiſmi materia eſt aqua.

Secundo. Hinc certum quoque eſt, pro huiuſmodi materia Baptiſmi ſufficere quamcunque naturalem & elementarem aquam, quæ non ſit ſubſtātialiter immutata, & ſit apta ad abluendum. Itaque ſufficit aqua fontis, putei, fluminis, aqua pluuia, aqua maris, aqua reſoluta ex niue aut glacie, aqua collecta ex vaporibus exhalatis ex aqua feruenti ad ignem, ac in vaſis operculo condenſatis, aut ex vaporibus adherentibus apud parietes & lapides hiemali tempore. Quia omnis eſt vera & naturalis aqua, non ſubſtantialiter immutata, ſed retinens eandem aquæ ſubſtantiam. Et ad valorem ſacramenti ſufficit ſimplex aqua, etiam ſi benedicta non ſit. Sed ex præcepto Eccleſiæ adhiberi debet, quando haberi poteſt, aqua ad hunc effectum conſuetis ritibus Eccleſiæ benedicta, vt dicemus circa cæremonias Baptiſmi. Sufficit etiam ad ſacramentum aqua, in qua aliquid aliud admixtum ſit, quod non tranſmutauerit naturam aquæ. Sic Eccleſia ipſa admiſcet in fonte baptiſmali de oleis benedictis. Et in aqua maris, quam dicimus eſſe ſufficientem, admixta eſt quantitas ſalis. Et ſufficit aqua fluminis turbida, in qua admixta eſt terra. At ſimiliter ſufficeret aqua in qua cineres, aut herbæ, vel carnes, leuiter decoctæ ſint: quia adhuc eſſet aqua, cum aliqua tamen admixtione alterius ſubſtantiæ & ſucci. Ideo dico, leuiter: quia alioqui ob magnam quantitatem & decoctionem alterius ſubſtantiæ in aqua, ipſa quoque aqua tranſiſſet in aliam ſubſtantiam, & ſic non eſſet amplius apta: vt ius carnium valde craſſum, de quo loquitur S. Tho. art. 4. ad 2. Debet etiam aqua eſſe apta ad abluendum, ſiquidem Baptiſmus in ipſa ablutione conſiſtit. Quare nix & glacies in tali ſtatu, quamuis ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum aqua fluida, non eſt vtique apta ad Baptiſmum: niſi tamen perfricatione & calefactione circa corpus, aliqua ex parte liquefieret, & ſic ablueret. Et ſimiliter aqua nimis lutulenta per magnam admixtionem terræ aut cineris, non eſſet materia apta: quia potiùs eſſet lutum, quàm aqua habilis ad lauandum.

Sufficit quacunque naturalis aqua.

Tertiò. Conſtat pariter, ita neceſſariam eſſe huiuſmodi aquam naturalē, vt non ſufficiat quicunque alius liquor, quamuis aptus ad lauandum, & quamuis ſimilis aquæ naturali. Sic idem Concil. Trident. eo canone 2. definiuit. *Aquam veram & naturalem eſſe de neceſſitate Baptiſmi.* Et S. Tho. art. 4. aliique omnes idem docent. Itaque nullatenus valet ad hoc ſacramentum, vinum, aut acetum, aut aliud ſimile, quamuis eſſet aptiſſimum ad abluendum. Non ſaliua, ſudor, lacrymæ, aut alius huiuſmodi liquor: vt de ſaliua de-

Non ſufficit quicunque alius liquor, aut artificialis aqua.

Digitized by Google

definiuit Pontifex cap. *Non vt* de Baptiſmo & eius effectu, declarans non fuiſſe legitimè baptizatos, *Quos in articulo mortis conſtitutos, propter aquæ penuriam, aliquorum ſimplicitas in caput & pectus ac inter ſcapulas, pro Baptiſmo ſaliuæ conſperſione liniuit.* Et ſic de omni alio ſimili liquore diuerſo ſubſtantialiter ab aqua ſentiendum eſt. Itemque nec valent ad Baptiſmum quidam alij liquores, qui vocantur aqua, & in apparentia ſunt valde ſimiles aquæ: vtpote qui extrahuntur ac deſtillantur ex floribus, herbis, & ſimilibus: aqua roſacea, aliorumque florum & herbarũ. Hi enim omnes liquores, ſunt ſucci quidam & humores, prorſus differentes à vera aqua. Vnde etiam notat cum alijs Bonacina q. 2. de Bapt. puncto 3. num. 2, eum qui teneretur ieiunare in pane & aqua, frangere ieiuniũ, ſi de huiuſmodi liquoribus bibat.

Nec aqua naturaliter manãs ex vite.

De aqua tamen naturaliter manante ex aliqua planta, vt præſertim ex vite inciſa tempore veris, indicauit ſufficere Ioannes de Cruce in Direct. conſcient. par. 2. de Sacram. Baptiſ. q. 2. dub 1. concl. 2. Sed Doctores communiter, vt teſtatur Diana par. 3. tract. 4 reſol. 5., id non admittunt: quia illa non eſt vera & naturalis aqua, ſed ſuccus & humor quidam, diuerſus eſſentialiter ab aqua. Rurſus de aqua reſoluta ex ſale, eſſe ſufficientem Baptiſmi materiam, affirmant Henriq. lib. 2. cap. 6. num. 1., Antonius Fernandez in Examine Theolog. moral. par 3. cap 2. §. 4 num. 5., Bonacina vbi ſupra nu. 4., Hurtadus de Baptiſmo diffic. 2. diſp. 1., Ochagauia q. 3. num. 4, & Diana eodem loco citato. Eo quod ſal eſt aqua maris congelata, vt ſumitur ex Ariſt. lib 2. Meteor. cap. 3., & ab experientia, quia aqua maris calore Solis cõcreſcit in ſal: quare ſicut valet ad Baptiſmum aqua maris, ita valebit aqua reſoluta ex ſale. Negant tamen valere, Conink hac q. a. t. 4. dub 1., Syluester verbo *Baptiſmus* 2. in fine, Angelus verbo *Baptiſmus* 4. num. 3., & alij. Eſtque plane negandum: quia omnino ſal eſt mixtum quoddam diuerſæ naturæ ab aqua, & non eſt vtique ſicut nix & glacies: quare ſiue concretum, ſiue liquidum, non eſt ſubſtãtialiter aqua, quaſi differat ſolum in qualitate ſalſedinis. In aqua autem maris immiſtum eſt ſal, liquidum, tanquam liquor & ſuccus eſſentialiter diuerſus ab aqua. Et ex aqua maris fit ſal, dum calore Solis conſumitur & euaporatur id quod eſt aqua, & remanet id quod eſt ſal, ideoque concreſcit. Et hoc tantùm voluit Ariſt., ac experientia demonſtrat, & iam in Philoſ. explicauimus q. 42. ſect. 7. pro ſalſedine maris. Sicut etiam ſaccarum liqueſcit in aqua, & conſumpta aqua concreſcit: nec propterea ſi per ſe liqueſiat, eſt apta materia ad Baptiſmum, quia prorſus eſt diuerſæ rationis ab aqua.

Nec in neceſſitate debet dari Baptiſmus ſine naturali aqua.

Addit vero Conink, ſe non damnare eos qui ob extremam puerorum neceſſitatem, aliqua materia ex dictis vtentur in baptizando: ſed omnino ſic baptizatos, debere poſtea ſaltem ſub conditione rebaptizari in materia certa, ſi haberi poſſit. Audacius id affirmant, Puteanus hac q. art. 4. num. 5., Præpoſitus num. 22., Tannerus diſp. 4. q. 1. dub. 2., Chamerota de Baptiſmo cap 2. dub. 2., loquentes de aqua roſacea, & ſimilibus. Hoc tamen non eſt admittendum, niſi quando aliquod dubium fuerit, ſi forte in illo liquore ſit aliqua pars aquæ naturalis admixta, ratione cuius poſſet perfici Baptiſmus; vt contingere poteſt in deſtillatione aquæ ex floribus cum admixtione aquæ naturalis. Alioqui ſi certum ſit, illum liquorem eſſe purum ſuccum eductum ex dictis corporibus, ſatis certum quoque eſt, differre ſubſtantialiter a vera aqua: & iam definitum eſt, ſolam veram & naturalem aquam eſſe idoneam Baptiſmi materiam. Imo etiam ſi aliqua pars aquæ naturalis in tam modica quantitate admixta ſit, vt magis ſit aliud compoſitum quàm aqua, cenſendum potius eſt, non valere Baptiſmum. Sic S. Thomas art. 4. in corp. notat, vinum lymphatum non eſſe aptam materiam, quod magis eſt vinum quàm aqua. Quandocunque vero aliquale dubium eſſet, ſi forte liquor qui ſolus ſuppeteret, habeat adhuc ſufficientem aquæ naturalis ſubſtantiam, deberet ſane ex illo confici ſub conditione Baptiſmus,

ptiſmus, vt plurimi Doctores notant: quia in extrema neceſſitate tentanda eſt qualiſcunque ſpes pro ſalute animæ, & iam nulla fieret iniuria ſacramento. Similiter licitum eſſet in tali neceſſitate vti niue aut glacie, nō quia dubitandum ſit, ſi fortè hęc in tali ſtatu ſit materia apta, vt non rectè dicūt Puteanus & Præpoſitus vbi ſupra: ſed potiùs quia non ſolùm dubitari, ſed ſperari & credi poteſt, perfricatione & calefactione parum quid aquæ reſoluendum, quod valeat ad Baptiſmum.

Materia proxi. a est actualis ablutio

Quarto deinde, ſatis notum eſt ex dictis, materiam neceſſariam & proximam Baptiſmi, eſſe actualem ipſam ablutionem corporis per aquam, ſiue eſſe aquā quatenus abluētem corpus. Ideoque Theologi dicunt, aquā eſſe materiā remotam, ablutionem eſſe materiam proximam. Eſtque res clara: nam ipſum Baptiſmi nomen, propriè dicit ablutionem: nec baptizatur quis, niſi dum abluitur. Conſiſtit autem hæc ablutio in contactu ſucceſſiuo corporis & aquæ, vel ſcilicet corpore traducto per aquam, vel aqua fluente per corpus. Quare ſi corpus exiſteret immotum intra aquam, aut aqua immota circa corpus, non diceretur corpus ablui, nec id ſufficeret ad Baptiſmum. Sed omnino requiritur contactus ſucceſſiuus per modum fluxus. Et requiritur contactus immediatus: ita quòd non ſufficeret circa veſtes, aut ſi quis eſſet corio incluſus, vel ſi infans naſcatur membrana quadam contectus, & non immediatè in ſuo corpore abluatur. Ita colligitur ex S. Thoma q. 68. art. 11., & alij communiter notant: quia alioqui non eſſet propriè ablutio corporis, ſed veſtis, aut corij, aut membranæ. Valent. tamen puncto 2. verſic. *Quintò ſequitur*, ait, ſi quis fuiſſet tali modo baptizatus, debere non ſine conditione rebaptizari propter aliquod dubium, ſi fortè valeat Baptiſmus illo modo datus. Sed non videtur neceſſaria hæc cautela: quia ſatis conſtat, talem modum Baptiſmi non valere, atque adeo deberet abſolute denuo conferri Baptiſmus. Et Vaſq. diſp. 145. n. 31 cum Roſella & Syluestro, & Matthęus Kelliſonus hic art. 8. dub. 2., Conink. art. 7. dub. 2. num. 78., Præpoſitus art. 8. dub. 3. num. 90., & Ochagauia de Baptiſmo q. 4. num. 3., putant valere Baptiſmum datum infanti pelle ſecundina contecto. Sed neque id eſt admittendum: cùm ea pellis nullo modo ſit pars corporis. Et ſic nec datum in vmbilico, qui præſcindēdus eſt, licet aliquam probabilitatem pro tali Baptiſmo admittat cum Marcuantio Diana par. 5. tract. 3. reſol 15. Si tamen veſtis aut membrana, eſſet adeo ſubtilis aut poroſa, vt aqua pertingeret ad ipſum corpus, & circa illud flueret: tunc ſane valeret Baptiſmus: aut ſi res eſſet dubia, deberet ſub conditione repeti. De reliquo neceſſe non eſt, vt per contactum & fluxum aquæ abſtergantur ſordes è corpore, vt fit in ablutione communi: ſed ſatis eſt dictus contactus ſucceſſiuus & fluxus, quo quidem propriè adhuc dicitur corpus ablui. An vero requiratur aliqua notabilis ablutio, & per notabilem aquæ quantitatē, dicemus infra circa partem corporis abluendam.

Poteſt ablutio exerceri, vel per immerſionem, vel per aſperſionem.

Quintò. Quia ablutio poteſt dupliciter exerceri, vno modo per immerſionem corporis in aqua, alio modo per aſperſionem ſeu effuſionem aquæ in corpus, videndum eſt, qualiter fieri debeat & poſſit. Pelagius Papa, vt habetur cap. *Multi* de Conſecr d. 4., & plures alij antiqui Patres, dixerunt, Baptiſmum perfici debere per trinam merſionem in aqua. Idemquè olim ſtatutum fuerat in Canonib. Apoſtolor. can. 49. & 150. Certum tamen eſt, vtroque modo perfici poſſe Baptiſmū, & non ſolùm per immerſionem, ſed ęque benè per effuſionem aquæ. Ita S. Thom. art. 7., & alij omnes. Et quando fiat per immerſionem, ſufficere vnicam ad valorem ſacramenti, docent idem S. Tho. art. 8., & alij omnes, ex Gregor. Papa cap. *De trina* de conſecr. d. 4. Hoc totum patet: quia ablutio quæ in Scriptura proponitur, optime poteſt vno vel alio modo perfici. Et conſuetudo Eccleſiæ vtrunque modum in diuerſis locis obſeruat. Atque ex Actis Apoſtolorum colligitur, adultos eo tempore fuiſſe baptizatos per aſperſionem. Ac deinceps etiam vbi conſuetum eſt, infan-

Digitized by Google

infantes baptizari per immerſionem, retentus eſt modus baptizandi adultos per aſperſionem, qui ſane pro ijs longè commodior eſt. Poteſt autem eſſe de præcepto & obligatione, vt in diuerſis regionibus & Eccleſijs, vno vel alio modo perficiatur Baptiſmus, iuxta peculiares mores & leges. Qui verò dixerunt, debere per trinam merſionem perfici Baptiſmum; vel præcipuè docere voluerunt, requiri inuocationem diſtinctam trium perſonarum diuinarũ, quæ inuocatio ſimul cum ipſa trina merſione fieri ſolebat: vel aſſignare voluerunt, vnum quidem modum aptum & conuenientem, non verò negare alterum. Et in Canonibus Apoſtolorum iuſſum erat per modum ritus tũc ſeruandi, non autem tanquam neceſſarium ad valorem ſacramenti, vt Baptiſmus eo modo fieret. Sed poſtea conceſſum eſt, vt etiam per vnicam merſionem, & per aſperſionem, licitè fieri poſſet.

Ad immerſionẽ non eſt per ſe neceſſarium, vt ſequatur emerſio.

Sexto. In modo baptizandi per immerſionem, ruſus dubitatur, num de neceſſitate & valore ſacramenti ſit, vt poſt immerſionem ſequatur emerſio, vel etiam valeat Baptiſmus, ſi proijciatur & ſubmergatur infans in puteũ vel flumen cum prolatione verborum. Requiri emerſionem, & non valere Baptiſmum tali modo per proiectionem, opinantur Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 8., Riccard. d. 4. art. 4. caſu 1., Scotus d. 5. q. 3., Palud. d. 6. q. 1. art. 3., Cabrera hic q. 66. art. 7. num. 17., Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 13, Sylu. in Sum. verbo *Baptiſmus* 4. num. 8, Angelus nu. 1., & quidam alij. Recte tamen magis communiter alij docent, non eſſe de neceſſitate ſacramenti emerſionem, ſed valere Baptiſmum factum per proiectionem, dummodo proferatur integra forma ante mortem infantis. Ita Abbas in cap. *Non vt apponeres* de Baptiſmo & eius effectu, Gabr. in 4. d. 4. q. 2. art 3. dub 4. Nugn. hîc art. 8., Coninch art. 7., Valent q. 1. pũcto 2., Suarez diſp. 20. sect. 3., Vaſquez diſp. 145. cap. 3., Præpoſit. qu. 66. art. 8 dub. 1. num. 81., Ochagauia q. 6. de Baptiſmo num. 2, Layman lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 5., Diana par. 5. tractatu 3. reſol. 14., Petrus Ledeſma de Sacram. Baptiſmi cap. 3., Bonacina q. 2. puncto 3. num. 26., & alij frequenter. Suadetur: quia ibi ſimpliciter exercetur ablutio, qualis eſt de neceſſitate Baptiſmi: quãuis poſt ablutionem ſequatur ſuffocatio & mors infantis. Tum etiam, ſi forte dum quis mergeret infantem in aqua animo illum educendi, caſu elabatur infans è manibus & ſubmergatur, verè perficitur Baptiſmus. Et ſimiliter, ſi quis mergeret animo relinquendi & ſuffocandi, ſed interim tenens infantẽ intra aquam proferat integram formã, & ſtatim relinquat, verè illum baptizat. Ergo etiam ſi dimittens illum è manibus proferat formam. Tum demũ ſi ſuper infantem iacentem in cuna ſuperinfundat quis tantam aquæ copiam, vt eum coopertum relinquat, vtique vere baptizat: ergo ſimiliter, ſi illum proijciendo ſubmergat.

Nec obſtat, quòd ille qui ſic baptizat conſequenter occidat, & habeat animum occidendi, dummodo ſimul habeat animum baptizandi. Sicut ſi quis aqua feruida aut venenata baptizaret infantem, animo ſimul eum occidendi, vtique perficeret ſacramentum. Non ſolùm autem eſſet reus homicidij, qui prauo animo & abſque neceſſitate ſubmergeret infantem, ſed etiam in caſu quo infans eſſet moribundus, & non poſſet aliter baptizari quam proijciendo illum in puteum: quia talis actio per ſe tendit ad occiſionem, & nõ ſunt facienda mala vt veniant bona. Et ita vt plurimum ijdem Doctores notant: quamuis Coninch aliquam dubitationẽ moueat: & Ochagauia abſolutè oppoſitum affirmet. Omnino tamen eſſet licitum, modo ordinario baptizare moribundum, etiam ſi timeretur acceleratio mortis per effuſionem aquæ, vt aduertit Vaſq. num. 25. Quia periculũ eſſet modicum & incertum, ac nullius momenti, & valde per accidens: ob quod proinde non debet prætermitti remedium neceſſarium ſalutis.

Aſperſio ſufficit in quacũque corporis parte.

Septimò. In modo baptizandi per aſperſionem, ſatis conſtat non oportere, ablutionem fieri in toto corpore, aut maiori eius parte: ſed ſatis eſſe ſi fiat in parte præcipua corporis, quale

 eſt

eſt caput, in quo vigent externi & interni ſenſus. Qui modus baptizandi vt plurimum in Eccleſia ſeruatur. Sed oportere ablutionem fieri ſaltem in capite, ſignificat S. Thomas art. 7. ad 3. Qui tamen potiùs loquitur de obligatione præcepti, quàm de neceſſitate ſacramenti. Sed quantum ad hoc, fatendum eſt, vt aduertunt Suarez diſp. 20. ſect. 2., & Vaſq. diſp. 145. cap. 4. ſatis certam & indubitatam materiam eſſe, ſi ablutio fiat in alia parte notabili, vt in ſcapulis, aut in pectore, vel in humeris. De reliquo non ſufficere ſi fiat in quacunque remota & modica parte corporis, vt in digito, docet idē Suarez, & Villalobos in Summ. tomo 1. tract. 5. difficul. 4. num. 1., Zambranus de Bapt. cap. 1. dub. 1. num. 7., & quidam alij, & indicat Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 7. §. *Sed arguit*. Eo quod per ablutionem minimæ partis, non poſſit denominari ſimpliciter homo ablui. Sed ſufficere in quacunque minima parte, affirmant Vaſquez diſp. 145. cap. 4., Kelliſonus hac q. art. 8. dub. 1., Ochagavia de Baptiſmo q. 4. num. 3., Pontius de Matrim. lib. 4. cap. 25. num. 7., Henriq. lib. 2. de Sacram. cap. 7. num. 2. Quia ex oppoſito dicunt, in quacunque minima parte verè denominari poteſt homo ablui & ablutus: ſicut denominatur tangi, & denominatur vulneratus. Idem indicauit Durand. in 4. d. 6. q. 1. num. 16. Eo quòd tota anima in quacunque minima parte corporis inuenitur. Et ſpeculatiuè quidem loquendo dici poteſt ſufficere. Quod etiã confert ad maiorem facilitatem huius remedij.

Sed ad ſecuritatem debet repeti in parte principali. Attamen quia res non eſt certa, ſi neceſſitas aliqua vrgeat, vtpote ſi appareat ex vtero matris manus, aut pes, aut ſolus digitus infantis, poterit quidē ac debebit in illa parte infundi aqua cum prolatione verborum: ſed ſi poſtea infans perfecte naſcatur viuus, debet ei iterum in parte principali infundi aqua, & repeti forma, tamen ſub conditione ſi non es baptizatus: etiam ſi inquam priùs fuiſſet aqua infuſa in integra manu aut pede, quia adhuc res non eſt certa. Ita communiter Theologi docent, S. Thomas infra q. 68, art. 11, ad 2., Nugn. hac q. art. 8. & 9., Coninch art. 7. dub. 2., Valent. q. prima, de Baptiſmo puncto 2., Vivald. cap. 5. num. 16., Sylueſter, Armilla, Tabiena, Roſella, & alij Summiſtæ verbo *Baptiſmus*. Idemquè docent Scotus in 4. d. 4. q. 3., Gabriel q. 2. art. 3., Palud q. 1. art. 1. concl. 2., Abbas & Innocent. in cap. *Debitum* de Baptiſmo, alijquè paſſim. Et nec Auctores primæ ſententiæ negant, poſſe ac debeti in caſu neceſſitatis dari Baptiſmum in quauis minima parte, ob aliquam probabilitatem & ſpem quod valeat. Nec Auctores ſecundæ ſententiæ negant, debere poſtea in alia parte principali ſub conditione repeti, ob dubium quod antea non valuerit. Etenim ob neceſſitatem infantis debet quodcunque remedium in quo ſit aliqua ſpes tentari. Et ob certitudinem ac ſecuritatem remedij tantæ neceſſitatis, debet quæcunque maior cautela quæ opportuna ſit adhiberi.

Sufficit quæcunque quantitas aquæ abluentis. Hinc colligendum eſt, an ſufficiat quæcunque modica quantitas aquæ, vtpote aliqua gutta, ad valorem Baptiſmi. Negant aliqui ex ijſdem Auctoribus, vt refert & ſequitur Bonacina num. 18., dicens, non valere Baptiſmũ, quando quis vna, vel duabus, aut tribus aquæ guttis aſpergitur. Adhærent Granad. controuerſ. 4. tract. 1. diſp. 4. num. 12., Layman lib. 5. tract. 2. cap. 3. n. 1., & alij. Eo quod non poſſit dici ſimpliciter ablui. Affirmant tamen Henriq. lib. 2. cap. 21. num. 4., Kelliſonus art. 8. dub. 3., Meratius hic de Baptiſmo diſp. 2. ſect. 4., Ochagavia q. 4. num. 8., Diana par. 5. tract. 3. reſol. 5., Vaſqu. diſp. 145. citata num. 32. cum Innoc. Abbate & Roſella. Eſtque ſimiliter probabile, ſicut de ablutione facta in quauis modica parte corporis. Dummodo tamen gutta aquæ fluat ac extendatur per aliquam corporis partem, alioqui verè non ablueret, vt iam antea notauimus. Ideoque Bonacina dixit, paucas guttas non ſufficere, præſertim ſi peſtillant & non fluant per corpus. Vnde Comitolus lib. 1. Reſpõſ. Moral. q. 12., Filliucius tomo 1. tract. 2. cap. 2. num. 34., & Diana par. 3. tract. 4. reſol. 5., validum putant Baptiſmum

quem

Digitized by Google

quem contulit quædam mulier infanti moribundo, imprimendo illi ſignum crucis in fronte, digito aqua madefacto: quia ille erat modus quidam ablutionis. Non tamen eſſet putandus validus Baptiſmus, quem mulier etiam quædam contulit, intingendo extremũ digiti ſui in aqua, & inſpergendo in vultum infantis: quia tenuiſſimæ ſtillæ quæ peruenire poterant in vultum infantis, non poterant per carnem defluere, ſed ſtatim potiùs ſiccabantur. In omni autem caſu, quo ob modicam quantitatem aquæ & ablutionis non ſit certa validitas Baptiſmi, debet omnino ſub conditione reiterari. Sed quia Actor. 2. narratur, in vna die Pentecoſtes fuiſſe homines circa ter mille baptizatos: cogitarunt aliqui, tunc ex peculiari diſpenſatione potuiſſe ſufficere, ſi quæcunque modiciſſima aquæ ſtilla ad ſingulos perueniſſet, ac etiam ſi ſolùm veſtem attigiſſet. Sed tamen putandum non eſt, illos baptizatos fuiſſe in confuſo per aſperſionem in aere factam ad populum, eo modo quo nunc ſolet Sacerdos aquam benedictam aſpergere. Sed potiùs illos fuiſſe ſingillatim per ſufficientem aquæ copiam baptizatos. Non enim difficile erat, homines ter mille vna die baptizari à duodecim Apoſtolis. Immò aderant etiã plures alij diſcipuli: Nam cap. præcedenti de diſcipulis congregatis dictum eſt, *Erat turba hominum ſimul ferè centum viginti.*

Sufficit ablutio in capillis, ſed ad ſecuritatem debet fieri in cutem.

Dum vero Baptiſmus præbetur in capite, adhuc dubitatur, num ſufficiat ſi aqua contingat ſolùm capillos, & per eos defluat; vel requiratur vt cutem attingat. Non ſufficere ſi ſolùm capillos attingat; exiſtimat Bonacina pũcto 2. citato num. 21., dicens eſſe fere cõmunem ſententiam. Eo quod capilli verè non ſunt pars hominis, non informantur anima rationali, ſed ſunt ſuperfluitates & excrementa quædam. Sed meliùs ſufficere affirmant, Sotus in 4. d. 3. q. 1. art 7., Vaſq. diſp. 145. citata num. 37., Coninch art 7. dub. 2. num. 78., Kelliſonus art. 8. dub. 2., Valent. q. 5. de Baptiſmo puncto 2. §. *Sextò ſequitur*, Henriq. lib. 2. cap. 7. num. 2., Petri Ledeſma de Sacram. Baptiſmi cap. 318., Poſſeuin. de Baptiſmo nu. 6., Bartholom. de Angel. Dialogo 2. de Bapt. §. 101., Tolet. in Sum. lib. 2. cap. 18. num. 10., Graffius par. 2. lib. 1. cap. 4. num. 9. Aliqui tamen ex his, ſolùm tanquam probabile id concedunt. Sotus probat: quia capillos putat animatos eadem anima rationali. Sed hoc nõ verificatur, vt ex Philoſophia ſupponimus: nec eſt neceſſarium. Satis ergo eſt, quòd capilli computantur tanquã partes corporis, & ſumuntur vt vnum totaliter cum corpore. Vnde & Verbum diuinum in aſſumptione humanæ naturæ, cenſetur per hypoſtaticam vnionem aſſumpſiſſe etiã capillos corporis Christi, vt ſuo loco tractauimus. Eademque ratio eſt de vnguibus: vt notauit Ochagauia de Baptiſmo q. 4. num. 3. Attamen ad ſecuritatem Baptiſmi, & ad euitandam dubietatem opinionis oppoſitæ, aduertere debet miniſter, quando baptizat viros adultos habentes capillos ſpiſſos, & quando baptizat mulieres adultas quæ communiter habent capillorum copiam, vt ita aquam infundat, quod defluat non ſolùm ſuper capillos, ſed etiam ſuper cutem, ad collum, vel frontem, aut commodiori & tutiori modo quo fieri poſſit.

Baptiſmus perficitur eo ablutionis puncto, quo abſoluitur forma.

Octauo demum. Cùm ablutio ſucceſſiue fiat, poteſt facilè contingere, vt tota Baptiſmi forma abſoluatur, & omnia verba proferantur, antequam finiatur ablutio; vt præſertim quando Baptiſmus fit per trinam merſionem; ſi forma abſoluatur in prima aut ſecunda merſione; tunc dubitatur, in quonam puncto cenſeri debeat perfici ſacramentum, & conferri eius effectus; an ſtatim completa forma, vel non niſi completa ablutione. D. Thomas in 4. d. 3. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 3., indicauit, non perfici Baptiſmum niſi in tertia merſione, quando miniſter habebat intentionem baptizandi per trinam merſionem. Idem ſequuti ſunt Palud. eadem diſt. q. 3. in fine, Syluester verbo *Baptiſmus* 8. num. 2., & quidam alij. Rectè tamen Caiet. hac q. art 8., Nugn., Peſant., Coninch & alij eodem art., Suarez diſp. 20. ſect. 2., Valent. q. 2. puncto 2., Vaſq. diſp. 145. num. 33.,

Digitized by Google

Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 8., Poſſeuin. cap 6. de Baptiſmo num. 12., Bonacina q. 2. puncto 3. num. 29, alijque communiter affirmant, ſtatim perfici Baptiſmum in fine prolationis verborum, poſita iam ſufficienti parte ablutionis, quamuis adhuc continuetur ablutio poſt finitam prolationem. Suadetur: quia iam tunc poſita ſunt quæcunque requiruntur ad ſubſtantiam ſacramenti, nec eſt cur differatur complementum & effectus ſacramenti vſque dum finiatur vlterior ablutio. Nec ex intentione miniſtri dependet talis dilatio. Et quamuis miniſter intendat baptizare per trinam merſionem: tamen ſimul ſupponitur habere intentionem faciendi ſacramentum iuxta inſtitutionem Chriſti, ſeu iuxta mentem Eccleſiæ, penes ea quæ ſunt de neceſſitate Baptiſmi. Quòd ſi quis haberet expreſſam intentionem non baptizandi niſi per tertiam merſionem: Aliqui adhuc volunt, perfici Baptiſmum ſtatim ac forma abſoluitur: quia miniſter nullatenus poteſt ſuſpendere valorem & effectum ſacramenti. Coninch contendit, nec tunc nec poſtea perfici ſacramentum, nec validum fore talem Baptiſmum: quia in intentione apponitur veluti conditio de futuro contingenti, ſub qua redditur inualidum ſacramentum. Melius Bonacina reſoluit, ex tali intentione perfici Baptiſmum in tertia merſione. Etenim antecedens ablutio ſe haberet merè materialiter, tanquam facta abſque debita intentione. Vlterior verò ablutio, ſeu tertia merſio, nequaquam ſe haberet veluti conditio extranea de futuro, ex qua verum eſt non poſſe pendere valorem & effectũ ſacramenti: ſed verè ſe haberet tanquam pars intrinſeca & ſubſtantialis ſacramenti, ſiquidem eſt propria eius materia: quare ita per eam perficietur ſacramentum, ſicut ſi non alia præceſſiſſet ablutio, & ſicut per vnicam merſionem perfici poteſt.

SECTIO QVINTA.

De Forma Baptiſmi.

NOn defuerunt Hæretici, qui circa formam quoque huius ſacramenti inſipienter errauerint. Vel dicentes, non eſſe neceſſariam in Baptiſmo certam verborum prolationem: vel varijs modis hanc formam peruertentes, & verba immutantes. Notiſſimum tamen de fide eſt, eſſe ſimpliciter neceſſariam in Baptiſmo certam formam: & veram ac legitimam eſſe, quæ ſumitur ex illis verbis Chriſti. Matth. vlt, *baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*. Aliqua autem diuerſitas eſt, in accomodatione & vſu huius formæ, inter Græcam ac Latinam Eccleſiam. Nam Latini baptizant dicendo, *Ego te baptizo in nomine &c.* Græci baptizant dicendo, *Baptizatur*, ſiue *Baptizatur ſeruus Chriſti in nomine &c.* Eſtque de fide, vtroque modo formam eſſe legitimam & idoneam: vt patet ex Concil. Florent., & ex ipſo vſu Eccleſiæ. Vterque enim modus antiquiſſimus eſt in vtraque Eccleſia, & ſine dubio ab Apoſtolis deriuatus. Et certè Eccleſia latina Romana errare non poterat. Ritus etiam dictus Eccleſiæ Græcæ, nunquã fuit à Romana Eccleſia reprobatus. Ac etiam poſt exortum ſchiſma Græcorum, baptizati ab ijs, ſi ad vnionem noſtræ Catholicæ Eccleſiæ veniant, non rebaptizantur: & ordinati aut confirmati, non iterum ordinantur aut confirmantur. Quòd ſi ipſi Græci contendant, eorum formam eſſe taliter neceſſariam, quòd noſtram non ſufficere arbitrentur, prorſus errant. Iam ad maiorem diſcuſſionem totius formæ Baptiſmi, diſtinctè videndum eſt de neceſſitate ſingulorum verborum.

Diſcrimen inter formam Græcorum & Latinorũ.

Primò. Neceſſe omnino eſt, vt exprimatur actus baptizandi. Ita notauit Concil. Florent., & docuit Alexander tertius cap. 1. de Baptiſmo. Itaque non ſufficit, quòd miniſter per immerſionẽ vel aſperſionem, actu ipſo exercito baptizet: ſed oportet, vt id verbo proferat. Non eſt autem neceſſarium hoc præcisè verbum baptizandi; ſed

Debet in forma exprimi actus baptizandi.

ſuf-

Digitized by Google

ſufficeret verbum aliquod æquiualens & ſynonimum, vtpote lauo, abluo, videtur etiã ſufficere, immergo, aſpergo, intingo, & ſi quæ ſint alia verba ſimilia. Ex conſuetudine tamen Eccleſiæ debet ſub ipſo verbo baptizãdi hæc forma proferri. Et alio verbo ex induſtria vti, non vacaret graui culpa. Rurſus neceſſe non eſt, actum baptizandi proferri per verbum actiuum indicatiui modi. Sed poteſt etiam per verbum paſſiuum, tu baptizaris à me in nomine &c. Et referri etiam ſolet ſub verbo imperatiui modi in forma Græcorum, Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine &c. Attamen in ritu Græcorum pronunciatur potiùs ſub verbo paſſiuo indicatiui modi, Baptizatur ſeruus Chriſti. Et ſanè ſub verbo actiuo valde dubia redderetur forma prolata imperatiuo modo Ego baptizem te. Notat etiam Bonacina q. 2. puncto 4. num. 14. cum Sayro & alijs, non valere ſub infinitiuo modo, intendo te baptizare: quia aliud eſt facere actum, aliud intendere & velle facere. Grauiter quoque peccaret Miniſter Latinus, qui proferret more Græcorum ſub verbo paſſiuo: & vt videtur etiam Miniſter Græcus, qui in ſua Eccleſia & regione proferret more Latinorum ſub verbo actiuo.

Et perſona quæ baptizatur.

Secundò. Neceſſe etiam eſt, aliquo modo verbis ipſis exprimi perſonam quæ baptizatur. Patet hoc in vtraque forma, tàm Græcorum quàm Latinorũ. Et conſtat ex vſu. Et ratio eſt: quia id requiritur ad determinationem talis actionis circa tale ſubiectum. Non eſt tamen neceſſe, exprimi per aliud nomen aut pronómen à verbo diſtinctũ: ſed poteſt exprimi verbo ipſo, videlicet dicendo, Baptizaris in nomine &c. Quando verò non includitur in ipſo verbo, debet exprimi vocabulo diſtincto, vtpote Baptizo te. Item neceſſe non eſt, exprimi per pronomen ſecundæ perſonæ, Baptizo te: ſed poteſt etiam ſub tertia perſona, Baptizo hunc, vel per proprium nomen Baptizo Petrum: vt fit verbo paſſiuo in forma Græcorum. Inſuper in plurali, Baptizo vos, vel hos. Non tamen ſub pronomine primæ perſonæ Baptizo me: quia non poteſt idem baptizare ſe ipſum. Si autem accidat error in nominanda perſona, nominando vnam pro alia, imò nominandò maſculũm pro fœmina, dicendo Baptizo hunc, vel Baptizatur ſeruus Chriſti, cùm deberet dicere hanc, vel ancillam Chriſti; non per hoc vitiatur Baptiſmus: quia error eſt ſolùm materialis. Dummodo inquam miniſter habeat intentionem baptizãdi perſonam illam præſentem, cui aquam infundit, & circa quam materiali errore decipitur.

Non ita oportet exprimi perſonam miniſtri baptizantis.

Tertio. Neceſſarium non eſt, exprimi perſonam ipſam miniſtri qui baptizat. Itaquè, non ſolùm ſi prætermittatur ly Ego, & dicatur Baptizo te, vbi in ipſo verbo ſatis includitur perſona agens: ſed etiam ſi nec in ipſo verbo explicetur, vt patet in forma Græcorum; adhuc perficitur ſacramentum. Ita patet ex conſuetudine & ritu eiuſdem Eccleſiæ Græcæ, & exiſtimatione Latinæ. Nec locum habet, quod dixerunt aliqui, ſaltem in ipſa Eccleſia Latina neceſſarium eſſe exprimi perſonam miniſtri; ſi hoc intelligant de neceſſitate valoris. Nam forma quæ in vna Eccleſia ſufficit ad ſubſtantiam ſacramenti, erit vbique ſufficiens. Et ad ſummum dici poterit, eſſe neceſſarium ex præcepto: ob ipſum ritum Eccleſiæ Latinæ. Si tamen quis prætermitteret ſolùm lý Ego, & diceret Baptizo te, & ſic in ipſo verbo exprimeret ſuam perſonam, idquè faceret abſque contemptu & ſcandalo; non fore peccatum mortale, ſed tantùm veniale, aduertit Vaſq. hîc diſp. 142. num. 30., & alij plùres.

Hinc ſequitur, quòd, etiam ſi dicatur, Baptizat te Chriſtus, vel Deus, aut baptizatur hic à Chriſto, vel Deo, valeret Baptiſmus: quia de facto hunc ſenſum Græci intendunt, vt notat S. Thomas art. 5. Dummodò tamen non excludatur perſona miniſtri. Propter quod non valeret, ſi quis diceret, Baptizat te Chriſtus, & non ego: vt notauit Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 5. Quia in illo ipſo modo dicendi, Baptizat te Chriſtus; debet implicitè ſubintelligi, Baptizat te per hoc meum miniſterium, ſiue per meas manus, per me: ideoquè non debet hoc excludi per aliam contrariam.

Digitized by Google

trariam negationem.

Debet contineri expreſſa inuocatio Dei.

Quarto deinde. Neceſſe eſt in forma Baptiſmi expreſſe contineri inuocationem Dei; vt optime inuocatur dicendo, In nomine. Sed tamen particulam *In*, non eſſe ſimpliciter neceſſariā, opinantur Coninch hac q. art. 6. concl. 6., Henriq. lib. 2. cap. 8. num. 6., Bonacina q. 2. puncto 4. num. 16., Diana par. 2. tract. 15. reſol. 47. Et alios plures refert Bonacina, qui tamen id non docent de particula *In*, ſed de particula *Ego*. Putant etiam Bonacina & Diana, non eſſe mortale peccatū, eam particulā omittere. Et Coninch putat, non fore iterandum Baptiſmum datum ſine ea particula: quam ait poni in forma, more loquendi hebraico, potius quam latino. At hanc particulam eſſe de neceſſitate, exiſtimant Toletus lib. 2. cap. 19. num. 2., Reginald. tomo 2. lib. 24. cap. 1. num. 30., Comitolus lib. 1. Reſponſ. Moral. q. 9. num. 5., Bartholom. de Angel Dialogo 2. §. 115. & alij. Ita quod non valeret dicere, Baptizo te nomine Patris &c., vel cum nomine, aut per nomen. Quia ly In habet vim quandam & energiam auctoritatiue inuocandi Deum. Et videtur latini ſermonis proprietate requiri. Quare non ſolum grauiter peccaret, qui hanc particulam prætermitteret: ſed etiam eſſet ſub conditione reiterādus Baptiſmus, ob periculum nullitatis. Videtur tamen, æquiualenter ſe habere, ſi dicatur ſub nomine, ac in nomine.

Particula, *Nomine*, eſt etiam neceſſaria. Videri tamen poteſt æquiualere, ſi dicatur, In virtute, In auctoritate, In Maieſtate, In Deitate Patris &c. Negat tamen has alias particulas ſufficere Innocent. in cap. 1. de Baptiſmo. Vnde Valent. puncto 3., Suarez diſp. 21. ſect. 3., Bonacina q. 2. puncto 4. num. 5., & quidam alij notant, non carere dubitatione Baptiſmum tali modo datum, atque adeo eſſe ſub conditione reiterandum. Quia ly In nomine videtur peculiarem quandam vim continere. Multo minus ſufficeret dicere, In fide, vel confeſſione, laude, Patris &c. Quia nec exprimitur diuina auctoritas, nec vnitas eſſentiæ. Rurſus neceſſe eſt, dici ſingulariter, In nomine, ad denotandam vnitatem Diuinæ naturæ. Vnde ſi quis diceret, In nominibus, nihil faceret. Si tamen cum repetitione diceret In nomine Patris & in nomine Filij, non valere Baptiſmū, contendit Bonacina vbi ſupra. Sed melius Suarez diſp. 21. ſect. 3., Coninc. hac q. art. 6. n. 58., Cabrera a. 5. num. 22., Henriq. lib. 2. cap. 8. num. 2., Bartholom. de Ang. Dialogo 2. §. 127., Diana par. 2. tract. 17. reſolut. 15., & alij affirmāt valere Baptiſmum: quia adhuc intelligi poteſt vna communis Diuinitas; ſicut dicendo Deus Pater & Deus Filius, Deitas Patris & Deitas Filij. Quod ſi prætermiſſo ly Nomine, diceret Baptizo te in Patre &c., non valere Baptiſmum notat Vaſq. diſp. 143. cap. 5. Valere tamen ſi quis diceret, Baptizo te in vno Deo, Patre &c., quia ſatis exprimeret vnitatem eſſentiæ. Et ſimiliter ſi diceret, Baptizo te per vnum Deum, Patrem &c.

Explicita inuocatio Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Quinto. Neceſſe eſt in forma Baptiſmi exprimi Trinitatem Diuinarum perſonarum. Aliqui tamen antiqui Patres, & Magiſter in 4. d. 3., & quidā alij Theologi, imo & Nicolaus Papa cap. *A quodam Iudæo* de Conſecr. d. 4., dixerunt ſufficere implicitam inuocationem Trinitatis: videlicet dicendo, Baptizo te in nomine Trinitatis, vel dicendo, in nomine Chriſti: vel nominādo vnam aliquam ex tribus perſonis, cum qua proinde concomitanter intelligerentur aliæ duæ. Et D. Bernard. Epiſt. 340., interrogatus an valeret Baptiſmus, qui datus fuerat ſub tali forma, *Baptizo te in nomine Dei & ſanctæ & veræ crucis*; reſpondet, *Ego verò hunc baptizatum puto, nec ſonum vocis veritati fidei & pietati intentionis præiudicare potuiſſe*. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt: quia Apoſtoli, vt narratur in Actis, baptizare ſolebant in nomine Chriſti. Communis tamen & vera ſententia docet, neceſſariam eſſe inuocationem explicitam Trinitatis. Ita S. Thom. art 3., & alij fere omnes. Sumitur ex ipſa iuſſione Chriſti, *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Sic enim debet res intelligi, iuxta ſenſum & vſum Eccleſiæ. Rurſus Clemens

mens Papa lib. 3. Apoſtolicar. Conſtit. cap. 16. & lib. 7. cap. 23., & Pelagius Papa cap. *Si venera* de Conſecr. d. 4., & Zaccarias Papa cap. *In Synodo* ibidē, & Canon 50. Apoſtolorum, aperte dixerunt, requiri inuocationem explicitā Trinitatis: & alioqui Baptiſmum datū in nomine Chriſti, alioue modo, non valere. Item Concil. Florent. declarauit, illam eſſe formam neceſſariam, *In nomine Patris &c.* Et Sacri Doctores idem frequenter affirmant. Ratione quoque ita conueniebat; vt in ſacramento Baptiſmi quod eſt ianua Eccleſiæ, & prima profeſſio Chriſtianæ Religionis, fieret hæc expreſſa proteſtatio fidei per inuocationem explicitam Trinitatis.

Auctoritates quædā explicantur.

Ad auctoritatem Nicolai dixerunt aliqui, illum vt priuatum Doctorem erraſſe. Aliqui verò exponunt, docere voluiſſe, Baptiſmum interdum ex peculiari diſpenſatione diuina, ſub illa forma collatum valuiſſe. Alij exponunt, ſolùm voluiſſe, Baptiſmum ſub illa forma datum, non eſſe abſolute iterandum, ſed tantùm ſub conditione. Alij demum exponunt: cùm dixit valere Baptiſmum datū in nomine Trinitatis, intellexiſſe ſub inuocatione explicita Trinitatis, nominādo ſingulas perſonas: & in nomine Chriſti, ſi inter tres perſonas, loco Filij, vel ſimul cum nomine Filij, dicatur Chriſti. Interrogatus autem fuerat Pontifex, num valeret Baptiſmus datus a Iudæo: & ad hoc directè voluit reſpondere, valere, ſi datus fuerat in nomine Trinitatis, ideſt ſub inuocatione explicita trium perſonarum iuxta morem Eccleſiæ: vel in nomine Chriſti, ideſt ſi ſecunda perſona fuiſſet ſic nominata.

Ad auctoritatē ex Actis Apoſtolor., S. Thomas & plures alij reſpondent, Apoſtolos ex ſpeciali diſpenſatione potuiſſe tunc ſic baptizare, dicendo Ego te baptizo in nomine Chriſti: idquè fuiſſe eis in eo primo tempore conceſſum, ad magis celebrandum nomen Chriſti. Sed plane non oportet id admittere. quia optimè dici poteſt cum Bellarm. cap. 3 de Baptiſmo, & alijs plurimis hoc loco, dici Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, ideſt dediſſe Baptiſmum Chriſti, inſtitutum à Chriſto, cujus auctor erat Chriſtus, ad differentiam Baptiſmi Ioannis. Sicut quando vocatus eſt Baptiſmus in Spiritu ſancto, ſenſus non erat, quod daretur in ſolo nomine Spiritus ſancti, ſed quia conferebat gratiam Spiritus ſancti. Vel demum dici poteſt, Apoſtolos tunc, fuiſſe ſolitos, exprimere nomen Chriſti, ſimul tamen cum alijs duabus perſonis, ad conciliandam maiorem deuotionem erga ipſum Chriſtū; videlicet dicendo, In nomine Patris & Filij eius Ieſu Chriſti & Spiritus ſancti.

Inuocatio trium perſonarum debet omnino fieri ſub dictis nominibus.

Sextò rurſus quæritur, num de neceſſitate Baptiſmi ſit, vt perſonæ diuinæ inuocentur ſub his ipſis nominibus, Patris & Filij & Spiritus ſancti, vel poſſint etiam alijs æquiualentibus nominari, vt Genitoris & Geniti & ab vtroque Procedentis. S. Thomas hic art. 5. ad 7. & in 4. d. 3., alijquè plures hoc loco, Scotus, Bonau., Durand., Albert., Riccard., Sotus, alijquè ex Scholaſticis ead. diſt., & plures Morales Auctores agentes de forma Baptiſmi, exiſtimant, oportere omnino, hanc formam proferri ſub ijs nominibus Patris & Filij & Spiritus ſancti, nec ſub alijs nominibus valere: atque in omni idiomate debere ſimiliter ſub correſpondentibus nominibus pronunciari. Nihilominus Gloſa in cap. *Multi* de Conſecr. d. 4., Caietan. hic art. 8., Victor de Sacrament. num. 14., admittunt, illa verba non eſſe ſimpliciter neceſſaria, ſed validum etiam fore Baptiſmum datum ſub alijs nominibus æquiualentibus. Adherent Coninch art. 6. concl. 4., Suarez diſp. 21. ſect. 4., & quidam alij.

In hac re, certius quidem eſt, oportere, diuinas perſonas inuocari ſub nominibus denotantibus, non tantùm earum diſtinctionem, ſed etiam originem, & proceſſionem; quia alioqui vere non eſſet explicita inuocatio Trinitatis. Vnde ſine dubio nō valeret Baptiſmus, ſi daretur dicendo, In nomine trium perſonarum diuinarum: aut etiam In nomine primæ & ſecundæ & tertiæ perſonæ: aut ſub nominibus appropriatis, In nomine Omnipotentis & Sapientis. Dubitatio vero, remanet de illis nominibus Genitoris & Geniti &

Pro-

Digitized by Google

Procedentis ab vtroque, quæ videntur exprimere totum quod nominibus cõſuetis. Sed defendendum eſt cum communi ſententia, non valere. Non quidem ob rationem qua plerique vtuntur, quia variatur ſignificatum formale, dicendo Pater aut Genitor. Sed ob rationem quam S. Thomas reddit: quia neceſſe eſt inuocari Trinitatem illis nominibus, quæ ſunt maximè communia & vſitata ad ſignificandas ipſas diuinas perſonas. Sicut etiam materia Baptiſmi debet eſſe aqua communis & vſitata ad abluendum, ſcilicet elementaris. Et quidem expediebat, vt ita expreſſe & clarè in ipſo Baptiſmo fieret profeſſio fidei. Item nomina Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſunt nomina propria diuinarum perſonarum, ſicut inter homines ſe habent nomina propria ſingulorum, Petrus, Paulus, & reliqua: alia autem ſunt nomina adiuncta. Oportet autem, inuocationem Trinitatis in Baptiſmo fieri ſub nominibus maximè proprijs perſonarum. Demum etſi ex alia parte videri poſſet probabilis opinio Caietani: tamen in praxi nullatenus permittenda eſſet, tum ob præſcriptum Eccleſiæ, tum ob vehemens dubium & periculum nullitatis. Vnde Baptiſmus eo modo datus, eſſet omnino ſaltem ſub conditione repetendus. Et ita inter recentiores fatentur ijdem qui ſpeculatiuè loquendo adhærent Caietano.

Admittunt etiam plerique, poſſe aliquod nomen ex tribus perſonis, validè permutari in aliud nomen quod videatur pariter vſitatum & commune in modo loquendi, ac proprium reſpectu talis perſonæ. Vtpote ſi loco Filij dicatur Verbi, aut Chriſti: ſi loco Spiritus ſancti dicatur Paracliti: & ſi quod aliud ſimile occurrat. Sed neque hæc admittenda videntur. Quia nomen Verbi non ita adaptatur cum nomine Patris, nec habet eandem expreſſionem ſicut nomen Filij. Similiter nomen Chriſti: de quo proinde Vaſq. diſp. 144. cap. 4. notauit, non aliter debere intelligi, adhibitum fuiſſe & adhiberi poſſe in forma Baptiſmi, niſi ſimul cum nomine Filij, dicendo in nomine Patris & Filij eius Chriſti, ſeu Chriſti Filij eius.

Nomen etiam Paracliti, non eſt nomen ita proprium & expreſſiuum quoad ſubſtantiam tertiæ perſonæ, ſicut nomen Spiritus ſancti. Admittit tamen Vaſquez, valere ſi dicatur, Spiritus ſancti Paracliti, aut etiam ſimpliciter Spiritus: quia Spiritus eſt nomen proprium tertiæ perſonæ, & ideo poſſe mutari aut prætermitti epitheton ſancti. Sed certè nec nudum nomen Spiritus, nec eum alio epitheton, ſed ſimpliciter nomen Spiritus ſancti, eſt proprium tertiæ perſonæ: quare perſiſtendum eſt in regula tradita de neceſſitate horum nominum in forma Baptiſmi.

Septimo vlterius dubitatur, num particula coniunctiua, *Et*, quæ ponitur inter nomina perſonarum, ſit de neceſſitate ac validitate formæ. Negant Coninch art. 6. num. 61., Pitignanus in 4. d. 3. q. 2. art. 12., Comitolus lib. 1. Reſponſ. moral. q. 9. num. 5., Toletus in ſum. lib. 2. cap. 19., Diana par. 2. tract. 15. reſol. 45., qui addit nec etiam eſſe de neceſſitate & obligatione præcepti ſub mortali, ſecluſo ſcandalo & contemptu. Affirmant tamen eſſe de neceſſitate ſacramenti, Conrad. in Reſponſ. caſuum conſcient. tomo 2 q 84., Viuald. in Candelabro tract. de Forma Baptiſmi num 11., Reginald. tomo 2. lib 24. cap. 1. num. 30, Barthol. de Angel. Dialogo 2. §. 115., & alij. Quia particula, Et, confert ad ſignificandam diſtinctionem inter perſonas. Quare ad minus redditur dubia validitas formæ ſine hac particula. Vnde non ſolum mortale eſſet, illam omittere: ſed Baptiſmus ſic datus, deberet ſub conditione repeti. In rigore tamen ſatis eſſet, ſemel apponere talem particulam, ſcilicet ante nomen tertiæ perſonæ, In nomine Patris Filij & Spiritus ſancti: quia more latino idem eſt ſenſus, ac ſi per ſingula nomina repeteretur. Particula autem *Amen* in fine formæ, nec eſt de neceſſitate ſacramenti, nec de graui obligatione præcepti: quia additur ſolum per modum cæremoniæ, ſicut in alijs orationibus.

Debet fieri cum particula coniunctiua.

Octauò demum videri poteſt, eſſe etiam de eſſentia formæ, talis ordo nominandi perſonas, ſcilicet primò Patrē, ſecundo Filium, tertiò Spiritum ſanctum:

Non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed

Digitized by Google

præcepti: ut ſat eſt dicto ordine.

ctum: quia hic ordo eſt de ſubſtantia Trinitatis. Notant tamen Bonacina num. 15., & quidam alij, non eſſe de eſſentia talem ordinem in nominando: quia etiam ſi quis diceret, in nomine Filij & Patris; adhuc ipſa vocabula denotant ordinem originis, qui eſt de ſubſtantia Trinitatis, ſiquidem omnino Filius procedit à Patre. Et ita cum Durando notauimus q. 60. ſect. 5. Sic multò magis, non eſſe contrà eſſentiam formæ, ſi inter alias partes inuertatur ordo, dummodo retineatur debitus ſenſus: vtpote ſi quis diceret, Ego in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizo te: alioué ſimili modo. Non vacaret tamen mortali culpa, inuertere ordinem diuinarum perſonarum, aut aliam notabilem inuerſionem ordinis in tota forma facere. Alia quoque quæ circa neceſſitatem ſacramenti, & obligationem præcepti, in hac forma conſiderari poſſent, quæ communia ſunt ad alia ſacramenta, iam expediuimus de ſacramentis in genere.

SECTIO SEXTA.

An & qualiter Baptiſmus ſit vnus, qui repeti & iterari non poſſit.

Baptiſmus eſt vnus ſpecie.

VNus Deus, vna fides, vnum Baptiſma, dixit Apoſtolus ad Epheſ. 4. Et in Synodo Niceno, *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Hinc habetur, Baptiſmum eſſe vnum ſpecie pro omnibus hominibus in Eccleſia: loquimur enim de Baptiſmo aquæ, ideſt de vero ſacramento Baptiſmi. Quoniam non negamus, Baptiſmum ſanguinis & Flaminis valde ab illo differre. Sed hæc non ſunt ſacramentum Baptiſmi, de quo nunc agimus. Rurſus habetur, in ſingulis hominibus vnum tantùm poſſe dari Baptiſmum, ideſt ſemel tantùm poſſe quemlibet baptizari, non poſſe repeti & iterari Baptiſmum. Eſt res de fide. Traditur à D. Thoma art. 9., alijſquè omnibus Theologis, & Scriptoribus catholicis. Contra Marcionitas, qui olim volebant, ter poſſe ſingulos homines baptizari, vt refert Epiphan. Hæreſi 24. Et contra Anabaptiſtas quoſdam, rebaptizantes eos qui a fide defecerint, & poſtea ad Eccleſiã redire velint: & paruulos baptizatos, quando poſtea ad ætatem adultam perueniunt.

Eſt vnus numero & irreiterabilis in ſingulis.

Patet ex Sacra Scriptura.

Hæc Catholica veritas patet primò ex Sacra Scriptura. Tum in præallegatis verbis Apoſtoli, quæ in hoc ſenſu à Sanctis Patribus & Doctoribus ſolent accipi. Tum ad Hebr. 6., *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam*. Vbi certè Apoſtolus non omnem aditum pœnitentiæ peccatoribus præcludere voluit, ſed tantùm per iteratum Baptiſmum, vt frequenter Sacri Doctores intelligunt. Et colligitur ex textu, ſemel illuminati, ideſt ſemel baptizati: nam Baptiſmus olim, etiam illuminatio vocabatur. Et ly ſemel, denotat etiam vnitatem Baptiſmi. Et renouari ad pœnitentiã, idem ibi eſt, ac denuo baptizari. Sic enim idem Apoſtolus ad Titum 3., Baptiſmum vocauit, lauacrum regenerationis & renouationis: vbi rectè Ambroſius, *Per lauacrũ renouamur per quod renaſcimur*. Vaſquez tamen diſp. 46. cap. 3 priorem locum exponit de vnitate ſolum ſpecifica, & poſteriorem de difficultate nouæ pœnitentiæ. Sed ob auctoritatem aliorum Doctorum & Patrum, debent accipi in prædicto ſenſu.

Ex definitione Eccleſiæ.

Secundò ex definitione & traditione Eccleſiæ. Concil. Trident. ſeſs. 7. can. 11. de Baptiſmo ſic definit: *Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi qui apud Infideles fidẽ Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur, anathema ſit*. Et can. 13., & rurſus ſeſs. 14. cap. 1. & 2. declarauit, Baptiſmum iterari non poſſe. Idem definitum antea fuerat in Concil. Florent., & in Concil. Viennenſi, & in Canonibus Apoſtolorum. Atque habetur in iure, per plura capita de Conſecr. d. 4., & cap. vnico de Summa Trinit. in ſexto. Notiſſima eſt etiam in hac parte conſuetudo Eccleſiæ, quæ iterationem Baptiſmi prorſus execratur & damnat. Et Sancti Patres idem conſtanter docent.

Ex inſtitutione Chriſti.

Tertiò. Potiſſima huius rei ratio eſt, inſtitutio Chriſti. Qui ita ordinauit & ſtatuit,

ſti, & congruentia rei.

ſtatuit, vt Baptiſmus non niſi ſemel dari & ſuſcipi queat: adeo vt ſecundus Baptiſmus ſit prorſus irritus & inanis, & cum graui ſacrilegio attentaretur: ſed homo ſemel baptizatus, ſit prorſus incapax noui Baptiſmi. Et huius inſtitutionis conuenientiam plures rationes oſtendunt. Quatuor affert S. Thomas art. 9. Prima eſt: quia Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio & natiuitas: ſicut ergo homo non niſi ſemel corporaliter naſcitur, ita non niſi ſemel ſpiritualiter renaſci poteſt. Secunda eſt: quia Baptiſmus figurat mortem Chriſti: quæ ſemel tantum peracta eſt. Propter quod Apoſtolus eodem cap. ad Hebræos, de ijs qui rebaptizari volebant dixit, *Rurſus crucifigentes Filium Dei*. Tertia eſt: quia Baptiſmus imprimit characterem: ſed character eſt indelebilis: ergo Baptiſmus non poteſt repeti. Quarta eſt: quia Baptiſmus principaliter datur propter originale peccatum: ſed hoc non iteratur: ergo neque Baptiſmus. Adducunt nonnulli contra has rationes, argumenta quædam. Verùm, cùm non habeant niſi congruentiæ vim, & quidem iuxta ſubiectam materiam, non oportet in quæſtionem eas ſubtiliter vocari.

Ex ſucceſſione ſacramenti Pœnitentiæ.

Quartò accedit pro vnitate Baptiſmi: quòd in remedium eorum peccatorum quæ poſt Baptiſmum committuntur, inſtitutum eſt aliud ſacramentum, quod abſque limitatione repeti poteſt, ſcilicet Pœnitentia: ergo repetendus non erat ipſe Baptiſmus. Et quidem expediebat, vt propter alia peccata nō iterum baptizaretur Reus, ſed aliud Pœnitentiæ ſacramentum ſuſciperet. Tum quia peccata actualia, quæ ab homine baptizato, ac iam Eccleſiæ ſubdito, committuntur, remitti debebāt per modū iudicij, vt peccator ſiſtat ſe tanquam Reus coram iudice, & ab eo ſententiam abſolutionis obtineat. Tum etiam æquiſſimum erat, vt homo poſt Baptiſmum peccans, maiori labore & induſtria, ſcilicet per diligentem confeſſionem, & cum ſua humiliatione ac verecundia, remiſſionem quæreret, & pœnam aliquam ac remedia opportuna acciperet. Hoc totum præclarè expreſſit Concil. Trident. ſeſs. 14. cap. 2. vbi propterea ait: *Merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuit*.

Ex pœnis impoſitis iure ciuili & canonico.

Quintò. Præter nullitatem repetiti Baptiſmi, & graue ſacrilegium quod committitur, tam ab eo qui illum ſuſciperet, quam ab eo qui conferret, grauiſſimæ pœnæ contra hoc delictum ſunt humanis legibus conſtitutæ. In iure ciuili impoſita eſt pœna mortis, l. 1. Cod. Ne ſanctum Baptiſma iteretur. In iure canonico plures etiam eccleſiaſticæ pœnæ extāt. Quæ tamen in vſu viget, eſt irregularitas ipſo facto incurrenda. De qua latè Suarez diſp. 31. ſect. 6. Sed aptiori loco, de hac, ſicut & de omni alia irregularitate, in propria materia agendum erit.

Baptiſmus dubius poteſt & debet ſub conditione repeti.

Sexto tamen, quando dubitatur, num alicui datus ſit Baptiſmus, vel an fuerit validus, omnes fatentur, poſſe & debere conferri Baptiſmum, ſed ſub conditione dicendo: Si es baptizatus non te baptizo, ſi non es baptizatus ego te baptizo in nomine &c. Ita etiā decisum eſt in iure ab Alexandro tertio cap. *De quibus dubium* de Baptiſmo & eius effectu. Dubium vero intelligitur, quando rationabiliter & prudenter, omnibus conſideratis, non poteſt certo determinari, datum fuiſſe validū Baptiſmum. Quare etiam ſi adeſſet probabile fundamentum de collatione & validitate Baptiſmi, imò & probabilius quam de parte oppoſita, dum tamen non ſit res moraliter certa, ſed prudenter remaneat aliqua probabilitas ſeu dubietas de parte oppoſita, debet ſub conditione dari Baptiſmus: vt patet ex dictis circa materiam & formam Baptiſmi. Et ita aduertit Vaſquez diſp. 146. num. 26 Sed minùs rectè ait, Scholaſticos id expreſsè non dixiſſe, ex ſententia tamen non paucorum ſequi. Satis enim expreſsè & communiter adnotarunt, debere Baptiſmum ſub conditione repeti, in ijs caſibus, in quibus non erat certum, ſed controuerſum, de validitate materiæ aut formæ adhibitæ in ſacramento. Et per dubium intellexerunt, non ſolùm merè negatiuum, quando pro neutra parte vlla occurrit ratio, ſed amplè loquendo, quando ſcilicet res non eſt certa,

Digitized by Google

certa, quamuis occurrant probabiles rationes vtrinque. Ratio autem quare ſic debeat ſub conditione iterari Baptiſmus, in promptu eſt: quia cùm ex vna parte immineat periculum animæ, & nullitatis omnium ſequentium ſacramentorum; & ex alia parte periculum de repetitione & nullitate noui Baptiſmi, pie & prudenter præferri debet illud periculum, & ideo debet dari Baptiſmus: & per appoſitionem conditionis vitatur etiam periculum repetitionis & irreuerentiæ erga Baptiſmũ. Debetque conditio externis verbis exprimi, quando Baptiſmus coram alijs datur. Ac etiam in ſecreto melius eſt, ſi verbis pariter exprimatur.

Idquè cadit ſub obligationem ex parte miniſtri, & ex parte ſuſcipientis.

Tenebitur quoque ex graui obligatione miniſter, vel ex iuſtitia ſi ſit Parochus, vel ex charitate quicunque alius in defectu Parochi, ſic præbere Baptiſmum in caſu dubij ſeu incertitudinis. Sed non teneri ſuſcipere & petere, illum adultum qui iuxta probabilem aliquam & non certam opinionem baptizatus eſſet, cenſet Vaſq diſp. 46. num. 29. Quia inquit, nõ tenetur quis ſequi tutiorem partem in ſuſcipiendis ſacramentis, ſicut tenetur miniſter in conferendis. At certe, quamuis in alijs ſacramentis non adeo neceſſarijs, aut quorum defectus aliter commode ſuppleri poſſit, id admittendum ſit: tamen in hoc ſacramento admitti non debet. Quia etſi adultus poſſit quoque per contritionem in defectu Baptiſmi ſibi prouidere: tamen & hoc eſt magis difficile; & ſi fortè Baptiſmus non valuit, priuatur beneficio omnium aliorũ ſacramentorum, & maximum ſubiret detrimentum. Quare ſine dubio, quandocunque adultus primò petit ac ſuſcipit Baptiſmum, ſi diſcernere ſciat certiorem partem, tenetur procurare, vt illa in conferendo ſibi Baptiſmo ſeruetur. Et præterea, adultum dubitantem ob varietatem opinionum de validitate ſui Baptiſmi, non ſolùm teneri procurare denuò ſub conditione modo tuto baptizari; ſed interim abſque graui cauſa non poſſe licite recipere vllũ aliud ſacramentum, ſtatuit Coninch art. 9. dub. 1. concl. 3. & 4. Ex quo vlteriùs ſequi videtur, talem per ſe loquendo non teneri confiteri illa peccata, quæ commiſit ante ſecuram ſuſceptionem validi Baptiſmi: quia ſi forte prior Baptiſmus fuit validus, ac proinde ſecundus inualidus, dum confitebitur peccata commiſſa poſt hunc ſecundum Baptiſmum, conſequetur etiam indirectè remiſſionem antecedentium peccatorum. Sicut non obligatur quis confiteri illa peccata, quæ probabiliter putat ſe eſſe confeſſum, ſed ſatisfaciet confitendo illa, quæ ſcit ſe non antea in confeſſione expoſuiſſe, cum quibus indirectè etiam conſequetur remiſſionem aliorum, quæ fortè confeſſus non fuerat.

Quandonam Baptiſmus ſit dubius.

Cæterùm, ad diſcernendum, quandonam in facto rationabiliter dubitandum ſit, an quiſpiam ſit baptizatus, vt ſub conditione debeat baptizari. Concil. Cartagin. 5. cap. 6. dixit, illos qui neſciunt an ſint baptizati, eſſe ſub conditione baptizandos, quando non adſunt certiſſimi teſtes de Baptiſmo ijs præſtito. Verùm pro morali certitudine huius rei, omnino ſufficit deſcriptio in libro Parochi. Item, ſi vel vnus teſtis fide dignus, de quo non ſit probabilis ſuſcipicio fraudis, affirmet ſe conſcium eſſe Baptiſmi. Et ita communiter intelligitur dictum Concilij Cartaginenſ. Nõ quaſi pro vno baptizato requirantur plures teſtes, ſed pluraliter loquebatur pro ijs qui baptizati erant. Et vocatur certiſſimus teſtis, de quo non ſit probabilis ſuſpicio fraudis. Rurſus ſufficit, quod quis natus ex parentibus Catholicis, fuerit apud eos prouectus ad eam ætatem, in qua indubitanter conſuetum ſit ſingulos baptizari, & non occurrat aliquod rationabile indicium in contrarium: vt expreſſit Innocentius tertius cap. *Veniens* de Presbytero non baptizato. Quòd ſi quis natus fuerit inter Hæreticos, ſeu ex parentibus Hæreticis, & apud eos educatus vſque ad ætatem ſolitam pro Baptiſmo, ac poſtea veniat ad fidẽ catholicam, niſi aliqua particularis ratio dubitandi occurrat, ne forte apud illos ſeruatus non fuerit ritus neceſſarius ad ſubſtantiam huius ſacramenti; nec etiam debet ſub conditione baptizari: quia regulariter apud Hæreticos

quoque ſolent ſeruari ea quæ ſunt de neceſſitate Baptiſmi. Et ita aduertit Coninch art. 9. dub. 1. num. 96.

Eſt dubius in infantibus expoſitis & abreptis, quā do certo teſtimonio non conſtat.

De infantibus autem qui inter Fideles interdum inueniuntur expoſiti, niſi alicuius voce aut ſcripto præbeatur teſtimonium de Baptiſmo eis præſtito, debent ſub conditione baptizari: vt communiter Doctores notant. Et hoc præcipuè ſumitur ex decreto allegato Concilij Cartaginēſis. Et patèt, quia rationabiliter dubitandum eſt an ſint baptizati. Aduertit autem cum Soto Vaſq. diſp. 147. num. 26, ſufficere ſcriptum inuentum apud infantem expoſitum inter Chriſtianos, teſtificans de Baptiſmo, etiam ſi nullius nomine ſubſcriptum ſit: quia ſatis certum redditur teſtimonium. Item ſufficere, ſi infans perſpicuè ſit vltra eam ætatem in qua ſolent paruuli inter Catholicos baptizari: quia ſic ipſa ætas & vſus haberetur pro teſtimonio. Rurſus de infantibus abreptis ab Infidelibus in tali ætate, in qua merito dubitari poſſit, an fuiſſent adhuc baptizati, communiter etiam notant debere omnino baptizari. Idque iuſſit expreſſe Leo primus cap. *Cùm itaque* de Conſecr. d. 4. Imo Vaſq. num. 23 cenſet, tales debere abſolute & abſque conditione baptizari: quia in tali caſu nō eſt vere & propriè dubitatio, ſed potiùs totalis ignoratio de Baptiſmo ijs præſtito. Nec Pontifex ibi vllius conditionis meminit. Adhuc tamen debent tales ſub conditione baptizari: quia conditio nullum nocumentum affert: & rationabiliter dubitari poteſt ac debet, an fuiſſent antea baptizati, & poſt Baptiſmum abrepti.

QVÆSTIO SEXAGESIMA SEPTIMA.

De Miniſtro Baptiſmi.

MINISTER Baptiſmi propriè intelligitur, ille qui baptizat, qui hoc ſacramentum confert. Sed præterea in exercitio huius ſacramenti interuenit etiam alius qui baptizatum tenet, ſiue de ſacro ſonte leuat & ſuſcipit, atque adeo exhibet etiam aliquod miniſterium, eſtque veluti adiutor & ſocius miniſtri baptizantis, & ideo ſub nomine miniſtri ad hanc ſacram functionem reducitur. Et de hoc etiam agit S. Thomas hac quæſtione. Quam in octo partitur articulos. Primo docet, non eſſe proprium officium Diaconi baptizare, ſed benè aſſiſtere Maioribus ad baptizandum: quia in vniuerſum non eſt proprium officium Diaconi præbere ſacramenta, ſed benè aſſiſtere Maioribus ad illa præbenda. Secundo, hoc eſſe proprium officium Sacerdotis: quia ſicut Sacerdos habet conficere ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſt vinculum eccleſiaſticæ vnitatis; ita habet conferre ſacramentum Baptiſmi, per quod quiſque ſit particeps eccleſiaſticæ vnitatis. Tertiò, etiam Laicum poſſe valide baptizare: quia cùm hoc ſacramentum ſit adeo neceſſarium, fuit ex Dei miſericordia inſtitutum, vt in materia tàm facili ſicut eſt aqua, & à quolibet etiam non ordinato, poſſit validè exhiberi. Quarto, etiam mulierem poſſe valide baptizare: quia Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, apud quem non eſt diſcrimen viri & mulieris. Sed tamen non debere mulierem baptizare præſente viro, ſicut nec Laicum præſente Clerico, nec inferiorem clericum præſente Sacerdote. Quintò, valere Baptiſmum datum etiam à non baptizatis, dummodo ſeruent ritum & intentionem Eccleſiæ: quia nulla limitatio facta eſt in miniſtro huius ſacramenti. Sed ſi abſque neceſſitate id fieret, fore graue peccatum, tàm ex parte baptizantis quàm baptizati. Sexto, non poſſe plures ſimul eundem baptizare dicendo nos te baptizamus, poſſe tamen ſingillatim dicendo ego te baptizo, ſi ambo ſimul verba compleant. Septimò deinde docet, præter miniſtrum baptizantem,

Digitized by Google

zantem, requiri etiam alium qui baptizatũ de ſacro fonte ſuſcipiat: quia ſicut in generatione carnali paruulus nuper natus indiget nutrice & pedagogo, ita in ſpirituali generatione indiget inſtructore in rebus fidei. Octauò, hinc concludit, hunc teneri inſtruere baptizatum, ſi neceſsitas adſit, ſed inter Catholicos excuſari ab hac obligatione, præſumendo quod filij diligenter à ſuis parentibus inſtruantur.

SECTIO PRIMA.

Quinam poſſint validè baptizare, & an plures vnum.

Videntur ſoli Clerici.

DIſtinctè loquendum eſt de miniſtro qui poſſit validè baptizare, ac deinde de eo qui poſſit licite. Caluinus apud Bellarm. de Baptiſ. cap. 3. dixit, ſolos ordinarios Eccleſiæ miniſtros ad hoc officium deputatos, poſſe baptizare, etiam in neceſſitate. Non tamen explicauit, an tantùm licite, vel etiam valide. Et fundamentum eius erat: quia Chriſtus ſolis Apoſtolis dixit, Baptizantes eos &c. Vnde hæc poteſtas non videtur extendi vltra ordinarios miniſtros Apoſtolorum ſucceſſores.

Aut ſoli Fideles.

Rurſus D. Auguſt. lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 13. dubitauit, num ſoli Fideles & baptizati, vel etiam Pagani non baptizati, poſſint alios validè Baptizare. Et abſolute Tertullian. lib. de Baptiſmo cap. 17., Hieronim. in Dialogo contra Luciferian., Iſidorus cap. *Si quis per ignorantiam* 1. q. 1., ſignificant ſolos Baptizatos, non autem Paganos, poſſe alios valide baptizare. Idem indicarũt Patres Concil. Eliberit. can. 38. Imo Gregorius ſecundus cap. *Quos à Paganis* de Conſecr. d. 4. mandauit, vt baptizati à Paganis, iterum baptizari deberent. Et Gelaſius Papa cap. *Diaconus* d. 93., & Ioannes octauus cap. *Ad limina* 30. q. 1., ſolis Fidelibus laicis in neceſſitate concedunt miniſterium baptizandi.

Aut ſoli viri.

Demum idem Tertullian. de Præſcript. Hæreticor. cap. 41., damnat mulieres quæ baptizare audebant. Et Epiphan. Hæreſi 42. inter errores Marcionis refert, quòd permitteret mulieribus officium baptizandi. Patres quoque Concil. Cartagin. 4 can. 100. prohibuerunt mulieribus baptizare. Et Clemens primus lib. 3. Conſtit Apoſtolicar. cap. 9. dixit, periculoſum, & præter legem, & impium eſſe, Baptiſmum à mulieribus datum.

Quilibet poſſunt validè baptizare.

Nihilominus certum & indubitatum eſt, omnes & quoſcunque abſque exceptione poſſe validè baptizare: ſcilicet non solùm ordinarios ac deputatos miniſtros, ſed etiam puros laicos: non ſolùm Fideles & baptizatos, ſed etiam Paganos ac Iudæos Baptiſmo carentes: non ſolùm viros, ſed etiam mulieres. Ita S. Thomas, alijq; Theologi ac Doctores omnes. Eſtquè de fide, expreſſè definitum in Concil. Florentino ſeſſ. vlt. in decreto. de Sacramentis: *In caſu neceſſitatis, non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imò etiam Paganus & Hæreticus, baptizare poteſt, dummodo formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat id quod facit Eccleſia.* Et de laicis ſumitur ex ipſa Scriptura. Nam Apoſtoli nondum ordinati erant, quando baptizare cœperunt. Et in Actis quædam facta narrantur in quibus aliqui non ordinati baptizabãt. De Infidelibus non baptizatis, idem definierat Nicolaus Papa cap. *A quodam Iudæo* de Conſecrat. d. 4. Et de mulieribus Vrbanus Papa cap. *Super quibus* 30. q. 3. Atque de omnibus, ex conſuetudine & exiſtimatione Eccleſiæ, res eſt notiſſima. Et quamuis in Concil. Florent., & alijs Canonibus allegatis, ſermo ſit in caſu neceſſitatis: tamen id adnotatur, non ad ſolùm valorem, ſed ad licitam etiam adminiſtrationem Baptiſmi. Sed quod attinet ad valorem, etiam ſi id fiat abſque vlla neceſſitate, imò & contra voluntatem Prælatorum ac iuſſionem Eccleſiæ, valeret pariter Baptiſmus: quia ea quæ ſunt de ſubſtantia & valore ſacramenti, non variantur ex neceſſitatis vrgentia, ſed ſemper eadem ſunt: & neceſſitatis cauſa iuuare ſolùm poteſt ad licitè faciendum id quod alioqui illicite quamuis validè fieret. Neque in hoc ſacramento requiritur iuriſdictio ad valorem, ſicut in ſacramento Pœnitentiæ, quod propterea poteſt validè adminiſtrari à

ſim-

ſimplici Sacerdote in caſu neceſſitatis, & non alias, quia non habet iuriſdictionem extra talem caſum.

Ratio vero huius tàm amplæ facultatis in miniſterio Baptiſmi, fuit voluntas & inſtitutio Chriſti. Et plane conuenientiſſima: quoniam cùm hoc ſacramentum ſit adeo neceſſarium, & maximè pro paruulis ſit vnicum remedium ad ſalutem; proſſus expediebat eius vſum eſſe facillimum. Et ſicut propterea in materia communiſſima inſtitutum fuit: ita pariter vt a quolibet miniſtro abſque exceptione validè conferri poſſet, ac vrgente neceſſitate etiam licitè, vt ſequenti ſect. videbimus.

Explicantur auctoritates oppoſitæ. Iam ad textum Euangelij facilis eſt ſolutio. Tum quia non tunc primo data fuit Apoſtolis poteſtas baptizandi; ſed data fuerat ab initio prædicationis Chriſti, vt antea diximus. & ex tunc ample data fuit omnibus hæc poteſtas. Tum quia, illa ipſa verba, quantum ad poteſtatem validè baptizandi, iuxta ſenſum & vſum Eccleſiæ, ad omnes penitus referuntur. Ad locum D. Auguſtini, tunc quidem non erat res adeo perſpecta ac nota. Ideoquè cupiebat Auguſtinus, ab aliquo Concilio declarari: quod iam factum eſt. Sed & ſuam mentem alibi ſatis expreſſit, nempe lib. 7. de Bapt. cont. Donatiſt. cap. 53., quòd ſcilicet valeret Baptiſmus à quibuſcunque datus. Alij verò Patres, vel ſolùm voluerunt, non licere ſumere Baptiſmum à Paganis ſeu non baptizatis, extra ſcilicet caſum neceſſitatis. Vel loquebantur ſolùm de Baptiſmo præbendo à Fidelibus, ſupponendo quod Pagani nollent præbere Baptiſmum, cùm non haberent fidem Chriſtianam. Vel, non valere Baptiſmum datum à Paganis, eo quòd non ſeruaſſent ritum neceſſarium ac ſubſtantialem Baptiſmi. Et ideo planè Gregorius ſecundus dixit. baptizatos à Paganis debuiſſe iterum baptizari. Alij verò Pontifices, ſolis Fidelibus concedebant miniſterium baptizandi, quando ſcilicet aderant, ad hoc vt ordinatè & licitè hoc miniſterium exerceretur. Sed non per hoc negarunt, valere etiam Baptiſmum datum ab Infidelibus, ſeruato debito ritu: & licere etiam ab ijs ſumere Baptiſmum, deficiente omni miniſtro fideli. Demum alij Patres qui damnarunt ſeu prohiberunt Baptiſmum a mulieribus datum vel dandum; non loquebantur de valore Baptiſmi, ſed tantùm de licita & ordinata eius adminiſtratione: & extra caſum neceſſitatis, ſiue in caſu quo adſint viri qui poſſint ac parati ſint baptizare, vt dicemus ſect. ſequenti.

An poſſint plures vnũ baptizare. Deinde, vt videamus, an fieri poſſit, vt plures miniſtri ſimul validè eundem hominem baptizent: duobus modis id poteſt intelligi. Primo modo, ſi vnus miniſter adhibeat materiam, & alter formã: vnus aquam infundendo ablutionem perficiat, alter verba proferat. Secundo modo, ſi vterque ſimul & aquam infundat & verba proferat. Nec oportet addere tertium modum, ſi vnus quandam verborum partem, & alter aliam proferat; quia tam manifeſta eſſet nullitas Baptiſmi, vt nullus dubitauerit de oppoſito.

Primo ergo modo, Marſil. in 4. q. 4. & Caiet hic art. 6., opinati ſunt, valere illum Baptiſmum, ſi forma proferatur ritu Græcorum, Baptizatur ſeruus Chriſti. Vel etiam ſi inhærendo formę Latinorum dicatur, Nos te baptizamus. Et poſſet occurrere caſus neceſſitatis, in quo nõ aliter poſſet dari Baptiſmus, atque adeo deberet tali modo dari: vtpote ſi moribundus eſſet baptizandus, & adeſſent duo homines, vnus mutus integer brachijs, qui poſſet aquam infundere, ſed non verba proferre; & alter brachijs mutilus & lingua ſolutus, qui poſſet verba proferre, ſed non aquã infundere. Quo proinde caſu; Suarez diſp. 23. ſect. 3. §. *Ad vltimam confirmationem*, Fernandez de Heredia de Sacram. Baptiſmi par. 5. dub. 9, Chapeauilla tract. de Modo miniſtrandi Sacram. temp. peſtis q. 20. de Baptiſmo, admittunt, poſſe in tali caſu dari eo modo Baptiſmum, propter aliquam ſpem ſi fortè valeat; debere tamen iterari ſub conditione ſi poſtea poſſit.

Non poſſunt adhibendo vnus materiam. Statuendum tamen eſt cum S. Tho. art. 6. & communiter alijs Theologis ac moralibus Auctoribus in hac materia, non valere Baptiſmum, ſi ſic à duobus

riam & alter formam.

bus miniſtris conferretur. Probatur: quia non valeret Baptiſmus ſub forma inter Latinos conſueta, dicendo Ego te baptizo: ſiquidem ille qui ſolum verba proferret, verè non ablueret, vnde non verè diceret Ego te baptizo. Nec etiã valeret, dicendo Nos te baptizamus: quia cùm alius ſolus abluat, ille qui non infundit aquam, nec etiam verè diceret Nos baptizamus. Nec proinde valeret ſub forma Græcorum, Baptizatur ſeruus Christi: quia neceſſe eſt, dari Baptiſmum tali modo, quo poſſet etiam verificari forma Latinorum: quare non valebit Baptiſmus tali modo datus, quo hæc forma verificari non poſſit. Itaque putandum eſt, Chriſtum Dominum ſic inſtituiſſe Baptiſmum, vt ab vnico miniſtro vtraque actio, ſcilicet abluendi & verba proferendi perfici debeant. Et quando dixit, *Baptizantes eos &c.*, hoc ita intellexit, vt idem ipſe miniſter actum ablutionis exerceat, & verbis ipſis proferat.

Ita congruebat inſtitui ſacramentũ.

Addit congruentiam S. Thomas: quia in Baptiſmo debet repræſentari vnitas Chriſti, qui eſt principalis auctor eius: quare vnicus debet eſſe miniſter, qui hoc totum opus exerceat. Addi ſolet & alia congruentia: quia in hoc debebat eſſe diſſimilis hæc regeneratio ſpiritualis à generatione carnali, ita quòd in generatione carnali omnino duæ perſonæ interuenire debent, ſed in hac generatione ſpirituali non niſi vnus miniſter interuenire poſſit. Accedit aliorum ſacramentorum exemplum, in quibus vnicus debet eſſe miniſter, qui ſimul materiam adhibeat & formam proferat: vt ſpecialiter de ſacramento Ordinis expreſſum eſt cap. *Quorundã* diſt. 23.; & in ſacramento Confirmationis ac Extremæ vnctionis, idem debet eſſe miniſter, qui vngat & verba proferat. In Matrimonio tamen duo contrahentes ſunt eiuſdem ſacramenti ſimul miniſtri & receptores, ob ſpecialem eius rationem, cùm ſit mutuus contractus inter virum & fœminam. In ſacramento etiam Pœnitentiæ, vnus eſt qui ſe accuſat, & alius qui abſoluit; ſimiliter ob ſpecialem iudicij rationem. In quo adhuc fieri non poteſt, vt vnus peccata audiat, & alius abſoluat; ſed idem debet eſſe miniſter, confeſſionem audiens, & abſolutionem impendens.

Quid faciendum eſſet in caſu quodã neceſſitatis.

Ad caſum verò illum neceſſitatis qui fingebatur, aliter poſſet prouideri, ita vt vnus & idem aquam infunderet & verba proferret. Nempe ſi ille qui lingua pollet & brachijs caret, ſumeret aquam in ore, & inde aſpergeret baptizandum, ac immediatè poſt vel ante verba proferret. Vel, ſicut monuit idẽ Caietan. ad finem articuli, ſi ei ab alio brachijs integro ponatur vas aquæ plenum in capite, & ſic ipſe inclinando caput, aquam ſuper baptizandum effundat, & ſimul verba proferat. Vel etiam vtendo ijſdem manibus alterius pro vaſe continente aquam, capite aut pectore impellat, & ſic aquã in baptizandum aſpergat. Vel alio ſimili modo. Quo pacto idem eſſet miniſter, qui ſimul materiam & formam adhiberet, atque ita Baptiſmum perficeret.

Poſſunt plures vnũ validè baptizare, adhibendo vterque materiam & formã.

Secundo modo quem propoſuimus, patet quidem quod ſi vnus ante alium verba compleat, ipſe ſolus Baptiſmum perficit, & alter nihil amplius faciet, quinimò pœnam rebaptizãtis incurret, vt notauit S. Thomas. Sed caſus eſt, ſi ambo ſimul in eodem inſtanti verba compleant. Vbi adhuc dubium non eſt, ambos grauiter delinquere, ob inordinatam contentionem in adminiſtratione ſacramenti, & ob manifeſtum periculum cui ſe exponunt rebaptizandi, ex parte eius qui poſt alium verba compleret. Et præterea non defuerunt, qui dixerint, nullum quoque tunc fieri Baptiſmum: quia duplex fieri non poteſt: nec eſſet maior ratio, qua vnus magis quàm alter faceret Baptiſmum. Attamen rectè S. Tho. eod. art. 6. alijquè communiter affirmant, valere in tali caſu Baptiſmum: quia reuera nullus adeſſet defectus eſſentialis, reddens irritum ſacramentum. Imò de facto in ſacra ordinatione Sacerdotum, omnes hi ſimul cum Epiſcopo verba conſecrationis proferunt, & ſi qui ſimul abſoluant, ſimul etiam perficiunt ſacramentum.

Qualiter deberent proferre formam.

Admonet verò S. Thomas, verum fieri Baptiſmum, ſi vterque aquam infundens per ſe dicat, Ego te Baptizo: alioqui ſi ambo dicerent, Nos te baptizamus.

zamus, nullum fore ſacramentum. Idem dixit Aleuſ. par. 4. q. 26. memb. 6. art. 6. & 7., & Bonauent. in 4. d. 5. art. 2. q. 1. Idem defendunt Sotus in 4. d. 4. q. 1. art. 4., Caiet. hic eodem art. 6., Coninch eod. art. dub 1., Vaſq. diſp. 148. cap. 5., Sylu in ſum. verbo *Baptiſmus* 3. q. 7., & alij plures. Sed etiam dicendo Nos te baptizamus, valere in tali caſu Baptiſmum, admittunt Durand. in 4. d. 3. q. 3., Palud. q. 2. art. 3., Marſil. q. 4., Valent. q. 2 de Baptiſmo puncto 2., & quidam alij. Vtraqua ſententia conciliari poteſt, diſtinguendo de intentione ſic dicentium. Aut enim intendunt complexiuè dicere, ſe non per ſe ſingulos, ſed ambos coniunctim, quaſi duos miniſtros partiales, & vnum totalem, baptizare. Sic neuter perficit ſacramentum, iuxta id quod iam ſtatuimus, non poſſe dari Baptiſmum partialiter à pluribus miniſtris. Niſi inquam ſuppleat alia intentio generalis faciendi quod facit Eccleſia, quæ reducatur ad aliam intentionem quam mox ſubiungemus. Aut ergo intendunt ſinguli per ſe totaliter baptizare, intelligendo, Nos te baptizamus, quaſi quiſque diceret, Ego te baptizo, & hic te baptizat: qui ſenſus poteſt optimè cadere ſub illa verba. Sic inquam valeret Baptiſmus: quia nihil ſubſtantiale deficit, ſed ſolum aliquid ſuperfluum ſuperabundat, ſcilicet illa pars, & hic te baptizat, quæ quidem eſſet prorſus inutilis. Sed non per hoc vitiaret ſacramentum. Sicut ſi quis diceret, Ego te baptizo, & omnes adſtantes conſentiunt, in nomine Patris &c., vt aduertit ipſe Caiet. Vt etiam ſi quis dicendo Nos te baptizamus, ſe ipſum ſolum intelligeret, ſic loquens in ſignum auctoritatis & grauitatis, vt ſolet loqui Pontifex: indubitanter verum conficeret ſacramentum.

Quam intentionem deberent habere.

Admonent etiam alij, valere Baptiſmum, datum à pluribus ſingillatim dicentibus, Ego te baptizo, dum de cætero habeant debitam intentionem. Propter quod aduertunt, quòd ſi fortè ſinguli habeant intentionem baptizandi ſub conditione ſi alter non ſimul perficiat ſacramentum: verè neuter baptizaret, in caſu quo ambo ſimul verba compleant. Item ſi quiſque haberet intentionem baptizandi, dummodo nõ ante alterum formam abſolueret: ſic non perficeret ſacramentum, etiam ſi antea verba compleret. Si autem quiſque habeat intentionem baptizandi ſub conditione ſi alter etiam ſimul verba compleat: tunc quidem in caſu quo adimpletur conditio, ambo baptizarent, non autem ſi vnus ante alterum abſoluat. Et rurſus, ſi quiſque haberet intentionem baptizandi ſub conditione ſi poſt alterum verba compleat, & non aliter: tunc ille qui prior compleret non perficeret ſacramentum, ſed bene alter qui poſterior compleret.

An eſſet vnus vel multiplex Baptiſmus

Cæterùm, in caſu quo plures ſimul ſub debita forma & intentione in eodem inſtanti quempiam baptizarent, vnum ſolùm ab vtroque miniſtro perfici ſacramentum, affirmant S. Thomas eodem art. 6., Scot. in 4. d. 6. q. 2. §. *Reſpondeo*, Sotus d. 4. q. 1. art. 4. §. *Quocirca*, Palud d. 3. q. 2. num. 46., Valent. hic q. 2. puncto 1., Vaſq. diſp. 148. cap. 2. Probat S. Thomas: quia vnus Chriſtus eſt principalis auctor & cauſa Baptiſmi. Probant Sotus & Paludanus: quia vnum eſt ſubiectum cui confertur Baptiſmus. Probat Vaſquez: quia vnus eſt effectus, & ita vna ſignificatio in vtroque actu, quæ eſt formalis ratio ſacramenti. Sed duplex fore Baptiſma & ſacramentum, volunt Caiet. eod. art. 6. §. *Et hoc eſt verum*, Coninch eod. art. dub. 1., Suarez diſp. 23. ſect. 3. Et hanc etiam partem indicauit S. Thomas quæſt. præcedenti art. 5. ad 4. Probant: quia reuera duplex eſt ablutio, duplex verborum prolatio, à duplici miniſtro, quorum vterque per ſe conficit ſuum ſacramentum independenter ab alio. Nec repugnat, dari ſimul duplicem Baptiſmum: quamuis repugnet dari ſucceſſiuè vnum poſt alium per modũ repetitionis.

Propter hæc dicendum videtur, in tali caſu duplex quidem materialiter & realiter eſſe Baptiſma & ſacramentum: ſiquidem eſt duplex opus totale & perfectum, cum reali & adæquata diſtinctione. Vnum tamen omnino eſſe effectum vtriuſque, vnum characterem, vnam gratiam, & non maiorem

quàm

quàm dum vnus ſolus miniſter baptizat. Et hoc præcipuè voluit S. Tho. ac ſimiliter alij qui appellant vnum baptiſma & ſacramentum. Dici autem debebit duplex etiam ſignificatio, duplex vis cauſatiua talis effectus. Quamuis enim res ſignificata & cauſata ſit vna; tamen optime poteſt eſſe duplex eius ſignum, duplex cauſa; & ſic duplex ſignificatio, & vis cauſatiua: vt patet in omnibus alijs rebus.

Qualiter eſſet vnicus effectus. Sed hinc inſurgit difficultas, quomodo poſſit fieri vnus effectus per duplicem cauſam, vtranque totalem. Reſpondet Caiet. fieri poſſe: quia eſt duplex cauſa inſtrumentalis, cùm de reliquo ſit vna cauſa principalis. Sed niſi aliud diſcrimen adducatur, par videtur difficultas de cauſa inſtrumentali, ac de principali. Alij dicunt, non poſſe id quidem fieri naturaliter, ſed benè fieri poſſe per Dei potentiam. Hæc tamen difficultas habere locum poteſt ſolùm in cauſis phyſicis. At in cauſis moralibus facillime intelligitur; poni vnum effectum ex pluribus cauſis moralibus: vt ex pluribus meritis, ſeu merentibus, aut petentibus: ac ſpecialiter ex pluribus ſignis in idem tendentibus. Cumque Deus ſua inſtitutione promiſerit, conferre talem effectum ad exhibitionem talis ſigni: quandocunque contingat plura ſimul talia ſigna a pluribus exhiberi in ordine ad idem ſubiectum, virtute talium ſignorum adimplet ſuam promiſſionem, & confert effectum promiſſum.

Facilius eſt, vnum baptizare ſimul plures. Denique, abſque difficultate poteſt fieri, vt e conuerſo vnus miniſter ſimul baptizet plures, effundendo in illos aquam, ac dicendo Ego vos baptizo. Et in caſu neceſſitatis id non ſolùm eſſet validum, ſed etiam licitum: vt habetur ex D.Thom. q. ſuperiori art.5.ad 3. Extra verò neceſſitatem, quamuis eſſet validum, tamen eſſet illicitum & graue peccatum: quia contra morem Eccleſiæ in re graui. Quamuis Sotus in 4 d 4. q 1. art.4. 9. *Secundò ſequitur*, cenſeat, non fore grauem culpam, ſecluſo contemptu & ſcandalo. Tali autem caſu dici debere plura Baptiſmata & Sacramenta pro numero eorum qui baptizantur, affirmant Scotus in 4. d.6. q.2. 9. *Reſpondeo*, Palud. d.3.q.2., Bonacina q.2. de Baptiſ. puncto 4. num.22., Coninch art.6. dub. 2. num. 53., Hurtad. diſp.2. de Baptiſmo difficult.7., Vaſqu. diſp.148. cap.7. Quia nimirum & eſſet plures ablutiones, ſaltem paſſiuè ſumptæ: & forma ſeu verborum prolatio eſſet ſaltem virtualiter ſeu æquiualenter multiplex, quaſi diceretur Ego baptizo te Petre, baptizo te Paule, & ſic de ſingulis: & tandem plures ſunt effectus, nempe diſtincti in ſingulis qui baptizantur: quare vis quoque ſignificatiua & cauſatiua talis effectus ſe habet vt multiplex, reſpectu ſcilicet diuerſorum. Vnde, ſupponendo plura ac diſtincta eſſe peccata, indigni miniſtri ſacrilegè conficientis plura ſacramenta cum immediata ſucceſſione, ſequitur fore etiam ex hac parte plura peccata illius miniſtri, qui indignè ſic ſub vna forma baptizaret plures ſimul, quia æquiualenter facit tot ſacrilegos actus.

SECTIO SECVNDA.
Quinam poſſint licitè ac debeant baptizare.

NON vtique omnes qui poſſunt validè, poſſunt etiam licitè: ſed ſtare poteſt, vt quiſpiam baptizando grauiter delinquat, vſurpando officium quod ſibi non competit; quamuis validum & firmum Baptiſmum conferat. Quare aliquæ regulæ tradendæ ſunt ad diſcernendum, quibuſnam licitum ſit hoc munus exercere. Et ſimul etiã ad videndum, quibus id ex obligatione debitum ſit.

In primis videri poſſet, ſolis Epiſcopis ex officio ſuo hoc exercitium competere: quia ſic indicarunt Tertullian. lib. de Baptiſmo cap.17. num. 114., & Ieronym. in Dialogo cõtra Luciferian. num. 20., dicentes, non niſi ex auctoritate Epiſcopi competere Presbyteris & Diaconis ius baptizandi. Et ratione ſuadetur: quia per Baptiſmum admittuntur & acceptantur homines in Chriſtianam Rempublicam & militiam: quod proinde non niſi Principibus & Ducibus, quales ſunt Epiſcopi, compe- *Non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Sacerdotes.*

Digitized by Google

tere debet. Vnde Vaſquez diſp. 147. cap. 3. contendit, non niſi ex conceſſione Epiſcopi, aut approbatione iuris, hoc munus extendi ad reliquos Sacerdotes.

Dici tamen debet, per ſe hoc officiũ ratione ordinationis competere, non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam alijs Sacerdotibus. Ita docent S. Thomas hic art. 2., Alenſ. 4. par. q. 8. memb. 6. art. 1., Bonau. in 4. d. 5. art. 1. q. 1., Riccard. art. 4. q. 1, Scotus d. 6. q. 1., Gabr. q. 1. art. 2., alijque communiter. Ita habetur cap. *Conſtat* de Conſecr. d. 4., vbi dicitur: *Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe traditum, eiuſque myſterium nec ipſis Diaconis explere, licitum eſt abſque Epiſcopis vel Presbyteris*. Et expreſſe in Concil. Florent. ſeſs. vltima, vbi loquitur de ſacramento Baptiſmi: *Miniſter huius ſacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Et Clemens Papa lib. 3. Conſtit. Apoſtol. cap. 11., *Poteſtatem baptizandi facimus tantùm Epiſcopis & Presbyteris*. Quare ad Tertullian. & Ieronym. dicendum eſt, loquutos eſſe quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, de qua mox loquemur. Et ad rationem illam reſpondet S. Thomas eod. art. ad 2. *Ad minores ciuitatis principes pertinet diſponere de infimo populo, ad ſummos autem principes ea quæ pertinent ad maiores ciuitatis: per Baptiſmum autem non adipiſcitur aliquis niſi infimum gradum in populo Chriſtiano: & ideo baptizare pertinet ad minores principes Eccleſiæ, idest Presbyteros*.

Nõ omnes Epiſcopi & Sacerdotes, ſed ſolùm Prælati vel Curati ſingulorum.

Secundo. Non per hoc poteſt quilibet Sacerdos, ſicut etiam nec Epiſcopus, quoslibet licite baptizare. Sed requiritur etiam iuriſdictio. Et alioqui ſine neceſſitate eſſet mortale peccatũ. Eſt res certa & nota. Habetur ex cap. *Interdicimus* 16. q. 1., & alijs Iuribus. Ac patet conſuetudine ipſa & praxi Eccleſiæ. Quare hoc munus exercere non poteſt niſi Epiſcopus in ſua Diœceſi, & Curatus in ſua Parochia: hi enim habent ordinariam iuriſdictionẽ. Poteſt etiam quilibet alius Sacerdos ex commiſſione & delegatione Epiſcopi vel Curati. Seruandæ quoque ſunt in hac re peculiares leges & conſuetudines locorum. Videlicet in quibuſdam locis ſtatutum aut conſuetum eſt, vt quidam Eccleſiarum Parochi valeant quidem adminiſtrare reliqua ſacramẽta, non tamen ſacramentum Baptiſmi; ſed hoc præbere debeat Parochus cuiuſdam Matricis Eccleſiæ; prout Romæ plures huiuſmodi extant: vel Parochus Eccleſiæ Cathedralis, vt Bononiæ, & quibuſdam alijs Ciuitatibus. Vel id ſeruetur tantum certis anni diebus, vt circa Paſcha Reſurrectionis Domini. Similiter quibuſdam in locis ſtatutum aut conſuetum eſt, vt Adulti venientes ad fidem, non niſi ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi baptizentur. Poteſtque Epiſcopus libere, cui voluerit id committere, abſque iniuria vllius Parochi, in cuius forte Parochia tales adulti habitant, aut etiam domicilium habent: quia adhuc non ſubduntur Eccleſiæ aut vlli Parocho; ſicut alioqui ratione parentum ſubduntur infantes qui in Parochia naſcuntur ex ipſis Fidelibus. Qualiter vero ratione habitationis aut domicilij, determinetur Parochia ſingulorum quoad ſacramentorum adminiſtrationem & ſuſceptionem, ſatis diximus de Sacramentis in genere.

Etiam Diaconi olim poterant ex commiſſione.

Tertio. Præter Sacerdotes, nullis alijs Clericis, etiam Diaconis, competere vel committi poſſe officium baptizandi, videtur ſtatuere S. Thomas art. 1., abſolute denegans hoc officium Diaconis, & dicens illis ſolùm competere aſſiſtentiam & miniſterium erga Sacerdotem cõferentẽ tàm hoc quàm alia ſacramenta. Et eo cap. *Conſtat* de Conſecr. d. 4., dicebatur, non licere Diaconis explere officium baptizandi abſque Epiſcopis vel Presbyteris, *Niſi illis procul abſentibus vltima languoris cogat neceſſitas, quod & laicis fidelibus plerunque permittitur*. Idemque habetur cap. *Diacones* diſt. 93. Quare non plus concedi videtur Diaconis, quàm quibuslibet alijs, etiam laicis, vt ſcilicet, vrgente neceſſitate, & deficiente Sacerdote, valeant baptizare. At ex alia parte, Diaconis in eorum ordinatione dicitur ab Epiſcopo, *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*. Quare ex proprio officio & Ordine, videtur quoque ipſis hoc miniſterium

rium

rium competere. Et in Hiſtorijs Eccleſiaſticis habetur, Laurentium Martyrē, cùm eſſet Diaconus, ex proprio officio baptizaſſe. Et in Actis ipſis Apoſtolorum, Philippus Diaconus baptizauit plurimos in Ciuitate Samariæ, & Eunuchum in itinere, vt narratur cap. 8. Et Ananias, qui fortaſſe erat purus Laicus, baptizauit Paulum cap. 9.

Propter hæc, Caietan. eodem art. 2. alijque communiter fatentur, poſſe peculiariter Diaconis ab Epiſcopo vel Sacerdote committi, non tamen abſque neceſſitate, officium baptizandi. Et vt in hoc, aliqua præeminentia ſupra Laicos ac reliquos Clericos tribuatur Diacono, duplex priuilegium illi concedunt. Vnum eſt, vt non requiratur ſumma neceſſitas, ſed ſufficiat iuſta cauſa, qualis olim erat penuria Sacerdotum, ad hoc miniſterium Diacono cōmittendum. Aliud eſt, vt Diacono committi poſſit officium ſolemniter baptizandi, & non tātùm priuato modo, ſicut in ſumma neceſſitate competit omnibus. Sed quia iam tanta eſt apud nos copia Sacerdotum, abolitam eſſe conſuetudinem committendi hoc officium Diaconis, notauit Sotus in 4. d. 6. q. 1. art. 1. In remotis tamen regionibus & nouo Orbe, ob Sacerdotum penuriā poſſet retineri. Et iuxta hæc explicari atque conciliari debent teſtimonia allegata. Ad exemplum verò Ananiæ, qui fortaſſe erat purus Laicus, notauit Clemens Papa lib. 8. Conſtit. cap. 46. fuiſſe ad id electum ac deputatum à Chriſto ſupremo Pontifice ac Legiſlatore. Notat etiam Suarez diſp. 23. ſect. 2., ex diſpenſatione Summi Pontificis, poſſe alicui etiam non Diacono, hoc miniſterium committi & demandari, ſcilicet ad ſolemniter baptizandum: quia ſicut ſolemnitas ipſa Baptiſmi fuit per Eccleſiam inſtituta, & ſolis Sacerdotibus ac de eorum commiſſione Diaconis reſeruata, ita poſſet inferioribus quoque Clericis delegari.

Vrgente neceſſitate quilibet poteſt baptizare, ſeruato tamen recto ordine.

Quartò præterea, neceſſitate vrgente, & ſine ſolemnitate, quilibet poterit licitè baptizare. Ita notum eſt ex omnium ſenſu: & patet ex dictis ſect. præcedenti. Ideo enim ex inſtitutione huius ſacramenti conceſſum eſt omnibus, poſſe illud validè miniſtrare, vt in neceſſitate id licitè & iuſtè faciant. Neceſſitas verò ita intelligitur, quòd is qui baptizandus eſt, ſit in mortis periculo conſtitutus, & non adſit alius miniſter ad quem ex officio pertineat baptizare. Quare ſi poſſit vocari proprius Parochus, debet ab illo expectari Baptiſmus. Item ſi adſit vel poſſit commode vocari alius ſimplex Sacerdos in defectu Parochi, non debet aliquis non Sacerdos hoc officium exercere. Ac rurſus ſi nullus adſit ibi Sacerdos, ſed adſit Diaconus, hic debebit baptizare. Et hoc totum ſeruandum eſt ſub mortali: vt frequenter Doctores aduertunt. Quamuis Valent q. 2. de Baptiſmo puncto 1., & Ioannes Suarez in Enchirid. Caſuum conſc. lib. 5. verbo *Baptiſmus*, dicant, laicum tunc baptizantem præſente Sacerdote & non contradicente, ac ſecluſo contemptu, non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter: Item præſente ſolùm Diacono, non peccare mortaliter laicum baptizantem, tenent Sotus in 4. d. 4. q. 1. art. 2. §. *Circa tertiam*, Suarez hîc diſp. 31. ſect. 4., Granad. controu. 4. tract. 2. diſp. 2. num. 6., Syluius q. 67. art. 3., Layman in Theol. morali lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 4., Diana par. 3. tract. 4. reſol. 44. & quidam alij: non reputantes hanc differentiam pro re notabili. Sed certè, cùm Sacerdoti ſimpliciter, & Diacono aliquo modo, per ſe & ex officio conueniat baptizare, dum adeſt aliquis huius Ordinis, & paratus eſt id perficere, videtur res notabilis, ſi eo prætermiſſo, alius velit id ſibi officium vſurpare. Et ita docent Coninch q. 67. art. 5. dub. 2., Hurtad. diſp. 2. de Baptiſmo difficul. 3., Præpoſitus q. 67. art. 5. dub. 2. num 7., Reginald. lib. 27. cap. 6. num. 44., alijque plures.

Et rurſus, dum adſunt Fideles Catholici, eſſet quoque grauis indecentia, & mortalis culpa, relinquere hoc miniſterium alicui infideli, aut non baptizato, aut Hæretico: vt ſatis apparet ex grauitate ipſa rei. Inter ipſos autem Fideles, abſente omni Sacerdote ac Diacono, debet adhuc præferri Clericus Laico, & inter Clericos qui ſuperiorem Ordinem habet, &

Digitized by Google

inter Laicos vir fœminæ: quia ſic rectus ordo poſtulat, & hunc ordinem cadere etiam ſub grauem obligationem, cenſent Vaſq. hic diſp. 147. cap. 5., Mæratius diſp. 5. de Baptiſmo ſect. 5., Ochagauia q. 12. num. 12., & quidam alij. Verùm, quia inter has perſonas non eſt tanta inæqualitas quantum ad hoc miniſterium, non eſt cenſenda res tàm grauis, vt hic òrdo obliget ſub mortali. Quinimò, ſi perſona alioqui inferior meliùs calleat ritũ & formã Baptiſmi, vt ſolẽt obſtetrices, præferri cõuenienter poſſet alijs perſonis non ita expertis.

Non Sacerdos ſolemniter baptizans, incurrit irregularitatem.

Quinto. Præter grauem culpam, ſtatuta eſt quædam pœna in iure, aduerſus illum qui non ordinatus baptizaret: nempe irregularitas, cap. 1. de Clerico non ordinato miniſtrante. Quæ tamen intelligitur ſolùm quando ſolemni ritu baptizaret: quia tunc propriè exerceret actum Ordinis quem non habet. Quare non oportet addere, quando non vrget neceſſitas: quia nunquam vrgebit neceſſitas ad ſolemniter baptizandum, ob alterius periculum: ſiquidem ſatis ſubueniri poteſt priuato modo baptizandi. Item intelligitur de omni eo qui non eſſet Sacerdotali Ordine inſignitus: quare etiam ſi Diaconus abſque commiſſione Sacerdotis ritu ſolemni baptizaret, hanc pœnam incurreret. Suarez tamen diſp 23. ſect. 3. admittit, Diaconum vigente neceſſitate & periculo pueri, licitè & abſque irregularitatis incurſu, poſſe ſolemniter baptizare. Sed meliùs id negant Coninch art 5. dub. 3. nu. 17., & Hurtad. diſp. 2. difficul. 4. Sumitur ex cap. *Diaconos* 93. diſt. Quia neceſſitas & periculum pueri non cogit ad ſolemniter baptizandum, quod Diacono abſque commiſſione Sacerdotis non conceditur. Non vero intelligitur de Sacerdote, qui abſque auctoritate Parochi hoc munus exerceret: quia cùm habeat Ordinem, & careat ſolùm iuriſdictione, non vſurparet ſibi actum alieni Ordinis, ſed alienæ iuriſdictionis: nec ad illum extenditur dicta pœna. Sed tamen ob grauem culpam eſſet ad arbitrium Iudicis puniendus. Et plura de hac irregularitatis pœna, ſuo loco dicenda erunt.

Animarũ paſtores, & in neceſſitate alij quicunque tenentur baptizare.

Sextò deinde facilè conſtat, quinam debeant, ac ex obligatione teneantur, hoc ſacramentum miniſtrare. Tenentur enim animarum paſtores, idque ex iuſtitia ratione ſui officij. Tenentur quicunque alij vrgente neceſſitate, quæ quidem eſt extrema pro ſalute animæ. Tenenturquè ex charitate ob talem indigentiam ſpiritualem proximi. Et quando adeſſet aliquis ſimplex Sacerdos, & ſimul etiam adeſſent alij parati, videtur adhuc teneri Sacerdos id munus obire, niſi impediatur: nempe ob reuerentiam ſacramenti, & quia per ſe ad ipſum pertinet ratione Ordinis ſacerdotalis. Et in defectu Sacerdotis, ſi adſit Diaconus, videtur hic teneri, quamuis adſint alij parati, qui tamen permittant Diacono ſi velit hoc miniſterium adimplere. An verò exiſtente puero in extrema neceſſitate, & inſtante periculo mortis ei qui illum baptizare poſſet, teneatur hic etiam cum tali periculo illi ſuccurrere per Baptiſmum: Negant Emanuel Sà in Summa verbo *Charitas*, Sotus de Tegendo ſecreto memb. 2. q. 2. concl. 6. Sancius in Selectis diſp. 10. num. 9 Affirmant aliqui de ſolo Parocho. Affirmant alij de quocunque habili ad miniſtrandum, Bagnes 2. 2. q. 26. art. 1., Sylueſter in Sum. verbo *Bellum* 2., Ledeſma tomo 2. Summæ tract 4. cap. 4. concl. 15. Ochagauia q 3. de Baptiſmo num. 3. Et ita eſt conforme communi regulæ charitatis, de præferenda vita ſpirituali proximi, vitæ corporali propriæ.

Obſtetrices tenentur ſcire ritũ baptizandi.

Teneri etiam ſpecialiter obſtetrices, probè addiſcere ac ſcire ritum neceſſarium baptizandi, affirmant D. Antonin. 3. par. cap. 15. §. 4., Turrecr. cap. *Si mulier* de Conſecr. d. 4., Paludan. in 4. d. 5. q. 2. art. 1. num. 7, Nauarr. in Sum. cap. 22. num. 6., Henriq. lib. 2. cap. 29. in fine, Tolet. lib. 2. cap 19. num. 7., Reginald. lib. 27. cap. 6. num. 45., Viuald. de Baptiſ. cap. 14. num. 19., Bonacina q. 2. puncto 5. num. 5., Emanuel Sà verbo *Baptiſmus* num. 12., Zambran. in Deciſionib. cap. 1 dub. 16., Rodriquez in Summ. tomo 3. cap. 26. num. 5., & alij communiter. Negat tamen Suarez diſp. 22. ſect. 5., & probabile

Digitized by Google

babile reputat Diana par. 2 tract. 15. reſol. 46. Quia non inuenitur talis obligatio de iure poſitiuo. Nec apparet de iure naturali. Quoniam ex iuſtitia obſtetrices tenentur curare tantùm ea quæ pertinent ad incolumitatem corporis, quia ad hoc officium vocantur. Ex charitate verò nullus tenetur ſe antecedenter inſtruere, & diligentiam adhibere, pro caſibus qui occurrere poſſunt: præſertim quia rariſſimè eueniet, vt non adſint nec vocari poſſint alij, qui baptizare ſciant, & occurrenti neceſſitati ſubuenire valeant. Sed defendendum eſt, verè obſtetrices ad id obligari, ſaltem ex charitate: quia ſanè ortus infantium expoſitus eſt magno periculo. Et licèt non teneatur quiſque ex debito charitatis præuenire ac ſe habilem reddere ad ſuccurrendum proximo: tamen obſtetrices quæ aſſumunt tale officium exercendum, in quo facilè eueniunt caſus extremæ neceſſitatis ſpiritualis proximi, & ipſæ poſſunt faciliima diligentia ſe præparare ad ſuccurrendum, ſcilicet addiſcendo ritum eſſentialem Baptiſmi, plane hac obligatione adſtringuntur. Et præſertim in domibus ſimplicium perſonarum, & in paruis oppidis, non ità facilè inuenientur aut vocari poterunt alij, qui ſatis inſtructi ſint ad hoc miniſterium peragendum. Vnde merito animarum paſtores ſoliciti eſſe ſolent, vt obſtetrices probè ſciant quæ ſunt de ſubſtantia Baptiſmi. Et in quibuſdā Diœceſibus extant peculiares leges, ne ad hoc officium admittantur, niſi quæ ſatis inſtructæ ſint.

Qui priuato modo baptizant, an teneantur eſſe in gratia.

Septimo demum, Qualiter quicunque baptizat, debeat adimplere ea quæ ſunt de ratione huius ſacramenti, ſatis conſtat ex dictis antea de ſacramentis in genere, & quæſt. ſuperiori de Baptiſmo in ſpecie. Sed ſpecialiter videndum ſupereſt, num non ſolùm qui ſolemniter ex officio ſuo Baptiſmum adminiſtrant, ſed etiam qui priuatim ex neceſſitate conferunt, teneantur eſſe in ſtatu gratiæ, & ſoli illi qui ſunt in gratia, poſſint licitè hoc miniſterium exercere. Affirmare videntur Durand. in 4. d. 5. q. 6. num. 6., Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2., Adrian. q. 3. de Baptiſmo ad finem, Angelus in Sum. verbo *Baptiſmus* num. 10., & late defendit Vaſquez hic diſp. 136. cap. 3., & ſequuntur Lugus diſp. 8. de Sacram. ſect. 9. num. 150, & ex parte Coninch q. 64 art 6. dub. 11 num 76., Layman lib. 5. Theol. moral. tract. 1. cap. 5. num. 8., Kelliſonus hic q. 64. art. 6. dub. 2., Hurtad. de Sacram. in genere diſp. 4 difficul. 9., Mæratius diſp. 8. ſect. 2., Ochagauia q. 19 num. 6, & quidam alij. Solumque excuſant illum, qui exiſtens in mortali peccato, ob vrgentiam periculi alterius, non vacaret ad ſe diſponendum per contritionem, vt citiùs conferret ſacramentū indigenti. Probant ſuam aſſertionem: quia ratio ob quam miniſter ſacramenti tenetur eſſe in gratia, eſt ob ſanctitatem & virtutem ipſius ſacramenti inſtituti à Deo ad conferendam gratiam: quæ ratio pariter militat, in quocunque & quandocunque miniſtrante ſacramentum. Confirmat Vaſqu. cum Gabriele: quia ſi quis actu peccans mortaliter actu odij vel alio ſimili, ſiue ex praua intentione miniſtraret ſacramentum, vtique reus eſſet ſacrilegij ob irreuerentiam ſacramenti: ergo ſimiliter, ſi antea peccauerat, & non adhuc redierit in gratiam.

Non videtur teneri.

Negant tamen S. Thomas ſuprà q. 64. art. 6. ad 3. & in 4. d. 24. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 5., Caiet. hic, Nugn, Syluius, Cabrera, Præpoſitus, Mercerus eodem artic., Coninch dub. 1. numero 31., Suarez diſp 16 ſect. 4., Valent. q 5. de Sacram. puncto 3., Granad Contrprincipal. 3. tract 5. diſp. 7. num. 6., Tannerus tomo 4. diſp. 3. q. 4 dub. 2. num. 63. Item Sotus in 4. d. 1. q 5. art. 6., Riccard. d. 5. art 3. q. 3., Pitigian. q. 2. art. 4., Sayrus lib. 2 de Sacram. q 1 art. 2. & 4., Henriq. lib. 1. cap. 29. num. 4, Victor. de Sacram. num. 29., Poſſeuin. de Adminiſtr. ſacram. cap. 5. num. 40, Bonacina q. 3. de Sacram. puncto 2 num. 21. & q. 2 de Baptiſmo puncto 6. num. 17., Syluester in Sum. verbo *Baptiſmus* 3. num 5., Ledeſma in Sum. cap. 6 de Sacram in genere concluſ. 8., Ioann. de Cruce de Sacram in genere q. 4. dub 3. concl 1., Fernandez de Heredia de Sacram. in genere par. 10 dub 3 num. 4., Diana par 3. tract. 4. reſol. 10. & par 5. tract 3.

Digitized by Google

tract. 3. reſol. 24., Nauarr. in Sum. cap. 25. num. 12., Reginal. lib. 27. cap. 6. nu. 47., alijque plures. Et hæc potiùs ſententia retinenda eſt. Quia videlicet in ſolum miniſtrum per ſe conſecratum, & quando tanquam talis ſe gerit, videtur cadere hæc obligatio ſub mortali peccato, vt debeat eſſe in ſtatu gratiæ quando ſacramentum adminiſtrat, vt iam notauimus in genere q. 64. ſect. 4. concl. 2. Sed quando vrgente neceſſitate confertur Baptiſmus, vel miniſter ſimpliciter non eſt conſecratus: vel etiam ſi ſit conſecratus, vt Sacerdos ac Diaconus; tamen tunc non agit per ſe vt talis, ſiquidem non ſolemniter tale miniſterium exercet, quamuis ratione Ordinis alijs præferatur. Sic expreſsè de Sacerdote baptizante ait S. Thomas: *In articulo neceſſitatis non peccaret baptizando, in caſu quo etiam poſſet Laicus baptizare: ſic enim patet, quod non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubueniret neceſſitatem patienti.* Vnde etiam ſi extra neceſſitatem, quis exiſtens in peccato conferat priuato modo Baptiſmũ: peccabit vtique grauiter, adminiſtrans ſacramentum ob talem vſurpationem & inordinationẽ, non vero ex eo quòd miniſtraret in ſtatum peccati.

Hinc etiam patet ad oppoſitum fundamentum. Rationem illius obligationis, non eſſe ſolam ſanctitatem ſacramenti, ſed cum illa requiri etiam conſecrationem miniſtri, & ritum operandi per modum miniſtri conſecrati. Et ad confirmationem: non fore quidem nouum peccatum & graue ſacrilegium, ſi quis actu committens aliud peccatum diſparatum adminiſtret ex neceſſitate hoc ſacramentum: fore tamen, ſi quis ex praua intentione & ob finem inordinatum adminiſtret ipſum ſacramentum; quia ſic abutitur ipſa re ſacra ad prauum finem, quo planè grauem iniuriam illi irrogat. Verè ergo non grauiter delinquit, qui exiſtens in peccato, ob neceſſitatem alterius conferat illi Baptiſmum.

SECTIO TERTIA.

An & quot & qui interuenire debeant, qui teneant ſiue de ſacro fonte leuent baptizatum.

Debet aliquis interuenire.

IN primis. Non eſt quidem de neceſſitate ſacramenti, nec præceptũ de iure diuino, vt quiſquam alius in Baptiſmi miniſterio interueniat, qui teneat vel de ſacro fonte leuet baptizatum. Eſt id tamen de iure eccleſiaſtico ordinatum & iuſſum: vt S. Thomas art. 7. alijquè Theologi omnes agnoſcunt. Conſtat per plura capita 30. q. 1. & ſequentibus, & de Conſecr. d. 4. Item ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine: cuius meminit Dionyſ. cap. 2. de Eccleſ. Hierarch., & Clemens Papa lib. 3. Conſtitut. Apoſt. cap. 17. Eſtquè res frequens apud alios Patres, & notiſſima in vſu Fidelium. Et ratio ſeu conuenientia huius inſtitutionis eſt, quam reddit S. Thomas: quoniam is qui baptizatur, indiget vt inſtruatur in fide & moribus iuxta Chriſtianam Religionem, & ideo traditur alicui tanquam in ſpiritualem curam ac tutelam. Qui proinde vocatur patrinus aut matrina, compater vel commater, quaſi ſcilicet erga ſpiritualem filium. Vocatur ſponſor & fideiuſſor: quia ſpondet & promittit illum inſtruere, ſiue quia nomine illius promittit obſeruantiam Chriſtianæ profeſſionis. Et contrahit ſpiritualem cognationem, de qua diſtinctè loquemur ſect. ſequenti.

Etiam in Baptiſmo priuato locum habet.

Secundo tamen dubitatur, num hoc miniſterium locum habeat, non ſolùm in Baptiſmo ſolemni cum reliquis Eccleſiæ cæremonijs, ſed etiam in Baptiſmo priuato ex neceſſitate exhibito. Negat Sotus in 4. d. 42. q. 1. art. 1. Sequuntur Granad. hîc controu. 4. tract. 2. diſp. 5. num. 4. & Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 62. q. vltima, & probabile reputat Diana par. 2. tract. 4. reſol. 18. Sed alij communiter affirmant, Suarez hac quæſt. art. 8. dub. vlt., Coninch diſp. 32. de Sacram. dub. 2. num. 2., Angel. in Sum. verbo *Matrimonium* 3. imped. 7. num. 21., Armilla num. 14.,

Lopez

Digitized by Google

Lopez 2. par. Inſtruct. tract. de Matrim. cap. 5., Viuald. in Candelabro tract. de Matrim. num. 154., Barthol. Ledeſma de Matrim dub. 44. ad finem, Pontius lib. 7. de Matrim cap. 40. num. 3, Nauarr in Sum cap. 22 num. 40. & alij, dicentes, tenentem etiam in Baptiſmo priuato cõtrahere cognationem ſpiritualem. Et ſuadetur: quia Sacri Canones abſolute ita definiunt, non excludendo Baptiſmum priuatum. Inde addit Zambran. lib. de Caſib. occurr. temp. mortis cap. 1. de Baptiſ. dub. 18. num. 17, debere ſic adhiberi patrinum in ipſo Baptiſmo priuato. Sed rectè alij vt plurimum notant, id non eſſe debitum, quamuis ſi fieri poſſit, ſit cõueniens. Quia Eccleſia id non præcipit in Baptiſmo priuato, ſicut in ſolemni.

Poſſunt interuenire tantùm vnus vir & vna mulier, qui deſignati ſint.

Tertiò. Iure antiquo ſtatutum erat, vnum tantùm poſſe interuenire in hac functione, cap. *Non plures* de Conſecrat. d. 4., & rurſus cap. vlt. de Cognat. ſpirituali in ſexto. Vbi plerique Doctores explicabant, id non debuiſſe intelligi ſub mortali, ſed tantùm veniali. Et in hoc etiam potuiſſe ab Epiſcopo diſpenſari. Ac tandem fuiſſe conſuetudine abrogatum. Sed etiam ſi contra iuſſionem illam plures in quantocunque numero tenuiſſent ſeu ſuſcepiſſent baptizatum, pariter omnes efficiebantur patrini, & cognationem ſpiritualem contrahebant, vt eodem cap. vlt de Cognat. ſpirituali ſupponitur. Hinc optimè Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap 2. de Matrim., volens certam regulam præfigere, decreuit: *Vt vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant: Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab ijs ad quos ſpectabit ſciſcitetur, quem vel quos elegerint vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat: Quòd ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant.* Vbi patet, per ſe ſufficere vnam perſonam, ſed tamen poſſe admitti duas, non quidem duos viros, aut duas feminas, ſed ſolùm vnum virum, & vnam feminam, ad hoc officium adimplendum. Et hæc quidem regula deinceps vbique ſeruatur.

Adhuc tamen ſi ſecus fiat, non fore mortale peccatum, opinatur Lopez 2. par. Inſtruct. tract. de Matrim cap. 51., & ſequitur Sanchez lib. 7. de Matr diſp. 57. num. 6. Eo quod antiqui Canones, quibus Concil. inhæret, non obligabãt ſub mortali. Sed potiùs videtur obligare ſub mortali: vt ſentiunt Rodriqu. tomo 1. Summæ cap. 126. num. 1., Vega cap. 33. caſu 39., Bonacina q. 3. de Matrim. puncto 5. num. 32, & alij. Quia Concil. loquitur verbis præceptiuis, & res non eſt leuis. Si verò antiqui Canones non obligabant ſub mortali, non in hoc Concil. voluit ijs inhærere, ſed ſolùm in taxandis ipſis perſonis. Notant etiam communiter Auctores, non poſſe in hoc ab Epiſcopo diſpenſari, vt plures perſonæ admittantur ad ſuſcipiendum baptizatum.

Si plures aut aliqui non deſignati interuen: & nihil faciunt.

Quarto. Stante hoc decreto Concilij, adhuc aliqui opinati ſunt, deſignationem dictam non requiri ad valorem actus: ſed ſi nulla deſignatio fiat, tunc quotquot teneant ac ſuſcipiant baptizatum, vere effici patrinos, & contrahere ſpiritualem cognationem. Ita affirmant Nauarr. in Sum. cap. 22. num. 39., Henriq. lib. 11. de Matrim. cap 11. num. 3., Barboſa de Poteſtate Epiſc. allegat. 30. num. 48., Gauant. in Enchirid. verbo *Baptiſmus* num. 13., Pontius lib. 7. de Matrim. cap. 39. num. 11., & alij, quorum ſententiam valde probabilem reputat Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 57. Item ſi plures quàm duæ perſonæ, ſiue ſi plures viri aut plures feminæ deſignentur, id eſt eligantur à parentibus, & admittantur à Parocho, omnes adhuc validè tenere, & cognationem contrahere; affirmant Nauarrus, Pontius, Sanchez, & quidam alij. Similiter, quando parentes elegerunt plures, & Parochus non præmiſit diligentiam præſcriptam in Concilio, vel quando Parochus ſine iuſta cauſa repellit aliquos à parentibus deſignatos, adhuc hos validè ſuſcipere baptizatũ, affirmat Sanchez. Demum, etiam quando nullus ex deſignatis, ſed alius non deſignatus tenet & ſuſcipit baptizatum, validè tenere, affirmat Henriq.

vbi

Et poteſt quidem peculiari lege ab Epiſcopo in ſua Diœceſi prohiberi. Bene tamen vniuerſali lege prohibitum eſt, cap. *Peruenit*, & cap. *Ad limina* 30. q. 1., ne proprij parentes, ſiue pater, ſiue mater, ſuum filium de ſacro fonte ſuſcipiant. Et aliqui addunt etiam fratres. Sed nulla lege id cautum eſt, nec conſuetudine introductum. Item prohibitum eſt, ne Monachi hoc ſuſceptoris munus exerceant, cap. *Non licet* de Conſecrat. d. 4., & cap. *Placuit commune* 16. q. 4. Vbi per Monacos intelligit omnes Regulares, Paulus Layman in Theol. morali lib 5 tract. 2. cap 9. nu. 3. Sed ſolos illos qui colunt ſolitudinem, & propriè dicuntur Monaci, nō autem alios Regulares qui dicuntur Mendicātes, intelligunt Coninch hac q. 67. art. 7. num. 56. & Chamerota de Sacram. tract. 2. cap. 4. dub 8. Et alij plures excipiūt etiam ab hac prohibitione illos qui ex Monachis facti ſunt Epiſcopi aut Cardinales. Rurſus prohibitum eſt, ne quis non baptizatus teneat ſeu ſuſcipiat alium in Baptiſmo. cap. *In Baptiſmate* de Conſecrat. d. 4.

Dubitarunt etiam aliqui, requiri certam ætatem in huiuſmodi ſuſceptore, nempe talem qua poſſet eſſe pater carnalis, quia alioqui nec videtur effici poſſe patrinus, idest veluti ſpiritualis pater. Hinc Ancaranus in cap. *Debitum* de Baptiſmo, vult requiri ad minus ætatem quatuordecim annorum. Et Abbas in idem caput, vult requiri ætatem octodecim annorum: quia de iure hæc ætas requiritur, vt quis poſſit adoptare alterum in filium. eo quód hæc ætas eſt certior ad habilitatem generationis naturalis; & ſic eadem ætas videbitur requiri ad hanc adoptionem ſeu paternitatem ſpiritualem. Conſtat tamen, ad hanc rem non requiri certam ætatem, niſi inquantum requiritur ad obtinendum vſum rationis. Ita ſupponit S. Thomas in 4. d. 42. q. 2. art. 1. ad 5., & alij communiter defendunt. Non enim debet ad hanc rem induci vlla conditio, quæ nō ſit præſcripta in iure. Nec ex paritate generationis carnalis, aut adoptionis legalis, debet eadem ætas requiri ad hanc paternitatem ſpiritualem. Requiritur tamen vſus rationis, ad hoc vt humano modo quis hoc munus exerceat. Et ad finem huius inſtitutionis requiritur ſufficiens habilitas ad erudiendum alterum in rebus fidei. Ac demum in Romano Rituali iniungitur Parochis, ne publicos peccatores & perſonas infames ad hoc munus admittant. Et multò magis Hæretici, & Schiſmatici, atque Apoſtatæ à fide, repellendi ſunt ab hoc miniſterio. Et quicunque excommunicati, iuxta cōmunes tamen regulas de excommunicatione.

Sextò. Ad inſpiciendum quidnam peragere, quem actum exercere debeant, ij qui in hoc miniſterio interueniunt: Sotus in 4. d. 42. q. 1. art. 2., Lopez 2. par. Inſtruct. tract. de Matrim. cap. 51., Emmanuel Sa verbo *Matrimonium* de Impedim. diriment. nu. 5., volunt ſufficere ſolam aſſiſtentiam per modum ſuſceptoris, dum alter baptizatur, vt ſcilicet eius curæ commēdetur & tradatur baptizatus ad erudiendum in fide, etiam ſi corporaliter illum non tangat. Sed alij communiter & rectè docent, debere etiam corporaliter tangere, & alioqui non effici verè patrinum. Sic enim Eccleſia hunc ritum inſtituit. Et ſatis clarè habetur ex modo loquendi Sacrorum Canonū, & Concilij Trident, & communi Fidelium: dicitur enim patrinus leuare ſuſcipere de ſacro fonte, dicitur tenere tangere in Baptiſmo. Et ita etiam communis vſus obſeruat. Non eſt autem neceſſe, immediatè in carne tangere, ſed ſufficit veſtibus contectum, aut in diſco ſuſtinere. Non eſt neceſſe totaliter ſuſtinere: ſed ſufficit manu contingere, quod eſt ſuo modo tenere; vt fit quando baptizantur adulti. Non eſt neceſſe ſimul phyſicè in eodem actu Baptiſmi tenere: ſed ſufficit immediate poſt; vt fit quando baptizantur infantes per immerſionem, quos miniſter quidem baptizans immergit, & immediatè poſt ex aqua extractos tradit in manus ſuſceptoris. Et hoc propriè eſt, de ſacro fonte ſuſcipere & leuare. Vnde quo tempore fiebat communiter Baptiſmus per immerſionem, dicebatur interuenire qui de ſacro fon-

Quem actum in hoc miniſterio debeant exercere.

Digitized by Google

te ſuſciperet & leuaret. Dum verò introductum eſt, vt fiat per aſperſionem & infuſionem aquæ, dicitur interuenire qui teneat in Baptiſmo. Sed quoad effectum vterque modus in idem redit. Non autem ſufficeret, extremo digito attingere: ſed requiritur notabili modo apprehendere ſeu attingere manu. Nec ſufficeret, ſuſcipere mediatè de manu alterius ſuſceptoris: ſed requiritur immediate ſuſcipere de manu baptizantis. Quæ omnia communiter Doctores obſeruant.

Sed quia ſimul cum Baptiſmo, ex ritu Eccleſiæ adhibetur etiam Cathechiſmus, quo Sacerdos interrogat de profeſſione fidei, eique nomine infantis ſeu Cathecumeni reſpondetur, vt in Rituali præſcribitur: ideo neceſſe etiam eſſe, vt ſuſceptor ipſe reſpondeat, ad hoc vt efficiatur patrinus, affirmant Archidiac. in cap. *Paruuli* de Conſecr. d. 4., Hoſtienſ. in Sum. tit. de Matrim. §. *Qualiter contrahatur* num. 11., & quidam alij: adeo vt dicant, mutum non poſſe effici patrinum in Baptiſmo. Aut requiri, vt ſaltem nutibus reſpondeat, affirmant Præpoſit. & Alexand. de Neuo in cap. *Contracto* de Cognat. ſpirituali. Aut requiri ſaltem quando infans baptizatur, qui proinde non poteſt per ſe ipſum reſpondere, affirmat Henric. in cap. *Veniens* eodem titulo. Et fundamentum eſt: quia ideo patrinus dicitur etiam ſponſor & fideiuſſor. Conſtat tamen apud Doctores communiter, id non eſſe abſolutè neceſſarium: quia in iuribus eccleſiaſticis nō ità præſcribitur: ſed ſufficit tenere in Baptiſmo, aut ſuſcipere de ſacro fonte. Ad obſeruantiam tamen eccleſiaſticæ cæremoniæ ſolet etiam patrinus in Catechiſmo infantium reſpondere. Et non ſolùm per hoc dicitur ſponſor & fideiuſſor: ſed etiam quia facto ipſo & munere ſuſceptionis pro illo promittit.

Quando autem quis ſolùm in Catechiſmo reſpondet, & de reliquo non interuenit in Baptiſmo, adhuc Gloſa in cap. *Contracto* de Cognat. ſpirit. indicauit, effici patrinum, ſicut qui in Baptiſmo tenet vel ſuſcipit. Conſtat tamen, effici ſolùm imperfectè, & valde differenter ab eo qui tenet in ipſo Baptiſmo: vt contingere ſolet, quando poſt exhibitum domi priuato modo Baptiſmum, poſtea in Eccleſia ſuppletur ſolemnitas. Eſtque hoc impedimentum, ſolùm prohibens matrimonium, non verò dirimens, ſicut in vero patrino, tenente aut ſuſcipiente in ipſo Baptiſmo: vt inter impedimenta matrimonij notum eſt.

Quam obligationē ex hoc miniſterio cōtrahant.

Septimò. Poſt peractum hoc officium in Baptiſmo, patrinus remanet obligatus inſtruere in Chriſtiana fide & religione, quem tenuit vel ſuſcepit: ad hunc enim effectum inſtitutum fuit hoc officium, vt dicebamus. Hæc tamen obligatio locum habet, quando deeſſent, vel ab hac inſtructione deficerent, parentes, vel alij curam baptizati gerentes. Vnde, quia regulariter inter Fideles, ſolet hæc inſtructio ab ipſis parentibus, vel alijs curam baptizati habentibus ſufficienter præſtari; ideo regulariter etiam liberi ſunt patrini ab hac obligatione. Demum ex hoc officio ſuſceptoris, contrahit patrinus cognationem quandam ſpiritualem, vt etiam antea dicebamus: quæ tamen communis etiam eſt ad ipſum miniſtrum baptizantem. De qua iam ſequenti ſectione tractandum eſt. Et qualiter poſſit hoc officium exerceri per procuratorem, & quiſnam tunc efficiatur patrinus, ſpiritualem cognationem contrahens, eadem ſequenti ſect. videbimus.

SECTIO QVARTA.

De Cognatione ſpirituali, quæ ex Baptiſmi miniſterio contrahitur.

COgnatio ſpiritualis, eſt quædam coniunctio ad inſtar paternitatis, & ex Eccleſiæ inſtituto impedit ac dirimit matrimonium, ita vt nec licitè nec valide iniri poſſit inter perſonas huiuſmodi cognatione coniunctas. Impedit etiam nouo titulo actus carnales inter tales perſonas, datque tali peccato ſpecialem malitiam ſacrilegij ſeu inceſtus ſpiritualis, neceſſario in confeſſione aperiendam. Cenſetur etiam impedire & illicitum reddere ex parte,

vſum

uſum coniugij, ſi ſuperueniat poſt contractum matrimonium inter coniuges. Sed de hoc ſuo loco de Matrimonio dicemus. Oritur ex Baptiſmi miniſterio, ac etiam Confirmationis, vt ſuo loco dicemus, Praſcripta eſt in iure pluribus capitibus, 30. q. 1. & ſequentibus, & de Cognatione ſpirituali lib. 5. & 6.

Inter quas perſonas contrahatur.

Primo ergo determinandum eſt, inter quas perſonas contrahatur. Miniſter qui baptizat, & patrinus qui tenet ſeu ſuſcipit, contrahit hanc cognationem cum illo qui baptizatur: & hæc eſt reſpectu illius ſpiritualis paternitas. Item contrahit cum patre & matre baptizati: & hæc dicitur ſpiritualis cõpaternitas. Cum parentibus inquam naturalibus, etiam illegitimis: non verò cum legalibus per adoptionem. Atque ad has tantùm perſonas reſtricta eſt huiuſmodi cognatio ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de Matrim., & quoad alias omnes perſonas penitus ſublata. Iure autem antiquo extendebatur etiã à viro in vxorem, & ab vxore in virum: ita vt quando vir ex hoc miniſterio cõtrahebat cognationem hanc cum baptizato, & patre ac matre eius, etiam vxor illius viri contraheret cum iiſdem, & è conuerſo. Et quia etiam poſt Concilium adhuc aliqui dubitarunt de hac parte, Pius quintus peculiari Conſtit. incipiente *Cùm illius vicem*, declarauit eſſe ſublatam. Extendebatur inter miniſtrum baptizantem, & miniſtrum tenentem ſeu ſuſcipientem, ita vt etiam inter ſe cognationem hanc contraherent. Sed hæc ſimiliter ſublata eſt. Inſtituta etiam erat in eodem iure antiquo, ſpiritualis cognatio per modum fraternitatis, ſcilicet inter ipſum baptizatum & filios miniſtri qui eum baptizauit, & miniſtri qui tenuit. Quæ iam prorſus ſublata eſt. Inter plures autem perſonas, vtpote inter virum & feminam, tenentes aliquem in Baptiſmo, nec iure antiquo inſtituta erat vlla cognatio, nec ex Concilio Trident. nouiter inducta.

Contrahitur etiam in priuato Baptiſmo.

Secundo. Putarunt aliqui, miniſtrum baptizantem in Baptiſmo priuato, non ex officio, ſed ex neceſſitate, non contrahere ſpiritualem cognationem; ſed ſolùm miniſtrum ſolemniter ex officio baptizantem illam contrahere. Sumunt ex cap. *Ad limina* 30. q. 1., vbi definitur, patrem aut matrem baptizantem filium in neceſſitate, non priuari vſu coniugij, & iure petendi debitum: quare ſic etiam alius quicunque non priuabitur facultate contrahendi matrimonium cum tali perſona, ac proinde dici debet non contrahere cognationẽ quæ impedit ac dirimit matrimonium. Magis apparenter putarunt alij, tenentem aut ſuſcipientem in Baptiſmo priuato, non contrahere talem cognationem: eo quod hæc ſuſceptio non ſit inſtituta, nec habeat locum in Baptiſmo priuato.

Sed certum ſatis eſt apud Doctores communiter, etiam miniſtrum priuatim baptizãtem ex mera neceſſitate, etiam ſi ſit purus Laicus, aut etiam mulier, non minùs contrahere dictam cognationem. Quia nimirum Sacri Canones indiſtinctè, & abſque exceptione Baptiſmi priuati, vel neceſſitatis, ſtatuunt & imponunt baptizanti huiuſmodi vinculum. Nec quicquam obſtat, quod affertur ex eo capite: quia poſt contractum iam matrimonium, æquum erat, non induci tale cognationis vinculum inter coniuges, quo priuarentur vſu coniugij & iure petendi debitum, ob miniſterium exhibitum cauſa neceſſitatis. Et fortaſſe nec etiam ſecluſa neceſſitate, vt ſuo loco inter matrimonij impedimenta videbimus. Cenſendum quoque eſt, tenentem ſiue ſuſcipientem in Baptiſmo priuato, contrahere eandem cognationem: dummodo id faciat ex debita intentione, vt infra dicemus. Quia hæc ſuſceptio inſtituta etiam eſt, & locum habet in ipſo Baptiſmo priuato, vt iam ſect. præced. notauimus.

Sed ſolùm in Bap. ſmo valido.

Tertiò. Ex alia parte putarunt aliqui, etiam miniſtrum baptizantem ac tenentem in Baptiſmo nullo & irrito, contrahere hanc cognationem. Sumunt à ſimili: quia cùm de iure, ſponſalia & matrimonium ratum cum vna perſona, inducant impedimentum publicæ honeſtatis cum alijs conſanguineis, inducebant etiam ſi eſſent irrita & inualida, cap. vnico de Sponſalib. in ſexto. Et in ipſo Baptiſmo, quando

Digitized by Google

ſub conditione repetitur, vnus ſolus poteſt eſſe validus, vel primus, vel ſecundus: & tamen vtriuſque miniſtri debent ſe exiſtimare ſpiritualis cognationis vinculo adſtrictos.

Conſtat tamen, in ſolo Baptiſmo valido miniſtros contrahere huiuſmodi cognationem. Et ita communiter Doctores ſentiunt. Dum enim in iure ſtatuta eſt talis agnatio ex Baptiſmo, omnino intelligitur de Baptiſmo vero & valido: & alioqui ſi ſit nullus, nullum poteſt habere effectum, aliàs annexum vero & reali Baptiſmo. Et ita etiam apparet in alijs rebus moralibus. Nec obſtat exemplum illud publicæ honeſtatis, imò facit potiùs pro hac parte: quia illa fuit deciſio ſpecialis, vbi alioqui non ita fuiſſet, quare nullatenus poteſt trahi ad alias materias.

Sed etiam in illa materia, Concil. Trident. ſuſtulit impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus inualidis, vt ſuo loco videbimus. Quando autem Baptiſmus ſub conditione repetitus eſt: ſi vnquam poſtea appareat aut deprehendatur, quinam fuerit validus, huius ſolùm miniſtri, & non alterius inualidi, debent ſe exiſtimare vinculo ſpiritualis cognationis adſtrictos. Quando autem res ſit dubia, notant aliqui, miniſtros ſecundi Baptiſmi debere ſic ſe gerere. Sed ſanè eadem videtur ratio de miniſtris primi Baptiſmi: quia dubium vergit in vtranque partem.

Quòd ſi res ſit in vtranque partem probabilis, vt contingit ob varias Doctorum opiniones: Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 62. num. 7., ait, quemcunque poſſe vtranlibet partem tuta conſcientia amplecti. Quod tamen ita limitandum eſt, vt nulli liceat ab vna ad aliam in facto tranſire: vtpote ſi mater infantis baptizati duxerit poſtea virum qui fuerat miniſter in altero Baptiſmo probabiliter inualido, non poterit illum prætextu probabilitatis oppoſitæ relinquere: non poterit illo defuncto, ſumere rurſus alium virum qui fuerat miniſter in alio Baptiſmo.

Contrahitur ſuo modo etiã cum parentibus infidelibus.

Quartò. Quando baptizatur filius parentum infidelium, miniſtrum baptizantem & tenentem, non contrahere cognationem ſpiritualem cum ijs parentibus non baptizatis, ſed poſſe liberé ex hac parte inire cum ijs matrimonium, ſi conuertantur ad fidem & baptizentur, cenſent Durand. in 4. d. 42. q. 1. num. 9., Sotus q. 1. art. 3., Palat. diſp. 1., Bartholom. Ledeſma de Matrim. dub. 46. concl. 2. notab. 1., Petr. Ledeſma q. 56. art. 3., Sanchez lib. 7. diſp. 60., Pontius lib. 7. cap. 40., Bonacina q. 3. puncto 5. §. 2. num. 20, Rebell. de Oblig. iuſt. par. 1. lib. 3. q. 6., & quidam alij. Quorum fundamentum eſt: quia cognatio ſpiritualis eſt tanquam mutua relatio: ſed Infideles ex parte ſua non ſunt capaces huius cognationis: ergo nec etiam Fideles qui fuerunt miniſtri in Baptiſmo, contrahunt hanc cõgnationem cum Infidelibus parentibus filij baptizati.

Dicendum tamen videtur, ſuo modo contrahere, ita ſcilicet vt non poſſint validè matrimonium cum ijs inire, ſi conuertantur & baptizentur. Ita ſentiunt D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3., Orbellius in 4. d. 42. q. 1. §. 5., Coninch hac 3. par. tomo 2. diſp. 32. dub 2. num. 27., Syluester in Sum. verbo *Matrimonium* 8. q. 7. concl. 12, Angelus eodem verbo 3. imped. 7. num. 10., Roſella verbo *Impedimentum* impedim. 6. num. 26., Summa Piſana imped. 6., Henriquez lib. 12. de Matrim. cap. 11. num. 3., Veracruce in Speculo par. 1. art. 56., Viuald. in Candelabro par. 1. tract. de Matrim. num. 163., Gloſa & Archid. in cap. 1. 30. q. 1., Gaeta in cap. *Ad limina* 30. q. 1., Præpoſit. in Rubr. de Cognat. ſpirituali q. 2. & 3., & alij tàm ex Iuriſtis, quàm ex Theologis. Et ſuadetur: quia potuit ſine dubio Eccleſia ita ſtatuere hoc impedimentum ad prohibendum ac dirimendum matrimonium, tum ex parte Fidelium pro ſtatu præſenti quo eius ordinationibus ſubduntur, tum ex parte Infidelium ſub ea conditione, & pro eo ſtatu, quo conuertantur ad fidem. Et de facto videtur ita ſtatuiſſe: tum quia ſine diſtinctione & limitatione inſtituit: tum quia apparet etiam eadem ratio decentiæ & coniunctionis, vt non contrahatur inter tales perſonas matrimonium: tum quia ſic decreuit, vt tenens ſeu reſpondens in Catechiſmo.

chiſmo, contrahat cum ipſomet catecumeno imperfectam cognationem, etiam ante Baptiſmum: tum quia ſic olim quando contrahebatur cognatio fraternitatis ſpiritualis, baptizatus contrahebat hanc cognationem cum filijs miniſtri baptizantis vel tenentis, etiam ſi hi nondum eſſent baptizati: tum etiã ab exemplo aliorum impedimentorum matrimonij, vt adducemus concl. ſequenti. Nec obſtat incapacitas ex parte ipſorum Infidelium. Tum quia in talis caſu cognatio non eſſet mutua eodem modo ex parte vtriuſque extremi, ſed eſſet veluti ſubiectiue in perſonis fidelibus, & tantùm terminatiue ex parte infidelium. Tum quia eſſet & euaderet mutua pro eo tempore & ſtatu, quo Infideles ipſi venirent ad fidem & Baptiſmum. Quod eſt dicere, lege eccleſiaſtica impediri Fideles ad ineundum matrimonium cum parẽtibus filij baptizati: & ſubdendos etiam huic impedimento ipſos parentes, quãdo venient ad fidem.

Et cum miniſtris infidelibus.

Quinto. Si ex alia parte Infidelis aliquis, ſeu non baptizatus, quamuis forte Catecumenus, baptizet, aut teneat alterum in Baptiſmo, pariter nullam contrahere cognationem cenſent, non ſolùm Durand. & alij pro parte negatiua ſuperiùs allegati: ſed etiam D. Thomas in 4. d. 42. q.1. art.3. queſtiunc. 1. ad 3., Riccard. art. 1. q. 3., Valentia hic q. 2. puncto 3. & infra de Matrim. q 5. puncto 3., Petr. Soto lect. 11. de Matrim., Nauarr. in Summ. cap. 22. num. 36., & alij plures. Ac etiam D. Antonin., Coninch, Sylueſter, Veracruce, Viuald., pro parte affirmatiua allegati ſuperiori concluſione. Qui preter fundamentum pro ſententia negatiua ſupra allatum, id rurſus probant. Quia cap. *In Baptiſmate* de Conſecrat. d. 4. expreſſe deciditur, vt non baptizatus non poſſit tenere alterum in Baptiſmo. Et ratione: quia ille qui non viuit vita ſpirituali, & qui non dependet ſpiritualiter à noſtro capite & ſtipite qui eſt Chriſtus, non poterit eſſe ſpiritualis cognat⁹, ſpiritualis pater aut compater. Sicut qui non viuit vita corporali, aut non dependet ab eodem communi capite ſeu ſtipite, non poteſt eſſe carnalis cognatus ſeu propinquus.

Dici tamen adhuc poteſt, ſuo modo contrahere, ita ſcilicet vt recipiens poſtea fidem & Baptiſmum, non poſſit valide coniugari cum perſona baptizata, aut cum parentibus eius: Ita affirmant Archidiac. in cap. 1. 30. q. 1. & in cap. 1. de Cognat. ſpirituali in ſexto, Toletus in Summ. lib. 2. cap. 23. Et de Catecumeno baptizante vel tenente, Paludan. in 4. d. 42. q. 1. art. 1. concl. 3., Gaeta in cap. *Ad limina* num. 398. Et de omni miniſtro ſaltem baptizante, Sotus in 4. d. 4. q. 1. art. 5., Martin. Ledeſma 1. par. quarti q. 8. art. 7. concl. 4., Angelus verbo *Baptiſmus* 8. num. 1. & verbo *Matrimonium* 3. imped. 7. nu. 10., Henriq. lib. 12. de Matrim. cap. 3. num. 4. & cap. 11. num. 2., Gloſa in cap. *In Baptiſmate*. Et ſaltem de tenente in Baptiſmo, Roſella verbo *Impedimentum* impedim. 9. num. 26. Et ſuadetur ſicut præcedens concluſio: quia optime poterat Eccleſia ſtatuere tale vinculum ſeu matrimonij impedimentum, inter vnam perſonam fidelem, & alterã infidelem ſi & quãdo veniat ad fidem. Et in hoc genere ita videtur ſtatuiſſe hoc impedimentum cognationis abſq; diſtinctione & exceptione. Quare ſi potuit ſtatuere, ac de facto ſtatuit, quãdo miniſter in Baptiſmo eſt Fidelis, in ordine ad alias perſonas infideles: ita pariter dici poteſt, quando miniſter ipſe eſt infidelis, in ordine ad perſonas fideles. Et ſane in hoc etiam apparet talis decentia, vt vir infidelis qui baptizauit puellam, ſi poſtea conuerſatur, non poſſet eam ducere in vxorem, & ita nec matrem eius, & ſic in quocunque huiuſmodi caſu. In qua re habemus exemplum in alijs quoque impedimentis matrimonij. Vbi crimen adulterij & machinationis cum promiſſione futuri matrimonij inter vnam perſonam infidelem & alteram fidelẽ, pariter inducit impedimentum matrimonij, ſicut inter duas perſonas fideles, ex cap. 1. de Conuerſ. Infidel. Et conſanguinitas, atque affinitas non ſolùm ex copula licita, ſed etiam illicita, & publica honeſtas ſiue ex matrimonio rato, ſiue ex ſponſalibus, non ſolùm inter vnam perſonam infidelem & alteram

alteram

Digitized by Google

teram fidelem, ſed etiam inter ambas infideles, valet adhuc inducere tale impedimentum ex iure ipſo eccleſiaſtico, vt ſi conuertantur ad fidem, non poſſint inter ſe coniugari, ſicut nō poſſunt aliæ perſonæ fideles cum his impedimentis. Et crimen etiam machinationis vel adulteri, inter ipſas perſonas infideles, videtur impedire ijs matrimonium ſi conuertantur ad fidem. De quibus omnibus ſuo loco inter impedimenta matrimonij differemus. Quare ſic tandem, etiam ſi vnus infidelis ſit miniſter in Baptiſmo filij aliorum pariter infidelium, ſi poſtea omnes cōuertantur, adhuc dici poteſt inter eos adeſſe impedimentum, ne ad inuicem coniugari valeant.

D. Thomas autem, & alij ex Auctoribus pro parte negatiua adductis, voluiſſe ſolùm videntur, Infidelem pro eo ſtatu non ſubdi ex parte ſua huic impedimento ex lege Eccleſiæ, non eſſe capacem huiuſmodi obligationis & cognationis ſpiritualis. Non per hoc negando, ſubdi pro ſtatu conuerſionis; ſi poſtea veniat ad fidem & Eccleſiam per Baptiſmum. Ad cap. *In Baptiſmate* obſeruandum eſt, ibi eodem tenore verborum pariter dici, *In Baptiſmate vel Chriſmate, non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, ipſe qui non eſt baptizatus vel confirmatus*. Sed quoad ſacramentum Confirmationis, plurimi Auctores exponunt & docent, prohiberi quidē actum, non tamen irritari, ita vt quiſpiam nō confirmatus tenens alterum in Confirmatione, peccet quidem, tamen validè teneat, & efficiatur verè patrinus, atque ſpiritualem cognationem contrahat. vt de eo ſacramento videbimus. Quare idem valebit de non baptizato tenente in Baptiſmo. Ad rationem, ſi Infidelis & non baptizatus poteſt per Baptiſmum dare vitā ſpiritualem alteri, quamuis qui non viuit corporaliter non poſſit dare vitā corporalē alteri: ita facilè poteſt ſubdi tali ordinationi Eccleſiæ, vt ſi ipſe etiā recipiat ſidem & Baptiſmum, non poſſit inire coniugium cum perſona baptizata, vel cum eius parente: & ſimiliter qui tenuit in Baptiſmo. Quæ quidem eſt vis ſpiritualis cognationis.

Sexto. Quia ex iure eccleſiaſtico præſcriptæ ſunt aliæ quoque conditiones in ijs qui tenere debent alterum in Baptiſmo, vt ſect. præcedenti adduximus. Ex vna parte videri poteſt, ita eas omnes requiri, vt ijs deficientibus non contrahatur ſpiritualis cognatio. Et in ſpecie, ſi Monachi teneant in Baptiſmo, non contrahere, exiſtimat Pontius lib. 7. de Matrim. cap. 37. num. 5. Et aliqui idem indicant, ſi Hæretici aut excommunicati vitandi hoc munus exerceant. Ex alia parte videri poteſt, eas conditiones præſcriptas ſolùm fuiſſe ad conuenientem modum ſeruandū; ſed tamen quacunq; deficiente adhuc contrahi cognationem. Et in ſpecie, ſi deſit deſignatio in Cōcil. Tridēt præſcripta, adhuc valere actum, & cōtrahi cognationem, cenſebant plures quos pro hac parte ſect. præcedenti adduximus.

An requirãtur aliæ conditiones.

Sed, hæc quidem deſignatio ex decreto Concilij dici potius debebat requiri ad valorem actus; ita vt abſque ea tenentes in Baptiſmo, nihil facerēt, non efficerentur patrini, non contraherent cognationem; vt iam ibi ſtatuimus. Aliæ autem conditiones dici debent non requiri ad valorem actus, atque adeo ſine eis contrahi adhuc ſpiritualē cognationem. Itaque Monachus hunc actum exercens, peccat quidem ob prohibitionem, & vt videtur mortaliter. Attamen cognationem contrahit. Et ita affirmant Martinus Ledeſma 1. par. quarti q 8. art. 7. concl. 2., Petr. Ledeſma de Baptiſmo cap. vlt. concl. 6., Syluester & Tabiena verbo *Baptiſmus* 5. in fine, Angelus eodem verbo 8. in princip., Viuald. de Baptiſm. num, 69., Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 60. num. 21., alijquè communiter. Quia ſcilicèt in textu nulla eſt clauſula irritans. Similiter ſi Hæretici, Apoſtatæ, alijuè excommunicati, teneant in Baptiſmo, quamuis peccent, ſicut etiam illi qui eos admittunt; tamen validum actum exercent, & hanc cognationem contrahunt.

Septimò. Ad hoc vt qui tenet contrahat ſpiritualem cognationem, indicarunt aliqui requiri expreſſam intentionem illam contrahendi. Quidam alij ex oppoſito nullam requiri intentionem.

Quæ intentio requiratur.

Digitized by Google

tionem: Sed communis & vera ſententia eſt, eſſe quidem neceſſariam intentionem aliquam exercendi hanc ſacram cæremoniam, ſiue faciendi quod facit, quod inſtituit Eccleſia: & hanc ipſam ſufficere, abſque alia ſpeciali voluntate contrahendi talem cognationem. Itaque ſi quis materialiter ſolùm teneat aut ſuſcipiat baptizatum, commoditatis vel humani obſequij gratia, ad inſeruiendum vel iuuandum, ſicut in quodam humano opere; non per hoc intendens exercere officium patrini, per modum ſacræ cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutũ; hic verè non contrahit huiuſmodi cognationem. At ſi velit quidem facere quod fieri ſolet in Baptiſmo, ſiue quod Eccleſia inſtituit, etiam ſi non ſciat, non intendat, aut expreſsè renuat contrahere ſpiritualem cognationem; adhuc omnino contrahit: quia id non dependet ex eius arbitrio. ſed ex iuſſu Eccleſiæ, quæ patrinos tenentes in Baptiſmo reddit inhabiles ad ineundum coniugium cum baptizatis & eorum parentibus.

An obſtet error perſonæ.

Quòd ſi quis putabat & intendebat tenere in Baptiſmo quendam infantẽ, videlicet filium Petri; ſed per errorem contingit vt teneat alium, videlicet filium Pauli: tunc non contrahere cognationem, cenſent Syluester verbo *Matrimonium* 8. q. 7. Reginald. lib. 31. cap. 20. num. 155. Villalobos in Sum. m. tomo 1. tract. 14. difficul. 19. num. 17. Bonacina q. 3. de Matrim. puncto 5. §. 2. num. 18. Sanchez lib. 7. diſp. 58. nu. 7. & alij apud ipſum. Mouentur ex cap. 2. de Cognat. ſpirituali, vbi declaratur, mulierem quæ ignoranter tenuit in Baptiſmo filium mariti, non impediri à petitione debiti coniugalis: Contrahere tamen affirmant, Coninch de Matrim. diſp. 34. dub. 2. num. 34. Pontius lib. 7. cap. 39. num. 9. Lopez par. 2. Inſtruct. tract. de Baptiſm. cap. 32. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 16. & quidam alij. Quia talis error circa perſonam, videtur materialis & accidentalis, nec vitiare debitam intentionem: ſicut & in actu ipſo miniſtrandi ſeu conferendi ſacramentum. Sed certe hæc tota res dependet ex animo ipſius qui tenet in Baptiſmo. Si enim intendat abſolutè tenere hunc præſentem infantem, quẽ per errorem putat eſſe filium Petri, re vera contrahit: idquè fatentur aliqui ex priori ſententia. Quia iam adeſt ſufficiens intentio. Si autem intendat determinatè tenere filium Petri, & per errorem teneat filium Pauli ſibi oblatũ, non contrahit. Siquidem id non intendebat. Sed non oportet pro hac parte adducere illum textum: non ſolùm quia ſpeciali ratione voluit Pontifex prouidere, ne poſt matrimonium ſuperueniret impedimentum ad petendum debitum: ſed quia id abſolutè decreuit, ſiue ignoranter, ſiue ſcienter, alteruter coniugum teneat filium in Baptiſmo. Debet autem conſtitui hoc diſcrimen inter baptizantem ac tenẽtem: quod baptizans obligatur & ſolet habere intentionem baptizandi hunc præſentem quicunque ille ſit, & ideò error in perſona eſt merè materialis & accidentalis. At qui tenet, non obligatur, nec regulariter ſolet habere talem intentionem, quia non adſtringitur contrahere cognationem cum quibuſcunque perſonis, & rationabiliter poteſt habere intentionem alligatam ad certas perſonas, cum quibus velit contrahere: & quando aliud non conſtat, ita potiùs debet præſumi. Eademquè ratio eſt, ſi adultus qui baptizatur, aut parentes vel curatores infantis deſignaſſent ex ſua intentione talem certã perſonam, & per errorem alius quiſpiã ad hoc officium admitteretur.

Contrahitur etiam per miniſterium procuratoris.

Octauo demum. Quando hoc officium tenendi ſeu ſuſcipiendi baptizatum, fit per procuratorem: tunc neque hunc procuratorem, neque principalem à quo deſtinatur, contrahere cognationem, cenſent Couarr. 4. Decretal. par. 2. cap. 6. §. 4. nu. 6. Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 59. Villalob. tomo 1. tract. 14. difficul. 9. num. 18. Reginald lib. 31. cap. 20 num. 156. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 2. Sed procuratorem ipſum, non verò principalẽ, contrahere cenſent, Sotus in 4. d. 42. q. 1. art. 2. Viuald. de Matrim. par. 1. num. 160. Tolet. in Sum. lib. 7. cap. 4. num. 6. & alij. Potiùs principalem, non verò procuratorem, contrahere cenſent, Supplem. Gabrielis in 4. d. 42.

q. 1.

Digitized by Google

q. 1. art. 3. dub. 1., Coninch de Matrim. diſp. 32. dub. 2. concl. 5., Pontius lib. 7. cap. 10. num. 10., Bonacina q. 3. puncto 5. §. 2. num. 34., Emmanuel Sà verbo *Matrimonium* de Impedim. dirim. nu. 54, Philiarc. de Officio Sacerdotis tomo 1. par. 2. lib. 2. cap. 11., Rebell. de Oblig. iuſt. par. 2. lib. 3. q. 6. nu. 11., Layman in Theolog. morali lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 4. num. 5., Barboſa de Poteſt. Epiſc. allegat. 30. num. 50., Gauantus in Manuali Epiſcoporum verbo *Baptiſmus* num. 14., & alij plures. Et refertur pro hac parte declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium: duplicem recitat Pontius ex Farinaccio & Rebellio. Et videtur res clara in praxi Eccleſiæ & exiſtimatione Fidelium. Nam ſolet hoc officium per procuratorem exerceri. Nec tolerandum eſſet, vt fieret Baptiſmus *abſque vero patrino*, qui ſpiritualem *cognationem contraheret*. Et deluſoria *res eſſet, ſi ipſe procurator, & non principalis, fieret verus patrinus*, qui *cognationem contraheret*. Sed ſanè *ipſe principalis vocatur* & exiſtimatur *patrinus, compater*, & alijs nominibus *ad hanc rem impoſitis*. Hinc fit, vt *poſſit vir eſſe* procurator mulieris, & *mulier viri*; atque ita poſſint eſſe duo viri vel duæ mulieres, ambo aut alter interueniendo procuratorio nomine: dummodo principales ſint vnus vir & vna mulier. Nec poſſet quis interuenire vt procurator alicuius communitatis: quia non niſi vnus vir & vna mulier cognationē hanc contrahere poſſunt. Et in reliquis ſeruandæ ſunt regulæ, quæ de modo contrahēdi matrimonium per procuratorē traduntur.

QVÆSTIO SEXAGESIMAOCTAVA

De Suſcipientibus Baptiſmum.

SVSCIPERE Baptiſmum dicuntur illi qui baptizantur. Non ſolùm inquam adulti qui ſua ſponte & voluntate petunt & conſentiunt baptizari: ſed etiam infantes, quibus nihil de hac re cognoſcentibus confertur Baptiſmus. Et de his omnibus per duodecim articulos agit S. Thomas quæſtione præſenti. Primò docet, teneri omnes ſuſcipere Baptiſmum: quia ſine eo ſaluari non poſſunt. Secundò, ſatisfacere illos qui Baptiſmum ſolo voto ſuſcipiunt, ideſt cupiunt & procurant baptizari, quando morte præueniuntur ante quam illum re ipſa conſequantur: eoſquè per fidem & dilectionem poſſe ſaluari. Tertiò, non eſſe differendum Baptiſmum in pueris; eſſe tamen in adultis, donec ſatis probentur & inſtruantur, ac tempus adueniat cōſuetum. Quartò, eſſe quidem baptizandos peccatores, non tamen dum perſiſtunt in voluntatem peccandi: quia eſt quidem inſtitutus Baptiſmus ad abſtergendas peccatorum ſordes, ſed non poteſt hic effectus & finis obtineri in eo qui vult perſiſtere in peccato. Quintò, non eſſe peccatoribus dum baptizantur, iniungenda alia opera ſatisfactoria: quia per Baptiſmum incorporatur homo ipſi morti Chriſti, quæ fuit pleniſſimè ſatisfactoria pro omnibus totius mundi peccatis. Sextò, non teneri peccatores exteriùs apud Sacerdotes confiteri ſua peccata ante Baptiſmum, teneri tamen interiùs deteſtare apud Deum: quia externa confeſſio ſpectat ad ſacramentum Pœnitentiæ, quod non habet locum ante Baptiſmum, ſed interna pœnitentia de veteri vita requiritur ad inchoandam nouam vitam. Septimo, requiri etiam ex parte ſuſcipientis voluntatem ſeu intentionem recipiendi ſacramentum; quando ſcilicet eſt adultus: quia debet interuenire voluntarius conſenſus eius ad tranſeundum de veteri ad nouam vitam. Octauò, requiri etiam, fidem ad receptionem gratiæ, non verò ad vali-

dtatem

ditatem ſacramenti, aut ad impreſſionem characteris: quia iuſtificatio nō conceditur niſi per fidem, ſed ſacramentum confertur, & character imprimitur, etiam ſine fide, dummodo adhibeantur omnia quę ſunt de ſubſtantia. Nono, etiam pueròs eſſe baptizandos: quia ſicut ex Adamo abſque propria voluntate contrahunt originale peccatum, ita conuenienter ex Chriſti meritis mediante Baptiſmo iuſtificantur & ſaluantur. Decimò, non eſſe filios paruulos Infidelium inuitis parētibus baptizandos: quia cùm de iure naturali ſint ſub cura parentum, fieret parentibus iniuria, baptizando eorum infantes abſque ipſorum conſenſu. Vndecimò, non poſſe in matris vtero paruulos baptizari: cùm non poſſint aqua tangi. Duodecimò, poſſe etiam baptizari furioſos & amentes, ſi ab initio & ſemper tales fuerint, quia ſe habent ſicut pueri: ſi autem aliquando rationis vſum habuerint, requiri eorum conſenſum antecedentem, vt poſſint poſtea tempore amentiæ baptizari.

SECTIO PRIMA.

Vtrum omnes homines, tàm infantes, quàm adulti, ſint Baptiſmi ſuſcipiendi capaces.

Soli viuentes ſunt Baptiſmi capaces.

PRimò. Non defuerunt Hæretici qui dixerint, etiam mortuos ſine Baptiſmo defunctos, poſſe adhuc in ſuis corporibus vtiliter baptizari. Ita de Cataphrigis ex Philaſtrio refert Caſtro verbo *Baptiſmus* Hæreſi 3. Aut poſſe aliquem viuum vice defuncti ſuſcipere Baptiſmum, vt proſit ipſi defuncto. Ita de Marcioniſtis teſtatum reliquit Theophilact., vt refert idē Caſtro. Imò inductum fuiſſe hunc errorem apud quoſdam iam ab ipſo Apoſtolorum tempore, colligunt Chryſoſt. & Ambroſ. ex illis verbis Pauli 1. Corinth. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?*

Satis tamen ex doctrina fidei cōſtat, nō eſſe mortuos huius ſacramenti capaces, nec quicquam ijs prodeſſe, ſiue in proprijs corporibus baptizentur, ſiue alij viuentes velint pro ipſis mortuis baptizari. Patet ex generali regula Sacræ Scripturæ, nō dari locum poſt hanc vitam, vt animæ tunc iuſtificari poſſint. Eſt etiam ſpecialiter de Baptiſmo notiſſimū in Eccleſia, non poſſe niſi vnicuique pro ſe ipſo dum in hac vita degit ſalubriter adhiberi. Et Concil. Cartagin. tertium cap. 6. expreſsè definiuit, nō poſſe mortuos baptizari. Neque vero Apoſtolus in verbis illis allegatis approbauit eum morem, vt viuens quiſpiam baptizaretur pro mortuo, ſi de illo loquutus eſt: ſed tantùm commemorauit quod aliqui licet ſtultè & impiè faciebāt. Alias plures eius loci expoſitiones refert Vaſq. diſp. 157. cap. 3. Sed congruentior videtur: vt Apoſtolus ibi, per baptizari intellexerit, opera pœnalia & ſatisfactoria facere in ſuffragiū defunctorum: quæ ſane inutilia eſſent ſine ſpe reſurrectionis & immortalitatis, quam ibi probare intendebat. Quo ſenſu alibi etiam ſumitur baptizari pro pati, Marci 10. *Poteſtis bibere Calicem quem ego bibo, aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari.* Similiter ergo Apoſtolus ſumpſit ibi Baptiſmū, & nō pro hoc ſacramento de quo nunc loquimur. Itaque ſoli homines viuētes, & ſinguli pro ſe ipſis hoc ſacramētum ſuſcipere poſſunt.

Nō ſolùm adulti rationis vtentes, ſed etiam infantes & amentes.

Secundò. Alius ex oppoſito error fuit dicentium, non omnes homines viuentes eſſe Baptiſmi capaces, ſed tantùm adultos rationis compotes, excluſis paruulis ante rationis vſum. Ita dixerunt olim quidā Petrus Bruſiuſ & quidam Henricus, apud D. Bernard. Epiſt. 240. Et rurſus Anabaptiſtæ, quorum auctor fuit Balthaſſar Pacimontanus.

Sed certum quoque de fide eſt, omnes homines, non ſolùm adultos, ſed etiam paruulos & infantes, ac ſimiliter perpetuò amentes, eſſe Baptiſmi capaces. Ita S. Thomas, & alij Theologi, omneſque Catholici vltro agnoſcunt. Sumitur ex Euangelio: dum enim Chriſtus dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, etiam paruulos incluſit, vt ſemper in Eccleſia in-

 tellectum

telle&ctum & obſeruatum eſt. Idemque demonſtrat antiquum circumciſionis exemplum, & remedium legis naturę, quod ſpecialiter paruulis erat ſalutare. Faciunt alia Scripturæ loca, in quibus dictum eſt, omnes generaliter homines, paruulis non excluſis, eſſe ſalutis capaces. Imò & de ijs ſignãter dixit Chriſtus Dominus *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum*. Et redemptio Chriſti fuit vtique vniuerſalis pro omnibus hominibus, nullo excepto, nam Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: certè autem paruulis nullum aliud ſuppetit ſalutis remedium, quo ijs applicetur paſſio Chriſti, niſi ſacramentum Baptiſmi. Hinc ſæpè & in pluribus Concilijs, atque à ſummis Pontificibus, hęc veritas in Eccleſia definita eſt, ac perpetuo vſu ſeruata, & Patrum doctrina ac traditione firmata. Eiuſque ratio eſt inſtitutio Chriſti, quæ ex his omnibus planè conſtat. Et accedit comparatio inter Adamum & Chriſtum, inter peccatum originis & donum gratiæ, quam affert S. Thomas art. 9. imò quã propoſuit Apoſtolus ad Roman. 5., *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*: & 1. Cor. 15., *Sicut in Adam omnes moriuntur, & in Chriſto omnes viuificabuntur*. Argumenta Anabaptiſtarũ refert & ſoluit Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 9., & Vaſq. hic diſp. 154. cap. 2.

Soli infantes nati.

Tertio. Infantes, non niſi natos ex vtero matris poſſe baptizari, aduertit S. Thomas art. 11., ex D. Auguſt. Epiſt. 57. Quia nemo renaſcitur niſi antè natus. Vnde Ioann. 3. Nicodemus cùm audiſſet à Chriſto, *Niſi quis renatus fuerit denuo &c.*, reſpondit, *Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire & renaſci?* Chriſtus autem explicauit, debere renaſci ſpiritualiter ex aqua & Spiritu ſancto. Sed hoc ita intelligitur, quod dum infans eſt ita penitus in matris vtero recluſus, vt nõ poſſit immediatè in proprio corpore aqua tangi, tunc quidem non ſit Baptiſmi capax. Nec illi prodeſſet, ſi aqua infunderetur in corpus matris, ſiuè ſi baptizetur ipſa mater, vt habetur cap. *Si quicquid* de Conſecr. d. 4. Quia neceſſaria Baptiſmi materia eſt, ablutio immediata in proprio corpore baptizari, vt vidimus q. 66 ſect. 4. concl. 4. At verò, ſi proferatur aliqua pars infantis, vtpote caput, aut manus, vel pes, antequã perfectè naſcatur: tunc ſanè poteſt in tali parte baptizari, in qua poteſt aqua tangi. Et in capite quidem Baptiſmus erit certus, nec vllo modo iterandus: in manu autem vel pede, non eſſet certus, ſed ſub conditione iterandus; non quidẽ ex eo quia nõ eſſet perfectè natus, ſed quia nõ eſſet ablutus in parte præcipua corporis.

An qui in matris vtero aqua tangi poſſint.

Quod ſi aliqua arte fieri poſſet, vt aqua perueniret immediatè ad corpus pueri in matris vtero clauſum, negant adhuc Comitolus lib. 1. Reſponſ. Moral. q. 13., Ochagauia de Baptiſmo q. 4. num. 5., Villalob. tomo 1. tractatu 5. difficul. 4. nu. 4., poſſe validè baptizari, ob illam rationem, quia ſi non eſt natus non poteſt renaſci. Et fauent alij qui abſolutè negant, poſſe puerum in matris vtero baptizari. Rectè tamen affirmant, Suarez hîc art. 11., Coninch num. 90., Præpoſitus q. 66. art. 8., Valent. q. 1. puncto 2., Gabriel in 4. d. 4. q. 2. art. 3. dub. 2., Ledeſma q. 9. art. 11., Victoria in Summa q. 32., Viuald. par. 1. num. 16., Zambr. in Deciſion. cap. 1. dub. 3. num. 6., Diana par. 2. tract. 15. reſol. 43. Hac ratione: quia ſi poſſit aqua tangi, iam adhibetur materia neceſſaria Baptiſmi, & ſimul poteſt proferri forma. Quare S. Thomas abſque, ideo negabant poſſe baptizari, quia non poteſt aqua tangi, ſi ergo poſſet aqua tangi, poteſt baptizari. Et ideo qui non eſt natus nõ poteſt renaſci, quia non poteſt ablui aqua. Vel etiam infans in matris vtero dici poteſt natus, nõ quidem ex vtero, ſed in vtero, ideſt conceptus: ſic enim diſtinguitur & nominatur duplex natiuitas, prima in vtero, & ſecunda ex vtero. Imò addit Præpoſitus, licitum ac debitũ eſſe, ſi ſic poſſit infans aqua tangi & baptizari, etiam cum lethali periculo matris, & matrem ipſam debere ſe tali periculo exponere pro ſalute ſpirituali prolis.

Vel etiam violenter extracti ſeu recluſi.

Eo magis, ſi ferro aperietur matris vterus, & infans reperiatur viuus, poteſt optimè baptizari: quamuis non ſit naturali modo natus, ſed violenter extractus ſiue recluſus: vt omnes fatentur. Et quidem ad hunc finem, mortua iam matre, licitū prorſus erit, & debitū, ferro vterum aperire, ſi adſit ſpes reperiendi infantem viuum. Sed matre adhuc viua, quamuis extremo morbo laborante, & morti proxima, ac interim vrgente periculo ne infans etiam in matris vtero moriatur; nequaquam eſſet licitum, ferro matris vterū aperire, ad ſaluandum & baptizandum infantem: quia hoc eſſet directè occidere matrem, quod nullatenus licet; & non ſunt facienda mala vt eueniant bona. Nec etiam conſentiente matre id eſſet licitum, nec liceret ipſi matri in id conſentire. Quod ſi mulier aliundè eſſet iuſtè damnata ad mortem: tunc omnino expectari debet, vt naturaliter pariat. Sed ſi interim morbo tendat ad mortem, adhuc illicitum eſſe, ferro eius vterum aperire ad baptizandum infantem, cōtendunt Comitolus q. 14. & Malder. 2. 2. tract. 3 cap. 1. dub. 16. & Moſcoſus in Sum. tract. 2. cap. 2. num. 2. Quia ea ipſa inciſione in manifeſtum vitæ diſcrimen adduceretur ipſemet infans. Rectè tamen id fore licitum concedūt Suarez eodem art. 11., Coninch nu. 92., Præpoſitus q. 66. art. 8. dub. 3. num. 92., Ochagauia q. 4 de Baptiſmo num. 6., Layman lib. 4. tract. 2. cap. 3., Diana reſol. 44. Quia poſſet eſſe probabilis ſpes ſaluandi infantem, alioqui certiùs periturum. Et nulla fieret iniuria matri iam ad mortem iuſtè damnatæ.

Non indigent infantes proprio aut parentum conſenſu, vt validè baptizentur.

Quartò: Adhuc in omnibus, etiam infantibus, requiri ſeu interuenire propriū cōſenſum & fidē, ad hoc vt poſſint baptizari, eoſquè ſolū qui in id conſentiunt & credūt eſſe Baptiſmi capaces, ſignificarunt Lutherus lib. de Captiuit. Babylon. cap. de Baptiſmo, Melanchton, Brentius, Illiricus, Kemnitius, apud Vaſq. diſp. 154. cap. 2, dicentes, etiam in ipſis paruulis excitari quoſdā motus voluntatis & intellectus, ſicut in Ioanne Baptiſta, & ſic per eos recipere Baptiſmum eiuſque fructum. Similiter requiri pro infantibus conſenſum parentum, vel aliorum qui eorum curam habeant, ita vt ſecus non valeat eorū Baptiſmus, opinati ſunt Durand. in 4. d. 4. q 6., Palud. q. 4, Capreol. d. 5. q. 1. art. 3. ad 3. Durandi cont. 1. concl., Marſil. q. 4. art. 4. dub. 3., Sylueſter in Sum. verbo *Baptiſmus* 4. q. 7., & præcipuè Catherin. in Opuſc. de Iudæorum infantib. baptizandis. Fauent quoque interdum Patres dicentes, paruulos qui baptizantur, ſaluari pietate & fide parentum. Et Eccleſia ipſa conſueuit interrogare infantes, an velint baptizari, an credant; & patrini eorum nomine reſpondent & affirmant.

Satis tamen certum & exploratum eſt, infantes validè & vtiliter baptizari, ſine conſenſu & fide, non ſolùm propria, ſed etiam parentum aut quorumcumque eorum curam gerentium. Ita S. Thomas aliique communiter. Et patet facilè. Quia ipſi paruuli in ſe non ſunt habiles ad habendum proprium conſenſum aut actum fidei. Et cogitare in illis vllum talem actum, eſt merum figmētum. Nec vtique Deus, id quod ſingulariter præſtitit in Ioanne Baptiſta, quem abſque vllo ſacramento in matris vtero ſanctificauit, operatur paſſim in tot infantibus qui quotidie baptizātur. Infunditur quidem ijs in Baptiſmo ſimul cum gratia habitus fidei, cuius ratione verè dicūtur & ſunt fideles & Chriſtiani: non tamen pro tunc in ijs èxercetur vllus actus fidei, aut conſenſus. In parentibus autem, aut curatoribus, vel patrinis, non poteſt requiri conſenſus ad valorem ipſius Baptiſmi, ſed ad ſummum ad hoc vt iuſtè & licitè detur ipſe Baptiſmus, iuxta ea quę ſect. 3. dicemus. Sed ad valorem omnino ſufficit Chriſti voluntas. Sicut enim tranſfunditur in vnoquoque originalis culpa, abſque proprio conſenſu, tàm ipſius hominis, quam aliorum quorumcunque parentum & mediatorum, ſed ob ſolam illam voluntariam tranſgreſſionem Adami: ita Baptiſmus valet & prodeſt paruulis ex ſola Chriſti voluntate. Et oppoſitam ſententiam meritò vocat irrationabilem Caiet. art. 10.

& apud Valen. Vaſqu. diſp. 154. cap. 6, ſi ut pueri inuitis parentibus quātumuis inuite & inuente baptizati, ne tali conditione quidem debeant iterū baptizari. Docuerunt autem aliqui Patres, paruulos qui baptizantur, ſaluari & credere pietate ac fide parentum: vel quatenus ij ſi parentes ex deuotione & inſtinctu adducerent ſuos filios ad Baptiſmum: vel quatenus ipſamet ſuſceptio Baptiſmi eſt exterior profeſſio fidei vel quatenus ij qui baptizantur, infunditur habitus fidei ſimul cum habitu gratiæ. Adhibeturq; illa interrogatio & reſponſio in Baptiſmo paruulorum, non de neceſſitate ſacramenti, ſed de ſolemnitate Eccleſiæ, & ad inculcandam baptizatis cùm adoleuerint ſuam profeſſionem.

In adultis requiritur & ſufficit proprius conſenſus.

Quinto. Qualiter in adultis qui aſſequti ſint vſum rationis, exigatur verè proprius voluntatis conſenſus, & quænam intentio ſit neceſſaria ac ſufficiens ad valorem Baptiſmi, neque pariter ad hunc valorem ſit neceſſaria vera fides ſuſcipientis, ſatis iam conſtat ex dictis de ſacramentis in genere: quia res erat communis ad omnia ſacramenta ſuſcipienda. Notauit quoque ſpecialiter Innocentius in cap. *Maiores* de Baptiſmo, ad valorem huius ſacramenti ſufficere, etiam ſi quis minis & terroribus aliaue externa violentia inducatur, vt conſentiat ſuſcipere Baptiſmum. Nam ſi reuera interiori intentione conſentiat, & non velit tantùm fingere, ſed intendat facere quod inter Chriſtianos fit, ſiue intendat recipere Chriſtianorum ſacramentum, non refert ad valorem Baptiſmi, quo motiuo aut conatu ad talem conſenſum inductus ſit. Erit quidem illicitum & inultum, tali modo cogere ac adigere Infideles extra Eccleſiam conſtitutos: quia non habet Eccleſia poteſtatem taliter cōpellendi Iudæos aut Paganos, ad ſuſcipiendam fidem, ad profitendam Chriſtianam Religionem, vt ex ſuo tractatu de Fide ſupponimus.

Sexto demum. In omni caſu ſufficit voluntas & conſenſus eius ſolius, qui Baptiſmum ſuſcipere debet, quando eſt rationis compos, etiam ſine quorumlibet aliorum conſenſu, imo inuitis & contradicentibus parentibus reſpectu filiorum, Dominis reſpectu ſeruorum, & Principibus reſpectu ſubditorum, aut quibuslibet alijs. Et ſufficit non ſolum ad valorem, ſed etiam ad hoc vt iuſte & licite ijs præbeatur Baptiſmus: quia illi qui propria voluntate conſentire poſſunt, ſunt iam quoad hoc ſui iuris, vt etiam inuitis parentibus, & alijs quibuſcunque, ad Chriſtianam Religionem conuolare queant: cum ad hoc ipſum diuino iure teneantur. Et ſic poſſunt ac debent ab Eccleſia recipi, & Baptiſmi ſacramento initiari.

SECTIO SECVNDA.

Qualiter conueniens ac debitum ſit paruulis in infantili ætate præbere Baptiſmum.

Significauit Tertullian. lib. de Baptiſmo cap. 19, tunc ſolum baptizandos eſſe infantes, quando periculū mortis imminet, & neceſſitas vrget: & alioqui præſtare differre Baptiſmum vſque ad ætatem adultam. Quia dicebat, quando paruuli baptizantur, ſpōſores ſe exponunt periculo non adimplendi quod pro illis promittunt: cui periculo non debent abſque neceſſitate ſe exponere. Nazianz. Orat. 40. ſignificauit, ſecluſa neceſſitate, expedire differre Baptiſmum infantium, vſque dum tres ſaltem ætatis annos expleant: vt, inquit, aliquo modo tunc reſpondere, & externis verbis conſentire poſſint. Aliqui apud Cyprian. Epiſt. 59. dixerunt, Baptiſmum ſaltem vſque ad octauum a natiuitate diem debere differri: ſicut videlicet olim circunciſio. Addit Eraſmus in Præfat. ſuæ Paraph. in Matth., illos qui in infantili ætate baptizati ſunt, debere cum vſū rationis adepti fuerint, interrogari num ſua ſponte in Chriſtiana profeſſione perſeuerare velint, eſſeque ſuo arbitrio relinquendos, vt ſi velint recedere recedant: quia, inquit, fides debet eſſe ſpontanea & libera.

Conuenit paruulis

Sed primò certum de fide eſt, valde conuenire, eſſequé prorſus laudabile, paruulis

præbere Baptiſmum.

paruulis in infantili ætate præbere Baptiſmum. Ita S. Tho. art. 3. & 9., alijque omnes. Et ſufficienter iam patet ex auctoritatibus ſect. præcedenti indicatis, & conſuetudine ipſa Eccleſiæ. Et præterea ex definitione Concilij Trident. ſeſs 7. can. 13. de Baptiſmo: *Si quis dixerit, præſtare omitti paruulorũ Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.* Ratione etiam ſuadetur: quia optimum planè eſt, quamprimùm paruulos ab originali labe mundari, à poteſtate Diaboli eripi, in Chriſto regenerari, Dei filios effici & heredes regni. Ac præſertim aduerſus humanæ vitæ caſus & pericula præmuniri: nam etſi nõ illico ingruat particulare mortis periculum, ac proinde huius remedij neceſſitas: tamen ob ipſa communia pericula, omnino expedit paruulos baptizari.

Eſtquè ex obligatione debitũ.

Secundò. Hoc non ſolùm eſt conueniens, ſed etiam ex obligatione debitum. Non extat quidem expreſſum & ſpeciale præceptum, vt infantes baptizentur, & ne differatur Baptiſmus vſque ad ætatem adultam: tamen conſuetudo ipſa Eccleſiæ ad hoc ſatis obligat. Nec certe permitteretur talis dilatio. Incumbitquè hæc obligatio, tum parentibus, aut alijs qui curam paruulorum habent, ſeu habere debẽt, vt illos ſcilicet offerant ad Baptiſmum: tum etiam Eccleſiaſticis paſtoribus & miniſtris, vt ſi quando viderint parentes id negligere, procurent cito paruulos baptizari.

Poteſt ſtatim natis præberi. & non debet multum differri.

Tertio. In ipſa infantili ætate, nihil vetat, quominus ſtatim poſt natiuitatem paruuli baptizentur. Non enim iure aut vſu aliquo præſcriptum eſt, vt tempus aliquod vel vllus dies debeat expectari. Nec ex alia parte inuenitur vniuerſali lege præfixum certum tempus, ſeu certus dierum numerus, vltra quem non debeat differri Baptiſmus. Niſi quod in quibuſdam locis, proprijs legibus ſynodalibus ſancitum eſt, ne Baptiſmus infantium vltra octo aut certos alios dies differatur. Quæ leges vbi fuerint ſeruandæ ſunt. Et ijs ſecluſis, prudenti exiſtimatione, ac etiam aliorum conſuetudine, dijudicandum eſt, quando nimia dilatio cenſeatur culpabilis contra dictam obligationẽ; vt aduertunt Suarez diſp. 25. ſect. 2., Henriq. lib. 2. cap. 4. num. 3., & alij. Sotus autem in 4. d. 5. q. 1. art. 3. indicat, poſſe differri non ſolùm ad octauũ diem, ſed etiam decimum vel duodecimum.

Qualiter poſſit præberi cum periculo nocumenti & mortis.

Quartò, ſpecialiter dubitari ſolet, ſi Baptiſmus videatur allaturus infanti corporale nocumentum, aut fortè etiã mortem, an tunc debeat illi dari Baptiſmus. Negant Scotus in 4. d 5. q. 3., Gabr. d. 4. q. 2. art. 3. dub 4, Sotus q. 1. art. 8, Ledeſma q. 7. art 8. dub. 3. Affirmant Paludan. in 4. d. 3. q. 3. num. 9., Grauad. hic controu. 4. tract. 4. diſp. 4. num. 6., Cabrera q. 66. art 8. dub. 1. nu. 84., Zambran. de Baptiſmo cap. 1. dub. 12. num. 11., Diana par. 5 tract. 3. reſol. 8., notantes etiam, ſic baptizantem, quãdo inde ſequatur acceleratio mortis in infante, non propterea effici irregularem. Sed diſtinguendum eſt: ſi modus ipſe baptizandi per ſe inducat tale periculum & damnum, vtpote proijciendo infantem in puteum, aut infundendo illi aquam venenatam, quando ſcilicet non ſuppeteret alia commoditas baptizandi: tunc certè nequaquam liceret, tali modo baptizare infantem: quia id eſſet proprie ac directè occidere, quod non licet, quia non ſunt facienda mala vt eueniant bona. Si verò adhiberi quidem poſſit modus ordinarius & conſuetus baptizandi, tamen cum periculo nocumenti: vtpote ſi infans ſit nimis debilis, & in mortis diſcrimine poſitus, quo caſu aquæ infuſio timeatur allatura ei damnum, & mortem: tunc ſane ſeruanda diligenter erit omnis cautela qua moraliter tale periculum caueatur, videlicet ſumendo aquam tepidam, infundendo modicam quanta ſufficiat ad ſubſtantiam ſacramenti & ſimilia: & ſic tuto baptizabitur infans. Si autem omnibus penſatis appareat adhuc periculum, & non adſit ſpes vitæ differendo Baptiſmum, ſed tunc vrgeat de præſenti neceſſitas: iam nullius æſtimationis erit aliquale periculum inferendi corporale damnum, ſiue aliquantum accelerandi mortem; & ex altera

parte

Digitized by Google

parte maximi ponderis eſt ęterna ſalus animæ : itaque deberet tunc paruulus baptizari. Quod eſſet ſolùm permittere aliquale corporis detrimentum, propter tam maius imò maximum bonum animæ.

Infantes baptizati vtilè compelluntur poſtea ad ſeruandã fidem.

Quintò demum. Nullatenus relinquendum eſt in arbitrio eorum qui infantes baptizati ſunt, cùm adoleuerint, vt ſi velint permaneant, ſi nolint à ſuſcepta Religione recedant. Quinimò poſſunt ac debent ab Eccleſia cogi, vt Chriſtianam profeſſionem obſeruent. Nam habet Eccleſia huiuſmodi poteſtatē erga omnes baptizatos, quia ſubduntur eius iuriſdictioni. & tranſgreſſores poteſt etiam mortis pœna mulctare : vt ſupponimus ex ſuo loco de fide 2. 2. q. 10. Et ſic etiam illi qui ante vſum rationis baptizati ſunt, poſſunt ac debent ab Eccleſia cogi, non requiſito alia eorum approbatione vel ratificatione. Et ita expreſsè definiuit Trident. can. 14. de Baptiſmo : *Si quis dixerit, paruulos baptizatos, cùm adoleuerint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine dum baptizarentur polliciti ſunt, & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtia aliorumquè ſacramentorum perceptione interim abſtineant donec reſipiſcant, anathema ſit.*

Fundamēta oppoſita diluuntur.

Ad fundamentum Tertulliani facilè reſpondetur : ſponſores in Baptiſmo infantium nulli ſe periculo exponere : quia ſolùm tenentur ex parte ſua procurare, vt infantes baptizati inſtruantur poſtea in fide, & Chriſtianis moribus, iuxta vſum Eccleſiæ. Ad fundamentum Nazianzeni : nec requiri reſponſionem & apparentem conſenſum ipſorum infantium : nec quicquam referre aut iuuare, quando non adhuc rationis compotes reſpondere & conſentire videantur. Ad fundamentum aliorum apud Cyprianum : diuerſam eſſe rationem de Baptiſmo ac de circuncíſione : quia in illa erat ſpecialiter olim præſtituta ætas octo dierum, non ſic in Baptiſmo : & ob difficultatem illius remedij erat conueniens illa dilatio. quæ non propterea extenditur ad Baptiſmum. Ad fundamentum Eraſmi : fidem, ſicut & obſeruantiam aliorum mandatorum, eſſe debere ſpõtaneam & liberam, ideſt non phyſica neceſſitate determinatam : tamen non eſſe à morali obligatione liberam, quinimò ſic eſſe debitam, & ex præcepto ſeruandam. Meritò autem Superiores minis & pœnis compellunt ſubditos ad adimplenda præcepta : & ita iuſtè ac rectè Eccleſia compellit baptizatos ad retinendam fidem & religionem Chriſtianam ; nec eorum relinquit arbitrio, vt ſi velint impunè recedant. Eo magis, quod tota hæc compulſio tēdit ad eorum vtilitatem ac ſalutem.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Infantes, etiam inuitis parentibus, baptizandi ſint.

Baptiz... ſunt, q... do par... ſpiritu... iuriſd... ni Eccl... ſubdūt.

PRimò. Si parentes ſint directè ſubiecti ſpirituali iuriſdictioni Eccleſiæ, quales ſunt non ſolùm qui Chriſtianam fidem profitentur & ſeruant, ſed etiam quicunque baptizati ſint, etiam ſi ſint Hæretici aut Schiſmatici, aut penitus per Apoſtaſiam à fide defecerint : eorum inquam filij, ſi in poteſtatem Eccleſiæ veniant, ipſis parentibus inuitis & contradicentibus adhuc baptizandi ſunt. Eſt res certa. Et patet : tum quia Eccleſia poteſt ipſoſmet parentes compellere, vt veram profiteantur ac ſeruent fidem : ergo poteſt etiam compellere vt offerãt ſuos filios ad Baptiſmum : ſiquè nolint, habeat tamen in ſua poteſtate ipſos infantes, omnino eos baptizare poterit ac debebit. Tum præterea, Eccleſia habet directè iuriſdictionem ſuper ipſoſmet infantes, qui naſcuntur ex parentibus baptizatis, atque adeo ſibi ſubditis : ergo habet ius & auctoritatem illos baptizandi, etiam inuitis ipſis parentibus. Attamen, quando Eccleſiaſtici miniſtri non habeant vires abſtrahendi filios à parentibus Hæreticis, aut Apoſtatis, habitantibus in ſuis locis vbi impunè degunt, non debere illos baptizare, notant Suarez diſp 24 ſect 5., Coninch hac q. art. 10. nu. 81., Heredia

Digitized by Google

dia de Baptiſm. par. 7. dub. 3. num. 8. Quia poſtea tales filij impijs cæremonijs & doctrinis apud ſuos imbuentur, contra dignitatem & reuerentiam Baptiſmi. Sed rectè Layman lib. 5. Moralis Theol. tract 5. cap. 6. num. 12., Diana par. 3. tract 4. reſolut 7., & quidam alij admittunt, debere baptizari: tum quia ſi ante vſum rationis decedant ſaluabuntur: tum quia fortè ad tempus inuincibili ignorantia poterunt excuſari, dum prauis doctrinis imbuētur: tum quia forte faciliùs ad veram fidem redibunt, ſi ſcient ſe fuiſſe à miniſtro Catholico baptizatos. Ob quam ſpem poteſt permitti oppoſitum periculum irreuerentiæ: dum iam Eccleſia habet ius tales filios parentum ſibi ſubditorum baptizandi.

Non, quãdo parentes prorſus liberi ſūt.

Secundò. Si ex alia parte conſiderentur illi Infideles, qui nec ſpirituali iuriſdictioni Eccleſiæ, nec temporali vllius Chriſtiani Principis imperio ſubduntur, quales ſunt Pagani qui in ſuis regionibus commorantur: de his communis & vera ſententia eſt, non licere eorum filios inuitis parentibus baptizare. Ita S. Thomas art. 10., & 2. 2. q. 10. art. 12., & alij omnes, tàm Theologi, quàm Iuriſtæ. Et fundamentum eſt: quia parentes ex natura rei habent ius ad regimen filiorum, vtquè de illis curam habeant: ſi ergo nolint ſuos filios baptizari, non habet Eccleſia facultatem expoliandi illos ſuo iure, ſiue faciendi contra ius quod obtinent, neque Chriſtus talem poteſtatē reliquit Eccleſiæ. Sicut nec poteſt Eccleſia compellere eoſdem Infideles, ad hoc vt ipſi fidem ſuſcipiant, ex 2. 2. q. 10. Eademque ratio erit, ſi non extantibus parentibus, recuſent tutores aut alij ſuccedentes in iura parentum, offerre infantes ad Baptiſmum. Confirmatur hoc totum: quia nec ſunt baptizandi filij Infidelium, relinquendo illos in poteſtate parentum: quod cederet in magnam iniuriam Chriſtianæ Religionis & Baptiſmi, dum baptizati relinquerentur in euidenti infidelitatis periculo. Nec etiam ſunt baptizandi, eripiendo illos de manibus & cura parentum: quia planè non datur hæc poteſtas eripiendi filios de manibus parentum non ſubditorum.

Niſi in certis caſibus.

At verò ad baptizandum aliquem infantem, ſufficeret ſi vnus ſolùm ex parentibus, ſiue pater, ſiue mater, conſentiret, etiam altero contradicente: quia tunc magis inclinandum eſt in ſalutem animæ & fauorem Eccleſiæ. Inſuper ſi in manus Chriſtianorū deueniat infans aliquis deſtitutus à ſuis, aut ita abſtractus, vt non poſſit ampliùs illis reſtitui, tunc etiam baptizandus erit: quia loco parentum ſuccedunt illi in quorum manus talis infans deuenerit, qui proinde iuſtè poterunt ac debebunt abſque parentum iniuria, procurare illi Baptiſmum. Imò demum, etiam dum infans ſit in poteſtate ſuorum parentum, ſi incidat in mortis articulum, vbi ſanè vrget extrema ſpiritualis neceſſitas, ſi aliquis Chriſtianus habeat commoditatem illum baptizandi, licitè poterit eum baptizare, dummodo tamen cautè & occultè, abſque violentia & tumultu, id perficere queat: vt affirmant Sotus in 4. diſt. 5. art. 10., Granad. hìc controu. 4. diſp. 5. ſect. 4. num. 14., Diana par. 5. tr. 3. reſol. 10. Ac etiam ſcientibus ipſis parentibus infidelibus, & cum eorum ſcandalo, admittit Vaſq. diſp. 155. cap. 3. Et quando quis commodè poſſet, videtur etiā ex charitate teneri ad præbeudum illi infanti Baptiſmum: quamuis id neget Petrus Lorca 2. 2. diſp. 37. de Fide num. 22.

Nec, quãdo ſubduntur ſolùm politicè Chriſtianis, Principibus.

Tertiò deinde. Si Infideles ſubdantur temporali tantùm imperio alicuius Chriſtiani Principis, per modum ciuilis & politicæ gubernationis, ſicut ſe habent ſubditi ad ſuum Regem: ſic etiam communior & vera ſententia S. Thom. & aliorum docet, non poſſe illorum filios inuitis parentibus baptizari. Quamuis oppoſitum teneant Scotus in 4. d. 4. q. 9., & Gabriel q. 2. art. 3 dub. 5., dicentes etiam debere ex obligatione baptizari. Et fundamentum huius aſſertionis eſt, quia licet Chriſtianus Princeps habeat ius imperij & regiminis erga ſibi ſubditos: tamen in vniuerſum potior eſt poteſtas & ius patris erga filios, quàm ius ciuile politicum, quoad hanc diſpoſitionem. Quare, ſicut non poteſt Rex

ſua

ſua ſponte vſurpare & auferre facultate, & bona ſuorum ſubditorum: ſic non poteſt inuitis parentibus eripere filios. Et neque eripiendo, neque in eorum manibus relinquendo, poterit Eccleſia, aut vllus Chriſtianus Princeps, filios Infidelium ſibi politicè ſubiectorum & contradicentium baptizare. Confirmatur hoc totum conſuetudine & praxi ipſius Eccleſię & Chriſtianorum Principum: ita enim vſu ipſo ſeruatur.

Baptizādi ſunt filij ſeruorum, ſeruatis tamen certis circumſtantijs.

Quarto. Si vlterius Infideles ſubduntur Chriſtianis iure dominij, videlicet tāquam ſerui & mancipia, vtpote capti iuſto bello: adhuc negat Caiet. art. 10. eorum filios poſſe ijs inuitis baptizari. Ex oppoſito poſſe, etiam dū filij manent in poteſtate ſuorum parentum, affirmant Vaſq. diſp. 155. cap. 4., Turrian. 2. 2. diſp. 54. dub. 2., Diana par. 2. tract. 15. reſol. 45. Et Vaſq. cap. 7. addit, quandocunque licitum eſſe filios Infidelium baptizare, id eſſe etiam ex obligatione debitum. Sed Durand. in 4. d. 4. q. 6. docuit, non poſſe quidem baptizari donec sūt in poteſtate talium parentum, poſſe tamen iuſte ab ijs abſtrahi & ſeparari, quia id licitum eſt iure dominij, & ſic abſtractos poſſe iam baptizari. Sequūtur Valentia hîc puncto 3. concl. 5., Suarez diſp. 25 ſect. 4., Cabrera art. 10. diſp. 1. concl. 4., Nugn. difficul. 3. concl. 3. Et admittunt, poſſe etiam ad hunc finem abſtrahi aut diuendi, vt libere baptizari queant. Admonent tamen, quamuis id iuſtè fieri poſſit, ſcilicet abſque parentum iniuria: tamē aliūde id interdum non expedire; & ſi nempe inde periculum oriatur, ne filij à parētibus occidantur, aliaue ſcādala conſequantur. Et hic quidem dicendi modus, ad hanc rem magis accommodatus & praxi conſonus eſt. Nam per ſe iuſtè poteſt dominus diſtrahere, diuendere, aliouè modo ſeparare filios à parentibus ſibi ſeruis: & ſic tutò poterit eos ad Baptiſmum offerre. At dū adhuc filij manent ſub cura ipſorum parentum, quamuis nō fieret iniuria ipſis parentibus, baptizādo eorum filios: tamen regulariter exponerentur periculo ipſi filij, ne ijs aliquod damnum, aut Chriſtianę Religioni & ſacramento aliqua iniuria inferretur. Et quando licitum omni ex parte erit, baptizare tales filios Infidelium; per ſe etiam cadet ſub debitum & obligationem charitatis, ob tale bonum ſpirituale proximi. Sed tamen, ex particularibus circunſtantijs accidere poteſt, vt interim non expediret & nō liceret, auellere filios à parentibus infidelibus ad eos baptizandos, quando videlicet alia maiora incommoda timerentur: vel vt interdum liceret & expediret, infantem aliquē baptizare, non adhuc de manibus parentum auulſum, quando ſufficienter prouideretur ne aliud incommodum conſequatur: vel etiam vt quandoque poſſet Dominus offerre filium ſui ſeruī ad Baptiſmum, non tamen teneretur, vel ob notabile ſuum detrimentum, vel ad expectandum maiorem temporis opportunitatem.

Non ſunt baptizādi Iudæorum filij inuitis parentibus.

Porro Durandus vbi ſupra, inter Infideles ſubditos Chriſtianis iure dominij tanquam ſeruos, computat Iudęos qui in terris Chriſtianorum Principum retinentur: & ideo admittit, poſſe eorum filijs ab ijs abſtrahi, & abſtractos baptizari. Adhęrent Syluester in Sum. verbo *Baptiſmus* 4. q. 6., & Angelus eodem verbo 6 num. 11. Ex alio capite idem admittit Palud. in 4. d. 4. q. 4., ſtando in iure naturali. Quia cùm Iudęi ante aduentum Chriſti eſſent veri fideles, eademque eſſet eorum fides ac noſtra, modo habentur tanquā Apoſtatę à vera fide, ac proinde tanquam ſubditi iuriſdictioni ſpirituali Eccleſię. Sed tamen ait, alio pręcepto diuino prohibitum eſſe, ne ipſi Iudęi compellantur ad Chriſtianam fidem. Sed ſatis exploratum eſt, Iudęos qui in terris Chriſtianorum Principum retinentur, non ſubdi tanquam ſeruos dominis, ſed tanquam ciues Regi: vt notat S. Thomas hîc art. 10. ad 3. & 2. 2. q. 10. art. 12. ad 3., alijquè communiter ſupponunt: & patet ex modo ipſo ſubiectionis quo retinentur in rebus ipſis humanis & ciuilibus. Quare non poſſunt eorum filij ipſis inuitis baptizari: & ita conſuetudine ipſa & praxi Eccleſię omniumq; Chriſtianorū Prin-

Digitized by Google

Principum obſeruatur. Nec etiam habentur tanquam Apoſtatæ à fide, illi qui poſt aduentum Chriſti, eius fidem & Baptiſmum non ſuſceperunt.

An baptizandi ſint hoſtium filij iuſto bello capti

Quintò demum. Si in poteſtatem Chriſtianorum deueniant infantes ipſi parentum infidelium non ſubditorum, ſed tamen ipſi paruuli fiant ſubditi & ſerui, quando nempe iuſto bello capiũtur, vtpote ſi Duces & milites Chriſtiani diripiant ciuitatem aliquam Turcarum, indequè inter aliam prædam rapiant illorum infantes: etiam tunc Caiet. hoc eodem art. 10, & Capreol. & Sotus in 4. d. 5., ſignificant non poſſe baptizari, niſi ſolùm quando nulla habetur notitia parentum, nulliquè ad redimendos eos paruulos compareant: quia tunc habentur tanquam derelicti, qui non poſſunt reſtitui ſuis. At Suarez ſect. 4 citata abſolute docet, tales paruulos poſſe licitè baptizari. Et ſane id non eſſet iniuſtum: quia iuſte poſſunt filij hoſtibus eripi, & ſic erepti iuſtè baptizarentur. Alijs tamen rationibus id interdum non expediret, præſertim quando à ſuis poſtulantur, vt prætio redimantur, aut cum alijs captiuis permutentur: tum quia redemptio captiuorum in vſu eſt inter hoſtes bella gerentes, & iure gentium introducta: tum quia ſi talis reſtitutio denegetur, poſſent maiora incommoda Chriſtianæ Reipublicæ, & Chriſtianorum filijs, quando viciſſim capiuntur ab hoſtibus, immiuere.

SECTIO QVARTA.

Vtrum & quando teneantur Adulti ſuſcipere Baptiſmum.

Obligatio procurandi & ſuſcipiendi Baptiſmum, non niſi in adultos cadere poteſt, qui nempe ſunt capaces legis & præcepti. Nec defuerunt Hæretici, qui negauerint omnem obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum; Caiani apud Tertullian. lib. de Baptiſmo. & Manichæi apud Auguſt. lib. de Hæreſib. hæreſi 46., & Maſſimiliani apud eundem hæreſi 59. Fundamentum erat; quia Marci vltimo, cùm Chriſtus Dominus dixiſſet, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, tantùm adiunxit, *Qui non crediderit condemnabitur*: & non dixit, qui non fuerit baptizatus: igitur non impoſuit præceptum Baptiſmi, ſed tantùm fidei. Et circunciſio olim non fuerat impoſita ſub præcepto omnibus gentibus, ſed propoſita ſub arbitrio.

Adulti omnes tenentur ſuſcipere Baptiſmum. Ex Script.

Certum tamen de fide eſt, omnes adultos teneri ſub peccato mortali procurare ac ſuſcipere Baptiſmum. Ita S. Thomas art. 1., & alij omnes. Probatur primò ex Sacra Scriptura, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Et ex alijs fundamentis, quibus q 66. ſect. 2. oſtenſum eſt, Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutẽ. Nam plane omnis homo tenetur aſſumere huiuſmodi media neceſſaria: quia tenetur procurare ſibi ſalutem animæ; & ad ſalutem ſufficit ſeruare mandata, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*: ergo vti medijs neceſſarijs ad ſalutem, omnino cadit ſub obligatione præcepti. Item quando Chriſtus præcepit Apoſtolis, *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.*, ſimul etiam obligauit omnes homines, vt ſuſciperent fidem & Baptiſmum.

Ex vſu, doctrina, & definitione Eccleſiæ.

Secundò patet ex conſuetudine Fidelium, traditione Patrum, & definitione Eccleſiæ. Ab initio enim Euangelicæ prædicationis conſuetum fuit, Baptiſmum ex obligatione ſuſcipi: nec vllus erat, qui fidem amplecteretur, & non ſuſciperet, ſequè obligatum agnoſceret ſuſcipere Baptiſmum. Idem docuerunt antiquiſſimi Patres, Clemens primus lib. 6. Conſtit. Apoſtol. cap. 15. & 16., Iuſtinus Martyr Apolog 2., Tertull. lib. cit., & alij. Definiuit etiam Innocentius Papa cap. *Maiores* de Baptiſmo: Florent. ſeſs. vltima: & denique Trident. ſeſs. 7. can. 5., Si quis dixerit, *Baptiſmum eſſe liberum, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*: vbi ſine dubio neceſſitatem tàm præcepti quàm medij intellexit. Vnde apud Fideles omnes notiſſimum eſt, teneri iam omnes homines, cuiuſcunque nationis & ſectæ, ſuſcipere ac profiteri Chriſtianam Religionem mediãte

Baptiſmo, quæ eſt vnica Eccleſiæ ianua. Ita vt nulli liberum ſit dicere, volo quidem eſſe Chriſtianus, & credere quæcunque docet Eccleſia, ſed non curo baptizari.

Inſtitutione Baptiſmi cum præcepto Chriſti.

Tertio. Rationem huius obligationis reducunt aliqui in ipſam ſolam inſtitutionem Baptiſmi; qua ſuppoſita, iam ex natura rei, abſque alio poſitiuo præcepto, talis obligatio orta ſit. Suarez tamen diſp. 32. ſect. 1. contendit, non ex ſola inſtitutione, ſed ex diſtincto præcepto ſuperaddito, hanc obligationem inductam eſſe. Vel dici poteſt, conſurgere ex inſtitutione Baptiſmi tali modo facta, vt inuoluat neceſſitatem. Potuiſſet enim Baptiſmus à Chriſto inſtitui, vt ſolùm eſſet mediũ vtile & arbitrarium: quæ inſtitutio nõ induxiſſet obligationem. Sed de facto inſtitutus eſt tanquam medium neceſſarium: quæ neceſſitas planè inuoluit præceptum Chriſti & obligationem noſtram. Vnde abſolute loquendo, obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum dicetur de iure diuino Chriſti, ad differentiam legis eccleſiaſticæ.

Nullo periculo excuſari quis poteſt ab hac obligatione.

Quarto. Hæc obligatio adeo vrget, vt non poſſit aliqua ratione quiſpiam excuſari à ſuſceptione Baptiſmi, quando non deeſt ſuſcipiendi facultas. Dico, à ſuſceptione ſimpliciter: quia alioqui facilè poteſt occurrere ratio omittendi ad tempus, ideſt aliquantum differendi, vt infra dicemus. Simpliciter autem omittere Baptiſmum eſſet, quãdo quis morti propinquus nollet baptizari, ſic deceſſurus abſque Baptiſmo. Hoc inquam non poſſet excuſari à peccato mortali. Niſi quòd dubitari poteſt, an ſi ipſe Baptiſmus afferat mortis periculum, teneatur adhuc homo baptizari. Negant enim Suarez hic diſp. 31. ſect. 3., Granad. controu. 4. tract. 4. diſp. 2. num. 8., Sotus lib. 1. de Iuſt. & iure q. 6. art. 4, Aragon. 2. 2. q. 6. art. 3. dub. 1, Sayrus lib. 3. Clauis regię cap. 7. num. 34., Diana par. 3. tract. 6. reſolut. 48. Qui dicunt, poteſt homo ſuæ ſaluti conſulere per contritionem. Sed vel talis homo ſperaret diutiùs viuere, ac proinde poſtea ſuſcipere Baptiſmum: & ſic non teneretur tunc ſuſcipere, ſed id eſſet ſolùm differre, non autem ſimpliciter prætermittere. Aut non ſperat: & tunc ex Baptiſmo timeret ſolum aliqualem accelerationem mortis. Qua non obſtante dici debet teneri ſuſcipere Baptiſmum: quia, licet adulti non ſint in illa extrema indigentia ſicut paruuli, cùm poſſint ſibi ipſis per contritionem & Dei dilectionem ſubuenire: tamen eſt tàm magnum Baptiſmi bonum ſpirituale, & ita maior ſecuritas ſalutis; & ex alia parte tàm modicum detrimẽtum corporale aliqualis accelerationis mortis; vt adhuc ex obligatione deberet præferri bonum animæ, & ſuſcipi Baptiſmus. Et hoc fatentur etiam iidem Auctores. Si autem periculum mortis ex Baptiſmo immineat ab extrinſeco, vtpote ſi Tyrannus comminetur alicui mortem ſi ſuſcipiat Baptiſmum: tunc dicunt, poſſe prætermittere Baptiſmũ, niſi eius neceſſitas, aut confeſſio fidei aliud requirat. Sed adhuc in homine ſano, ſeu ſperante diutiùs viuere, & habere aliam commoditatem ſuſcipiẽdi Baptiſmi, id non eſſet ſimpliciter prætermittere, ſed differre. At, ne differre quidem in tali caſu moraliter loquendo liceret: quia regulariter illa comminatio ſupponeretur fieri in odiũ fidei & Baptiſmi; vnde ipſa confeſſio fidei obligaret ad fortiter ſubeundam mortem amore Baptiſmi.

Del oppoſ. fundamentum.

Ad fundamentum oppoſitum contra obligationem Baptiſmi, facilè dicitur: Chriſtum ipſum ſatis alibi explicaſſe neceſſitatem & obligationem Baptiſmi. In eo autem loco, ideo dixit ſolùm, *Qui non crediderit condemnabitur*: quia fieri poteſt, vt per impoſſibilitatẽ ſuſcipiendi Baptiſmum, ſaluetur quis voto Baptiſmi: cùm tamen ſine ipſa vera fide ſaluari non poſſit. Et ad exẽplum circumciſionis, longè diuerſa ratio eſt de Baptiſmo. Nam olim tota lex Moſayca, & in ſpecie lex circumciſionis, non fuit ſub obligatione indicta omnibus populis, ſed ſoli populo Hebræorum; extra quos alij bene poterãt ſaluari obſeruando naturalem legem. At lex euangelica, & ſuſceptio Baptiſmi, indicta eſt omnibus populis, & ſingulis hominibus, abſque exceptione: vt ex diſcrimine legis veteris & nouæ ſup-

ſupponimus.

Quando obliget præceptum Baptiſmi.

Deinde, ad explicandum, quandonam præceptum Baptiſmi obliget: nam ex dictis q. 66. ſect. 2. ſatis cõſtat, hanc obligationem generaliter incepiſſe ab ipſa Euangelij promulgatione; ac proinde non ſtatim à prima inſtitutione, quam ſupponebamus antea præceſſiſſe. Magis determinare oportet, pro quonam tempore ſinguli in ſua vita Baptiſmum ſuſcipere teneantur. Vbi etiam per ſe patet, ſaltem teneri in mortis articulo: quia alioqui eſſet ſimpliciter omitere Baptiſmum.

Videri autem poteſt, non ante mortis articulum ſingulos obligari: tum quia nullibi expreſſum eſt aliud præceptũ accelerandi: tum quia non poteſt deſignari aliud certum tempus huius obligationis: tum quia olim ſolebat diù differri Baptiſmus, etiam inquam poſt ſuſceptam fidem; vt in ſpecie narratur de Conſtantino Imperatore, de Diuo Martino, de D. Ambroſio, qui multo tempore fuerunt Cathecumeni. Et ita de hac re videtur ſentire Caiet. hac q. 68. art. 3. in principio. Aut ad ſummum videri poteſt, ex iure ſolum eccleſiaſtico, & non ex iure diuino, teneri ſingulos citiùs baptizari. Et ita ſignificat D. Tho. art. 3. dicens: *Peccat qui vltra tempus inſtitutum ab Eccleſia differt accipere Baptiſmum, niſi ex cauſa neceſſaria & licentia Prælatorũ Eccleſiæ*. Defendit Sotus in 4. d. 5. q. 1. art. 3. Sed Ledeſma 1. par. quarti q. 9. àrt. 3. dub. 1 explicat, Eccleſiam potuiſſe determinare tempus, quo de iure ipſo diuino obliget præceptũ Baptiſmi. Ex oppoſito videri poteſt, Baptiſmi præceptũ obligare ſtatim ac quis eius notitiam habet, & myſterijs Chriſtianæ Religionis credere incipit. Et ita indicauit Nazianz. Orat. 40., & ibi Nicetas in Scholijs.

Non obligat ſtatim phyſicè, ſed quamprimùm moraliter.

Dicendum tamen eſt, præceptum Baptiſmi, non obligare quidem, vt ſtatim phyſicè loquendo, dũ quis primùm accipit notitiam nouę fidei, & agnoſcit veritatem Chriſtianæ Religionis, teneatur ſine dilatione baptizari: ſed benè obligare, vt quãprimum moraliter & commode poſſit, ſuſcipiat Baptiſmũ, nec nimiùm differat; & hoc vi ipſius diuini iuris quo ad Baptiſmum ſuſcipiendum ſimpliciter obligatur. Non teneri ſtatim & abſque vlla dilatione, eſt de mente S. Tho. art. 3. Et patet vſu Eccleſię: ſolent enim Cathecumeni aliquo temporis ſpatió probari & inſtrui ante Baptiſmum. Et ex regula aliorum ſimilium præceptorum: quę pariter non obligãt vt ſtatim phyſice impleantur, ſed iuxta moralem commoditatem & humanam prudentiam. Teneri autem non nimiùm differre Baptiſmum, eſt item de mente S. Thomę, & aliorum communiter: & Caietan. ipſe in progreſſu diſcurſus, ad hanc partem accedit. Certè enim nõ excuſaretur, qui abſque rationabili cauſa nimiùm vellet differre Baptiſmum. Et colligitur ex cap. *Quando quis* de Conſecr. d. 4, ſũpto ex Chriſoſt. Indicatur etiam à Clemente Papa lib. 6. Apoſt. cõſtit. cap. 15 Grauiter enim reprehenduntur, qui vſq; ad mortẽ differebant baptizari. Idemquè voluerũt Nazianz. & Nicetas antea allegati.

Non ex iure eccleſiaſtico, ſed diuino.

Huius vero obligationis ratio, referenda potiùs eſt ad ipſum ius diuinum, quàm ad aliquam eccleſiaſticam legẽ. Non ſolùm quia de facto non inuenitur talis lex ex parte Eccleſiæ, vt notauit Caietanus. Sed etiam quia non videbatur Eccleſia habere poteſtatem ſic obligandi. Loquimur enim circa eos quos non poterat ſimpliciter compellere ad Baptiſmum. Et ita aduertit Suarez diſp. 31. ſect. 2. Sed id non approbat Vaſq. diſp. 150. cap. 2. Quia inquit, poteſt Eccleſia determinare tempus diuini præcepti, quod tempus nõ determinauit Deus ipſe, ſed reliquit determinandum ab Eccleſia. Sicut Eccleſia determinauit tempus præcepti diuini confeſſionis, ad annuam confeſſionem. Et inde obligat etiam ad confitenda eo tempore peccata merè interna, quamuis alioqui non habeat per ſe poteſtatem in actus merè internos. Verum potuiſſet quidem Chriſtus relinquere poteſtatem Eccleſiæ, non ſolum determinandi tempus obligationis Baptiſmi, ſed etiam imponẽdi alias obligationes ante Baptiſmum: non conſtat tamen reliquiſſe: nec vnquam Eccleſia talem poteſtatem aſſumpſit,

aut in ſe agnouit: nec vlla ſua lege determinauit pro Cathecumenis tempus intra quod obligarentur Baptiſmum ſuſcipere. Quare dici non debet habere talem poteſtatem. Et ſic in vniuerſum notauit Concil. Trident. ſeſs. 14. cap. 2. de Pœnit. *Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſam per ianuam Baptiſmi fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de ijs qui foris ſunt iudicare? Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi, ſui corporis membra ſimul effecit.* Quare hæc eſt manifeſta diſparitas, quomodo Eccleſia potuerit optimè determinare tempus obligationis pro ſacramentali peccatorum confeſſione, in qua peccata etiam merè interna aperienda ſint; non autem tempus obligationis pro ſuſcipiendo Baptiſmo.

Ex iure autem ipſo diuino, ſatis colligitur obligatio dicta non diù differendi Baptiſmum. Quia, cùm Chriſtus iuſſerit omnibus vt profiteantur Chriſtianam Religionem, & ingrediantur Eccleſiam, fiantquè participes aliorum ſacramentorum; & ſtatuerit, hanc profeſſionem, & ingreſſum, & participationem, fieri per Baptiſmum: planè grauiter deliqueret, qui agnoſcens iam Euangelij veritatem, vellet diù abſque rationabili cauſa differre Baptiſmum. Dico abſque rationabili cauſa: quia facilè occurrere poteſt iuſta cauſa ad differendum: quæ varia eſſe poterit in varijs hominibus ac temporibus: quod totum prudenti iudicio æſtimandum erit.

Statuti erant ab Eccleſia certi dies pro celebrãdo Baptiſmo.

Et propter reuerentiam ac ſolemnitatem ipſius Baptiſmi, præſcripti fuerũt in Eccleſia certi anni dies, in quibus celebraretur Baptiſmus, ſcilicet Sabbatum ſanctum Reſurrectionis Domini & Sabbatum Pentecoſtes, cap. *Non ratione* de Conſecr. d. 4. ex Siricio Papa, & cap. *Duo tempora*, & cap. *Propriè*, eod. tit. ex Leone Papa. Quæ quidem determinatio ſpecialiter intelligebatur pro Baptiſmo adultorum. Et ideo S. Thomas art. 3. explicat, conuenienter fuiſſe interpoſitam aliquam dilationem, & conuenienter fuiſſe præfixos tales dies. Sed debuiſſe adhuc aut potuiſſe tale tempus præueniri: *Vel ob neceſſitatem, occurrente morbo & periculo eorum qui baptizandi erant: vel ob ſufficientem & plenam inſtructionem eorum, ſicut Philippus ſtatim baptizauit Eunuchũ Actor. 8.*, & *Petrus Cornelium & comites Actor. 10.* Iam verò communi Eccleſię conſuetudine introductum eſt, vt non ſolùm ijs diebus, ſed quolibet alio anni tempore, baptizentur adulti, quando fuerint ſufficienter inſtructi: & iam ab ipſo ſæculo S. Thomæ id colligit Vaſq. diſp. 150. nu. 23. Adhuc quidem Romæ ſeruatur, vt illis diebus celebretur ſolemnis Adultorũ Baptiſmus. Et, quod Vaſquez diſp. 150. num. 24. ait, ſibi incertum eſſe, an extra id tempus aliqui alij Adulti ibi baptizentur; notum & compertum eſt, ſæpiùs baptizari.

Diluuntur oppoſita fundamenta.

Ex his facile reſpondetur ad ea, quæ in contrarium adducebantur. Quamuis enim expreſſum non ſit hoc præceptum de non diù differendo Baptiſmo: tamen prudenti interpretatione ex ipſa inſtitutione colligitur. Et quamuis non poſſit ſub vna certa regula determinatum tempus aſſignari: ſatis eſt dicere, non debere ſine iuſta cauſa nimis differri. Quamuis etiam de aliquibus narretur diu diſtuliſſe Baptiſmum: tamen credendum eſt, rationabili cauſa id factum eſſe; niſi fortè aliqua ignorantia interceſſerit. Sed credendum non eſt, quod Caietanus ſupponit, Cõſtantinum non niſi in extremo ſuæ vitę ſuſcepiſſe Baptiſmum. Nam potiùs longè antea baptizatum fuiſſe, ſupponit S. Tho. q. ſeq. art. 8. in 4. argum., recipiens hiſtoriam de mundatione Conſtantini à lepra virtute Baptiſmi. Pro cuius hiſtoriæ veritate plura affert Suarez in comment. eiuſdem articuli octaui. Quod verò S. Thomas admittebat, differri poſſe Baptiſmum ex cauſa neceſſaria & licentia Prælatorum: non id dixit, quaſi vellet requiri hanc licentiam, tanquam diſpenſationem in eccleſiaſtica lege, ac ſi obligatio ſuſcipiendi ſeu accelerandi Baptiſmum, eſſet de iure eccleſiaſtico: ſed ſolùm id dixit ad maiorem ſecuritatem, vt Prælati examinarent & approbarent cauſam differendi Baptiſmum.

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Vtrum Adulti debeant cum aliqua diſpoſitione, præſertim cum pœnitentia peccatorum, ſuſcipere Baptiſmum.

REfert D. Auguſtin. lib. de Fide & operib. cap. 1., quoſdam dixiſſe, omnes quantumuis impios & facinoroſos, poſtulantes Baptiſmum, admittendos eſſe abſque alia diſpoſitione, imo etiam ſi in ſuis flagitijs ſe perſeuerare velle declarent. Certum tamen eſt, ad valorem quidem Baptiſmi non requiri aliam diſpoſitionem præter intentionem ſuſcipiendi ipſum ſacramentum, modo de ſacramentis in genere explicato. At ad licitè & cum fructu ſuſcipiendum Baptiſmum, omnino aliquam aliam diſpoſitionem requiri, & præſertim in remedium & expiationē antecedentium peccatorum. Quod diſtinctè ac per plures partes euoluendum & confirmandum eſt.

Debeat ſuſcipere cum vera fide.

Primò ergo exigitur fides. Ita S. Tho. hîc art. 8., & alij omnes. Patet: tum ex ijs quæ generaliter 2. 2. de neceſſitate fidei dicta ſupponimus: tum etiā ſpecialiter in Baptiſmo, propterea dixit Chriſtus Dominus; *Docete omnes gentes, baptizantes eos, Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*. Vſus etiam Eccleſiæ, doctrina Sanctorum, atque exiſtimatio Fidelium, idem demonſtrāt. Et non ſolùm requiritur fides implicita de veritate Chriſtianæ Religionis, ſed etiam fides explicita de præcipuis myſterijs fidei: propter quam præmitti ſolet idonea Cathecumenorum inſtructio ante Baptiſmum. Vrgente tamen mortis periculo, vt in naufragio vel ſimili, licitè poſſet ac deberet ſuſcipi & præberi Baptiſmus cum inſtructione tunc poſſibili: vt notant Sanchius in Select. diſp. 44. na. 41., Zambran. cap. 1 de Baptiſ dub. 14., Diana par 5. tract. 3. reſol. 20., & alij. Ac etiam ſi miniſtro non conſtet, illum qui petijt Baptiſmum, habuiſſe explicitam notitiam de myſterijs ipſis Trinitatis & Incarnationis, nec poſſit illum inſtruere, vt quando inuenit illum moribūdum aut amētem, debet adhuc eum baptizare: quia vel talis explicita notitia nō eſt ſimpliciter neceſſaria, vel fortaſſe non defuit.

Et Peccatores cum aliqua pœnitentia mortalium peccatorū.

Secundò. Præſertim in illis qui mortaliter peccauerunt, exigitur pœnitentia ſuorum peccatorum. Ita S. Thom. hic art. 4. & q. 69. ſequenti, & alij omnes. Patet: tum ex ijs quę generaliter de neceſſitate pœnitentiæ ad ſalutem, proprio loco dicuntur. Tum quia ſpecialiter in Baptiſmo prærequiri pœnitentiam, expreſſum eſt Actor. 2., *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti*. Et cap. 20. *Teſtificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitētiam & fidem in Chriſtum*. Et Lucæ 24. Chriſtus ipſe docuit, *Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes*. Tum inſuper hęc neceſſitas & obligatio pœnitentiæ ante Baptiſmum, ad dignam & ſalutarem eius ſuſceptionem, definita fuit in Concil. Cartag. 4. cap. 85., & Aquiſgran. 1, cap. 114, & nuper in Trident. ſeſs. 6. cap. 6. de Iuſtificat., vbi dicuntur peccatores diſponi *Per eam pœnitentiam quam ante Baptiſmum agi oportet*. Eadem eſt frequens doctrina Patrum, inter quos Fulgent. lib. de Fide ad Petr. hoc inter alia fidei dogmata recenſet. Tum demum oſtenditur ratione: quia remiſſio mortalium peccatorum non conceditur homini niſi pœnitenti: ergo nec etiam per Baptiſmum poteſt homo cōſequi remiſſionem talium peccatorum & gratiam iuſtificationis, niſi per pœnitentiam diſponatur: teneturquè homo cum ea diſpoſitione ad ſacramentum accedere, quæ neceſſaria eſt ad effectum ſacramenti, ne ponat obicem gratiæ: & alioqui grauiter delinquit.

Nō ſolùm negatiua, ſed poſitiua.

Tertio tamen Scotus in 4. d. 14. q. 4. §. *Quantum ad tertium* ſignificauit, ſufficere diſpoſitionem negatiuam, id eſt vt homo non habeat complacentiam ſuorum peccatorum, & voluntatem perſeuerandi in illis. Quia hoc debet eſſe diſcrimen inter diſpoſitionem requiſitam extra ſacramentum, & in ſacramento: minor enim ſufficit in ſacramento. Et addi poteſt, quod dixit Auguſt.

Digitized by Google

Auguſtin. lib. de Vera & falſa pœnit. cap. 8., *Pœnitentia non eſt neceſſaria baptizandis, ſed baptizatis*: videtur enim intelligendum de pœnitentia poſitiua.

Certum tamen eſt, requiri pœnitentiam propriè poſitiuam, per veram ſcilicet deteſtationem antecedentium delictorum, & propoſitum ampliùs nõ peccandi. Ita planè omnes Theologi rem intelligunt. Et auctoritates adductæ idem omnino demonſtrant. Et Concil. Trident. plures poſitiuos actus peccatoris ante Baptiſmum expoſuit, quibus ad iuſtificationem mediante pœnitentia diſponatur. Neque Scotus oppoſitum docere voluit: ſed ſolùm non requiri talem & tàm perfectam pœnitentiam, ſicut extra ſacramentũ. Vnde expreſsè exigit quendam attritionis motum, interiorem tamen illi actui quo homo iuſtificari deberet extra ſacramentum, quem etiam vocat attritionem, in vltimo inſtanti iuxta ſuam ſententiam informandum gratia. Et priùs diſt.4. q.5. § *Reſpondeo*, planè agnouit actum pœnitentiæ & diſplicentiæ de peccatis, ad conſequendam remiſſionem etiam in ſacramento. Verum autem diſcrimen inter diſpoſitionem requiſitam in ſacramento, & extra ſacramentum, eſt: quia licèt vtraque eſſe debeat poſitiua: tamen non oportet, in ſacramento eſſe perfectam contritionem, ſicut extra ſacramentum, vt dicemus ſect. ſequenti. Auguſtin. verò ſolùm voluit, baptizandis non eſſe neceſſariam pœnitentiam, quando non habent aliud quàm originale peccatum. Sed ſi alia habeant, ibidem ſubdit: *Sine pœnitentia nulli prœfuit Baptiſmus qui peccauit, & propterea Cathecumenos doceri vt pœniteant*. Et alijs in locis ſæpè idem docuit.

Diſtincta à volũtate ſuſcipiendi Baptiſmum.

Quartò vlteriùs. Caietan. infra q. 86. art.2. ad finem, ſignificat, ſufficientem diſpoſitionem eſſe in Baptiſmo, voluntatem ipſam ſuſcipiendi Baptiſmum in remiſſionem peccatorum, nec requiri alium pœnitentiæ actum, ſed illam ipſam voluntatem habere ſuo modo rationem pœnitentiæ ſufficientis ad Baptiſmum. Affert quædam Ambroſij verba, qui dixit, *Baptiſmus omnia condonat, nullumquè luctum requirit*. Verùm huiuſmodi voluntas poteſt haberi dupliciter. Vel per modum ſimplicis deſiderij, ac proinde non adhibendo totam diligentiam neceſſariã ad conſequendam remiſſionem peccatorum: & ſic certè non ſufficit, quia poteſt ſimul ſecum compati complacentiam & voluntatem peccandi. Vel per modum intentionis efficacis, atque adeo adhibendo diligentiam neceſſariam ad conſequendum effectum. Et ſic oportet fateri, requiri pœnitentiam quæ ſit diſtincta à voluntate ipſa ſuſcipiendi Baptiſmum, ſitquè vera deteſtatio antecedentium peccatorum cũ propoſito non peccandi de cætero. Neque hoc negare voluit Caietan., quinimò apertè concedit. Sed tantùm docere voluit, præter hanc nõ requiri aliam vlteriorem pœnitentiam peccatorum, ad conſequendam in Baptiſmo plenam remiſſionem, etiam quantum ad totam pœnam. Et hoc ſolùm docere voluit etiam Ambroſius. Et de hoc dicemus ſect. ſequenti.

Nõ requiritur pœnitentia venialium peccatorũ.

Quintò deinde. Si homo volens baptizari, habeat venialia peccata, non eſt illi neceſſaria pœnitentia talium peccatorum, ſiue ad licitè ſuſcipiendũ Baptiſmum, ſiue ad conſequendam gratiam. Quinimò, etiam ſi accedat cum actuali complacentia venialium, dummodo habeat ſufficientem deteſtationem mortalium peccatorum, non propterea grauiter peccat, nec ponit obicem gratiæ: ſed verè conſequetur iuſtificationem & remiſſionem omnium mortalium peccatorum. Ita aduertit Caietan. hîc art.4., & expreſsè D.Tho. quæſt. ſeq. art. 9. ad 3. Quia nempe ſola venialia non impediunt receptionem gratiæ iuſtificantis & remiſſionem mortalium. Ad plenam tamen remiſſionem ipſorum venialium, requiritur etiam aliqua de illis pœnitentia ac deteſtatio.

Requiritur aliqua cõuerſio ad Deum contra originale peccatum.

Sextò demum. Si homo adeptus iam rationis vſum, non habeat niſi originale peccatum, nullo adhuc actuali commiſſo, nec mortali, nec veniali: (qui caſus qualiter contingere poſſit, 1.2.q.89. tractauimus:) tunc dixerunt aliqui, talem hominem nulla diſpoſitione indigere. Non enim poteſt dari

pœni-

Google

pœnitentia de originali peccato. Videturq; talis homo ſe habere ſicut cæteri paruuli, qui nulla indigent diſpoſitione. Addebat Gabriel in 2. d. 32. q. 1., etiam ſi homo habeat mortalia, nec de illis doleat, imò fortè complaceat, adhuc tamen per Baptiſmum poſſe conſequi remiſſionem originalis, licèt non actualium peccatorum.

Putandum tamen eſt, in vniuerſum omnem adultum debere cum aliqua voluntaria diſpoſitione Baptiſmum ſuſcipere, ac ita ad remiſſionem etiam originalis peccati indigere huiuſmodi diſpoſitione. Sed quia hæc non poteſt eſſe propriè pœnitentia de ipſo originali, eſſe debebit aliqua conuerſio ad Deum, videlicet voluntas ſeruandi mandata. Requiritur ſanè aliqua diſpoſitio: Tum quia hominem ſui iam arbitrij compotem, Deus non iuſtificat ſine aliqua voluntaria conuerſione eius ad Deum. Tum quia ſicut qui cōmiſit peccata mortalia, debet deteſtari præterita, & proponere abſtinere in futurum: ita qui non antea peccata commiſit quæ debeat deteſtari, ſaltem debet proponere non peccare in futurum. Tum etiam vt iuſtificetur quis à culpa originali extra ſacramentum, indiget actu perfectæ dilectionis Dei ſuper omnia, vt ſupponimus: ergo in ſacramento indiget aliquo actu, licèt minùs perfecto. Ita quòd ſi in eo qui mortaliter deliquit, ſufficit attritio cū ſacramento, vt dicemus ſect. ſequenti; ſimiliter in eo qui non peccauit ſufficiet voluntas ſeruandi mandata, ex ſpe præmij vel timore pœnæ, ſiue ex amore virtutis aut odio prauitatis.

Multò autem certius eſt, ſi homo ſimul cum originali habeat quoque mortalia peccata, non poſſe conſequi remiſſionem ipſius originalis abſque remiſſione mortalium, atque adeo ſine diſpoſitione requiſita ad remiſſionem mortalium. Nec enim remittitur originale ſine mortalibus, ſicut nec vnum mortale ſine alijs. Quia ſcilicet hæc omnia non remittuntur niſi per infuſionem gratiæ, quæ vtique ſimul hæc omnia delet, vt ſupponimus ex ſuo loco de Gratia, & iterum attingemus poſtea de Pœnitentia quæſt. 86.

SECTIO SEXTA.

Quæ & qualis eſſe debeat pœnitentia peccatoris ſuſcepturi Baptiſmum.

Loquimur iam de illo qui actualiter propria voluntate deliquit, debetquè propterea ſe per pœnitentiam præparare. Et primò videri poteſt, tali peccatori non ſufficere internam ſolùm pœnitentiam, ſed requiri etiam externam, præſertim confeſſionem. Nam Matth. 3. de Ioannis baptiſmo dicitur, *Baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua*: ergo idem requiritur in Baptiſmo Chriſti. Hinc Tertullianus libro de Baptiſmo capite 20., Nazianz. Orat. 40., & quidam alij Patres, ſignificarunt, ante Baptiſmum præmitti debere peccatorum cōfeſſionem, aut alia etiam opera pœnitentię; orationes & ieiunia. Similiter Auguſtin lib. de Fide & Operib. cap. 6. dixit, Cathecumenos ante Baptiſmum, abſtinentia, ieiunijs, & exorciſmis purgari.

Certum tamen eſt, ante Baptiſmum non per ſe requiri confeſſionem aut aliam externam pœnitentiam. Ita S. Thomas art. 6., alijquè omnes. Et patet ex ipſo vſu Eccleſiæ. Et quia certè non habet tunc locum confeſſio ſacramentalis vt obtineatur abſolutio peccatorum: hęc enim dari non poteſt ante Baptiſmum, nec de peccatis ante Baptiſmum commiſſis. Neque etiam neceſſaria eſt tanquam opus quoddam ſatiſfactorium, ſicut nec alia ſimilia opera exiguntur, Sed nec iniunguntur, vt poſt Baptiſmū exerceantur, ſicut in ſacramento Pœnitentię imponitur ſatiſfactio. Ita notauit S. Thomas art. 5. Et ratio eſt: quia Baptiſmus remittit totum pœnę reatum, vt dicemus quęſt. ſequenti, plenariè applicando ſatiſfactionem Chriſti: quo pacto debet intelligi ratio S. Thomæ. Neque verò ex Ioannis baptiſmo duci debet argumentum ad Baptiſmum Chriſti, vt reſpondet S. Thomas art. 6. ad 1. Illi autem Patres dixerunt ſolùm, quod ex conſilio fieri poterat, & interdum *Non requiritur externa confeſſio, ſed interna pœnitentia.*

Digitized by Google

dum ad maiorem inſtructionem & meliorem diſpoſitionem fieri ſolebat.

Itaque, pœnitentia requiſita ante Baptiſmum, propriè requiritur & ſufficit interna. S. Thomas verò inquit, requiri confeſſionem internam peccatorum coram Deo. Sed hoc non ita debet intelligi, quaſi neceſſaria ſit diſtincta & particularis recogitatio, atque mentalis narratio peccatorum in ordine ad Deum. Sed ſolùm neceſſariam eſſe interiorem deteſtationem de peccatis commiſſis: & ad hunc finem recogitare aliquo modo, ſcilicet in genere, peccata cōmiſſa, ad concipiendum hunc deteſtationis & retractationis affectum, cum propoſito non peccandi de cętero. Hoc enim ſufficere, nec extra proprium Pœnitentiæ ſacramentum requiri diſtinctam recogitationē & narrationem peccatorum, de Pœnitentia ſuo loco dicemus.

Debet eſſe ſupernaturalis.

Secundò. Ad explicandum vlteriùs, qualis eſſe debeat hęc interior pœnitentia: Sotus in 4. d. 6. & lib. 2. de Nat. & grat. cap. 15., dixit, ſufficere qualemcumque, etiam purè naturalē, & ex motiuo merè humano. Subindicat Valent. q. 3. de Baptiſ. puncto 3. Sequitur Pitignanus in 4. d. 4. q. 4. art. 3. concl. 3. Et fundamentum eſt: quia videtur ſufficere talis actus, qui excludat complacentiam & voluntatem peccandi. Et prætereà, minor vtique pœnitentia ſufficit in Baptiſmo, quam requiratur in confeſſione, vt colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. Sed in ipſa confeſſione ſufficit attritio, quę tamē ſit ſupernaturalis. Quare in Baptiſmo non aliter poteſt eſſe minor, niſi quòd ſufficiat etiam naturalis.

Statuendum tamen eſt, requiri talē pœnitentiam, quæ ſit actus ſupernaturalis ex motiuo Fidei. Eſt iam communis ſententia, vt atteſtantur Nugn. & Cabrera hic art. 4. Nec poſſe contrarium defendi, aduertit Coninch q. 62. art. 1. dub. 2. concl. 1. Et conſtat ex principijs generalibus, traditis in materia de Gratia: videlicet non poſſe hominem, naturæ viribus ſe ad gratiam præparare atque diſponere: nec prodeſſe quemcumque actum, niſi ex auxilio gratiæ & ſpiritu fidei elicitum. Quod vniuerſaliter intelligitur, non ſolùm ad conſequendam *gratiam iuſtificationis extra ſacramentum, ſed etiā* per ſacramentum: ſicut *ſemper* exigitur ipſa fides, vtique *ordinis ſupernaturalis*. Vnde Concil. *Trident. ſeſs. 6.* can. 3. generaliter ſic decreuit: *Si quis dixerit, ſine inſpiratione & adiutorio Spiritusſancti, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Ad fundamentum oppoſitum reſpōdetur, requiri talē actum quo excludatur complacentia & voluntas peccandi, per modum diſpoſitionis proportionatę ad iuſtificationem: quam proportionem non habet niſi actus ſupernaturalis. Sufficit autem minor pœnitentia in Baptiſmo ad conſequendam plenam remiſſionem: quia illa quæ ſufficit ad delendam culpam, ſimul etiā ſufficit ad remittendam totam pœnam: non ſic verò in ſacramento Pœnitentię. Et hoc ſolùm colligitur ex eo loco Concilij Tridentini.

An requiratur perfecta contritio.

Tertiò. Ex alia parte, quidam alij Theologi dixerunt, ad ſuſcipiendum Baptiſmum prærequiri perfectam contritionem, quæ ſit dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum: nec ſufficere attritionem, quæ ſcilicet ſit dolor de peccatis, vel propter turpitudinem eorum, vel propter metum gehennæ. Ita Alenſis parte 4. q. 18. memb. 2. art. 1., Gabr. in 4. d. 4. q. 2. & diſt. 14. q. 2., Marſil q. 2., Adrian. q. 1. de Pœnit. art. 3. concl. 5., Petr. Soto lect. 4. de Baptiſmo, Ioann. Medina Cod. de Confeſs. quæſt. de Confeſs. ficta iteranda, Corduba lib. 1. Quæſtionum q. 2., Victor. de Sacram. nu. 258., Nauarr. in Sum. cap. 1. num. 39. Quorum tamen aliqui limitant, dicendo ſufficere, ſi quis bona fide putet ſe habere contritionem perfectam, cùm reuera non habeat niſi attritionem. Et Valent. q. 8. de Pœnit. puncto 4. aſſert. 6. indicat, quamuis non omnino audeat affirmare, teneri illum qui baptizatur conteri, non ex eo quod Baptiſmus eſt ſacramentum, ſed eo quod continet Chriſtianæ Religionis profeſſionē: vnde admittit ſufficere, ſi paulò

poſt

Digitized by Google

poſt Baptiſmum peccator conteratur. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia ex peccato ipſo ſuboritur obligatio perfectæ pœnitentiæ, quæ non eſt niſi contritio. Et hæc obligatio non eſt extincta per inſtitutionem Baptiſmi: ergo peccator ſuſcepturus Baptiſmum tenetur conteri. Præterea Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 6., deſcribens diſpoſitionem præuiam ad iuſtificationem, poſt alios actus inquit: *Deum tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*: ergo Concil. requirit pœnitentiam quæ ſit ex motiuo dilectionis Dei, id eſt perfecta contritio.

Sufficit attritio, etiã cognita.

Dici tamen debet ſufficere attritio etiam cognita, nec per ſe teneri hominem ſuſcepturum Baptiſmum ad habendam ſeu procurandam contritionẽ perfectam. Hæc eſt communior ſententia. Eſt ſine dubio S. Thom. hac q. art. 4. & infra q. 79. art 3. ad 2. & q. 80. art. 4 ad 2., & antea in 4. d. 6. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1., quem communiter Thomiſtæ ſequuntur. Eſt etiam Scoti in 4. d. 3. q. 5., Durandi q. 2., Riccardi art. 3. q 1., & aliorum ead. diſt., Suarez hîc diſp 28 ſect. 2., Vaſq. diſp. 158. cap. 4., Coninch q. 62. art. 1. dub. 2. concl. 4., Henriq. lib. 1. de Sacram. cap. 22. num. 5., Villalobos in Sum. tomo 1. tract. 5. difficul. 19. num. 3., Diana par. 3. tract 4. reſolut. 13, & alij Morales Auctores tractando de Baptiſmo & Pœnitentia.

Fundamentum à priori eſt: quia hoc ſacramentum per ſe inſtitutum eſt ad remiſſionem originalis aliorumq; peccatorum, ad regenerandum hominem in vitam ſpiritualem, ad transferendũ de morte in vitam animæ; vnde dicitur ſacramentum mortuorum: ergo ex vi ſuæ inſtitutionis habet conferre primam iuſtificationis gratiam, habet primò peccata delere: igitur ad hoc vt digne ſuſcipiatur & cum effectu, per ſe non præexigit, vt homo accedat iam per contritionem iuſtificatus. Quare etiam ſi quis accedat cum ſola attritione, vere percipiet effectum Baptiſmi: nec tenebatur conari ad perfectã contritionem habendam: ſed etiam ſi cognoſcat ſe non habere pluſquam attritionem, adhuc non peccabit. Confirmatur à pari & a fortiori, ex ſacramento Pœnitentiæ, in quo ſufficit attritio ex Concil. Trident ſeſs. 14., vt proprio loco fuſiùs oſtendemus: ergo multo magis ſufficit in Baptiſmo. Nec enim difficilior eſt peccatorum remiſſio, aut maior exigitur pœnitentia, in Baptiſmo quàm in Confeſſione. Sed potiùs quidam ex ijs qui in ſacramento Pœnitentiæ requirunt contritionẽ, admittunt ſufficere in Baptiſmo attritionem.

Nec obligatur homo ad perfectã contritionem.

Nec etiam obligatur homo ad actũ contritionis eliciendum circa Baptiſmum, vel ante, vel poſt, ex eo quòd continet profeſſionem Chriſtianæ Religiouis. Non enim apparet, cur ex hoc capite talis obligatio oriatur. Quandoquidem, quantum attinet ad præceptum pœnitendi, ſatisfit per ſuſceptionem ipſam ſacramenti cum attritione, vt mox dicemus. De præcepto tamen charitatis, quod etiam ſecluſo motiuo peccati, per ſe obligat hominem, interdum in vita elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, cõgruentiùs apparet, adſtringere hominem, vt circa tempus quo ſuſcipit Baptiſmum talem actum exerceat. Sed adimpleri poteſt talis obligatio, non ſolùm ante, ſed etiam ſi aliquanto poſt Baptiſmum talis actus eliciatur, vt ex proprio charitatis tractatu 2. 2. q 24. ſupponimus.

Soluitur oppoſitum fundamentum.

Hinc ad fundamentum oppoſitum facile patet: Ex peccato mortali commiſſo oriri quidem obligationem pœnitentiæ, & talis pœnitentiæ, qua homo conſequatur remiſſionem ipſius peccati. Tamen poſt inſtitutionem ſacramentorum, hanc obligationem non reſtringi præcisè ad perfectam contritionem, ſed poſſe adimpleri per ſuſceptionem ſacramenti cum attritione. Quia hoc iam ſufficit ad remiſſionem peccati. Et ideo præſertim dicitur homo per ſacramentum fieri ex attrito contritus, id eſt adimplere eandem obligationem, & conſequi eandem remiſſionem, quæ alioqui reſeruata erat contritioni. Ad auctoritatem Concilij di-

cunt aliqui, loquutum quidem ibi eſſe de contritione & dilectione Dei ſuper omnia, in ordine tamen ad iuſtificationem conſequendam per ſacramentum in voto; nec de reliquo attigiſſe diſpoſitionem neceſſariam & ſufficientem in ordine ad realem ſuſceptionem ſacramenti. Aliqui è contra volunt, Concilium de attritione tantùm eſſe loquutum, atque adeo de amore & dilectione imperfecta, ideoque dixiſſe, *Diligere incipiunt*. Meliùs tamen dici poteſt, Concilium fuiſſe indefinite loquutum de diſpoſitione ad iuſtificationem: & ſic etiam generaliter intellexiſſe deteſtationem peccati & dilectionem Dei, abſtrahendo à perfecta & imperfecta: vt poſtea in ſpeciali definiretur, quænam diſpoſitio requiratur ad iuſtificationem extra ſacramentum, & quæ ſufficiat in ſacramento. Quod quidem ſeſſ. 14. circa ſacramentum Pœnitentiæ pleniùs explicauit: & idem ſine dubio intelligendum eſt de ſacramento Baptiſmi. Conſtat tamen, ex conſilio quidem, & ad maiorem ſuſcipientis vtilitatē, multùm præſtare, cum meliori & perfectiori diſpoſitione ſuſcipere hoc ſacramentum: quia quò melior diſpoſitio adhibetur, eo abundantior gratiæ effectus per ipſum Baptiſmi ſacramentum animæ confertur; vt habetur ex doctrina generali de ſacramentis, & in ſpeciali de Baptiſmo admonet S. Thomas quæſt. ſequenti art. 8. In qua ſimul cum effectibus, plura etiam de diſpoſitione ad illos conſequendos mox proſequemur.

QVÆSTIO SEXAGESIMANONA

De Effectibus Baptiſmi.

BAPTIZANS & Baptizatus, ſe habebāt vt cauſa effectiua & ſubiectiua huius ſacramenti. Conſequenter de effectibus per decem articulos perquirit S. Doctor. Primò docet, per Baptiſmum omnia peccata tolli: quia homo baptizatus, ſecundùm ſententiam Apoſtoli moritur peccatis, & incipit viuere gratiæ. Secundò, per Baptiſmum tolli etiam omnem peccati reatum & pœnæ debitum, virtute ſcilicet & plenaria applicatione paſſionis & ſatisfactionis Chriſti. Tertiò, non pariter in hac vita tolli præſentis temporis pœnalitates, tollendas tamen in beata vita: quoniam Chriſtus ipſe in hac vita habuit corpus paſſibile: & ad noſtrum etiam ſpirituale exercitium: atque vt homines, non præſentis vitæ commoditatem, ſed futuræ felicitatem, per Baptiſmum inquirerent. Quartò, per Baptiſmum conferri gratiam & virtutes: quia homo incorporatur Chriſto, à quo tanquam à capite in membra ſpiritualis influxus effunditur. Quintò hinc explicat, qualiter homo per Baptiſmum dicatur incorporari Chriſto, & illuminari in mente, ac fœcundari in opere. Sextò addit, etiam pueris in Baptiſmo infundi gratiam & virtutes: quia licèt pro tunc non ſint habiles ad exercendos actus, ſunt tamen capaces habituum. Septimò, effectum Baptiſmi quoque eſſe, aperire ianuam regni cæleſtis: quia Baptiſmus remouet impedimentum, non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ. Octauò, Baptiſmum per ſe conferre æqualem effectum, quando cum æquali diſpoſitione ſuſcipitur: & alioqui conferre inæqualem. Nonò docet, fictionem, id eſt indiſpoſitionem ſuſcipientis, impedire effectum Baptiſmi: quoniam ad hoc vt iuſtificetur homo per Baptiſmum, debet voluntate illum amplecti & eius effectum. Decimò concludit, ſublata tandem fictione, ſtatim Baptiſmum ſortiri ſuum effectum: quia tunc remouetur impedimentum.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

An & qui ſint Effectus Baptiſmi.

Baptiſmus eſt valde ſalutaris.

PRimò. Non defuerunt Hæretici, qui Baptiſmum prorſus inutilem & nullius effectus reputauerint. Sic de Manichæis refert D. Auguſt. lib. de Hæreſib. Hæreſi 46., *Baptiſmũ in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quenquam eorum quos decipiunt baptizandum putant.* Item Meſſaliani, vt confeſſus fuit quidam Adelphius ex eorum principibus, lib. 4. Hiſtor. tripart. cap. 11., putabant, nihil vtilitatis ex ſancto Baptiſmate baptizatis acquiri. Verùm adeo perſpicue in Scriptura noui Teſtamenti, vtilitas & virtus Baptiſmi commendatur; videlicet per Baptiſmum homines ſaluari, renouari, regenerari, renaſci, mundari, fieri idoneos ad ingreſſum regni cæleſtis: vt mirum ſit, quomodo vnquam vlli qui quoquo modo in Chriſtum crediderint, Chriſtianique dici voluerint, hanc Baptiſmi ſalutarem virtutem nõ agnouerint. Itaque, quia è contra cõſtat, hominem per peccata ſpiritualiter mori, & inquinari, excludi à regno cælorum, ac æternam damnationem incurrere: hinc notiſſimus in primis Baptiſmi effectus eſt, gratia & beneficium remiſſionis peccatorum. Vnde S. Thomas hic primo loco hunc effectum ponit, qui magis adhuc diſtinctè in ſequentibus explicabitur.

Remittit non tantũ originale peccatum, ſed etiam mortalia & venialia.

Secundò. Alius error eſſe poteſt, Baptiſmum per ſe remittere tantùm originale peccatum, non verò actualia ſeu perſonalia: quia Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio: ergo tollit tantùm illud peccatum quod naturali generatione contrahitur, ideſt originale. Et Vuicleff. apud Vualdenſ. tomo 2. de Sacram. cap. 108. dicebat, non omnia venialia peccata virtute Baptiſmi remitti. Sed certum de fide eſt, Baptiſmum per ſe habere vim ad peccata omnia etiam actualia remittenda. Ita S. Thomas art. 1. & alij omnes. Et plane ſupponit Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 1. Ac definiuit expreſſè Florentin. ſeſſ. vlt. dicens, *Baptiſmi effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis.* Item Concil. Mileuitan. can. 1. Et Innocent. Papa cap. *Maiores* de Baptiſmo. Patet apertè ex Sacra Scriptura, non ſolùm illis omnibus loquendi modis, homines per Baptiſmum ſaluari, renaſci, & ſimilia. Sed præterea expreſſè Actor. 2., *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionẽ peccatorum veſtrorum.* Ad Roman. 6., illi qui baptizantur, dicuntur *mori peccato & viuere in Chriſto.* Et in veteri teſtamento, Ezechiel 39. in figura Baptiſmi dictum eſt, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Et Michee 7., *Proijciam in profundum maris*, ideſt in lauacro Baptiſmi, *omnia peccata veſtra.* Idem paſſim à Sanctis Patribus & Sacris Doctoribus prædicatur.

Rationibus quoque ſuadetur. Tum quia reuera non poteſt remitti ipſum originale peccatum, quin ſimul omnia mortalia remittantur: ſiquidem hæc eſt vis gratiæ iuſtificantis. Tum quia pro peccatis ante Baptiſmum commiſſis, non eſt inſtitutum aliud ſacramentum: ſiquidem confeſſio ſolùm fit de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis. Tum quia, cùm Baptiſmus ita inſtitutus ſit, vt proſit non ſolùm paruulis, ſed etiam adultis, qui præter originale ex Adamo contractum, habere etiam ſolent plura peccata actualia proprio arbitrio commiſſa; & redemptio Chriſti quæ in Baptiſmo applicatur, fuerit vniuerſalis pro omnibus peccatis: hinc Baptiſmus debuit conuenienter inſtitui in remiſſionem omnium peccatorum. Vnde vlteriùs per ſe habet vim, non ſolùm remittendi mortalia, ſed etiã omnia venialia peccata. Quia licèt remiſſio venialium non ſit ita neceſſaria: tamen ſicut pro remittendis venialibus poſt Baptiſmum valet Pœnitentiæ ſacramentum; ita pro commiſſis antea valet ipſe Baptiſmus, vt ſic tandem ſit perfecta hominis regeneratio & renouatio.

Ad rationem in contrarium reſpondet optime S. Thomas art. 1. ad 1., cũ D. Auguſt., & ex Apoſtolo, plus in hoc valere Baptiſmum ad remittenda pec-

Digitized by Google

cata, quàm lapſum Adami ad trãſfundendum originale peccatum: *Quia iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificatione*, Ad Roman. 5. Et Auguſt. in lib. de Baptiſmo, *Generante carne tantummodo trahitur originale peccatum, regenerante autem Spiritu, non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum*.

Penitus delet & tollit peccata.

Tertiò. Alius quorundam antiquorũ & plurium recentiorum Hæreticorum error eſt, per Baptiſmum non ita peccata remitti, quaſi reuera deleantur atque tollantur, ſed tantùm quia veluti teguntur & occultantur; ita quòd licèt inſint, tamen non imputentur. Verùm, quia hæc res non eſt propria de ipſo Baptiſmo, ſed vniuerſalis de remiſſione peccatorum in iuſtificatione impij: iam ſuo loco 1. 2. q. 113. in vniuerſum oſtendimus, quod eſt certũ de fide, tàm in Baptiſmo, quàm in omni alio iuſtificationis medio & modo, verè tolli atque deleri peccata. Et ſpecialiter in Baptiſmo, Concil. Tridẽt. ſeſſ. 5. in decreto de Pecc. originali ſic expreſſit: *Si quis aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi aut non imputari, anathema ſit*.

Delet per internam infuſionẽ gratiæ.

Quartò præterea, fuit quorundam Veterum ſententia, remitti quidem & deleri peccata in Baptiſmo, tamen per extrinſecam condonationem Dei, non per infuſionem alicuius qualitatis inhærentis: & præſertim paruulis non infundi gratiam inhærentem, & cum illa virtutes. Ita commemorat S. Thomas hîc art. 6. Sed hæc etiam res generalis eſt de remiſſione peccatorum & iuſtificatione impij. Quare 1. 2. q. 110. & 113. ſatis oſtendimus, iuſtificationem impiorum & remiſſionem peccatorum, tàm in paruulis, quàm in adultis, formaliter fieri per gratiam inhærentem, ipſamq; iuſtificationis gratiam non conſiſtere in ſolo fauore Dei extrinſeco, ſed eſſe qualitatem infuſam in anima. Circa quod non aliud hic repetere vel addere opus eſt. Et cum gratia iuſtificante intelliguntur ſimul habitus virtutum infuſarum, qui etiam paruulis infunduntur. Quod ſpecialiter eadem 1.2.q.55. de ipſis virtutibus demonſtrauimus.

Confert alia auxilia opportuna.

Quinto vlteriùs, ad virtutem Baptiſmi pertinet, conferre etiam auxilia gratiæ opportunis temporibus iuxta diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ homini baptizato diſpenſanda: per quæ auxilia in ſingulis ſacramentis determinatur propria ſacramentalis gratia, & in hoc ſacramento gratia baptiſmalis. Non defuerunt tamen qui dixerint, non oportere hunc effectum auxiliantis gratiæ agnoſcere in Baptiſmo: quia tunc ſolùm debet attribui ſacramento, quando requiritur ad aſſignandum effectum aliquem proprium talis ſacramenti, ad differentiam aliorum: ſed ſatis deſignari poteſt effectus proprius Baptiſmi, per hoc quòd remittit non ſolùm culpam, ſed etiam totam pœnã, vt mox dicemus. Nihilominus, ad excellentiam & dignitatẽ Baptiſmi valde refert, hunc etiam auxiliantis gratiæ effectum illi non denegare. Et quidem ſi conſideretur ſignificatio ipſa & ritus Baptiſmi, atque diſpoſitio ad eum requiſita, facilè apparebit, Baptiſmum conferre peculiaria auxilia, ad ſeruanda euangelica mandata, ad imitanda exempla Chriſti, ad reprimendas concupiſcentiæ paſſiones, ad dignè ſuſcipienda reliqua ſacramenta.

Remittit etiam totius pœnæ reatum.

Sextò inſuper, Baptiſmus dum culpam tollit, remittit quoq; totius pœnę reatum, pœnæ ſcilicet in altera vita luendæ. Ita S. Tho. art. 2., & alij omnes. Eſt de fide, definitum in Concil. Florent. ſeſſ. vlt., vbi præter remiſſionem omnis culpæ, effectus huius ſacramenti dicitur, *Remiſſio omnis quoque pœnæ quæ pro ipſa culpa debetur*. Et rurſus in Concil. Trident. ſeſſ. 5. in decreto de Peccato originali, de hominibus baptizatis dicitur: *Innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti, effecti ſunt, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur*: vbi apertè ſupponitur, nullum pœnæ reatum in ijs relinqui, expiandum in purgatorio, & retardantem à poſſeſſione cœleſtis gloriæ. Et ſeſſ. 6. cap. 14. de Iuſtificat. hoc diſcrimen ponitur inter ſacramentum Pœnitentiæ & Baptiſmi, *Quòd in illo non tota pœna temporalis ſemper, vt in Baptiſmo*

Digitized by Google

ptiſmo fit, dimittitur. Et ſeſs. 14. cap 8. dicitur, aliter in gratiam recipi illos qui peccarũt ante Baptiſmum, ac poſt Baptiſmum, ideoquè peccantibus poſt ipſum Baptiſmum debere ininngi opera ſatisfactoria ad remittendam pœnã relictam poſt remiſſam culpam; quæ tamen opera non imponuntur illis qui ante Baptiſmum quantumcunque deliquerint. Colligitur quoque hæc vis Baptiſmi ex Sacra Scriptura, dum ait, baptizatum renouari, renaſci, regenerari. Hoc enim eſt, hominem tunc in tali ſtatu poni, ac ſi primò crearetur in gratia. Et ita hæc res ex traditione Sanctorum Patrum & communi Eccleſiæ ſenſu ſemper intellecta eſt. Ratio verò eſt, inſtitutio Chriſti, ſanè valde congrua & accomodata huic ſacramẽto, vt in hoc lauacro vitæ penitus deleatur, non ſolùm omnis culpa, ſed etiã pœna veterum delictorum. Pœna inquam alterius vitæ: quia alioqui non auferuntur plerique defectus, qui in hac vita ex originali culpa exorti ſunt, vt mors & morbi, deordinatio concupiſcentiæ, & ſimiles, ac dicuntur pœnalitates. Ita notauit S. Tho. art. 3., & experientia ipſa eſt notiſſimum. Sed non tàm remanent ſub ratione pœnæ, quàm potiùs ſub ratione naturalium effectuum conſequentium ex ipſa conditione humanæ naturæ, deſtitutæ illa integritate, quæ in ſtatu innocentiæ data illi fuerat, ſed non reſtituitur in Baptiſmo. Et S. Thomas affert plures congruentias, quare hæ pœnalitates in hac vita relictæ ſint, vt videri poſſunt in textu.

Imprimit characterem.

Septimò. Præter hæc omnia, effectus Baptiſmi eſt character. Quod ſatis iam patet ex dictis generaliter q. 63 de charactere. Habet autem hoc proprium character baptiſmalis, quod reddit hominem capacem aliorum ſacramentorum, quæ alioqui homini nõ baptizato, nec vtiliter, nec licitè, nec validè conferrentur. Vnde Baptiſmus meritò dicitur ianua aliorum ſacramentorum.

Dicitur incorporare hominẽ Chriſto, illuminare, & fœcundare animam, aperire cælum.

Octauò. Ex his intelliguntur quidã effectus Baptiſmi, quos enarrat S. Tho. art. 5. & 7., qui in re quidem diſtincti non ſunt ab effectibus explicatis, ſed ſolùm quibuſdam alijs loquendi modis a Sanctis Patribus proponuntur. Videlicet incorporare hominem Chriſto: quoniam nempe qui baptizantur, efficiuntur membra Chriſti. Illuminare animam: quia à Chriſto capite lumen cognitionis accipitur. Fœcundare animam: quia ab eodem Chriſto motus & inſtinctus bonarum operationũ infunditur. Aperire ianuam regni cæleſtis: quia Baptiſmus tollit omne impedimentum, tàm pœnæ quàm culpę. Quem effectum non habebat olim circunciſio, etiam ſi remitteret originale peccatum: quia tunc nondum exhibita paſſione Chriſti, homines licèt in gratia decedentes, non adhuc admittebantur ad gloriam: at Baptiſmus nunc in virtute paſſionis Chriſti iam exhibitæ, hanc vim habet, vt ſi homo baptizatus moriatur antequam aliam culpam incurrat, ſtatim ſine mora in cælum euolet, & ad æternam gloriam introducatur.

Non reddit hominem impeccabilẽ, aut liberũ à lege & votis, aut à labore pœnitentiæ.

Nonò tandem. Plures alios effectus quidam ex antiquioribus & recentioribus Hæreticis ipſi Baptiſmo adſcribere voluerunt: Scilicet hominem baptizatum non poſſe peccare, aut ſaltem non poſſe damnari, vel non niſi per infidelitatem: Baptiſmum facere hominem liberum ab onere omnis legis: Per Baptiſmum irrita fieri omnia vota, tàm quæ poſtea emittantur, quàm antea emiſſa: Per ſolam memoriam & fidem Baptiſmi, abſque alio pœnitentiæ labore, remitti peccata omnia quæ poſt illum denuò committantur. Sed hi omnes ſunt errores manifeſtiſſimi contra fidei veritatem, meritò damnati in Concil. Trident. ſeſs. 7. can. 6. & quatuor ſequentibus. Eoſque latiùs refert ac refellit Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 14. & quatuor ſequentibus, breuiter Vaſq. hic diſp. 156. cap. 6.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Baptiſmus ſine debita diſpoſitione ſuſceptus, conferat ſuos effectus, ſaltem poſtea homine ſe diſponente.

Semper cōfert characterem.

SVpponimus ex dictis ſuo loco de charactere, hunc quidem ſemper imprimi in anima, nullaquè indiſpoſitione ſuſcipientis impediri, quandocunque ſacramentum eſt validum. Difficultas verò eſt de gratia iuſtificationis, & remiſſione peccatorum, aliſque effectibus hinc dependentibus.

Sine debita diſpoſitione ſuſceptus, nō confert tunc effectus gratiæ

Primo ergo Canus in Relect. de Pœnit. part. 3. voluit, hominem bona fide accedentem ad Baptiſmum, putando ſe eſſe diſpoſitum, quamuis reuera debita diſpoſitione careat, adhuc recipere totum eius effectum: & tunc ſolùm Baptiſmum fruſtrari ſuo effectu, quando ſcienter & culpabiliter ab homine indiſpoſito ſuſcipitur. Verùm abſolutè dici debet, Baptiſma ſine debita diſpoſitione ſuſceptum, non conferre tunc gratiam cum alijs effectibus conſequētibus. Ita S. Thomas art. 9., & alij communiter. Ac licèt S. Thomas magis loquatur in caſu, quo homo eadem indigna ſuſceptione Baptiſmi delinquit: tamen abſolutè intelligit, quandocunque homo ſine diſpoſitione debita baptizatur. Et quidem ſi homo in eo ipſo actu delinquat, perſpicuum eſt non recipere gratiam: quia ſimul ſtare non poteſt, actu peccare mortaliter, ac recipere gratiam remiſſionis. Sed etiam ſi quis tunc actu non peccet, vtpote bona fide accedens, adhuc non recipere gratiam, ſatis probatur, tum ex Script. aliſquè auctoritatibus q. ſuperiori ſect. 5. allegatis, omnino requirētibus diſpoſitionem peccatoris ad iuſtificationem. Tum etiam, quia neceſſitas huius diſpoſitionis, non eſt tantùm præcepti oriens ex obligatione, ſed eſt etiā medij oriens ex ratione ipſa iuſtificationis & inſtitutione Dei: quare etiam ſi homo ſua bona fide excuſetur à tranſgreſſione præcepti & noua culpa; tamen ex defectu medij neceſſarij non iuſtificatur. Tam etiam, ſicut nullus poteſt iuſtificari abſque vera fide, etiam ſi ob inuincibilē ignorantiam excuſetur à noua infidelitatis culpa: ita nec peccator ſine pœnitentia per ſe requiſita.

Etiam ſi excuſetur ſuſcipiens à noua culpa.

Vnde ſit, dari poſſe caſum, quo homo ſuſcipiens Baptiſmum, nec actu peccet indignè ſuſcipiendo, nec tamen à peccatis præteritis iuſtificetur: ſi videlicet aut inuincibiliter putet ſe eſſe diſpoſitum, cùm reuera non ſit; aut inuincibiliter ignoret talem diſpoſitionē eſſe neceſſariam: quamuis moraliter loquendo non tàm facilè huiuſmodi caſus contingat. Et omnis indiſpoſitio impediens effectum Baptiſmi, apud Theologos appellatur fictio, nomine ſumpto ex Sapient. 1., *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*. Non enim fictio in hoc ſumitur, quæ excludat intentionem ſuſcipiendi ſacramentum, quo pacto Baptiſmus non eſſet validus: ſed ſolùm quæ excludat diſpoſitionem neceſſariam ad effectum.

Confert poſtea, homine ſe diſponente.

Secundò vlteriùs. Quia homo ſic fictè ſed validè ſuſcipiens Baptiſmum, poteſt ſe tempore ſequenti diſponere, eliciendo nempe actum pœnitentiæ, quem in actuali ſuſceptione non habuerat; præcipuè videndum eſt, an tunc ſaltem recipiet effectum Baptiſmi. Gloſa & quidam alij Iuriſtæ in cap. *Tunc valere* de Conſecr. d. 4., negare in re videntur, cùm dicant, hominem poſtea recipere gratiam virtute nouæ contritionis, non autem prioris Baptiſmi. Adhærent Ioann. Medina Cod. de Pœnit. q. de Confeſs. ficta iteranda, & Matthæus Kelliſonus hic q. 69. art. 10. dub. 2., defendens tamen etiam partem affirmantem, & quidam alij vt infra adnotabimus.

Affirmandum tamen ſimpliciter eſt, Baptiſmum ſine debita diſpoſitione ſuſceptum, atque adeo tunc impeditum, ſortiri poſtea ſuum effectum in tali homine ſe ritè diſponente. Ita docet apertè S. Thomas hac q. art. 10, Caietan., Nugn., Cabrera, Syluius, & alij Expoſitores eodem art., Suarez diſp. 28. ſect. 4, Coninch ſupra q. 62. art. 1. dub. 5., Lugus diſp. 9. de Sacramentis ſect. 3.,

Digitized by Google

ſect. 3., alijque Recentiores communiter. Item Alenſis par. 4. q. 8. memb. 7. art. 2., Bonau. in 4 d. 4. par. 1. art. 2. q. 3., Riccard. ead. d. art. 1. q. 2., Gabr. q. 1. art. 3. dub 2., Maior q. 2., Durand. q. 4., Paludan. q. 5., Sotus d. 6. q. 1. art. 8., Petrus Soto lect. 4. de Baptiſmo, Bonacina q. 6. de Sacram. puncto 3., Syluester verbo *Baptiſmus* 4. q. 17, Angelus eodem verbo 6. nu. 15., Roſella 7. nu. 2., Tabiena 8. num. 9., & alij frequenter.

Ex doctrina D. Auguſtini. Fundamentum præcipuum eſt, auctoritas D. Auguſtini, qui lib. 1. de Baptiſmo cont. Donatiſtas cap. 12. & lib. 3. cap 13. & lib. 6. cap 5. apertè docuit, Baptiſmum in ſtatu hæreſis ac ſchiſmatis indignè ſuſceptum, valere poſtea ad ſalutem & remiſſionem peccatorum, dum homo ex corde conuertitur ac reſipiſcit. Et ex eodem Auguſt. inſertum eſt in iure de Conſecr. d. 4. cap. *Tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorum ablutionẽ non ſinebat fieri.* Nec rectè Gloſa & alij priores Auctores explicare tentarunt mentem & verba Auguſtini: quòd ſolùm ratione nouæ pœnitentiæ & contritionis valere incipiat Baptiſmus ad ſalutem. Nam ſi ſola ipſa pœnitentia & contritio valet, fruſtrà hic effectus attribueretur Baptiſmo: ſed etiam in homine non baptizato vera contritio valeret ad ſalutem. Item nec rectè, Scotus in 4. d. 4. q. 5. §. *Reſpondeo* explicare tentauit: quòd Auguſtinus ſolùm voluerit, Baptiſmum tunc valere, quia ſufficit ad obſeruationem præcepti de ſuſcipiendo Baptiſmo, ita vt non teneatur nec poſſit quis iterum baptizari: valere etiam, quia reddit hominem habilem ad recipienda cætera ſacramenta, & præſertim abſolutionem ſacramentalem in remiſſionem peccatorum. Adhæret Adrian. in 4. q. 5. de Confeſs. dub. 4. §. *Ad rationes*. Et inclinat Vaſq. hic diſp. 159. cap. 4. Non inquam rectè: tum quia ſatis clarè Auguſtinus indicauit, Baptiſmum tunc valere ad remittenda peccata & conferendam gratiam iuſtificationis. Tum quia alioqui hic dicendi modus reincidit in ſententiam illam Gloſę, quę vtiq; non negabat, per priorem ſuſceptionẽ Baptiſmi ſatisfactum eſſe præcepto ſuſcipiendi, & redditum eſſe hominem habilem ad recipienda reliqua ſacramenta. Tum præſertim hoc modo valebat Baptiſmus iam ex tunc quando indignè ſuſceptus erat: at Auguſt. docet, incipere tunc valere, quando homo poſtea diſponitur: quod non poteſt aliter intelligi, niſi quia tunc confert ſuum ſalutarem effectum. Demum nec rectè Gabriel eodẽ illo loco ſupra citato explicare tentauit, quòd Baptiſmus tunc valeat ſolùm ad remittendum totum reatum pœnæ, ſupponendo remiſſionem culpæ per actum perfectæ contritionis, vel per aliud ſacramentum. Auguſtinus enim abſolutè docet valere, ad ſalutem & remiſſionẽ peccatorum, & ita abſolutè debet intelligi de collatione gratiæ & remiſſione culpæ. Et ſicut dicitur valere ad illum effectum, per priùs dici debet valere ad hunc, qui eſt primarius ipſius ſacramenti. Et ita communiter Theologi intelligunt.

Ratione probat eandem aſſertionem S. Thomas: quia ſicut dum naturalis forma gignitur, ſi tunc impediatur ab alio ſuo effectu inducendo, ſaltem poſtea remoto tali impedimento ſortitur ſuum effectum: ita in Baptiſmo validè ſed indignè ſuſcepto, gignitur & imprimitur character tanquam forma: quare licèt tunc per fictionem impediatur alius effectus gratiæ, iam poſtea ſublata fictione debet hic etiam effectus conferri. Hæc tamen ratio accipienda ſolùm eſt per modum accomodationis & proportionis cuiuſdam; quia alioqui in rigore character non eſt forma ex qua proximè conferatur gratia, ſed hæc confertur immediate per ipſũ Baptiſmum. Neque ad conferendam gratiam requiritur influxus phyſicus vllius formæ vel cauſæ creatæ, ſicut nec ipſius ſacramenti: ſed cùm ſufficiat ſolus moralis influxus, hic æque bene poteſt haberi ex ipſo Baptiſmo præterito, inquantum ob illius exhibitionem Deus ex pacto & promiſſione ſua infundit gratiam. Et hoc etiam modo ipſe character dici poteſt ſe habere tanquam forma vel diſpoſitio moralis, *Ex ratione.*

ralis, vt explicat eodem art. 10. Caietanus;

[illegible] inſtitutione Baptiſmi.

Alia verò ratione magis propria aſſertionem ipſam probat Caietanus: quia remiſſio peccati originalis aliorumque commiſſorum ante Baptiſmũ, non poteſt aliter haberi quàm per Baptiſmum, vel ſcilicet in re, vel in voto: ſed poſt ſemel ſuſceptum validè Baptiſmum, non poteſt quiſquam denuò baptizari, atque adeo non poteſt iam habere votum Baptiſmi: Ergo neceſſe eſt, vt per priorem ipſum Baptiſmum talem conſequatur effectum. Qua ratione fundata in inſtitutione & neceſſitate Baptiſmi, iuxta doctrinam Sacræ Scripturæ & traditionem Eccleſiæ, videtur quoque inductus Auguſtinus ad hanc rem clarius proponendam. Eaque plerique alij Theologi vtuntur. Eam tamen improbat Vaſquez. Quia inquit dum quis dicitur iuſtificari per votum ſacramenti, non intelligitur, quaſi hoc votum influat in iuſtificationis effectum, preter vim ipſius contritionis in qua dicitur includi: ſed ſolum quia ſtante obligatione recipiendi ſacramentum, omnino in contritione includitur votum recipiendi; quod tamen non habet locum, quando iam receptum fuit ſacramentum, & non debet nec poteſt iterum recipi. Quare addit, dici debere, remiſſionem originalis & aliorum peccatorum præcedentium Baptiſmum, non poſſe obtineri, niſi vel in Baptiſmo, vel in voto illius, vel poſt ſuſceptum Baptiſmum. At certè communis loquendi & ſentiendi modus eſt, vt huiuſmodi remiſſio nõ concedatur niſi per Baptiſmum in re vel in voto. Quare vel Baptiſmus ipſe confert talem effectum, vel contritio inuoluens eius votum, ideſt deſiderium & propoſitum ſuſcipiendi, quamuis hoc votum per ſe non habeat alium influxum, præter vim ipſiuſmet contritionis. Idque ſequitur ex ipſa inſtitutione huius ſacramenti, quod ita fuit ordinatum à Chriſto, vt eſſet taliter neceſſarium & ſalutare. Quando ergo iam ſuſceptum fuit ipſum ſacramentum, atque adeo non poteſt iterũ ſuſcipi, nec haberi votum ſuſcipiendi; fatendum eſt, per illud ipſum obtineri poſtea poſſe effectum, ſublata fictione qua fuerat antea impeditus.

Ex diſtinctione Baptiſmi & Pœnitentia.

Et confirmatur: quia Chriſtus Dominus inter remedia noſtræ ſalutis inſtituit ſacramenta, quibus per ſe ex opere operato remitti poſſint omnia noſtra peccata, & originale & actualia. Inter quæ pro peccatis commiſſis poſt Baptiſmum inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ, pro originali verò & actualibus commiſſis ante Baptiſmum, ipſum ſacramentum Baptiſmi, neque hæc poſſunt ſubijci clauibus Eccleſiæ ad obtinendam abſolutionem ſacramentalem, ſed ſolùm remanent ſub virtute Baptiſmi. Igitur cùm eti**m** inſtituerit, vt Baptiſmus non niſi ſemel recipi poſſit, & vt non niſi cum certa diſpoſitione ſubiecti conferat ſuum iuſtificationis & remiſſionis effectum: fatendum erit ita inſtituiſſe, vt ſi quando ob indiſpoſitionem ſuſcipientis ſuo effectu fruſtretur, ſaltem poſtea homine ſe diſponente, illum ſortiri poſſit ac debeat. An verò id conueniat etiam alijs ſacramentis, de ſingulis tractando videbimus.

Baptiſmus valebit etiam ad remittenda venialia peccata.

Tertio. Quia dictum antea fuit, Baptiſmum per ſe valere ad remittenda etiam venialia peccata, dubitatur, num ſi ab initio ob indiſpoſitionem ſufficientis non habuit hunc effectum, conferat quoque poſtea homine ſe diſponente. Negat Vaſq. diſp. 160. cap. 3., etiam ſcilicet ſtando in communi ſententia, quæ alioqui affirmat conferre gratiam iuſtificationis & remiſſionem mortalium peccatorum. Quia inquit, Auguſtini auctoritas, & inſtitutionis ratio, ad ſummum procedebat de remiſſione mortalium, quæ eſt neceſſaria ad ſalutem: non autem de remiſſione venialium, quæ non ſic eſt neceſſaria. Dici tamen debet conferre etiam hunc effectum remiſſionis venialium. Quia & Auguſtinus generaliter loquitur de remiſſione peccatorũ. Et licet non vrgeat illa ratio neceſſitatis, tamen adeſt ſufficiens ratio vtilitatis & inſtitutionis. Quia ſicut Chriſtus inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ ad remittenda peccata etiam venialia poſt Baptiſmum commiſſa, ita conuenienter inſtituit ipſum ſacramentum

Baptiſmi

Baptiſmi ad remittenda peccata antea commiſſa, etiam inquam venialia. Quæ cùm non poſſint ſubijci clauibus Eccleſiæ, & per abſolutionem ſacramentalem remitti, dici debent remitti per ipſum Baptiſmum accedente debita diſpoſitione. Notatque Suarez, ſi homo indiſpoſitus baptizatus, priùs ſe diſponat ad remiſſionem mortalium tantùm per deteſtationem eorum, & iterũ ad remiſſionem venialium per deteſtationem etiam eorum; priùs quidem recipere remiſſionem mortalium cum gratia iuſtificante; iterum verò remiſſionem venialium, ſed abſque alio gradu gratiæ iuſtificantis ex opere operato. Quomodo autem in vniuerſum fiat remiſſio venialium peccatorum, aptiori loco de Pœnitentia explicabimus. Et ſicut Vaſq. eodem cap. fatetur, virtute Baptiſmi fictè ſuſcepti, conferri poſtea auxilia gratiæ tempore opportuno, quando homo ſe diſpoſuerit, & fictionem abſtulerit: ita etiam concedendum eſt de remiſſione venialium peccatorum. Peccata autem, ſiue mortalia, ſiue venialia, quæ commiſſa fuerint poſt Baptiſmũ fictè ſuſceptũ, & peccatũ ipſum fictionis cõmiſſũ in eadẽ ſuſceptione Baptiſmi nõ remittũtur virtute Baptiſmi, vt dicemus poſtea.

Confert diſtinctam gratiam præter illã quæ aliunde acquiritur.

Quartò. Dum Baptiſmus recedente fictione confert iuſtificantem gratiam, Sotus in 4. d. 6. q. 1. art. 8. indicauit, conferre eundem gradum gratiæ, qui ſimul confertur virtute eiuſdem diſpoſitionis ab homine adhibitę, & non aliũ diſtinctum aut maiorem, ita vt idem prorſus gradus gratiæ conferatur ex opere operato virtute Baptiſmi, & ex opere operantis virtute contritionis, ſiue ex alio opere operato virtute alterius ſacramenti. Quia alioqui, ſi homo diſtinctum ac maiorem gradum gratiæ reciperet, reportaret commodũ ex ſua fictione & indignitate cum qua ſuſcepit Baptiſmum. Approbat hanc reſolutionem, ſed non hanc rationem Vaſquez diſp. 159. cap. 3. Dici tamen debet, virtute Baptiſmi, recedente fictione conferri diſtinctum ac peculiarẽ gradum gratiæ. Ita notant vel ſupponunt alij magis communiter. Et ſuadetur: quia hoc pacto propriè verificatur, conferri gratiam virtute ipſius Baptiſmi: & alioqui parum ac nihil referret, ſi ſolùm conferatur illa gratia, quæ virtute alterius diſpoſitionis per ſe debetur, etiam ſecluſo præcedenti Baptiſmo. Ac præſertim, ſi dicatur ſufficere ſola attritio ad recipiendum effectum Baptiſmi, vt ſtatuemus ſect. ſequenti: iam virtute ipſius Baptiſmi confertur talis gratia, quæ non confertur virtute attritionis. Quare etiam ſi homo diſponatur per contritionem, dici debebit recipere non ſolùm illum gradum gratiæ, qui per ſe correſpondet ipſi contritioni, ſed aliam etiam diſtinctum virtute Baptiſmi ex opere operato. Neque per hoc homo reportat commodum ex illa ſua fictione & indignitate in ſuſcipiendo Baptiſmo: quia non recipit aliam gratiam, niſi quam recepiſſet ſi dignè baptizatus fuiſſet: quare ad ſummum ſequitur, per nouam diſpoſitionem reſtaurare illum defectũ & damnum præcedens in ſuſceptione Baptiſmi. Sed nec etiã videtur reſtaurare in totum, vt dicemus concl. ſeq.

An conferat iuxta menſuram diſpoſitionis.

Quintò. Quia regula generalis ſacramentorum eſt, conferre tantam aut maiorem gratiam, iuxta menſuram diſpoſitionis in ſuſcipiente; meritò dubitatur, num pariter Baptiſmus antea impeditus, & poſtea conferens gratiã, adhuc conferat proportionatam ipſi diſpoſitioni, maiorem ſcilicet homini ſe meliùs diſponenti. Affirmat Cabrera hac qu. art. 10. difficul. 1. Conſentit Vaſq. diſp. 159. cap. 5., ſtando in ea ſententia quæ docet, Baptiſmum recedente fictione conferre gratiam ex opere operato. Sequitur Lugus diſp. 9. de Sacram. ſect. 5. dub. 2. Qui addit, iuuare ad maiorem gratiam recipiendam, non ſolùm perfectiorem ipſum actum pœnitentiæ quo remouetur fictio, ſed etiam alia pia opera, quæ vel ante vel poſt Baptiſmum quis fecerit, ſic ſe diſponendo ad Baptiſmum ſeu eius effectum. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia ſi in vniuerſum confertur maior gratia homini meliùs diſpoſito, etiam ſcilicet ex opere operato per ſacramenta, vt habetur ex Trident. ſeſs. 6. cap. 7., pariter valet dicere, hominem fictè baptizatum, magis

aut minùs ſe diſponere ad Baptiſmum, ſeu ad effectum Baptiſmi: ergo pariter dici debet recipere inæqualem gratiam virtute Baptiſmi iuxta menſuram diſpoſitionis.

Videtur conferre minimã, ſicut in paruulis.

Potiùs tamen dicendum videtur, nõ recipere virtute Baptiſmi, niſi certum gratiæ gradum, minimum videlicet & infimum ex diuina inſtitutione taxatũ, quantus nempe infunditur paruulis, qui abſque diſpoſitione propria baptizantur. Ita probabilius cenſet Suarez diſp. 28. ſect. 4. & ſequitur Coninch q. 62. art. 1. dub. 6. concl. 5. Suadetur tum à priori: quia in hoc caſu diſpoſitio valet ſolùm tanquam remouens obicem & impedimentum: quare non maiorẽ gratiam Baptiſmus conferet, quàm dum ſine impedimento ſuſcipitur, vt in paruulis. Tum quia non oportet, hunc effectum Baptiſmi plus amplificare, quàm neceſſe ſit ad remittenda peccata iuxta doctrinam Auguſtini, & vt peccata præcedentia Baptiſmum, dicantur virtute huius ſacramenti deleri: quare debet tali modo limitari effectus Baptiſmi. Tum etiam à poſteriori: quia alioqui inferri poſſet vlteriùs: ſi homo ficte baptizatus, ſe primùm diſponat par actum vt vnum, poſtea verò alium & alium intenſiorem actum eliciat; quòd ſemper maiorem & maiorem virtute Baptiſmi percipiet gratiam: quod nullatenus dici poteſt. Tum demum de facto conſtat, hominem qui ſuſcipit Baptiſmum cum attritione, v.g. vt vnum, ſed ſi tunc habuiſſet actum vt duo maiorem percepiſſet gratiam; tamen quamuis poſtea perfectiorem actum exerceat, non propterea maiorem ex virtute Baptiſmi recepturum gratiam: ergo à fortiori homo qui indiſpoſitus ſuſcepit Baptiſmum, dici non debet maiorem percepturus gratiam, dum ferueutiorem actum eliciet: quia alioqui eſſet quoad hoc melioris conditionis: quod etiam non eſt admittendum. Et hinc patet ad oppoſitum fundamentum, diſpoſitionem hominis in huiuſmodi caſu valere ſolùm ad remouendum impedimentum, vt ſimpliciter percipiatur, non autem vt augeatur effectus Baptiſmi.

Fatendum tamen eſt, hominem ſimul recipere tantam gratiam, quantam recipit paruulus virtute Baptiſmi, & quantam recipit adultus virtute talis diſpoſitionis & remedij, nempe abſque diminutione: quia nulla eſt ratio cur debeat minui. Et rurſus, ſi ex ipſo etiã Baptiſmo reciperet iuxta proportionem diſpoſitionis, dici conſequenter deberet, recipere ſimul tantam, quantã ſeparatim reciperet virtute vtriuſque remedij, abſque alia diminutione, vt aduertit Suarez sect. 5. verſic. *Tertiò de Sacramento*. Dubitat tamen Vaſq. diſp. 160. num. 25., dicens id debere diuino iudicio reſeruari.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Baptiſmus ab homine indiſpoſito ſuſceptus, habeat vim remittendi peccata, etiam poſt illum vel in illo commiſſa.

Satis quidem conſtat, Baptiſmum ficte ſuſceptum, habere poſtea vim, homine ſe diſponente, remittendi omnia peccata antecedenter ad illum commiſſa. Sed quia contingit, hominem vel peccare etiam in ipſa actuali ſuſceptione Baptiſmi, vel poſt ſuſceptionem tempore intermedio antequã diſponatur; videndum eſt, num hæc etiam peccata conſequentia vel concomitantia remittantur virtute Baptiſmi, aut ſolùm virtute alterius remedij. Quæ quidem differẽtia multum refert: quia ſcilicet quæ remittuntur virtute Baptiſmi, eo ipſo remittuntur quoad totum pœnæ reatum; non ſic virtute alterius remedij: & quia quæ remittũtur virtute Baptiſmi, non ſunt deinde confeſſionis materia, & non debent nec poſſunt ſubijci clauibus Eccleſiæ & abſolutioni ſacramentali: quod totũ ex dictis conſtat. Refert etiam ad diſcernendum, quæ diſpoſitio requiratur in homine ficte baptizato, ad percipiendum poſtea Baptiſmi effectum, vt inquiremus sect. ſequenti.

Nullam habet vim

Primò ergo videri poteſt Baptiſmus, qui non habuit in actu ſuſceptionis ſuã eſſe-

remittendi peccata poſt illum commiſſa.

effectum, ſed habebit homine ſe diſponente, valere etiam ad remittenda peccata omnia, etiam conſequenter commiſſa, ſaltem per accidens & indirectè: quia nimirum cùm per ſe & directè habeat vim remittendi antecedentia, nec poſſint quædam peccata mortalia remitti ſine alijs, ſaltem indirectè remittet etiam alia conſequētia. Sicut abſolutio ſacramentalis, cùm per ſe & directe inſtituta ſit ad remittenda peccata confeſſa, tamen per concomitantiam & indirectè remittit etiam peccata oblita. Et alia ſacramenta, quę per ſe inſtituta ſunt ad augendam gratiam in homine iuſto, tamen per accidens etiam valent ad remittenda peccata mortalia fortè inuenta in homine bona fide accedente, vt ſupponimus. Et ita indicat Paludan. in 4. d. 4. q. 5. n. 24.

Nullo tamen modo Baptiſmus habet vim remittendi peccata conſequētia poſt illum commiſſa. Eſt communis ſententia. Et apertè S. Tho. eodem art. 10 ad 3. dicentis: *Effectus Baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia vel præterita, & ideo recedente fictione peccata ſequentia remittuntur quidem, ſed per Pœnitentiam, non per Baptiſmum, vnde non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia Baptiſmum*. Et hinc ſuadetur ratione, & aliorum quoque ſacramentorum exemplo: quia ſacramenta inſtituta ſunt in remedium malorum antecedentium, quæ ante eorum ſuſceptionem ſupponuntur. Nec vllum ſacramentum dici debet valere ad remittenda peccata poſt eius ſuſceptionem committenda: niſi quatenus aliquod ſacramentum repeti poteſt, & ſic denuo prodeſſe ad remittenda peccata nouiter commiſſa.

Vnde etiam patet ad oppoſitum fundamentum. Nempe nullum ſacramētum habere vim, neque per accidens & indirecte, ad remittenda peccata ſequentia: ſed his ſtantibus, impediri potiùs ne habeat ſuum effectum in remittendis peccatis antecedentibus, donec peccator per aliud ſufficiens & opportunum remedium conſequatur etiam illorum remiſſionem. Et ita abſolutio ſacramentalis valet quidem remittere indirectè peccata oblita, vrique præcedentia: ſed neutiquam ſequentia poſt illam commiſſa, etiam ſi fortè non habuiſſet effectum ſuo tempore, ſed fuiſſet vt dicitur informis, & habere poſſit effectum poſtea homine ſe diſponente: adhuc enim ſi homo poſt illam commiſit aliud mortale peccatum, non niſi per aliud remedium poteſt huius remiſſionem conſequi, & interim nec poſſet prioris abſolutionis obtinere effectum. Et alia ſacramenta non niſi præcedentium peccatorum dici poſſunt valere per accidens remiſſionem conferre: ita quòd addito poſtea alio mortali peccato, aliud omnino remedium expectandum ſit.

Neque peccatum fictionis in ipſa ſuſceptione cō. miſſum.

Secundò videri poteſt Baptiſmus ipſe valere ad tollendum ſaltem idem fictionis peccatum, quod in actuali ſuſceptione ſcienter ſeu negligenter indignè, & cum ſacrilegio facta commiſsū eſt. Quia videtur tale peccatum præcedere Baptiſmum, vtpote in ipſo acceſſu & petitione, aut ad ſummum comitari, nempe in eodem actu ſuſcipiendi: ſed ſola peccata ſequentia effugiunt vim Baptiſmi, at præſentia ſicut & præterita ſubſunt virtuti Baptiſmi, vt patet in verbis allegatis S. Thomæ: ergo peccatum ipſum fictionis tolletur virtute Baptiſmi.

Sed neque per Baptiſmum ipſum tollitur peccatum fictionis conſummatum in eadem ſuſceptione Baptiſmi. Ita communiter Doctores notant. Et expreſsè S. Thom. eod. art. 10. ad 2. *Fictio non remouetur per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem*. Et idem ex doctrina D. Auguſtini colligitur. Ratione ſuaderi ſolet: quia tale fictionis peccatum, per ſe ac directe opponitur ipſi Baptiſmo eiuſque effectui, eſtque formaliter irreuerentia & iniuria contra Baptiſmum, eſt impedimentum baptiſmalis effectus: quare non auferetur per ipſummet Baptiſmum, ſed alio adæquato remedio tolli debebit, qua fictione ſublata Baptiſmus habebit totum ſuum effectum quoad reliqua peccata. Sed præcipua ratio eſt: quia tale fictionis peccatum, eſt quodammodo conſequens ad Baptiſmum. Nam poteſt conſiderari Baptiſmus in priori

ſigno naturæ tanquam validus in ſubſtantia, & in poſteriori quodam ſigno tanquam conferens ſuum effectum: peccatum autem fictionis non impedit ſubſtantiam & validitatem Baptiſmi, ſiquidem loquimur in caſu quo nihil deeſt ad valorem ſacramenti, ſed impedit ſolùm effectum Baptiſmi in poſteriori ſigno, ſupponens validitatem in priori, & tunc conſummatur: quodammodo ergo conſequitur ad validitatem Baptiſmi: igitur ſe habet ſicut alia peccata conſequentia, quæ diximus non deleri per ipſum Baptiſmum. Vnde fatendum eſt, quòd ſi quis antecedenter habuiſſet animum fictè & indignè ſuſcipiendi Baptiſmum, ſed ante actualem ſuſceptionem reſipiſcens ſe diſponere curaret, & in ipſo actu bona fide ſuſciperet: tunc ſanè Baptiſmus haberet etiam vim delendi peccatum, illud fictionis mente antecedenter cõmiſſum, & non opere conſummatum in actu ſuſceptionis. Nec tale peccatum eſſet poſtea ſubijciendum clauibus Eccleſiæ. At quando completur & conſummatur peccatum re ipſa ſuſcipiendo Baptiſmum indignè: tunc non remittitur virtute eiuſdem Baptiſmi, ſed erit ſubijciendum clauibus Eccleſiæ.

Et hinc patet ad oppoſitum fundamentum: nempe hoc peccatum ſe habere conſequenter ad Baptiſmum, & ideo non remitti virtute illius. Et ita ſupponit S. Thomas, qui cùm dixiſſet, fictionem non remoueri per Baptiſmũ, ſed per aliud remedium, ſubdit: *Qua remota Baptiſmus aufert culpam & reatũ omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo.*

Remittit tamen peccatum antecedens quod fuit cauſa fictionis.

Tertiò vlteriùs addebat Scotus in 4. d.4. q. 5., nec etiam illud peccatum quod fuerat patratum ante Baptiſmũ, & de quo homo accedens ad Baptiſmũ non habuit contritionem vel attritionem, fuitquè proinde cauſa fictionis, v. g. homicidium, aut adulterium, antecedenter commiſſum, nec inquit remittendum fore per ipſum Baptiſmum, ſed per aliud remedium. At rectè Caietan. hîc art.10. notauit, aliam eſſe rationem de tali antecedenti peccato, videlicet homicidij, adulterij, aut alio quouis; ac de ipſo fictionis peccato, quòd eſt ſacrilegium contra Baptiſmũ: & illud quidem antecedens peccatum, quamuis cauſa fictionis & ſacrilegij, remittendum fore per vim ipſius Baptiſmi, quia non apparet cur debeat excipi: ſolamquè ipſam fictionis culpam formaliter acceptam, non cadere ſub virtutem Baptiſmi.

Et alia peccata concomitanter commiſſa.

Quartò demum. Si contingat concomitanter committi aliquod peccatũ in ipſa actuali ſuſceptione Baptiſmi, videlicet complacentia de obiecto prauo, aut odium, aut infidelitas, quæri etiam ſolet, num remittendum poſtea ſit virtute Baptiſmi recedente fictione. Sed certè moraliter loquendo non cõtinget, tale peccatum compleri in ipſo præciſè inſtanti quo perficitur Baptiſmus. Sed vel ante hoc inſtans ceſſat quis ab ea praua voluntate. Et ſic etiã ſi eam habuerit in aliqua parte temporis quo conferebatur Baptiſmus, planè computabitur inter peccata antecedentia, atque adeo remittetur virtute Baptiſmi. Vel continuabit quis aliquãtum poſt vltimum inſtans Baptiſmi in eadem praua voluntate; & ſic computabitur inter peccata conſequentia, nec pro tali parte remittetur virtute Baptiſmi. Sed loquendo in caſu cogitabili metaphyſico, quo ea praua voluntas habeatur, ſeu duret in eo præciſè vltimo inſtanti Baptiſmi, & non vlteriùs: negant remitti virtute Baptiſmi, Sotus in 4. d.4. q 5., & Coninch de Sacram. q.62. art.1. dub.6. concl 3. Eo quod tale peccatum concurrens actualiter ſimul cum ipſo Baptiſmo, eodem modo ei directè opponitur, eiuſquè effectum per ſe impedit, ſicut fictio iniurioſa ipſi Baptiſmo. Et per ſe ſubijci debebit clauibus Eccleſiæ cùm concurrat in eodem inſtãti quo homo per Baptiſmum efficitur, & eſt ſubditus Eccleſiæ: ſolaquè peccata commiſſa ante Baptiſmum eximuntur ab hac ſubiectione, ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2.

Sed meliùs Caietan. art.10., Syluius, Nugn, Cabrera ibidem, Vaſq. diſp.160. cap.2., Ioann. de Cruce in Direct. conſcient. par.2. de Baptiſmo q. 4. dub. 4. concl. 2., Villalobos in Sum. tomo 1.

tract.5.

tract. 5. difficul. 10., Diana par. 3. tract. 4. reſol. 14., & alij magis communiter affirmant, remitti etiam virtute Baptiſmi. Et ſatis clarè idem docuit S. Tho.: Qui nõ eſt loquutus ſolùm de illis peccatis quæ ceſſauerint ante vltimum inſtans Baptiſmi, vt exponit Coninch, ſed de omnibus concomitantibus & exiſtentibus ſimul cum Baptiſmo, vtique etiam in vltimo inſtanti quo verè perficitur Baptiſmus, excipiendo ſolùm peccatum ipſum formale fictionis. Et hoc ipſum indicauit etiam D. Auguſtinus. Sumitur quoque ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2., vbi apertè inquit: *Eccleſia in neminem iudiciũ exercet, qui nõ priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus: ſecus eſt de domeſticis fidei, nam hos ſi ſe poſtea*, ſcilicet poſt Baptiſmum, *crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptiſmo ablui, ſed ante hoc tribunal*, ſcilicet in ſacramento Pœnitentiæ, *tanquam reos ſiſti voluit*. Quare Concil. ſola peccata commiſſa poſt Baptiſmum decernit debere ſubijci clauibus Eccleſiæ, atque adeo non remitti virtute Baptiſmi. Ratione denique ſuadetur: quia talis eſt inſtitutio Baptiſmi, & tam ampla virtus eius, vt ad omnia peccata antecedentia & comitantia delenda ſe extendat; & ſolùm peccata conſequentia, & peccatum ipſum fictionis, quod ei directè & formaliter opponitur, & quodammodo etiam conſequitur, ſubijciuntur alteri diſtincto Pœnitentiæ ſacramento.

Vnde patet pariter ad oppoſitum fundamentum. Omne enim aliud peccatum præter fictionem, materialiter ſe habet, & non ei directè opponitur, tanquam iniuria illata ipſi Baptiſmo; ſed impedit eius effectum, ſicut alia peccata antecedentia de quibus homo accedens ad Baptiſmum, non habet ſaltem attritionem, quæ tamen adhuc recedente fictione remittentur virtute Baptiſmi, quamuis fuerint cauſa fictionis. Nec tale peccatum debet ſubijci clauibus Eccleſiæ, quia non ſupponit hominem antecedenter ſubditum ipſi Eccleſiæ. Et ex decreto Concilij, non ſola peccata commiſſa ante Baptiſmũ eximuntur ab hac ſubiectione, ſed potiùs ſola peccata commiſſa poſt Baptiſmum includuntur in hac ſubiectione.

SECTIO QVARTA.

Quæ diſpoſitio poſtea requiratur in homine baptizato ad percipiendos Baptiſmi effectus.

IN primis non ſolùm ij qui abſolutè volebant requiri perfectam contritionem in homine ſuſcipiente Baptiſmum, relati quæſt. ſuperiori ſect. 6., debent etiam hanc diſpoſitionem requirere in homine priùs ficte baptizato, ad hoc vt deinde percipiat Baptiſmi effectus. Sed etiam Vaſq. diſp. 160. cap. 2., ſupponens & admittens ſufficere ab initio attritionem in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, contendit, in homine priùs ficte baptizato requiri poſtea contritionem, ad percipiendam gratiam iuſtificationis & remiſſionem peccatorũ, etiam ſi nec aliud peccatum mortale commiſerit poſt Baptiſmum, nec peccatum fictionis in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, ſed ignorantia & bona fide fuerit excuſatus à noua culpa in ſuſcipiẽdo Baptiſmo abſque debita diſpoſitione. Quia, inquit, nec D. Auguſt., nec alius ex antiquis Scholaſticis, aſſeruit ſolam attritionem in tali caſu ſufficere. Et cùm hæc res innitatur magis auctoritati quàm rationi, non erit id pro arbitratu aſſerendum.

Rectè tamen alij Recentiores communiter admittunt, ſufficere in tali caſu attritionem, ſicut ſufficiebat ab initio in ſuſcipiendo Baptiſmo. Ita Syluius, Nugn., Cabrera hîc art. 10., Suarez diſp. 28. ſect. 5. concl. 1, Coninch q. 62. art. 1. dub. 6. concl. 2., Lugus diſp. 9. de Sacrament. ſect. 4, Bonacina q. 2. de Baptiſ. puncto 7. num. 14., Henriq. lib. 1. cap. 24. num. 1., Diana par. 3. tract. 4. reſol. 14., & alij paſſim. Probatur manifeſte: quia dum dicitur Baptiſmus habere vim conferendi gratiam & remittendi peccata, remoto obice, ſicu ab initio contuliſſet hunc ſuum effectum peccatori attrito, ſed ob defectum attritionis de facto non contulit; quandocunque poſtea talis peccator ſuppetit talem defectum & habebit attritionem, *Sufficit attritio in homine qui non etiam cõſequenter deliquit.*

nem,

nem, ſic deteſtando & retractando priora peccata, non ſuperaddito nouo impedimento, debebit iam Baptiſmus conferre eundem ſuum effectum, & inducere iuſtificationis gratiam. Et alioqui ſi requiratur perfecta cōtritio, quæ per ſe valet peccata remittere, etiam non præmiſſo Baptiſmo; ſic non oportebat eam virtutem Baptiſmo tribuere. Quare illi ipſi qui affirmant, verè Baptiſmum habere talem vim, vltrò etiam afferunt, ſufficere eandem poſtea diſpoſitionem ad præſtandum talem effectum quæ ab initio ſufficiebat. Et Vaſq. ipſe admittit, in eo qui poſt Baptiſmum alia de nouo mortalia peccata commiſit, ſufficere attritionem cum confeſſione poſteriorum peccatorum: ergo ſi non adeſſent alia noua peccata, ſufficeret adhuc attritio de prioribus. Quamuis autem D. Auguſtinus alijquè veteres Scholaſtici non explicauerint ſufficere ſolam attritionem: tamen dicendo Baptiſmum habere vim remittendi peccata homini ſe poſtea diſponenti, ſatis indicarunt ſufficere adhuc eandem diſpoſitionem, quæ ab initio fuiſſet ſufficiens. Vnde non pro arbitratu, ſed ſolido fundamento hoc aſſeritur.

Requiritur contritio vel confeſſio in eo qui conſequenter etiam deliquit.

Secundò. Ex oppoſito Paludan. in 4. d.4.q.5. num 24. probabile cenſet, ſufficere ſolam attritionem, etiam in homine, qui alia peccata mortalia commiſerit poſt Baptiſmum. Et probabile etiam videri admittit Suarez ſect. 5. cit. verſic. *Et confirmatur*. Fundamentum eſt idem quod memorauimus ſect. præcedenti quæſito primo: quia cùm Baptiſmus habeat virtutem remittendi antecedentia peccata cum ſola attritione, ſaltem indirectè & per accidens habebit etiam vim remittendi conſequentia, & ſic ſola attritio ſufficit ad conſequendum tunc effectum Baptiſmi, ſcilicet gratiam iuſtificationis & remiſſionem peccatorum. Sicut per abſolutionem ſacramentalem cum ſola attritione, remittuntur indirectè peccata oblita, ſimul cum peccatis confeſſis quæ directè remittuntur. Et ſicut per ſacramenta viuorum bona fide ſuſcepta cum ſola attritione remittuntur quoque peccata. Et alioqui niſi ad percipiendum effectum Baptiſmi ſufficiat ſola attritio, ſed requiratur perfecta contritio, vel confeſſio & abſolutio ſacramentalis, euaneſceret in tali caſu virtus Baptiſmi; quia iam per aliud remedium, & non per ipſum Baptiſmum daretur remiſſio peccatorum.

Statuendum tamen eſt cum communi ſententia eorundem Auctorum quos pro concl. præcedenti adduximus, & antiquiorum etiam Theologorum, quando quis indiſpoſitè baptizatus commiſerit poſtea noua peccata mortalia, vel indignè & culpabiliter ſic ſuſceperit Baptiſmum, indigere poſtea perfecta contritione, vel ſacramentali confeſſione & abſolutione ad conſequendum effectum Baptiſmi, ideſt gratiam iuſtificationis & remiſſionem peccatorum. Sequitur manifeſtè ex eadem reſolutione tradita ſect. præcedenti quæſito primo & ſecundo: quòd nimirum Baptiſmus non habeat virtutem ad remittenda antecedentia peccata, & peccatum ipſum fictionis ac indignę ſuſceptionis, ſed hæc omnia ſubdantur clauibus Eccleſiæ, ac remitti debeant per aliud ſacramentum nempe abſolutionis, vel re ſuſceptum, vel ſaltem voto incluſo in actu perfectæ contritionis. Quare interim non ſufficit ſola attritio ad conſequendum effectum Baptiſmi.

Et ad oppoſitum fundamentum dici debet, potiùs conſequentia peccata impedire virtutem & effectum Baptiſmi, ne remittat priora cum ſola attritione: quàm virtutem Baptiſmi extēdi ad remittenda etiam poſteriora cum prioribus. In quo non oportet afferre diſparitatem ad ſacramentum Pœnitentiæ & alia ſacramenta: quinimo in hoc omnia pariter ſe habent, vt non habeant virtutem erga peccata conſequentia poſt ſingulorum ſuſceptionē; ſed potius his impediantur quominus ſuam vim exerceant, quam alioqui exercerent in remittendis prioribus peccatis, etiam oblitis & ignotis. Neque ſequitur in tali caſu euaneſcere virtutem Baptiſmi: quia licèt illi coniungi debeat aliud remedium alioqui per ſe ſufficiens: tamen verè priora peccata remittentur virtute Baptiſmi, ita vt

remit-

remittantur quoad totum pœnæ reatum, ad differentiam poſteriorum peccatorum: & conferetur etiam peculiaris gradus gratiæ virtute Baptiſmi, præter eum qui conferri dicetur virtute alterius remedij. Sed hoc totum non perficietur, niſi quando talis homo vel perfectam contritionem concipiet, quę quidem ratione ſui obiecti & motiui omnino complectitur cuncta peccata mortalia: vel cum ſola attritione confitebitur peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, ſiue peccatum ipſum indignæ ſuſceptionis, prætermiſſis alijs prioribus peccatis, quæ directè remittentur virtute Baptiſmi.

In tali caſu virtute vtriuſque remedij ſimul remittuntur omnia peccata.

Tertiò. Quando ſic homo fictè baptizatus, poſtea diſponitur per contritionem aut confeſſionem, & ſic ſimul per virtutem vtriuſque remedij conſequitur ſimul remiſſionem omnium peccatorum; explicauit Paludan. vbi ſupra, per virtutem Baptiſmi remitti directè priora peccata, tàm perſonalia, quàm originale, & indirectè poſteriora peccata; è conuerſo per virtutem alterius remedij remitti directè poſteriora peccata, & directè priora: ſicut per abſolutionem ſacramentalem dicuntur directè remitti peccata confeſſa, & indirectè oblita. Sed tamen in hac re non oportet ita loqui. Tum quia tunc dicuntur aliqua peccata indirectè remitti, quando non aliter directè remittuntur: ſed in huiuſmodi euentu verè omnia directè remittuntur, virtute vnius aut alterius remedij. Tum ſpecialiter, quando fictè baptizatus adhibet poſtea remedium contritionis, hæc non poteſt dici magis opponi directè poſterioribus quàm prioribus, ſed ęqualiter opponitur omnibus. Tum demù, intantum dicitur abſolutio ſacramentalis indirectè remittere peccata oblita, in quantum per ſe inſtituta eſt, & per ſe valet ad illa etiam remittenda, & per ſe apta ſunt ſubijci clauibus ſi in mentem veniant; ſiue quatenus *In vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*, vt ait Sacrum Concilium ſeſſ. 14. cap. 5. Sed in caſu noſtro; nec abſolutio ſacramentalis eſt per ſe inſtituta, nec valet ad remittenda peccata ante Baptiſmum commiſſa, nec illa peccata ſunt apta ſubijci clauibus: & ſimiliter nec Baptiſmus inſtitutus eſt, aut valet ad remittendą peccata poſt illum commiſſa. Itaque vtrumque ex his ſacramentis quando vtraque peccata ſimul iunguntur, eatenus confert gratiam, & remittit directè peccata ſibi ſubiecta; quatenus ſimul alterum quoque confert gratiam, & remittit quoque peccata ſibi ſubiecta: cùm alioqui in tali caſu vnum ſine altero nihil faceret.

Et ſimul naturæ confertur gratia.

Quartò. Cùm certè in eodem inſtanti temporis ambo remedia ſimul operentur ſuum effectum, adhuc dubitari poteſt, num ordine naturæ vnum & quodnam ante aliud conferat gratiam. Ex vna parte enim videtur, priùs conferri debere effectus per illud remediũ quod antecedenter adhibitum eſt, nẽpe per Baptiſmum, & quod reddit hominem habilem ad ſuſceptionem & fructum aliorum ſacramentorum. Ex alia parte videtur potiùs debere priùs conferri effectus per aliud conſequens remedium: quia non confertur per antecedens remedium, ſcilicet Baptiſmum, niſi inquantum aufertur fictio quæ vim illius impediebat, & hæc fictio aufertur per conſequens remediũ. Et ita indicat S. Tho. art. 10. ad 2., dicens: *Fictio non remouetur per Baptiſmũ, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem, qua remota Baptiſmus aufert culpam, &c.* Et ſaltem quando remedium conſequens eſt contritio, ſecluſa abſolutione ſacramentali, id ſatis probabile cenſet Coninch q. 62. art. 1. dub. 6. num. 101. Ac etiam quando remedium conſequens eſt abſolutio ſacramentalis, contendit Vaſq. diſp. 159. num. 22.

Sed potiùs putandum eſt, neutrum remedium conferre ſuum effectum ante aliud, ſed ambo ſimul & in eodem ſigno, loquendo inquam non ſolùm ordine temporis, ſed etiam naturæ: vt abſolutè cenſet ibi Coninch. Etenim ſi vnum ante aliud conferret ſuum effectum, id eſt gratiam iuſtificationis, & remiſſionem peccatorum quæ ei ſubijciuntur; omnino eo ipſo remitterẽtur etiam alia peccata: quia non poteſt intelligi in quodam ſigno remitti quædam peccata per infuſionem gratiæ, &

non

non alia. Nec ſpecialiter poteſt intelligi, priùs remitti per abſolutionem ſacramentalem peccata commiſſa poſt Baptiſmum & in ipſo Baptiſmo, quam per virtutem Baptiſmi peccata commiſſa antea & peccatum ipſum originale. Sed quia ſimul ordine naturę omnia peccata deleantur, dici debeant ambo remedia ſimul conferre ſuum effectum.

Et ad rationem dubitandi pro parte Baptiſmi dicendum eſt, non oportere priùs conferri effectum per illud remedium quod antea adhibitum erat: quia cùm tunc illud fuerit impeditum, & remoueatur poſtea impedimentum per ſucceſſionem alterius remedij habentis ſimilem vim conferendi ſimilem effectum; iam non conferet effectum antea, ſed ad ſummum ſimul. Neque Baptiſmus per ſuum effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, ſed per ſui validitatem & per effectum characteris impreſſum, reddit hominem habilẽ ad ſuſceptionem & fructum aliorum ſacramentorum: quare ſolùm ſequitur, validitatem Baptiſmi, & impreſſionem characteris, antecedere ad effectum alterius ſacramenti: quod veriſſimum eſt, non ſolùm ordine naturæ, ſed etiam temporis.

Ad rationem dubitandi pro altera parte dicendum eſt, non conferri quidem gratiam per Baptiſmum, niſi remota fictione, ſumendo fictionem non formaliter pro ipſa culpa, ſed materialiter pro indiſpoſitione ſeu carentia debitæ diſpoſitionis, atque adeo prius eſſe remoueri fictionem, quàm conferri effectum Baptiſmi. Fatendum etiam eſt, fictionem remoueri, ideſt hominem diſponi per ſubſequens remediũ; atq; adeo prius etiam eſſe, adhiberi hoc remedium, quàm conferri effectum Baptiſmi, Sed adhuc conſiderandum eſt, prius eſſe ordine naturæ, adhiberi tale remedium, quàm conferri ipſiuſmet effectum, inquantum cauſa ordine naturæ præcedit ſuum effectum. Itaque in priori quodam ſigno naturę & cauſalitatis adhibetur hoc remedium, & ſic formaliter aufertur fictio quæ impediebat effectum Baptiſmi, ſiue adhibetur ipſa formaliter diſpoſitio requiſita ad effectum Baptiſmi: & conſequẽter in proximo ſigno naturæ ſimul confertur effectus, non ſolùm per virtutem eius remedij, ſed etiam per virtutem Baptiſmi, vtpote non iam impediti. Et hoc ſolùm voluit S. Tho., qui non dixit, poſt collatum effectum per pœnitentiam ſubſequentem, conferri effectũ Baptiſmi, ſed poſt remotam fictionem per pœnitentiam: quo ſigno ſimul cõfertur gratia per virtutem Baptiſmi ac ipſius Pœnitentiæ. Idque eodem modo verificatur, ſiue hoc remedium conſequens ſit perfecta contritio, ſiue ſacramentalis abſolutio cum attritione.

Confertur coniũctim per modũ vnius.

Quintò demum. Quando ſic per vtrunque remedium ſimul confertur gratia, Suarez diſp.28. ſect.5. ad finem, explicat, non eſſe diuidendos gradus gratiæ, vt vnus conferatur præcisè per vnum remedium, & alius per aliud remedium, tanquam per duas cauſas totales: ſed potiùs totam gratiam indiſtinctè, & per modum vnius, conferri ſimul virtute vtriuſquè remedij, tanquam vnius cauſæ totalis & adæquatæ; maiorem ſcilicet quàm conferretur per ſingula ſeorſim. Hoc impugnat Vaſq. diſp.160.num.24. Quia ſupponit, non ſimul natura per vtrunque remedium conferri gratiam, ſed priùs conferri per conſequens remedium, quo ſcilicet aufertur fictio quæ impediebat vim & effectum antecedentis remedij: & ideo infert, non conferri totam gratiam per modũ vnius coniunctim virtute vtriuſque remedij. Sed cùm dictũ ſit, verè conferri ſimul gratiam virtute vtriuſquè remedij; benè ſtare poteſt, vt coniunctim tota tribuatur ſimul vtriuſque virtute.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO SEPTVAGESIMA

De Alijs Remedijs humanæ ſalutis correſpondentibus Baptiſmo.

IN hac quæſtione S. Thomas non niſi de Circunciſione pertractat, quæ præceſſit Baptiſmum, veluti præparatio ad illum. Verùm ad hanc materiam per ſe ſpectat, non ſolùm de circunciſione, ſed etiam de omni alio conſimili remedio, quod vel Baptiſmum præceſſit, vel etiam nunc poſſit vicem Baptiſmi ſupplere. Et ad hunc locum hæc omnia reducuntur: quæ proinde ſimul hac eadem quæſtione coniungimus. Et quoad circunciſionem S. Thomas attingit etiam ea quæ faciunt ad eius inſtitutionem & ritum. Sed de his non oportet diſtinctè differere: quia ſatis videri poſſunt in textu, & nos etiam attigimus antea pro circunciſione Chriſti. Solùm ergo agemus de vi ipſius circunciſionis, omniſq; alterius remedij correſpondentis Baptiſmo, ad remittenda peccata, & conferendam gratiam. Quatuor ſunt quæ S. Thomas de circunciſione determinat. Primò, fuiſſe præparatoriam & figuratiuam Baptiſmi: quoniam ſicut Baptiſmus eſt fidei ſacramentum, quo aggregatur homo cætui Fidelium; ita circunciſio olim erat fidei proteſtatio, qua antiqui aggregabantur collegio Fidelium. Secundò, fuiſſe conuenienter inſtitutam, & datam Abrahamo: tum quia Abraham primus accepit promiſſionem de Chriſto naſcituro: tum quia primus ſegregatus fuit à ſocietate Infidelium. Tertiò, ritum quoque circunciſionis fuiſſe conuenientem: cùm fuerit à diuina ſapientia inſtitutus. Quartò, quærens num circunciſio conferebat iuſtificantem gratiam, reiectis alijs opinionibus concludit, in circunciſione collatam fuiſſe gratiam, non ex virtute ipſius, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cuius erat ſignum.

SECTIO PRIMA.

De Remedio legis naturæ & Circunciſione: Num habuerit vim remittendi peccatum & conferendi gratiam, ſicut nunc Baptiſmus.

SImul coniungimus Remedium legis naturæ cum Circunciſione: tum quia doctrina tradenda erit communis: tum quia circunciſio ipſi erat determinatio quædam talis remedij, vt videbimus. Vbi in primis, ex dictis quæſt 61. ſect.2. ſupponimus, extitiſſe omni tempore ante inſtitutionem Baptiſmi, remedium aliquod contra originale peccatum, paruulis ſalutare, in cuius videlicet applicatione remittere tur tale peccatum: quamuis ij qui poſt tale remedium ex hac vita decedebant, non

Remedium legis naturæ remittebat peccatum.

ſtatim vitam conſequerentur æternã, ſicut nec iuſti adulti eo tempore decedentes; ſed omnes reſeruabantur in Limbo Patrum, donec per paſſionem & reſurrectionem Chriſti pateheret ianua cæli.

Hinc ſecundò dicendum eſt, circunciſionem, poſtquam à Deo inſtituta fuit, & Abrahamo data, habuiſſe vim huiuſmodi remedij, infantibus ſalutaris, ad remiſſionem originalis peccati. In hac aſſertione, præſcindendo à modo quo talis effectus in circunciſione daretur, de quo poſtea, omnes Theologi hîc & in 4. d. 1. conuenire videntur. Ita teſtatur S. Tho. hac q. art.4. dicẽs: *Ab omnibus communiter ponitur, quòd in circunciſione remittebatur originale peccatum.* Et in 4. d.1. q.2. art.4. quæſtiũc. 2., *Ab omnibus conceditur, quod circunciſio peccatum originale auferat.* Et Scot. d. 1. q. 6. notauit, *In primis eſſe ſupponendum tanquam certum, quòd circunciſio*

Circunciſio etiam remittebat peccatum.

ſio peccatum originale delebat. Recentiores quoque idem pro certo recipiunt.

Sumitur ex Sacra Scriptura

Probari ſolet primò auctoritate S. Scripturæ, Geneſ. 17. *Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. Quem locum D. Auguſt. & alij pleriquè ex Patribus ac Theologis ſic intelligunt: quia paruuli adſtringebantur originali peccato, & niſi per circunciſionē eius remiſſionē obtinebant, fuiſſe damnationis reos. Et hunc ſenſum latè confirmat Suarez ſupra diſp. 5. ſect. 1. Sed tamen alij non pauci Patres & Theologi ſunt, qui ſolùm ibi intelligunt, impoſitum fuiſſe præceptum adultis deſcendentibus ex Abrahamo, vt & ipſi circunciderentur, & filios ſuos circuncidendos curarent; & alioqui in pœnam huius transgreſſionis, impoſitam illis fuiſſe mortem, aut expulſionem ex cætu Fidelium. Quam expoſitionem amplectuntur atque defendunt Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 17., & Vaſq. 1. 2. diſp. 130. cap. 2.

Ex Patribus.

Probatur ſecundò clariùs auctoritate Patrum. Nam circunciſionem inſtitutam fuiſſe in remedium originalis peccati, ſaltem pro paruulis, expreſsè docuit D. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 27., lib. 4. de Baptiſmo cap. 24., lib. 2. de Nuptijs & concupiſc. cap. 11., & lib. 2. de Gratia Chriſti & peccato orig. cap. 30. & 32. Idem docuerunt alij poſteriores Patres, Proſper lib. de Promiſſionib. Dei cap. 14., Fulgent. de Incarnat. & grat. cap. 15., Gregor. lib. 4. Moral. cap. 3., Bernard. epiſt. 77. & ſerm. 3. de Circunciſ. Domini, Beda Homilia quadam de Circunciſ. tomo 7., Rupert. lib. 8. de Operib. Trinit. cap. 33., Hugo lib. 1. de Sacram. par. 12. cap. 24. Idem ex antiquioribus Patribus indicarunt Athanaſ. in Orat. ſuper illa verba *Omnia mihi tradita ſunt, &c.* Cyprian. lib. de Cardinalib. Chriſti operib. cap. de Circunciſ., Ambroſ. Epiſt. 48., niſi hæc cenſeatur Proſperi, & alij plures.

Ex Innocentio Papa.

Probatur præcipuè tertiò auctoritate Innocentij Papæ, qui in cap. *Maiores* de Baptiſmo id expreſsè docuit: *Originalis culpa*, inquit, *remittebatur per circunciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur*. Atque in hoc ſenſu intelligit locum Geneſis; ſicut nempe de Baptiſmo dictum eſt, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*, ita de circunciſione dictum eſſe, *Maſculus cuius præputij caro &c.* Atque Baptiſmum ſucceſſiſſe circunciſioni. Sed dicunt aliqui, Pontificem non ex intento definiendo, ſed ex ſua opinione loquendo, ſic docuiſſe: quia principale eius intentum erat, declarare virtutem Baptiſmi. Sed certè, cùm Pontifex abſolutè loquutus fuerit ſimul de circunciſione ac de Baptiſmo; iam nullo modo eius doctrinæ contradici poteſt. Inſuper cap. *Ex quo* & cap. *Quod autem* de Conſecr. d. 4. hoc idem habetur ex verbis D. Auguſt. & D. Gregorij.

Ratione ex Apoſt.

Probari poteſt quartò ratione, ex Apoſt. deſumpta. Baptiſmus circunciſioni ſucceſſit, vt ſatis clarè habetur ad Coloſs. 2., *In quo & circunciſi eſtis circunciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo*. Vbi Apoſtolus Baptiſmum ipſum vocat circunciſionem. Quod vtique ſic intelligendum eſt: vt non ſolùm quantum ad conſignationem externam, ſed multò magis quantum ad ſanctificationem internam, Baptiſmus circunciſioni ſucceſſiſſe dicatur: atque adeo circunciſionem fuiſſe olim remedium hominibus ſalutare, ſicut nunc eſt Baptiſmus.

Ex ſucceſſione ad commune remedium

Probatur quintò ex priori concluſione: quia fateri oportet, ſemper extitiſſe inter homines remedium paruulis ſalutare: tamen ante circunciſionem non erat determinatus certus ritus externus huius remedij: quando ergo inſtituta fuit circunciſio, intelligetur optimè determinatum fuiſſe illud remedium ad talem ritum. Et alioqui, vel dicet quis, poſt inſtitutam circunciſionem ceſſaſſe penitus illud remedium ſalutare: quod eſt abſurdiſſimum. Vel non ipſam circunciſionem, ſed alium ritum debuiſſe paruulis in remedium adhiberi. Et hoc etiam non rectè dicetur: quia multò meliùs fatendum eſt, circunciſionem ipſam fuiſſe tale remedium.

Ex proportione ſui ritus.

Probatur etiam ſextò: quia ritus ipſe circunciſionis aptam præferebat pro-

proportionem ad hunc effectum. Ita notauit S. Thomas art. 3. ad 1., *Circunciſio conuenienter fiebat in membro generationis, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur, & quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ.* Alias etiam proportionis rationes aſſignauerat in 4. d. 1. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. Ideo circuncifio adhibebatur paruulis, ſcilicet ad eos emundandos ab originali peccato. Licèt enim S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 1. alias etiam rationes huius rei reddiderit: tamen hæc planè eſt optima, ob remedium paruulorum contra originale peccatum. Sicut in vniuerſum propter hanc rationem, remedium olim legis naturæ, & nunc Baptiſmus, in infantili ætate paruulis adhibetur.

Ex inſtitutione ad delendum peccatum.

Hinc ſepti nò colligi poteſt, num circuncifio principaliter in remedium peccati inſtituta fuerit. Nam Suarez diſp. 5. ſect. 1. & Carthag. diſp. 2. de Sacrament. difficul 4. volunt, fuiſſe potiùs primò & principaliter inſtitutam ad conſignandum populum, & diſtinguendum à cæteris nationibus, conſequenter verò fuiſſe ordinatam in peccati remedium. Et afferunt quoſdam Patres, qui in ipſa circuncifione peculiariter aſſignarunt inſtitutum conſignandi populũ. At Cabrera hac quæſt. art 4 defendit, fuiſſe primariò inſtitutã in peccati remedium, & ſecundariò ad conſignandum populum. Et hanc ait eſſe communem ſententiam, ac de mente Patrum, qui vim remittendi peccatum in circuncifione agnouerũt. Sed melius dici poteſt, circuncifionem ſecundùm diuerſas rationes fuiſſe primario & principaliter ad vtrunque effectum inſtitutam. Quatenus enim fuit determinatio quædam communis remedij, & proteſtatio quædam fidei, ſic fuit primariò inſtituta ad delendum peccatum. Quatenus verò relinquebat externum characterem in corpore, ordinabatur ad conſignandum & diſtinguendum populum.

Remediũ legis naturæ & circunc. ſio

Tertiò rurſus dicendum eſt, tàm in circuncifione, quàm in communi remedio legis naturæ, fuiſſe paruulis collatam gratiam ſanctificantem eiuſdem rationis, ſicut nunc in Baptiſmo. Contra hanc aſſertionem opinati videntur Magiſter in 4. d. 1. cap. *Ideo autem*, Varro in 1. d. 41. q. 2., & Gloſa in illud ad Roman. 4. *Signaculum accepit circuncifionis*, dicentes, circuncifionem habuiſſe vim remittendi peccatum, non autẽ conferendi gratiam. Alius etiam dicẽdi modus fuit, datam fuiſſe gratiam in circuncifione quantum ad effectum negatiuum, ſcilicet tollendi peccatum; non vero quantum ad effectum poſitiuum, ſcilicet ſanctificandi hominem: vt refert S. Tho. hìc art. 4. & ſupra q. 62. art. 6 ad 1. Alius quoque modus dicendi fuit, datam fuiſſe gratiam quãtum ad aliquem effectum poſitiuum, ſcilicet facere hominem dignum vita æterna; non vero quantum ad omnem alium effectum, ſcilicet etiam concupiſcentiam reprimere. Et ita putauit olim ipſe S. Thom. in 4. d. 1. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 5., vt hoc loco memorat ac retractat. Qui Auctores, licèt præcisè de circuncifione loquuti ſint, tamen idem intellexiſſe videntur adæquatè de omni remedio legis naturæ. Sed hæc aſſertio eſt apud Theologos communis.

conferebat gratiam, eiuſdem rationis ſicut Baptiſmus.

Et probatur planè: quia remiſſio culpæ non poteſt fieri niſi per gratiam: ergo ſi remittitur culpa, infunditur gratia. Idquè iam conſtat ex certa doctrina tradita generaliter ſuo loco de iuſtificatione. Gratia vero dari non poteſt quantum ad effectum negatiuũ ſolum abſque poſitiuo: quinimo directè & per ſe confert in genere cauſæ formalis poſitiuum effectum, qui eſt ſanctificare hominem, & ita delet peccatum. Nec poteſt dari quantum ad vnum effectum, & non quantum ad omnem alium, loquendo de effectu formali: vt patet ex natura ipſa cauſæ formalis. Verum eſt tamen, quòd reprimere concupiſcentiam, eſt effectus gratiæ potiùs in genere cauſæ effectiuæ. Sed adhuc quatenus gratia ſecum affert virtutes elicitiuas actuum quibus concupiſcentia reprimitur; hanc vim habebat etiam illa gratia, quæ nũquam infunditur abſque ornatu & comitatu virtutum.

Admitti tamen poteſt: quia tunc

[illegible]

non dabatur tanta gratia quanta nunc in Baptiſmo, vt aduertit S. Tho. art. 4. conſequẽter illam gratiam non ſecum attuliſſe tantam vim, quantam gratia quæ nunc datur. Imò præterea nunc gratia baptiſmalis ſecum affert etiam alia auxilia actualia, conferenda ex opere operato in virtute ipſius Baptiſmi; & hoc dici poteſt non conueniſſe illi antiquo ſacramento. Sicut inſuper Baptiſmus nunc ſimul remittit totum pœnæ reatum, non vero olim circunciſio, vt notat idem S. Tho. art. 4. ad 5. Demum Baptiſmus conferendo gratiã, aperit ianuam regni cæleſtis: quem effectum non habebat olim circunciſio. Et hoc diſcrimen aſſignauit Innoc. Papa cap. allegato. Et quomodo intelligendum ſit, explicat S. Thomas art. 4. ad 4.

Non conferebat gratiam niſi ad remittendũ peccatum.

Quartò tandem dicendum videtur, tàm in circunciſione, quàm in communi remedio legis naturæ, fuiſſe collatam ſolùm primam gratiam ſanctificantem, qua ſcilicet primò remitteretur peccatum; & alioqui ſi applicabatur homini iam priùs adepto gratiam, non habuiſſe vim conferendi augmentum gratiæ. Iuxta hanc concluſionem poteſt ſatis commodè intelligi mens Magiſtri: qui hoc diſcrimen poſuit inter circunciſionem atque Baptiſmum; quod in Baptiſmo, quantumuis antea iuſtificatus quis, recipit nouum augmentum gratiæ, in circunciſione vero remittebatur ſolummodò peccatum, per collationẽ tamen primæ gratiæ. Et ita notauit Scotus eadem diſt. 1. q. 6. §. *De potentia* verſic. *Vel tertio modo*. Qui etiam id ex parte fatetur, dicens, circunciſionem non habuiſſe vim augendi gratiam quando illam inueniebat in quodam certo gradu. Sed abſolute dici debet, non habuiſſe vim augendi gratiam, quandocunque illam inueniebat in quocunque gradu. Idem ſignificarunt Hugo in Quæſtionibus ſuper Epiſt. ad Roman. q. 111., & Alenſis 4. par. q. 4. memb 7. art. 4. ad 3., propterea dicentes, circunciſionem non profuiſſe Abrahamo ad conferendam gratiam, ſed tantùm fuiſſe in illo ſignaculum quoddam.

Suadetur.

Et hinc probari poteſt cum iiſdem Auctoribus hæc aſſertio primò, ex illis verbis Apoſtoli ad Roman. 4., *Reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam, non in circunciſione, ſed in præputio, & ſignum accepit circunciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei*. Vnde videtur colligi, Abraham qui iam erat in gratia, non accepiſſe aliam de nouo per modum augmenti virtute circunciſionis. Vbi Hieronym. ſic exponit, *Ne dixeris ergo ſuperfluè circunciſus eſt Abraham, ſignum dicit eſſe iuſtitiæ, non augmentum*. Et alij Patres ac Doctores ibidem notare ſolent. *ex Apoſtolo.*

Suadetur ſecundo ratione: quia intantum concedimus in illo antiquo ſacramento collatam fuiſſe gratiam, inquãtum neceſſitas cogit ob remedium & remiſſionem peccati. Quando ergo inueniebatur peccatum remiſſum & gratia collata, expedit non ampliare effectum & vim illius antiqui ſacramenti. Et certe remedium legis naturæ ante circunciſionem, non alia ratione à Theologis excogitatum & inductum eſt, niſi neceſſitate cogente ad remedium peccati: cùm alioqui in ſacris litteris non inueniatur expreſsè tale remedium; & ſecluſa ea neceſſitate, nunquam de eo cogitatum eſſet. Nulla ergo ſupereſt ratio vt dicamus, etiam poſt obtentam primam gratiam, illud remedium habuiſſe vim eam augendi. Quare nec etiam de circunciſione id admittendum erit: quia circunciſio non habebat maiorem vim quam illud remedium, quod etiam poſt inſtitutam circunciſionem adhuc pro feminis remanſit. *Suadetur ratione.*

Probatur præcipuè tertio: quia vel circunciſio aliudue remedium applicabatur adultis, vel infantibus. Si adultis, alia rurſus ratione ſect. ſequenti dicemus, non habuiſſe vim conferendi illis gratiam. Si infantibus, non poterat infans inueniri iuſtificatus, niſi per antecedentem iam applicationem remedij; at poſt ſemel factam talem applicationem, non poterat in illis augeri gratia, vel per repetitionem eiuſdem remedij, vel per applicationem alterius conſimilis. Vnde ſi quis paruulus erat antea iam iuſtificatus per commune remedium legis naturæ; & poſtea circuncidebatur, non propterea maiorem

gra-

Digitized by Google

gratiam de nouo recipiebat: quia circuncisio ſe habuit ſolùm vt determinatio quædam communis remedij. Vnde ſicut eidem paruulo non poterat per diuerſos ritus exercendi commune remedium augeri noua & noua gratia: ita nec etiam per ipſam circuncisionē.

Sed contra priores concluſiones obijci poſſunt illa quę ſolent afferri ad probandum circuncisionem nō fuiſſe cauſam gratiæ ex opere operato: quæ potiùs probare videntur, nullo modo in circuncisione fuiſſe collatam gratiam. Ad hæc omnia tamen commodiùs dicemus ſect. 3., poſt explicatum modum quo tunc conferebatur gratia.

SECTIO SECVNDA.

Num Remedium legis naturæ & Circunciſio habuerit vim iuſtificandi ſolùm paruulos ab originali, vel etiam adultos ab omni peccato, ſicut nunc Baptiſmus.

Sententia affirmans habuiſſe vim iuſtificandi etiam adultos ab omnibus peccatis.

HAbuiſſe vim iuſtificandi etiam adultos ab omnibus peccatis, affirmant Magiſter in 4.d.1.cap. *Fuit tamen*, D Tho. ibi q.2.art.4 quæſtiunc.3.ad 4, Durand. q.7.num.14, Paludan.q.1.art.4., Riccard. art 6. q.3, qui in ſpecie de circuncisione loquuti ſunt. Et expreſsè de omni remedio defendit Cabrera q.62. art.6. diffic. 1. concl.3, dicens, adultos habentes peccata mortalia, potuiſſe cum ſola attritione per vim talis remedij iuſtificari & ſaluari, & Henriq. lib.1. de Sacram. cap.5. §.5 & cap 7. § 2. Sotus autem in 4.d.1. q.1. art.4. ad 5., id affirmat de circuncisione, negat de omni alio remedio. Multum etiam fauet S. Thomas hic art. 4. ad 5. Affert quoque Magiſter ex D. Auguſt. lib. 1. de Nuptijs & concupiſc. cap.11. hæc verba: *Ex quo inſtituta eſt circunciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & paruulis, originalis veteriſque peccatis ſicut Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo inſtitutus eſt.* Sumi etiam idem poteſt ex ipſa Scriptura; quia vtique non ſolùm de paruulis, ſed etiam de adultis dictum eſt illud, *Maſculus cuius præputij caro &c.* Quare ſi inde colligitur vis circuncisionis ad remittendum peccatum, non debet reſtringi ad paruulos, ſed extendi etiam ad adultos. Addi poteſt ratio: quia alioqui circuncisio reſpectu adultorum non fuiſſet ſacramentum, ſicut erat reſpectu paruulorum.

Concluſio negans.

Dicendum tamen videtur, nec remedium legis naturæ, nec in ſpecie circuncisionem, habuiſſe vim iuſtificādi adultos à quocunque peccato, ſed tantùm paruulos ab originali: & adultos non niſi per actum perfectæ dilectionis Dei aut contritionis iuſtificari potuiſſe. Ita cenſent Canus in Relect. de Sacram. par. 5. Nugn. hic art. 4. dub.2., Coninch q.62. art. 6., Suarez diſp. 10. ſect.1. concl.3., Lugus diſp.3. ſect.2. & diſp. 5. ſect.4. dub. 5. & alij hoc loco, Vaſq. 1.2. diſp 184 nu.31., vbi teſtatur, iam non recipi a Theologorum ſchola oppoſitam ſententiam.

Probari poteſt primò illis auctoritatibus, quæ negare videntur circuncisioni vim iuſtificandi à peccato. Et præſertim eodem Abrahami exemplo ſupra allato. Poſſunt enim hæc vno modo non incongruè intelligi per reſpectum ad ipſos adultos, vt dicemus ſect. ſequenti.

Secundò. Tota ratio quæ inducit & cogit ad tribuendam vim iuſtificandi ipſi circuncisioni aut alteri remedio, vrgebat tantùm reſpectu paruulorum, vt patet ex dictis: non ergo debet etiā ad maiores extendi: cùm ex alia parte regula generalis ſit, proprium eſſe legis euangelicæ eiuſque ſacramentorum, conferre gratiam: & antiquam legem potiùs fuiſſe oneri, non ſubſidio, quod quidem maximè intelligitur reſpectu adultorum.

Tertio. Sicut certe olim poſt primā applicationem remedij ſalutaris, non extabat vllum aliud ſacramentum ad remiſſionem actualium peccatorum, quæ poſtea committebantur, ſed non niſi per contritionem poterant adulti a ſuis peccatis commiſſis iuſtificari: ita pariter ab initio ſentiendum eſt, non potuiſſe adultos per vim ſacramenti iuſti-

iuſtificari: & ſolùm admittenda eſt exceptio paruulorum, quibus non poterat aliter ſubueniri.

Quartò. Remedium legis naturæ ante inſtitutam circuncisionem, certè pro ſalute tãtùm paruulorum à Theologis excogitatum eſt: & plerique expreſsè notant, non valuiſſe pro adultis: ergo idem eſt etiam de circunciſione ſentiendum. Quæ, vt dicebamus, non habebat maiorem vim, quàm commune legis naturæ remedium.

Quintò demum. Adeo difficile viſũ eſt, ſacramenta habere vim conferendi gratiam adultis nondum iuſtificatis, cũ ſola attritione accedentibus, vt multi id negauerint: ergo ſi tandem conceditur noſtris euangelicis ſacramentis, non debet etiam ad vetera extendi. Sed ad ſummum hæc erit virtus propria noſtrorum ſacramentorum; faciendi, vt dicitur, ex attrito contritum; id eſt conferendi gratiam peccatori cum ſola attritione accedenti.

Diluuntur oppoſita fundamenta.

Ad auctoritatem S. Thomæ in hac quæſt. reſpondet Suarez: illum non dixiſſe, quod per circunciſionem adulti conſequebantur remiſſionem originalis & actualium peccatorum: ſed quòd quando circuncidebantur, conſequebantur: idquè debere intelligi per actum contritionis tunc ab eis eliciendum.

Ad auctoritatem D. Auguſtini reſpõdetur, non illo modo legi in textu, ſed ita: *Ex quo inſtituta eſt circunciſio in populo Dei, quod erat ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat & paruulis originalis veteriſquè peccati*. Vbi duo obſeruanda ſunt. Primùm, non dici ad purgationem, ſed ad ſignificationem purgationis: quare ſi referatur ad adultos, non tribuit circunciſioni vim purgandi peccatum, ſed ſignificandi purgationem. Secundum, non dici magnis & paruulis, ſed tantùm paruulis, & non fieri mentionem niſi originalis veteriſquè peccati. Vnde potiùs verba Auguſtini faciunt pro noſtra concluſione. Et quidem circunciſio in adultis erat tantùm ſignaculum quoddam; in paruulis verò erat remedium originalis peccati.

Ad auctoritatem illam Scripturæ, ſi referatur ad adultos, habet ſenſum de obligatione præcepti, & pœna impoſita tranſgreſſoribus. Si referatur ad paruulos, habet ſenſum de neceſſitate medij, & virtute circunciſionis ad remittendum originale peccatum. Et ita per reſpectum ad diuerſos, ſcilicet paruulos & adultos, conciliari aliquo modo poſſunt duæ illæ ſententiæ, ſect. præcedenti relatæ, circa intelligentiã eius loci.

Ad rationem denique reſpondetur, circunciſionem reſpectu etiam adultorum verè habuiſſe rationem ſacramenti, ſicut alia vetera ſacramenta. Quod plerique declarant, per hoc quòd ſignificabat & præfigurabat gratiam in Baptiſmo poſtea conferendam. Sed potiùs declarari debet per hoc quod tunc actualiter conferebat ſanctificationem externam & legalem, vt in communi de veteribus ſacramentis antea dicebamus. Nec eſt inconueniens dicere, maiorem vim ſacramentalem habuiſſe reſpectu paruulorum quàm adultorum, inquantum paruulis conferebat etiam internam ſanctitatem & gratiam.

Reſpectu paruulorũ ſufficiebat commune remedium extra populum Hebræum.

Deinde reſpectu ipſorum paruulorũ videndum eſt, num etiam poſt inſtitutam circunciſionem, habuerit adhuc in illis locum & vim, commune remedium legis naturæ, vel fuerit in illis ſimpliciter neceſſaria circunciſio. Et primò quidem facilè conſtat, valuiſſe adhuc commune remedium pro alijs populis non deſcendentibus ab Abrahamo, qui videlicet præcepto circunciſionis non adſtringebantur, vt exploratum eſt. Imò etiam pro deſcendentibus ex Abrahamo mediante Iſmaele, & rurſus mediante Eſau nato ex Iſaac: quia lex circunciſionis videtur adſtrinxiſſe tantùm progeniem Abrahami deſcendentem ex Iſaac, & rurſus inter duos filios ipſius Iſaac deſcendentem tantùm ex Iacob, vt tractat Vaſq. hîc diſp. 162. cap. 1. Quamuis obligauerit etiam ipſum Abrahamum, & ſic omnem alium patremfamilias ex ſtirpe Iacob, ad circuncidendos etiam omnes alios domeſticos, qui in eius familia manere volebant, & ſeruos qui manere cogebantur. Et potuerint etiam quicunque

alij

Digitized by Google

alij pro ſuo arbitrio vti circunciſione, tanquam ſalutari remedio. Et ſic Arabes quoque progeniti ex Iſmaele, & Idumæi progeniti ex Eſau, retinuerunt circunciſionem. Item in eadem progenie Abrahami deducta per Iacob, ideſt in ipſo populo Hebręo & Iſraelitico cõſtat, valuiſſe adhuc commune remedium pro omnibus feminis: ſiquidem circunciſio pro ſolis maſculis inſtituta fuit, qui erant eius capaces: neque per hoc fuerunt feminæ ſalutari remedio deſtitutæ.

Non ſufficiebat in populo Hebræo, ſecluſa neceſſitate.

Secundò. Etiam circa maſculos populi Iſraelitici, ſignificarunt aliqui, potuiſſe adhuc illis liberè & ſalubriter applicari ac prodeſſe commune remedium, ad remittendum illis originale peccatum, & conferendam gratiam. Et ita defendit Lugus diſputat. 5. de Sacram. ſect 4. dub. 4. Verum ex dictis de circunciſione ſatis apertè colligitur, circunciſionem fuiſſe in illo populo per ſe loquendo neceſſariam, non tantùm obligatione pręcepti, ſed etiam determinatione medij, ad iuſtificationem & ſalutem paruulorum. Et hæc ſine dubio fuit ſententia D. Auguſtini & aliorum Patrum, atque Theologorũ, qui ex ipſo hanc vim in circunciſione cognouerunt. Et ſumitur ex ipſa Scriptura, ſi intelligatur de valore circunciſionis ad remitendum originale peccatum, pariter indicante neceſſitatem: *Maſculus cuius preputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Habetur etiam clarè ex Innocentio Papa in cap. *Maiores.*

Sufficiebat in caſu neceſſitatis.

Tertiò tamen, Quia Deus iuſſerat, ad octauum vſque diem à natiuitate infantis circunciſionem differri, dubiũ oritur, an ſi infans incidiſſet mortis periculum ante illum terminum, debuiſſet tunc circuncidi, vel alio communi remedio adiuuari. Magiſter in 4.d.1. cap. vlt. ait, fortaſſe tunc potuiſſe infantem circũcidi ante octauum diem, & alioqui caruiſſe remedio. S. Thomas etiam ibi q. 2. art.3.quęſt. 1., Maior q. 8., & quidã alij dixerunt, illam circunſtantiam temporis non fuiſſe de neceſſitate ſimpliciter, ſed tantùm veluti ceremoniam quandam de ſolemnitate illius ſacramenti.

Communior ſententia eſt, non debuiſſe nec potuiſſe in tali caſu pręueniri circunciſionem, ſed propter neceſſitatẽ valuiſſe adhuc commune remedium legis naturæ alio modo exercendum. Ita S. Thom. hìc art. 3. ad 3. & art. 4. ad 3., Alenſ. 4. par. q. 4. memb. 6.art. 2., Bonau. in 4. d. 1.art. 3. q.1., Sotus d. 2. q. 1. art.3., & Recentiores communiter. Idque eſt magis rationabile: quia cùm circunciſio eſſet remedium adeo aſperum, non expediebat adhiberi infantibus in mortis periculo conſtitutis. Ac etiam ſi periculum non immineret ex morbo, ſed ex cauſa extrinſeca, vt incendio, inundatione vel ſimili; adhuc non erat pręuertendum tempus illud prẹſtitutũ à Deo. Nec ex alia parte veriſimile eſt, eos infantes fuiſſe omni remedio deſtitutos. Propter neceſſitatem ergo valebat adhuc illis commune remediũ legis naturę: ſicut per ſe valebat feminis. Et fortaſſe, quamuis etiam illicitè ante tempus adhiberetur alicui circũciſio: tamen valebat adhuc quãtum ad effectum iuſtificationis, vt indicauit D. Auguſt. Epiſt. 203.

Et quãdo circunciſio non fuerat ritè adhibita.

Quartò rurſus, Alius caſus erat, ſi infans aliquis fuiſſet à quopiam circunciſus abſque debita intentione, vel tẽporis expectatione, ſi hæc dicatur fuiſſe ad validitatem quoque neceſſaria: Vaſq. diſp. 263. cap. 2. ex Epiphanio docet, potuiſſe, ac debuiſſe, & conſueuiſſe talem iterum circuncidi: & ita in more fuiſſe apud Iudęos, quando aliqui ex Samaritanis, qui etiam circuncidebãtur, ad eos tranſibant. Aitquè Vaſq., in hoc magis eſſe credendum Epiphanio, vtpote natione Iudęo, quàm Auguſtino, qui Epiſt. 203. id indebitum & impoſſibile reputauit. Sed tamen, eſto id fieri poſſet, ſaltem non videtur fuiſſe debitum ac neceſſarium: atque adeo tũc pariter valere potuiſſe commune remedium legis naturæ, pro ſalute talis infantis.

Populus in deſerto ex diuina diſpoſitione non fuit circũciſus.

Quintò demum, Difficultatem affert: quod populus egrediens ex Ægypto, quandiu per deſertum iter agebat, circunciſus non eſt, ſpatio ſcilicet quadraginta annorum, vt narratur Ioſue 5. Hinc ergo fateri oportet, pro eo tẽ-

pore

Digitized by Google

pore circuncisionem non fuiſſe de neceſſitate præcepti. Nec enim credibile eſſet, populum toto eo tempore, vidente & conniuente Moyſe, in hoc communi & publico peccato manſiſſe. Vnde plerique notant, interceſſiſſe peculiarem diſpoſitionem Dei pro eo tempore. Hoc non approbat Suarez in Comment. art. 3. Atque, ex natura ipſa rei, ob rationabilem cauſam itineris, populum fuiſſe excuſatum, qui erat quaſi in continuo motu. Sed potiùs hæc ſola ratio non videbatur ſufficiẽs: præcipuè quia in illo itinere interdum populus notabili ſpatio in vno loco cõſiſtebat. D. Thomas art. 4. ad 3. duas rationes excuſationis affert. Primam, quia populus neſciebat quando caſtra mouenda eſſent. Secundá ex Damaſc., quia cùm interim populus ſeorſim ab omnibus alijs gentibus in ſolitudine habitaret, non indigebat circuncisione, quæ erat ſignum ab alijs nationibus diſtinctiuum. Sed hæ ipſæ rationes per ſe non ſufficiunt. Indicant tamen peculiarem Dei diſpenſationem, ob huiuſmodi congruentias. Addit Vaſq. diſp. 164. cap. 2., non ſolùm ex diſpenſatione, ſed ex iuſſione Dei fuiſſe prætermiſſam circuncisionem in deſerto. Et rationem huius iuſſionis fuiſſe in pœnam Hebræorum, qui increduli fuerãt & murmurauerant, audientes relationem exploratorum redeuntium ex terra promiſſa.

Et tunc etiam ſufficiebat commune remedium.

Quod verò attinet ad neceſſitatem remedij ſalutaris pro eo tempore. Vnus dicendi modus eſſe poteſt, tunc paruulos nullo alio remedio potuiſſe iuuari; nullos tamen, niſi circuncisos antea in Ægypto, fuiſſe mortuos in deſerto, & de alijs poſt egreſſum natis dictum eſſe Pſal. 104., *Non erat in tribubus eorum infirmus*. Alius dicendi modus eſt, ſi tunc neceſſitatis articulus ob mortis periculum contingebat, potuiſſe paruulos communi remedio alio modo adiuuari. Vtrumq; dicendi modum affert S. Thomas art. 4. ad 3. Sed potiùs abſolutè videtur, pro eo tempore populum fuiſſe relictum in communi vſu legis naturæ, ſicut ante inſtitutam circũciſionem: ita vt etiam abſque neceſſitate poſſent paruuli communi remedio iuſtificari. Dum enim pro tunc ceſſauit obligatio circuncisionis, conſequenter ſucceſſit vſus communis remedij. Nec videretur congruum, non potuiſſe toto illo tempore Hebræorum filios ſacramenti beneficio iuſtificari.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Remedium legis naturæ & Circunciſio habuerit vim iuſtificandi, vt cauſa conferens gratiam ex opere operato, ſicut nunc Baptiſmus.

Ratio difficultatis eſt: quia propter differentiam inter noua & vetera ſacramenta, ac peculiarem dignitatem & vim noſtrorum ſacramentorum, & ob plurimas auctoritates, quæ negare videntur veteribus ſacramentis, & in ſpecie ipſi circunciſioni, illam vim quæ tribuitur noſtris; neceſſarium videtur dicere, ſaltem diuerſo modo fuiſſe datã olim gratiam in remedio legis naturæ & circunciſione, quàm detur nunc virtute Baptiſmi.

Non ſe habebat vt merum ſignum.

Primò ergo S. Tho. q. 62. art. 6. ad 3. & hac q. art. 4. docet, gratiam fuiſſe datam in circunciſione tanquam in ſigno, ſigno ſcilicet fidei: & non ex virtute ipſius circunciſionis, ſicut nunc ex virtute Baptiſmi: ſed ex virtute fidei. Et idem docet hîc ad 2. de quocunq; actu externo quo olim exercebatur remedium legis naturæ. Hinc plures Theologi defendunt, circunciſionem non fuiſſe cauſam gratiæ, ſed tantùm ſignum, Capreol., Hiſpalenſ., Ledeſma in 4. d. 1. Valent. hic, Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 13., Vaſq. 1, 2. diſp. 184., & alij.

Verùm, hoc non poteſt intelligi & ſuſtineri, quaſi circũciſio fuerit merum ſignum gratiæ, id eſt figura repræſentãs gratiam, ſiue merum ſignum cognoſcẽdi: ſed omnino oportet aliquem modũ cauſalitatis illi concedere pro antiquo tempore ad conferendam gratiam. Sequitur planè ex hactenus dictis & probatis. Nam vtique dicere valebat, ideo huic infanti datur gratia, quia circunciditur,

ciditur, quia ei applicatur tale remedium. Et nomen ipſum remedij idem denotat. Quod enim eſt merum ſignũ ſanitatis, non dicitur remedium: ſed remedium non eſt niſi quod ſanat, & aliquo modo confert, & cauſalitatem habet ad ſanandum. Etſi ergo circunciſio dicatur ſignum gratiæ, debet omnino intelligi, non tantùm cognoſcendi, ſed etiam faciendi, quod eſt aliquo modo cauſatiuum rei quam ſignificat.

Nec poteſt intelligi, circunciſionem fuiſſe merum ſignum fidei, cui tota cauſalitas tribuatur. Quærendum eſt enim, an ſufficiebat ſola fides interna miniſtri, etiam ſine actu circunciſionis externo: & ſic certè non ipſa circunciſio, non actus externus, fuiſſet ſalutare remedium; & fruſtra diceretur, in ipſa circunciſione & remedio datam fuiſſe gratiam. Quandoquidem anteà poterat haberi, & ordinariè habebatur actus fidei. Sicut etiam nunc, ſi peccator conteratur, & in ſignum ſuæ contritionis ſibi pectus tundat, aut alium externum actum faciat, non diceretur iuſtificari per talem actum externum; ſed ſolùm per actum contritionis internũ. Vel præter actum fidei internum erat etiam neceſſarius ipſe actus externus circuncidendi infantem: & ſic omnino ipſa circunciſio habebat aliquam rationem cauſalitatis ad conferendam gratiam, ſaltem per modum conditionis.

Neque putandum eſt, S. Thomam voluiſſe oppoſitum. Cùm potiùs expreſsè art. 3. ad 1. dicat, circunciſionẽ fuiſſe in remedium peccati. Et eodem art. 4. in fine corporis, dum concludit, *Baptiſmus copioſiorem gratiam confert quàm circunciſio*, planè dicere voluit, circunciſio etiam conferebat gratiam. Dum verò dixit, non in virtute circunciſionis, ſed fidei, collatam fuiſſe gratiã; præcipuè docere voluit, quia circunciſio erat ſignum proteſtatiuum fidei paſſionis Chriſti, ideo ex diuina ordinatione fuiſſe inſtitutam ad conferendam gratiam. Sed quoniam q. 62. art. 6. ſimili modo loquutus eſt de omnibus veteribus ſacramentis, non eſt putandum voluiſſe circunciſionem & reliqua coæquare: ſed reliquit id cum debita diſtributione accipiendum; ſcilicet alia ſacramenta fuiſſe ſigna fidei, quæ debebat eſſe in eodem homine illa ſuſcipiẽte, & debebat eſſe fides viua, perfectæ contritioni ſeu dilectioni coniuncta: ad circunciſionem verò ſufficeret, quod abſolutè eſſet inſtituta tãquam ſignum proteſtatiuum fidei.

Secundò ergo dixerunt aliqui, circũciſionem fuiſſe tantùm conditionem, non verò cauſam gratiæ, ſicut nunc eſt Baptiſmus. Quanam verò ratione non fuerit propriè cauſa, ſed conditio, non eodem modo explicant. Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 6. & d. 2. q. 1. art. 4. inquit, merita Chriſti venturi fuiſſe cauſam, & circunciſionem fuiſſe cõditionem, quia erat velut applicatio, ſicut approximatio eſt conditio ignis ad calefaciendũ. Sed certè, etiam nunc in Baptiſmo, non minùs merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ gratiæ; & Baptiſmus pariter eſt applicatio illorum: quod non tollit quominùs dicatur ſuo modo cauſa. Ideo dixerunt alij, fidem & merita Eccleſiæ per applicationem circunciſionis fuiſſe cauſam gratiæ. Et pro hac parte refertur Durand. in 4. d. 1. q. 8., qui tamen id de ſolo remedio legis naturæ dixit, aliter de circunciſione ſentiens. Sed neque hoc rectè dicitur: tum quia ſine fundamento aſſeritur: tum quia potiùs dici debet gratia dari immediatè ex meritis Chriſti, quàm ex meritis Eccleſiæ, in vſu ſacramenti: tum quia non apparet ad quid iuuet talis modus dicendi. Alij ergo dixerunt, cauſam gratiæ tunc fuiſſe fidem & meritum parentum, ſiue illorum qui circuncidebant infantem, aut applicabant aliud remedium. Ita indicant Bonauent. in 4. d. 1. art. 2. q. 1., & Riccard, art. 5. q. 1. & 2. Sed non rectè; tum quia determinari non poteſt, an meritum illud eſſet de condigno vel de congruo: tum quia ſi fides & meritum non ſufficiebat, ſed requirebatur actio externa; vtraque dici debebat cauſa ſuo modo ſaltem moralis: videlicet fides per modum meriti, & actus externus ratione pacti: tum etiam ideo in noſtris ſacramentis, non ſola materia aut forma, ſed vtraque ſimul dicitur cauſa gratiæ: tum demum nõ apparet ad quid iuuet dicere, fidem fuiſſe cauſam, circunciſionem

Neque tantùm eſt conditio.

Digitized by Google

ſionem fuiſſe conditionem, ad conferendam gratiam.

Addit Lugus diſp. 4. de Sacram. ſect. 5. num. 74., circuncisionem fuiſſe tantùm conditionem, & non cauſam, ad conferendam gratiam: quia non ipſa circuncisio mouebat Deum ad conferendam gratiam, ſed ſolum erat ſignum inſtitutum à Deo. At noſtra ſacramenta eſſe cauſam gratiæ: quia ipſa habẽt vim mouendi Deum, tanquam orationes & operationes Chriſti, ſicut preces Chriſti mouebant Deum ad operandũ miraculum. Sed certè non poteſt intelligi, quòd noſtra ſacramenta moueant Deum, quaſi noua merita Chriſti, ſed ſolùm tanquam applicatio priorum meritorum Chriſti: at ſic etiam circuncisio ſe habebat tanquam applicatio meritorum Chriſti, & ſic habebat vim ex paſſione Chriſti. Et differentia ſolùm remanet in hoc, quòd noſtra ſacramenta valent ex meritis Chriſti præteritis, ſed antiquum ſacramentum valebat ex meritis Chriſti futuris. Item quòd noſtra ſacramenta inſtituta ſunt immediatè à Chriſto, & aliqua administrantur verbis ipſius Chriſti, non tamen ómnia vt patet: ſed antiquum ſacramentum fuerat inſtitutum à Deo. At hinc non fit, vt circuncisio dicatur tantùm conditio & non cauſa, ad differentiam noſtri Baptiſmi. Neque hic loquendi modus iuuat ad conſtituendum verum diſcrimen inter vim circuncisionis, & Baptiſmi ad conferendam gratiam: vt fatetur ipſe Lugus diſp. 5. ſect. 2. num. 26.

Neque vt cauſa inadæquata ſimul cum fide miniſtri.

Tertiò ergo explicarunt alij, circuncisionem non fuiſſe cauſam adæquatam gratiæ, ſed non niſi cum fide miniſtri coniunctam, quæ eſſet ſimpliciter neceſſaria. Et ita à Baptiſmo differret, qui ita adæquate eſt cauſa gratiæ, vt etiam à miniſtro infideli exhibitus valeat, & effectum conferat. Ita ſentiunt Canus in Relect. de Sacram. par. 5., Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 13., Carthagena diſp. 2. difficul. 3., Lugus diſp. 3. ſect. 2. & diſp. 5. ſect. 4. Eo quod antiquum ſacramentum dicebatur applicatio & proteſtatio fidei. Imò Vaſq. hic diſp. 165. num. 36. inclinat ad dicendum, neceſſariam fuiſſe fidem charitate formatam. Eo quod per modum meriti impetrabat gratiam infanti.

Sed potiùs dici debet, ipſa actio externa facta cum tali intentione, fuiſſe ſufficiens & adæquata cauſa ad conferendã gratiã: ſicut apud nos Baptiſmus, etiam ſine fide miniſtri collatus. Ita affirmant D. Antoninus 3. par. tit. 14. § 2., Paludan. in 4. d. 14. art. 5., Maior d. 1. q. 4., Sotus d. 2. q. 2. art. 4. ad 2., Suarez diſp. 10. ſect. 1. & diſp. 13. ſect. 4., Cabrera q. 61. art. 3. d. 4., & alij hoc loco. Idemque ſupponebat ſupra Durandus. Probatur, tum auctoritate D. Auguſt., qui id ſatis clarè docuit Epiſt. 203., lib. 2. cont. littera Petil. cap. 72., & lib. 1. cont. Creſcon. cap. 31. Tum ratione: quia quantum ad hoc procedit par ratio, quæ de Sacramentis in genere, & de ipſo Baptiſmo, ſuis locis oſtenſum eſt, non requiri fidem miniſtri. Tum quia in ſpeciali de circuncisione & antiquo remedio non eſt vnde oppoſitũ demonſtretur. Quando enim dicitur antiquum remedium & circuncisio valuiſſe, quia erat applicatio & proteſtatio fidei: hoc non tam intelligitur de fide illius qui erat miniſter; quàm vel de fide totius Eccleſiæ; vel potius de fide obiectiuè ſumpta, ideſt pro rebus ipſis credendis. Non ergo per coniunctionem fidei in ipſo miniſtro, ſed per ſe ex inſtitutione diuina, erat cauſa adæquata gratiæ, cauſa inquam ſacramentalis, ſicut nunc Baptiſmus. Quare multò minus requirebatur ſtatus gratiæ & charitatis in miniſtro. Neque ex merito miniſtri impetrabat gratiam infanti, ſed conferebat ex inſtitutione Dei, etiam ſi miniſter ex parte ſua actum miniſtrandi aliqua praua circunſtantia vitiaret. Et alioqui fuiſſet valde incertus effectus illius remedij, & valde dubia ſalus infantis.

Non differens à Baptiſmo per cauſalitatem moralem & phyſicam.

Quartò itaque alij plures non aliud diſcrimen inter Baptiſmum & antiquũ ſacramentum aſſignant: niſi quòd illud ad ſummum erat cauſa moralis, ad cuius ſcilicet præſentiam ſeu exhibitionẽ Deus ipſe infundebat gratiam, Baptiſmus autem tanquam inſtrumentum phyſicum operetur. Ita Ferrarienſ. 4. cont. Gent. cap. 57., & alij ex ijs qui

vole-

volebant noſtra ſacramenta per modũ cauſæ phyſicæ efficere gratiam. Et in re videtur dicere voluiſſe Cabrera q. 62. art. 6. diſp. 1. dum ait, antiquo ſacramento datam fuiſſe gratiam ex opere operato paſſiuè loquendo, non autẽ actiuè, ſicut nunc dicimus Baptiſmum dare gratiam: quamuis in ſolut. ad 7. neget, antiquum ſacramentum fuiſſe ſaltem cauſam moralem.

Hæc ſententia, quantum attinet ad ipſum antiquum ſacramentum, in re conuenit cum ſententia aſſerente, fuiſſe cauſam gratiæ ex opere operato: nõ enim vult fuiſſe cauſam phyſicam, ſed tantùm moralem. Solùmque diſſentit quantum ad cauſalitatem noſtrorum ſacramentorum, de quibus iam ſuo loco vidimus, quomodo cauſent gratiã. Sufficiens autem non eſt hæc differentia, quam inter noua & vetera ſacramenta, ſeu inter Baptiſmum & circuncisionem cõſtituit: quia non ſatis iuuat ad explicandas auctoritates propter quas excogitata eſt, vt in argumentorum ſolutione patebit.

Sed conferebat gratiam ex inſtitutione Dei.

Quintò. Canus in Relect. de Sacrament. par. 5. dixit, in circuncisione datam fuiſſe gratiam ex miſericordia & pacto Dei, in Baptiſmo verò dari ex eius inſtitutione & ex iuſtitia. Sed certè negari non poteſt, etiam in circunciſione datam fuiſſe ex inſtitutione facta ab ipſo Deo. Et ex alia parte, ſi reſpiciamus ad homines accipientes gratiã, planè tàm in Baptiſmo, quàm in circũciſione datur ex miſericordia, non ex iuſtitia. Si autem reſpiciamus ad merita Chriſti, tàm in Circunciſione, quàm in Baptiſmo, data eſt ex iuſtitia.

Non modo diſtincto ab opere operantis & opere operato.

Sextò. Suarez diſp. 10. ſect. 2. tandem concludit, in remedio legis naturæ & circunciſione, datam fuiſſe gratiam, præter quidem opus operantis, non tamen propriè ex opere operato, ſicut nunc in Baptiſmo. Et differentiam præcipuè reducit ad hoc: quia Baptiſmus confert gratiam ex vi paſſionis Chriſti iam exhibitæ, tanquam ex vi pretij iam ſoluti: ſed circunciſio conferebat ſolùm intuitu paſſionis Chriſti poſtea exhibendæ. Verùm, ſi ſolùm aſſignet differentiam in conſideratione paſſionis Chriſti, futuræ vel præteritæ: hæc differentia veriſſima ſanè eſt. Si autem ſenſus eſſet, paſſionem Chriſti quatenus futuram, habuiſſe minorem vim, quàm nunc habeat: hoc non ſubſiſtit: quia potiùs tanti valoris & meriti eſt, vt etiam antequam exhiberetur, digniſſima erat, pro qua daretur hominibus gratia. Vnde, tàm gratia quæ olim hominibus dabatur, ſiue per contritionem, ſiue aliàs, quàm quæ nunc datur; tota pariter datur ex valore paſſionis Chriſti, ſic acceptatæ à Deo. Itaquè propter hoc non oportebat negare, datam fuiſſe gratiam in circunciſione ex opere operato, niſi opus operatum intelligatur paſſio Chriſti peracta: quia ſic dici deberet olim data fuiſſe gratia ex opere operando. Sed tamen quia opus operatum intelligitur ipſum ſacramentum, quatenus conſtitutum ex pacto & promiſſione Dei: non eſt negandum, etiam olim in antiquo ſacramento datam fuiſſe gratiam ex opere operato.

Licèt conferret ſolùm paruulis.

Septimò. Coninch q. 62. art. 1. ſic explicat, non fuiſſe datam gratiam in antiquo ſacramento ex opere operato, quia non dabatur adultis, non dabatur ex inſtitutione, ſed ſolum extraordinaria liberalitate Dei, ob extremam indigentiam paruulorum, quibus aliter nõ poterat ſubueniri. Sed certè negari nõ poteſt, quicquid virtutis erat in antiquo ſacramento, fuiſſe ex inſtitutione Dei. Ratio autem huius inſtitutionis, fuit ipſa liberalitas Dei, & neceſſitas paruulorum. Ideoquè non extendebatur ad adultos, vt nos admittimus. At non per hoc negari debet, collatam fuiſſe gratiam ex opere operato: quia ex opere operato dicitur, ad differentiã alterius modi quo datur gratia ex opere operantis, ideſt ex merito proprio operantis. Dum ergo in antiquo ſacramento dabatur gratia, ſecluſo merito ſuſcipientis, & non ex merito miniſtrãtis, ſed ſimpliciter ex ſtatuto Dei ad exhibitionem talis ſigni; non eſt cur negetur, datam fuiſſe ex opere operato.

Conferebat propriè ex opere operato.

Octauò ergo concludendum eſt, remedium legis naturæ, & circunciſionẽ, habuiſſe vim iuſtificandi infantes, per modum cauſæ moralis, conferendo gratiam ex opere operato, ſicut nunc Baptiſmus.

ptiſmus. Ita defendunt Scotus in 4. d. 1. q. 6. & 7., Gabr. q. 4. art. 1, Maior q. 3., Marſil. q. 2. art. 1., Cartag. de Sacram. diſp. 4.; Bonacina q. 1. puncto 3. propoſ. 4, Lugus diſp. 5. ſect. 4. num. 59.; Salas 1. 2. tract. 13. diſp. 5. ſect. 1.; Azor. tomo 1. Inſt. moral. lib. 4. cap. 38., Perer. in cap. 4. ad Roman. diſp. 5. & 6., Barrad. tomo 1. in Euang. lib. 1. cap. 1., Lorin. in cap. 7. Actuum Apoſtolor., & alij. Ac ſpecialiter quantum ad circũciſionem Alenſis 4 par. q. 5. memb. 3. & q. 7. memb. 5. art. 11., Durand. in 4. d. 1. q. 5. & 7. Imò Paludan. q. 5. art. 4. etiam phyſicam cauſalitatem non dubitant circumciſioni tribuere. Ita etiam plane docuit S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. & q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. Et rurſus hìc in 3. par. q. 38. art. 3. ad 3. dixit, circuncitionem fuiſſe inſtitutam in remedium originalis peccati, cùm ſacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis ſuum habeant effectum. Certè autem idem eſt dicere ex vi ſuæ inſtitutionis, atque ex opere operato.

Fundamentum huius concluſionis habetur ex dictis: quia dum in antiquo ſacramento remittebatur originale peccatum, & conferebatur iuſtificationis gratia, non aliter id poteſt intelligi. Nullumquè inconueniens in contrariũ vrget; quia ſi ea quæ opponuntur vrgerent, potiùs probarent, nullatenus tunc collatam fuiſſe gratiam: ſi ergo hoc non probant, vt iam ſupponimus, nec etiam probant non fuiſſe collatam ex opere operato. Quod totum, argumenta ſoluendo, & auctoritates explicando, mox claré patebit.

Explicantur Apoſtoli verba

Obijcitur primo in contrarium auctoritas Apoſtoli, tum in illis locis generalibus, quibus negaſſe videtur antiquis ſacramentis & antiquæ legi vim iuſtificandi, quę recitauimus q. 62 ſect. 5. Tum ſpecialiter de circuncifione ipſa ad Roman. 3. *Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circunciſionis? Multum per omnem modum: primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Vbi ly primum non ponitur in ordine ad ſecundum, ſed abſolute, ideſt potiſſimum. Summa ergo circunciſionis vtilitas erat, quia Hebræo populo datæ fuerunt Scripturæ, ideſt reuelationes atque promiſſiones Dei. Non ergo circunciſio habebat vim iuſtificandi: quæ ſine dubio fuiſſet longe maior vtilitas & excellentia. Pręterea ad Galat. 5. & 6. dictum eſt, circuncitionem nihil valere: & 2. ad Corinth. 7. nihil eſſe: quæ dici non potuiſſent ſi circunciſio dabat gratiam.

Reſpondetur, Apoſtolum in illis locis generalibus proprie eſſe loquutum de ſacramentis legis ſcriptæ Moſaycæ, atque de ipſa lege. Sub quibus proinde non includebat remedium legis naturæ. Circunciſio quoque non fuit primario ex lege Moyſis, ſed data fuit Abrahamo multo ante legem ſcriptam. Vnde Chriſtus Ioann. 7. dixit, *Circunciſio non ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus.* Quare ſimiliter ſe ſe habebat tanquam remedium legis naturæ, fuitquè determinatio quædam illius. Sed quia poſtea fuit in lege Moyſis inſerta & acceptata: ideo Apoſtolus de ipſa etiam circunciſione, inter ſacramenta legis Moſaycæ dixit & intellexit, non habuiſſe virtutem iuſtificandi; quantum ſcilicet ex vi ipſius legis ſcriptæ: non per hoc illi denegans eam vim, quàm circunciſio habebat quatenus remediũ legis naturæ, communem cum omni ſimili remedio. Et rurſus, quando ſpecialiter de circunciſione loquutus eſt, eodem modo debet intelligi. Sed præcipuè conſiderandum eſt, an illo loco ad Roman. docere ſolùm voluiſſe, nihil plus vtilitatis per circunciſionem allatum fuiſſe Iudæis, quod non haberent cæteræ Nationes, niſi documenta ſacrarum Scripturarum: quia nimirum aliæ etiam Nationes habebant remedium æquiualens quantum ad iuſtificationẽ. Et hunc eſſe ſenſum Apoſtoli, perſpicuè colligitur ex diſcurſu capitis ſecundi, in quo comparationem faciebat inter Iudæos circunciſos ac cæteros incircunciſos, dicens ita hos ſicut illos potuiſſe ſeruare mandata ac ſaluari: & conſequenter cap. 3. interrogat, *Quid ergo amplius Iudæo eſt?* Item colligitur ex his ipſis verbis: quærit enim, non abſolutè quid vtilitatis allatum ſit Iudæis per circuncitionem, ſed comparatiuè quid amplius, ideſt quid plus ipſis Iudæis, quàm alijs non vtentibus circun-

cunciſione. In alijs demum locis allegatis, Apoſtolus præcipue loquutus eſt de circunciſione pro illo tempore, poſt aduentum Chriſti, quando iam ceſſabat. Et ita coniunctim dixit, in Chriſto nec circunciſionem nec præputium valere, ſed nihil eſſe.

Explicantur teſtimonia Patrum.

Obijcitur ſecundò auctoritas multorum Patrum dicentium, circunciſionem fuiſſe inſtitutam ſolùm ad præſignanda ac figuranda futura myſteria gratiæ, ad diſtinguendum genus Abrahæ à cæteris Nationibus, non vero ad iuſtificandum à peccatis. Ita loquuti ſunt Iuſtinus Martyr, Irenæus, Origenes, Chryſoſtomus, Cyrillus, Tertullian, Ambroſ, Hieronymus, & plures alij apud Bellarm. lib 2. de Sacram. cap 15.

Reſpondet Scotus primo: Sanctos ſic fuiſſe loquutos, quia circunciſio modicam dabat gratiam in comparatione Baptiſmi. Secundo, quia non dabat gratiam tanquam immediatam diſpoſitionem ad gloriam. Tertiò, quia non dabat, quando in certo gradu inueniebat. Verùm, quia Sancti abſolutè dixerunt, circunciſionem fuiſſe inſtitutam tantùm ad figurandum & conſignandum, non vero ad ſanctificandum: addendum eſt, eorum intentione verbiſque ſpectatis, præcipuè docere voluiſſe, circunciſionem non fuiſſe de nouo inſtitutam ad dandam gratiã, quaſi tunc inciperet remedium ſalutare habens vim ſanctificandi animam, quod antea non extaret: ſed quantum ad hoc nihil noui circunciſionem attuliſſe, niſi figurare & conſignare. Quare, ſicut non propterea negarunt extitiſſe antea remedium aliquod paruulis ſalutare: ita nec negare voluerunt, circunciſionem habuiſſe in ſe eandem vim talis remedij ex antiqua inſtitutione & promiſſione Dei.

Explicatur Concilium Florentinum.

Obijcitur tertiò auctoritas Concilij Florentini in decreto Eugenij, vbi dictũ eſt: *Sacramenta antiqua legis non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionẽ Chriſti dandam eſſe figurabant: noſtra verò & continent gratiam, & dignè ſuſcipientibus conferunt*.

Reſpondetur, hoc dictum Concilij eodem modo eſſe intelligendum & explicandum, quo ſupra dictum Apoſtoli: videlicet Concilium eſſe loquutum de ſacramentis Moſaycæ legis: atque adeo ſub ijs non incluſiſſe circunciſionem, niſi quatenus inſertam in lege Moyſis, non verò quatenus erat ſacramentum & remedium legis naturæ: & huic remedio nequaquam negaſſe vim conferendi gratiam. Quo modo multò meliùs explicatur, quam per differentiam cauſalitatis phyſicæ & moralis, aliouè modo iuxta varias ſententias relatas & reiectas. Et ſuadetur, tum quia Concil nominando ſacramenta antiquæ legis, plane legem accepit eo modo quo ſolet Apoſtolus, ſcilicet pro lege ſcripta, de qua Iudæi immeritò præſumebant: quare non intellexit de antiquiori remedio legis naturæ, ac proinde nec etiam de circunciſione quatenus erat determinatio quædam eius remedij: nec enim plus negare voluit circunciſioni quàm communi remedio. Tum etiam Concil. non ſolùm dixit, ſacramenta illa non cauſabant gratiam, ſed dixit etiam, ſolùm figurabant dandam eſſe: ergo ſi de ipſa quoque circunciſione id intellexiſſet, contra Concil. eſſet dicere, quocunque modo in ipſa circunciſione fuiſſe de præſenti collatam gratiam: quia hoc non eſſet ſolùm figurare gratiam dandam in futuro per noſtra ſacramenta. Tum demum, oportet vtique conſtituere diſcrimen inter remedium legis naturæ cum circunciſione ex vna parte, & cætera ſacramenta legis ex altera parte: ita quod negemus datam fuiſſe gratiam in reliquis veteribus ſacramẽtis, eo modo quo fatendum eſt datam fuiſſe in illo remedio & circunciſione. Et quidem Concilium prorſus negauit, in illis alijs ſacramentis datam fuiſſe gratiam: ergo non pariter cum illis intellexit antiquum remedium paruulorum, atque adeo circunciſionem inquantum erat quædam determinatio illius remedij in populo hebræo.

Explicatur Concilium Trident.

Obijcitur quartò auctoritas Concilij Trident. ſeſ. 7. can 2. de Sacramentis: *Si quis dixerit, nouæ legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ & alij ritus externi, anathema ſit*.

Reſpondetur, non ſolùm ex modò

dictis

Digitized by Google

dictis poſſe hunc locum facilè explicari: ſed etiam quia multæ ſunt aliæ differentiæ inter Baptiſmum & circuncisionem, quamuis conueniant in conferenda gratia. Nam Baptiſmus confert maiorem gratiam: aperit ianuam regni cæleſtis, (quam differentiam aſſignauit Innocent. Papa cap. *Maiores:*) dat ſemper gratiam quando non inuenit obicem etiam in adultis: & auget gratiam quando illam in anima inuenit: per ſe remittit etiam actualia peccata: remittit totam pœnam: imprimit ſpiritualem characterem: & alia ſimilia habet, in quibus valde à circuncisione differt. Sed præter hæc omnia, intentum Tridĕtini in eo canone erat, damnare eorum Hæreticorum errorem, qui negabant noſtris ſacramentis vim conferendi gratiam ex opere operato, eaquè ſic faciebant paria cum antiquis legis Moſayçę ſacramentis, quę ſupponebant eſſe virtute vacua.

SECTIO QVARTA.

De Baptiſmo Ioannis.

FVerunt in veteri Teſtamento alia varia Baptiſmata & ablutiones in aqua, vt meminit Apoſtolus ad Hebr. 9. Quę tamen non correſpondebant noſtro ſacramento Baptiſmi, ſicut circuncisio, ſed potiùs ſacramento Pœnitentię. Ioannes autem Chriſti pręcurſor, baptizabat homines ad ſe confluentes, vt ex Euangelio conſtat. De hoc Baptiſmo Ioannis egit S. Thomas inter myſteria vitę Chriſti ſupra q. 38. Sed tamen ad inſpiciendam vim & inſtitutionem eius, & propter correſpondentiam cum noſtro ſacramento ad quod pręparabat, aptè ad hunc locum ſpectat, ſicut ipſa circuncisio.

Baptiſmus Ioannis nõ fuit idem cum Baptiſmo Chriſti.

De hoc ergo Ioannis Baptiſmo, Petilianus Donatiſta apud D. Auguſt. lib. 2. cont. eundem, & nuper Recentiores Hęretici apud Bellarm. cap. 19 de Baptiſmo, arbitrati ſunt, fuiſſe eundem cum Baptiſmo Chriſti. Ex Scriptura tamen ſatis conſtat, alium fuiſſe, vt magis in ſequentibus apparebit. Et pręterea, vel dicunt Hęretici, illum Baptiſmum fuiſſe quidem inſtitutum à Chriſto, ſed exhibitum & miniſtratum à Ioanne, ſicut ab Apoſtolis. Et hoc dici non poteſt: quia nondum Chriſtus inſtituerat ſuum Baptiſmum, nec ſe manifeſtauerat, quando Ioannes cępit baptizare. Vel dicunt, illum Baptiſmum fuiſſe priùs ab ipſo Ioanne inſtitutum & introductum, ac deinceps à Chriſto ſeruatum ac retentum. Et hoc eſt prorſus falſum: quia Baptiſmus Chriſti ab ipſo fuit primò inſtitutus: & indignum planè eſſet dicere, fuiſſe à Ioanne inſtitutum, & à Chriſto retentum.

Conſiſtebat in ablutione aquæ.

Secundò. Quantum ad ſubſtantiam & ritum illius Baptiſmi, conſtat ex Euãgelio, fuiſſe ablutionem in aqua naturali. Sed dubium eſt, an ſimul habuerit aliquam verborum formam. S. Thomas ea q. 38. art. 6. ad 5., Magiſter & alij in 4. d. 2., Abulenſ in cap 3. Matth. q. 43. dicunt, & aliqui Patres ſignificant, illũ Baptiſmum fuiſſe datum in nomine Chriſti venturi. Colligunt ex Actor. 19., *Ioannes baptizauit, dicens in eum qui venturus eſſet poſt ipſum vt crederent.* Alij tamen Theologi, quos ſequitur Suarez tomo 2. huius tertię partis diſp. 25. ſect. 1. dicunt, illum Baptiſmum fuiſſe datum abſque vlla forma verborum, ſed per ſolam ablutionem. Quia certè dici non debet Ioannes baptizaſſe Chriſtum ipſum dicendo, Ego te baptizo in nomine Chriſti venturi. Vnde Abulenſis iterum q. 75. fatetur, Ioannẽ baptizaſſe Chriſtum abſque vlla forma verborum Et afferunt etiam alias coniecturas. Verùm, cum ille Baptiſmus non fuerit ordinatus ad conferendam gratiam internam, aut ſanctitatem aliquam legalem, vt dicemus; ſed ſolùm vt inuitaret populum ad pœnitẽtiam & fidem; non oportet ſubtiliter diſcutere in quo conſiſteret eius ſubſtantia, ſicut quæritur de veris ſacramentis. Sed credi poteſt, Ioannem modò ſine verbis, modò ſimul loquendo, & exhortando ad pœnitentiam, & annunciando Chriſtum, fuiſſe ſolitum baptizare, prout occaſio & rerum exigentia ſuggerebat.

Habuit originem à Deo.

Tertiò. Quantum ad originem illius Baptiſmi, conſtat item ex Euang., Lucæ 3. & Ioann. 1., incepiſſe ex diuino inſtinctu.

Digitized by Google

ſtinctu. Et inde S. Tho. ea quæſt art. 2. abſolutè docet, ritum illius fuiſſe à Deo. Quod Suarez ibi diſp. 25. ſect. 3. intelligit de toto ritu: quia inquit, non erat alius quàm ablutio aquæ: & hoc ipſum fuit iuſſum à Deo, *Qui miſit me baptizare in aqua*, Ioann. 1. Sed Bellarm. cap.20. de Baptiſmo vult, Deum in genere ſolùm inſpiraſſe Ioanni vt baptizaret, in eiuſquè arbitrio reliquiſſe modum & ritum in praxi exercendum. Hoc tamen intelligi poteſt ſolùm quoad additionem verborum, vt ſupra dicebamus, aut alium accidentalem modum: quia de reliquo ablutio aquæ erat determinata ab ipſo Deo, vt patet ex verbis allegatis.

Durauit vſque ad incarcerationem Ioannis.

Quarto. Quantum ad durationem, S. Tho. ibi art.5. ad 2., ait, duraſſe vſque ad incarcerationem Ioannis. Et colligitur ex Euang. Ioann. 3. Et quidem conueniebat non vltra durare: quia ſolùm inſtitutus erat, vt præpararet ad Baptiſmum Chriſti: quando ergo iam diuulgabatur doctrina & introducebatur Baptiſmus Chriſti, debebat ceſſare Baptiſmus Ioannis. Et putandum eſt, illum Baptiſmum à ſolo Ioanne proprijs manibus, & non ab eius diſcipulis, ſolitum exhiberi: vt notauit Cyrill. lib.1. in Ioann. cap. 57., & ſumitur ex eodem textu Euangelij.

Non conferebat gratiam, nec remittebat peccata.

Quinto. Quantum ad vtilitatem & effectum, Baptiſmus Ioannis non conferebat gratiam, non remittebat peccata, ſicut Baptiſmus Chriſti. Ita S. Thomas ea q.38 art. 3., & omnes Catholici. Eſt de fide. Definitum in Trident. ſeſſ.7. can.1. de Baptiſmo, *Si quis dixerit, Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit*. Conſtat ex Euangelio, eiuſdem Baptiſtæ teſtimonio, Matth. & Lucæ 3., Marci & Ioann.1., *Ego baptizo vos aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu ſancto*. Quæ verba Sancti Patres & Expoſitores communi conſenſu ſic intelligunt: quod Baptiſmus Ioannis non dabat gratiam Spiritus ſancti, quæ ſolùm danda erat per Baptiſmum Chriſti. Et Bellarm. cap.21. refellit ſolutiones Hæreticorum. Ac planè ita conueniebat, vt effectus gratiæ reſeruaretur in Baptiſmo Chriſti, figuraretur in Baptiſmo Ioannis Præcurſoris. Inſuper nec etiam legalem aliquam ſanctitatem ſuſcipientibus conferebat. Non enim erat legalis cæremonia. Neque habebat vim expiandi homines, & quaſi emundandi à maculis & impedimentis legalibus. Solùm ergo iuuabat, vt excitaret homines ad pœnitentiam, eoſquè præpararet ad fidem & Baptiſmum Chriſti, quem Ioannes ex proprio officio annunciabat.

Hinc explicandum eſt illud Lucæ 3., *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Non enim ſenſus eſt, Baptiſmum illum per ſe habuiſſe vim remittendi peccata. Sed vel intelligitur, quod Ioannes prædicabat & annunciabat Baptiſmum inſtituendum à Chriſto in remiſſionem peccatorum. Vel quòd prædicabat pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, & tanquam ſignum pœnitentiæ ipſum Baptiſmum: ideoque non dicitur, prædicabat Baptiſmum in remiſſionem peccatorum, ſed Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem, ideſt Baptiſmum ſignum pœnitentiæ, quæ pœnitentia valeret ad remiſſionem peccatorum. Vtranque expoſitionem affert S. Thomas art. 3. citato ad 1., & tradiderant quoque Sancti Patres.

Non erat ſufficiens nec neceſſarius ad ſalutem.

Sexto. Ex his rurſus patet, Baptiſmum illum nec fuiſſe ſufficientem, nec neceſſarium ad ſalutem. Non ſufficiebat ſcilicet abſque perfecta contritione: qua interueniente, iam virtute ipſius contritionis, & non illius Baptiſmi, poterant peccatores iuſtificari. Non ſufficiebat: quia omnes à Ioanne baptizati, debebant adhuc ſuſcipere Baptiſmum Chriſti. Ita docuit S. Tho. art.6., & omnes Theologi fatentur. Patet ex ipſa Scriptura, præſertim Actor. 19., vbi iuſſi ſunt baptizari in nomine Chriſti, omnes illi qui non niſi Ioannis Baptiſmum antea perceperant. Idquè totum pluribus confirmat Bellarmin. cap. 22. Et non rectè dixerat Magiſter in 4. d. 2., illos tantùm debuiſſe ſuſcipere Baptiſmum Chriſti, qui abſque ſincera fide præaccepiſſent Baptiſmum Ioannis. Certè enim, nec per defectū fidei reddebatur irritus Baptiſmus Ioannis: nec ratione fidei reddebatur ſuffi-

ciens

Digitized by Google

ciens vice Baptiſmi Chriſti. Item non erat neceſſarius: quia nec erat medium ad ſalutem, nec extabat de illo præceptum. Quare Lucæ 7. non reprehenduntur Phariſæi & legis periti, quòd ſimpliciter non ſuſcepiſſent Baptiſmum Ioannis: ſed ratione contemptus, quia *Conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos non baptizati ab eo:* & quia neque Ioanni neque Chriſto credere voluerunt.

Non erat ſacramentum.

Septimò tandem ſequitur, Baptiſmũ Ioannis non fuiſſe ſacramentum. Non enim erat nouæ legis: quia non fuit inſtitutus à Chriſto, non conferebat gratiam. Sed Magiſter in 4. d. 2. cap. *Ad quid*, S. Thomas, Bonau., Durand., & alij ead diſt. dixerunt, fuiſſe ſacramentum ſicut alia veteris legis, quæ tantùm præfigurabant, & non conferebant gratiam. At longè meliùs S. Tho. ipſe hac 3. par. ſupra q. 38. art. 1. ad 1. docet, non fuiſſe ſacramentum, *Sed quaſi quoddam ſacramentale diſponens ad Baptiſmum Chriſti*. Et ita communiter alij loquuntur. Nec enim erat ſacramentum veteris legis: ſiquidem incæpit ab ipſo Ioanne. Nec datur ſacramentum medium inter vtranque legem. Et ratio a priori eſt: tum quia non conferebat ſanctitatem aliquam, prout eſt de ratione ſacramenti in communi: tum quia non fuit à Deo immediatè ſtabili lege conſtitutus, ſicut etiam ad rationem ſacramenti requiritur.

SECTIO QVINTA.

De Baptiſmo Flaminis & Sanguinis. Qualiter vterque poſſit ſupplere vicem ſacramenti, conferendo gratiam.

IN primis notum eſt, præter Baptiſmum aquæ, communiter à Doctoribus aſſignari & nominari duplicem alium Baptiſmum, Flaminis & Sanguinis. Ita S. Thomas q. 66. art 11., Magiſter in 4. d. 4., & alij iiſdem locis, & Vgo de S. Victore lib. 2. de Sacrament. par. 6. cap. 6. & 7. Flaminis dicitur, ideſt Spiritus ſancti. Appellatur etiam Baptiſmus pœnitentiæ. Intelligitur perfecta diſpoſitio interna fidei & contritionis ſeu dilectionis Dei ſuper omnia cum voto ſacramenti. Baptiſmus ſanguinis intelligitur, quando quis intuitu veræ fidei mortem patitur. Nomen Baptiſmi per analogiam & metaphoram vtrique tribuitur: inquantum vterque poteſt ſupplere vicem veri Baptiſmi. Et tunc propriè contritio atque effuſio ſanguinis vocatur Baptiſmus, quando contingit ante ſuſceptionem ſacramenti: tunc enim propriè dicitur ſupplere pro ipſo ſacramento Baptiſmi.

Quid ſit Baptiſmus Flaminis.

Et Baptiſmus Sanguinis.

Ille cõfert gratiam ex opere operantis.

Secundò ergo ſtatuendum eſt, verè per Baptiſmum Flaminis poſſe ante realem ſuſceptionem ſacramenti, obtineri & recipi gratiam iuſtificationis. Ita docuit Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 22., probans exemplo Latronis in cruce pendentis: cuius aduertit non fuiſſe propriè Baptiſmum ſanguinis, ideſt Martyrium, quia non pro Chriſti nomine, ſed pro ſuis ſceleribus occiſus fuit: ideoque ſaluum factum eſſe per fidem & pœnitentiam. Sed hoc exemplum non conuincit: quia idem Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 55. cenſet, Latronem antea fuiſſe baptizatum: & lib. 2. cap. 18. dicit id eſſe incertum. Sed ex alio capite deficit etiam id exẽplum: quia tunc nondum erat neceſſarius Baptiſmus, vtpote nondum promulgato Euangelio. Aliunde ergo ſatis concluſio conſtat. Hoc autem modo dicitur homo iuſtificari abſolutè ex opere operantis. Debetque eſſe perfecta diſpoſitio, vt nempe per ſe ſufficiat extra ſacramentum, & dicitur continere votum ſacramenti, vel explicitè, vel ſaltem implicitè. Quod totum ſatis patet ex dictis q. 66. ſect. 2. Nec aliud hic adijcere oportet. Sed loquemur deinceps tantùm de Baptiſmo ſanguinis.

An Baptiſmus ſanguinis per ſe confert gratiam.

Tertiò ergo, Baptiſmum ſanguinis per ſe habere vim iuſtificandi & conferendi gratiam, vltra id quod illi debetur ex opere & merito operantis, negat Alenſis 4. par. q. 22. memb. 5., loquens tàm de paruulis, quàm de adultis. Et Bonau. in 4. d 4. par. 2. art 1. q. 2., non diſtinguens de paruulis & adultis. In ſpeciali de adultis negare etiam videntur

dentur

Digitized by Google

dentur illi, qui requirunt in Martyre perfectam contritionem ſeu charitatẽ, vt referemus ſect. ſequenti. In ſpeciali de paruulis idem negarunt Armacanus lib. 8. de Quæſtionib. Armenor. cap. 37., & Adrian. in 4. q. vlt. de Baptiſmo: propterea dicentes, Innocentes quos Eccleſia veneratur, non ratione mortis, ſed ratione antecedentis circunciſionis fuiſſe ſaluatos, nec recepiſſe aliud gratiæ augmentum intuitu mortis ſibi illatæ.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, illud idem quod pro neceſſitate Baptiſmi fuit allatum, *Niſi quis renatus fuerit &c.* Vbi ſine dubio Chriſtus de ſolo Baptiſmo aquæ, & non ſanguinis loquebatur. Et ad ſummum illa verba poſſunt extendi ad Baptiſmum Flaminis, vbi eſt ſacramentum in voto. Præterea, ſi Martyrium confert gratiam præter quàm ex opere operantis, dici debebit conferre ex opere operato: quare eſſet nouum ac diſtinctum ſacramentum: quod vtique non eſt admittendum. Denique per Martyrium non poteſt conferri gratia in ipſo mortis inſtanti: quia tunc homo primò nõ eſt. Nec antea: tum quia nondum conſummatum eſt: tum quia quocunque alio poſteriori inſtãti poteſt denuò homo peccare, aut ſaltem diutiùs in vita manere: at abſurdum prorſus eſſet, inueniri Martyrem viuum, aut etiã impium.

Baptiſmus ſanguinis per ſe confert gratiam.

Fatendum tamen eſt, Baptiſmum ſanguinis per ſe poſſe ſupplere vicem ſacramenti, & habere vim conferendi gratiam. Hæc eſt communis Theologorum ſententia, S. Thom. ſupra q. 66. art. 11. & 12., & rurſus 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1., Magiſtri in 4. d. 4., & aliorum circa eadem loca.

Ex Patribus.

Probatur primò manifeſta & frequenti doctrina Patrum, dicentium, Martyrium, ſiue mortem pro Chriſto, ſupplere vicem Baptiſmi, valere loco Baptiſmi, ſufficere ad iuſtificationem & ſalutem, quando non poteſt percipi ſacramentum. Ita D. Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo cap. 22. lib. 1. de Anima & eius origine cap. 9. lib. 13. de Ciuit. cap. 7. & alibi ſæpe, Cyprian. in lib. de Laude Martyr. in Expoſit. Orat. Domin. Epiſt. 52. & 73., licet non rectè ad hoc adducat exemplum Latronis, Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. cap. 2. & ſerm. 3. in Pſal. 118., Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 3., Proſper lib. Sententiarum ſent. 149., Bernard. Epiſt. 77., Tertullian. lib. de Baptiſmo cap. 16., Nazian. Orat. 30., Cyrill. Alexand. lib. 2. in Leuit., Cyrill. Hieroſol. Catecheſi 3., Clemens Alexandr. lib. 4. Stromatum, Clemens Romanus & Pontifex lib. 5. Conſtit. Apoſtolicar. cap. 7., & alij qui de hac re meminerint.

Ex traditione Eccleſiæ, & exemplo Innocentum.

Probatur ſecundò traditione & exiſtimatione ipſius Eccleſiæ. Ideo enim colit Innocentes tanquam verè Beatos & Sanctos, quia occiſi fuerunt propter Chriſtum, ſcilicet ab Herode perſequẽte Chriſtum. Et non quia fuerant circunciſi: tum quia pari cultu venerari deberet, omnes pueros qui olim circunciſi & nunc baptizati decedunt: tum quia poterant inter illos inueniri aliqui nondum circunciſi, vel ſi non adhuc octauum diem attigiſſent, vel alia ratione; Eccleſia vero colit omnes tunc occiſos, non limitando ſolùm ad circunciſos: tum quia illos omnes colit titulo mortis, non titulo circunciſionis; colit vt Martyres, & ſic eos appellat, vt patet in eorum officio: & ſic etiam eos appellant Leo Papa ſerm. 1. de Epiph., Cyprian. ſerm. de Stella & Magis, Origen. homil. 3. in varia loca Euang., Auguſt. in ſerm. de Innocentib., aliique Patres & Expoſitores. Planè ergo Eccleſia ſentit, hanc vim eſſe Martyrij, ſeu mortis pro Chriſto, vt homines faciat verè beatos & ſanctos. Et ſicut hoc credit de illis infantibus ab Herode occiſis: idem ſine dubio de omnibus, ſi in odium fidei occidantur; credendum proponit. Idque tandem ad adultos etiam debebit extendi.

Ex Sacra Scriptura.

Probari ſolet tertiò ab ipſis Patribus, ex illa promiſſione Chriſti, Matth. 10., Marci 8., Lucæ 12., *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam, ſaluam faciet eam, viuificabit eam.* In hoc enim ſenſu Sancti intelligunt Chriſti promiſſionem: quæ extenditur etiã ad paruulos, qui non loquendo, ſed moriendo confitentur Chriſtum, vt de

Digitized by Google

Innocentibus Eccleſia canit. Item iuxta Scripturam probatur à pari ex Baptiſmo aquæ: quia intantum homo iuſtificatur per Baptiſmum aquæ, inquantum quodammodo commoritur Chriſto, ex Apoſt. ad Roman. 6. & ad Coloſs. 2., ſcilicet ſecundùm quandam imaginem & repræſentationem. Conuenientiſſimum ergo erat, vt per veram ac realem paſſionem mortis pro Chriſto, homo pariter iuſtificetur. Hinc habetur ratio huius rei: nempe ordinatio Dei & promiſſio Chriſti. Dicique debet, non ſolùm poſt aduentum & paſſionem Chriſti, ſed etiam antea, Martyrium habuiſſe hanc vim. Nam communis eſt ratio. Et Eccleſia colit vt Martyres, ſeptem illos pueros Machabæos, qui pro legis obſeruantia ſuſtinuerunt mortem. Debetquè id totum intelligi præter meritum operantis. Hoc enim planè perſuadent auctoritates allatę. Et alioqui nihil ſingulare de Martyrio dicerent. Eandemquè vim haberet ſola voluntas ſine opere externo, quia opus externum per ſe non addit ſupra voluntatem ad meritum operantis, vt ſupponimus: ſed tamen hæc vis tribuitur ipſi reali paſſioni & morti propter Chriſtum.

Quem & qualem effectum conferat.

Quarto tandem, ad declarandum magis effectum Martyrij, putandum in primis eſt, ſi inuenerit hominem in gratia, dare augmentum gratiæ: & hoc tam in paruulis, quàm in adultis. Ita notauit S. Thomas in 4. d. 4. q. 3. quæſtiunc. 4. Et eſt res facilis. Deinde, ſi inuenit hominem in peccato, ſiue originali, ſiue mortali, dare primam gratiã, & remiſſionem omnium talium peccatorum. Ita S. Thomas eodem loco, & hac 3. par. q. 87. art. 1. ad 2., & alij Theologi iam communiter. Atque probatum manet ex dictis. In hoc enim maxime ſenſu, effuſio ſanguinis ſupplet vicem Baptiſmi, & iuſtificat hominem: idque Sancti expreſsè notarunt. Remittit etiam peccata venialia, ac totius pœnæ reatum. Ita S. Thomas ijſdem locis, & indicant Sacri Doctores, dicentes, hominem morientem pro Chriſto, conſequi plenam ac totalem remiſſionem. Et Innocent. cap. *Cum Martha* de Celebrat. Miſſarum, dicens ex verbis Auguſtini, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Hic etiam eſt communis Fidelium ſenſus: ſcilicet Martyrem ſtatim aſſumi ex morte ad gloriam. Et Bellarm. cap. 6. de Baptiſmo ait, eſſe rem certam. Inſuper Baptiſmus ſanguinis dat valde copioſam gratiam, & maiorem quàm det ſacramentum Baptiſmi, aliudue medium ordinarium. Ita indicat S. Thomas q. 66. art. 12, & clariùs docuit loco cit. in 4., & plures alij affirmant. Suadetur: tum quia Baptiſmus ſanguinis excedit Baptiſmum aquę quantum ad realem imitationem mortis Chriſti: tum quia Martyrium de ſe eſt opus excellentiſſimum, & dignitati eius ita congruit: tum demum Eccleſia colit Martyres, vt inſignes & eximios Sanctos, ipſo Martyrij titulo.

Soluuntur oppoſitæ fundamenta.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ dicendum eſt, illis Chriſti verbis proponi quidem neceſſitatem ſacramenti per ſe loquendo: at non excludi ſufficientiam alterius remedij, ex priuilegio ſpeciali ſupplentis vicem ſacramenti. Et ſatis eſſe debet, hoc ipſum conſtare ex auctoritate Sanctorum, ſenſu Eccleſiæ, & alijs Scripturæ locis ſic à Patribus intellectis. Ad alteram rationem, ſunt qui refugiant concedere, Martyrium dare gratiam ex opere operato, licet fateantur dare præter meritum operantis. Sed cùm de re conſtet, etiam hic modus loquendi recipiendus eſt, vt dicamus dare gratiam ex opere operato. Hinc Maior in 4. d. 4. q. 3. non dubitauit admittere eſſe ſacramentum: negat verò eſſe plura quàm ſeptem ſacramenta, quia reducitur ad Baptiſmum. Alij tamen communiter negant eſſe ſacramentum. Et merito: eſt enim manifeſta ratio ex S. Thoma q. 66. art. 11. ad 2. Quia ſacramentum eſt ſignum gratiæ, hominibus expoſitũ, conſiſtens in actu aliquo inſtituto ab ipſo Deo, & ex ratione ſua petit à miniſtro ſanctè exerceri: quæ conditiones non conueniunt Martyrio, vt per ſe patet. Vnde ſequitur, non omne medium quod dat gratiam ex opere operato, eſſe ſacramentum: quia reperitur hoc aliud medium dans gratiam ex priuilegio ſpeciali.

Ad vltimam rationem, ſunt qui dicant,

Digitized by Google

Quandonam conferatur gratia Martyrij.

cant, vel ſemper, vel ſaltem in tali caſu, mortem contingere per vltimum eſſe hominis in vltimo inſtanti vitæ: vt refert & approbat Henriq. lib 2. de Sacram. cap. 39. num. 2. Sed ſanè non oportet, ad hanc rem inuertere ordinem naturalem rerum. Caietan. 2.2. q. 124. art. 2. §. *Ad primum autem argumentum*, indicat, hominem accipere gratiam Martyrij, cùm firmiter deliberat mortem pati pro Chriſto. Sed certè præter voluntatem expectari debet ipſum opus: non enim ſola voluntas ſufficit, ſed realis exequutio requiritur ad recipiendam gratiam Martyrij, ex opere inquam operato. Quidam alij ergo dicunt, gratiam conferri in eodem mortis inſtanti: quia dicunt pertinet etiam ad hanc vitam, tanquam terminus eius, licèt extrinſecus. Vel conferri in parte temporis indeterminata præcedente inſtans mortis, iuxta illos dicendi modos quos memorauimus q. 62. ſect. 3. Plures ſunt qui dicunt, gratiam conferri in aliquo inſtanti determinato ante mortem: videlicet quādo homini iam ſunt lethalia vulnera inflicta, vt dicatur conſtitutus in articulo mortis naturaliter iam ineuitabilis. Quia nimirum, tunc Martyrium, licèt non totaliter conſummatum, tamen coram Deo habetur pro completo. Ita ſentiunt Vega lib. 6. cap. 37. in fine, Valent. 2.2. d.8 q.2. puncto 1., Suarez hic diſp 29. ſect. 3. ad finem, Bonacina q. 1. de Baptiſmo puncto 3. num. 1. Et indicat S. Thomas 2.2. q. 124. art. 4. ad 4. Pro illo vero tempore quod mediabit inter tale inſtans & aliud inſtans mortis, aliqui admittunt, poſſe contingere vt homo peccet, & ita gratiam amittat; ſicut poteſt amitti gratia alijs medijs & ſacramentis acquiſita. Melius alij dicunt, aut hominem nō poſſe peccare, quia non confertur ei gratia niſi in inſtanti adeo propinquo morti, quo iam non ſit compos amplius libertatis: & ita cenſent Coninch q. 66. art. 12. dub. 3., & Vaſq. diſp. 153. num. 48. Aut tandem ex vi eiuſdem Martyrij ita hominem in gratia confirmari vt infallibiliter permaneat ac finaliter decedat in gratia: vt indicauit Nicetas in Orat. 39. Nazianz. dicens, *Qui Martyrio baptizatus eſt, ſequentis vitæ ſordes non extimeſcit.*

Quòd ſi vlteriùs homo ad talem articulum mortis vi tormentorum adductus, incolumis per diuinam potentiam conſeruetur in vita: tunc Caietan. 2.2. q. 124 art. 4. ad finem ait, non dari gratiam Martyrij: ſed tunc ſolùm dari, quando mors re ipſa ſequutura eſt, & non impeditur à Deo: quia alioqui ſi ita impediatur, vt re ipſa nō ſequatur, hominem non eſſe verè Martyrem. Et ideo Ioannem Euangeliſtam, licèt in feruentis olei balneo immerſum, tamen quia à morte præſeruatus fuit, nō eſſe Martyrem. Si tamen differatur tantùmodo aliquantum mors, non tolli rationem Martyrij: ſicut in B. Cecilia contigiſſe narratur. Suarez tamen loco citato, veriſimilius putat, & ſequitur Bonacina puncto 3. citato, etiam in eo caſu quo mors miraculosè impediatur à Deo, adhuc verè conferri gratiam Martyrij: & fortaſſe pro toto ſequenti tempore talem hominem manere confirmatum in gratia: ne videlicet detrimentum patiatur ex incolumitate ſibi miraculosè conſeruata vel reddita, dum ipſe alacriter ſe expoſuerat morti pro Chriſto.

SECTIO SEXTA.

An & quam diſpoſitionem requirat in Adultis Baptiſmus ſanguinis, ideſt Martyrium.

Tantùm in adultis hæc diſpoſitio locum habet. Et in adultis Baptiſmus ſanguinis eſt propriiſſime Martyrium, eſt actus fortitudinis. De quo propterea agit S. Thomas 2. 2 q. 124. In paruulis autem dicitur Martyrium per extenſionem nominis, ſeu ex parte obiecti, non ex parte actus.

Requirit piam voluntatem tolerandi mortem.

Primò ergo, Martyrium in adultis requirit, tanquam neceſſariam diſpoſitionem, piam voluntatem tolerandi mortem pro diuina gloria. Ita ſupponit S. Tho. ea quæſt. art. 1. ad 1., alijquè communiter docere videntur. Quamuis Coninch q. 66. art. 12. dub. 2. concl. 4. ſufficere putet, vt quis non habeat vo-

Digitized by Google

luntatem contrariam. Et Vaſq. diſp. 153. cap. 2. velit, eſſe quidem neceſſariam voluntariam diſpoſitionem, non tamen voluntariam paſſionem. Suadetur concluſio ab exemplo ſacramenti, quod in adultis requirit intentionem ſuſcipiendi, vt in generali diximus ſuo loco. Dico autem, Martyrium requirere piam voluntatem, ideſt honeſtam, & ex motiuo ſupernaturali: vt aduertit Suarez diſp. 29 ſect. 2. Quia alioqui ſi quis mortem ſubiret ob mundanum honorem, aliudue tale motiuum, vel ex naturali affectu, non eſſet vere Martyr: quoniam Martyrium debet eſſe actus Chriſtianæ virtutis. Sufficit autem voluntas antecedens, non retractata, etiam ſi poſtea dormiens occidatur: vt colligitur ex S. Thoma infra q. 87. art. 1. argum. 1. cum eius ſolut. Et non rectè id negauit Vega lib. 6. cap. 37., cùm alioqui profiteretur valde fauere Martyrio.

Requirit catholicã fidem.

Secundo. Martyrium requirit veram & catholicam fidem in homine. Itaque ſi Infidelis quis ſeu Hæreticus occidatur, etiam ſi pro defenſione & confeſſione alicuius articuli veri quem credit, non propterea eſt Martyr. Ita D. Auguſt. lib. 1. de Baptiſmo cap. 11. lib 3. cap. 16. & lib. 4. cap. 17., Cyprian. Epiſt. 52. 54. & 73. Eſtque res clara ex doctrina generali de neceſſitate fidei: *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* Et ex ratione ipſa Martyrij, de qua eſt, vt moriatur homo pro vera fide, ſcilicet fide diuina & infuſa, qualis non eſt niſi fides catholica: quia de reliquo eſſet ſolùm fides humana & imperfecta, quæ vtique non valet. Sufficiet autem ſubire mortem, vel propter veritatem fidei in ſe, vel in operibus fidei: vt explicauit S Tho. 2.2. q. 124. art. 5. Ita quod omnium virtutum opera poſſunt eſſe cauſa Martyrij. Sic Ioannes Baptiſta fuit Vere Martyr, quia occiſus fuit ab Herode & Herodiade in odium virtutis. Et ratio eſt: quia omnia virtutum opera ſecundum quod referuntur ad Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei: & quicunque vult potius ſubire mortem, quàm peccato aliquo Deum offendere, vel ab actu virtutis ſibi conuenienti deſiſtere; facto ipſo proteſtatur, Deum eſſe tàm dignum & honorandum, vt omnibus alijs rebus etiam propriæ vitæ præferri debeat.

Requirit carentiam praua voluntatis.

Tertio. Martyrium præterea omnino requirit, vt homo non habeat actualem voluntatem, ſeu complacentiã alicuius peccati mortalis. Ita S Thom. infra q 87. art. 1. ad 2., Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 11. in fine. & alij communiter. Patet facile: quia non ſtat, hominem ſimul peccare & conſequi remiſſionem eiuſdem peccati, vel conſequi remiſſionem aliquorum, & nõ omnium peccatorum mortalium. Itaque homo actualiter in ipſo actu Martyrij peccans, nullatenus recipit gratiam iuſtificationis & remiſſionis. Niſi inquam in progreſſu Martyrij reſipiſcat, & à praua voluntate deſiſtat.

An requirat pœnitentiam de præteritis peccatis.

Quartò demum. Si homo dum rapitur ad Martyrium, habeat cõſcientiam peccati mortalis à ſe commiſſi, & nondum ſibi remiſſi, præcipuè dubitatur, quanam diſpoſitione indigeat. Canus in Relect. de Pœnit par. 3., Bagnes 2. 2. q 24. art. 6. dub. 5. ad 7 argum., Vaſq. hìc diſp. 153. cap. 3., & Kelliſonus q 66 art. 12 dub 3, contendunt, omnino egere perfecta contritione ſeu dilectione Dei ſuper omnia, alioqui non conſequi iuſtificationis gratiam. Idque indicat etiam S. Thom hìc q. 66. art. 12, dum in corp. ait: *Virtus Spiritus ſancti operatur in Baptiſmo ſanguinis per potiſſimum dilectionis & affectionis feruorem, ſecundùm illud Ioann. 15, Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et ad 2. addit, *Effuſio ſanguinis non habet rationem Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate, ex quo patet quod includit Baptiſmum Flaminis.* Adducit quædam alia dicta Patrum Vaſq. cap. 3. Sed præcipue probari ſolet ex verbis Apoſtoli 1 Cor. 13, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et ex illis verbis Chriſti Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem &c.* Ratione, reiectis alijs, probat Vaſq. cap. 5 Quia non niſi diuina voluntate & conceſſione, mors pro Chriſto tolerata talem vim habere potuiſſet, remittendi peccata, & conferendi gratiam ex opere operato: ſed de hac Dei voluntate nobis

non

Digitized by Google

non conſtat, nec ex Scriptura, nec ex Eccleſiæ definitione aut traditione: ergo non debet hæc vis per ſe tribui Martyrio: ſed tantùm dilectionis affectus ex quo mortem quis ſubeat, poterit eum iuſtificare & ſaluare, ex opere ſcilicet & merito operantis.

Oppoſita ſententia eſt, Martyrium nullam aliam diſpoſitionem requirere, nec etiam attritionem de peccatis. Ita indicat S. Tho. infra q. 87. art. 1. ad 2., qui ſolum exigere videtur, vt homo nō habeat actualem complacentiam de peccatis. Vnde Vaſq. num. 19 fatetur, hunc locum S. Tho. explicari non poſſe, ſed in alijs locis contrarium docuiſſe. Item Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 11. in fine, & Vega lib. 6 cap. 36. affirmant, non ſolùm ſi homo raptus ad mortem pro Chriſto nō recordetur de ſuis peccatis, ſed etiam ſi de illis cogitet, & poſſet elicere actum pœnitentiæ, non eſſe illi neceſſarium talem actum, ad effectum Martyrij, & remiſſionem peccatorum conſequendam.

Media ſententia eſt, Martyrium non requirere perfectam contritionem, ſed requirere ſaltem attritionem. Ita Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 6., & Coninch q. 66. art. 14. dub. 2. concl. 6. Vel ex præcepto quidem requirere nō ſolùm attritionem, ſed etiam contritionem: ſi tamen homo per inaduertentiam excuſetur ab obligatione præcepti, ſufficere voluntatem ſubeundi mortem pro Chriſto, etiam ſine omni attritione de peccatis præteritis. Ita Suarez diſp. 29. ſect. 3., Bonacina q. 1. de Baptiſmo puncto 1. num. 6.

Requirit ex obligatione præcepti.

Pro reſolutione diſtinguere oportet de obligatione præcepti conſurgente ex peccatis antea commiſſis, & de neceſſitate diſpoſitionis propter ipſum Martyrium eiuſque effectum. Quantum ad primum dicendum eſt, teneri tunc hominem per ſe loquendo perfectam agere pœnitentiam, per quam ſcilicet ante Martyrium iuſtificari ſtudeat. Imo ſi habeat commoditatem recipiendi ſacramentum, vel Baptiſmi Cathecumenus, vel Pœnitentiæ Baptizatus, ad recipiendum tenetur. Si vero non habeat talem commoditatem, tenetur ad perfectam contritionem. Probatur: quia præceptum pœnitentiæ poſt peccata commiſſa ſemper vrget, debet adimpleri ante mortem: & ſimiliter præceptum recipiendi ſacramentum. Neque veluti commutatur in ipſum Martyrium, quaſi homo aduertens & potens de peccatis præteritis nondum retractatis & remiſſis pœnitere, non teneatur, dum paratus eſt mortem ſubire: & potens baptizari aut confiteri, eximatur ab obligatione recipiēdi tale ſacramentum. Sed ſine dubio teneretur homo habens commoditatem, adimplere obligationem communem recipiendi ſacramentum: & deficiente tali commoditate tenetur ad perfectā contritionem. Quamuis enim Martyrium ipſum poſſit quoque valere ad iuſtificationem: tamen non ſe habet tanquam medium ordinarium inſtitutū ad huiuſmodi effectum: ſed ad ſummū habet hanc vim ex priuilegio ſpeciali; quare non eximit hominem à medijs ordinarijs. Ex quo ſequitur, quòd ſi quis culpabiliter negligens omittat exercere actum pœnitentiæ, aut recipere ſacramentum, non conſequetur gratiā Martyrij: quia potiùs tunc actualiter peccat: & ad minus requirebatur, ne homo tunc actu peccaret, ſeu voluntatem aut complacentiam peccati haberet, vt iam diximus.

Non requirit neceſſitate medij.

Quantum ad ſecundum fatendum eſt, poſſe contingere vt homo recipiat effectum Martyrij ſine tali præuia diſpoſitione ac pœnitentia, ita quod ipſomet Martyrio conſequatur iuſtificationis gratiam. Si videlicet non cogitans de ſuis peccatis commiſſis, aut de actu pœnitentiæ exercendo, rapiatur ad mortem & occidatur. Sequitur hoc ex dictis ſect. præcedenti. Si enim Martyrium poteſt conferre primam gratiam iuſtificantem, & primo dare remiſſionem peccatorum, vt oſtendimus eſt: plane fit, vt poſſet homo non præmiſſa contritione conſequi effectū gratiæ, & Martyrio ipſo iuſtificari. Confirmari etiam ſolet: quia Eccleſia ſtatim vt ſanctos veneratur illos, de quibus conſtat fuiſſe propter Chriſtum occiſos, non examinans num antea eſſent in ſtatu gratiæ, vel perfectam pœnitentiam egerint. Propterea quod

Bagnes aſſerit, hoc quidem eſſe priuilegium Martyrij, quod nunquam Deus permittat quempiam pro ſe mori, quin illi det antecedenter gratiam & ſpiritũ perfectæ pœnitentiæ. Sed potiori iure ab illo quæri poteſt, vnde hoc ei conſtet: cùm non id Sancti doceant. Potiùs vero conſtat, per ipſam effuſionem ſanguinis mũdari hominem à ſuis peccatis. Et plane multò certius eſt, Martyrem eſſe verè ſanctum, quàm habuiſſe actum perfectæ dilectionis ſeu contritionis.

Ex his etiam ſatis probabile fit, adhuc ſine præuia attritione, ſi ab hac etiam elicienda, obliuione & naturali inconſideratione excuſatus ſit Martyr, verè iuſtificari. Nam obligatio quidem vrgebat, non de ſola attritione, ſed de contritione: ergo ſi ita homo ab actu attritionis, ſicut contritionis excuſetur, poterit adhuc iuſtificari. Et hoc cenſeatur ſpeciale priuilegium Martyrij ſupra ſacramentum, quod alioqui ſine præuia attritione non iuſtificat, quia eſt medium commune & ordinarium, ac proinde non niſi iuxta communem & ordinariam regulam confert gratiam.

Explicatur auctoritas S. Thomæ.

Iam, ad auctoritatem illam S. Tho. art. 12. ne videatur ſibi repugnantia docuiſſe, & in re negaſſe Baptiſmum Sanguinis diſtinctum à Baptiſmo Flaminis, ſic reſponderi ſolet: Martyrem conſequi effectum gratię per potiſſimũ dilectionis affectum, quia Martyrium ipſum ex obiecto eſt opus eximiæ dilectionis, ideoquè hoc priuilegium illi datum eſſe, etiam ſi fortè in executione & actualiter non proueniat ex tali perfecta dilectione. Item effuſioné ſanguinis non valere ſine charitate; vel habituali, ſaltem conſequenter ex eodem Martyrio acquiſita; vel actuali, ſumendo charitatem pro voluntate recta & pia tolerandi mortem pro Chriſto. Et ita Baptiſmum ſanguinis includere aliquo modo Baptiſmum Flaminis, vel ratione charitatis habitualis quam ſecum affert, vel ratione eius voluntatis actualis quam ſupponit. Alia Patrum dicta quæ Vaſqu. affert. vel non faciunt ad rem: vel ſolùm indicant, ſolere in Martyrio interuenire charitatem; ſed non propterea virtute ſolius charitatis ex ipſo opere operantis habere effectum.

Explicatur verba Apoſtoli.

Ad locum Apoſtoli triplex ſolet expoſitio adhiberi. Prima eſt, Martyrium ſine charitate non prodeſſe, quantum eſt ex opere operantis, & in hoc aſſimilari cum alijs operibus bonis: quamuis etiam ſine charitate proſit ex opere operato. Secunda eſt, Martyrium ſi ſit abſque omni charitate, tàm habituali, quam actuali, tam conſequenti, quàm antecedenti, non prodeſſe: ideſt ſi Martyr non habeat charitatem ſeu gratiam habitualem, non ſaluari: quàuis enim talis caſus abſolutè non contingat, tamen propoſitio conditionalis vera eſt. At certè Apoſtolus loquebatur potiùs tanquam de re poſſibili: & alioqui perinde fuiſſet dicere, Martyrium ſine charitate non prodeſſe, ac dicere Baptiſmum ritè ſuſceptum non prodeſſe ſine charitate: quod vtique fruſtra diceretur, quia ipſe Baptiſmus ex opere operato charitatem affert. Tertia ergo melior expoſitio eſt, quam indicat S. Tho. ſuper eundem locum ad Corinth. Nempe Apoſtolum non dixiſſe, ſi Martyrium ſubiero, charitatẽ autem non habuero: ſed dixiſſe, ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam. Quod ſane poteſt intelligi pluribus modis abſque Martyrio: aut videlicet propria ſponte corpus ſuum excruciãdo & affligendo: aut ſi quis non ex recto motiuo, non propter Deum, mortẽ tolerare paratus ſit: aut ſi cum voluntatę & affectu aliquo prauo mortem ſubeat: tunc enim diceretur corpus ſuum tradere ſine charitate, & verè non eſſet Martyr.

Explicãtur verba Chriſti.

Ad verba Chriſti Domini, ſenſus eſt, regulariter quidem, Martyrium ſolere ex perfecta dilectione & charitate procedere. Siue ex genere & obiecto ſuo hoc eſſe opus eximiæ charitatis. Et inter opera quæ homo exercere poteſt ex charitate, hoc eſſe excellentiſſimũ. In rigore tamen poteſt non eſſe ex ipſa charitate, etiam ſi ſit ex motiuo virtutis: quia poteſt vtique eſſe ex ſolo motiuo fortitudinis, aut fidei, aut alterius virtutis. Item poteſt eſſe ex charitate, tamen abſque actu perfecto & adæ-

quato

Digitized by Google

quato dilectionis vniuerſalis Dei ſuper omnia, Nam poteſt quis eſſe ita diſpoſitus, quod promptus quidem ſit propter Deum vitam ponere; non tamen amittere eximiam famam & celebritatem; aut ſucceſſionem & ſplendorem familiæ, aliudue ſimile. Poteſt eſſe ita diſpoſitus, quod negare quidem fidem nolit, etiam propter ſeruandam vitam, aut aliud quodcunque temporale bonum: tamen aliquod aliud peccatum facilè committeret, ſicut videmus tàm frequenter quædam peccata committi ob leuem quampiam commoditatem aut voluptatem, ab ijs qui non propterea alia grauiora peccata contra Deum ſeu contra fidem committerent:

Diluitur oppoſita ratio. Ad rationem Vaſquez, ex dictis ſect. præcedenti apparet, ſufficienter conſtare nobis de hac diuina voluntate & conceſſione in fauorem & priuilegium Martyrij, ex traditione & exiſtimatione Patrum & Eccleſiæ, & ex ipſa Scriptura, vt iam vidimus.

QVÆSTIO SEPTVAGESIMAPRIMA

De Præparatione & Cæremonijs Baptiſmi.

VLTIMO loco circa hoc ſacramentum agit S. Thom. de actibus præparatorijs ad Baptiſmum. Sed vt adequate complectamur omnes actus qui in huius ſacramenti exercitio adhibentur, addimus etiam de Cæremonijs. Suam quæſtionem in quatuor diuidit articulos S. Doctor. Primò docet debere Catechiſmum præcedere ante Baptiſmum: quia cùm hoc ſit Chriſtianæ fidei ſacramentum, debet antea præmitti inſtructio fidei. Secundo, etiam Exorciſmum debere præcedere: per quem videlicet expelluntur Dæmones, ne hominis ſalutem impediant. Tertio, Cæremonias exorciſmi non ſolùm ſignificare, ſed etiam efficere aliquid ad ſalutem hominis, nempe excludere Dæmonis poteſtatem. Quartò, ad Sacerdotem principaliter pertinere, catechizare & exorcizare baptizandum, ſed alios etiam inferiores miniſtros cooperari & inſeruire debere.

SECTIO PRIMA.

Quæ ſit Præparatio & quæ Cæremoniæ Baptiſmi.

CIrca hanc præparationem nos quærimus de diſpoſitione quam adhibere debet ex parte ſua qui ſuſcepturus eſt Baptiſmum; de hac enim ſatis ſuo loco diximus. Sed ſoluam de præparatione quam præmittere debet miniſter Baptiſmi. Quæ in duos principaliter actus à tali miniſtro exercendos diuiditur, vt notat S. Thomas, ſcilicet Catechiſmum & Exorciſmum. *Præparatio includit Catechiſmum & Exorciſmum.* Sub quibus comprehenduntur plurimæ ex ij. cæremonijs, quæ in ſolemni huius ſacramenti miniſterio ſolent ab Eccleſia exerceri.

Catechiſmus eſt actus inſtruendi hominem baptizandum de fide & moribus, ideſt de ijs quæ credere & operari debet. Exorciſmus eſt actus expellendi & excludendi Dæmonem. Vterque adhibetur tàm in paruulis, quàm in adultis baptizandis. Circa adultos Catechiſmus maximè per modū præparationis præmittitur: quia ad hoc vt dignè hoc ſacramentum percipiant, debent fide diſponi. Et Chriſtus ipſe mittens Apoſtolos dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Priùs dixit *Docete*, & poſtea ſubdit *Baptizantes*. Et non ſolùm de ipſa fide, ſed etiam de bonis moribus inſtruendi ſunt qui cupiunt baptizari, vt non ſolum ſciant, quæ ipſis credenda ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ſed etiam quæ agenda. Et hoc ipſum indicauit Chriſtus, *Docentes eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis*. Circa paruulos Cathechiſmus adhibetur ſolum per modum cæremonię: cùm non ſint tunc capaces percipiendi doctrinam fidei. Sed per hoc denotatur, quam doctrinam percipere, profiteri, & obſeruare debent, cùm adoleuerint. Cæterùm tàm in Cathechiſmo, quàm in Exorciſmo, plures actiones & Cæremoniæ ritu eccleſiaſtico exercentur, vt habetur in Rituali Romano.

Sunt & aliæ cæremoniæ.

Præter eas vero cæremonias, ſunt & aliæ in huius ſacramenti miniſterio obſeruandę. Videlicet vt Baptiſmus conficiatur de aqua benedicta & conſecrata, quę in fonte baptiſmali ad hunc finem ab Eccleſia aſſeruatur: vt conſeratur in ipſa Eccleſia. Item impoſitio nominis, vnctio ſacri olei in vertice, veſtis candida, locus, tempus, & aliæ, quæ in eodem Rituali habentur. Et optime Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 25. & duobus ſequentibus, in tres claſſes Baptiſmi cæremonias ordinauit: antecedentes duodecim, comitãtes quinque, conſequentes totidem. Quas etiã diſtincte recenſet & explicat, Vaſq. hic diſp. 166. Et addi debet deſcriptio baptizatorum & patrinorum in libro parochiali. Cuius etiam deſcriptionis formula in eodem Rituali proponitur.

Qualiter ſequirantur.

Certum eſt autem, has cæremonias non eſſe de neceſſitate ſacramenti: ac vrgente periculo, nec etiam de obligatione præcepti, quo caſu poteſt ac debet adhiberi Baptiſmus, ſolo eſſentiali ritu ſeruato. Sed ſecluſo periculo, ſub obligationem ſine dubio cadit, vt Baptiſmus non niſi cum ſolita ſolemnitate & cæremonijs adminiſtretur: adeo vt non ſolùm in totum illas omittere, ſed etiam in parte reſcindere, ſit mortale peccatum. Ex leuitate tamen materiæ poterit in omiſſione alicuius minoris cæremoniæ, ceſſante etiam contemptu, excuſari mortalis culpa, & euadere tantum venialis. Quod quidem prudenti iudicio & piorum æſtimatione diſcernendum erit, pro varietate rerum & circunſtantiarum. Quando demum propter inſtantiam periculi fuerit priuatim exhibitus Baptiſmus abſque ſuis cæremonijs, debent hæ deinde ſuppleri, ſi ſuperuiuat qui baptizatus erat, abſque ſcilicet repetitione ipſius Baptiſmi quoad ſubſtantialia, qui iam validus ac ratus erat. Suppleríque debent hæ cæremoniæ, etiam ſi multum temporis affluxerit poſt Baptiſmum: vt præſertim tempore peſtis accidere poſſe, notauit Layman lib. 5. tract. 2. cap. 8. num. 9. Attamen non eſſe grauem obligationem ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali, de ſupplendis cæremonijs poſt Baptiſmum, indicat Poſſeuinus de Officio Curati cap. 6 num. 23. Sed potiùs obligationem eſſe grauem, ſatis colligitur ex communi modo loquendi Doctorum, ex iuſſione Ritualis, & ex diligentia ac ſolicitudine qua id in tota Eccleſia ſeruari ſolet. Verùm, ex duabus illis partibus dictis, ſcilicet Exorciſmo & Catechiſmo, Comitolus lib. 1. Reſponſ. moral. q 12. contendit, non eſſe poſtea adhibendum Exorciſmum, ſed ſolùm Catechiſmum, imo ſacrilegium eſſe eum adhibere, quaſi per Baptiſmum ipſum non adhuc expulſus eſſet Dæmon: Sed ex Rituali & vſu conſtat, adhibendum eſſe etiam Exorciſmum; paucis tamen verbis apte immutatis: tum quia quodammodo refertur ad tempus præteritum: tum quia præcipuè, licet expulſus ſit Dæmon quantum ad originalem culpam tamen quia nunquam deſinit hominibus inſidiari, iuuat adhuc magis eum expellere & arcere. Quòd ſi ex oppoſito datus fuiſſet Baptiſmus ſolemniter cum ſuis cæremonijs, ſed nulliter ob aliquem ſubſtãtialem defectum, debere adhuc iterum ſimul cum Baptiſmo repeti omnes cæremonias, docuit D. Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 14. §. 12., & plures ex Recentioribus. Sed melius Bonacina q. 2. de Baptiſmo puncto 6. in fine, cenſet non debere repeti, niſi forte vſus aliter cogat.

SECTIO SECVNDA.

Quam conuenientiam & vtilitatem habeant Cæremoniæ Baptiſmi.

HÆretici qui in vniuerſum eccleſiaſticas cæremonias contemnebãt, ſpecia-

Digitized by Google

ſpecialiter ſpernunt & reprobant Baptiſmi cæremonias, tanquam inconuenientes & inutiles. Certum tamen de fide eſt, illas conuenientiſſimè & valdè vtiliter adhiberi. Patet ex ipſo vſu Eccleſiæ, & poteſtate, quam habet inſtituendi huiuſmodi cæremonias, & earũ obſeruantiam præcipiendi, vt de ſacramentis in genere dictum eſt. Et præterea in ſpecie, ſingulas Baptiſmi cæremonias iam olim ab initio Eccleſiæ fuiſſe in vſu, & à Sanctis Patribus ac Sacris Concilijs approbatas, oſtendit Bellarm. vbi ſupra.

Sunt conuenientes & vtiles ad decorẽ ſacramẽti.

Triplex ratio conuenientiæ & vtilitatis harum cæremoniarum præcipuè reddi poteſt. Prima eſt, ad decorem & ſplendorem huius ſacramenti. Cùm enim ex vna parte Baptiſmus ſit primũ ſacramentorum, ſit ianua Eccleſiæ: & ex altera parte ſubſtantia ſacramenti conſiſtat in ſimpliciſſimis quibuſdam & facillimis actibus, videlicet in ablutione aquæ naturalis, & prolatione paucorũ verborum: valde expediebat, vt cæremoniarum apparatu debitus honor & reuerentia huic ſacramento conciliaretur.

Ad ſignificationem ſpiritualiũ rerum.

Secunda ratio eſt, ad myſticam & ſpiritualem ſignificationem. Non enim caſu & materialiter hæ cæremoniæ adhibentur, ſed conſultò & conſideratè, vt aliqua ſpiritualia myſteria repræſentent. Et quæ ſit ſignificatio ſingularum, attingit optimè S. Thom. art. 2. Videlicet ſal in os immiſſum ſignificat confeſſionem fidei, ſaliua naribus & auribus adhibita ſignificat approbationẽ & receptionem fidei. Et ſic de ſingulis cæremonijs propriæ ſignificationes, ab illis Auctoribus, qui de ijs tractant aſſeruntur.

Ad ſubſidium Baptizati.

Tertia ratio eſt, ad efficiendum aliquid in ſalutem eius qui baptizatur. Refert quidem S. Tho. art. 3. opinionem quorundam qui putarunt, cæremonias ſolùm ad ſignificandum, & non ad operandum quicquam fuiſſe inſtitutas. Et ita opinatus fuit Altiſiodor. lib. 4. Summæ tract. 3. cap. 1. q. 1. Rectè tamen S Thomas & alij communiter docent, cæremonijs non ſolùm ineſſe vim ſignificandi, ſed etiam efficiendi aliquid. Colligitur ex ipſa forma verborum qua Eccleſia vtitur; nempe per modum imperantis ad expellendum Dæmonẽ, dicendo, *Maledicte Diabole exi ab eo &c.* Sic & aliæ cæremoniæ habent aliquam vim ad tribuenda aliqua ſpiritualia ſubſidia homini qui baptizatur, vt refert S. Tho. eodem articulo. Quod totum intelligendum eſt iuxta ea quæ diximus in genere de ſacramentorum cæremonijs q. 60. ſect. 2. Nempe non haberi effectum aliquem ſalutarem ex cæremonijs propriè loquẽdo ex opere operato. Sed ad repellendos quidem Dæmones Eccleſiam habere poteſtatẽ per modum imperij, & ad alios effectus per modum impetrationis & interceſſionis.

QVÆSTIO SEPTVAGESIMASECVNDA

De Sacramento Confirmationis.

RECTA ordinis diſpoſitione, poſt Baptiſmum Confirmatio collocatur, vt de ordine omnium ſacramentorum communiter antea explicauimus. Hoc certe ſecundum ſacramentum pluribus nominibus appellatur, Confirmatio, Chriſma, Conſignatio frontis, Impoſitio manuum. Quorum ſingulorum ratio ex tractatione ipſa conſtabit. Hanc quæſtionem & totam de hoc ſacramento doctrinam, in duodecim diſtribuit articulos S. Doctor. Primo docet, Confirmationem eſſe ſacramentum: quia habet ſpiritualem effectum gratiæ. Secundò, conuenientẽ eius materiã eſſe Chriſma:

Digitized by Google

quia per oleum ſignificatur gratia Spiritus ſancti, & per balſamum fragrantia odoris quæ redundat ad alios. Tertiò, Chriſma debere eſſe antea ab Epiſcopo conſecratum, non ſolùm propter ſolemnitatem, ſed de neceſſitate ſacramenti. Quartò explicat, quàm conueniens ſit forma huius ſacramenti, *Conſigno te ſigno crucis &c.* Quinto docet, Confirmationem imprimere characterem: quia confert homini poteſtatem ad ſpiritualem pugnam contra hoſtes fidei. Sexto, præſupponere neceſſario characterem Baptiſmi: quia nemo poteſt creſcere & promoueri ad ætatem perfectam, qui non fuerit antea natus. Septimo, Confirmationem conferre etiam gratiam: quia in hoc ſenſu dicitur dare gratiam Spiritus ſancti. Octauò, hoc ſacramentum eſſe omnibus exhibendum quocunque ætatis tempore, quia corporales ætates non præiudicant animæ. Nono, vnctionem qua perficitur hoc ſacramentum, eſſe adhibendam in fronte ſub figura crucis: quia ſic inſignitur homo ſigno Chriſti, veluti miles ſigno ducis. Decimò, illum qui confirmatur debere teneri ab alio, ſicut & in Baptiſmo: quia debet ad pugnam inſtrui. Vndecimò, ſolum Epiſcopum poſſe conferre hoc ſacramentum: quia Confirmatio eſt tanquam perfectio Baptiſmi, vnde debet à miniſtro ſupremæ auctoritatis exhiberi. Duodecimò, ritum cæremoniarum quem Eccleſia in hoc ſacramento ſeruat, eſſe conuenientem: quia ordinationes Eccleſiæ ſecundùm Chriſti ſapientiam diriguntur.

SECTIO PRIMA.

De Inſtitutione & Eſſentia Confirmationis.

NOuatiani, & quidam alij veteres Hæretici, penitus non admittebant, non exercebant huiuſmodi ſacram functionem quæ Confirmatio nominatur. Recentiores Hæretici admittunt aliquo modo & exercent Cõfirmationem: nolunt tamen eſſe verum & proprium ſacramentum. Sed auferentes ſacram vnctionem, quæ in Eccleſia catholica exercetur, ſolùm inſtructionem quandam, ſiue profeſſionẽ fidei coram Epiſcopo introduxerunt: Hos errores refert Bellarmin. lib. de Confirmat. cap. 1. Inſuper quidam Theologi, agnoſcentes vltro hoc eſſe verum ſacramentum, cogitarunt non fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtitutum, ſed potiùs ab Eccleſia, præcipuè in Concilio quodam Meldenſi, inſtinctu tamen Spiritus ſancti. Ita ſignificarunt Alenſ. 4. par. q 24. memb. 2. art. 1., & Bonauent. in 4. d. 7. art. 1 q. 1. & 2. Qui tamen hoc dixerunt, non tam de tota ſubſtantia ſacramenti, quàm de ritu ſacræ vnctionis quem Eccleſia ſeruat.

Primo ergo, certum de fide eſt, ſeruari & exerceri in Eccleſia debere hanc ſacram functionem, quæ Confirmatio nominatur: eſſeque verè & propriè quoddam legis euangelicæ ſacramentum, Eſt res nota, non ſolùm ex numero ſacramentorum in Concil. Florent. & Trident. definito, atque ab vniuerſa Eccleſia recepto: ſed in ſpeciali de Confirmatione in ijſdem Concilijs hæc res decreta eſt, Et meritò Trident. ſeſſ. 7. can. 1. de Confirmat. contra oppoſitos Hæreticorum errores ſic decreuit: *Si quis dixerit, Confirmationẽ baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potiùs verum & proprium ſacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe quàm Cathecheſim quandam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.* Præterea de hoc ſacramento in plurimis & antiquis Concilijs mentio habetur: in Sexta Synodo generali can 6., in Concil. Eliberit., Laodiceno, Arelat. 1. & 2., Aurelian., Meldenſi, & alijs. Similiter apud pleroſque Summos Pontifices, Clemẽt., Vrban., Cornel., Melchiad., Euſeb., Damaſ., Innocent., Leonem, Ioann., Gregorium, & alios. Ac demum paſſim apud Sãctos Patres tàm Græcos, quàm Latinos. Loca & verba Conciliorum, Pontificum, & Patrum refert & recitat Bellarm. eo libro de Confirmatione.

Ex ſacris etiam litteris hæc veritas ſatis apertè colligitur. Nam in Actis Apo-

Apoſtolor., præcipuè cap 8. & 19. narratur, qualiter Apoſtoli poſt collatum Baptiſmum, dabant per impoſitionem manuum Spiritum ſanctum. Et hæc eſt Confirmatio dans gratiam Spiritus ſancti. Et tunc quidem initio ſurgentis Eccleſiæ, ad maiorem conſolationem Fidelium, & propagationem fidei, dabatur Spiritus ſanctus aliquo ſigno viſibili, vel ignis, vel alio ſimili, exteriùs apparente. Deinceps autem inuiſibiliter datur ipſa gratia. Quę eſt eſſentialis ratio ſacramenti, vt ſit ſignum ſenſibile conferens gratiam. In Euangelio autem, quamuis non habeamus expreſſis verbis hoc ſacramentum: tamen habemus promiſſionem à Chriſto factã de dando Spiritu ſancto, Ioan. 14 & 15. Quæ quidem Chriſti promiſſio, ſingulari modo in Apoſtolis aliiſquè diſcipulis adimpleta fuit in die Pentecoſtes: ſed abſolutè extendebatur ad omnes futuros Chriſti Fideles, vt intimauit Petrus Actor. 2., licèt deinceps non ſub illa externa apparentia Spiritus ſancti gratia infundenda foret.

Erat valde conueniens.

Ratio demum huius inſtitutionis, alia eſſe non poteſt, niſi voluntas Dei & Chriſti. Conuenientiam affert S. Tho. art. 1., & alij Doctores, quæ optima eſt: Quoniam ſicut in vita naturali duo diuerſa ſunt, naſci & creſcere; ita in vita ſpirituali congruum erat, præter primũ Baptiſmi ſacramentum quo homo naſcitur, inſtitui aliud conſequens quo homo in gratia creſceret: & hoc eſt Confirmationis ſacramentum.

Fuit immediatè à Chriſto Domino inſtitutum.

Secundò vlteriùs omnino putandum eſt, hoc ſacramentum fuiſſe immediatè ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum. Ita S. Thom. art. 1. ad 1, & cæteri Doctores communiter. Et patet, tum ex modò dictis, tum ex doctrina generali de omnibus legis euangelicæ ſacramẽtis. Non tamen conſtat, quando præcisè fuerit hoc ſacramentum à Chriſto inſtitutum. Aliqui dicunt, quando ei oblati fuerunt paruuli, vt eis manus imponeret, Matth. 19. Aliqui, in nocte vltimæ cœnæ: quod ſignificauit Fabianus Papa Epiſt. 8. cap. 1., & indicat conſuetudo Eccleſiæ, qua quotannis illa die Chriſma conficitur. Aliqui, poſt Reſurrectionem, quãdo dixit Ioan. 20, *Accipite Spiritum ſanctum &c.* Aliqui demum in die Pentecoſtes, quia tunc primò diſcipuli confirmati & roborati ſunt. Omnes hi dicendi modi, quantum ad aliquid verificari, & inter ſe conciliari poſſunt. Videlicet, in promiſſione illa Spiritus ſancti promiſſam fuiſſe gratiam in hoc ſacramento conferendam. In impoſitione illa manuum ſuper paruulos, figuratum fuiſſe ritum huius ſacramenti. In nocte cænæ traditam fuiſſe doctrinam & inſtructionẽ de ſubſtantia huius ſacramenti. Poſt Reſurrectionem traditam fuiſſe abſolutam poteſtatem exercendi hoc ſacramentum. In die denique Pentecoſtes incæpiſſe executionem huius myſterij: non quod tunc illa viſibilis miſſio Spiritus ſancti fuerit ſacramentum: ſed quia tunc ſingulari illo modo datus fuit effectus huius ſacramenti, qui deinceps modo ſtabili & ordinario per exercitiũ huius ſacramenti erat cæteris Fidelibus conferendus.

Conſtat ex ſua materia & forma.

Tertiò demum, cùm iam conſtet eſſentialis ratio Confirmationis communis cum alijs nouæ legis ſacramentis, ſupereſt vt propria eius differentia & conſtitutio deſignetur. Et hæc explicanda eſt, tum penes proprias actiones ſenſibiles quibus perficitur, tum penes proprium effectum inuiſibilem quem confert. Vbi in primis videri poteſt hoc ſacramentum, abſque diſtinctione materiæ & formæ, rerum & verborum, perfici ſola manuum impoſitione. Nam hoc modo Apoſtoli Actor. 8. & 19. dabant Spiritum ſanctum. Propter hoc factum Apoſtolorum, S. Tho. art. 2. ad 1. & art. 4. ad 1. concedit, aliquando ſic fuiſſe, abſque alia diſtinctione materiæ & formæ, per ſolam impoſitionem manuum, hoc ſacramentum ab Apoſtolis miniſtratum, ſiue effectum ſacramentale abſque ipſo ſacramento per ſpecialem Chriſti conceſſionem exhibitum. Sed frequenter aliàs fuiſſe quoque ab iiſdem Apoſtolis modo ordinario per coniunctionem materiæ & formæ Fidelibus miniſtratum. Ita etiam affirmant Scot., Durand., Riccard., Sotus, & alij in 4. d. 7., dicentes:

Digitized by Google

quando Spiritus ſanctus viſibiliter dabatur, datum fuiſſe per ſolam man. um impoſitionem; ſed quando deinceps inuiſibiliter gratia Spiritus ſancti dabatur, datam fuiſſe per ordinariam huius ſacramenti adminiſtrationem. Nihilominus Bellarm. cap. 9. cum Vualdenſe potiùs putat, nunquam, ne ab ipſis quidem Apoſtolis, datum fuiſſe effectum huius ſacramenti ſine debita materia & forma. Et in hanc partem inclinant Suarez diſp 33. ſect. 4, Valent. q. 1. de Confirm. puncto 2., Coninch hac q. art. 3. dub. 2. Quia, licet Scriptura non explicet, tamen non negat, Apoſtolos adhibuiſſe vnctionem & verba modo conſueto. Et vnctio ipſa Chriſmatis in fronte, eſt impoſitio manuum. Quicquid autem ſit de Apoſtolorum facto, iam ſatis conſtat, hoc ſacramentum eſſentialiter ſua materia & forma conſtitui: vt declaratum eſt in Concil. Florent., & patet ex doctrina generali de ſacramentis. Si enim Apoſtoli vnquam aliter dabant Spiritum ſanctum, id erat ad ſummum ex conceſſione ſpeciali Chriſti, facta ſolis ipſis Apoſtolis. Iam quæ ſit vera materia & forma huius ſacramenti, mox ſequitur inquirendū.

SECTIO SECVNDA.

De Materia Confirmationis.

Materia proxima eſt vnctio. PRimò. Certum de fide eſt, materiam neceſſariam & eſſentialem huius ſacramenti eſſe vnctionem. Ita omnes Theologi docent. Et Florent. definiuit. Et antiquiora etiam Concilia, Pontifices, & Patres, in iiſdem locis in quibus de hoc ſacramento loquuti ſunt, vnctione perfici ſatis apertè dixerunt. Praxis Eccleſię idem oſtendit. Et nomen ipſum Chriſmatis, quo hoc ſacramentum ſolet etiam communiter appellari. Nam Chriſma græcè, eſt latine vnctio. Ex Scriptura demum colligitur, 2. Corint. 1. *Qui confirmat nos Deus & vnxit nos*. Et 1. Ioann. 2. *Vnctionem quam accepiſtis maneat in vobis*.

Materia remota eſt Chriſma. Secundo. Certum quoque eſt, conuenientiſſimam vnctionis huius materiam, eſſe miſtum illud, ſeu vnguentū, quo Eccleſia vtitur in exercitio huius ſacramenti, & communiter appellatur Chriſma: quod ex oleo & balſamo cum Epiſcopali benedictione conficitur. Hoc etiam totum definitum eſt in Cōcil. Florent. Et licet non habeatur in ſacris litteris expreſſum: tamen traditione ipſa & praxi Eccleſiæ ſatis conſtat: quæ etiam ſufficit ad reddendam rem certam de fide. Ratione verò explicat conuenientiam huius rei S. Thomas art 2. Quia materia ſacramenti debet eſſe proportionata ad ſignificandam vim & effectum eius: ſed in hoc ſacramento datur gratia Spiritus ſancti ad ſpirituale robur animæ, quod competit perfectæ ætati, ad quam prouectus homo, incipit communicare actiones ſuas ad alios: hinc ergo gratia Spiritus ſancti in oleo deſignatur; communicatio verò bonæ operationis ad alios, in balſamo propter fragrantiā odoris redundantem ad alios. Porrò, ipſa actualis vnctio, dicetur materia proxima, vnguentum ſeu Chriſma de quo fit vnctio, dicetur materia remota ſacramenti: ſicut in Baptiſmo, ablutio dicebatur materia proxima, & aqua remota.

An balſamum ſit de eius eſſentia. Tertiò. Inter dictas duas partes quibus Chriſma conficitur: exploratū quidem eſt, oleum eſſe ſimpliciter de neceſſitate huius ſacramenti, ſicut vnctio ipſa eſt de neceſſitate; ita quòd non ſufficeret ſolum balſamum. Ita omnes planè ſupponunt. Et dum dicitur oleum, intelligitur oleum commune & naturale, de oliuis expreſſum, quod ſimpliciter in communi vſu appellatur oleum. Ita S. Thomas art. 2. ad 3., aliiquè omnes. De balſamo inter Theologos dubitatur, num ſolùm ex præcepto Chriſti vel Eccleſiæ, an ſimpliciter de neceſſitate ſacramenti pariter requiratur. Caietan. hîc art. 1., Sotus in 4. d. 7. q. 1. art. 2., Eſtius ead. d. §. 8., Rubeus ead d. §. *Balſamum* 7., Victoria in Sum. de Sacram. q. 41., Nauarr. in Summa cap. 22. nu 8., Couarr. lib. Variar. reſolut cap. 10. nu. 4, Valent. q. 1. de Confirm. puncto 2., Zanard. in Direct. Theol. par. 1. de Sacram.

eram. Confirmat. cap. 2., Philiarc. tomo 1. de Offic. Sacerd. par. 2. lib. 1. cap. 1., Angles in Florib. tract. de Confirmat. art. 2 concl. 2., Viuald. in Candel. de Materia Confirmat. num. 2., Barboſa in Collect. tomo 1. lib. 1. tit. 16. cap. 1. num. 2., & alij quidam aſſerunt; ſolùm ex præcepto requiri balſamum in materia Confirmationis: ita quod ſi Epiſcopus confirmet, adhibendo ſolum oleum à ſe benedictum abſque vlla miſtione balſami, ſacramentum quidem valeat, licèt ipſe malè faciat. Sicut in conſecratione calicis, requiritur quidem ex præcepto aqua miſta vino, tamen ſolum vinum eſt materia ſufficiens ad validitatem conſecrationis & ſacramenti.

Fundatur hæc ſententia in auctoritate Innocentij Papæ in cap. *Paſtoralis* de Sacram. non iterandis: qui interrogatus, num iterari deberet Confirmatio cuidam data in oleo benedicto ſine balſamo, reſpondit non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè prætermiſſum fuerat. Accedit ratio: quia materia in ſacramentis debet eſſe communis & facilis, nec debet conſtitui in liquore pretioſo, & raro, qui non facilè inuenitur, cuiuſmodi eſt balſamum. Imò in primitiua Eccleſia, vix credi poteſt, pauperrimos tūc diſcipulos habuiſſe commoditatem balſami ad huius ſacramenti vſum.

Dici debet eſſe de eſſentia.

Magis tamen conſentaneum eſt dicere, balſamum admiſtum oleo, eſſe verè de neceſſitate huius ſacramenti. Hæc eſt planè ſententia D. Tho. hîc, & Bonau., Riccardi, Scoti, Durandi, aliorumq; Scholaſticorum communiter in 4 d. 7., qui tàm de balſamo, quàm de oleo abſolutè loquuti ſunt, dicētes, Chriſma ex vtroque commiſtum, eſſe materiam huius ſacramenti. Et ita ſentiunt Sylius, Nugnus, Kelliſonus, Coninch hac q. art. 3, Suarez diſp 33. ſect. 1., Abra tract. de Sacram. diſp. 2. ſect. 2 § 9. art 2., Fitign. in 4 d. 7. q 1. art. 3., Ledeſma in Sum. tract. de Confirm. cap. 2. concl 7., Fernandez de Heredia de Sacram difficul 5 par. 3. dub. 1. concl. 5. Bellarm lib 3 de Confirm. cap. 8. & 9., Bonacina de Confirmat. q. vnica puncto 3. num. 2., Paulus Layman lib. 5. Moral Theolog. tract. 3. cap. 2. num. 1., Emanuel Sà verbo *Confirmatio* nu. 7., Azorius tomo 2. lib. 5. cap. 1. q. 4., qui teſtatur eandem eſſe communem Iuriſtarum ſententiam in cap. illud *Paſtoralis*.

Probatur, tum ex Concil. Florent. abſolutè dicente, materiam huius ſacramēti eſſe Chriſma ex balſamo oleoque compoſitum. Nec eodem modo loquutum eſt de materia vini & aquæ in conſecratione calicis; ſed dixit, materiam eſſe vinum, cui aqua admiſcenda ſit. Tum etiam antiquiſſimi Patres, & Pontifices, & Concilia, ſatis indicarunt, balſamum eſſe ſimul cum oleo neceſſarium: hoc enim totum miſtum nomine Chriſmatis iuxta vſum Eccleſiæ intelligitur, & in tali ſignificatione ſemper hoc nomen acceptum ac retentum eſt. Tum etiam aliqui expreſsè dixerunt requiri balſamum, vel dixerunt materiam huius ſacramenti eſſe vnguentum odore fragrans, vtique ratione balſami. Idque docuerunt tanquàm rem notam ex doctrina Apoſtolorum, & inſtitutione ſacramenti. Nec in antiquitate habetur fundamentum, vt diuerſo modo de balſamo ac de oleo ſentiamus; quinimò vtrunque pari modo aſſignatur de ſubſtantia ſacramenti.

Explicatur auctoritas Innocētij.

Ad auctoritatem illam Innocentij: certè Pontifex dicere non potuit, Confirmationem datam eo modo fuiſſe validam & non iterandam, ſed ſolam vnctionem balſami ſupplendam. Tum quia ad minus propter rei incertitudinem debebat Confirmatio ſub conditione iterari: & ita ſanè in tali caſu fieri deberet. Tum etiam eo tempore non extabat ſententia dicens balſamū non eſſe de neceſſitate ſacramenti, quæ potius à poſterioribus Theologis inuecta eſt, ſed tunc vigebat oppoſita ſententia veterum Theologorum: quare non eſt credibile, Pontificem voluiſſe eo modo decernere. Tum demum non apparet, qualiter deberet ſola balſami vnctio ſuppleri, quia nec in Eccleſia aſſeruatur balſamum benedictum; neque conſtat an ſuppleri deberet cum prolatione verborum, neque ad quic-

quam

Digitized by Google

quam ampliùs referret. Sicut ſi aliquis bapti zatus ſit in ſola aqua naturali, ſine admiſtione olei conſecrati, quod ſolet in fonte baptiſmali infundi, vtique non deberet ſuppleri talis defectus, quamuis ſupplendæ eſſent aliæ cæremoniæ; ita ergo ſi ſolùm oleum benedictum valeret ad ſubſtantiam Confirmationis, non deberet ampliùs ſuppleri defectus balſami per diſtinctam eius vnctionem. Potiùs ergo, dum Pontifex dixit, cautè ſupplendum quod incautè fuerat prætermiſſum, docere voluit, totum ritum ſubſtantialem Confirmationis debuiſſe ſuppleri. Dixit autem, non eſſe quicquam iterandum; quia hoc non erat iterare ſacramentum, quod ab initio non fuerat ratum, cùm non eſſet validum. Aut voluit, non eſſe iterandas, & repetendas alias ſolemnitates & cæremonias conſuetas.

Soluitur ratio. Ad rationem adiunctam dicendum eſt cum S. Tho. hic art. 2. ad 4., hoc ſacramentum non eſſe tantæ neceſſitatis ad ſalutem, & ideo rectè potuiſſe materiam eius in liquore pretioſo & raro inſtitui. Et cùm in modica quantitate ſufficiat, facilè haberi, ac in quaſcunque regiones deferri poteſt. Vnde compertum eſt, nunquam in Eccleſia defeciſſe. Et non obſtante primorum Fidelium paupertate, commodè haberi poterat in tàm modica portione: & maximè in Paleſtina, vbi Eccleſia cæpit, & vbi hic liquor abundat.

Chriſma debet eſſe ab Epiſcopo benedictum. Quartò vlteriùs certum eſt, Chriſma quod eſt huius ſacramenti materia, eſſe debere priùs ab Epiſcopo conſecratum & benedictum. Ita S. Thomas art. 3. Et alij omnes, non ſolùm loquendo de obligatione præcepti, ſed etiam de neceſſitate ſacramenti, quantum eſt de lege ordinaria. Habetur hæc neceſſitas conſecrationis Epiſcopalis ex antiquis Concilijs, Pontificibus, & Patribus, & præſertim ex decreto Concilij Florentini, atque ex perpetua traditione & conſuetudine Eccleſiæ. Rationem quadam id ſuadere voluit S. Thomas; quia quaſdam ſacramẽtorum materias Chriſtus ipſe ſanctificauit, vtpote aquã ad Baptiſmum, & panem & vinum ad Euchariſtiam, ideoquè in ijs non eſt de neceſſitate ſacramenti alia benedictio: ſed vnctionibus viſibilibus Chriſtus ipſe nunquam vſus fuit, ne fieret iniuria vnctioni inuiſibili qua ipſe vnctus fuerat præ conſortibus ſuis; ideoque tàm Chriſma, quàm oleum infirmorum, debent ab Eccleſia benedici priuſquàm adhibeantur ad vſum ſacramentorum. Sed hæc ratio accipienda ſolùm eſt per modum cuiuſdam congruentiæ & accomodationis. Propria autem ratio alia non eſt, niſi voluntas & inſtitutio ipſa Chriſti, quæ traditione ipſa & perpetua praxi Eccleſiæ ſatis conſtat.

Adhuc vero poſſe ſaltem ex diſpenſatione extraordinaria Summi Pontificis ſufficere Chriſma non benedictum, opinati ſunt Capreol. in 4. d. 7. q. 2. art. 3 ad 1., & Paludan. q. 7. concl. 2. Aut ſaltem poſſe diſpenſari, vt Chriſma benedicatur à ſimplici Sacerdote qui non ſit Epiſcopus, & ſic benedictum ſufficiat ad ſacramentum, concedunt Scotus in 4. d. 7. q. 1., Sotus q. 1. art. 3., Victor. tract. de Confirm. nu. 43., Camerota de Confirmat. cap. 2. dub. 5., Caiet. hic art. 3., Valent. puncto 2., & quidam alij. Sicut nempe conceditur, poſſe hoc ſacramentum ex diſpenſatione extraordinaria miniſtrari à ſimplici Sacerdote, vt poſtea videbimus. Sed ſtatuendum eſt, nulla diſpenſatione fieri poſſe, vt ſufficiat Chriſma prorſus non benedictum: quia nullum fundamentum, aut indicium, aut exemplum habetur talis diſpenſationis. Putandum etiam eſt, nec diſpenſari poſſe, vt ſufficiat benedictio Chriſmatis facta à ſimplici Sacerdote non Epiſcopo, etiam ſi diſpenſari poſſit, vt ſacramentum ipſum miniſtretur à ſimplici Sacerdote. Ita ſentiunt Suarez diſp. 33. ſect. 2., Coninch & Kelliſonus hac q. art. 3., Abra vbi ſupra, Barboſa de Poteſtate Epiſcopi par. 2. allegat. 30. num. 6., & alij plures. Quia nempe non viget par ratio vel neceſſitas, quæ circa miniſtrum confirmantem affertur. Nec narratur vllum factum, vel exemplum diſpenſationis circa hanc benedictionem, ſicut circa miniſterum ipſum huius ſacramenti. *Nec poteſt in hoc diſpenſari.*

Quintò demum, Chriſma ita confectum & benedictum, debet eſſe nouũ vnius anni, excurrentis ab vno die ad alium *Debet eſſe nouum vnius anni.*

Digitized by Google

alium diem cœnæ Domini, & non vetus alterius anni præcedentis: ideoque iuſſum eſt, vt quotannis ea die nouum Chriſma conficiatur & benedicatur, ac vetus comburatur. Ita habetur cap. *Si quis* de Conſecr. d. 4., ex Fabiano Papa Epiſt. 2. Et eſt res nota, ac vſu ipſo retenta. Hoc tamen eſt ſolùm de obligatione præcepti, non de neceſſitate ſacramenti. Quare miniſter confirmãs ex veteri Chriſmate, peccaret quidem, tamen conficeret validum ſacramentum, idquè quandiù Chriſma illud non eſſet ſubſtantialiter corruptum.

SECTIO TERTIA.

De Forma & Ritu Confirmationis.

PRimò. Ex doctrina generali ſacramentorum conſtat, requiri in hoc ſacramento, eſſeque de eius eſſentia, aliquam verborum formam. Et ex ſpeciali eius adminiſtratione notum eſt, idoneam & optimam formam eſſe illã, quæ in catholica Eccleſia adhibetur: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*. Quæ tota forma, in Concil. Florent. præſcripta eſt. Et ſine dubio ex Apoſtolorum doctrina manauit: perpetua enim praxi & conſuetudine Eccleſiæ ſeruata eſt: cuius nullum aliud initium excogitari poteſt: quod apertiſſimum ſignum eſt primęuę traditionis Apoſtolicæ. Nec mirum, ſi non habetur ſcripta in ipſis ſacris litteris. Nam & alia quædam ſunt, quæ cùm ſcripta non fuerint, tamen perpetua traditione Eccleſiæ ſeruata ſunt.

Propria forma huius ſacramẽti.

Et hoc magis circa ſacramenta occurrit: quoniam exercitio ipſo & vſu continuo tutiſſimum erat, ſemper conſeruanda & retinēda fore, ſicut iam apud Chriſti miniſtros & fideles ſemper ſeruata ſunt. Et propter maiorem harum rerum venerationem & cautelam non fuerunt ab initio ſcriptæ, vt ſolis veræ fidei profeſſoribus notæ eſſent. Sic notauit Dionyſ. cap. 4. de Eccleſiaſt. Hierarch. par 3., & refert S. Thomas hîc art. 4. ad 1. Sed poſtea longitudo temporis, & importunitas Hæreticorum coegit Sacros Doctores, eaſdem res ſcripto conſignare.

Ratione quoque explicari poteſt conuenientia huius formæ, cum S. Thom. art. 4. Quia benè inuocatur ſancta Trinitas, tanquam cauſa conferens plenitudinem gratiæ: benè etiam exprimitur effectus ſpiritualis per materiam viſibilem, dicendo, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, benè quoque exprimitur ſignum ſpiritualis militiæ, dicendo *Conſigno te ſigno crucis*.

Qualiter ſit neceſſaria.

Secundò. Hæc forma eſt quidem neceſſaria & ſubſtantialis quantum ad ſenſum. Eſtque de eius eſſentia explicita inuocatio Trinitatis, ſicut erat in Baptiſmo: quia in hoc ſacramento fit etiam profeſſio Chriſtianæ Religionis, & ſub ratione militiæ ad confitendam ac defendendam fidem. Eſt de eius eſſentia, expreſſio perſonæ quæ confirmatur per pronomen *te*, vel per nomen æquiualens. Eſt de eius eſſentia expreſſio actus miniſtri per verbum ad id adaptatum, quale eſt, *Signo, Confirmo*. In hoc tamen dubitari poteſt, num ſit vtrumque ſimul neceſſarium, vel ſatis eſſet alterum è duobus. Itemquè an ſit neceſſarium ad valorem ſacramenti ly *Signo crucis*, & ſimiliter ly *Chriſmate ſalutis*. Vel an ſatis eſſet alterutrum. Et rurſus an ſufficeret dicere, Signo te Chriſmate ſalutis in nomine &c., vel Confirmo te ſigno crucis in nomine &c. Communis tamen loquendi modus apud Theologos indicat, omnem hanc diſtinctionem verborum eſſe neceſſariam, quia omnia habent ſuam peculiarem ſignificationem & expreſſionem, quæ alio modo non ſatis æquiualenter ſaluaretur. Et ad minùs conſtat, quòd redderetur ſacramentum valde dubium, eſſetquè ſub conditione iterandum, & committeretur magnum ſacrilegium. Deinde dubitari poteſt, num ſit neceſſaria expreſſio perſonæ miniſtri, per verbum actiuum indicatiui modi, *Signo, Confirmo*: vel ſatis eſſet ſine hac expreſſione dicere per verbũ paſſiuum ſignatur, confirmatur ſeruus Chriſti, vel fortè etiam per verbum imperatiui modi ſignetur confirmetur ſeruus Chriſti: ſiue ſub expreſſione perſonæ Chriſti aut Dei, Chriſtus, vel

Deus

Digitized by Google

Deus ſignat te &c. Et quidem ad valorem videtur ſufficere omnis ſimilis modus, qui ſupponitur valere in Baptiſmo iuxta formam Græcorum, vt vidimus q. 60. ſect. 5. Quia eſt prorſus eadem ratio. Attamen non ſolùm apud Latinos illicitum planè eſſet, ſic formam Confirmationis inuertere. Sed etiam apud Græcos, vt notant Nugn. hîc art. 2. difficul. 1. & Diana par. 3. tract. 4. reſol. 27., quia Græcis ipſis non eſt conceſſa nec vſitata talis diſpoſitio formæ in Confirmatione, ſicut in Baptiſmo.

Ritus neceſſarius huius ſacramenti. Tertiò vlteriùs, Ritus huius ſacramenti, qui ex ipſa forma deducitur, ſolet ſic ſemper exerceri, vt vnctio Chriſmatis fiat manu miniſtri, in fronte eius qui confirmatur, ſub figura crucis. Quem ritum eſſe eſſentialem ac de ſubſtantia ſacramenti, notant Bellarm. de Confirm. cap. 8. propoſ. 4., Valent. q. 2. puncto 1., Suarez diſp. 33. ſect. 3., & alij paſſim. D. Tho. etiam art. 9 & antiqui Scholaſtici abſolutè docent, hoc ſacramentum tali ritu adminiſtrari debere: & ſatis indicant, id non ſolùm eſſe ex præcepto, ſed præcipuè eſſe de ratione ipſa ſacramenti. Et habetur tum ex antiquis Patribus, qui expreſſè dixerunt, Confirmationem ſic eſſe perficiendam: tum ex ipſo perpetuo vſu & praxi Eccleſiæ: tum ex verbis formæ, *Signo te ſigno crucis*: tum demum conuenientiam & adaptationem huius ritus cum vi & ſignificatione ipſius ſacramenti, explicat optime S. Tho. art. 9 Quia Chriſtianus tanquā miles Chriſti inſignitur ſigno ſui ducis: & quidem in fronte, tanquam in maniſeſtiſſima parte corporis, ad ſuperandū timorem & ruborem in confeſſione nominis Chriſti.

At Fernandez de Heredia in diſp. de Sacram. Confirm. d. 5. par. 5. dub. 1. num. 2. cenſet, non eſſe de neceſſitate ſacramenti, ſed tantùm præcepti, vt vnctio fiat immediatè manu Epiſcopi, ſed valere ſi fieret penna aut alio inſtrumento: quia adhuc dici poſſet manuum impoſitio: ſicut dicitur manus violentas in clericum inijcere, etiam qui baculo aut enſe percutit. Alij tamen communiter docent vel ſupponunt, eſſe de eſſentia huius ſacramēti, vt vnctio fiat immediatè manu ipſa miniſtri: & ſic intelligunt in Scriptura vocari manuum impoſitionem. Quamuis inijcere manus violentas intelligatur tam amplo modo, vt etiam extendatur ad eum, qui ſputo contumelioſè contingit alium, vel pede percutit, ne mediate quidem vtens manibus. Non erit tamen de neceſſitate huius ſacramenti, vt vnctio fiat manu dexteræ potiùs quàm ſiniſtra: pollice potiùs quàm alio digito. Sed ad ſummum hoc eſt de præcepto. Non tamen videtur res tam grauis, vt obliget ſub mortali: præſertim ſi Epiſcopus ex iuſta cauſa, vtpote laborans pollice dexteræ manus, vngeret alio digito: vt notant Nugnus hîc art. 4. difficul. 3. concl. 4. & Diana par. 3. tract. 4. reſol. 22.

Hoc ſacramentum iterari nō poteſt. Quartò præterea, Ritus ſubſtantialis huius ſacramenti, illi cum Baptiſmo communis eſt, vt non niſi ſemel vnicuique dari poſſit, & repeti ac iterari nequeat. Eſt de fide ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 9. de Sacramentis, & Florent ſeſſ. vlt. in Decreto de Sacramentis. Et de iure cap. *Dictum eſt*, & cap. *De homine* de Conſecr. d. 5. Traditum etiam à Sanctis Patribus. Colligitur quoque ex Script., ad Hebr. 6., *Non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*: vbi per impoſitionem manuum videtur hoc ſacramentum intelligi. Et multi ſic exponunt, hominem ſemel baptizatum, aut confirmatum, ſi rurſus in peccata decidat, non poſſe reſurgere per nouum Baptiſmum aut Confirmationem. Et ſtatim infra ſubdit Apoſtolus: *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* Vbi ſicut qui illuminati ſunt, intelligūtur baptizati; ita qui participes facti ſunt Spiritu ſancti, videntur intelligi confirmati. Quia ſcilicet vtrumq; hoc ſacramentū eſt pariter irreiterabile. Et ratio eſt cum Baptiſmo communis: quia imprimit characterem, qui indelebilis eſt. Hinc per iterationem huius ſacramenti incurri irregularitatem, ſicut per itera-

Digitized by Google

iterationem Baptiſmi, tenet Nauar. in Sum. cap. 28. num. 147., cum alijs Canoniſtis. Negant tamen Theologi: & rectè, quia non habetur expreſſum in iure, nec debet à Baptiſmo ad Confirmationem extendi, nec paritas delicti & rationis ſufficit ad inducendam irregularitatem. Poſſe autem, quando dubitatur an aliquis ſit confirmatus, confirmari ſub conditione, vel verbis expreſſa, vel mente retenta, affirmant Emanuel Sà verbo *Confirmatio* num. 5., & Bonacina q. 2. de Confirm. puncto 4. num. 10. qui referunt etiam Suarez.

Sed aduerſus concluſionem poſitam, difficultatem facit, quod dixit D. Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo cap. 6., Hæreticos redeuntes ad Eccleſiam debere per impoſitionem manuum recipi: *Manus enim impoſitio*, inquit, *non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt, quid enim eſt aliud niſi oratio ſuper hominem?* Certe tamen Auguſt. ibi per impoſitionem manuum non intellexit hoc ſacramentum; ſed ſolùm cæremoniam quandam, qua ſolebant Hæretici ad communionem Fidelium recipi, & Eccleſiæ recõciliari. Ad varios enim vſus introducta eſt manuum impoſitio. Alioqui ipſe Auguſt. alijs in locis, & præſertim lib. 2. cont. litter. Petiliani cap. 104. aperte dixit, Confirmationem, ſicut & Baptiſmum, permanere etiam in peſſimis hominibus: quod fuit dicere, non debere nec poſſe iterari.

Ritus accidentalis huius ſacramenti. Quinto demum. Præter hæc omnia adeſt ritus cæremoniarum, qui eſt accidentalis, & de ſolemnitate ſacramenti, de quo ritu loquitur S. Thomas art. 12. Eſtque hic ritus prorſus conueniens ex inſtitutione Eccleſiæ, & aſſiſtentia Spiritus ſancti, in ordinandis huiuſmodi ſacris cæremonijs. Porro, aliæ cæremoniæ ſunt quæ exercentur in conficiendo & conſecrando Chriſmate: aliæ quę in conferendo ac miniſtrando ipſo ſacramento. Omneſque habentur in Pontificali Romano. Earumque ſeriem recenſent, & conuenientiam defendunt, Bellarm. de Confirm. cap. 13., Suarez hîc diſp. 37. Et res eſt facilis. Singulariſquè eſt illa cæremonia qua Epiſcopus infligit alapam confirmatis. Deſeruit non ſolùm ad iuuandam memoriam, ne mente excidat receptio huius ſacramenti, & vitetur periculum iterationis: ſed præcipuè etiam ad ſignificandam tolerantiam, qua Chriſti milites parati eſſe debent ad ſubeundas iniurias & flagella pro confeſſione fidei & gloria Chriſti. Et per ſe cadunt hæ cæremoniæ ſub grauem obligationem: ſed ex leuitate materiæ poteſt aliqua tranſgreſſio excuſari à culpa mortali. In quo genere Nugnus hic art. 12. §. *Secundus ritus* vult, peccare mortaliter Epiſcopum, ſi hoc ſacramentum extra Eccleſiam adminiſtret. Sed à peccato mortali excuſant Palud. in 4. q. 3. art 3., Suarez hîc diſp. 38. ſect. 2., Bonacina de Confirmat. puncto 2. num. 15., Diana par. 2. tract. 17. reſolut. 17., & Præpoſitus hac q. art. 12. num. 54. Rurſus Emanuel Sà verbo *Confirmatio* num. 1. ait, hoc ſacramentum debere dari & accipi à ieiunis, ſed ex cauſa poſſe etiã poſt prandium. Alij tamen quos refert & ſequitur Bonacina num. 14., nullam talem obligationem agnoſcunt. Et vſu ipſo conſtat, paſſim ſolere hoc ſacramentum etiam poſt prandium miniſtrari. Quare illa conditio, quæ cap. *Vt ieiuni* de Conſecr. d. 5, & in Pontificali Romano videtur iniungi, vt hoc ſacramentum à ieiunis conferatur & ſuſcipiatur, ſolùm habebat vim conſilij, & iam abrogata eſt.

SECTIO QVARTA.
De Effectu Confirmationis.

PRimò. Certum eſt, hoc ſacramentũ non ſolùm conferre gratiam ſanctificantem, qui eſt effectus communis ſacramentorum nouæ legis, ſed etiã imprimere characterẽ, qui eſt effectus proprius triũ ſacramentorũ, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis. Et characterem quidem imprimit omni homini valide ſuſcipienti, quamuis indignè & cum peccato: gratiam vero non niſi dignè ſuſcipientibus, ſeu non ponentibus obicem. De effectu gratię eſt res iam probata, ex eo ipſo quod Confirmatio eſt verum ſacramentum. De charactere, eſt etiam res probata communiter de tribus dictis ſacramentis ſupra quæſt. 63. At verò gratia habitualis, quæ in *Effectus huius ſacramenti eſt gratia & character.*

 hoc

hoc ſacramento confertur, ita vnitur cum gratia baptiſmali, vt abſolutè loquendo vna dicatur gratia, vna ſcilicet per intenſionem, ſicut & tota gratia, quę quocunque modo & medio acquiritur. Sed character Confirmationis ita à baptiſmali diſtinguitur, vt non conficiatur vnus character per modū intenſionis: cùm diuerſæ rationis ſit vnus ab alio, vt ex dictis ibi de charactere ſatis conſtat.

Et alia auxilia gratia. Secundò. Hoc ſacramentum alterius præbet peculiaria auxilia gratiæ, ſpecialiter ad fortiter confitendam & retinendam fidem, ad propugnandum alacriter pro Chriſto contra hoſtes fidei, ad toleranda tormenta & contumelias, & mortem ipſam in defenſionē fidei. Hoc totum ſequitur ex ratione propria huius ſacramenti, & fine primario ad quem inſtitutum eſt. Fit enim homo per Confirmationem miles Chriſti, fit robuſtus & fortis in vita Chriſtiana quam profeſſus eſt in Baptiſmo. Homo enim in Baptiſmo natus, in Confirmatione creſcit ad perfectam ætatē, vt loquitur S. Thomas. Dantur autem hæc auxilia in virtute ipſius ſacramenti, maximè quando occaſio & opportunitas vrget confitendi fidem, & pugnādi pro Chriſto.

An ſit maior gratia quàm in Baptiſmo. Tertiò deinde. Quantam gratiam Confirmatio conferat, Theologi & Patres ſignificant, cōferre maiorem quàm Baptiſmus, atque adeo ex hac parte eſſe perfectius ſacramentum. Ita S. Thom. hîc art. 11. ad 3. & ſupra q. 65. art. 3. Magiſter in 4. d. 7. cap. vltimo. Patres etiam docent, in hoc ſacramento communicari plenitudinem Spiritus ſancti, hoc ſacramentum eſſe perfectionem & complementum Baptiſmi. Et præcipuè Melchiades Papa in Epiſt. ad Epiſcop. Hiſp. ſic inquit: *De his ſuper quibus rogaſti nos vis informari, verū maius ſit ſacramentum manuum impoſitio Epiſcoporum, an Baptiſmus; ſcitote, vtrunque magnum eſſe ſacramentum; & ſicut vnum à maioribus fit, ideſt à Summis Pontificibus, quod à minoribus confici non poteſt, ita & maiori veneratione tenendum*: quare ſignificat, dare etiam maiorem effectum gratiæ. Sed rectè Magiſter loco cit. & Bellarm. cap. 11. de Confirm. notarunt, ex alia parte quantum ad remiſſionem peccatorum maiorem gratiam dari in Baptiſmo, in quo nempe remittitur tota pœna, non ſic in Confirmatione.

Interdum poteſt eſſe etiam prima gratia iuſtificationis. Quarto. Confirmatio per ſe loquendo confert augmentum gratiæ, ſupponens hominem iam in ſtatu gratiæ: ſed poteſt per accidens etiam conferre primam gratiam, qua ſcilicet peccator iuſtificetur. Patet prima pars: quia Confirmatio non eſt per ſe & primariò inſtituta ad remiſſionem culpæ, ſed potiùs ad faciendum, vt homo iam priùs ſpiritualiter natus creſcat in gratia. Declaratur ſecunda pars: ſi nempe exiſtens reuera quis in peccato, id tamen neſciat, ſeu non aduertat, habeat tamen in generali attritionem de ſuis peccatis: ſiue ſi quis habens conſcientiam peccati mortalis, ſtudeat ritè confiteri vel conteri, putetquè bona fide ſe eſſe ritè confeſſum vel contritum, ſed reuera non acceperit gratiam abſolutionis ſacramentalis, & non ſit pluſquā attritus: tunc inquam Confirmatio habet vim conferendi primam gratiam, & iuſtificandi à peccato. Ita affirmat S. Tho. hîc art. 7. ad 2. dicens: *Si aliquis adultus in peccato exiſtens cuius conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequetur remiſſionem peccatorū.* Idemquè alij Theologi frequenter admittunt. Non tamen eſt res certa, ſed valde probabilis. Et ſuadetur: quia ſacramenta ſemper conferunt gratiam, quando nō inueniunt obicem: ſed peccatum de quo homo habet ſaltem attritionem, non eſt obex penitus impediens receptionem gratiæ, vt patet in ipſo Baptiſmo: quare nec etiam impediet in Confirmatione, dum homo bona fide inculpabiliter cum tali diſpoſitione accedit. Pluraq; circa ſacramentum Euchariſtiæ de hoc puncto dicemus.

An conferatur etiā gratia remoto poſtea obice. Quintò demum videndum eſt, an Confirmatio abſque debita diſpoſitione ſuſcepta, vtpote ab homine exiſtente in peccato, & non attrito, atque adeo tunc carens ſuo effectu gratiæ, conferat adhuc poſtea, homine ſe diſponente, & fictionem remouente, ſicut diximus

mus in Baptiſmo. Negant non ſolùm ij, qui de ipſo Baptiſmo negabant: ſed præterea Sotus in 4. d.6. q.1. art.8, dicens proprium eſſe ſolius Baptiſmi, cõferre effectum recedente fictione: quia eius effectus eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, ſcilicet remiſſio culpæ originalis & mortalis: quare cùm effectus Confirmationis non ſit ita neceſſarius, non eſt cur eadem vis Confirmationi tribuatur. Sequitur Vaſquez diſp.161. cap.2. Quia non niſi ex voluntate & inſtitutione Dei poterat hæc vis vlli ſacramento conuenire: ſed talis diuinę inſtitutionis nullum habetur fundamẽtum, nec ex Eccleſiæ traditione aut definitione, nec ex Scripturæ aut Patrum teſtimonijs, nec etiam ex rationibus, quas omnes conatur diluere. Accedunt Durand. in 4. d.4. q. 4. num.8. & d.17, q.13. num. 7., & Canus in Relect. de Pœnit. par. 6. §. *Sed enim*, qui illam vim extendunt ad ſolum Pœnitentiæ ſacramentum ſimul cum Baptiſmo: eo quod hoc ſolum aliud ſacramentum ſit pariter inſtitutum per ſe ad remiſſionem peccatorum, qui effectus eſt prorſus neceſſarius ad ſalutem.

Videtur conferri. Concedenda tamen videtur hæc vis etiam Confirmationi, ſicut & quibuſdã alijs ſacramentis. Ita planè de omnibus ſacramentis imprimentibus characterem affirmat S. Thomas in 4. d 4. q. 3. art.2. quæſtiunc.3. ad 3. Conſentiũt Maior ead. diſt. q. 2. §. *Circa ſextam*, Riccard. art. 1. q. 2. ad 2., Ledeſma 1. par. quarti q. 10. art. 10. dub. 10., Couarr. in cap. *Alma mater* par. 1. §.4. num.13., & alij. Et de his ac etiam de Pœnitentia, Paludan. in 4. d. 4. q. 3. num.12. & d.17. q.8. num.19., & Sylueſter in Summa verbo *Baptiſmus* 4. q. 17. & verbo *Confeſſio* 1. q. 22. Et de omnibus ſacramentis excepta Euchariſtia concedunt Suarez diſp. 28. ſect. 6. & diſp.63. ſect.8., & Lugus diſp.9 de Sacram. ſect.6. Ac tandem de omnibus nullo excepto, S. Thomas ipſe in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 1., Caietan. tomo 1. Opuſculor. tract. 5. §. *Communis autem*, Petr. Soto lect. 5. de Baptiſmo in fine, Bonacina q. 6. de Sacram. puncto 3. concl.2., & alij.

Rationem huius rei communem pro omnibus ſacramentis, aliqui reddunt, quia remoto obice debent conferre ſuum effectum. Rationem magis propriam pro ſacramentis imprimentibus characterem, reddebat S. Thomas q. 69. art.10., loquens de Baptiſmo, quia cum ſemper imprimatur character, hic ſe habet tanquam forma, ex qua poſtea remoto impedimento, debet conſequi effectus gratiæ. Sed vera ratio & propria pro Baptiſmo erat: quia Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ſcilicet ad remiſſionem originalis & mortalium antecedentium peccatorum: quare cùm ſemel ſuſceptus non poſſit iterum ſuſcipi, fatendum erat, eundem Baptiſmum cum obice ſuſceptum, habere vim remittendi poſtea remoto obice illa peccata, atque adeo conferendi iuſtificantem gratiam. Quæ tamen ratio planè non procedit in Confirmatione, quæ neceſſaria non eſt ad ſalutem, nec per ſe inſtituta ad remiſſionem peccatorum. Sed alia peculiari ratione id debet deduci, quæ quidem non facit rem ita certam, ſed valde probabilem: quia nempe Confirmatio eſt medium valde vtile & opportunum ad roborandam animam in fide, ad ſuperandas tentationes & perſequutiones contrarias, & eſt per ſe inſtituta ad conferendum vigorem veluti perfectæ ætatis. Cùm ergo ſemel ſuſcepta non poſſit iterum ſuſcipi, ſi tunc non contulit talem effectum, & nunquam ampliùs conferre poſſit, fraudabitur homo penitus tali ſubſidio. Quare multò magis congruum diuinæ pietati & Chriſti inſtitutioni erit dicere, talem eſſe vim huius ſacramenti, vt poſtea remoto obice valeat quoque ſuum effectum conferre. Quod quidem Vaſq. num. 15. fatetur de auxilijs gratiæ conuenientibus ad finem ſacramẽti. Sed quia hæc auxilia conferri ſolent tanquam connexa & concomitãtia gratiam habitualem in quolibet ſacramento: pariter fatendum erit, dari huiuſmodi gratiam virtute eiuſdem ſacramenti. Et in reliquis de proportione huius gratiæ, & qualitate diſpoſitionis, ſentiendum eſt, ſicut q. 69. dicebamus de gratia baptiſmali. Scilicet dari quam minimam gratiam dari ſolitã *Quæritur & redditur ratio.*

 vir-

Digitized by Google

virtute talis ſacramenti. Et, ſi commiſſum ſit aliud mortale peccatum poſt ſuſceptionem, vel per indignam ſuſceptionem eiuſdem ſacramenti, requiri poſtea perfectam contritionem, vel ſacramentalem confeſſionem: ſi autem ſuſceptio ſacramenti facta ſit bona fide & abſque culpa, nec poſtea commiſſum ſit aliud mortale, ſufficere attritionem, ad recipiendum dictum effectum.

Diluuntur oppoſita fundamenta.

Hinc ad fundamentum Soti facilè patet, certiorem quidem rem eſſe de Baptiſmo, cuius effectus erat neceſſarius ad ſalutem: ſed conſequenter valde probabilem eſſe etiam de Confirmatione, cuius effectus eſt adeo vtilis & opportunus. Et ad fundamentum Vaſq., ex eodem exemplo Baptiſmi, & auctoritate D. Auguſt. pro Baptiſmo, & ex ratione dictæ vtilitatis, ob quam ipſemet fatetur dari auxilia gratiæ opportuna, ſufficienter deduci dari etiam virtute Confirmationis, remoto obice, ſuum gradum gratiæ habitualis, communis omnibus ſacramentis.

SECTIO QVINTA.

De Miniſtro Confirmationis.

Miniſter huius ſacramenti eſt Epiſcopus.

PRimò. Vuiclef., Caluin., aliįquè recentiores Hæretici, & Armacanus, apud Bellarm. cap. 12. de Confirmat., contendebant, non ſolùm Epiſcopum, ſed omnem Sacerdotem, eſſe idoneum huius ſacramenti miniſtrum, poſſequè illud, tàm licitè, quàm validè miniſtrare. Fauet D. Hieron. in Dialogo contra Luciferian., dicens: *Non ad legis neceſſitatem, ſed ad Sacerdotij honorem pertinere, quòd baptizati deferantur ad Epiſcopos, vt illis manus imponant.* Satis tamen conſtat, per ſe loquendo, hoc miniſterium eſſe ſolis Epiſcopis reſeruatum, & non alijs Sacerdotibus conceſſum. Ita ſancitum eſt in Concil. Hiſpalen. 2. cap. 7., Carthag. 2. cap. 3., ab Innocent. primo Epiſt. 1. cap. 3., & in alijs ſacris Concilijs, & ab alijs Summis Pontificibus. Pluraquè de hac re decreta habentur in Iure de Conſecr. d. 5. Et à fortiori præſens aſſertio ex ſequenti conſtabit. Ad verba Hieronymi reſpondet Alphonſ. de Caſtro verbo *Confirmatio*, plus eſſe deferendū Damaſo, Innocentio, & alijs qui docuerunt oppoſitum. Melius Bellarm. cap. cit. conatur verba Hieron. explicare ex eodem contextu. Vel docere voluiſſe, non ex legis neceſſitate deberę recipi hoc ſacramentum, ſed ob reuerentiam debitam Prælatis Eccleſiæ. Vel non ex legis neceſſitate, ideſt ex natura ipſa ſacramenti, ſed ad Sacerdotij honorem, ideſt ad honorandam Epiſcopi dignitatem, fuiſſe hoc miniſterium illi ſoli reſeruatum, tamen verè eſſe reſeruatum. Quare tenetur Epiſcopus, & quidem ſub graui præcepto & obligatione, identidem & certis tēporibus prudenter deſignandis, hoc ſacramentum ſuis ouibus miniſtrare, vel aduocare alium Epiſcopum qui miniſtret. Quamuis enim ipſi Fideles non teneantur ex obligatione ſuſcipere, vt ſect. ſequenti dicemus: tamen ex officio ſuo tenetur animarum paſtor copiā ſacramentorum illis petentibus, ſeu cupientibus præbere.

Nō ſolùm ad licitè, ſed ad validè miniſtrandum.

Secundò. Alius error eſt, eſſe quidem de obligatione præcepti, non autem de neceſſitate ſacramenti, vt Confirmatio ordinariè ab Epiſcopo conferatur: atque adeo ſimplicem Sacerdotē, abſque vlla diſpenſatione aut conceſſione ſpeciali confirmantem, peccare quidem, ſed conficere validum ſacramentum. Certum tamen etiam eſt, miniſterium Epiſcopi, per ſe loquendo, eſſe neceſſarium ad valorem & ſubſtātiam huius ſacramenti. Ita S. Tho. hîc art. 11. & alij hoc loco; Magiſter & Scholaſtici in 4. d. 7., & communiter Doctores Catholici. Hoc definire voluit Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmat., *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Et ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7., dicens poteſtatem confirmandi & ordinandi eſſe Epiſcopis propriam, & non alijs Clericis & Præsbyteris communem. Idem antea declarauit Concil. Florent. Et longè antea Melchiad. Papa cap. *De his* de Conſecr. d. 5., Euſebius Papa cap. *Manus* eod.

eod. tit., Innocentius tertius cap. *Quàto* de Conſuetud. Et vbique Sancti Patres, quando de hoc ſacramento loquuti ſunt, vna voce dicebant, illius miniſterium ad Epiſcopos pertinere. Vnde quod aliquando dictum inuenitur, poſſe Sacerdotem in abſentia, vel de licentia Epiſcopi vngere & ſignare baptizatum, vt habetur in Concil. Tolet. 1. can. 20., & Arauſic. 1. cap. 2., ſolùm de cæremoniali vnctione intelligitur, quæ in ſolemnitate Baptiſmi adhiberi ſolebat, & nunc etiam adhibetur, dum Sacerdos vngit baptizatum in vertice ipſo Chriſmate. Et olim hęc cæremonia ſolebat regulariter ab Epiſcopo fieri, ſed deinceps ab eodem Sacerdote baptizante perficitur.

Sumitur ex Script. Eadem neceſſitas Epiſcopalis miniſterij ad confirmandum, planè ex Sacra Scriptura colligitur. Nam ſoli Apoſtoli in Actis imponebant manus, & dabant Spiritum ſanctum, quod erat Confirmationis ſacramentum. Et perſpicuè cap. 8., cùm Philippus quidam qui non erat de numero Apoſtolorum, multos in Samaria baptizaſſet, Apoſtoli miſerunt illuc Petrum & Ioannem, qui imponebant illis manus, & dabant Spiritũ ſanctum. Quod factum, ita apud Sacros Doctores, & in ſenſu Eccleſiæ acceptum eſt, vt Apoſtoli non ſolùm quia erant Sacerdotes, ſed maximè quia erant Epiſcopi, debebant hoc ſacramentum proprijs manibus conferre. Quare, cùm Actor. 9. refertur, Ananiam diſcipulum impoſuiſſe Saulo manus: illa manuum impoſitio non fuit ſacramentum Confirmationis, ſed ſignum quoddam inuocationis & deuotionis, ſiquidem Saulus non erat adhuc baptizatus. Fuit contactus quidã ordinatus ad conferendam Saulo ſanitatem oculorum: *Imponentem ſibi manus vt viſum recipiat.*

Conſonat rationi. Ratione deinde declaratur, quàm conuenienter miniſterium huius ſacramenti fuerit Epiſcopo reſeruatum: quia, vt ait S. Tho. art. 10., perfectio & conſummatio operis, ſuperiori artifici reſeruatur: cùm ergo Confirmatio ſit perfectio & complementum Baptiſmi, conuenienter huius ſacramenti collatio Epiſcopis commiſſa eſt, qui obtinent ſummam in Eccleſia poteſtatem. Rurſus conſcribere & acceptare ad militiam, proprie ſpectat ad Duces in exercitu: cùm ergo in Confirmatione conſignentur homines milites Chriſti, ad Epiſcopos qui ſunt in militanti Eccleſia Duces, debebat huius ſacramenti adminiſtratio pertinere.

Poteſt eſſe etiam ſimplex Sacerdos ex diſpenſatione Summi Pōtificis. Tertiò tamen, idem S. Tho. alijquè Theologi ac Doctores communiter cõcedunt, poſſe per diſpenſationem ac delegationem ſpecialem Summi Pontificis, Sacerdotem non Epiſcopum validè & licitè adminiſtrare hoc ſacramentum. Sed de hoc ipſo dubitant Scotus in 4. d. 4. q. 1., Durand. q. 4., Eſtius d. 7. §. 2., Adrianus tract. de Confirm. art. 3., Caſtro aduerſus Hæreſes verbo *Confirmatio*. Ex oppoſito aliqui hanc diſpenſationem nimis extendere auſi ſunt, etiam ad inferiores Clericos, aut Laicos: etiam ex auctoritate ſolius Epiſcopi. Fundamentum ad aſſerendum, poſſe à Summo Pontifice hanc facultatem Sacerdoti ſimplici delegari, ſumptum eſt ex facto D. Gregorij Papæ lib. 3. epiſt. 66., & habetur cap. *Peruenit* 95. diſt. Cum enim audiſſet, in Sardinia Inſula, non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam Sacerdotes fuiſſe ſolitos confirmare, idq; prohibuiſſet, poſtea audiens ex tali eius prohibitione ſcandalum & incommodum ortum eſſe in populo, ita reſcripſit: *Nos quidem ſecundùm vſum veterem Eccleſia noſtra fecimus, ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt Presbyteri etiam in frontibus, baptizandos*, legendum videtur baptizatos, *Chriſmate tangere debeant, concedimus*. Quem locum, licèt aliqui varijs modis exponere conati ſint: tamen cùm Pontifex loquatur de vnctione Chriſmatis in fronte, videtur planè loquutus de hoc ſacramento. Et cùm dicat concedimus, videtur poteſtatem confirmandi ſimplicibus Sacerdotibus conceſſiſſe.

Hinc Concil. Florent., dum docebat, miniſtrum huius ſacramenti eſſe Epiſcopum: addidit: *Legitur aliquando, per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & vrgenti admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirma-*

Digitized by Google

firmationis ſacramentum. Ideo etiam Concil. Trident. dixit, ordinarium miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum: ſcilicet vt non negaret, alium eſſe poſſe per extraordinariam poteſtatem. Et ob exemplum Diui Gregorij, alij etiam Pontifices interdum pro remotis regionibus, eandem poteſtatem conceſſerunt. Et in Italia Abbas Sanctæ Barbaræ Mantuanus facultatem à Sede Apoſtolica habere dicitur hoc ſacramentum adminiſtrandi. Et Sacra Congregatio Cardinalium interpretum Concilij Trident., circa ſeſs. 7. declarauit, poſſe ex priuilegio Summi Pontificis hoc ſacramentum etiam ab Abbatibus quibuſdam miniſtrari. Admonet tamen Azor. tomo 2. lib. 5. cap. 1. q. 6. non debere nec ſolere Pontifices in hoc facile diſpenſare, ſed ſolùm pro regionibus Infidelium, in quibus rari ſunt Epiſcopi.

Et ex his patet, ſolùm Sacerdotibus, & ſolùm à Summo Pontifice, poſſe hoc miniſterium delegari. Nullum enim fundamentum, nullum exemplum, aut indicium adeſt, ad hanc facultatem vlteriùs extendendam. Et hoc totum intelligi debet fundari in ipſamet inſtitutione Chriſti: alioqui non poteſt Summus Pontifex diſpenſare in ijs quæ ſunt de ſubſtantia ſacramentorum. Itaque Chriſtus ipſe inſtituit, vt ordinarius quidem miniſter Confirmationis eſſet Epiſcopus, per extraordinariam verò delegationem ſui Vicarij, poſſit etiam eſſe Sacerdos.

Qualiter requiratur fides & probitas miniſtri.

Quarto. Vt appareat quæ conditiones requirantur in legitimo huius ſacramenti miniſtro, videri poteſt requiri fides, vt Confirmatio valeat. Nam Innocentius primus Epiſt. 18. cap. 3., agens de Hæreticis dixit: *Eis ſolum Baptiſmum ratum eſſe permittimus*. Et Leo primus Epiſt. 35. cap. 2., & Euſeb. Papa Epiſt. 3., & alij ex veteribus dixerunt, Hæreticos debuiſſe recipi & reconciliari per manuũ impoſitionem, vt daretur illis Spiritus ſanctus. Satis tamen certum eſt, non requiri fidem miniſtri, ſed ſufficere intentionem, vt ſacramentum valide detur: vt autem licite detur, requiri non ſolùm fidem, ſed etiam probitatem & ſtatum gratiæ; & ideo miniſtrum habentem conſcientiam peccati mortalis, teneri antea vel confiteri, vel ſaltem conteri. Quod totum patet ex dictis de Sacramentis in genere. Nec aliud addere nunc oportet. Nec certè Innocentius docere voluit, omnia ſacramenta præter Baptiſmum apud Hæreticos eſſe irrita & nulla. Sed ſpecialiter voluit, ſacramentum Ordinis non eſſe apud illos ratum: quia ordinatus à miniſtro hæretico manet ſuſpenſus donec habilitetur, quamuis adhuc ordinatio ipſa valeat, nec ſit repetenda. Vel docere voluit, ſolùm Baptiſmum propter neceſſitatem licitè ab Hæreticis miniſtrari, non verò alia ſacramenta. Alij Pontifices & Patres loquuti plane ſunt de cæremoniali quadam impoſitione manuum, quæ in reconciliandis & abſoluendis Hæreticis adhiberi ſolebat. Et quando dixerunt, vt daretur illis Spiritus ſanctus; ſolùm dicere voluerunt, reconciliatione ipſa eos reddi capaces, vt accipere poſſent remiſſionem peccatorum & gratiam Spiritus ſancti, per alia tamen media quæ in Eccleſia extant.

Qualiter requiratur iuriſdictio.

Quintò. Quia ad licitè miniſtranda ſacramenta requiritur etiam iuriſdictio, quæ reſpicit proprios ſubditos: ideo peccare grauiter Epiſcopum ſi in aliena vel in propria Diœceſi confirmet aliquem non ſibi ſubditum, aſſerunt Petr. Ledeſma in Sum. tract. de Confirmat. cap. 9., Tolet. lib. 2. cap. 24. num. 5., Viuald. in Candel. tract. de Confirm. cap. 5. num. 8., Bonacina de Confirm. puncto 2. num. 11., Riccius in Praxi par. 2. reſol. 24., Bartholom. ab Angel. Dialogo 3. §. 62., & alij. Et hoc verum quidem eſt, ſi contradicente aut non conſentiente alio Epiſcopo id faciat. Attamen de facto, nullatenus peccare Epiſcopum, qui in propria Diœceſi, aut in aliena de licentia illius Epiſcopi, cõfirmet quoſcunque confluentes non ſubditos, eo quod proprij eorum Epiſcopi cenſentur conſentire, idque gratũ habere, affirmant Ioannes Præpoſitus hac q. art. 8. dub. 2 num 39., Tannerus hac 3. par. diſp. 4. q. 4. dub. 3. num 56, Henriq. lib. 3. de Sacram. cap 6. num. 6., Layman lib. 5. Theol. moral. tract. 3 cap. 5.

Digitized by Google

cap.5.nu.2., Emanuel Sà in Sum. verbo *Confirmatio* num. 2., Genuenſis in Manuali Prælator. cap. 54. nu. 7., Barboſa de Poteſt. Epiſc. par. 2. allegat. 30. nu. 12., Diana par.2. tract. 17. reſol. 17. & par. 4. tract 4. reſol.50., Ochagauia de Sacram. q.11. de Confirm. num. 1.

Suadetur ex ipſa praxi: quia Epiſcopi ſoliciti non ſunt, ne ſui ſubditi ſumant Confirmationem ab alijs Epiſcopis in propria Diœceſi confirmantibus. Et quando ipſi confirmant, ſoliciti non ſunt, ne accedant ſibi non ſubditi, ſed promiſcuè abſque vllo ſcrupulo confirmant omnes confluentes. Cùm tamen in alijs ſacramentis in quibus ſolet debita ſubiectio obſeruari, & præſertim in communione Paſchali, diligenter caueant Prælati & Parochi, vt non niſi à proprio paſtore, vel de eius expreſſa licentia, ſinguli ſubditi ſacramentum ſuſcipiant. Eratquè rationabilis hic mutuus Epiſcoporum conſenſus quoad ſacramentum Confirmationis: quia ex vna parte hoc ſacramentum non eſt neceſſarium, ſed ex deuotione ſuſcipitur. Et ex alia parte non niſi certis temporibus cum magno interuallo ſolent Epiſcopi huius ſacramenti copiam præbere: quare non intendunt grauare ſuos ſubditos, quando inueniuntur in alijs locis, vbi illis occurrit commoditas ſuſcipiendi, vt expectent donec ad patriam reuerſi poſt longum fortaſſe tempus ſimilem occaſionem nanciſcantur. Eademq; ratione, poſſe Epiſcopum confirmare quemcunque ad ſe accedentē cum litteris dimiſſorijs ſui Prælati ad ſuſcipiendos Ordines, non antea confirmatum, notant Henriquez & Layman vbi ſupra, & Diana par.3.tract. 4. reſol. 34. Quia ſimiliter Prælatus cōcedens litteras dimiſſorias ad ſuſcipiēdos Ordines, cenſetur etiam concedere ad ſuſcipiendam Confirmationem, quæ ſupponi debet ad Ordines.

Præter miniſtrum confirmantem debet interuenire patrinus.

Sextò Præter miniſtrum qui confert hoc ſacramentum, adeſt etiam & requiritur, non ex neceſſitate ſacramēti, ſed ex obligatione præcepti, alius miniſter qui teneat confirmandum, & dicitur patrinus vel matrina: ſicut nempe in Baptiſmo. Ita habetur in Iure per plura capita de Conſecr. d. 4. Et praxis Eccleſiæ ſeruat. Et notat S.Tho hìc art.10. Et ratio conuenientiæ eſt: quia ſicut in bello noui Tyrones deducendi & erudiendi ſunt ab alijs militiæ peritis: ita homo dum per Confirmationem Chriſtianæ militiæ adſcribitur, ab aliquo deduci & erudiri debet. Et alia quæ dicta ſunt de huiuſmodi miniſterio in Baptiſmo, de ijs qui illud exercere poſſunt, de modo quo exercere debent, de cognatione ſpirituali quam inde contrahunt, tàm qui tenet, quàm qui confirmat, pariter ad Confirmationem pertinent. Hæc tamen addenda ſunt.

Quis & qualis eſſe debeat.

1 In Confirmatione non admittuntur plures perſonæ, vnus vir & vna femina, ſicut in Baptiſmo; ſed tantùm vna perſona, vel vir vel femina, iuxta cap. *Non plures* de Conſecr. d. 4: Et ex vſu Eccleſiæ, ac ritu Pōtificalis Romani, viri adhibentur ad tenendos viros, feminæ ad feminas. Non debebat eſſe eadem, ſed diuerſa perſona, tenens in Confirmatione, ac quæ tenuerat in Baptiſmo, ſecluſa neceſſitate, cap. *In Cathechiſmo* de Conſecr. d. 4 Quod tamen contraria conſuetudine abrogatum dicit Syluester verbo *Confirmatio* num. 4.

An non confirmatus poſſit hoc officiū exercere.

Non debet qui non eſt confirmatus, tenere alium in Confirmatione, cap. *In Baptiſmate* eod. titulo. Quod etiam conſuetudine obſeruatur. Et ſub grauem obligationem cadit. Imò ſi ſecus fiat, actum eſſe inualidum, & non inducere ſpiritualem cognationem, cenſent Suarez hìc art. 10., Coninch ibidem, Victoria in Sum. tract. de Confirm. in fine, Angelus verbo *Confirmationis ſacramentum* num 11., Barthol. Ledeſma de Confirm. dub 8, Henriq. lib.3. cap. 3. num 3, Tolet. lib 2. cap 24. nu.11., Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 60 nu. 20., Pontius lib 7 cap 37. num.5., Bonacina q 4. de Matrim. puncto 5. §. 2. num. 21., Reginald. in Praxi tomo 2. lib 31, cap.20. num. 157., Rebell. de Oblig iuſt. par. 2. lib. 3. q. 6. num. 6., Diana par 3. tract 4 reſol. 21. & 26., & alij. Attamen meliùs ex oppoſito, actum eſſe validum, & verè inducere ſpiritualem cognationem, affirmant Syluius hìc art. 10., Palud. in 4 d. 42. q. 1. art.1. num. 8., Sotus q.1. art. 3.,

Tabiena

Tabiena verbo *Confirmationis ſacramentum* q. 7., Syluester & Roſella verbo *Matrimonium* 8. q. 7., Emmanuel Sà eodem verbo de Impedim. dirim. nu. 5., Lopez in Inſtruct. tract. de Matrim. cap. 51., Emmanuel tomo 1. Summæ cap. 226. nu. 10., Gallegus de Cognat. ſpirit. cap. 9. num. 1., Nauarr. lib. 3. Conſilior. in 1. edit. tit. de Baptiſmo conſ. 3., & in 2. edit. lib. 4. tit. de Cognat. ſpirit. conſ. 1., alijque plures. Eo quod in illo Canone contineatur ſola prohibitio, non autem irritatio actus. Et ſicut Epiſcopus ipſe confirmans, ſi forte non erat confirmatus, adhuc contrahit cognationem: ita & miniſter tenens. Et ſicut plerique ex iiſdem Auctoribus prioris ſententiæ fatentur, Monacum tenentem in Baptiſmo vel Confirmatione, quamuis contra prohibitionem Canonis, tamen valide tenere, & verè contrahere cognationem; & ſimiliter Hæreticos, Apoſtatas, alioſuè excommunicatos, vt vidimus q. 67. ſect. 4. concl. ſexta: ita quoque fatendum eſt de non confirmato tenente alium in Confirmatione.

Neque obſtat, quod eo capite *In Baptiſmate* dicitur, illum qui confirmatus non eſt, non poſſe alium ſuſcipere in Chriſmate: & pariter dicitur illum qui baptizatus non eſt non poſſe ſuſcipere in Baptiſmo. Nam ly non poſſe, indicat prohibitionem, ſed non per hoc reddit actum irritum. Ac etiam non baptizatus tenens alium in Baptiſmo, licet pro tunc non ſit capax ſpiritualis cognationis: tamen dici poteſt manere ita affectus, vt ſi poſtea conuertatur ad fidem, maneat adſtrictus vinculo & impedimento ſpiritualis cognationis, vt dicebamus ibi q. 67. ſect. 4. concl. 5.

Quam obligationē ſubeat patrinus Cōfirmationis. Denique videri poteſt manere obligatus patrinus Confirmationis ad inſtruendum quem tenuit, ſicut patrinus Baptiſmi. Et ita cenſet Syluius hic art 10. Attamen, non manere ad hoc obligatum, docent Suarez & Coninch, Henriquez, Layman, & Diana locis citatis, & Bonacina q. 2. de Confirmat. puncto 4. num. 11. Eo quod neque iure ſtatuta, neque vſu introducta ſit talis obligatio. Et potius ad ſolemnitatem ſacramenti, & ſignificationem humanæ imbecillitatis inſtituta ſit hæc cæremonia in Confirmatione, quàm ad neceſſitatem & obligationem inſtructionis. Etiam ab alijs miniſtris adimpleta ſupponitur hæc obligatio. Quando tamen conſtaret, confirmatos non fuiſſe inſtructos, nec adeſſe alium miniſtrum à quo inſtruantur: tunc quidem in hanc obligationem ſuccederet Confirmationis patrinus.

SECTIO SEXTA.

De Suſcipientibus Confirmationem.

Omnes homines ſūt Confirmationis capaces. PRimò. Omnes homines, ſuppoſito Baptiſmo, poſſunt Confirmationē ſuſcipere. Ita S. Thomas art. 8., & alij omnes. Colligitur ex Scriptura, Actor. 2. *Spiritus ſanctus repleuit totam domū, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Vbi illa domus ſignificabat Eccleſiam, & illi omnes ſignificabant omnes Fideles. Omnes ergo poſſunt per hoc ſacramentum accipere Spiritum ſanctum. Promiſſio etiam facta à Chriſto, omnes reſpicit. Ratione inſuper explicatur cum S. Thoma. Huius ſacramenti non ſunt incapaces pueri: quia etiam ipſi poſſunt muniri & armari ad ſpiritualem pugnam, poſſunt tunc conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis. Vnde, vt notat S. Thom. ad 2., *Multi in puerili ætate propter robur Spiritus ſancti perceptum, vſque ad ſanguinem fortiter certauerunt pro Chriſto.* Ac etiam infantes poſſunt tunc muniri, vt cum adoleuerint, valeant fortiter pugnare pro Chriſto. Non ſunt incapaces ſenes, mulieres, & ſimiles, qui alioqui humanæ militiæ inepti ſunt. Quoniam, vt ex Chryſoſt. refert S. Tho. ad 3., *In cæleſti agone, omni perſonæ, & ætati, ac ſexui, indiſcreta facultate ſtadium patet: & apud Deum femineus etiam militat ſexus: multæ nanque feminæ animo virili ſpiritualem militiam geſſerunt.* Non ſunt incapaces qui morti proximi ſit. Quoniam, licet Melchiades Papa dixerit, illis non eſſe Confirmationem neceſſariam: tamen maximè vtilis eſt ad augendam in illis gratiam, vt notauit

Vgo

Vgo de S. Victore par. 7. de Sacram. cap. 3., & explicat S. Thomas ad 4. Et ita demum, de omnibus inductione patet eſſe huius ſacramenti capaces.

Non niſi poſt Baptiſmum. Dixi, poſt Baptiſmum: quia ante Baptiſmum nullum aliud ſacramentum validè ſuſcipi poteſt. Nec obſtat, quod Actor. 10. deſcendit Spiritus ſanctus in Gentiles cum Cornelio Centurione nondum baptizatos. Vnde dixit Petrus, *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt baptizentur hi qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos?* Nam illa fuit viſibilis quædam apparitio Spiritus ſancti, & non per modum ſacramenti Confirmationis: ſed ordinata fuit à Deo ad oſtendendum, etiam Gentiles fuiſſe in Eccleſiam per Baptiſmum & ſacramenta cætera admittendos & promouendos.

Debent potiùs in adulta ætate admitti. Secundò. Debere in infantili potius ætate quàm in adulta homines confirmari, ſignificauit S. Tho. in 4. d. 7. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. Et ratio conuenientiæ eſſe poteſt: tum quia præſtat vt homo quamprimùm illud augmentum gratiæ recipiat, & vt forte decedēs maiorem gloriam conſequatur: tum quia certior eſſet tunc effectus ſacramenti, qui in infantibus certe impediri non poteſt. Sed iam communiter Doctores aſſerunt, melius eſſe, ſingulos confirmari, quando vſum rationis adepti fuerint, & ideo quando ſeptem ætatis annos expleuerunt, quo tempore regulariter cenſetur rationis vſus obtineri. Et ita habetur in Cathechiſmo Pij quinti, & communi conſuetudine obſeruatur. Et ratio conuenientiæ eſt: quia cùm ex vna parte, hoc ſacramentū non ſit neceſſarium, ſicut eſt Baptiſmus; aliunde ad maiorem eius reuerentiā, & ad abūdantiorem quoque effectum conducit, ſi cum voluntaria diſpoſitione ſuſcipiatur: & vt homo propria voluntate profiteatur fidem, ac demum vt memoria quiſque retineat ſe ſuſcepiſſe hoc ſacramentum, expedit vt initium ſaltem ætatis adultæ expectetur. Et ad priores rationes ſatis erit dicere, has poſteriores præponderare. Et propter illas fatendum eſt, non debere diù collationem huius ſacramenti differri, poſtquā pueri vti cæperint ratione.

Poſſunt etiam confirmari Infantes. Tertiò. Hinc videtur illicitum eſſe confirmare infantes ante vſum rationis. Et aliqui ſignificant id eſſe mortale peccatum. Sed non eſſe illicitum docent Alenſis 4. par. q. 28. memb. 2., Bonau. in 4. d. 7. art. 3. q. 1., Riccard. ibidem, Gabr. art. 3. dub. 7., Petr. Soto lect. 2. de Confirmat., Tanner. tomo 4. diſp. 4. dub. 2. nu. 37., Suarez hîc diſp. 35. ſect. 2., Nugn. art. 8. concl. 4., Syluius & Coninch eodem artic., Granad. controu. 3. tract. 2. diſp. 2., Hurtad. de Confirm. difficul. 10., Zambran. cap. 2. dub. 5. num. 4., Layman lib. 5. Moral. Theolog. tract. 3. cap. 5. num. 2., Fillucius tomo 1. tract. 3. cap. 2. num. 36., Bonacina de Confirm. puncto 4. nu. 5., Diana par. 3. tract. 4. reſol. 19., & alij paſſim. Quod ita intelligendum eſt, vt aliqui ex his Auctoribus clariùs explicant. Si abſque rationabili cauſa confirmetur infans ante adeptum vſū rationis, non eſſe mortale peccatum: ſtante rationabili cauſa, nullum fore peccatum, & interdum potiùs eſſe laudabile. Huiuſmodi cauſa cenſetur, non ſolùm ſi puer ante ſeptennium oſtendat ſufficientem vſum rationis, quo caſu cenſetur vt adultus. Sed etiam ſi diù abfuturus ſit Epiſcopus, qui denuo hoc ſacramentum adminiſtret. Si infans ſit in periculo mortis, & Epiſcopus dignum ducat ad eum accedere, vt notauit Innocentius Papa Epiſt. 1. ad Decentium. Si infans ſit filius Principis. Si conſuetudo regionis id commēdet. Aut alia ſimilis. Committendum tamen erit parentibus, vel alijs curam talium infantium habentibus, vt eos cum adoleuerint admoneant de Confirmatione illis exhibita, ne iterum ad hoc ſacramentum accedant.

Et amentes. Quartò. Nec eſſe licitum confirmare perpetuò amentes, cenſent Sotus in 4. d. 7. q. 1. art. 8., Valent. q. 2. de Confirm. puncto 2., Ledeſma in Sum. tract. de Confirmat. cap. 7. in fine, Emmanuel Sà verbo *Confirmatio* num. 5., Camerota de Sacram. tract. 3. cap. 6. dub. 3., & quidam alij. Eo quod tales non indigent ſubſidio huius ſacramenti ad pugnandum pro Chriſto. Sed talibus etiam licitè & laudabiliter conferendum eſſe hoc ſacramentum, meritò affir-

Digitized by Google

uant ijdem Auctores ſupra pro infantibus relati. Quia ijs vtile valde eſt recipere augmentum gratiæ ob maiorem gloriam conſequendam. Et per accidens eſt, quod non ſint in ſtatu quo pugnare valeant pro Chriſto: ideoque non obſtat ratio adducta in contrariū. Rectè etiam notant, quod ſi quis antea rationis vſu præditus, poſtea inciderit in amentiam, debeat quoque confirmari: quoniam licèt in eo requiratur voluntaria intentio recipiendi ſacramenta, tamen ſufficere cenſetur intentio generalis participandi de communibus ſubſidijs humanæ ſalutis, quam intentionem omnis Chriſtianus habuiſſe præſumitur, vt etiam de Extrema vnctione obſeruatur. Dummodo tamen de aliquo non conſtet oppoſitum. Aut non conſtet, in ſtatu obſtinationis in amentiam incidiſſe, quo caſu nihil illi proficeret ſacramentum. Aduertit quoque Diana par. 3. tract. 6. reſolut. 93. non eſſe culpæ damnandum Epiſcopū, qui prædictos amentes prætermitteret confirmare, nempe ob auctoritatem illorum Theologorum, qui negabant eſſe confirmandos.

An teneantur ſinguli ſuſcipere hoc ſacramentum.

Quintò deinde videndum eſt, num adulti rationis compotes in quos cadere poteſt obligatio præcepti, teneantur ſuſcipere hoc ſacramentum. Teneri ſignificant Scotus in 4. d. 7. q. 2., Bonau. art. 3. q. 2., Riccard. art. 5. q. 1., Gabriel q. 2. art. 3. dub. 3., D. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 14., Vualdenſ. lib. 2. de Sacramentis cap. 112., Vgo de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 3. cap. 3., Petr. Soto lect. 2. de Confirmat., Syluester in Sum. verbo *Confirmatio* num. 3., Tolet. lib. 2. cap. 24., & quidam alij, qui dicunt omittere ſuſceptionem huius ſacramenti per contemptum, eſſe peccatum, & explicant contemptum eſſe grauem negligentiam, qua potens quis commodè illud ſuſcipere recuſat ſeu non curat. Fauet S. Thomas hîc art 6. ad 2., vbi ait, neminem conſequi effectum Confirmationis, ideſt ſpiritualem robur ad confitendam fidem Chriſti, abſque voto ſaltem ipſius, ſicut de effectu Baptiſmi: quare videtur ſupponere obligationem ſuſcipiendi. Et ſuadetur ex iure, de Conſecr. d. 5. cap. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum poſt Baptiſmum, Spiritum ſanctum ſuſcipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur.* Et cap. *Spiritus ſanctus* eod. tit. *Quamuis continuò tranſituris ſufficiant Regenerationis beneficia, victuris tamen Confirmationis beneficia neceſſaria ſunt.* Hinc ſuadetur etiam ratione: quia tenetur homo fieri perfectè Chriſtianus, ſiue adoleſcere in ſpiritualem ætatem perfectam: tenetur fieri miles Chriſti, & armari ad ſpiritualem pugnam: quos effectus per Confirmationem aſſequitur.

Non tenetur ſub mortali peccato.

Communis tamen & vera ſententia eſt, non adeſſe per ſe loquendo hanc obligationem, ſaltem ſub peccato mortali, atque adeo ſuſceptionem huius ſacramenti per ſe non cadere ſub graue præceptum. Ita planè ſupponit S. Thomas hîc art. 8. ad 4., vbi ait non damnari qui ex hac vita abſque hoc ſacramento decederet, niſi fortè propter contemptum, vbi ſanè propriè ſumit contemptum, & non pro ſola negligentia. Et ità expreſſè docent, Sotus in 4. d. 7. q. 1. art 8., Eſtius ead. d. § 18., Nauarr. in Sum. cap. 22. Victoria de Sacram. tract. de Confirm. num. 48., Viuald. in Candel. eodem tract. num. 37., Valent. hîc q. 2. de Confirm. puncto 3., Suarez diſp. 38. ſect. 1., Coninch, Nugn., Syluius, Præpoſitus hac q. art. 8., Ochagauia q. 12. de Confirm. num. 3., Hurtad. difficul. 11., Granad. controu. 5. tract 3. diſp. 1. num. 4., Molfeſius in Sum. tomo 1. tract. 4. cap. 2., Zambran. de Caſib. occurrent. temp. mortis cap. 2. dub. 4. num. 1., Diana par. 3. tract 4. reſol. 25., & alij paſſim. Suadetur: quia nec ex ratione & inſtitutione huius ſacramenti, aut ex præcepto vllo Chriſti, nec ex lege aut conſuetudine Eccleſiæ conſtat talis obligatio. Quinimò Prælati non iubent, non cogunt ſubditos ad ſuſcipiendum hoc ſacramentū, non ſunt ſoliciti illud miniſtrare morituris, ſicut ſacramentum Euchariſtiæ quod eſt neceſſarium.

Ex conuenientia debent ſuſcipere, & interdū ſub peccato.

Illi autem Canones allegati indicare potius voluerunt magnam vtilitatem huius ſacramenti, ſiue neceſſitatem ad talem finem, ſcilicet ad illud augmentum gratiæ, & munimen auxiliorum Dei:

Digitized by Google

Dei, quod per hoc medium ex opere operato confertur. Et ſimiliter illa ratio perſuadet tantùm, conuenientiſſimum eſſe, vt homo hanc perfectioné, hoc ſalutare incrementum, hoc ſpirituale ſubſidium ad militandum & pugnandum pro Chriſto,ſibi aſſumat.Non tamen conuincit præciſam obligationem, dum homo alias paratus eſt ſeruare illam perfectionem Chriſtianæ vitæ & ſpiritualis ætatis, quæ conſiſtit in obſeruantia mandatorum; & paratus eſt profiteri fidem, & pugnare pro illa vſque ad mortem. Si tamen caſus occurreret, quo quis moraliter reputaret, ſe ita indigere hoc ſubſidio, vt abſque illo maneret in graui periculo deficiendi à fide: tunc ſané ex obligatione ipſius fidei teneretur illud aſſumere. Item, ſi ex prætermiſſione huius ſacramenti ſequeretur ſcandalum in alijs, & appareret contemptus in ipſo: tunc ad euitandum tale ſcandalum & apparẽtiam contemptus, poſſet etiam obligari. Si quis etiam in periculo mortis habens conſcientiam peccati mortalis, non poſſet ſuſcipere aliud ſacramentũ, teneri Confirmationem ſuſcipere, affirmat Ochagauia q.12. de Confirm.nu.4. Sed hoc moraliter non continget: quia ſi adſit miniſter idoneus ad præbendam Confirmationem, poterit vtique præbere abſolutionem, quam quidem moribundus teneretur petere, & miniſter impendere. Ac demum, ex mera negligentia prætermittere, regulariter eſſet ſaltem veniale peccatum, ob quandam ſpiritualem prodigalitatem,ſe priuando tàm magno fructu huius ſacramenti, quando commodè percipere poteſt. Et iuxta hæc loquuti videntur illi qui ſub obligationem imponebant huius ſacramenti ſuſceptionem: & ſpecialiter S. Thomas quando dixit, neminem conſequi ſpirituale robur, quod conferri ſolet ex virtute huius ſacramenti, abſque voto illius, in caſu ſcilicet quo teneatur illud ſuſcipere.

Non tenetur ante Euchariſtiam aut Matrimonium.

Sexto vlterius videndum eſt, num ſaltem in ordine ad ſuſcipiendum aliud ſacramentum,vel alium ſtatum, teneatur quiſque Confirmationem præmittere. Et quidem Sotus in 4. d.7. q. 1. art.7.propoſ.3, indicauit, teneri vnumquemque ſub veniali præmittere Confirmationem ante ſuſceptionem Euchariſtiæ. Quia hic eſt ordo horum ſacramentorum: & hic eſt vſus Eccleſiæ, vt adulti qui baptizantur, conſequenter confirmentur, & tum ad Euchariſtiam admittantur. Aliqui etiam indicarunt, illos qui volunt matrimonium contrahere, debere priùs Confirmationem præmittere. Sed tamen ſatis compertum eſt, nullam talem obligationem extare: quia nec ex vi horũ ſacramentorum, nec ex vllo poſitiuo præcepto Eccleſiæ, nec ex conſuetudine apparet. Quinimò paſſim abſque vllo ſcrupulo & indecentia, aut ſuſpicione venialis culpæ, accedunt, & ab eccleſiaſticis paſtoribus admittuntur ad Euchariſtiam & Matrimonium, ij qui nondum confirmati ſunt. Et ordo quo numerantur priora tria ſacramenta, atque vſus in baptizatis adultis, indicat ſolùm maiorem quandam conuenientiam, quando ſeruari poteſt: nec talis vſus eſt ordinarius, niſi quando Epiſcopus ipſe in die Sabbati ſancti baptizat Cathecumenos,& ita commodè ſtatim illos confirmat.

Tenentur ante Ordines & clericalem tonſuram.

Ad recipiendum tamen ſacramentũ Ordinis, ſiue ſtatum clericalem per primam tonſuram, obſeruari ſolet vt Confirmatio præmittatur, & ſic decreuit Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. de Reformat., *Prima tonſura non initientur qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint*. Adhuc tamen non obligari ſub mortali, nec eum qui recipit,nec Epiſcopum qui confert Ordines, ſeu primam tonſuram, vt præmittatur antea Confirmatio, tenent hoc loco Suarez diſp.38. ſect.1., Valent. q.2. puncto 3., Coninch hac q. art. 8. num. 90. & de Ordine diſp.20. dub 10. num. 103., Sotus vbi ſupra, Viuald. de Confirmat. num.41., Victoria de Ordine nu. 232., Auila de Cenſuris par.7 diſp.9. ſect. 1. dub.3., Nauarr. in Summa cap. 22 nu. 9., Azor. tomo 2. lib. 3. cap. 48. q. 1., Molſeſ tomo 1. tract.4 cap.2.num.21., Reginald. tomo 2. lib.28. cap 3.nu 24., Zambran. de Caſib. occurrent. temp. mort. cap.2.dub.3.num.3, Diana par.2 tract. 16. reſol.4. & par. 3. tract. 4. reſol. 24., & quidam alij, dicentes, nec

ex decreto Concilij, nec ex alio capite, impoſitam eſſe huiuſmodi obligationem ſub mortali.

Sed videtur potiùs adeſſe talis obligatio. Et ita ſentiunt Nugn. hic art. 8. & in Addit. ad hanc 3. par. q. 35. art. 4., Bonacina de Confirmat q. 2. puncto 4. num. 8., & de Ordine q. 1 puncto 5. num. 10., Tolet. in Summa lib. 1. cap. 71. num. 6., Fornarius de Ordine cap. 3. num. 3., Maiolus de Irregulat. lib. 4. cap. 12., & alij plures. Nam verba Concilij ſufficientia ſunt ad imponendum præceptum, & inducendam grauem obligationem. Et ita ipſa praxi & vſu accepta videntur. Siquidem Prælati collaturi Ordines aut primam tonſuram, diligenter de præuia Confirmatione inquirunt, & de hac re tanquam graui ſoliciti ſunt. Solentque documentum ſuſceptæ Confirmationis, vel à Parocho, vel à proprio Prælato, quando alienus de licentia proprij quemquam initiaturus eſt, diligenter exigere. Accedit, quod alioqui, poſſet quis non confirmatus promoueri abſque graui culpa, vſque etiam ad Epiſcopatum ipſum, & tunc liberè confirmare alios. Quod ſanè videtur graue inconueniẽs. Et non ſine notabili ſcandalo audiretur, ſi Epiſcopus quis peteret confirmari, cùm non eſſet antea confirmatus. Imò plerique ex Auctoribus oppoſitæ ſententiæ vltrò aſſerunt, quod peccaret mortaliter, ſi quis non confirmatus teneret alterum in Confirmatione, & aliqui volunt quòd non contraheret ſpiritualem cognationem: at planè multò plus eſt confirmare, quàm tenere in Confirmatione: & non minor tranſgreſſio videtur ordinari quempiam non confirmatum: igitur hoc non vacat culpa mortali. Et certè ſi Canon iubens, vt non confirmatus non teneat alterum, accipitur cum hoc rigore, vt indicat obligationem ſub culpa mortali: pariter accipi debet decretum Concilij, vt prima tonſura non initientur qui confirmati non ſint: & ſimiliter vt non promoueantur deinceps ad clericales Ordines. Et alioqui in ſingulis committeretur nouum mortale peccatum.

Tenentur accedere in ſtatu gratiæ.

Septimò demum. Quænam diſpoſitio in ſuſcipiente hoc ſacramentum requiratur, facilè eſt. Ad valorem enim ſufficit intentio, ſicut in alijs ſacramẽtis. Ad licitam verò ſuſceptionem requiritur etiam ſtatus gratiæ. Quare ſi homo poſt Baptiſmum habeat conſcientiam alicuius peccati mortalis, tenetur ſub graui præcepto per pœnitentiam ſe reponere in ſtatu gratiæ: & alioqui graue ſacrilegium committit, niſi per bonam fidem aut ignorantiam excuſetur. Imò ex Concil. Aurelian. in cap. *Vt ieiuni* de Conſecr. d. 5. videtur exigi ſacramentalis confeſſio. Dicitur enim, *Vt moneantur confeſſionem facere priùs, vt mundi donum Spiritus ſancti valeant accipere*. Sed de rigore obligationis ſatis eſt, actum perfectæ contritionis elicere; quo quidem iuſtificatur interim peccator, cum obligatione tamen poſtea confitendi. Non enim Confirmatio in hoc ſe habet ſicut Euchariſtia, ad quam ſuſcipiendam non ſatis eſt per contritionem ſe diſponere, ſed neceſſe eſt confeſſionem præmittere, ſuppoſita conſcientia mortalis peccati. De conſilio tamen melius vtique eſſet, ante Confirmationem etiam ſe per confeſſionem à peccatis mortalibus expiare: quia hoc eſt ſecurius remedium, & quando adhiberi poteſt magis conſulendum. Quæ omnia ſatis conſtant ex dictis de Sacramentis in genere.

Ad laudem & gloriam Chriſti Redemptoris.

1.604.243

INDEX

INDEX RERVM.

A.

ABBATES exempti habent ordinariam iuriſdictionē ad ſacramenta ſubditis miniſtranda pagina 718. columna 2.

Abbates aliqui ex conceſſione Summi Pontificis ſacramentum Confirmationis conferre poſſunt. 854. 1

ABLVTIO ſimul cum verborum prolatione eſſentiam & definitionem Baptiſmi conſtituit. 748. 2. Tàm paſſiuè quàm actiuè ſumpta. 749. 2 Eſt materia proxima Baptiſmi. Vide Baptiſmi materia proxima.

ABRAHAM meruit vt ex eius ſtirpe naſceretur Chriſtus. 130. 1. Erat inferior Melchiſedech. 348. 2. Fuit verè progenitor Chriſti. 433. 2. Fuit adſtrictus præcepto Circumciſionis. 822. 2.

Abrahæ ſinus. Vide Limbus Patrum.

ABREPTI ab Infidelibus Infantes, quatenus baptizandi ſint. 764. 2

ABSOLVTIO data à non Sacerdote, prorſus non valet. 700. 1. Nec à Sacerdote poſt terminū eius facultatis. 713. 2. Dari ſolet moribundo qui petije. 727. 1. Habet vim remittendi indirectè peccata oblita, non tamen alia poſt illam commiſſa. 811. 2

ACCEPTATIO Dei complens meriti rationem, non defuit Christo 250. 2. Complebat etiam ſatisfactionis rationem. 286 1

ACCIDENTIA quædam ſolo numero diuerſa, poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. 255. 2

ACCIDENTALIS natura poteſt mediatè aſſumi à Diuina perſona. 68. 1. Non poteſt immediatè dum inhæret ſubiecto. ibid. Non poteſt aſſumi vt inhæreat Deo. ibid. Nec ad conſtituendum ſuppoſitum. col. 2. Poteſt ad per ſe exiſtendum. ibid. Non prædicaretur de Deo. 69. 1

Accidentalis mutatio non vitiat ſacramentum. 651. 2. Quænam ſit. 652

ACTIO qua producta fuit vnio hypoſtatica, eſt aliquid poſitiuum reale. 48. 1. Non debet ab vnione diſtingui. ibid. Sed omnino ab humanitatis productione & conſeruatione. ibid. Habuit ſuos terminos. 50. Vide Terminus.

ACTVS virtutum in Chriſto erant ſupernaturales. 144. 1. Procedebant quoque ex habitibus acquiſitis. ibidem.

ADAMVS nouit & prænunciauit Incarnationis myſterium. 106. 1. Eo non peccante an Deus incarnatus fuiſſet. 108.

Adamus non habuit ex meritis Chriſti gratiam in ſtatu innocentiæ. 279. 1. Habuit tamen notitiam & fidem Chriſti. ibid. Recuperauit gratiam ex meritis Chriſti. col. 2

Adamus ſepultus dicitur in Monte Caluariæ. pag. 548. 1

ADMIRATIO qualiter fuerit in Chriſto. 220.

ADOPTIO quid & quæ ſit. 360 1. In quo differat diuina ab humana. ibid. Quas conditiones requirat. col. 2. Adoptare conuenit Deo indiuiſim quoad tres perſonas 361. 1. Adoptari à Deo conuenit ſolis iuſtis. ibid. Non ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis. col. 2. Non ſolùm hominibus noui teſtamenti, ſed etiam veteris. 362. 2. Quædam adoptio eſt Beatis propria. 363. 1

Adoptio apud Deum attributa fuit Chriſto ab Elipando & Felice Hæreticis. 363. 1. Et à quibuſdam Theologis. 364. 1. Sed longè diuerſo modo. col. 2. & deinceps. Nullatenus debet attribui Chriſto. 369 & deinceps.

ADORATIO latriæ defertur humanitati etiam Chriſti. 392. 2. Secundariò, ſiue comitanter, aut conſequenter. 394. 1. Non tamen reſpectiuè, ſed abſolutè, ad differentiam imaginis. col. 2. Differt etiam à dilectione & oratione. 395. 1. An à ſacrificio: col. 2.

Adoratio quædam inferior poteſt etiam deferri humanitati Chriſti per ſe. 396. 2. Licitè & decenter, non excludendo aliam adorationē. 397. 2. Poteſt eſſe diſtinctus adorationis actus. 399. 1. Spectat ad virtutem duliæ. 402. 1. Non extenditur ad Diuinam naturam & perſonam. col. 2.

Adoratio latriæ defertur etiam Chriſti reliquijs. 403. 1. Imaginibus, col. 2. Cruci, ibidem. Alijs paſſionis inſtrumentis. 404. 1. Num etiam manibus miniſtrorum & labijs Iudæ. ibid. Imaginibus etiam crucis, & cum cautela imaginibus quoque aliorum inſtrumentorum. col. 2.

Adoratio propria & abſoluta benè defertur matri Chriſti. 405. 1. Priuatim poteſt etiam reſpectiua latriæ. ibid. Propria & abſoluta nō eſt latriæ. col. 2. Sed duliæ ſiue hyperduliæ. 406. 2

ADVLTI omnes iudicabuntur à Chriſto de cunctis

Digitized by Google

ctis ſuis operibus. 617.2

Adulti ſuſcipientes Sacramenta, debent habere intentionem ſuſcipiendi. 726. 2. Poſſunt ſaluari per Baptiſmum in voto. 745.2

Adulti venientes ad fidem, ſolent ex commiſſione Epiſcopi baptizari. 770. 2

Adulti omnes Baptiſmum ſuſcipere tenentur, & cum qua diſpoſitione. Vide Baptiſmum ſuſcipere. Non iuſtificabantur olim per circumciſionem, vel antiquum remedium. 820.

Adulti potiùs quàm infantes debent confirmari. 857.1

AER Elementaris non debet admitti intra corpora Beatorum, & extra ac ſupra ambitum cœli. 586.2

AETAS certa non requiritur ad patrini officium. 777.1

AGILITAS ad motum conuenit Chriſto in ſtatu glorioſo. 589. 1. Et alijs Beatis. col. 2. Ad ſe velociſſimè mouendum quoque verſus. ibid. Chriſto etiam in inſtanti, ac ſine tranſitu per medium, ſed non alijs Beatis. ibid. Eſt quædam virtus motiua indita à Deo corpori glorioſo. 591. Poterit eſſe inæqualis. 597.2

ALAPA Confirmatis inflicta, iuuat ad memoriam, & ſignificat tolerantiam. 849.2

ALPHÆVS an fuerit idem cum Cleopha. 495. 2. Fuit pater eorum qui dicebantur fratres Chriſti. ibid.

AMEN, non eſt particula neceſſaria ad valorem, aut ex graui obligatione, in forma Baptiſmi. 760. 2

AMENTES qui antea id petierint, baptizandi ſunt, etiam ſi tunc reſiſtere videantur. 727. 1. Et qui nunquam vſum rationis habuerint. 785. 2. Poſſunt etiam confirmari. 858. 1.

AMOR Dei in via & in patria differt ſpecie. 255. 1.

ANGELVS non poterat naturali vi dignoſcere, Incarnationem eſſe poſſibilem. 6. 2. Vel eſſe factam 10. & 11. Poſt lapſum non debebat reparari ſicut homo. 13. 2. Non poterat incarnari. 52. 2. Angelica natura poſſit aſſumi. 69. 2. Subdebatur Chriſto vt capiti. 152.

Angelus non cognoſcit ſecreta cordium, & futura contingentia. 171. 1. Non ſubminiſtrabat obiecta ad cognoſcendum Chriſto. 183. 2. Quomodo dicatur confortaſſe Chriſtum. 187. 1.

Angelus habuit ex meritis Chriſti aliqua dona gratiæ. 266. 1. Non tamen gloriam & gratiam annexam. ibid. Non participauit de ſatisfactione Chriſti. 283. 1. Nec de ſacrificio Chriſti. 358. 2

Angelus conuenienter miſſus fuit ad annunciandam B. Mariæ conceptionem Chriſti. 446. 2. Fuit de Ordine Archangelorum. 447. 1. Apparuit ſub humana ſpecie. col. 2. Fuit ab illa recognitus. 448. 1. Non per viſionem intuitiuam, ſed per euidentiam in atteſtante. col. 2.

Angeli acceſſerunt & miniſtrarunt Chriſto in deſerto. 531. 1. Qualiter apparuerunt mulieribus, & manifeſtarunt reſurrectionem Chriſti. 599.1

Angeli quoad aliqua præmia & pœnas accidentales iudicantur à Chriſto. 619. 1. Non quoad præmium & ſupplicium eſſentiale. col. 2.

Angeli colligent corpora diſperſa hominum, proximè ante reſurrectionem. 626. 1. Illi qui fuerunt ſingulorum cuſtodes. colum. 2. Deducent homines ad locum iudicij. 627.1

Angeli, non ex ſe, ſed ex diuina commiſſione, poſſunt ſacramenta hominibus miniſtrare. 695.1. Non poſſunt ſuſcipere. 724. 2

ANIMA Chriſti fuit eiuſdem rationis cum noſtra. 81. 2. Non fuit prius tempore creata, vel vnita Verbo, quàm infuſa corpori. 90. 2. Fuit prius aſſumpta ordine dignitatis & intentionis. 92. 2. Et ordine naturæ ante vnionem cum corpore. 93. 2

Anima Chriſti habuit intellectum & ſcientiam. Vide Scientia. Habuit voluntatem. Vide Voluntas. Habuit potentias & operationes ſenſitiuas. 216. 2. Omnino ſubditas rationi. 217. 2. Non poterat habere diſcordantes. 218. 1. Non habuit, nec poterat habere peccatum. Vide Peccatum.

Anima Chriſti qualiter paſſa fuerit in ſua eſſentia. 544. 1. Et in omnibus potentijs. col. 2. Non fuit in morte Chriſti ſeparata à Verbo. 560. Deſcendit ad Inferos ſecundùm ſuam ſubſtantiam. 568. 1. Ibiquè manſit toto triduo mortis. 569. 2. Non ad terreſtrem Paradiſum receſſit. 570. 1. Nullam ibi ſuſtinuit pœnam, nec ſatisfactionem exhibuit. ibid. & deinceps. Ad quæ Inferorum loca peruenerit. 572. & deinceps. Per motum ſucceſſiuum illuc deſcendit. 574. 2. Non fuit cauſa inſtrumentalis phyſica reſurrectionis. 581. 1. Nec miniſterialis colligendo corporis partes. col. 2.

Animæ Sanctorum Patrum è Limbo liberatæ fuerunt à Chriſto. 572. 2. Conuenienter retardatæ fuerunt ab adeptione gloriæ. 573. 1.

Et

Et ſubterraneo ſinu detenta. col. 2. In eodem loco fuerunt glorificata per deſcenſum Chriſti. ibid.

Animæ Damnatorum non fuerunt edoctæ, nec eductæ, nec viſitatæ à Chriſto in deſcenſu ad Inferos. 575. 1

Animæ Puerorum qui cum ſolo originali deceſſerant, non fuerunt liberatæ aut viſitatæ à Chriſto. 575. 2

Animæ Purgatorij, non omnes, ſed aliquæ, liberatæ fuerunt à Chriſto in deſcenſu ad Inferos. 576. 2. *Omnes fuerunt lætificatæ.* 577. 1. *Et fortaſſe per realem præſentiam viſitatæ.* col. 2.

Animæ ſeparatæ non poſſunt ſacramenta miniſtrare, quamuis habeant Ordinis characterem. 695. 2.

ANNA non habuit alium virum præter Ioachimum, nec alios filios præter B. Mariam virginem. 465.

ANNVNCIATIO facta per Angelum ad Beatam Virginem. Vide Angelus conuenienter.

ANNVS quo natus eſt Chriſtus, quiſnam fuerit. 452. *& deinceps. Quo baptizatus.* 521. *Quo paſſus.* 548. 2

ANTICHRISTVS non erit Dæmon incarnatus. 53. 2

ANTIQVI Patres an meruerint Incarnationem. 125. *& deinceps. Habuerunt gratiam ex meritis Chriſti.* 277. *& ſeq.*

APOSTOLI audierunt à mulieribus reſurrectionem Domini. 599. 2. *Non ipſi ſacramenta inſtituerunt.* 692. 2. *Sed promulgarunt, vel in aliqua parte determinarunt.* 693. 2. *Non conferebant Baptiſmum Ioannis, ſed Chriſti.* 742. 1. *Conferebant Spiritum ſanctum imponendo manus per ſacramentum Confirmationis.* 844. 1. *Tanquam Epiſcopi hoc munus gerebant.* 853. 2

APPARITIO Chriſti ad Magdalenam. 600. 2. *Ad mulieres. ibid. Ad Petrum.* 601. 1. *Ad duos diſcipulos in via Emmaus. col. 2. Ad Apoſtolos ſimul iunctos.* 602. 2. *Aliæ quinque.* 603. 1. *Aliæ plures. col. 2.*

APPELLATIO in cauſa Matrimonij deuoluitur ad Archiepiſcopum. 719. 1

APPETITVS ſenſitiuus fuit in Chriſto. 217. 2. *In B. Virgine.* 493. 2. *Qualiter coerceri poſſit. ibid. & ſeq.*

AQVA ex latere Chriſti promanans, qualiter Eccleſiæ ſacramenta ſignauit. 738. 1

Aqua eſt Baptiſmi materia. Vide Baptiſmi materia unica.

ARCHELAVS regnauit poſt Herodem patrem in Iudæa. 518. 2. *Quare adhuc timebatur à Ioſeph. ibid. Quare magis quàm alius frater.* 519. 1

ARCHIEPISCOPVS non poteſt ſacramenta ſuorum Suffraganeorum ſubditis miniſtrare. 719. *Poteſt per viam appellationis coniungere aliquos in matrimonio. ibid.*

ARCHIPRESBYTER Eccleſiæ Cathedralis non poteſt ſacramenta omnibus de Diœceſi miniſtrare. 718. 2

ASCENSIO Chriſti. Vide Chriſtus in cœlum aſcendit.

ASPERSIO aquæ ſufficit ad Baptiſmum. 752. 1. *Vide Baptiſmi materia proxima.*

ASSVMPTIO quid propriè ſignificet. 47. 2. *Eius terminus ad quem dicitur perſona diuina.* 50. 2

Aſſumptio B. Virginis in cœlum. 507. 2

ATHANASIVS adhuc puer, & in ludo, ſincera intentione pueros alios baptizauit. 701. 2.

ATTRIBVTA Diuina & humana, erant in Chriſto diſtincta. 243. *De eo affirmantur in concreto, non in abſtracto.* 244

ATTRITIO etiam cognita, eſt ſufficiens diſpoſitio in peccatoribus ſuſcepturis Baptiſmum. 801. 1. *Sufficit etiam in eo qui fictè bona fide ſuſcepit Baptiſmum.* 813. 1. *Et Confirmationem.* 852. 1

AVDITVS qualiter & per quod medium exerceri poſſit inter Beatos. 587. 1

AVRORA fuit hora in qua Chriſtus reſurrexit. 566. 2. *Erit hora in qua reſurgent omnes in die iudicij.* 625. 1

AVXILIA Gratiæ ſpecialia per ſacramenta ſingula conferuntur. 665. 2. *Eadem dantur etiam abſque ſacramentis.* 666. 1. *Conferuntur per Baptiſmum.* 804. 2. *Non conferebantur per circumciſionem, vel antiquum remedium.* 820. 1. *Conferuntur per Confirmationem.* 850. 1

BALSA-

B.

BALSAMVM conuenienter in materia Confirmationis adhibetur. 844. 1. Eſt de neceſſitate & eſſentia ſacramenti. 845. 2. Commodè haberi poterat etiam ab initio Eccleſiæ. 846. 1.

BAPTISMVS collatus fuit à Chriſto immediatè B. Virgini & Apoſtolo Petro. 503.1

Baptiſmus collatus à Ioanne ipſi Chriſto. 520.2 Erat longè diuerſus à Baptiſmo inſtituto à Chriſto. ibid. Vide Chriſtus baptizatus.

Baptiſmus non confertur adultis qui non expreſſè petierunt. 727. 2. Non debet conferri ijs qui indignè petunt. 731.1

Baptiſmi ſacramentum verè fuit inſtitutum à Chriſto. 741. 1. Et aliquibus miniſtratum, col. 2. Fuit inſtitutum ante paſſionem. 742. 1. Fortaſſe apud Iordanem. 743.1

Baptiſmi ſacramentum eſt medium neceſſarium ad ſalutem. 744. 1. Poſt promulgationem Euangelij, col. 2. Infantibus eſt prorſus neceſſarium in re ſuſceptum. 745. 1. Adultis poteſt in voto ſufficere, col. 2. & ſeq. Quomodo debeat definiri. 748.

Baptiſmi materia vnica eſt aqua. 750. 1. Quæcunque naturalis aqua. ibid. Etiam ſi aliquã mixtionem habeat. col. 2. Non, ſi ſit ſubſtantialiter immutata, vel ad abluendum inepta. ibid. Non quicunque alius liquor. ibid. Nec artificialis aqua. 751.1. Nec manans ex vite aut alia planta. ibid. Nec reſoluta ex ſale. ibid. Et nec in neceſſitate adhiberi debet, niſi ſaltem ſit dubia. col. 2.

Baptiſmi materia proxima, eſt actualis ablutio. 752. 1. Quæ debet immediatè attingere corpus. ibid. Poteſt validè fieri, vel per immerſionem, vel per aſperſionem. col. 2. Ex præcepto debet fieri iuxta regionum mores & leges. 753. 1. Valet per immerſionem, etiam ſi non ſequatur emerſio. ibid. Sed cum homicidij culpa ſic fieret. col. 2. Per aſperſionem non requiritur in toto corpore, aut maiori parte ibid. In qua parte ſufficiat. 754. 1. An ſufficiat per vnam vel paucas guttas aquæ. col. 2. Sufficit in capillis. 755. 1. Sed ad ſecuritatem debet fieri in carne. col. 2. Non eſt de ſubſtantia Baptiſmi illa pars ablutionis quæ fortè ſequitur poſt completam prolationem formæ. ibid. Niſi ad illã miniſtri intẽtio coarctetur. 756.1

Baptiſmi forma certa, eſt neceſſaria, & à Chriſto tradita. 756.2 Aliquatenus differt inter Latinos & Græcos, & vtraque eſt ſufficiens. ibid. Debet exprimere actum baptizandi. ibid. Sufficit aliquo verbo æquiualenti. 757. 1. Vel actiuo vel paſſiuo modo. ibid. Debet exprimere perſonam quæ baptizatur ibid. Poteſt exprimere varijs modis. ibid. Non oportet, vt exprimat perſonam miniſtri baptizantis. col. 2. Debet continere expreſſam inuocationem Dei. 758. 1. Expreſſam inuocationem Trinitatis. col. 2. Sub ipſis nominibus proprijs perſonarũ. 759. 2. & ſeq. Cum particula coniunctiua. 760. 1. An ſub eodem ordine conſueto 761. 1.

Baptiſmus eſt vnus ſpecie. 761. 1. Semel tantùm poteſt ſingulis conferri. ibid. In caſu dubij vel probabilitatis, poteſt ſub conditione repeti. 762. 2. Debet ex obligatione à miniſtro conferri, & à dubitante procurari ac ſuſcipi. 763. 1. Quandonam ſit certus aut dubius? col. 2. & pag. ſeq.

Baptiſmi Miniſter. Vide Miniſter Baptiſmi.

Baptiſmus ſolis viuentibus, & non mortuis, conferri poteſt. 785. 1. Non ſolùm adultis, ſed etiam infantibus & perpetuò amentibus col. 2. Infantibus tamen ex matris vtero natis. 786. 1. Aliqua ſaltem parte. col. 2. Aut etiam ſi intra matris vterum poſſint aqua tangi. col. 2. Vel ſi fuiſſent violenter extracti. 787. 1. Sed non eſt licitum violenter extrahere ibid. Niſi matre ad mortem iuſtè damnata. ibid. Non reperitur nec requiritur in infantibus proprius conſenſus & fides. col. 2. Nec ad valorẽ requiritur in eorum parentibus aut curatoribus. ibid. In adultis proprius conſenſus requiritur 788. Sufficit etiam ad licitum actum. col. 2.

Baptiſmus conuenienter præbetur infantibus. 789. 1. Ex obligatione debet conferri. ibid. Quantum poſſit differri. ibid. Qualiter debeat conferri etiam cum acceleratione mortis. col. 2. Non eſt relinquendum in arbitrio infantium baptizatorum, cum adoleuerint ſeruare fidem. 790. 1

Baptiſmus poteſt ac debet præberi filijs eorum qui receſſerunt à fide, etiam ijs inuitis. 790. 2. Etiam ſi ab ijs non abſtrahantur. 791. 1. Non filijs Paganorum. ibid. Niſi alteruter parentum conſentiat. col. 2. Aut niſi destituti à ſuis, in manus Chriſtianorum deuenerint. ibid. Aut niſi in mortis articulo conſtituti ſint. ibid. Nec etiam ſi parentes ſint politicè ſubditi Chriſtianis Principibus. ibid. Benè tamen ſi ſint ſerui Chriſtianorum. 792. 1. Nec Iudæorum filijs, inuitis parentibus. col. 2. An hoſtium filijs captis in bello iuſto. 793. 1

Baptiſmum ſuſcipere obligantur omnes adulti. 793. 1. Etiam cum mortis periculo. 794. 2.

Tenentur

Digitized by Google

Tenentur quamprimùm moraliter commodè poſſint. 795. 1. Non ex eccleſiaſtico iure. col. 2. Sed diuino Chriſti. 796. 1. Ob ſolemnitatem ſolent ſuſcipere Sabbato Paſchatis & Pentecoſtes. 796. 1. Ad valorem non indigent alia diſpoſitione præter intentionem. 797. 1. Ad licitam & ſalutarem ſuſceptionem indigent fide. ibid. Qui mortaliter peccauerunt, indigent pœnitentia. col. 2. Per poſitiuam deteſtationem ſuorum peccatorum. 798. 1. Diſtinctã à voluntate ſuſcipiendi ipſum Baptiſmum. col. 2. Qui venialiter peccauerunt non indigent pœnitentia, niſi ad conſequendam ipſorũ venialium remiſſionem. ibid. Qui habent ſolùm originale, indigent aliqua conuerſione ad Deum. 799. 1.

Baptiſmum ſuſcepturi peccatores non indigent præuia confeſſione aliauè externa pœnitentia. 799. 1. Nec alia confeſſione apud Deum, niſi deteſtatione ſuorum peccatorum. 800. 1. Indigent pœnitentia ordinis ſupernaturalis ex ſpiritu fidei. ibid. Non indigent perfecta contritione, ſed eis ſufficit attritio. 801. Tenentur ante vel poſt elicere actũ dilectionis Dei. col. 2.

Baptiſmus eſt valde vtilis & ſalutaris. 803. 1. Confert remiſſionem peccatorum, non ſolùm originalis, ſed etiam actualium. ibid. Etiam venialium. col. 2. Verè delet & aufert peccata. 804. 1. Conferendo gratiam inhærentem, & virtutes infuſas. ibid. Confert auxilia gratiæ temporibus opportunis. col. 2. Tollit totum pœnæ reatum. ibid. Non tamen huius vitæ defectus ac pœnalitates. 805. 1. Imprimit characterem requiſitum ad receptionem aliorum ſacramentorum. ibid. Dicitur incorporare hominem Chriſto, illuminare, fœcundare animam, aperire ianuam regni cæleſtis. col. 2. Non reddit hominem impeccabilem, nec eximit ab onere legis, à votis, & à labore pœnitentiæ. ibid.

Baptiſmus abſque diſpoſitione ſuſceptus, ſemper imprimit characterem. 806. 1. Non confert gratiam. ibid. Conferet poſtea homine ſe diſponente. col. 2. Conferet etiam remiſſionem venialium peccatorum. 808. 2. Conferet peculiarem gratiæ gradum ex opere operato. 809. 1. Tamen minimum, ſicut in paruulis. 810. 1. Non habebit vim remittendi peccata poſt ipſum Baptiſmum commiſſa. 811. 1. Nec peccatum fictionis in eius ſuſceptione commiſſum. col. 2. Sed bene alias quæcunque antecedens peccatum, quod fuit fictionis cauſa. 812. 1. Etiam concomitans in ipſo ſuſceptionis actu. col. 2.

Baptiſmus in eo qui abſque diſpoſitione illum ſuſcepit, ſed non aliud mortale poſtea commiſit, cum ſola attritione ſuperueniente confert effectum. 813. 2. In eo qui commiſit, requirit perfectam contritionem, vel confeſſionem. 814. 2. Tunc ſimul omnia peccata remittit. 815. 1. Et ſimul gratiam confert. 815. 2. Indiuiſim cum alio comitante remedio. 816. 2.

Baptiſmi præparatio & ceremoniæ. Vide Ceremoniæ præparantes.

Baptiſmus Ioannis diuerſus erat à Baptiſmo Chriſti. 830. 1. Conſiſtebat in ablutione aquæ, vel cum verbis, vel ſine. col. 2. Incepit ex inſtinctu diuino. 831. 1. Durauit vſque ad incarcerationem Ioannis. ibidem. Non conferebat gratiam. ibid. Nec legalem aliquam ſanctitatem. col. 2. Non erat ſufficiens ad ſalutem. ibid. Nec neceſſarius. 832. 1. Non erat ſacramentum. ibidem.

Baptiſmus Flaminis quiſnam ſit. 832. 1. Confert gratiam ex opere operantis. col. 2.

Baptiſmus Sanguinis quiſnam ſit. 432. 2. Confert gratiam, & quo modo, & cum qua diſpoſitione. 833. & deinceps. Vide Martyrium.

BEATA Maria Virgo meruit dignitatem matris. 132. 2. Poterat mereri vel tantùm quoad exequutionem, vel etiam quoad prædefinitionem. 133. 2. De facto meruit ſolùm quoad exequutionem. 134. 1. Meruit ſolùm de congruo. 138. 1. Fieri poterat, vt mereretur de condigno. col. 2.

B. Maria Virgo fuit verè mater Dei, concurrendo ad exiſtentiam humanitatis vnitæ perſonæ diuinæ. 235. 2. Satis erat, hanc vnionem eſſe ſimul tempore, ſed erat etiam prior natura. ibid.

B. Maria Virgo fuit verè particeps ſatisfactionis & redemptionis Chriſti. 283. 2. Eſt adoranda. 405. Qua adoratione. 406.

B. Maria verè concepit Chriſtum, & fuit mater Chriſti. 421. Concepit abſque opera viri. & illæſa prorſus virginitate. 422. 2. Præſtitit totum quod neceſſarium erat, ad officium matris. 424. 1. Et quod ſolent aliæ matres. ibid. Qualiter in inſtanti concepit. 425. & ſequentes.

Index Rerum.

B. Maria conuenienter deſponſata fuit Ioſepho. 427. 2. Per verum matrimonium. 428. 2. Vide Matrimonium.

B. Maria deſcendebat omnino ex Abraham & Dauid. 432. 2. Idque per lineam paternam. 434. 2. Habuit parentes Ioachim & Annam. ibid. Quam Genealogiam habuit. Vide Genealogia. An deſcenderit à Dauid per lineã Salomonis vel Nathan. 441. 2

B. Maria per annunciationem angelicam didicit, in ea faciendum eſſe Incarnationis myſterium. 446. 1. Duplici modo & cauſa turbata fuit. 448. 1. Qualiter Angelum cognouerit. col. 2. Suum conſenſum præbuit: & non ante, ſed tunc ſtatim concepit Chriſtum. 449. Eumque nouem menſibus geſtauit in vtero. 450. Eo tempore viſitauit Sãctam Eliſabeth. col. 2

B. Maria peperit Chriſtum in oppido Bethlehem, cùm eſſet annorum quindecim. 451. 1. Vide Chriſtus natus. Abſque vlla ſuæ virginitatis læſione. 454. & ſeq. Abſque dolore. 457. 1. Et abſque fluxu ſanguinis, aut ſordibus puerperij. ibid.

B. Maria verè & propriè fuit, ac dici debet, naturalis mater Chriſti. 458. 1. Propriè etiam mater Dei. col. 2. Ad hoc non oportebat, vt ipſa per ſe efficeret hypoſtaticam vnionem. 460. Aut alium vnionis modum inter duas partiales hypoſtaticas vniones. col. 2.

B. Maria etiam poſt partum ſemper virgo permanſit. 464. 1. Nec ſunt eius filij, illi qui dicuntur fratres Chriſti. col. 2. Habebat votum perpetuæ virginitatis ſeruandæ. 466. 2. Habuit ante annunciationem angelicam. ibid. Et ante deſponſationem cum Ioſepho. 467. 1. Non indigebat ſpeciali diſpenſatione diuina ad emittendum hoc votum. 467. 1. Fortaſſe fuit prima quæ emiſerit, & ex ſpeciali reuelatione. 468. 1. Nec indigebat parentū licentia. ibid. Emiſit votum ſimpliciter abſolutum. ibidem.

B. Maria verè ſanctificata fuit in vtero matris. 469. 1. Habuit tunc vſum rationis, & ſic ſuis actibus ſe diſpoſuit. 470. 1. Fuit ſanctificata ex ſatisfactione & redemptione Chriſti. 471. 1. Poterat ſanctificari immediatè poſt primum inſtans, datis inſtantibus. 471. 1. Sed ijs ſublatis, non niſi poſt partem temporis, ſi non eſſet ab initio. ibid. De facto ſanctificata fuit ab initio, & concepta in gratia, & ab originali peccato præſeruata. 473. 2. & deinceps.

B. Maria non fuit ante ſuam conceptionem & animationem ſanctificata. 480. 2. Nec in corpore. 481. 1. Nec in parentibus. col. 2. Non fuit exempta à debito contrahendi originale peccatum. 483. 1. Non erat id neceſſarium. col. 2. Neque conueniens, ſicut eximi ab ipſo peccato. ibid. Nec poſſibile, ſtante redemptionis ordine. 484. 1. Non fuerat excluſa ex pacto inito cum Adamo. 485. 2. Habebat debitum carendi tota gratia. 487. Non fuerat relicta extra naturalem Adami progeniem. 488. Non fuerat excepta in mente Dei ſub conditione. 489

B. Maria fuit à peccati fomite immunis. 491. 2. Vide Fomes. Fuit ab initio dono originalis iuſtitiæ exornata. 495. 2

B. Maria fuit ſemper expers omnis peccati. 497. 2. Explicantur circa hoc quædam Scripturæ loca. 498. Habuit donum confirmationis in gratia & in omni bono. 499. 1. Non tamen impeccabilitatis. ibid.

B. Maria ab initio excedebat ſanctitatem ſingulorum aliorum. 500. 2. Etiam Angelorum. ibid. Sanctiſſimam ſemper vitam egit. 501. 1. Dicitur etiam in ſomno diuinæ contemplationi & dilectioni vacaſſe. col. 2. Per totum tempus ſuæ vitæ verè in ſanctitate profecit. 502. 1. Acquirebat etiam augmentum gratiæ per ſacramenta. 503. 1. Quænam ſacramenta ſusceperit. col. 2. Initiata etiam fuerat remedio legis naturæ, ſed non acceperat per illud gratiam. 504. 2. Accepit inſigne augmentum gratiæ ex liberalitate diuina in actu Incarnationis Verbi. ibid. Exceſſit in fine gratiam & ſanctitatem omnium aliorum etiam collectiuè, infra tamen Chriſtum. 505. 1.

B. Maria ſimul cum gratia habuit virtutes infuſas & dona Spiritus ſancti. 505. 2. Qualiter habuerit virtutem pœnitentiæ quoad habitum & quoad aliquem actum. ibid. Habuit per infuſionem à Deo virtutes de ſuo genere acquiſitas. 506. 1. Habuit gratias gratis datas, etiam quoad vſum docendi ſaltem priuatim, & faciendi miracula ſaltem poſt Chriſti aſcenſionem. ibid. Non habuit ſcientiam infuſam ſicut Chriſtus. col. 2. Sed fidem cum euidentia diuinæ reuelationis. 507. 1. Num aliquando in vita mortali habuerit donum claræ viſionis Dei. col. 2. Habuit in morte gloriam ſupra ſingulos & omnes Beatos infra Chriſtum, ac etiam in corpore glorificata fuit: & ad cœlum aſſumpta. ibidem.

B. Maria exactè adimpleuit legem oblationis pueri in templo, non ex obligatione, ſed ex voluntate. 514. 2. Legem etiam ſuæ purificationis.

Digitized by Google

cationis. 515. 2. Non ex obligatione, ſed ex deuotione. 517. Cum puero Ieſu ducta fuit à Ioſeph in Ægyptum. 518. 1. Inde reducta in Galilæam in Ciuitatem Nazareth. 519. Et inde ſingulis annis pergebat Ieroſolymam ad celebrandum Paſcha. 520. 1. Poſt reſurrectionem prima omnium vidit Chriſtum ſibi apparentem. 603. 2

B. Maria fuit immediatè à Chriſto baptizata. 74. 1. 2.

BEATI ſpeciali modo dicuntur filij adoptiui Dei. 363. 1. In corporibus glorioſis non exercebunt operationes vegetatiuas, nec indigebunt alimento. 584. 2. Sed benè operationes ſenſitiuas. 585. 2. Omnium ſenſuum. 586. Quomodo collocabuntur in Cælo Empireo. 587. 1.

Beati reſurgent in corporibus glorioſis. 587. 2. Habebunt quatuor dotes, Impaſſibilitatem, Agilitatem, Subtilitatem, Claritatem. 588. & deinceps. Vide iiſdem verbis. Poſſunt continere ſpecies viſibiles ſui, ſeque occultare. 596. 2. Quomodo dicantur ſedere in cælo. 610. 2

Beati retinent ſacramentalem characterem. 686. 2. Poſſunt, ſi ſint in corpore, ſacramenta viatoribus miniſtrare. 695. 1

BETHANIA duplex. 521. 1. Qualiter è Bethania & Monte Oliueti aſcendit Chriſtus in cælum. 606. 1

BETHLEHEM Oppidum quare fuit electum ad Chriſti natiuitatem. 451. 2

BONVM occaſionatum duplex. 110. 2

C

CÆLI qualiter dicantur aperti ſuper Chriſtum in Iordane. 524. 1

Cælum empireum qualiter diſponatur, & contineat corpus quoddam fluidum, ad vſum Beatorum. 587. 1

CÆREMONIÆ ab Eccleſia inſtitutæ apud nos non habent rationem ſacramenti. 640. 1. Aliæ exercentur in ipſis ſacramentis aut ſacrificio, & aliæ extra. 653. 1. Sunt conuenientes. col. 2. Sub obligationem cadunt. ibid. Vide Sacramentalia.

Cæremoniæ præparantes ad Baptiſmum ſunt Catechiſmus & Exorciſmus 839. 1. Aliæ quoque ſunt quæ in Baptiſmi miniſterio exercentur. 840. 1. Non ſunt de ſubſtantia ſacramenti, ſed ſecluſa neceſſitate ſunt de obligatione præcepti. ibid. Debent ex obligatione ſuppleri quando prætermiſſæ fuerant. col. 2. Etiam quoad exorciſmum. ibid. Non debent repeti quando repetitur Baptiſmus antea inualidus. ibid. Sunt conuenientes & vtiles ad decorem ſacramenti. 841. 1. Ad myſticam ſignificationem. ibid. Ad ſubſidium baptizati. col. 2.

Cæremoniæ pro ſacramento Confirmationis, aliæ exercentur in conficiendo Chriſmate, & aliæ in miniſtrando ipſo ſacramento. 849. 1. Inter quas alapa, iuuat memoriam, & ſignificat tolerantiam. col. 2. Cadunt ſub grauem obligationem. ibid. Non tamen quoad locum Eccleſiæ, & circumſtantiam ieiunij. ibidem.

CALVARIÆ Mons vnde ſic dictus. 547. 2. Erat locus deſtinatus ad ſupplicium Reorum. ibid. In eo dicitur ſepultus fuiſſe Adam. 548. 1. Et Abraham voluiſſe immolare filium. col. 2.

CAPILLORVM ablutio an ſufficiat ad Baptiſmum. 755.

CAPITVLVM Sede vacante habet ius miniſtrandi ſacramenta. 718. 2.

CARDINALES in ſuis titulis poſſunt ſacramenta miniſtrare. 718. 2

CATECHISMVS in Baptiſmo, inducit imperfectam quandam cognationem ſpiritualem. 778. 1. Quæ ſolùm prohibet, ſed non dirimit matrimonium. col. 2.

Catechiſmus eſt cæremonia præparatoria ad Baptiſmum. 839. 1. In adultis eſt propriè præparatio. col. 2. In paruulis eſt pura cæremonia. 440.

CATECVMENI qua inſtructione præparandi ſint ad Baptiſmum. 797. 1

CAVSÆ Incarnationis. Vide Incarnationis cauſa effectiua, Finis, Meritum.

Cauſæ paſſionis Chriſti quæ fuerint. 553. & deinceps.

CAVSALITAS phyſica & moralis quæ ſit. 672. 2. Quænam conueniat Sacramentis ad conferendam gratiam. ibidem & deinceps.

CENSVRA per abſolutionem tollenda priùs eſt, ad dignam ſacramentorum ſuſceptionem. 929. 2.

CHARACTER in anima non imprimebatur per vetera ſacramenta. 684. 1. Imprimitur per noſtra ſacramenta, Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem. col. 2. Non per alia quatuor. 685. 2. Per illa tria ſemper imprimitur, dum validè ſuſcipiuntur, nec vllo obice impeditur. 686. 1. Eodem cauſalitatis genere confertur, ſicut gratia. ibid. Eſt in omnibus æqualis. ibid. Semel impreſſus nunquam deletur. ibid. Permanet etiam in anima ſepa-

Digitized by Google

rata, & in Beatis ac Damnatis. col. 2. Eſt inferior effectu gratia. ibid. Eſt quodammodo magis intentus. 687. 1. Dici poteſt in Baptiſmo præcedere gratiam. ibidem.

Character eſt quadã realis forma. 687. 1. Spiritualis & ſupernaturalis.ibid. Eſt res & ſacramentum ſimul. ibid. Non eſt prædicamentalis relatio, ſed qualitas. col. 2. Non tamen ſuſcipit magis & minus. ibid. Non habet diſponere ad gratiam. 688. 1. Habet conſignare animam. ibid. Eſt poteſtas quædam, vel activa, vel paſſiva. ibid. Non phyſicè, ſed moraliter. col. 2. Spectat ad ſecundam vel quartam ſpeciem qualitatis. 689. 1. Videtur immediatè in eſſentia animæ inſidere. 690.

Character imprimitur per Baptiſmum, & reddit hominem capacem aliorum ſacramentorum. 805. 1. Imprimitur etiam in homine indiſpoſito. 806. 1. Non ſe habet vt forma inducens gratiam. 807.2

Character imprimitur per Confirmationem. 849. 2. Etiam in eo qui indignè ſuſcipit. ibid. Non conficit vnum cum baptiſmali. 850. 1.

CHARITATIS *præceptum obligat adultos, circa ſuſceptionem Baptiſmi ad actum dilectionis Dei. 801.2*

CHRISMA. *Vide Confirmationis ſacramentum.*

CHRISTVS *eſt vna perſona, ſimul Deus & homo. 22. 2. Habens duas naturas, diuinam & humanam. 25. Dicitur perſona diuina & humana. 28. 2. Ex Diuinitate & humanitate compoſita. 31. Abſque alia tertia entitate. 33.1*

Chriſtus habuit verum corpus terreſtre & animam rationalem. 81. 2 Vide Corpus Anima. Dicitur finis aliarum rerum. 105. 2. Dicitur præcedere alijs rebus. 113. 1. Dicitur fundamentum. col. 2. Fuit prædeſtinatus ante alios homines. 114. 1. Paratus eſſet iterum pati 117. 1. An meruerit ſuam incarnationem. 117. & deinceps. Fuit Sanctus per eandem hypoſtaticam vnionem. 141. 1. Habuit etiam gratiam, virtutes, & dona. Vide Gratia, Virtutes, Dona.

Chriſtus eſt verè caput Eccleſiæ. 151. 1. Dicitur caput ſpecialiter reſpectu rationalium creaturarum. col. 2. Non dicitur caput Damnatorum. 152. 1. Eſt caput Angelorum & hominum. col. 2. Eſt caput ſecundùm corpus & animam. 153. 1. Habuit humanum intellectum. 155. 2. Et ſcientiam. Vide Scientia. Et voluntatem. Vide Voluntas. Potentiam. Vide Potentia. Erat impeccabilis. Vide Peccatum.

Chriſtus eſt Deus & homo, eſt propoſitio vera, & per ſe. 230. 1. Non poteſt dici reduplicatiuè inquantum Deus eſt homo, & è conuerſo. col. 2. Nec adiectiuè eſt diuinus & humanus. 232. Nec factus eſt Deus & homo. 233. 1. Nec in abſtracto eſt Diuinitas & humanitas. col. 2. Benè de illo dicuntur diuina & humana prædicata, quamuis aliàs inter ſe oppoſita. 234. An dici poſſit Chriſtus eſt creatura. 235.1

Chriſtus præter exiſtentiam diuinam, etiam humanam habebat. 236. & deinceps. Dici debet habere duplex eſſe exiſtentiæ. 240. 1. Abſolutè loquendo vnum eſſe. col. 2. Dici debet vnus, non plures. ibid. Dici non debet duo & plura. 241. 2. Habebat diuina & humana attributa inconfuſa. 243. Eius humanitas non eſt vbique. col. 2. De eo affirmantur vtraque attributa in concreto. 244. 1. Non in abſtracto. col. 2.

Chriſtus præter operationes diuinas habuit etiã humanas. 246.2. Vide Operationes Chriſti.

Chriſti meritum. Vide Meritum Chriſti.

Chriſti ſatisfactio. Vide Satisfactio Chriſti.

Chriſti ſeruitus, ſubiectio, oratio, ſacerdotium, adoptio, filiatio, prædeſtinatio, adoratio. Vide iiſdem verbis.

Chriſtus fuit Mediator inter Deum & homines, Pontifex & Fundator Eccleſiæ, Rex, & Monarcha, & Dominus. Vide eiſdem verbis.

Chriſtus habuit humanum corpus per veram conceptionem ex B. Maria. 421. Conceptus fuit abſque opera viri. 422. 2. Qualiter dicatur conceptus ſpecialiter virtute Spiritus ſancti. 424. 2. Conceptus fuit in inſtanti. 425. Quare conceptus fuit ex Virgine deſponſata viro. 427.2

Chriſtus verè deſcendit ex genere Abrahæ & ſtirpe Dauid. 433. 2. An participaret de tribu Leui. 434. 1. Quæ fuerit tota eius Genealogia. Vide Genealogia.

Chriſtus ex primo conceptionis inſtanti habuit perfectum vſum rationis, plenitudinem gratiæ, & claram viſionem Dei. 449 2. Nouem menſibus manſit in vtero matris. 450. 1. Qualiter tanto tempore manſerit. col. 2.

Chriſtus natus poſtea fuit ex B. Maria. 451. 1 Conuenienti loco. col. 2. Conuenienti tempore. ibid. Quo propriè anno natus ſit, & quo poſtea baptizatus. 452. & ſequenti. Natus fuit ex matre permanente virgine.

Digitized by Google

454. 2. *Pluribus modis id fieri poterat.* 455. 2. *Quonam modo id factum ſit.* 456. 1. *Abſque dolore matris.* 457. 1. *Conuenienti manifeſtationis ordine.* col. 2.

Chriſtus fuit verè & propriè filius B. virginis. 458. 1. *Habuit veram & propriam relationem filiationis ad matrem.* 461. 1. *Etiam ſi dicantur relationes à rebus diſtingui.* col. 2. *Per hanc relationem debebat denominari filius matris.* 462. 1. *Dici adhuc debet vnus filius, vnus natus.* 462. 2

Chriſtus circumciſus verè fuit. 509. 1. *Licitè & conuenienter.* col 2. *Octaua die à natiuitate.* 510. 1. *Eodem loco in quo natus erat.* col. 2. *Vel à S. Ioſeph, vel à B. Maria.* 511. 1. *Non oportebat cultro lapideo.* 511. 1. *Eius præputiū fuit tunc ac deinceps reuerenter aſſeruatum.* col. 2. *Eique fuit tunc nomen impoſitū.* 512. *Vide Ieſus.*

Chriſtus oblatus fuit in templo, non ex obligatione, ſed ex voluntate. 515. 2. *Ductus fuit à Ioſeph in Ægyptum.* 518. 1. *Reductus in ciuitatem Nazareth.* 519. 2. *Cùm eſſet annorum duodecim inuentus fuit in templo.* 520. 1. *Quomodo proficiebat ſapientia & gratia.* ibid.

Chriſtus baptizatus fuit à Ioanne, ſed non eodem Baptiſmo Chriſti. 520. 2. *Eodem Iordanis loco quo tranſierāt filij Iſrael.* 521. 1. *Trigeſimo ſuæ ætatis anno.* 521. 2. *Circa initium anni.* 522. 1. *Sexta Ianuarij die.* col. 2. *Conuenientibus rationibus.* 523. 1. *Et conuenienti loco ac tempore.* col. 2.

Chriſtus tunc manifeſtari cæpit à Ioanne, & per cæleſtia ſigna. 523. 2. *Per apertionem cælorum.* 524. 1. *Per deſcenſum Spiritus ſanctè in ſpecie columbæ.* ibid. *Per vocem Patris.* 525. 1. *Quæ apparuerunt toti circunſtanti populo poſt Baptiſmum.* col. 2.

Chriſtus inde ſeceſſit in deſertum, idque ob plures fines. 526. 2. *Ibi ieiunauit per totalem abſtinentiam ab omni cibo & potu.* ibid. *Idque virtute diuina.* 527. 1. *Poſt quadraginta dies eſurijt, nec antea famem aut debilitatem ſenſit.* ibid.

Chriſtus tentatus ſic fuit à Diabolo. 527. 2. *Num præter & ante illas tentationes quæ narrantur in Euangelio, res eſt dubia.* ibid. *Fuit tentatus à Diabolo apparente in forma viſibili, nec poterat tentari interius per ſtimulum concupiſcentiæ.* 528. 1. *Tentatus fuit à Diabolo explorare volente eius diuinitatem.* col. 2. *Tentari voluit Chriſtus ob noſtram vtilitatem.* ibid. *Singulæ tres tentationes explicantur.* ibid. *ac deinceps. Relictus fuit Chriſtus à Diabolo in monte.* 530. 2. *Viſitatus fuit ab Angelis, & ſuis greſſibus redijt in terram habitatam.* 531. 1

Chriſtus deinceps cum hominibus conuerſatus eſt, ijſque prædicauit. 531. 1. *Per plures annos.* col. 2. *Non exceſſit quatuor annos.* 532. 1. *Compleuit tres annos & aliquot menſes.* col. 2. *Conuenienter non elegit vitam nimis auſteram.* 533. 2. *Nec delitioſam & diuitem, ſed pauperem.* ibid. *Aliena ope ſuſtentabatur, & interdum mendicauit.* 534. 1. *Interdum res neceſſarias & pecunias poſſidebat.* ibid. *Habebat propriè earum dominium.* col 2. *Interdum voluit ijs carere.* ibid. *Voluit ſponte, non ex obligatione, ſeruare veterem legem.* 535. 1. *Conuenienter apud Iudæos vitam egit & prædicauit.* col. 2. *Et publicè docuit.* ibid. *Non tamen ſcripto.* 536. 1

Chriſtus plurima miracula fecit, ſed primum in Cana Galilææ. 536. 1. *Conuenienter fecit ad confirmandam ſuam doctrinam.* col. 2. *Erantque ad id neceſſaria.* 537. 1. *Erant valida & vrgentia.* col. 2. *Non efficiebant euidentiā rei in ſe, ſed ſolùm credibilitatis, & apud quoſdam in atteſtante.* 538. 1. *Ad quatuor capita reducuntur.* col. 2.

Chriſtus conuenienter transfiguratus fuit in monte. 538. 2. *Non mutata effigie, ſed claritate fulgente.* ibid. *Et candore ac ſplendore veſtiū* 540. 1. *Apparitione nubis.* ibid. *Voce Patris.* col. 2. *Comitatu Moyſis & Eliæ.* ibid.

Chriſti paſſio qualiter erat neceſſaria. 542. 2. *Quàm conueniens* 543. 1. *Præſertim per crucem.* col. 2. *Paſſus fuit Chriſtus, non in Diuinitate, ſed in corpore & anima.* ibid. *In eſſentia animæ* 544. 1. *In omnibus potentijs.* col. 2. *Omnia genera paſſionum.* 545. 1. *Cum maiori acerbitate doloris, quàm omnes alij homines.* col. 2. *Non verò pœnam Damnatorum.* 546. *Paſſus fuit Chriſtus in Ieruſalem.* 546. 2. *Idq; conuenienter.* 547. 1. *Extra portam.* ibid. *In Monte Caluariæ.* col. 2. *Anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio.* 548. 2. *Die ſolemni Paſchæ.* 549. 2. *Vigeſimaquinta Martij.* 551. 2. *Feria ſexta.* 552. 1. *Hora ſexta.* col. 2.

Chriſti paſſionis cauſa & auctor principalis fuit Deus. 553. 1. *Præordinando vt Chriſtus pateretur, & conſequenter permittendo vt inimici eum perſequerentur.* 554. *Fuit quoque ipſe Chriſtus* 555. 1 *Cauſa proxima fuerunt perſequutores, ex Iudæis, & ex Gentilibus* 556. 1 *Qui omnes per ignorantiam deliquerunt.* 557. *Fuit quoq; Diabolus.* 558. 1. *Effectus q fuerunt.* col. 2.

Chriſti

Chriſti mors pluribus rationibus fuit conueniẽs. 558. 1. *Et vt eſſet extrinſecùs illata.* 559. 1. *Sequuta eſt ui tormentorum & vulnerum.* col. 2. *Per ſeparationem corporis & animæ inter ſe, non à Verbo diuino.* 560. *Nec per deſitionem vllius modi vnionis cum Verbo.* 561. 2. *Sed tunc Verbum deſiſt dici homo.* ibid.

Chriſtus ſepultus verè fuit. 563. *Et conuenienter quoad omnes circumſtantias.* ibid. *Fuit ab omni putrefactionis initio immunis* 564. 1. *Idquè conuenienter.* col. 2. *Quanto tempore in ſepulchro iacuerit.* 565. *Qualiter tribus diebus naturalibus.* 567. 1. *Qualiter tribus diebus artificialibus & tribus noctibus.* col. 2.

Chriſtus verè deſcendit ad Inferos. 568. 1. *Secundùm ſubſtantiam animæ ſuæ.* col. 2. *Quod fuit poſſibile, & conueniens.* 569. 1. *Ibiq; manſit vſque ad reſurrectionem.* col. 2. *Nullam ibi ſuſtinuit pœnam, nec ſatisfactionem exhibuit.* 570. 2. & *ſeq. Deſcendit ad ſinum Abrahæ, & animas Sanctorum eduxit.* 572. 2. *Statim illis gloriam contulit.* 574. 1. *Nullos Damnatos liberauit.* col. 2. *Nec ad Infernum Damnatorum deſcendit.* 575. 1. *Nec pueros cum ſolo originali defunctos, nec ad eorum Limbum deſcendit.* col. 2. *Videtur liberaſſe aliquas, ſed non omnes animas Purgatorij.* 576. 2. *Omnes ſaltem lætificauit.* 577. 1. *Et fortaſſe per præſentiam viſitauit.* col. 2.

Chriſtus vere reſurrexit. 578. 1. *Eratquè id neceſſarium.* col. 2. *Reſurrexit in aurora diei poſt ſabbatum.* 566. 2. *Qualiter ſurrexit tertia die poſt mortem.* 567. 1. *Reſurrexit primus ad vitam immortalem.* 579. *An ſimul cum eo reſurrexerint quidam alij Sancti.* 580. *Reſurrexit propria virtute diuina.* 581. 1. *Non virtute inſtrumentali humanitatis.* col. 2. *Nec miniſteriali animæ in colligendis partibus ſeu reliquijs corporis.* ibid. *Sed morali per modum meriti.* 582. 2.

Chriſtus reſurrexit in ſtatu naturali corporis perfecto. 582. 2. *Cum ſuo ſanguine & alijs humoribus.* ibid. *Et cum partibus ſpectantibus ad ornatum corporis.* 583. 1. *Non reſumpſit ſed refecit particulam olim in circunciſione abſciſſam.* ibid. *An reſumpſerit totum ſanguinem effuſum.* col. 2. *Retinuit vulnerũ cicatrices & aperturas.* ibid. *Retinuit omnes potentias naturales & vitales.* 584. 1. *Sed non exercuit operationes vegetatiuas.* col. 2. *Qualiter verè comedit.* 585. 1. *Exercebat ac deinceps in cæleſti gloria exercet operationes ſenſitiuas.* col. 2. *Per ſingulos ſenſus.* 586.

Chriſtus reſurrexit in ſtatu corporis glorioſo. 587. 2. *Præſertim cum quatuor prærogatiuis, quæ in alijs Beatis appellantur dotes, non in Christo.* ibid. *Quæ ſunt Impaſſibilitas, Agilitas, Subtilitas, Claritas.* 588. 1. *Vide ijſdem verbis.*

Chriſtus quare non reſurrexit coram populo, ſed poſtea manifeſtauit ſuam reſurrectionem alijs medijs. 598. 1. *Manifeſtauit per Angelos ad mulieres.* col. 2. *Per mulieres ad Apoſtolos.* 599. 2. *Et per varias ſuas apparitiones.* 600. 2. *ac deinceps.*

Chriſtus in cælum aſcendit. 604. 2. *Idquè prorſus conueniebat.* ibid. *Aſcendit ſecundùm naturam humanam, & aliquo modo etiam ſecundùm diuinam.* 605. 1. *Aſcendit virtute diuina, ac etiam humana glorioſa.* col. 2. *Aſcendit è Monte Oliueti.* 606. 1. *Quadrageſimo à reſurrectione die.* col. 2. *Fortaſſe nona diei hora.* ibid. *Aſcendit viſibiliter motu ſucceſſiuo.* ibid. *Secum duxit Sanctos è Limbo extractos.* 607. 1. *Peruenit ad ſummum cælum.* col. 2. *Obtinet ſupremum locum, etiam ſupra omnes Angelos.* 608 1

Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Patris. 608. 1. *Quomodo intelligatur.* col. 2. *De Chriſto vt Deo.* ibid. *De Chriſto vt homine ratione hypoſtaticæ vnionis.* 609. 1. *Et ratione eximiæ gloriæ ac poteſtatis.* col. 2. *Quomodo dicatur ab initio,* ibid. *Quomodo poſt aſcenſionem.* 610. 1. *Quomodo id ſit ei proprium, vel extendatur ad alios Sanctos.* col. 2.

Chriſtus miſit ad ſuos diſcipulos Spiritum ſanctum. 611. *Eodem die Pentecoſtes Iudæorum.* 612. *Num eodem die datæ olim legis.* 613. 2. & *ſeq.*

Chriſtus vt homo habet Iudicis officium & poteſtatem. 616. *Iudicabit in fine mundi omnes adultos.* 617. 2. *Rectè dicitur iudicaturus viuos & mortuos.* 618. 1. *Iudicabit etiam paruulos.* 619. 1. *Et quoad aliquid etiam Angelos.* ibid. *Non quoad præmium & ſupplicium eſſentiale.* col. 2. *Iudicat quoq; nunc ſucceſſiuè ſingulos homines in morte.* ibid. *Non iudicabat antequam eſſet in ſtatu glorioſo.* 620. 1. *Nec iudicat nunc per corporalem deſcenſum, ſed per prolationem ſententiæ.* ibid. *Exercet denique iudicium quoad aliqua præmia & ſupplicia in vita hominum.* ibidem.

Chriſtus quomodo ſit cauſa noſtræ reſurrectionis. 627. *Per ſuam paſſionem, ac per ſuam reſurrectionem.* 628. & *ſeq.*

Chriſtus inſtituit legis euangelicæ ſacramenta. 692.

692. *Per voluntatem ſuam humanam. col. 2.*

Chriſti invocatio ſola, nunquam ſufficiebat ad Baptiſmum. 759. 1. Sed ſimul cum invocatione perſonarum Trinitatis. 760 1

CICATRICES *vulnerum retenta fuerunt in corpore Chriſti glorioſo. 583. 2. Idquè ob plures convenientia rationes.* 584 1

CIRCVNCISIO *Chriſti. Vide Chriſtus circuncìſus.*

Circunciſio poterat fieri quolibet loco. 510. 2. A quolibet miniſtro, etiam à feminis. 511. 1. Quolibet inſtrumento, & non ſolùm lapideo. ibid. Simul cum illa ſolebat infantibus nomen imponi. 512. 1

Circunciſio inſtituta fuit ante legem ſcriptam, in remedium originalis peccati. 658. 1. Non fuit indicta ſub pracepto omnibus populis. 660. 1. Inducebat obligationem ſeruandi legem. col. 2.

Circunciſio non imprimebat characterem in anima, ſed per ſe erat quidam character in corpore. 684. 1

Circunciſio verè habebat vim remittendi originale peccatum in parvulis. 818. 2. Num ad id eſſet principaliter inſtituta, vel ad conſignandum populum. 819. 1. Conferebat ſanctificantem gratiam, eiuſdem rationis ac Baptiſmus. ibid. Sed non tantam, nec alia auxilia, nec aperiebat ianuam regni caleſtis. 820. 1. Nec augebat gratiam in homine iuſto. ibid. Nec ſimpliciter iuſtificabat adultos. 821. 2. Erat neceſſaria parvulis in populo hebraeo, per ſe loquendo. 823. 1. Non debebat ante octauum diem praveniri. col. 2. Non erat iterabilis. ibid. Cur non fuerit adhibita populo peregrinanti in deſerto. 824. 1

Circunciſio non erat tantùm ſignum gratia. 824. 2. Aut fidei. 825. 1. Non erat tantùm conditio. col. 2. Non requirebat miniſtri fidem ad ſui effectum. 826. 2. Non differt à Baptiſmo per cauſalitatem moralem & phyſicam. 827. 1. Non per miſericordiam & iuſtitiam Dei. ibid. Non per modũ conferendi gratiã diverſum ab opere operato. col. 2. Sed conferebat propriè ex opere operato. ibid. Non tamen ex propria & nova inſtitutione, ſed ex communi ratione antiqui remedij. 828. 2. & ſeq. Et multùm adhuc deficiebat à Baptiſmo. 830

CLARITAS *in transfiguratione Chriſti, erat tantùm in externa ſuperficie vultus, & manuum, ac fortaſſe pedum. 539. 1. Erat eiuſdem rationis cum claritate gloria. ibid. Dici debet pro tunc miraculoſa. col. 2. Habuerat quoque eandem cum illa cauſam, ibid. Redundavit ſimul in veſtes. 540. 1. Et in nubem. ibid.*

Claritas convenit Chriſto *in ſtatu glorioſo, & alijs Beatis. 594. 2. Convenit ab intrinſece. 595. 1. In ſuperficie, non in profunditate. col. 2. Eſt eiuſdem rationis cum naturali luce. 596. 1. Maior tamen luce Solis. ibid. Poteſt ab ijs ad libitum occultari. col. 2. Erit inaqualis inter* Beatos. 597. 2

CLEOPHAS *an fuerit idem cum Alphae. 465. 2. Fuit pater eorum qui dicebantur fratres Chriſti, ibid.*

CLERICI *tenentur eſſe confirmati. 859. 2. Idquè ſub mortali.* 860. 1

COGNATIO *ſpiritualis, eſt coniunctio quadam impediens ac dirimens matrimonium. 778. 2. Dat ſpeciem ſacrilegij ſeu inceſtus ſpiritualis peccato carnali. ibid. Contrahitur ex Baptiſmi miniſterio. 779. 1. Eam contrahit miniſter baptizans, & patrinus tenens, cum baptizate, & cum eius patre ac matre. ibid. Etiam cum parentibus illegitimis, non cum legalibus. ibid. Inter alias perſonas ſublata eſt. ibid. Eam contrahit etiam baptizans & tenens in Baptiſmo privato. col. 2. Non in Baptiſmo invalido. 780. 1. An in Baptiſmo repetito ob dubium aut opinionum varietatem. ibid. Contrahitur etiam cum parentibus infidelibus. col. 2. Etiam cum miniſtris infidelibus. 781. 2. Nec alias conditiones requirit ut contrahatur. 782. 2. Requirit intentionem faciendi ſacram caremoniam. 783. 1. Num per errorem perſona impediatur. col. 2. Contrahitur etiam per procuratoris miniſterium. ibid. Tunc eam contrahit principalis, non verò procurator.* 784.

COLVMBA *non fuit hypoſtaticè aſſumpta, ſed repraſentavit Spiritum ſanctum. 73. 1. & 52.. 1. Non erat vera & viva columba, ſed tantùm apparens.* 524. 2

COMESTIO *continet duos actus. 584. 2. Quorum primus, & non ſecundus, conveniebat Chriſto in corpore glorioſo.* 585. 1

COMMVNICATIO *Idiomatum in Chriſto. 245.*

COMPATER *& Commater in Baptiſmo. Vide Miniſter alius Cognatio ſpiritualis.*

COMPOSITIO *in Chriſto conceditur. 31. Explicatur 32. Abſque ratione partium. 33. 2. Non admittitur in Deo.* 34. 1

CONCEPTIO *Chriſti. Vide Chriſtus habuit.*

Conceptio B. *Maria ex quo tempore in Eccleſia celebretur. 475. 2. Celebratur ob immunitatem eius ab originali peccato. 476. 1. In eius honorem*

Digitized by Google

honorem inſtitutus eſt quidam Religioſus Ordo. ibid. Conuenienti die celebratur. 481.2
CONDITIO in miniſterio ſacramentorum qualiter poſſit apponi. 699.2
CONFESSIO Sacramentalis non conueniebat B. Virgini. 503.2. Non valeret facta apud Sacerdotem poſt terminum eius iuriſdictionis. 713.2. Non requiritur nec poteſt fieri ante Baptiſmum. 799.2
CONFIRMATIO in gratia, & in omni bono, conceſſa fuit B. Virgini. 499.1. Quanam & qualis ſit. ibid.
CONFIRMATIONIS Sacramentum, non in ſe, ſed in ſuo effectu, conceſſum fuit B. Virgini, ſicut Apoſtolis, in die Pentecoſtes. 503.2
Confirmationis ſacramentum poſſet, ſed non ſolet conferri homini ſenſibus deſtituto. 727.1
Confirmationis ſacramentum verè extat in Eccleſia 842.2. Eratque valde conueniens. 843.1. Fuit immediatè ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum. ibid. Conſtat ex ſua materia & forma. col. 2.
Confirmationis materia proxima eſt vnctio. 844.1. Remota vnguentum vocatum Chriſma. ibid. Confectum ex oleo oliuarum. col. 2. Eſſentialiter etiam ex balſamo. 845.1. Ab Epiſcopo benedictum. 846.1. Excluſa omni diſpenſatione. col. 2. Debet eſſe nouum vnius anni ibid. Ex obligatione præcepti, & non de neceſſitate ſacramenti. 847.1
Confirmationis forma optima eſt, quæ in Eccleſia catholica adhibetur. 847.1. Qualiter ſit per ſingulas particulas neceſſaria. col. 2.
Confirmationis ritus eſſentialis eſt, vt fiat ſub forma crucis, in fronte ſuſcipientis, & manu conferentis. 848.1
Confirmatio ex ſui inſtitutione repeti & iterari non poteſt. 848.2. Poteſt ſub conditione in caſu dubio. 849.1
Confirmationis ceremoniæ. Vide Ceremoniæ pro ſacramento Confirmationis.
Confirmationis effectus ſunt Character & Gratia. 849.2. Alia auxilia propria. 850.1. An maior gratia quàm in Baptiſmo. ibid. Poteſt eſſe prima iuſtificationis gratia. col. 2. Poteſt conferri etiam poſtea recedente fictione. 851.1. Cum quanam diſpoſitione. 852.1
Confirmationis miniſter. Vide Miniſter Confirmationis.
Confirmationem ſuſcipere omnes homines poſſunt 850.2. Suppoſito tamen Baptiſmo. 557.1. Expedit, vt poſt vſum rationis ſuſcipiant. ibid. Confirmari non debent infantes, niſi ex rationabili cauſa. col. 2. Confirmari poſſunt amentes. 558.1
Confirmationem ſuſcipere non tenentur homines ſub mortali. 558.2. Niſi vrgente ſui periculo in fide, aut aliorum ſcandalo. ibid. Nec etiam in mortis articulo. 559.1. Tenentur ſub veniali. ibid. Non tenentur ante Euchariſtiam, nec ante Matrimonium. col. 2. Tenentur ante Clericales ordines & toſuram. ibidem. Idque ſub mortali. 860.1
Confirmationem ſuſcepturi tenentur eſſe in ſtatu gratiæ. 860.2. Non tenentur de peccatis confiteri, ſed ſufficit conteri, melius tamen eſt confiteri. ibidem.
CONFORMITAS cum diuina voluntate quoad actum & quoad obiectum. 201.2. Vtroque modo fuit in voluntate Chriſti. ibid. & deinceps.
CONSTANTINVS Imperator nequaquam diſtulit Baptiſmum ad finem vitæ. 796.2. Sed eius virtute mundatus fuit à lepra. ibid.
CONTRARIETAS intentionis in miniſtro ſacramentorum, quomodo accipienda ſit & quid præſtet. 703.1
CONTRITIO perfecta non eſt neceſſaria, ſed vtilis, in peccatoribus ſuſcepturis Baptiſmum. 801.1. Eſt neceſſaria in iis qui fictè ſuſcepto Baptiſmo in alia peccata prolapſi ſint. 814.2. Similiter in Confirmatione. 852.1
CORPVS Chriſti fuit verum & terreſtre. 81.2. Non fuit priùs tempore conceptum vel vnitũ Verbo, quàm vnitum animæ. 90.2. Ordine dignitatis & intentionis fuit aſſumptum poſt animam. 92.2. Et ordine naturæ ante vnionem cum anima. 93.2
Corpus Chriſti habuit connaturales proprietates & perfectiones 212.1. Habuit paſſibilitatem & alios defectus. 213. Non morbos & ægritudines, col. 2. In reſurrectione fuit glorificatum. ibid. Quomodo ii defectus fuerint in Chriſto neceſſarii, vel voluntarii. 214. In morte permanſit vnitum cum Verbo. 560. Quomodo erat idem viuum ac mortuum. 562.1. Habuit in morte nouam formam cadaueris. col. 2. Vnitam Verbo. ibid. Fuit ſepultum. Vide Chriſtus ſepultus.
Corpora hominum in reſurrectione. Vide Materia, Reſurrectio.
Corporis quæ pars ablui debeat in Baptiſmo. 253. & ſeq.
CREATIO non poteſt exerceri per inſtrumentum creatum. 674.2
CRVX Chriſti duplici ratione eſt adoranda. 403.2. Eius imagines ſunt adorandæ. 404.2.

Cruces

Digitized by Google

Crucis ſupplicium quàm conueniens fuerit ad Chriſti paſſionem. 543.2

Crucis ſignum eſt neceſſarium in ſacramento Confirmationis. 848.1

D

DÆMON *ex ſignis ſuſpicabatur Diuinitatem Chriſti.* 10. 1. *Peccauit, vt aliqui volunt, per inuidiam Incarnationis.* 106. 1. *Ideo ex Bernardo ſolicitauit hominem ad peccatum.* 107.2

Dæmon tentauit Chriſtum in deſerto ad explorandam eius Diuinitatem. 527. 1. *An plures tentationes ingeſſerit.* col. 2. *Apparuit in forma viſibili humana viri grauis.* 528. 1. *Cenſetur fuiſſe Lucifer Princeps Dæmonum.* col. 2. *Quid intendebat in prima tentatione.* 529.1. *Quid in ſecunda.* col. 2. *Quid in tertia.* 530.1. *Qualiter duxit Chriſtum per varia loca.* col. 2. *Tandem victus aufugit.* ibidem.

Dæmones coacti tandem agnouerunt Chriſtum. 538. 1. *Qualiter participauerint in procuranda paſſione Chriſti.* 558.1

DAMNATI *non fuerunt viſitati nec liberati à Chriſto in deſcenſu ad Inferos.* 574. *& ſeq. Sed quodammodo confutati.* 575. 2. *Retinent characterem ſacramentalem in anima.* 886.2

DAVID *Rex fuit verè progenitor Chriſti.* 433.2

DEBITVM *incurrendi originale peccatum, comprehendebat etiam B. Virginem.* 483. *& deinceps. Similiter debitum carendi tota gratia.* 487

DECIMÆ *ad quem Parochum ſpectent.* 718.2

DEFECTVS *corporales qui fuerint in Chriſto.* 212. *Non erant ad noſtram redemptionem neceſſarij, ſed conuenientes.* 214. 1. *Aliqui erant voluntarij, ſed non omnes reſpectu appetitus ſenſitiui.* col. 2. *Omnes reſpectu voluntatis.* ibid. *An etiam liberi in actu primo & in actu ſecundo.* 215. *Defectus ſpirituales animæ non erant in Chriſto.* 219. *& deinceps.*

DELEGATVS *non poteſt ſubdelegare.* 728. 1. *Niſi in certo caſu.* col. 2.

DENARIVS *plumbeus quomodo ſit moralis cauſa ſeu ſignum.* 676.2

DESCENSVS *Chriſti ad Inferos. Vide Chriſtus verè deſcendit.*

DESERTVM *erat prope Iordanem, è quo receſſit Ioannes, & in quod receſſit Chriſtus.* 526.1

DESIGNATIO *perſonarum, eſt neceſſaria ad miniſterium tenendi in Baptiſmo.* 796.1

DEVOTIO *actualis non eſt per ſe neceſſaria ad effectum ſacramenti.* 728. 2. *Sed confert ad abundantiorem effectum.* ibidem.

DEVS *non cogitur ex neceſſitate facere quod optimum eſt.* 18.1

Deus, ſi eſſet vnica perſona, adhuc potuiſſet incarnari. 54. 2. *Abſtrahendo penitus à perſonis non poſſet.* ibid. *In ordine ad perſonas poſſet.* 55.1. *Propriè dicitur incarnatus.* 61.2

Deus tenebatur regere humanam Chriſti voluntatem. 224. 1. *Quomodo ſit capax obligationis.* 225

Deus eſt homo, eſt vera & propria prædicatio. 230. 2. *Ad quod prædicabile ſpectet.* 231.1. *An ſit vniuoca.* col. 2. *Non debet dici, Deus eſt humanus.* 232. *Rectè dicitur Deus factus eſt homo.* 233. 1. *Non, Deus eſt humanitas.* col. 2. *Et de Deo dicuntur humana prædicata.* 234.2

Deus exercet iuſtitiam in acceptanda Chriſti ſatisfactione. 297. 2. *& deinceps.*

Deus fuit principalis cauſa & auctor paſſionis Chriſti. 553. 2. *Ideo permiſit peccatum perſequentium.* 554. 1. *Poteſt & ſolet prætendere finem, ad quem ordinat permiſſionem peccati.* col. 2.

Deus ſolus inſtituit vetera ſacramenta. 691.

Deus non ſupplet defectum intentionis in miniſterio ſacramentorum. 702. 1. *Sed potiùs non permittit.* col. 2.

DEXTERA *in cœlis quid ſignificet.* 608.2

DIABOLVS. *Vide Dæmon.*

DIACONVS *ex iuſta cauſa & Sacerdotis commiſſione poteſt ſolemniter baptizare.* 771. 1. *In caſu neceſſitatis abſente Sacerdote per ſe tenetur priuatim baptizare.* 772.2

DIES *qua paſſus fuit Chriſtus, quænam fuerit.* 549. *& deinceps.*

DIGNITAS *perſonæ operantis magis auget valorem operis, quàm dignitas perſonæ offenſæ grauitatem iniuria.* 285. 2. *&* 287. 2

DILECTIO *beatifica in Chriſto non erat meritoria, nec libera, ſed prorſus neceſſaria.* 253. *Aderat alia libera & meritoria.* 254.2

Dilectio non eſt eadem in nobis erga Chriſti humanitatem ac diuinitatem. 395.1

DILIGENTIA *adhibenda à miniſtro in ſacramentis conferendis quæ ſit.* 730.1

DISCIPVLI *duo euntes in Emmaus, quomodo non agnouerint Dominum ſibi apparentem.* 601. 2. *Iidem ſunt apud Marcum & Lucam.* 602.1

DISPOSITIO *nulla interceſſit ad hypoſtaticam vnionem in humanitate Chriſti.* 74.

Diſpoſitio æqualis vel inæqualis in ſuſcipiente ſacramenta, facit vt æqualis vel inæqualis gratia recipiatur. 666. 2. Aliqua omnino requiritur in adultis, & quænam 728. 2. Quænam requiratur in eo qui ficte ſuſcepit Baptiſmum. 813. 2. & ſeq. Et Confirmationem. 852.

DOLOR *Chriſti in paſſione fuit omnium acerbiſſimus 545. 2. Non tamen in comparatione Damnatorum. 546. Quem habuit de culpa & perditione perſequutorum, ſupponebat permiſſionem peccati.* 554. 2

DOMICILIVM *habitationis & originis quodnam ſit 714. A cuiuſnam paſtore debeant ſuſcipi ſacramenta. Vide Miniſter proprius.*

Domicilium duplex quinam habeant, & à quo miniſtro ſuſcipere debeant ſacramenta. 716. 2

DOMINIVM *eſt aliquid plus quàm ius regium. 416. 1. Conueniebat Chriſto erga omnes res quoad poteſtatem. col. 2. Fuit eo vſus erga res proprias, non erga alienas, niſi quibuſdam raris caſibus. 417. 2. Propriarum rerum habebat verum dominium.* 534. 2

DONA *Spiritus ſancti fuerunt in Chriſto. 144. 1. Etiam quoad actus. col. 2. Etiam donum timoris. ibidem.*

DORMIENS *quis non conficeret ſacramentum. 696. 2. Etiam ſi antecedenter hanc intentionem habuiſſet. 697. 1. Non reciperet effectum Euchariſtia tunc ſibi data.* 727. 2

DOTES *corporis glorioſi vocantur in aliis Beatis, non in Chriſto. 587. 2. Quæ & quales ſint. 588. & deinceps. Fiunt virtute diuina ex debito gloriæ. 597. 1. Quo pacto erunt inæquales inter diuerſos Beatos.* 597. 2

DVBIVM *de Baptiſmo inducit ad illum ſub conditione adhibendum. 762. 2. An etiam in caſu opinionis obliget ad hanc repetitionem.* 763. 1

E

EBRIVS *conficiens ſacramentum, nihil faceret. 696. 2. Etiam ſi antecedenter intentionem conficiendi habuiſſet. 697. 1. Ebrioſus tamen validè conficeret, ſi tunc ſit ſui compos.* 701. 2

EGO, *non eſt particula neceſſaria ad valorem Baptiſmi 757. 2. Eſt de obligatione, non ſub mortali, ſed ſub veniali. ibid.*

EFFECTVS *Paſſionis Chriſti qui fuerint.* 558. 2

Effectus Baptiſmi qui ſint. 808. & deinceps. Confirmationis. 849. 2. & deinceps.

ELIAS, *Eliſeus, & alij, etiam in antiqua lege ſtatum continentiæ obſeruarunt.* 467. 2

Elias cum Moyſe in transfiguratione Chriſti apparuit. 510. 2. In proprio corpore viuus interfuit. 541. 1

ELIPANDVS *quo ſenſu vocauerit Chriſtum ſeruum. 324. Et filium adoptiuum. 363. & deinceps. Cum Neſtorio diuidebat duas perſonas in Chriſto.* 365. 2

EMMANVEL *non erat nomen vſuale Chriſti. 514. 1.*

EPISCOPVS *eſt ordinarius animarum paſtor. 714. Quis ſit proprius ſingulorum. Vide Miniſter proprius. Debet in ſua Diœceſi reſidere. 720. 2. Etiam tempore peſtis. 722. 2. Et Parochis de antidotis prouidere.* 723. 1

Epiſcopus ſolus poteſt benedicere vnguentum Chriſmatis. 846. Eſt miniſter ordinarius Confirmationis. 852. 1. Tenetur certis temporibus hoc ſacramentum miniſtrare. col. 2.

ERROR *non fuit in Chriſto. 219. 2. An eſſe potuiſſet in eius intellectu. ibid. An eſſet in ſenſu. ibidem.*

Error miniſtri circa perſonam vel materiam habilem, non vitiat ſacramentum. 698. 1. Niſi in Matrimonio. ibidem.

Error priuatus de iuriſdictione miniſtri, non ſufficit ad reddendum actum validum. 709. 1. Publicus ſufficit. 711. 1

Error in nominanda perſona, quæ baptizatur, non vitiat Baptiſmum. 757. 2

Error patrini circa perſonam quam tenet in Baptiſmo, an vitiet actum, & cognationem impediat. 783. 2. Similiter circa patrinum qui admittitur. ibid.

EVCHARISTIÆ *Sacramentum frequenter ſumebat B. Virgo.* 503. 2

Euchariſtia ſacramentum poteſt ab eodem confici & ſuſcipi. 693. 2. Poteſt à duobus per partes confici. 694. 1. Non requirit libertatem & intentionem in miniſtro præbente. 697. 1. Obligat ad præmittendam mortalium confeſſionem, non quatenus conficitur, ſed quatenus ſuſcipitur. 705. 2. An obliget ad ſtatum gratiæ, miniſtrum eam præbentem, tangentem, deferentem. 705. 1. Debet præberi & ſuſcipi, etiam cum periculo infectionis tempore peſtis. 722. 2. Conficitur etiam ſi non ſuſcipiatur. 724. 1. Sed refertur ad ſuſcipientes. ibidem. Non ſolet præberi homini ſenſibus deſtituto, ſed conferret illi gratiam. 727. 2. Non conferret homini dormienti vel caſu ſumenti, ibidem.

Euchariſtiam diſpenſans, putare petentes debet dignos, dum oppoſitum ſibi non conſtat 730. 1

Non

Non debet in publico denegare peccatori occulto. ibidem. Indignè per ſe ipſum ſumēs, debet id totum in confeſſione exprimere. 735.2
Eucharistia primum dignitatis inter ſacramenta locum tenet. 739.1
Eucharistia ſuſceptio, nec ſub veniali obligat ad præuiam Confirmationem. 859.2
EVTICHES poſuit vnam naturam in Christo. 25. 1.
EXCOMMVNICATIO miniſtri quando reddat ſacramentum inualidum. 713.1. Impedit ab officio tenendi quempiam in Baptiſmo. 997.2. Sed non reddit actum irritum. 782.2
EXISTENTIA, non ſolùm diuina, ſed etiam humana, verè fuit in Christo. 236. & deinceps.
EXORCISMVS eſt quædam cæremonia præparans ad Baptiſmum. 839. Debet adhuc ſuppleri poſt Baptiſmum, quando antea non potuit adhiberi. 840.2
EXPOSITI Infantes inuenti, quatenus debeāt baptizari. 764 1
EXTREMA VNCTIO non conueniebat B. Virgini. 504. 1. Poſſet per partes à pluribus Sacerdotibus miniſtrari. 694. 1. Debet ex obligatione à Parocho miniſtrari 720. 1. Et vt ab infirmis ſuſcipiatur procurari. col. 2. Non ex obligatione, ſed ex conuenientia tempore peſtis. 722. 2. Poteſt tunc mediante virga ob longa præberi. 723.1. Confertur etiam homini ſenſibus deſtituto. 727.1

F

FEMINA parturiens debebat in antiqua lege purificari cum quodam ſacrificio. 515. 1. Et pro ipſa offerebatur beſtia. 516. 1. Non ratione vllius peccati, ſed potiùs cuiuſdam legalis immunditia. col. 2.
Femina poteſt validè baptizare. 765. 2. An licitè in caſu neceſſitatis præſente aliquo viro. 772. 1. Poteſt tenere aliquem in Baptiſmo. 776. 2.
Feminæ iuuabantur adhuc communi remedio legis naturæ abſque circumciſione apud Hebræos 823. 1.
FICTIO Miniſtri in conficiendo ſacramento, nunquam licet, etiam ex timore mortis. 699.1 Nec in præbenda hoſtia non conſecrata pro conſecrata. ibidem.
Fictio Superioris in concedenda iuriſdictione, nō reddit irritos actus. 713.2
Fictio in ſuſcipiendo Baptiſmo, intelligitur diſpoſitionis defectus, impediens effectum. 806.2. Fictione ſublata per debitam diſpoſitionem, confertur effectus. 807. & ſeq. Non tamen per Baptiſmum remittitur ipſummet fictionis peccatum. 811. 2. Similiter per Confirmationem. 851 2
FIDES non fuit in Christo. 143. 1. Fuit in B. Virgine. 506. 2. Cum euidentia diuinæ reuelationis. 507 1
Fides & probitas miniſtri, non eſt neceſſaria ad valorem ſacramenti. 703. 2. Nec ad effectū. 704. 1. Sed ad licitum miniſterium. 705.1
Fides & probitas ſuſcipientis, non eſt neceſſaria ad valorem ſacramenti. 728.1
Fides eſt diſpoſitio requiſita ad licitam & ſalutarem ſuſceptionem Baptiſmi. 797.1
Fides miniſtri non erat neceſſaria, ad circumciſionis effectum. 826.2
Fides miniſtri, non eſt neceſſaria ad valorem Confirmationis 854. 1. Sed ſimul cum probitate eſt debita ad licitum miniſterium. col 2.
FIGVRA in prædicamento qualitatis non continet characterem ſacramentalem. 689.2
FILIATIO adoptiua. Vide Adoptio.
Filiatio quædam ſpecialis ad Deum tribuebatur populo Iſraelitico. 363.1
Filiatio erga Deum non debet dici de Christo reſpectu totius Trinitatis. 373. Filiatio naturalis dicitur de Christo, vt homine reſpectu Dei Patris. 376.1
Filiatio erga B. Virginem matrem verè de Christo dicitur. 458. 1. Erat vera in Christo relatio. 461. Quomodo conueniebat ſuppoſito & naturæ. 462.2
FILIVS non dicitur propriè ſeruus reſpectu patris. 325.1
Filij Infidelium non ſunt inuitis parentibus baptizandi. 791. & ſeq.
FINIS Incarnationis. Vide Incarnationis finis.
Finis bonus poteſt præintendi à Deo, ad quem peccati permiſſio ordinetur. 554.2
FLAMINIS Baptiſmus, quis ſit. 832. 1. Confert gratiam ex opere operantis. col. 2
FLORVM ſucci non valent ad Baptiſmum. 758. 1.
FOMES peccati non erat in Christo. 218 1. Non fuit in B. Virgine. 491. 2. Non quantum ad vllum inordinatum ſenſualitatis motum. ibid. Non quantum ad vllam morbidam qualitatem, quæ nec in alijs inuenitur. 492. Non fuit per ablationem appetitus ſenſitiui conſumptus. col. 2. Fuit per impreſſionem virtuoſæ qualitatis extinctus. 494. 1. Idquè ab initio in prima eius ſanctificatione. ibid. Et adæquatè quoad omnem partem. col. 2.

F. mes i atura quiſnam ſit. 495. 1. An fuerit in B. Virgine. col. 2.

FORMA quædam intrinſeca per modum habitus, apta eſt compeſcere appetitum ſenſitiuum. 493. 2

Forma Cadaueris de nouo aduenit in corpore Chriſti mortui. 562. 2. Fuitquè aſſumpta à Verbo. ibidem.

Forma & materia ſacramentorum. Vide Materia & Forma.

Forma in prædicamento qualitatis continet ſacramentalem characterem. 689. 2.

Forma Baptiſmi. Vide Baptiſmi forma.

Forma Confirmationis. Vide Confirmationis forma.

FRATRES qui dicuntur Chriſti, quinam fuerint. 463. 2. Non fuerunt filij B. Mariæ. 464. 2. Nec S. Ioſeph. ibid. Nec S. Annæ. 465. 2. Videntur fuiſſe coniuncti Chriſto in tertio conſanguinitatis gradu. ibid.

Fratres non prohibentur tenere fratres in Baptiſmo. 777.1

FRONS debet de neceſſitate inungi in ſacramento Confirmationis. 848.1

FVNDATOR Eccleſiæ fuit Chriſtus. 410.

FVTVRA contingentia quomodo erant nota Chriſto. 170.1

G

GABRIEL Angelus, idem fuit, qui apparuit B. Mariæ, & Zaccariæ, & Danieli. 447.1 Et fortaſſe Chriſto in horto. ibid. Quomodo exponatur hoc nomen. col. 2.

GAVDIVM beatificum ex diſpenſatione diuina non impediebat actum triſtitiæ in voluntate Chriſti. 192.2

GENEALOGIA Chriſti ab Euangeliſtis deſcripta, qualiter ad eum pertineat. 435. Qualiter vtraque inter ſe, & cum veritate concordet. 436. 2. & deinceps. Quot progenitores contineat. 442. & deinceps.

GENERALIS intentio ad quadam ſacramenta ſufficit. 727. 1. Non ad Baptiſmum. col. 2. Nec ad Ordinem. ibid.

GENESIVS Martyr ſincera intentione baptizatus fuit. 701. 2. Etiam ex parte miniſtri, quamuis pagani. 702.1

GENITORIS & GENITI nomina in forma Baptiſmi non ſufficerent ad valorem. 760.1

GENTILES cur adhibiti fuerint in perſequutione Chriſti. 556.1

GLACIES. Vide Nix & Glacies.

GLORIA poterat dari animæ Chriſti à primo inſtanti ex eius meritis. 260. 1. De facto fuit data antecedenter ad meritum. 261. 2. Corpori data fuit ex Chriſti meritis. 244. 1. Angelis non fuit data ex eius meritis. 266. Sed hominibus datur ex meritis Chriſti. 270.

Gloria data fuit B. Virgini ſuper omnes alios Beatos infra Chriſtum. 507.2

GRÆCI habent legitimam baptizandi formam. 576. 2. Peccarent vtendo forma Latinorum. 757.1

GRATIA ſanctificans verè fuit in Chriſto. 141. 2. Ab initio ex vi hypoſtatica vnionis. 142. 1. Fuit etiam auxilians. col. 2. Fuerunt gratiæ gratis datæ. 145. 1. Etiam Fidei col. 2. Etiam Prophetiæ. ibid.

Gratia Chriſti non erat phyſicè infinita. 146. 2. Erat quodammodo moraliter. 147. 2. Non erat maxima poſſibilis. 148. 2. Erat maxima præ omnibus Angelis & hominibus, etiam collectiuè. 149. 1. Ab initio fuit talis, nec vnquam aucta. col. 2.

Gratia capitis in Chriſto eſt eadem gratia eius in ſe. 153. 2. Vnomodo eſt eadem gratiæ vnionis. ibid. Magis propriè eſt eadem gratiæ habitualis. 154. 1. Sumi poteſt cum collectione aliorum habituum & auxiliorum. col. 2.

Gratia an data fuerit Chriſto, Angelis, & hominibus, ex meritis Chriſti. Vide Meritum.

Gratia etiam ſi eſſet poſſibilis infinita, non valeret compẽſare de condigno grauitatem peccati. 313.2

Gratia tota deperdita fuit per lapſum Adami. 487.

Gratia ſanctificans quando data fuerit B. Mariæ. 469. & deinceps.

Gratiæ gratis datæ fuerunt etiam ei conceſſæ. 506. 1.

Gratia per ſacramenta confertur. Vide Sacramenta nouæ legis. Cum charactere comparatur. 686. 2. Conferebatur per antiquum remedium, eiuſdem rationis ac per Baptiſmum. 819. 1. Non augebatur in homine iam iuſtificato. 820. Vide Circunciſio.

Gratia tota in quolibet homine, eſt vna per intenſionem. 850. 1. Datur maior in Confirmatione quam in Baptiſmo. ibidem.

GVSTVS quomodo locum habere poterit in Beatis. 586.1

GVTTA aquæ an ſufficiat ad Baptiſmum. 754.2

HABI-

Digitized by Google

H

HABITVALIS intentio non ſufficit ad miniſterium ſacramenti. 699. 1. Sufficit ad ſuſceptionem. 727.1

HABITVS ſcientiæ infuſæ in Chriſto non requirebatur per modum intellectus agentis. 177. 2. Nec ad repræſentandam exiſtentiam rerum. ibid. Sed propter obiecta ſupernaturalia. ibid. An eſſet vnus vel multiplex.178.2. Erat diſtinctus ab habitu luminis gloriæ. 179. In ſcientia acquiſita erant plures habitus, ſed non quot in nobis. 188.1

Habitus vitij non poterat eſſe in Chriſto. 228

HÆRETICI valide conferunt ſacramenta. 704. 1

Hæretici baptizati non rebaptizantur. 928. 1. Nec inter eos nati, niſi occurrat ratio dubitandi. 763.2

Hæretici, Schiſmatici, & Apoſtatæ, arcentur ab officio tenendi quempiam in Baptiſmo.775.2. Sed ſi teneant, faciunt actum validum, & cognationem contrahunt. 782.2

Hæretici quomodo dicantur reconciliari per impoſitionem manuum. 849.1

HEBRÆI ſoli deſcendentes ex Iacob adſtringebantur lege circuncifionis. 823. 2. Vide Iudæi.

HELIAS. Vide ELIAS.

HERBARVM ſucci non valent ad Baptiſmum. 751. 1.

HERODES inſidians Chriſto iuſſit infantes occidi. 518. 1. Regnauit trigintaſeptem annis. col. 2. Diſtribuit regnum in partes filijs ſuis. 519.1

Herodes filius dictus Antipas ſucceſſit in Tetrarchia Galilææ. 519 1

HOMO eſt Deus, eſt vera & propria prædicatio. 230. 2. Ad quod Prædicabile ſpectet. 231.1. An ſit vniuoca. col. 2. Non debet dici homo diuinus. 232. Nec homo factus eſt Deus.233 1. Nec homo eſt diuinitas. 233. 2. Sed de homine dicuntur diuina prædicata. 234.1

Homines prædeſtinati ſunt ex meritis Chriſti. 269. 2. Gloriam & gratiam habent ex meritis Chriſti. 270. & deinceps. Etiam qui præceſſerunt ante Chriſtum. 277. Pro ijs ſatisfecit Chriſtus. 281. & deinceps.

Homines omnes ſubdentur iudicio Chriſti. 617. 2. & ſeq. Iudicantur etiam ſinguli in morte. 619. 2. Et quoad aliquos effectus in vita. 620. 1.

Homines omnes in fine reſurgent.621.1. Omnes ante a morientur. 62?. 1. Non omnes in cineres reſoluentur. col. 2. Vide Reſurrectio omnium hominum.

Homines ſoli poſſunt ſacramenta conficere. 695. 1. Et ſuſcipere. 724.2

HORA qua paſſus fuit Chriſtus quænam fuerit. 552.

HOSPITES poſſunt in quocunque loco ſuſcipere ſacramenta neceſſaria. 716.1. Non verò contrahere matrimonium. ibid. In qua Parochia debeant ſepeliri. 718.1

Hoſtium infidelium filij iuſto bello capti, an ſint baptizandi, vel parentibus reſtituendi. 793. 1.

HVMANÆ natu[illegible] valde conueniens Incarnatio. 12. 2. [illegible] reparationem. 13. & 14. Tota natu[illegible] quo ordine fuerit aſſumpta cum partib[illegible] 95.

HVMANITAS Chriſti quomodo miracula faciebat. 207. & deinceps. Non eſt vbique. 243. 2. Non influit phyſicè in ſacramenta. 663. 1.

HVMORES corporis aſſumpti fuerunt à Verbo in Chriſto. 84. 1. Reſumpti cum ſanguine fuerunt à Chriſto in reſurrectione. 582.2

HYPOSTASIS vna in Chriſto, idem cum perſona. 23.2

HYPOSTATICA vnio. Vide Vnio.

I

IACOBVS qui dicitur frater Chriſti, quinam fuerit. 463.2

IACOBVS ET IOANNES, filij Zebedei, quomodo potuerint dici fratres Chriſti, eſſeque ei ſanguine coniuncti. 466.1

IDIOMATVM Communicatio in Chriſto. 245

IECHONIAS in Chriſti Genealogia quiſnam fuerit. 445.2

IEIVNIVM Chriſti in deſerto. 526.2

Ieiunium non eſt de præcepto in conferente & ſuſcipientibus Confirmationis ſacramentum. 849. 2.

IEREMIAS Propheta ſanctificatus fuit in vtero matris. 469. 2.

IERVSALEM Ciuitas conuenienter electa fuit ad paſſionem Chriſti. 547. 2. Quomodo ſit in medio Orbis. ibid.

IESVS nomen fuit Chriſto in circunciſione impoſitum. 512. 1. Qualiter ſe habeat in idiomate hebræo. col.2. Qualiter in idiomate græco. 513.1. Fuerat quibuſdam alijs hominibus commune. col.2.

IGNIS in apparitione Spiritus ſancti, non erat verus, ſed tantùm apparens. 524.2

IGNORANTIA non fuit in Chriſto. 219. 1. Potuiſſet eſſe. col. 2.

Igno-

Ignorantia perſequutorum Chriſti fuit valde culpabilis. 552.

IMAGINES Chriſti ſunt adoranda. 403. 2. *Etiam crucis & aliorum paſſionis inſtrumentorum.* 404. 2

IMMERSIO in aqua non eſt neceſſaria ad Baptiſmum. 752. 2. *Sufficit vnica. ibid. Valet etiam ſi non ſequatur emerſio.* 753. 1

IMPASSIBILITAS conuenit Chriſto in ſtatu glorioſo, & omnibus Beatis. 588. 1. *Per quidam formam ſeu qualitatem intrinſecam corpori.* 589. 1. *Non tollit inæqualitatem inter Beatos.* 597. 2.

IMPECCABILITAS [illegible] *Chriſto conueniebat ratione hypoſtaticæ vnionis & beatitudinis.* 198. 2 *Cum libertate conſiſtebat. ibidem & deinceps.*

Impeccabilitatis donum non conueniebat B. Virgini in hac vita. 499

IMPOSITIO Manuum olim denotabat Confirmationis ſacramentum. 843. 1. *Non ſine vnctione & verborum prolatione.* 844. 1

INCARNATIO erat poſſibilis. 5. 1. *Non poterat naturali lumine demonſtrari.* col. 2 *Nec etiam ab Angelico intellectu.* 6. 2. *Poteſt per negationem repugnantiæ cognoſci & defendi. ibid. Et probabiliter ſuaderi.* 7. 1. *Et ex illuſtratione diuina euidenter dignoſci.* col. 2. *Facta fuit in Chriſto.* 8. 1. *Conſtat ex fundamentis Chriſtianæ fidei. ibid. Ex veteri & nouo teſtamento. ibid. & col.* 2. *Non poterat id naturali lumine deprehendi.* 9. *Nec ab Angelico intellectu.* 10. & 11

Incarnatio fuit Diuinæ bonitati conueniens. 12. 1. *Et ad Diuinam gloriam.* col. 2. *Non erat connaturalis humanæ naturæ, ſed valdè conueniens. ibid. Maximè ad eius reparationem.* 13. & 14. *Non erat in ſe neceſſaria, nec ad dictam reparationem.* 16. *Sed ad perfectum modum reparationis.* 17. *Conuenienti tempore facta eſt.* 20. 1

Incarnationis nomen & ratio. 21. *Non eſt facta per coniunctionem duarum perſonarum.* 22. 2. *Non per ſolam beneuolentiam & aſſiſtentiam.* 23. 1. *Non per vnitatem naturæ.* 25. *Sed per aſſumptionem humanæ naturæ ad perſonam diuinam.* 27. 2. *Per poſitiuam vnionem.* 35. 2. *Vide Vnio.*

Incarnationis cauſa efficiens fuit ſolus Deus. 97. *Quoad omnes tres perſonas.* 98. *Inſtrumentalis nulla interceſſit.* 99. 2

Incarnationis finis quoad aſſumptionem naturæ creatæ fuit gloria Dei; quoad determinationem humanæ naturæ fuit noſtra redemptio. 101. *& deinceps. Homine non peccante Deus non aſſumpſiſſet humanam naturam.* 108. & 109. *Aſſumpſiſſet aliquam.* col. 2. *Determinatio humanæ naturæ fuit poſt præuiſionem peccati & decretum redemptionis.* 112. 1. *Prædefinitio aſſumptionis fuit ante.* col. 2. *Magis principaliter ordinata fuit incarnatio in remedium peccati originalis quàm actualium.* 114. 2. *Poſt præuiſionem originalis, ante præuiſionem actualium.* 115. 2. *Statim poſt præuiſum lapſum Adami.* 116. 1

Incarnationis meritum nullum præceſſit, ex parte Chriſti. 117. *Nec de potentia abſoluta poterat.* 119. 1. *Nec quoad exequutionem.* col. 2. *Nec ſequi poterat.* 121. *Quoad continuationem & extenſionem dari poterat.* 123. 2. *Quoad reparationem vnionis de facto admittitur.* 124. 1. *Et quoad alias circumſtantias.* col. 2. *Nec ex parte antiquorum Patrum dari poterat de condigno.* 125. *Potuiſſet de congruo.* col. 2. *Sed non de facto.* 126. *Nec etiam quoad exequutionem.* 127. *Potuiſſet quoad determinationem humanæ naturæ.* 128. 1. *Potuit ac de facto conceditur quoad circumſtantias.* 129. 2. *Ex parte B. Virginis. Vide Beata Maria Virgo meruit.*

INFANTES omnes, etiam qui in maternis vteris mortui fuerint, in fine reſurgent. 622. 2. *Vide Pueri.*

Infantes intra matris vterum, non ſunt ſacramenti capaces. 725. 1

Infantes nati, ſunt ſacramenti capaces. 725. 2. *Non indigent intentione ſuſcipiendi ſacramentum.* 726. 1

Infantes ſine Baptiſmo ſaluari non poſſunt. 745. 1

Infantes qui inueniuntur expoſiti, quatenus baptizandi ſint. 764. 1. *Et qui ab infidelibus abrepti fuiſſent.* col. 2.

Infantes qualiter ſint Baptiſmi capaces, & conuenienter baptizentur, & an inuitis parentibus baptizari poſſint. Vide Baptiſmus. Sunt etiam Confirmationis capaces. 856. 2. *Sed minùs conuenienter tunc confirmarentur.* 857. 1. *Ex rationabili cauſa laudabiliter poſſent.* col. 2.

INFERI verè viſitati fuerunt ab anima Chriſti. 568. *Quot & quæ ſint Inferorum loca.* 571. 2 *Quo ordine diſponantur.* 527. 1. *Ad quænam anima Chriſti deſcenderit. deinceps.*

INFERNVS Damnatorum eſt infimus locus, non tamen in centro mundi, ſed circa magnam quandam terræ partem. 572. 1. *Non*

Digitized by Google

fuit à Chriſto per præſentiam viſitatus. 575. 1.
INFIDELES quomodo dicantur iam iudicati. 618. 1.
Infideles ob ſolam generalem voluntatem ſeruandi præcepta, non ſunt Baptiſmi capaces. 727. 2. Si baptizarentur ex ſola intentione faciendi quod faciunt Chriſtiani, validum reciperent Baptiſmum. 728. 1
Infideles non baptizati, poſſunt validè baptizare. 785. 2. Illicitum grauiter eſſet, id eis permittere præſente Fideli aliquo. 771. 2. Num inter eos & Fideles ſpiritualis cognatio contrahatur. 780. 2. & ſeq.
Infideles extra Eccleſiam conſtituti, non ſunt ad fidem cogendi. 788. 1. Nec eorum filij ipſis inuitis baptizandi. 791. & ſeq.
INNOCENTIÆ ſtatus non indigebat ſacramentis. 656. 2. Potuiſſet tamen habere. 657. 1
INNOCENTES pro Chriſto occiſi, hoc titulo coluntur vt Sancti & Martyres. 833. 2
INSTRVMENTA Paſſionis Chriſti ſunt adoranda. 404. 1. Ceſſerunt in honorem Chriſti. ibid.
INTENTIO exercendi & conficiendi ſacramenta in miniſtro requiritur. 696. 2. & deinceps. Vide Miniſter habere debet. Quatenus in ſuſcipientibus requiratur. Vide Sacramenta non in omnibus. An in patrino tenente ad Baptiſmum etiam requiratur. 783. 1
IOACHIM pater B. Mariæ non fuit de tribu Leui, ſed Iuda. 435. 1. Videtur idem qui à Luca nominatur Heli. 440. 1
IOANNES Baptiſta ſanctificatus fuit in vtero matris. 469. 2. Habuit tunc vſum rationis. 470. 1. Prædicabat & baptizabat apud Iordanem. 520. 2. Baptizauit ibi Chriſtum. ibidem. Vide Chriſtus baptizatus. Quomodo eum cognouit & manifeſtauit. 526. 1
Ioannis Baptiſmus. Vide Baptiſmus Ioannis.
IORDANIS fluuius fuit locus conueniens ad Baptiſmum Chriſti à Ioanne. 523. 2
IOSEPH fuit ſponſus B. Mariæ. 428. 1. Fuit ætatis prouectæ, ſed non valde ſenex. ibidem. Videtur obijſſe ante annum trigeſimum Chriſti. ibidem. Et reſurrexiſſe cum Chriſto. ibid. Excellit fortaſſe ſupra omnes alios Sanctos. ibid. Contraxit verum matrimonium cum Maria col. 2. Sub conuentione ſeruandi caſtitatem. 431. 1. In eius domo facta fuit annunciatio Mariæ & conceptio Chriſti. 432. 2. Poſt regreſſum à domo Eliſabeth fuit admonitus & inſtructus ab Angelo. 450. 2. Nullos habuit filios, ſed fuit ſemper virgo. 464. 2.
Ioſeph vel Maria circuncidit Chriſtum. 511. 1. Et impoſuit illi nomen Ieſus. 512. 1. Simul cum Maria detulit & obtulit illum in templo. 514. 2. Rediit in ciuitatem Nazareth, & admonitus ab Angelo ſeceſſit in Ægyptum, ducens matrem & puerum. 518. 1. Iterum admonitus rediit ac reduxit in terram Iſrael. col. 2. Non in Iudæam timore Archelai. ibid. Sed in Galilæam. 519. 1. Propriè in ciuitatem Nazareth. col. 2. Inde per ſingulos annos pergebat Hieruſalem ad feſtum Paſchatis. 520.
IOSEPHVS qui dicitur frater Chriſti, quinam fuerit. 463. 2
IRREGVLARITAS incurritur à non Sacerdote vſurpante officium ſolemniter baptizandi. 772. 1.
IVDÆIS conueniebat primò manifeſtari Chriſtum. 535. 2
Iudæi quare Chriſtum Gentilibus tradiderint occidendum. 556. 1. Non habebant auctoritatem damnandi quenquam ad mortem. col. 2.
Iudæi in terris Chriſtianorum Principum, non ſubduntur tanquam ſerui Domino, ſed tanquam ciues Regi. 792. 2. Nec eorum filij ſuis ipſis inuitis baptizandi. ibid.
IVDAS qui dicitur frater Chriſti, eſt vnus ex Apoſtolis. 463. 2
IVDEX debet pronunciare pro validitate actus facti ex iuriſdictione probabili. 714. 1
IVDICIARIA Poteſtas verè data eſt Chriſto vt homini. 616.
Iudicij dies quomodo dicebatur ignotus Chriſto. 161. 2
Iudicium vniuerſale fiet à Chriſto in fine mundi. 617. 2. Ad quas perſonas ſe extendet. 618. & ſeq. Particulare fit de præſenti in morte ſingulorum hominum. 619. 2. Quoad aliquos effectus etiam in vita. 620. 1. Poſt Iudicij diem non poterunt ſacramenta confici. 695. 1
Iudicia occulta Dei quæ ſint. 620. 1
IVRISDICTIO miniſtri in Sacramentis. Vide Miniſtri iuriſdictio. Requiritur in Baptiſmo. 770. 1. Non in Confirmatione, attento communi vſu. 854. 2
IVSTI omnes ſunt filij adoptiui Dei. 361. 1
IVSTITIA exercetur à Deo erga Chriſtum. 297. 2. Et à Chriſto erga Deum. 299. 2

LAICVS

L

LAICVS poteſt validè baptizare. 769. 2. Non poteſt licitè præſente Sacerdote, aut Diacono. 771. 2. Non peccaret grauiter præſente alio inferiori Clerico. 772. 1

LAPIDEVS culter non erat ad circumciſionem neceſſarius. 511.

LATINORVM forma in Baptiſmo legitima eſt. 756. 2. Debet ab ijs ex obligatione ſeruari. 757. 1.

LEGATVS Pontificis poteſt ſacramenta in ſua Prouincia miniſtrare. 719. 1

LEVITICVS ordo non conueniebat Chriſto. 246. 1. & 349. 1.

LEX naturalis & æterna obligabat humanam Chriſti voluntatem. 325. 2. Non poſitiua diuina vel humana. 326. 2. & ſeq. Sed ſponte ab eo ſeruata fuit. 535. 2

Lex vetus quo die data à Deo fuerit. 614. 2. Non obligabat omnes populos, ſed ſolùm Hebræos. 794. 4. Noua obligat omnes. ibid.

LIBERTAS in voluntate Chriſti, quomodo cũ impeccabilitate conciliabatur. 197. & deinceps.

LIMBVS Patrum eſt ſupremus inter Inferorum loca. 572. 1. Fuit verè viſitatus à Chriſto. col. 2. Ex eo fuerunt animæ Sanctorum eductæ. ibid. In eodem fuerunt ad beatificam Dei viſionem eleuatæ. 573. 2

Limbus puerorum videtur eſſe ad latus quoddã ſupra Infernum, nec infra nec ſupra Purgatorium. 572. 1. Non fuit viſitatus à Chriſto, nec ex eo animæ puerorum cum originali defunctorum eductæ. 575. 2

LIQVOR nullus qui non ſit naturalis aqua, ſufficit ad Baptiſmum. 750. 2

LOCVS in quo paſſus eſt Chriſtus, quis fuerit, & quàm conueniens. 546. 2. & deinceps.

Locus Chriſti in cælo qualiter ſit ſupremus. 608. 1.

LOTIO pedum facta Apoſtolis à Chriſto, non erat ſacramentum. 738. 2

LVCIFER Dæmonum princeps, cenſetur fuiſſe ille qui tentauit Chriſtum in deſerto. 528. 2

LVMEN Gloriæ in anima Chriſti poſſet à Deo fieri maius. 160. 1. Num ſit principium cognoſcendi ſe ipſum. 179. 2

LVX omnis de facto eſt eiuſdem rationis, etiam corporum Beatorum cum luce naturali. 596. 1.

M

MANIFESTATIO Natiuitatis Chriſti triplex. 457. 2

Manifeſtatio Reſurrectionis Chriſti qualiter facta fuerit. 598. & ſeq.

MARIA VIRGO. Vide Beata Maria.

Maria Magdalena præ alijs commendatur in accesſu ad monumentum Domini. 599. 1. Bis acceſſit, & in ſecundo acceſſu vidit Angelos 600. 1. Poſtea vidit Dominum. ibid. Cur non fuit permiſſa eum tangere. 601. 1

MARTYRIVM ſupplet vicem Baptiſmi, & confert gratiam. 833. 1. Conferebat etiam ante aduentum Chriſti. 834. 1. Iuſtis confert augmentum gratiæ, & ijs qui ſunt in peccato confert primam gratiam. ibid. Remittit omnia peccata, etiam venialia, & totum pœnæ reatum. ibid. Confert copioſam gratiã, ſupra Baptiſmum. col. 2. Confert gratiam ex opere operato, ſed non vt ſacramentum. ibidem. Confert in quodam inſtanti determinato ante mortem. 835. 1. Ita confert vt amitti non poſſit. ibid. Etiam ſi quis per miraculum diutiùs conſeruetur in vita. col. 2.

Martyrium in adultis requirit piam voluntatẽ tolerandi mortem. 835. 2. Requirit catholicam fidem. 836. 1. Requirit tolerantiam mortis pro veritate fidei, vel pro alio virtutis opere. ibid. Requirit carentiam prauæ voluntatis & præſentis peccati. col. 2. Requirit contritionem vel confeſſionem de peccatis præteritis non adhuc remiſſis. 837. 1. Non requirit in eo, qui per inaduertentiam excuſatur. col. 2. Nec etiam attritionem. 638. 1

MATER Chriſti debet hoc & alijs titulis adorari. 405. 1. Non cultu latriæ. col. 2. Sed duliæ ſiue hyperduliæ. 406.

Mater non poteſt pro filio quem in vtero gerit baptizari. 786. 1. Nec in mortis periculo violenter incidi, vt filius extrahatur. 787. 1. Niſi eſſet aliàs ad mortem damnata. ibid.

MATERIA in fine vitæ inuenta, reſtituetur ſingulis in reſurrectione corporibus. 423. 2. Quæ in pluribus fuerat, ex diuina prouidentia diſtribuetur. 624. 1. Quæ deerit, ſupplebitur à Deo. ibid. Quæ diſperſa fuerat, colligetur miniſterio Angelorum. 626. 1

Materia & forma ſacramentorum ſunt res & verba, & ſunt directè de eſſentia ſacramenti. 648. 1. Vide Res & Verba.

Materia Baptiſmi. Vide Baptiſmi materia.

Materia Confirmationis. Vide Confirmationis materia.

MA-

Digitized by Google

MATRIMONIVM ſignificabat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. 110.1

Matrimonium fuit per verba de præſenti verè contractum inter Mariam & Ioſeph. 428. 2. *Potuit contrahi cum propoſito & voto perpetuæ virginitatis.* 429. 2. *Et ſub hac conuentione inter ipſos.* 430. 1. *Habebat adhuc ſuos certos effectus. col. 2. De facto ita contractum fuit. ibid. Contractum prorſus fuit ante conceptionem Chriſti.* 432.2

Matrimonium B. Virginis cum Ioſepho, non erat ab initio ſacramentum. 504. 1. *Poterat deinde tranſire in ſacramentum. ibidem.*

Matrimonij validitas qualiter ab Eccleſia potuit immutari. 650.2

Matrimonium in ſtatu innocentiæ non erat propriè ſacramentum. 657. 1. *Nec in lege ſcripta.* 659.2

Matrimonium inter ſacramenta dicitur conferre minimam gratiam. 666.2

Matrimonij ſacramentum ab iiſdem perſonis conficitur & ſuſcipitur. 694. 1. *Requirit aſſiſtentiam Parochi.* 696 1. *Per errorem perſonæ vitiatur.* 698. 2. *Requirit ſtatum gratiæ in contrahentibus, inquantum ſuſcipiunt, non inquantum miniſtrant.* 706.1

Matrimonium contractum cum iuriſdictione probabili miniſtri aſſiſtentis, debet à Iudice pronunciari validum. 714. 1. *Et eſt licitum.* 723. 2. *Non valet coram Parocho loci tranſitorij.* 716. 1. *Valet coram proprio Parocho in alieno loco.* 717. 1. *Per viam appellationis poteſt iuſſu Archiepiſcopi celebrari.* 719.1

Matrimonium contracturi debent præmoneri vt ſe diſponant. 730.1. *Sed etiã indiſpoſitis non debet Parochus ſuam aſſiſtentiam denegare.* 731. 2. *Nec alter ex contrahentibus tenetur deſiſtere. ibid. Non tenentur Confirmationem antea ſuſcepiſſe.* 819.2

MEDIATOR inter Deum & homines verè fuit Chriſtus. 408. 1. *Solus Chriſtus. col. 2. Inquantum homo.* 409.2

MELCHISEDECH *in ſua perſona repræſentauit Chriſtum.* 348. 1. *Et in ſuo ſacerdotio ac ſacrificio ſacerdotium & ſacrificium Chriſti. col. 2 Fuit maior Abraham. ibid.*

MENSIS *quo paſſus fuit Chriſtus, quiſnam fuerit.* 551 2

MERITVM *Incarnationis. Vide Incarnationis meritum.*

Meritum Chriſti non inueniebatur in operationibus diuinis. 247. 1. *Sed humanis. col. 2. Cum omnibus conditionibus requiſitis ex parte operum. ibid. Ex parte operantis.* 248.1. *Ex parte Dei acceptantis. col. 2. Formaliter in actibus elicitis voluntatis, ac denominatiuè in imperatis.* 251. 1. *In ſolis actibus ſupernaturalibus. col. 2. Non in actu dilectionis beatificæ.* 253. *Sed in alio diſtincto.* 255.

Meritum Chriſti incæpit ex primo conceptionis inſtanti. 256. 1. *Poterat incipere immediatè poſt. col. 2. Succeſſit etiam tempore infantiæ.* 257. 2. *Fuit continuum toto tempore vitæ. ibid. Non in inſtanti mortis, nec poſt mortem.* 258. 1. *Cur præcipuè adſcribatur paſſioni & morti.* 259.2

Mereri potuiſſet Chriſtus *gloriam eſſentialem animæ ſuæ.* 260. *De facto non meruit.* 261. 2. *Potuiſſet etiam gratiam ſanctificantem, ſed de facto non meruit.* 262. 2. *Potuiſſet plurima alia dona gratiæ ab initio, ſed non omnia. ibid. Potuit in progreſſu.* 263. 1. *Non meruit continuationem priorum donorum. ibid. Meruit ſibi gloriam corporis, & exaltationem nominis.* 264. 1. *Reſurrectionem & ſimilia dona. col. 2.*

Meruit Angelis aliqua dona gratiæ. 266.1. *Non gloriam & gratiam annexam. ibid. Niſi fortè ſecundùm naturam rationalem.* 267. 2. *Aut ſecundariè. ibid. Aut aliquod augmentum.* 268. 1.

Meruit hominibus. 268. 2. *Non quidem primam voluntatem Dei ordinandi homines in ſalutem. ibidem. Nec voluntatem reparandi homines poſt ruinam.* 269. 1. *Sed inſtitutionem mediorum. ibid. Et prædeſtinationem electorum, ſed non comparatiuè. col. 2.*

Meruit gloriam. 270. 1. *Vltra noſtra merita.* 271. 1. *Sed non reddidit digniora ipſa noſtra merita. col. 2. Meruit promiſſionem diuinam de gloria.* 272.2. *Et immediatè ipſam gloriam.* 273. 1. *Gratiam iuſtificantem & remiſſionem peccatorum. col. 2. Augmentum gratiæ.* 274. 1. *Habitus comitantes. ibidem. Omnia alia dona & auxilia. col. 2. Et applicationem ipſam ſuorum meritorum.* 275. 2.

Meruit omnibus hominibus quoad ſufficientiam, non omnibus quoad efficaciam. 276.1. *Etiam iis qui antea præceſſerant.* 277. *& ſeq. An etiam primis parentibus pro ſtatu innocentiæ.* 278. *& deinceps.*

Meritum Chriſti erat infinitum. 290. *Poterat ad æqualitatem compenſari præmio infinito.* 296. 2.

Meritum de cõdigno poſſet ab aliquo offerri, & à Deo acceptari pro alio, de poteſtia abſoluta. 310

MINISTER Sacramentorum, qualiter peccet immutando res & verba quibus conſtant. 652. 2.

Miniſter in ſacramentis conficiendis omnino requiritur. 693. 2. *A ſuſcipiente diſtinctus. ibid. Exceptis Euchariſtia, Matrimonio, & olim Circunciſione* 694. 1. *Debet eſſe vnus, exceptis Euchariſtia & Extrema vnctione. ibid. Recte vocatur miniſter & inſtrumentū. ibid. Dicitur etiam concurrere ad effectum. ibid. Non concurrit niſi applicando ſacramentum. col. 2. Poteſt eſſe ſolus homo.* 695. 1. *Poſſet eſſe aliquis Beatus. ibid. Non omnis poteſt qualibet ſacramenta miniſtrare. col. 2. Nec omnes qui poteſt validè, poteſt etiam licitè. ibid.*

Miniſter habere debet intentionem per ſe liberā de exercenda actione ſacramentali. 696. 2. *Et de conficiendo ſacramento.* 697. 2. *& ſeq. Sufficit habere actualem aut virtualem, non autem habitualem.* 699. 1. *Explicitam vel implicitam. col. 2. Particularem vel vniuerſalem. ibid. Abſolutam vel conditionatam. ibid. Peccaret adhibendo conditionem ſine cauſa.* 700. 1. *Vitiaret ſacramentū adhibendo conditionem de futuro. ibid. Etiam ſub diuina praeſcientia. ibid. Non oportet habere aliam intentionem de effectu ſacramenti. col. 2. Dicta intentio, non eſt pars intrinſeca ſacramenti, ſed ſe tenet ex parte cauſae efficientis.* 701. 1. *Intentionis defectum Deus non ſupplet.* 702. 1. *Sed potiùs non permittit. col. 2. Intentionis contrarietas quid praeſtet.* 703. 1.

Miniſtri fides & probitas non requiritur ad ſacramenti valorem. 703. 2. *Nec ad effectum.* 704. 1. *Nec iuuat per ſe ad abundantiorem gratiam ſanctificantem, licèt conducere poſſit ad alia auxilia. col. 2. Requiritur ad licitum miniſterium.* 705. 1. *Non per hoc requiritur praeuia confeſſio, ſed ſufficit contritio. col. 2. Requiritur ſolùm in miniſtro conſecrato. ibid. Requiritur ad omnem partem eſſentialem ſacramenti.* 706. 1. *Non requiritur ſub graui obligatione, ſed ſolùm ſub leui, ad alias ſacras actiones. ibidem.*

Miniſtri iuriſdictio quatenus requiratur in ſacramentis. 696. 1. *Qualiter ſufficiat putatiua.* 709. 1. *Non ſufficit in caſu erroris priuati. col. 2. Nec abſque omni titulo.* 710. 1. *Nec in caſu inhabilitatis de iure diuino. col. 2. Sufficit in caſu erroris publici.* 711. 1. *Tàm delegata, quàm ordinaria. col. 2. Stante ſimul errore priuato ſuſcipientis ſacramentū.* 712. 1. *Sufficit etiam in caſu quo ignoratur iuriſdictionis amiſſio. col. 2. Quamuis orta ex delicto, vel excommunicatione ipſius miniſtri.* 713. 1. *Non quando ex limitatione & lapſu temporis. col. 2. Sufficit iuriſdictio fictè à Superiore conceſſa.* 714. 1. *Sufficit probabiliter reputata, & ſic debet etiam in iudicio pronunciari. ibid.*

Miniſter ordinarius eſt Epiſcopus & Parochus. 714. 2.

Miniſter proprius ſingulorum eſt ſub quo habent domicilium. 714. 2. *Non originis, niſi quoad Ordines.* 715. 1. *Item ſub quo habitant pro maiori parte anni. col. 2. Et quoad ſacramenta neceſſaria, vbicunque reperiantur.* 716. 1. *Non quoad Matrimonium. ibidem. Eorum qui habent duplex domicilium eſt vterlibet. col. 2. Vagorum quilibet.* 717. 1. *Idem eſt miniſter ad alios ſpirituales actus. col. 2. Et ad ſepulturam.* 718. 1

Miniſter idoneus eſt etiam quilibet Praelatus habens ſimilem iuriſdictionem. 718. 2. *Summus Pontifex in tota Eccleſia. ibid. Legatus & Nuntius Apoſtolicus in ſua Prouincia.* 719. 1. *Vicarius Epiſcopi in ſua Dioeceſi. col. 2.*

Miniſter qui eſt proprius paſtor, tenetur ſacramenta miniſtrare cuicunque obligato ſuſcipere. 719. 2. *Et cuicunque petenti.* 720. 1. *Niſi iuſta cauſa excuſetur. ibid. Tenetur inuigilare in ſuos ſubditos, vt ſacramenta ſuſcipiant tempore debito. ibidem. Qualiter teneatur per ſe ipſum. col. 2. Vel poſſit per alterum Sacerdotem.* 721. 1. *Quatenus teneatur etiam cum periculo vitae tempore peſtis.* 722. *Et apud ſuum populum reſidere. col. 2. Qui non eſt paſtor, tenetur ex charitate ſacramenta indigentibus miniſtrare.* 723. 1. *Quilibet miniſter tenetur adimplere quae ſunt de valore & ritu ſacramentorum.* 723. 1. *Quatenus poſſit vti opinione probabili, relicta parte tuta, aut probabiliori. col. 2.*

Miniſter tenetur non praebere ſacramenta indignis. 729. 2. *Ad idquè inuigilare.* 730. 1. *Quam diligentiam debeat adhibere. ibidem. Non tenetur denegare cum ſuo graui damno, col. 2. Non debet in publico denegare peccatori occulto. ibid. Debet in ſecreto.* 732. 1. *Ex cauſa poteſt inducere & compellere eos quos putat indignè ſumpturos. col. 2. Miniſtrans & ſuſcipiens ſimul indignè, quot formaliter peccata committat.* 735.

Miniſter Baptiſmi quilibet poteſt eſſe validè. 765. 2. *Non poteſt eſſe duplex ſimul, vnus adhibendo materiam, & alter formam.* 766. 2.

Poteſt

Digitized by Google

Poteſt eſſe, ſi vterque materiam & formam ſimul adhibeat. 767. 2. *An dicendo Nos te baptizamus.* 768. 1. *An eſſet vnus vel duplex Baptiſmus* col. 2. *Eſſet vnus effectus.* 769. 1. *Poteſt vnus ſimul baptizare plures validè, & in caſu neceſſitatis licitè.* 769. 1. *Eſſent tunc plura Baptiſmata & ſacramenta.* ibid.

Miniſter ex officio baptizans, non eſt ſolus Epiſcopus, ſed etiam Sacerdos. 770. *Non quilibet licitè, ſed ſolùm proprius Prælatus vel Parochus.* ibid *Poteſt ex commiſſione eſſe Diaconus.* 771. 1. *In neceſſitate quilibet priuato modo.* ibid. *Seruato tamen recto ordine* col. 2. *Carens Sacerdotio, vſurpans officium ſolemniter baptizandi, irregularitatem incurrit.* 772. 1. *Quinam & quando teneatur hoc miniſterium exercere.* col. 2. *Et ritum eius addiſcere.* ibid. *Priuato modo miniſtrans, non per ſe tenetur eſſe in gratia.* 773. 2

Miniſter alius requiritur, tenens ſeu de ſacro fonte leuans baptizatum. 774. 2. *Habet locũ etiam in priuato Baptiſmo.* ibid. *Sed non ex obligatione.* 775. 1. *Poteſt eſſe tantùm vnus vir & vna mulier.* ibid. *Non plures ſub reatu mortali.* col. 2. *Soli deſignati.* 776. 1. *Poteſt vir tenere feminam, & femina virum.* col. 2. *An poſſint duo coniuges ſimul tenere aliquem.* ibid. *Non poſſunt parentes tenere proprium filium.* 777. 1. *Non poſſunt Monachi tenere quempiam, ſed benè alij Regulares.* ibid. *Non requiritur certa ætas*: ibidem. *Sed benè rationis vſus.* col. 2. *Repelluntur publici peccatores, Hæretici, Schiſmatici, Apoſtatæ, Excommunicati.* ibid.

Miniſter tenens in Baptiſmo, debet corporaliter tangere baptizatum. 777. 2. *Non ſolum extremo digito, ſed manu apprehendere.* 778. 1. *Non eſt neceſſe, vt etiam reſpondeat in Catechiſmo.* ibid. *Quarè dicatur ſponſor & fideiuſſor.* ibid. *Qui ſolùm reſpondet in Catechiſmo, efficitur imperfectè patrinus* ibid. *Poſt peractum officium tenendi in Baptiſmo, qualiter maneat obligatus inſtruere baptizatum.* col. 2.

Miniſter qui baptizat, & miniſter qui tenet, contrahit ſpiritualem cognationem. Vide *Cognatio ſpiritualis.*

Miniſter Confirmationis ordinarius, eſt ſolus Epiſcopus. 852. 1. *Tenetur certis temporibus miniſtrare.* col. 2. *Eſt de neceſſitate ſacramenti.* ibid. *Ex commiſſione Summi Pontificis poteſt eſſe etiam Sacerdos.* 853. 2. *Non de neceſſitate ſacramenti, ſed de obligatione præcepti, debet eſſe fidelis & probus.* 854. 1. *Ex vſu & praxi poteſt confirmare etiam non ſubditos.* 455. 1

Miniſter tenens eum qui confirmatur, debet etiã interuenire. 855. 2. *Vir pro viris, & femina pro feminis.* col. 2. *Poſſet eſſe idem qui tenuit in Baptiſmo, vbi adeſt conſuetudo.* ibid. *Non poteſt eſſe qui non ſit ipſe confirmatus.* ibid. *Si tamen teneat facit actum validum.* ibid. *Non remanet obligatus inſtruere quem tenuit.* 856. 1. *Niſi in defectu aliorum.* col. 2.

MIRACVLA qua virtute fiebant à Chriſto. 206. *Qua cauſalitate, an phyſica vel morali.* 207. & *deinceps. Miraculoſa operationes Chriſti erant partim humanæ & partim diuinæ.* 248. 2

Miracula an fuerint facta à B. Virgine. 506. 1

Miraculum conuerſionis aquæ in vinum, quo die factum fuerit à Chriſto. 533. *Fuit omniũ primum.* 536. 1

Miracula Chriſti erant conuenientia ad confirmandam fidem. 536. 2. *Erant neceſſaria, & erant valida.* 537. *Non gignebant euidentiam, niſi credibilitatis, & apud aliquos in atteſtante.* 538. 1. *Ad quatuor capita reducuntur.* col. 2.

MISSIO Spiritus ſancti. Vide *Chriſtus miſit.*

MODVS non poteſt vniri alieno ſubiecto. 52. 2. *Non poteſt extendi ad aliud ſubiectum.* 53. 1

MONACHI prohibentur tenere quempiam in Baptiſmo. 777. 1. *Sed ſi teneant, faciunt actum validum, & cognationem contrahunt.* 783.

MONARCHA ampliſſimus fuit Chriſtus 414. 1

MONOTHELITÆ quem errorem habuerint. 190. *Negarunt etiam operationes humanas in Chriſto.* 246. 1

MONS Oliueti. Vide *Oliueti Mons.*

MORIBVNDI ſunt Confirmationis capaces. 856. 2. *An interdum ſuſcipere teneantur.* 859. 1.

MORS Chriſti in fieri non in facto eſſe fuit meritoria. 258. 1. *Ex ordinatione diuina fuit complementum meritorum Chriſti.* 259. 2. Vide *Chriſti mors.*

MORTVI qui ſurrexerunt in paſſione Chriſti, num iterum deceſſerint. 580.

Mortui omnes in fine reſurgent. Vide *Reſurrectio omnium hominum.*

Mortui, non ſunt Baptiſmi capaces. 785. 1

MOTVS ſeu mutatio in inſtanti de loco ad locum ſine tranſitu per medium, non conuenit de facto Beatis. 590. 1. *Poſſet diuina virtute.* col. 2. Vide *Agilitas.*

Motus artificioſus in ſacramentis ad efficiendam gra-

Digitized by Google

gratiam, non admittitur. 673.2
MOYSES & ELIAS *quomodo fuerunt agniti à diſcipulis Chriſti in transfiguratione.* 540.2. *Quare fuerint adhibiti. ibid. Moyſis anima apparuit in corpore tunc aſſumpto.* 541.1. *Verè enim mortuus erat. ibid. Nec tunc in proprio corpore reſurrexit.* col. 2.
MVLIER. *Vide Femina.*
Mulieres ad monumentum Domini qualiter ab Angelis didicerunt eius reſurrectionem. 599.1. *Et Apoſtolis retulerunt.* 600.1
MVTATIO *importat imperfectionis notam.* 65.2. *Non cadit in Verbum diuinum ex Incarnatione. ibid.*
Mutatio in ſacramentis, quæ ſit ſubſtantialis, aut accidentalis. 650. & *deinceps.*

N.

NATIVITAS *Chriſti duplex.* 451.1. *De Natiuitate temporali ex matre. Vide Chriſtus natus.*
Natiuitas Beatæ Mariæ meritò ab antiquo colitur in Eccleſia. 469.1
NATVRA *duplex, diuina & humana in Chriſto.* 25. *Humana carebat propria ſubſiſtentia.* 27.2. *Diuina non poſſet uniri creata ſubſiſtentia.* 30.2. *Poſſet immediatè uniri creata naturæ.* 55.1. *Natura una poteſt terminari pluribus ſubſiſtentijs.* 59.1.
Natura humana qualibet ſingularis poterat aſſumi. 69.2. *Etiam Angelica. ibid. Etiam irrationalis.* 70. *Etiam partialis.* 71. *Poteſt qualibet aſſumi ſublata propria ſubſiſtentia.* col. 2. *Non poteſt retenta.* 72.
Natura humana Chriſti ſola de facto aſſumpta eſt. 73. *Ex ſtirpe Adami.* col. 2. *Non præexiſtens cum propria ſubſiſtentia. ibid. Non mediante aliqua diſpoſitione.* 74. *Abſque repugnantia.* 77.1. *Abſque violentia.* col. 2. *Non appetit propriam ſubſiſtentiam.* 78.2
Natura lapſa ſtatus exigebat, & ab initio habuit remedium originalis peccati pro paruulis. 657.2.
NAZARETH *erat patria Sancti Ioſeph, ubi B. Virgo fuit ei deſponſata, & ab Angelo ſalutata.* 519.2
NECESSITAS *duplex, medij & præcepti.* 656.1
Neceſſitas excuſat petentem ſacramenta ab indigno miniſtro. 734.1
Neceſſitas Baptiſmi quando inceperit. 744.1
NESTORIVS *poſuit duas perſonas in Chriſto.* 22.1.
NIX & *Glacies qualiter poſſit eſſe Baptiſmi materia.* 750.2. *Et in neceſſitate poſſet adhiberi.* 752.1
NOMEN *infantibus in circumciſione ſolebat imponi.* 512.1. *Impoſitum fuit Chriſto nomen Ieſus. ibid. Vide Ieſus.*
Nomina propria diuinarum perſonarum, ſunt de neceſſitate in forma Baptiſmi. 759.2
NVBES *in transfiguratione Chriſti illuſtrata fuit eius ſplendore.* 540.1
Nubes in aſcenſione Chriſti, fuit verè nubes. 606.2. *Non deſeruiebat tanquam vehiculum, ſed in ſignum Maieſtatis.* 607.1
NVMMVS *quidam ex ijs quibus venditus fuit Chriſtus, cum veneratione aſſeruatur & adoratur.* 404.1
NVNTIVS *Pontificis poteſt ſacramenta miniſtrare.* 719.1

O

OBEDIENTIALIS *potentia actiua ad omnem effectum, non admittitur.* 674.1
OBIECTVM *tertiæ partis eſt Chriſtus Deus vt homo, ſeu Deus incarnatus.* 2.1
OBSTETRICES *tenentur ſcire ritum neceſſariũ baptizandi.* 772.2
OFFICIA *ſacra, præter ſacramenta, non obligant grauiter miniſtrum, vt ea exerceat in ſtatu gratiæ.* 707.1. *Sed ſolũ ſub veniali.* col. 2
OBLATIO *ſimplex differt à ſacrificio.* 345.1
Oblatio Chriſti in templo non fuit facta ex obligatione, ſed ex voluntate. 514.2
ODORATVS & ODOR *admittitur in Beatis.* 546.1.
OLEVM *eſt materia neceſſaria ſacramenti Confirmationis.* 844.2. *De oliuis expreſſum, & non aliud. ibid.*
OLIVETI *mons quantum diſtet ab Vrbe Ieruſalem.* 606.1. *Mediat inter Ieruſalem & Bethaniam. ibid. Seruauit veſtigia Domini, & tranſitum apertum ad cælum. ibid.*
OPERA *omnia bona vel mala ſubduntur iudicio Chriſti.* 617.2
OPERATIONES *Chriſti humanæ procedebant actiuè ab humana natura,* 247.2. *Omnes erãt aliquo modo liberæ.* 248.1. *Dependebant etiã ex virtute diuina & perſona Verbi. ibidem. Quæ erant miraculoſæ procedebant ex vtraque natura & virtute.* col. 2. *Fuerunt meritoriæ. Vide Meritum Chriſti. Fuerunt ſatisfactoriæ. Vide Satisfactio Chriſti.*
OPINIO *probabilis de iuriſdictione miniſtri, reddit actum indubitanter validum.* 714.1. *Et licitum.* 723.2
Opinio probabilis de ijs quæ ſpectant ad ſubſtantiam ſacramenti, quatenus in praxi ſit licita. 723.2.

ORA-

ORATIO non poterat fieri à Chriſto pro hominibus qui præceſſerant. 278. 1. Non erat neceſſaria ad meritum. col. 2. Non poterat fieri à Chriſto ſecundùm diuinam naturam. 333.1 Fiebat à Chriſto ſecundùm humanam naturã col. 2. Et propriè ſecundùm partem rationalem. 335. 1. Aliqua ex ſolo ſimplici affectu profecta, non fuit exaudita. 337. 2. Quomodo quædam dicatur exaudita pro eius reuerentia. 340. 1. Conuenit Chriſto etiam nunc in cælo. 341.2

Oratio Chriſti in Horto, quem ſenſum habebat. 339. 1. Et in cruce pro crucifixoribus. col. 2.

Oratio quæ à nobis defertur Chriſto vt Deo, non eadem defertur eius humanitati. 395.1

Ordo aſſumptionis & vnionis, quiſnam in incarnatione fuerit. 90 & deinceps. Inter præuiſionem peccati, & decretum redemptionis, & prædefinitionem Incarnationis, quiſnam fuerit in mente Dei. 111. 1. Inter præuiſionẽ peccati originalis & actualium. 115.2

Ordo proprius Diuinarum perſonarum, an ſit neceſſarius in proferenda forma Baptiſmi. 761.1

ORDINIS Sacramentum imprimit in anima characterem. 684. 2. Per modum poteſtatis actiuæ. 688.1

Ordines etiam minores conferens, ſicut ſuſcipiẽs, tenetur eſſe in gratia. 707.2

Ordines poſſunt conferri ab Epiſcopo originis. 715. 1. Vel ab Epiſcopo domicilij perpetui. 716 2.

Ordines non poſſunt conferri cuiquam qui non habuerit expreſſam & ſpecificam intentionem ſuſcipiendi. 727. 2. Non debent conferri, niſi dignis, & præmiſſa diligentia. 731. 1. Prærequirunt Confirmationem. 859. 2. Idque ſub mortali. 860.1

ORIGINALE peccatum non habuit locum in B. Virgine. 472. 2. & deinceps. Nec eius effectus 477.1. Non poterat eſſe ſimul cum gratia. col. 2 Quomodo attributum ſit vniuerſaliter omnibus hominibus. 478.

Originalis peccati remiſſio per Baptiſmum, præ requirit aliquam conuerſionem ad Deum. 799. 1.

Originalis iuſtitia collata fuit B. Virgini ab initio ſanctificationis eius. 495. 2. Quænam eſſet. 496.2

ORNATVS nullus præter gratiam & characterem per ſacramenta confertur. 665.1

P

PACTVM à Deo initum cum Adamo, comprehendebat omnes poſteros, etiam B. Virginem. 485. 2. & deinceps.

PAGANORVM Filij non ſunt ijs inuitis baptizandi. 791.1

PARADISVS terreſtris non fuit viſitatus ab anima Chriſti. 570 1

PARENTES prohibentur tenere proprios filios in Baptiſmo. 777.1

PAROCHVS eſt ordinarius animarum paſtor & ſacramentorum miniſter. 714. 2. Quis ſit proprius ſingulorum. Vide Miniſter proprius. Non debet vnus intra Parochiam alterius ſacramenta miniſtrare. 717.1. Qualiter teneatur per ſe curam gerere & reſidere. 720. 2. Qualiter poſſit alterum deputare. 721. Qualiter teneatur etiam cum periculo vitæ tempore peſtis. 722. Eſt ex officio Baptiſmi miniſter. 770. 1.

PARTES corporis Chriſti omnes aſſumptæ fuerunt à Verbo. 82.

Partes humanitatis fuerunt aſſumptæ ſimul cum tota natura ordine cauſalitatis. 95.2. Aliquo modo priùs ordine exequutionis. ibid. Poſteriùs ordine intentionis. 96.1

Partes ſpectantes ad ornatum corporis remanſerunt in Chriſto reſurgente 583. 1. Num quæ auulſæ erant reddita fuerint. ibidem.

PARVVLI. Vide Pueri. Infantes.

PASCHA celebratum fuit à Chriſto præſcripta die. 550

Paſchatis die fiet reſurrectio in fine Mundi. 625. 1.

PASSIO Chriſti. Vide Chriſti paſſio. Non influit phyſicè, ſed moraliter in ſacramenta. 663.1

PASSIONES ſenſitiuæ admittuntur in Chriſto. 218.1. Non diſcordantes à ratione. col. 2.

PASTOR ſpiritualis proprius ſingulorum quis ſit. 714 & deinceps. Qualiter teneatur ſacramenta miniſtrare. 719 & deinceps.

PATER æternus nullatenus dici poteſt incarnatus. 64. 1. Solus dicitur miſiſſe Filium. 99. 1. Solus vocauit Chriſtum Filium. 377. 1.

PATRIARCHÆ & Primates non poſſunt extra ſuam particularem Diœceſim ſacramenta miniſtrare. 719 1

PATRINVS in Baptiſmo. Vide Miniſter alius, Cognatio ſpiritualis. In Confirmatione, Vide Miniſter tenens.

PAVPERTAS Chriſti *qualis fuit.* 534

PECCATVM fuit Incarnationis occaſio. 110.2. *Non per hoc eſt de illo gaudendum.* 111. 1. *Originale potiùs quàm actualia fuit occaſio.* 114. 2. & 115.

Peccatum nullum vnquam fuit in Chriſto. 221. 1. *Potuiſſet eſſe in eadem natura ante vel poſt vnionem cum Verbo. ibid. Sed tunc non denominaret Verbum. col.* 2. *Non poterat eſſe in eadem natura vnita Verbo.* 222. 2. *Non poterat committi à tali natura.* 223. 1. *Alioqui denominaret ipſum Verbum. col.* 2. *Et ei imputaretur.* 224. *Nec cum amiſſione vnionis poterat.* 226.

Peccatum mortale habet grauitatem infinitam. 290. 1. *Ex grauitate ſua meretur pœnam æternam.* 312 1. *Non poterat adæquari ſatisfactione vllius puræ creaturæ. col.* 2.

Peccatum originale. Vide Originale peccatum.

Peccatum nullum fuit in B. Virgine. 477.

Peccatum crucifigentium Chriſtum fuit ex ignorantia valde culpabili. 557. 1. *Qualiter fuerit grauiſſimum. col.* 2.

Peccata omnia per Baptiſmum remittuntur. 803 *Omnino delentur.* 804. 1. *Non tamen quæ poſt Baptiſmum committuntur, niſi per nouã pœnitentiam.* 805.2

PENETRATIO qualiter conueniat corpori Chriſti & alijs corporibus glorioſis. 592. & *ſeq. Non vero inter ſe.* 594.2

PENTECOSTES ſignificat numerum quinquagenarium. 611. 1. *Significabat feſtum quoddam Iudæorum. col.* 2. *Quanam die celebrabatur.* 612. *Ea die incidit aduentus Spiritus ſancti.* 613. 2. *Num eadem fuerit dies datæ olim legis.* 614. *Ea die datus fuit effectus Confirmationis, ſed abſque ipſo ſacramento.* 843. 2.

PEREGRINI. Vide Hoſpites.

PERSONA vna in Chriſto, ſola diuina. 22. 2. *Perſona diuina verè & intrinſecè fuit vnita humanitati.* 46.1

Perſona creata non poteſt alienam naturam aſſumere. 52. 2. *Nec perſona creabilis.* 53.1

Perſona diuina quælibet ſine alijs poterat incarnari. 57. *Poſſent etiam plures vnam naturã aſſumere.* 58. 1. *Non conflarent vnam perſonam. ibid. Dicerentur vnus homo.* 59. 1. *Poſſet vna perſona plures naturas. col.* 2. *Diceretur adhuc vnus homo* 60.1. *Perſona ſola Verbi de facto eſt incarnata.* 61. *Aliæ duæ perſonæ erant in Chriſto. col.* 2. *Sed non dicuntur incarnatæ.* 62.1

PESTIS tempore qualiter teneatur animarum paſtor ſacramenta miniſtrare. 722. *Et apud ſuum populum reſidere. col.* 2.

PETRVS Apoſtolus ſingulari apparitione ſibi facta vidit Dominum poſt reſurrectionem. 601. 1. *Idquè valde conuenienter factum fuit. col.* 2. *Fuit baptizatus immediatè à Chriſto, & baptizauit aliquos ex Apoſtolis.* 741. 2.

PILATVS quam poteſtatem habebat in Chriſtum. 328 2. *Qualiter remittebat Iudæis vt eum iudicarent.* 556. 2. *Et vt eum crucifigerent.* 557 1

POENA omnis peccatorum remittitur per Baptiſmum. 804. 1

POENALITATES huius vitæ non tolluntur per Baptiſmum. 805.1

POENITENTIA non conueniebat Chriſto. 143. 1.

Pœnitentia ſacramentum nõ conueniebat Beatæ Virgini 503. 2. *Sed benè habitus, & aliquis actus virtutis pœnitentiæ.* 505.2

Pœnitentiæ ſacramentum debet à Parochis etiã cum vitæ periculo peſtis tempore miniſtrari. 722. 1. *Licitè & validè poteſt cum iuriſdictione probabili miniſtrari.* 723.2

Pœnitentia qualiter & quæ requiratur in peccatoribus ante Baptiſmum. Vide Baptiſmum ſuſcepturi.

PONTIFEX Eccleſiæ fuit Chriſtus. 410.

PORTIO ſuperior & inferior in voluntate quæ ſit. 196.1

POTENTIA Chriſti non erat operatiua omniũ quæ Chriſtus ſimplici affectu volebat. 203. 2. *Sed omnium quæ abſolutè volebat.* 204. 1. *Erat operatiua miraculorum virtute diuina.* 206. 1 *Non præcisè vt hypoſtatica vnione, col.* 2. *Sed facultate diuinitùs tradita. ibid. Non poterat omnia quæ Deus. ibid. Sed quæ iuuabant ad noſtram ſalutem.* 207. 1. *Non efficiebat miracula per modum cauſæ phyſicæ, ſed moralis.* 208 *& deinceps.*

PRÆCEPTA naturalia obligabant Chriſtum. 325. 2. *Non poſitiua, ſiue diuina, ſiue humana.* 326.2

Præceptum patiendi non fuit impoſitum Chriſto per modum legis poſitiuæ, ſed potiùs per modũ legis naturalis. 329. 2. *& ſeq.*

PRÆDESTINATIO hominum facta fuit ex meritis Chriſti, ſed non comparatiuè ad Reprobos. 269.2

Prædeſtinatio dici poteſt de Chriſto ad dona gratiæ & gloriæ. 379. 2. *Et de eius humanitate.* 380. 1. *Et per communicationem idiomatum de Filio Dei. col.* 2. *Dici non poteſt de Filio*

Digitized by Google

Dei ad ipſam filiationem. 382. 1. Dici poteſt de humanitate ad hypoſtaticam vnionem. col. 2. Ac etiam de hoc homine ſumpto pro natura in concreto. ibid. Non, ſumpto pro ſuppoſito, ad diuinam filiationem. 383. 1. Nec de ipſo Chriſto. 384. 1. Dici poteſt Chriſtus prædeſtinatus vt ſit. 385. 1. Non tamen vt ſit homo. 386. 2. Dici poteſt aliquo modo prædeſtinatus Filius Dei vt ſit homo. 387. 1. Et Filiatio Dei prædeſtinata Chriſto homini. 388. 1.

Prædeſtinatio Chriſti rectè dicitur exemplar noſtræ 388. 2. Non ſolùm reſpectu noſtræ imitationis. 389. 1. Sed propriè reſpectu diuinæ ordinationis. col. 2. Ratione duplicis aſſimilationis. ibid. Et ratione gratuitæ electionis. 390. 1. In ordine ad omnes homines. ibidem. Dicitur etiam cauſa. col. 2.

PRÆDICATA communia & propria humanæ & diuinæ naturæ, dicuntur de Chriſto, de Deo, de hoc homine. 234. Licèt aliàs inter ſe oppoſita. col. 2. Non dicuntur negatiua. ibid. Et quæ denotant compoſitionem non dicuntur ſeparatim. 235. 2

PRÆDICATIO Chriſti quot annis durauit. 531. & deinceps.

PRÆLATI ordinarij ad miniſtranda ſacramenta qui ſint. 718. 2

PRÆMIVM adæquatum merito Chriſti fuiſſet alia vnio hypoſtatica. 296. 2

PRÆPVTIVM Chriſti vbi aſſeruatur. 402. 2. & 511. 2. Non fuit in reſurrectione reſumptum, ſed refectum. 583. 1

PRÆSERVATIO B. Virginis ab originali peccato, non eſt certa, ſed probabiliſſima. 478. 1

PRIMA Clericalis tonſura prærequirit Confirmationem. 859. 2. Idquè ſub mortali. 860. 1

PRIMOGENITVM omne debebat offerri Deo in veteri lege. 514. 2

PROBITAS Miniſtri in Sacramentis. Vide Miniſtri fides & probitas. In ſuſcipientibus. Vide Sacramenta non in omnibus.

PROCVRATOR alterius nomine tenens in Baptiſmo, non ipſe cognationem contrahit. 784. Poteſt eſſe vir mulieris, & mulier viri. col. 2. Non poteſt tenere nomine communitatis. ibid.

PRODVCTIO hypoſtatica vnionis. Vide Actio.

PROGENITORES Chriſti remoti, fuerũt Abraham & Dauid. 433. 2. Proximi mediante B. Virgine, Ioachim, & Anna. 434. 2. Intermedij quinam fuerint. 436. & deinceps. Quotnam fuerint. 442. 2. & deinceps.

PROPHETIÆ erant validæ ad perſuadendam fidei veritatem. 537. 1

PVERI cum ſolo originali defuncti, non fuerũt è Limbo liberati à Chriſto. 575. 2. Subdentur iudicio Chriſti. 619. 1. Non damnabuntur ad pœnam ſenſus, nec fortè habebunt notitiam ſui ſtatus. ibidem.

Pueri ſunt capaces ſacramenti Confirmationis. 856. 2. Conuenienter confirmantur expletis ſeptem ætatis annis. 557. 1

PVRVS homo aut Angelus, nec de potentia abſoluta Dei potuiſſet condignè ſatisfacere pro peccatis. 309. & deinceps.

PVTREFACTIO nulla locum habebat in Chriſti corpore mortuo. 563.

Q

QVALITAS morbida in appetitu ſenſitiuo non reperitur. 492. 2

Qualitas quædam poſitiua ad compeſcendum appetitum ſenſitiuum infunditur à Deo. 493. 2. Conceſſa fuit B. Virgini. 494. 2

Qualitas auferens libertatem ad peccandum, non conueniebat B. Virgini in hac vita. 499. 2.

Qualitas in ſacramentis effectiua gratiæ non admittitur. 674. 2

Qualitas non omnis habet latitudinem intenſiuam. 687. 2

R

REATVS pœnæ non poterat eſſe in Chriſto. 228.

Reatus pœnæ omnis tollitur per Baptiſmum. 804. 1.

REDEMPTIO Chriſti verè ſpectabat etiam ad B. Virginem. 470. Non ex præſuppoſito peccato, ſed ex peccati debito, & per modum præſeruationis. 479. 2

REGNA Mundi qualiter Chriſto fuerint oſtenſa à Diabolo. 529. 2. Qualiter promiſſa. 530. 1.

REGVLARES non omnes prohibentur tenere aliquem in Baptiſmo. 777. 1

RELATIO Filiationis ad matrem verè inerat Chriſto. 461. Erat neceſſaria ad denominationem filij. 462. 1

RELIQVIÆ Chriſti in terris quæ ſint. 402. 2. Debent adorari cultu latriæ. 403. 1. Abſolutè ſi ſint vnita Verbo, reſpectiuè ſi non ſint vnita. col. 2.

REMEDIVM legis naturæ applicatum fuit Beatæ Virgini, ſed non habebat conferre illi gratiam. 504. 2

Reme-

Digitized by Google

Remedium aliquod fuit omni tempore neceſſarium, & ab initio inſtitutum à Deo pro ſalute paruulorum. 657. 2. Habebat veram ſacramenti rationem. ibid. Erat ſignum externum ſenſibile. 658. 2. Erat determinatum à Deo. 659. 1. Habebat vim ſanctificandi. ibidem. Non habet poſt inſtitutum Baptiſmum. 746. 2 Valebat extra populum hebræum adhuc poſt inſtitutam circumciſionem. 882. 2. Et in eodem populo pro feminis. 823. 1. Non pro maſculis. ibid. Niſi in caſu neceſſitatis. col. 2. Et quando circumciſio non fuiſſet ritè adhibita. ibid. Et dum populus peregrinabatur in deſerto. 824. 1. Vide Circumciſio.

RES & verba ſunt de eſſentiali conſtitutione noſtrorum ſacramentorum. 647. 1. Fuerunt determinata à Chriſto. 649. 2. Non poſſunt ab Eccleſia ſubſtantialiter immutari. 650. 1. Habent tamen intra determinationem Chriſti quandam latitudinem. 651. 1. Non vitiantur per accidentalem mutationem. col. 2. Qualiter peccet miniſter mutans. 652. 2

RESIDENTIA qualiter obliget Parochos & Prælatos. 720. 2. Etiam tempore peſtis. 722. 1.

RESVRRECTIO Chriſti. Vide Chriſtus verè reſurrexit.

Reſurrectio Sanctorum circa mortem Chriſti, qualis fuerit, & quo puncto acciderit. 580

Reſurrectio omnium hominum de fide conſtat. 621. 1. Eius poſſibilitas etiam ratione. ibid. Sed non eſt poſſibilis niſi virtute diuina. col. 2. Nec ratione cognoſcitur eſſe futura. 622. 1. Reſurgent omnes, tàm reprobi, quàm electi. ibid. Tàm paruuli, quam adulti. col. 2. Etiam qui inuenientur viui prope extremum diem, quia priùs morientur. 623. 1. Reſurgent ſinguli in ſuo corpore. col. 2. In iuſta corporis magnitudine. 624. 1. In ſua organizatione & ſexu. ibid. Reſurgent omnes eodem extremi iudicij die. col. 2. In aurora, in die Paſchatis. 625. Simul abſque certo diſcrimine temporis. col. 2. Colligetis proximè corporibus miniſterio Angelorum. 626. 1. In proprijs ſingulorum locis. col. 2. Reſurgent omnes virtute Chriſti. 627. 1. Non cauſalitate phyſica ab eius humanitate & reſurrectione. col. 2. Sed benè ab eius Diuinitate. 628. 1. Cauſalitate morali meritoria ex eius paſſione. ibid. Et morali effectiua ex eius poteſtate ac reſurrectione ipſa. col. 2. Et exemplari ex eadem eius reſurrectione. 629. 2

RESVRGENTES ad hanc mortalem vitam, non deberent iterum baptizari, confirmari, ordinari. 686. 2. Sunt ſacramentorum capaces. 725. 1.

REVELATIO facta B. Birgittæ de immaculata conceptione B. Virginis, recipitur ac defenditur. 476. 2

Reuelatio diuina erat euidens B. Virgini. 507. 1

REX temporaliter in actu exercito, non fuit Chriſtus. 413. 1. Nec per ſucceſſionem reſpectu Iudaici regni. ibid. Quoad poteſtatem fuit totius Orbis. 414.

RITVS neceſſarius ſacramenti Confirmationis quiſnam ſit. 848. 1

S

SABBATVM apud Iudæos maiori cum rigore præ alijs feſtis indicebat ceſſationem ab operando. 550 2. Permittebat pergere mille paſſus. 606. 1. Non impediebat opera ſpectantia ad cultum Dei & exercitia templi. 612. 2.

SACERDOS ex ſuo officio plures actus exercet, ſed præcipuè habet offerre ſacrificium. 345. 1. In omni ſtatu & lege fuerunt Sacerdotes. col. 2.

Sacerdos ex ſua ordinatione habet officium baptizandi. 770. 1. Sed non poteſt licitè baptizare, niſi Parochus, vel ex delegatione. ibid. In caſu neceſſitatis debet adhuc ex obligatione alijs præferri. 771. 2

Sacerdos ex commiſſione Summi Pontificis poteſt Confirmationis ſacramentum adminiſtrare. 853. 2.

SACERDOTIVM verè conueniebat Chriſto. 345. 2. Non de lege naturæ aut Moyſis. 346. 1. Sed nouum excellentiſſimum. col. 2. Quomodo dicatur ſecundùm ordinem Melchiſedech. 347. 2. Non conueniebat Chriſto vt Deo, ſed vt homini. 349. 2. Eſt æternum quantum ad effectum. 351. 1. Quantum ad exercitium in ſacrificio Euchariſtiæ. 352. 2. Et quantum ad dignitatem & aliquod officiũ etiam in cælo. 353. 2. Eius effectus fuit expiatio peccatorum. 354. 2. Qui non fuit collatus ipſi Chriſto. 355. 1. Sed alia dona gratiæ, non ex ratione ſacrificij, ſed ex orationis officio. 356. 2

SACRAMENTA habebant ſuum effectum etiam in B. Virgine. 503. 1. Quænam illi conueniebant. col. 2. Num etiam legis naturæ & ſcriptæ. 504. 2

Sacramentum quid ſignificet. 630. Sumitur ſpecialiter pro Eccleſiæ ſacramentis. 631. Eſt verè ſignum. col. 2. Importat rem & ſignificationem.

Digitized by Google

nem. 632. 2. *Eſt ſignum ſenſibile.* 633. 1. *Sacrum. col.* 2. *Ad placitum.* 634. 1. *Habent tamen proportionem cum re ſignificata. ibid. Inſtitutum communi lege. col.* 2. *A Deo & Chriſto.* 635. 1. *Eius ſignificatio eſt denominatio realis extrinſeca. ibid.*

Sacramentum propriè ſignificat ſanctificationem hominis. 635. 2. *Significat etiam paſſionem Chriſti, & futuram gloriam. ibid. Differt ab alijs ſacris ſignis, & à ſacrificio.* 636. 1. *Dicitur vniuocè de nouis & veteribus ſacramentis. col.* 2. *Dicitur in ordine ad ſanctificationem in communi, abſtrahendo ab interna & externa.* 638. 1

Sacramentum eſſentialiter conſiſtit in cauſanda ſeu conferenda ſanctitate, & non tantùm ſignificanda. 641. *& deinceps. Qualiter in ſacramento ſignificatio & cauſalitas ſe habeant.* 644. 2. *Quæ ſit eius optima definitio. ibid. Quare definitum ſit ſacramentum per nomen ſigni.* 645. 2

Sacramentum qualiter conſtet rebus & verbis. 646. 1. *Non quidem antiquæ legis ſacramenta. col.* 2. *Sed noua euangelicæ legis.* 647. 1. *Aliqua non in toto rigore, ſed modo æquiualenti. col.* 2. *Conſtant eſſentialiter ex vtraque parte, tanquam ex materia & forma.* 648. 1. *Quæ partes debent moraliter inter ſe coniungi. col.* 2. *In pleriſque non requirunt certum ordinem inter ſe.* 649. 1. *Vide Res & verba.*

Sacramenta ſunt hominibus conuenientia & vtilia ad ſalutem. 655. 1. *Eorum inſtitutio erat aliquo modo neceſſaria, ſed non ſimpliciter. col.* 2. *Eorum vſus eſt ex inſtitutione neceſſarius.* 656. 1

Sacramenta non erant neceſſaria, nec inſtituta, aut inſtituenda in ſtatu innocentiæ. 656. 2. *Potuiſſent inſtitui.* 657. 1. *In ſtatu naturæ lapſæ erat aliquod neceſſarium, & fuit ab initio inſtitutum. col.* 2. *Habens veram rationem & virtutem ſacramenti. ibid. Et omnes conditiones.* 658. *& ſeq. Non erant in eo ſtatu plura ſacramenta.* 659. 1. *Fuerunt in lege ſcripta, quæ ad quatuor reducuntur. col.* 2. *Erant conuenientia & neceſſaria.* 660. 1. *Maximè in lege noua extant. col.* 2. *Non erunt in vita futura. ibidem.*

Sacramenta nouæ legis omnia conferunt gratiam. 661. *Ex ſua inſtitutione, & ex opere operato.* 662. 1. *Cauſant & continent gratiam. col.* 2. *Habent vim ex humanitate & paſſione Chriſti, non phyſicè, ſed moraliter.* 663. 1. *Quædam inſtituta ſunt ad conferendam primam iuſtificantem gratiam, quædam ad augendam. col.* 2. *Singula præterea conferunt propriam ſacramentalem gratiam.* 664. 2. *Non quidem ornatum quendam.* 665. 1. *Nec diſtinctum habitum, aut modũ. col.* 2. *Sed ſpecialia auxilia. ibid. Conferunt æqualem gratiam ſuſcipientibus æquè diſpoſitis, inæqualem inæqualiter diſpoſitis.* 666. 2

Sacramenta conferunt ſemper gratiam omnibus dignè ſuſcipientibus. 667. 1. *Sanctificantem ſtatim, auxiliantem temporibus congruis. col.* 2. *Non conferunt indignè ſuſcipientibus. ibid. Non conferunt ex opere operato, in voto ſolùm deſiderantibus.* 668. 1. *Conferunt ſtatim dum complentur. col.* 2. *Non in aliqua parte determinata ante vltimum inſtans.* 669. 1. *Non in vltima parte indeterminata. col.* 2. *Dicuntur conferre in vltimo inſtanti terminatiuè.* 670. 1. *An conferant ſi deficiat vltimus terminus.* 671. 2. *Conferunt immediatè poſt ſuam exiſtentiam. col.* 2. *Non cauſalitate phyſica, ſed morali.* 673. *& deinceps. Imprimunt etiam characterem. Vide Character.*

Sacramenta vetera præfigurabant noua. 637. 2. *Conferebant tunc ſanctitatem quandam legalem. ibid. In ordine ad quam magis propriè habent denominationem ſacramenti.* 638. *Et conueniunt vniuocè cum noſtris.* 639. *Augebant ſanctificantem gratiam ex opere operantis.* 678. 1. *Non conferebant ex opere operato. ibid. & deinceps. Quamnam legalem ſanctitatem conferebant.* 682. *Conferebant per modum cauſæ formalis.* 683. 1. *Vide Circuncifio, Remedium legis naturæ. Non imprimebant characterem in anima.* 684. 1.

Sacramentorum veterum Deus ſolus fuit inſtitutor. 691. *Noſtrorum Chriſtus.* 692. *Per voluntatem ipſam humanam. col.* 2. *Potuiſſet etiam alijs communicari inſtituendi poteſtas.* 693. 1

Sacramentorum miniſter. Vide Miniſter ſacramentorum.

Sacramenta omnia, excepta Euchariſtia, non conficiuntur ſine ſuſcipiente. 724. 1. *Solis creaturis rationalibus conferri poſſunt. col.* 2. *Solis hominibus, & non Angelis. ibidem. Solis viatoribus, ſed etiam ad hanc vitam reſuſcitatis.* 725. 1. *Solis aliqua ſaltem parte natis. ibidem. Omnibus viatoribus, etiam infantibus conferri poſſunt, ſed non omnia omnibus. ibidem. Quænam & à quibus ex obligatione ſuſcipi debeant. col.* 2.

Nnnn Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta non in omnibus ſuſcipientibus requirunt intentionem ſuſcipiendi. 726.1. In adultis requirunt. col. 2. Quæ ſufficit habitualis. 727. 1. Et interdum generalis. ibid. Non requirunt ad ſui valorem fidem & probitatem ſuſcipientis. 728. 1. Nec ad effectum characteris. ibid. Nec vllam diſpoſitionem in paruulis ad effectum gratiæ. ibid. Requirunt certam diſpoſitionem in adultis, & quænam ea ſit. col. 2. Qui abſque ea ſuſcipiunt, graue ſacrilegium committunt. 729. 1. Non tenentur ſe per confeſſionem diſponere, præterquam ad Euchariſtiam. ibid. Qui bona fide ſuſcipiunt, non peccant. ibid. Sed cum attritione recipiunt iuſtificationis gratiam. col. 2. An qui poſtea ſe diſponent, etiam recipient. ibidem. Grauiter delinquunt qui cũ cenſura ſuſcipiunt. ibidem.

Sacramenta non debent peti aut ſuſcipi de manu indigni miniſtri. 733. 1. & 734. 1. Poſſunt ex cauſa neceſſitatis. ibidem. Non tenentur ſuſcepturi diſquirere de dignitate miniſtri. col. 2. Suſcipiens & miniſtrans indignè, quot formaliter peccata committat. 735.

Sacramenta noſtra ſunt ſeptem. 736.1. Vitam ſpiritualem ad inſtar corporalis perficiunt. col. 2. Remedium præbent contra peccatum. 737. 1. Coadiuuant ſeptem virtutes contra huius vitæ defectus. ibid. Non ſunt plura quàm ſeptem. col. 2.

Sacramenta ſeptem, quo ordine numerentur. 738. 2. Quem dignitatis ordinem inter ſe habeant. 739. 1. Quem ordinem neceſſitatis. ibidem. Quo ordine ſuſcipiantur. col. 2. Quo ordine conſiderentur. 740.

SACRAMENTALIA quæ ſint. 653. 2. Quos effectus habeant. 654. 1. Quomodo illos conferant, col. 2.

SACRIFICIVM propriè quodnam ſit. 345. 1. Fuit oblatum à Chriſto in cruce. 347. 2. Et in Euchariſtia. ibid. Quod fuit præfiguratum in oblatione Melchiſedech. 348.

Sacrificium cruentum in cruce fuit cauſa vniuerſalis, incruentum in Euchariſtia eſt cauſa particularis noſtræ ſalutis. 355. 1. In hoc differt à ſacrificijs veteris legis. ibid. Non habuit effectum in Chriſto, nec in Angelis, aut hominibus ante peccatum. 357. & ſeq.

Sacrificium Euchariſtiæ non offertur Chriſto vt homini. 395. 2. Potuiſſet inſtitui aliud quod ſimul ad Diuinitatem & humanitatem Chriſti referretur. ibidem.

Sacrificia vetera per ſe exhibebant cultum Deo. 639. 1. Erant etiam in lege naturæ. 659. 2

SALIS aqua non eſt materia apta ad Baptiſmum. 751. 1

Sal in os baptizati immiſſum, ſignificat confeſſionem fidei. 841. 1

SALIVA naribus & auribus baptizati adhibita, ſignificat approbationem fidei. 841. 2

SALOME erat nomen proprium mulieris. 466. 1 Quæ erat vxor Zebedæi, & mater Iacobi ac Ioannis. ibidem.

SANCTI. Vide Beati.

SANCTIFICATIO duplex, interna & externa 636. 1. Quæ ſignificetur per ſacramenta. col. 2. & deinceps. Externa, quæ & qualis eſſet. 682.

SANGVIS in corpore Chriſti fuit aſſumptus à Verbo. 83. 1. Totus abſque diſcrimine nutrimentalis & vitalis. col. 2. An totus in reſurrectione fuerit reaſſumptus. 85. 2. & 403. 1. & 583 2. Effuſus in paſſione, manſit adhuc vnitus Verbo. 560. 2.

Sanguis & aqua ex latere Chriſti profluentes, qualiter Eccleſiæ ſacramenta ſignabant. 738. 1.

Sanguinis Baptiſmus. Vide Martyrium.

SARDINIÆ Inſulæ conceſſum fuit à D. Gregorio, vt Sacerdotes etiam poſſent Confirmationis ſacramentum conferre. 857. 2

SATISFACTIO Chriſti ſtatuitur contra Abailardum. 281. 2. Satisfecit Chriſtus iiſdem operibus quibus meruit. 282. 2. Solùm vſque ad mortem. ibid. Pro ſolis & omnibus hominibus. 283. 1. Etiam pro B. Virgine. col. 2. Pro omnibus quoad ſufficientiam, non æqualiter quoad efficaciam. ibidem.

Satisfecit Chriſtus pro noſtris peccatis de condigno & ſuperabundanter ab intrinſeco. 284. 2. Sed quoad obligationem Dei, ex acceptatione diuina libera. 286. 1. Maior erat ſatisfactio Chriſti, quàm grauitas noſtri peccati. 287. 2. Erat infinita. 290. Non ex peculiari influxu voluntatis Dei, aut ſubſiſtentia Verbi. 291. 2. Nec ex reſpectu ad obiectum. 292. Vel ad perſonam præmiandam. 293. Nec immediatè ex humanitate. 294. 1. Sed ex dignitate perſonæ operantis. col. 2.

Satisfactioni Chriſti Deus ex iuſtitia debebat recompenſationem. 297. 2. Non propriè ex iuſtitia commutatiua. ibid. Nec ſolùm communiter dicta, vel pro fidelitate, aut gratitudine. 298. 2. Sed peculiari modo dicta. ibid. In ſatisfaciendo Chriſtus exercebat iuſtitiam erga Deum. 299. 2. & deinceps. Non propriè commu-

Digitized by Google

commutatiuam. 301. Aut eiuſdem rationis cum Religione vel Pœnitentia in nobis. 302. 1. Sed peculiaris rationis. ibidem.

Satisfactio Chriſti erat neceſſaria, quia non poterat homo perfectè ſatisfacere pro ſuis peccatis. 304. & deinceps. Licèt poſſit aliquo modo imperfectè. 307. 2. Nec etiam homo aut Angelus quantumuis ſanctus pro alienis peccatis. 309. Licèt poſſit quoad reatum pœnæ temporalis. 311. 1. Vera ratio huius rei ex inæqualitate ſatisfactionis cum grauitate peccati. 312. 2. Etiam ſi aliquis haberet gratiam habitualem infinitam. 313.2

SCHOLASTICI non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo ſtudiorum cauſa commorantur. 715.2

SCIENTIA poteſt probare, ſuum obiectum eſſe. 4

Scientia humana fuit in Chriſto. 156. 1. Cum ſpeciebus intelligibilibus & habitibus. col. 2. Ab initio conceptionis. ibid. Erat triplex. beata, infuſa, & acquiſita. 157.

Scientia beata Chriſti erat infra diuinam. 159. 1. Potuiſſet eſſe maior quàm fuit. 160. 1. Excedebat omnes Beatos. ibid. Etiã collectiuè. col. 2. Non attingebat omnia poſſibilia. 161. 1. Sed omnia futura, col. 2. Attingebat infinita. 162

Scientia infuſa Chriſti attingebat ſupernaturales effectus. 163. 1. Per proprias ſpecies. col. 2. Etiam Diuinitatis & Trinitatis myſteria per creatos effectus. 65. Attingebat quoque res naturales. col. 2. Eratquè per ſe infuſa. 167. 1. Alia ordinis ſupernaturalis, & alia naturalis. col. 2. Attingebat res poſſibiles quæ à quocunque intellectu cognoſcuntur. 19. 1. Omnes res exiſtentes. ibid. Etiam ſecreta cordium. col. 2. Etiam futura contingentia. 170. 1. Non attingebat intuitiuè diuinam eſſentiam & voluntatem. 171.1

Scientia infuſa Chriſti habebat plures actus. 171. 2. Non egebat conuerſione ad phantaſmata. 172. 1. Poterat cum illa exerceri. 173. 1. Non egebat compoſitione & diſcurſu. col. 2. Sed poterat cum illo exerceri. 174. 1. Vide Species intelligibiles. Habitus.

Scientia acquiſita Chriſti complectebatur omnia de quibus homines cognitionem acquirere poſſunt. 180. 1. Sed non quæcunque ab anima ſeparata cognoſcuntur. 181. Aliqua fuit comparata à Chriſto per propriam acquiſitionem, & aliqua accepta per infuſionem à Deo. 182. Quanam vno vel alio modo. 184. Quanam dicebatur experimentalis. col 2. Non didicit Chriſtus quicquam ab Angelis vel hominibus. 186.2

Scientia acquiſita Chriſti habuit varios actus. 187. 2. Species intelligibiles & ſenſibiles. ibid. Habuit plures, ſed magis vniuerſales quàm in nobis. 188. 1. Exercebatur per conuerſionem ad phantaſmata, & per diſcurſum. 188. 2. Erat ſemper vera, certa, & euidens. 189.

Scientia infuſa non fuit in B. Virgine ſicut in Chriſto. 506 2

SECRETA cordium erant nota Chriſto per ſcientiam beatam & infuſam. 169.2

SEDERE ad dexteram Patris, quomodo dicatur & intelligatur de Chriſto. 608. & ſeq. Quomodo de alijs Sanctis. eo. 2.

SENSVALITATIS motus inordinatus nullus fuit in B. Virgine. 491.2

SENSVS omnes erant in Chriſto. 217. 1. Habebant conſuetum cognoſcendi modum. 219. 2. Permanent etiam & ſuas operationes exercent in corpore glorioſo Chriſti & aliorum Beatorum. 585.2

SEPVLTVRA Chriſti. Vide Chriſtus ſepultus.

Sepulturæ portio quando debeat inter duas Parochias diuidi. 716. 2. Ad quem Parochum propriè ſpectet. 718.1

SERVITVS propriè dicitur de perſonis rationalibus, ex neceſſitate ſubiectis alteri. 319. 2. In quodam ſenſu tribuitur Chriſto reſpectu Patris, reſpectu Dei quodam negatur. 322. & ſeq. Non conuenit in humanis filio reſpectu patris, & vxori reſpectu viri. 325.1

SERVORVM filij quatenus poſſint inuitis parentibus baptizari. 792.1

SEXVS idem reparabitur ſingulis in reſurrectione. 624.1

SICLVS quantum valebat apud Hebræos. 514.2

SIGNVM quid ſit. 632. 1. Aliud eſt cognoſcendi, & aliud faciendi. ibid. Qualiter differat à cauſa. 642. 1. Qualiter intelligatur ſignum practicum. 644.1

SIMON qui & Simeon, dicitur frater Chriſti. 463. 2.

SINGVLARIVM dari poteſt ſcientia. 2.1

SINVS Abrahæ. Vide Limbus Patrum.

SORORES quæ dicuntur Chriſti quæ fuerint. 463. 2

SPECIES intelligibiles infuſæ fuerunt intellectui Chriſti. 174. 1. Erant plures ibid. Poterant reduci in vnam reſpectu rerum naturalium. col. 2. Non poterant eſſe tot, quot res cognoſcibiles. ibid. Erant vniuerſaliores noſtris. 175. 1. Etiam angelicis 176. 1. Erant perfectiſſimæ omnium quæ de facto ſunt, non

Digitized by Google

omnium poſſibilium. col. 2.
Species quoque ſenſibiles erant in Chriſto, non ſolùm per acquiſitionem, ſed & per infuſionem. 187.2
SPES *non fuit in* Chriſto. 143.1. *Fuit in B. Virgine.* 505.2
SPIRITVS *corporis animales & vitales, aſſumpti fuerunt à Verbo in Chriſto.* 84.1
SPIRITVS SANCTVS, *qualiter apparuerit in ſpecie columbæ.* 524.1
Spiritus ſancti miſſio. Vide Chriſtus miſit.
Spiritus ſancti datio per manuum impoſitionem, erat Confirmationis ſacramentum. 843.2
STATVS *varij humanæ naturæ.* 656.2
SVBIECTIO *ad Patrem, ad Deum, non conueniebat Chriſti Diuinitati & perſonæ, ſed humanitati.* 515. *Rectè dicitur de Chriſto penes humanam naturam.* col. 2. *Etiam reſpectu Spiritus ſancti. & ſui ipſius.* 316.1. *Quomodo in fine mundi dicatur plenè ſubiectus.* 318.1. *Triplex ſubiectio Chriſti ad Deum diſtinguitur & explicatur. ibid. & deinceps.*
Subijciebatur Chriſtus penes humanam voluntatem præceptis diuinis. 325.2. *Non tamen poſitiuis veteris legis.* 326.2. *Nec nouæ.* 327.1 *Nec humanis.* col. 2. *Sed ſua ſponte illa ſeruauit ob plures conuenientia rationes.* 328.1. & 535.1. *Subijciebatur præcepto redimendi homines per paſſionem & mortem ex ipſa ordinatione diuina.* 329.2
SVBSISTENTIA *diſtinguitur à natura.* 27.2. *Sublata fuit ab humana natura in Chriſto. ibid.* Non *indiget diſtincto unionis modo.* 39.1. Non *poteſt aſſumi.* 71.2
SVBTILITAS *conuenit Chriſto in ſtatu glorioſo, & omnibus Beatis.* 592.1. *Ad penetranda quæcunque alia corpora* col. 2. Per *coexiſtentiam in loco.* 593.1 *Virtute motiua intrinſeca.* col. 2. *Et uſu libero.* 594.1. *In omnibus æqualis.* 597.2
SVMMVS PONTIFEX *poteſt miniſtrare, & licentiam miniſtrandi ſacramenta concedere in tota Eccleſia.* 718.1
SVPPOSITVM *vnum in Chriſto, idem cum perſona.* 23.2
SYBILLÆ *quomodo nouerint Incarnationis myſterium.* 9.1

T

TACTVS *qualiter admittendus ſit in Beatis.* 586.1
TADÆVS *qui & Iudas Apoſtolus, dicitur frater Chriſti.* 463.2
TEMPLVM *vnicum erat apud Hebræos, in quo oblatus fuit Chriſtus.* 514.1. *Eius pinnaculum quodnam eſſet.* 529.2
TEMPVS *quo aduenit Chriſtus, fuit intermedium in decurſu mundi.* 20.2. *Dicitur iuuentus & ſenectus mundi.* 21.1. *Fuit conueniens. ibid. Quare electum à Deo.* col. 2.
TENTATIO *Diaboli erga Chriſtum, fuit tantùm externa, nec poterat eſſe interna.* 528.1. *Quæ & qualis fuerit prima tentatio.* col. 2. Secunda. 529.1. *Tertia.* col. 2.
TERMINVS *Incarnationis ad quem totalis fuit* Chriſtus, *Formalis vno modo vnio, alio modo natura humana, alio ſubſiſtentia diuina.* 50. *Terminus à quo pluribus etiam modis deſignantur.* col 2.
THOMAS *Apoſtolus quomodo non interfuit in priori Chriſti apparitione.* 602.2. *In altera interfuit.* 603.1
TIMOR *Donum* Spiritus *ſancti fuit in Chriſto.* 144.2.
Timor actus voluntatis quomodo erat in Chriſto. 195.1. *Poteſt ſumi pro actu triſtitia.* col. 2. *An eſſet in portione ſuperiori vel inferiori.* 196.1
TITVLVS *coloratus requiritur in miniſtro ad valorem ſacramentorum.* 710.1. *Sufficit in caſu erroris publici.* 711.1
TRANSFIGVRATIO *Chriſti quare & qualiter facta fuerit.* 538.1
TRIBVTVM *ſolutum fuit à Chriſto, non ex debito, ſed ad vitandum ſcandalum.* 328.2
TRINA *merſio non eſt neceſſaria ad Baptiſmũ.* 752.2. *Nec retardat valorem & effectum Baptiſmi, completa prolatione formæ.* 755.2. *Sed ex intentione miniſtri poteſt ſola tertia merſio perficere Baptiſmum.* 756.1
TRINITAS *tota ſecundùm omnes diuinas perſonas operata eſt Incarnationis myſteriũ.* 98
Trinitatis Myſterium erat euidenter notũ Chriſto per ſcientiam infuſam. 166.1. Non *poteſt dici Chriſtus filius Trinitatis.* 373.
Trinitas tota formauit vocem ſuper Chriſtum in Iordano, ſed ad repræſentandum ſolum Patrem. 525.1
Trinitatis inuocatio explicita, eſt neceſſaria ad valorem in forma Baptiſmi. 758.2. *Sub proprijs nominibus perſonarum.* 759.2. *Abſque permutatione vnius in aliud.* 760.1. *Cum particula coniunctiua.* col. 2. *An ſub eodem ordine conſueto.* 761.1
TRISTITIÆ *actus verè fuit in volũtate Chriſti.* 192.1. Non *ſuſpenſo gaudio beatifico* col. 2 *Sed ex diuina diſpoſitione ſimul cum illo. ibid.*

Et

Digitized by Google

Et conſequenter ad illum. 193. *Non repugnabat eſſentialiter cum illo.* 194. *An eſſet in portione ſuperiori vel inferiori.* 196.1

TVBÆ ſonus in die iudicij erit vox quadam articulata. 629.1

V

VAGI poſſunt à quolibet Parocho ſacramenta ſuſcipere. 717. 2. *Ad quam Parochiã ſpectent quoad ſepulturam.* 718.1

VEGETATIVÆ operationes locum non habent in corporibus glorioſis. 584.2

VENIALIVM peccatorum pœnitentia, non eſt neceſſaria ante Baptiſmum. 798. 2. *Niſi ad obtinendam remiſſionem eorum. ibidem. Qua per Baptiſmum verè conferetur.* 803.2. *Etiam poſtea homine ſe diſponente.* 808 2

VERBVM Diuinum dici non debet in Chriſto compoſitum. 32. 1. *Solùm de facto eſt incarnatum.* 61. 1. *Ob plures conuenientes rationes. ibid. Ratione ſolius proprietatis perſonalis.* 63. *&* 64. *Abſque ſui immutatione.* 65. *Vel acquiſitione perfectionis.* 66.1. *Vel maioris bonitatis & diligibilitatis. col.* 2. *Aſſumpſit corpus & animam* 81. 2. *Omnes partes corporis.* 82. 2. *Vide Vnio. Alia vide verbo Deus.*

Verbum Diuinum in morte Chriſti non dimiſit animam, aut corpus, aut ſanguinem. 560. *Nec amiſit vllum modum vnionis cum natura humana.* 561.1. *Interim tamen deſiit dici homo. ibid. Aſſumpſit quoq; formã cadaueris.* 562.2

VERBA & res ſunt de conſtitutione intrinſeca noſtrorum ſacramentorum. 647.1. *Sunt conſecratoria, non concionatoria. col.* 2. *Vide Res & verba.*

Verba ſacramentorum quando accidentaliter aut ſubſtantialiter immutentur. 652.1. *Quãdo ſtudioſè immutata vitient ſacramẽtũ. col.* 2.

VESTES Chriſti in transfiguratione verè protunc fuerunt albæ. 540.1

VIATORES ſoli ſunt ſacramentorum capaces. 725. 1. *Et omnes. ibidem.*

VICARIVS Epiſcopi poteſt ſacramenta ſubditis miniſtrare. 719. 2. *ſimiliter Abbatis, & Capituli Sede vacante. ibidem.*

VICEPAROCHVS deputatus à non legitimo Parocho, qualiter faceret actus validos. 710.2. *Qualiter poſſit à Parocho deputari.* 720 2. *&* 721.1. *Et ipſe poſſit alterum ſubſtituere. col.* 2.

VINVM non eſt apta Baptiſmi materia. 750.2. *Nec etiam limphatum.* 751.2

VIR poteſt tenere feminam in Baptiſmo 776.2

VIRGINITAS & continentia, non erat vetita in antiqua lege. 467. 2. *Sed potiùs ab aliquibus obſeruata. ibid. Et in ſacris litteris commendata. ibid.*

VIRGO MARIA. Vide Beata Maria Virgo.

VIRTVALIS intentio quæ ſit, & qualiter ſufficiat ad miniſterium ſacramenti. 699.1

VIRTVTES infuſæ fuerunt in Chriſto. 143. 1. *Etiam acquiſitæ. ibid. Datæ fuerunt per infuſionem à Deo. col.* 2. *Earum actus erant ſupernaturales.* 144. 1. *Fuerunt etiam in Beata Virgine.* 505. 2. *&* 506.1.

Virtutes theologales & cardinales ſingillatim per ſeptem ſacramenta reſpiciuntur. 737.1

VIRTVS in ſacramentis effectiua gratiæ, non admittitur. 674.1

VISVS qualiter & per quod medium exerceri poterit inter Beatos. 587.1

VITA Chriſti eſſe non debebat nimis auſtera, nec delicioſa. 533.2

Vita ſpiritualis, ad ſimilitudinem corporalis, per ſacramenta perficitur. 736.2

VITII habitus non poterat eſſe in Chriſto. 228.

VITIS aqua non valet ad Baptiſmum. 751.1

VISIO Dei in Chriſto. Vide Scientia beata. An fuerit conceſſa B. Virgini per modum tranſeuntis in vita mortali. 507.2

VNCTIO eſt materia proxima ſacramenti Confirmationis. 844. 1. *Facta ſub forma crucis in fronte ſuſcipientis, & manu conferentis.* 846. 1.

VNGVENTVM ex oleo & balſamo eſt materia remota ſacramenti Confirmationis. 844.1. *Ab Epiſcopo benedictum.* 846.1. *Excluſa omni diſpenſatione. col.* 2.

VNIO hypoſtatica eſt aliquid diſtinctum inter perſonam diuinam & naturam humanam. 35. 2. *Eſt aliquid reale poſitiuum.* 36. 2. *Permanens in Chriſto.* 37. 1. *Non eſt qualitas aut alia res abſoluta. col.* 2. *Non eſt relatio prædicamentalis vel alius modus accidentalis. ibid. Eſt modus ſubſtantialis.* 38 1. *Tranſcendentaliter relatiuus. col.* 2. *Differt ab vnitate Chriſti. ibid. Vnicus inter ambo extrema.* 39. 1. *Immediatè coniungit extrema. ibid. Non indiget alio modo. col.* 2. *Terminatur ad ſolum Verbum, ſed efficitur à tribus perſonis. ibidem. Non poteſt ſeparari ab humana natura, nec à diuina perſona.* 40. 1.

Vnio hypoſtatica dici debet ſubſtantialis. col. 2. *Dici poteſt eſſentialis* 41. 2. *Propriè dicitur ſubſiſtentialis. ibid. Dicta eſt etiã naturalis. ibid. Eſt vnionum maxima.* 42.2 *Eſt donorum maximum.* 44. 1. *&* 45. 2. *Ineſt naturæ humanæ, terminatur ad perſonã diuinam.* 46 1.

Differt

Digitized by Google

Differt ab vnione & ſubſtentatione naturali. col.2. Non conſtituit ſed imitatur cauſalitatem. 47. 1. Eſt intrinſeca Chriſto. ibid. Non eſt violenta humanæ naturæ. 79. 1. Explet eius appetitum. col. 2.
Vnio in corpore & anima Chriſti cum Verbo, erat duplex diſtinctus modus. 86. Separabilis in morte. 87. 1. In anima ſpiritualis, & in corpore materialis. ibid.
Vnio aderat etiam inter corpus & animã Chriſti. 87. 2. Non per alium diſtinctum modum vniebatur Verbo. 88. 1. Nec aderat alia vnio humanitatis cum Verbo præter vnionem partium. 89
Vnio alterius naturæ creatæ cum perſona diuina, fuiſſet præmiũ adæquatum cum merito Chriſti. 296. 2.
VOLVNTAS humana verè fuit in Chriſto. 191. Non ſolùm rationalis, ſed etiam ſenſitiua. col. 2. Habuit omnes actus non inuoluentes imperfectionem. 191. 2. Etiam triſtitiæ & timoris. Vide Triſtitia. Timor. In ea deſignatur portio ſuperior & inferior. 196. 1. Erat libera non obſtante præuiſione ſuorum actuũ. col. 2. Et non obſtante impeccabilitate. 197. Erat recta, & diuinæ voluntati conformis. 201. Quomodo paſſa ſit in portione etiam ſuperiori. 544. 2.
VOTVM Continentiæ poterat licitè emitti etiam in antiqua lege. 467. Fortaſſe primò à B. Virgine fuit emiſſum. 468. 1. Fuit abſolutè emiſſum. ibid.
Votum ſacramenti non ſufficit ad percipiendam gratiam ex opere operato. 668. 1
Votum Baptiſmi poteſt ſufficere ad ſalutem. 745. 2. Sufficit implicitum. 746. 2. Qualiter differat à voto aliorum præceptorum. 747. 2
VOX Dei Patris ſuper Chriſtum in Iordane qualiter inſonuerit. 525. 1
Vox qualiter poterit formari & audiri inter Boncos, & per quod medium. 587. 2.
Vox tubæ in die iudicij erit oratio quadam articulata. 629. 1
VVLNVS lateris Chriſti quomodo dicatur origo ſacramentorum. 259. 1
Vulnerum cicatrices & apertura remanſerunt in corpore Chriſti glorioſo. 584. 2. Abſque deformitate & cum maximo decore. 585. 1
VXOR non dicitur propriè ſerua reſpectu viri. 325. 1.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Errata*	*Corrigenda.*
5	2	30	mſiſterij	myſterij
148	2	22	intenſionem	intenſiorem
161	1	32	*neque Pater*	*niſi Pater*
162	2	2	vnita	finita
164	2	18	vlla	illa
168	1	11	piæ	piæ
			ac	per
173	2	24	aſcendit	reſpondit
191	2	7	à voluntate diuina	voluntati diuinę
196	1	27	rigetur	regitur
209	1	marg	*actu*	*aut*
231	1	36	ſect.	quæſt.
	2	49	ſolo	tali
234	2	48	incorporeus	corporeus
237	1	53	acceſſit	accepit
246	2	24	*totam*	*tota*
		25	*conſperſionem*	*conſperſio*
252	1	50	determinabit	determinabat
255	1	16	Adamas	Adãmus
253	1	11	vltimum non eſſe	vltimum eſſe
		12	primum eſſe	primum nõ eſſe
263	2	8	diligens	diligeres
264	1	22	34.	24.
265	2	30	purificaſſe	pacificaſſe
266	1	2	Briedo	Driedo
272	1	45	Herrori	errori
274	2	47	Concil.	Concil. Mileuit.
281	1	14	finem	fidem
283	2	25	ſua	pia
286	1	46	miſtione	iuſſione
291	1	28	Chriſtum	Deum
292	1	10	ſolùm	ſolùm habet
296	1	16	infinitum	finitum
298	1	20	inter ſe	inter quos
318	2	3	in	ex
321	2	24	Salleriæ	Galleciæ
323	2	34	aut dici	dici
325	1	28	alius	filius
334	1	12	eandem	tandem
		31	partim	paſſim
338	1	11	ineſficacia	efficacia
339	2	29	vni	cui
340	1	25	quia	vel etiam in perſona propria, quia
	2	26	vobis	pro vobis

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Errata*	*Corrigenda.*
341	2	36	Pater	Patri
344		30	ſoluens	ſaluans
345	2	19	autem	antea
346	1	29	rugum	vagum
348	2	19	deriuatus	decimatus
		21	erit	erat
361	1	46	naturalibus	rationalibus
	2	31	aliorum	filiorum
363	2	2	49.	19.
[illegible]	2	26	abſurdaſſe	abſurdam
[illegible]	2	53	prioris	prioribus
368	2	38	damnauit Neſtorium	damnauit Bonoſum, nõ per hoc damnauit Neſtorium
370	2	15	*præceſſoris*	*præceſſores*
		19	*adeptionem*	*adeptionem*
375	1	34	augeri	vrgeri
376	1	13	relationem	relatione
377	1	15	ſicut ergo	ſicut
378	1	7	ſimul	ſi
379	2	30	referuntur	refertur
380	2	44	alij ſecunda	alij. Secundæ
382	1	43	ipſæ	aptæ
		44	extirpentur	vſurpentur
383	2	7	etiam	ita hanc
384	1	28	niſi intelligendo	intelligendo
398	2	15	per	pro
404	1	21	miſi	occiſi
			Iocco	Imo
494	1	44	debeatur	deleatur
496	2	marg	*Virginali qua*	*Virgini aliqua*
497	1	5	iniuriæ	incuriæ
		7	traugreſſione	tranſgreſſione
499	1	21	peccata	peccet
540	1	49	iudica	lucida
		50	iilas	illos
541	1	18	fuit	fiet
		20	Ideoquè	Idemquè
556	2	52	indigerent	infligerent
638	1	13	quandam	quanam
681	1	32	erat	erant
742	2	9	Magyſter	Magiſter
774	1	30	ſtatum	ſtatu
781	2	38	conuerſatur	conuertatur
792	1	40	&	vt

Digitized by Google

IANVÆ,

Apud Nicolaum Peſagnum & Petrum Franciſcum Barberium ſocios. M DC XXXXIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina -
1976

Digitized by Google